SANCTI BONAVENTURÆ

S.R.E. EPISCOPI CARD. ALBANENSIS

OPERA OMNIA

TOMUS QUINTUS.

SANCTI
BONAVENTURÆ
EX ORDINE MINORUM
S.R.E. EPISCOPI CARD. ALBANENSIS
EXIMII ECCLESIÆ DOCTORIS
OPERA
SIXTI V. PONT. MAX.
JUSSU DILIGENTISSIME EMENDATA,

Et in hac nova Editione tres in Partes tributa;
quarum una Certa; altera Dubia;
Suppofititia tertia complectitur.

TOMUS QUINTUS.

VENETIIS CIƆ.IƆ.CC.LIV.
Ex Typographia Joan. Baptistæ Albritii Hier. F.
SUPERIORUM PERMISSU.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

BREVILOQUIUM.

BREVILOQUIUM, quod ex eo appellatur, quia summatim ac breviter Theologiæ instituta, ac præcepta exponit, in procemium, & tractatum dividitur. Procemium sacræ Scripturæ ortum, progressum, statum, latitudinem, longitudinem, sublimitatem, profunditatem procedendi, eamque interpretandi modum demonstrat. Tractatus vero septem partibus continetur: prima est de Deo Trino & uno: secunda de creatura mundi: tertia de corruptela peccati: quarta de incarnatione Verbi: quinta de gratia Spiritus sancti: sexta de sacramentorum medicina: septima denique de statu finalis judicii. Materia primæ partis tractatur a Magistro in primo libro sententiarum: secundæ, & tertiæ, in secundo: quartæ, in tertio: quintæ, partim in secundo, & partim in tertio: sextæ vero & septimæ in quarto. Has omnes & quidem grandes materias adeo brevi profunditate, & profunda brevitate Auctor edisserit, ut merito Joannes Gerso par. 2. tit. lib. leg. Breviloquium mira compendii arte divinitus compositum ingenue fateatur.

PROOEMIUM.

Ephes. 3. FLECTO genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtutem, corroborari per spiritum ejus in in- A teriori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, ut possitis comprehendere, cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in om-

nem plenitudinem Dei. Magnus doctor gentium, & prædicator veritatis divino repletus spiritu, tamquam vas electum, & sanctificatum, in hoc verbo aperit sacræ Scripturæ, quæ Theologia dicitur, ortum, progressum, & statum. Insinuans ortum scripturæ, attendi secundum influentiam beatissimæ Trinitatis: progressum autem, secundum exigentiam humanæ capacitatis: statum vero sive fructum, secundum superabundantiam superplenissimæ felicitatis.

Jac. 1. Ortus namque non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quæ fluit a Patre luminum: *Ephes.* 3 Ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur, a quo per filium ejus Jesum Christum manat in nos Spiritus sanctus: & per Spiritum sanctum dividentem, & distribuentem dona singulis, sicut vult, datur fides: & per fidem habitat Christus in cordibus nostris. *1. C. 12* Hæc est notitia Jesu Christi, ex qua originaliter manat firmitas, & intelligentia totius scripturæ sacræ. Unde & impossibile est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agnoscendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi infusam, tamquam ipsius totius scripturæ lucernam, januam, & etiam fundamentum. Est enim ipsa fides omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu peregrinamur a Domino, *1. Cor.* 5 & fundamentum stabiliens, & lucerna dirigens, & janua introducens: secundum cujus etiam mensuram, necesse est, mensurari sapientiam, nobis divinitus datam: ne quis sapiat, plusquam oportet sapere sed sapiat ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. *Rom.* 12. Mediante igitur hac fide; datur nobis notitia sacræ Scripturæ, secundum influentiam beatissimæ Trinitatis: juxta quod expresse insinuat Apostolus in prima parte auctoritatis prius inductæ.

Progressus autem sacræ Scripturæ non est coarctatus ad leges ratiocinationum, & diffinitionum, & divisionum juxta morem aliarum scientiarum: & non est coarctatus ad partem universitatis: sed potius cum secundum lumen supernaturale procedat, ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ei ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica, describit totius universi continentiam, quasi in quadam summa, in quo attenditur latitudo: describit excellentiam finaliter salvandorum, in quo attenditur sublimitas: describit & miseriam damnatorum, in quo profunditas consistit non solum ipsius universi, verum etiam divini iudicii. Et sic describit totum universum, quantum expedit de ipso habere notitiam ad salutem, secundum ipsius latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profunditatem. Ipsa etiam habet in suo progressu hæc quatuor, secundum quod posterius declarabitur, quia sic exigebat conditio capacitatis humanæ, quæ magna & multa nata est magnifice, & multipliciter capere, tamquam speculum quoddam nobilissimum, in quo nata est describi, non solum naturaliter, verum etiam supernaturaliter, rerum universitas mundanarum: ut sic progressus sacræ Scripturæ attendatur secundum exigentiam capacitatis humanæ.

Status vero sive fructus sacræ Scripturæ, non est quicunque, sed plenitudo æternæ felicitatis: Nam hæc est scriptura, in qua verba sunt vitæ æternæ, quæ ideo scripta est, non solum, ut credamus, verumetiam, ut vitam possideamus æternam. In qua quidem videbimus, amabimus, & universaliter omnia desideria nostra implebuntur. Quibus impletis, vere tunc sciemus supereminentem scientiæ charitatem, & ita impleti erimus in omnem plenitudinem Dei. Ad quam quidem plenitudinem, conatur nos divina introducere scriptura, juxta prædictæ sententiæ Apostolicæ veritatem. Hoc igitur fine, hac etiam intentione, sacra Scriptura perscrutanda est, & docenda; & etiam audienda. *Scriptura sacra quo fine perscrutanda.* Et ut ad istum fructum, & terminum recto perveniamus progressu, per viam recti itineris scripturarum, inchoandum est ab exordio. Hoc est, ut cum

mera

mera fide, ad Patrem luminum accedamus, flectendo genua cordis nostri, ut ipse per Filium suum, in Spiritu sancto, det nobis veram notitiam Jesu Christi, & cum notitia amorem ipsius, ut sic ipsum cognoscentes, & amantes, & tamquam in fide solidati, & in charitate radicati possimus, ipsius sacræ Scripturæ nosse latitudinem, longitudinem, altitudinem, & profunditatem: & per hanc notitiam pervenire ad plenissimam notitiam, & excellentissimum, & excessivum amorem beatissimæ Trinitatis, quo Sanctorum tendunt desideria, in quo est status, & complementum omnis veri, & boni.

De latitudine sacræ Scripturæ.

HUjus sacræ Scripturæ fine concupito, & intento, & principio credito simul & invocato videndus est progressus, quantum ad ipsius latitudinem, longitudinem: sublimitatem, & profunditatem, secundum viam, & ordinem Apostolici documenti. Consistit autem ipsius latitudo, in multitudine suarum partium. Longitudo vero, in descriptione temporum, & ætatum. Altitudo in descriptione hierarchiarum, gradatim ordinatarum. Profunditas in multitudine mysticorum sensuum, & intelligentiarum. Si igitur velimus latitudinem sacræ Scripturæ speculari, prima fronte occurrit nobis sacra Scriptura, secunda in duo testamenta, scil. vetus, & novum. Vetus autem occurrit, cum multitudine librorum. Habet enim libros legales, historiales, sapientiales, & prophetales: ita quod primi sunt quinque, secundi decem, tertii quinque, quarti sunt sex, ac per hoc in universo viginti sex. Novum similiter testamentum, habet libros his correspondentes, secundum quadruplicem formam. Nam legalibus correspondent libri Evangelici: historialibus, actus Apostolici: sapientialibus Epistolæ Apostolorum, & maxime Pauli: Prophetalibus correspondet liber Apocalypsis: ut si mira sit conformitas inter vetus, & novum testamentum, non solum in continentia sensuum, verum etiam in quadriformitate partium. In cujus figuram, & consignationem vidit Ezechiel rotam quatuor facierum, & rotam in medio rotæ, quia vetus est in novo, & econverso. Nam in libris legalibus, & Evangelicis, est facies leonis, propter excellentiam auctoritatis. In historialibus est facies bovis, propter exempla virtutis. In sapientialibus, est facies hominis, propter prudentiam sagacem. In libris Prophetalibus, est facies Aquilæ, propter intelligentiam perspicacem.

Ibidem. — Veteris & novi testamenti libri sibi respondentes. — Ezech. 1

Recte autem sacra Scriptura dividitur, in vetus, & novum testamentum, & non in theoricam, & practicam, sicut Philosophia: quia cum sacra Scriptura fundetur proprie super cognitionem fidei, quæ virtus est, & fundamentum morum, & justitiæ, & totius rectæ vitæ, non potest in ea sequestrari notitia rerum, sive credendorum a notitia morum. Secus autem est de Philosophia, quæ non tantum de veritate morum, verum etiam agit de vero nuda speculatione considerato. Quoniam igitur Scriptura sacra est notitia movens ad bonum, & revocans a malo, & hoc est per timorem, & amorem: ideo dividitur in duo Testamenta: quorum brevis differentia est timor, & amor. Et quia quadrupliciter potest quis moveri ad bonum, & removeri a malo, scilicet per præcepta potentissimæ majestatis, vel per documenta sapientissimæ veritatis, vel per exempla, & beneficia innocentissimæ bonitatis, vel ex his omnibus in unum collectis: ideo tam in novo, quam in veteri Testamento, sunt quadriformiter traditi libri continentes sacram Scripturam, secundum correspondentiam ad quatuor præmissa. Nam libri legales movent per præcepta majestatis omnipotentissimæ: historiales per exempla bonitatis innocentissimæ: sapientiales, per documenta veritatis sapientissimæ: prophetales movent ex omnium prædictorum aggregatione, sicut in eis manifestissime apparet. Unde ipsi sunt

Sacræ scripturæ divisio. — Quatuor modis potest quis moveri ad bonum, & revocari a malo.

sunt quasi rememorativi totius legalis, sapientiæ, & doctrinæ. Est igitur Scriptura sacra similis fluvio latissimo, qui ex concursu aquarum multarum aggregatur magis, ac magis, secundum quod longius decurrit. Nam cum primo in Scriptura essent libri legales, postea supervenit aqua sapientiæ historialium librorum, tertio vero superadvenit doctrina sapientissimi Salomonis, post hoc etiam doctrina sanctorum Prophetarum, & tandem doctrina Evangelica, revelata per os carnis Christi prolata, per Evangelistas conscripta, per sanctos Apostolos divulgata. Additis etiam documentis, quæ Spiritus sanctus super eos veniens, docuit nos per eos: ut sic omnem veritatem, per Spiritum sanctum juxta divinum promissum edocti, omnis veritatis salutaris doctrinam Ecclesiæ Christi darent, & sacram Scripturam consummando veritatis notitiam dilatarent.

Scriptura sacra fluvio similis.

Joan. 16

De longitudine sacræ Scripturæ.

HAbet etiam hæc sacra Scriptura longitudinem, quæ consistit in descriptione, tam temporum, quam ætatum, a principio scilicet mundi, usque ad diem judicii. Describit enim per tria tempora mundum decurrere, scilicet per tempus legis naturæ, legis scriptæ, & legis gratiæ, & in his tribus temporibus septem distinguit ætates. Quarum prima est ab Adam usque ad Noe, secunda a Noe usque ad Abraham, tertia ab Abraham, usque ad David, quarta a David, usque ad transmigrationem Babylonis, quinta a transmigratione Babylonis usque ad Christum, sexta a Christo usque ad finem mundi, septima decurrit cum sexta, quæ incipit a quiete Christi in sepulchro, usque ad resurrectionem universalem, quando incipiet resurrectionis octava. Et sic Scriptura est longissima, quia in tractando incipit a mundi, & temporis exordio in principio Genesis, & pervenit usque ad finem mundi, & temporis, scilicet in fine Apocalypsis. Recte autem universum tempus, quod decurrit secundum triplicem legem scilicet inditam interius, datam exterius, & desuper infusam, decurrit per septem ætates, & consummatur in fine sextæ, ut sic mundi decursus respondeat mundi exordio, & majoris mundi decursus correspondeat decursui vitæ minoris mundi, scilicet hominis, propter quem etiam factus est. Nam prima ætas mundi, in qua facta est ipsius mundi formatio, casus dæmonum, & confirmatio Angelorum, recte respondet primæ diei, in qua facta est lux, & divisa a tenebris. Secunda in qua per arcam, & diluvium salvati sunt boni, & deleti mali, respondet secundæ diei, in qua per firmamentum facta est distinctio aquarum ab aquis. Tertia, in qua vocatus est Abraham, & inchoata synagoga, quæ fructificare, & generare debebat prolem ad Dei cultum, correspondet diei tertiæ, in qua apparuit terra, & protulit herbam virentem. Quarta, in qua viguit regnum, & sacerdotium, quia David Rex ampliavit cultum divinum, correspondet quartæ diei, in qua facta est formatio luminarium, & stellarum. Quinta in qua transmigrationes inter populos multos versati sunt, & tribulati, correspondet diei quintæ, in qua facta est formatio piscium ex aquis. Sexta ætas, in qua natus est Christus in effigie hominis, qui vere est imago Dei, correspondet sextæ diei, in qua formatus est homo primus. Septima in qua est quies animarum non habens finem, correspondet septimæ diei, in qua requievit Deus ab omni opere, quod patrarat. Et sic distinguuntur hæ septem ætates, propter insignia facta, quæ fuerunt in earum exordiis, ratione quorum correspondent diebus formationis mundi. Vocatur autem prima ætas infantia: quia sicut infantia tota oblivione deletur, sic illa prima ætas per diluvium est consumpta. Secunda pueritia: sicut enim

Ætates septem.

Gen. 1 Gen. 7

Gen. 8

Ibidem 12.

Ibid.

Ibid.

Col. 1 Gen. 1

enim in pueritia loqui incipimus, sic in secunda ætate facta est distinctio linguarum. Tertia dicitur adolescentia: quia sicut vis generativa tunc incipit in actum suum exire, sicut tunc vocatus est Abraham, & data est ei circumcisio, & facta est ei promissio de semine. Quarta dicitur juventus: quia sicut in juventute floret hominis ætas, sic in quarta ætate sub Regibus floruit synagoga. Quinta dicitur senectus: quia sicut in senectute vires minuuntur, & decidit pulchritudo, sic & in transmigratione factum est de Judæorum sacerdotio. Sexta ætas dicitur senium: quia sicut illa est, quæ copulatur cum morte, habens tamen magnam lucem sapientiæ, sicut sexta ætas mundi terminatur cum die judicii, & in ea viget sapientia per doctrinam Christi. Sic igitur totus ille mundus ordinatissimo decursu, a Scriptura sacra describitur procedere a principio usque ad finem, ad modum cujusdam pulcherrimi carminis ordinati, ubi potest quis speculari, secundum decursum temporis, varietatem, & multiplicitatem, & æquitatem, & ordinem, rectitudinem, & pulchritudinem multorum divinorum judiciorum, procedentium a sapientia Dei gubernante mundum. Unde sicut nullus potest videre pulchritudinem carminis, nisi aspectus ejus feratur super totum versum: sic nullus videt pulchritudinem ordinationis, & regiminis universi, nisi eam totam speculetur. Et quia nullus homo tam longævus est, quod totam possit videre oculis carnis suæ, nec futura potest per se prævidere: providit nobis Spiritus sanctus librum Scripturæ sacræ, cujus longitudo commetitur se decursui regiminis universi.

Gen. 11 | Gen. 12 & 17

De sublimitate sacræ Scripturæ.

Habet nihilominus Scriptura sacra in suo processu sublimitatem, quæ consistit in descriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum, quæ sunt hierarchia Ecclesiastica, Angelica, & divina, seu subcœlestis, cœlestis, & supercœlestis: ita quod primam describit patenter, secundam aliquantulum magis occulte, & tertiam adhuc magis occulte. Ex descriptione Ecclesiasticæ hierarchiæ est alta: ex descriptione Angelicæ altior: ex descriptione divinæ altissima, ita ut possimus dicere illud prophetæ. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. Ps. 138 Et hoc quidem satis recte. Nam cum res habeant esse in materia, vel natura, habeant etiam esse in anima per notitiam acquisitam, habeant etiam esse in ea per gratiam, habeant etiam in ea esse per gloriam, & habeant etiam esse B in arte æterna: philosophia quidem agit de rebus, ut sunt in natura seu in anima, secundum notitiam naturaliter insitam, vel etiam acquisitam, sed Theologia tamquam scientia super fidem fundata, & per Spiritum sanctum revelata, agit & de eis, quæ spectant ad gratiam, & gloriam, & etiam ad sapientiam æternam. Unde ipsa substernens sibi philosophicam cognitionem, & assumens de naturis rerum, quantum sibi opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repræsentatio divinorum, quasi scalam erigit, quæ in sui infimo tangit terram, & in suo cacumine tangit cœlum, & hoc C totum per illum unum hierarcham Jesum Christum, qui non tantum Gen. 27 ratione naturæ humanæ assumptæ, est hierarchia in Ecclesiastica hierarchia, verum etiam in Angelica: & est media persona in illa supercælesti hierarchia beatissimæ Trinitatis: Ps. 132 ita quod per ipsum a summo capite Deo descendit unctionis gratia, non solum in barbam, verumetiam in oram vestimenti: quia non tantum in Hierusalem supernam, verumetiam usque in Ecclesiam militantem. Est enim pulchritudo magna in machina mundana: sed longe major in Ecclesia, pulchritudine sanctorum charismatum adornata: maxima autem in Hierusalem superna: supermaxima autem in illa Trinitate summa, & bea-

beatissima: Ideo ipsa scriptura sacra, non tantum habet altissimam materiam, per quam delectat, & per quam in altum levat intelligentiam mentis, verumetiam ipsa est venustissima, & miro quodam modo intellectum nostrum delectat: & sic magis, ac magis delectando assuefacit ad divinorum spectaculorum contuitus, & anagogias.

De profunditate sacræ Scripturæ.

Habet postremo ipsa sacra Scriptura profunditatem, quæ consistit in multiplicitate mysticarum intelligentiarum. Nam præter litteralem sensum, habet in diversis locis exponi tripliciter, scilicet allegorice, moraliter, & anagogice. Est autem allegoria, quando per unum factum indicatur aliud factum, secundum quod credendum est. Tropologia sive moralitas est, quando per id, quod factum est, datur intelligi aliud, quod faciendum est. Anagogia quasi sursum ductio est, quando datur intelligi illud, quod desiderandum est, scilicet æterna felicitas beatorum.

Allegoria. Tropologia. Anagogia.

Recte autem hic triplex sensus debet esse in sacra Scriptura præter intelligentiam litteralem: quia sic competit ipsius scripturæ subjecto, ipsius auditori seu discipulo, ipsius origini, ipsius etiam fini. Subiecto inquam competit: quia ipsa est doctrina, quæ est de Deo, de Christo, de operibus reparationis, & de credibili. Subiectum enim illius, quo ad substantiam Deus, quo ad veritatem Christus, quo ad operationem, reparationis opus, quo ad omnia hæc, est ipsum credibile. Deus autem est trinus, & unus. In essentia unus, in personis trinus: Ideo scriptura, quæ est de ipso, habet in unitate litteræ triformitatem intelligentiæ. Christus etiam, cum sit unum verbum, omnia per ipsum facta dicuntur, & in ipso relucent, ita quod ejus sapientia est multiformis, & una. Opera reparationis cum sint multa, omnia ad Christi oblationem principaliter habent aspectum. Credibile autem, ut credibile, diversimode relucet secundum diversum statum credentium. Ideo propter conformitatem ad omnia præmissa, sacra Scriptura in una littera, multiformem parit intelligentiam. Competit etiam hoc auditori: quia nullus conveniens est ejus auditor, nisi humilis, mundus, fidelis, & studiosus. Ideo sub cortice litteræ, aperte occultatur mystica, & profunda intelligentia, ad comprimendum superbiam, ut ipsius profunditate in humilitate litteræ latente, & superbi comprimantur, & immundi repellantur, & fraudulenti declinentur, & negligentes excitentur ad intelligentiam mysteriorum. Et quia auditor doctrinæ istius non est unius generis, sed cujuslibet; omnes enim salvandos oportet aliqua de doctrina hac scire: ideo ipsa multiformem habet intelligentiam, ut sic omnem intellectum capiat, & omni intellectui condescendat, omnem intellectum superexcedat, & omnem intellectum sibi diligenter intendentem, multitudine radiositatis suæ illuminet pariter, & accendat. Competit etiam principio, a quo est: quia est a Deo per Christum, & Spiritum sanctum, loquentem per ora Prophetarum, & aliorum, qui hanc doctrinam scripserunt. Quoniam autem Deus non tantum loquitur per verba, verum etiam per facta, quia ipsius dicere facere est, & ipsius facere dicere, & omnia creata tamquam Dei effectus innuunt suam causam: ideo in scriptura divinitus tradita non tantum debet significare verba, verumetiam facta. Christus etiam doctor licet esset humilis in carne, altus tamen erat in deitate: ideo decebat ipsum, & ejus doctrinam habere humilitatem in sermone, cum profunditate sententiæ, ut sicut Christus fuit panniculis involutus, ita sapientia Dei in scriptura figuris quibusdam humilibus involveretur. Spiritus etiam sanctus diversimode illustrabat, & revelationes faciebat in cordibus Prophetarum, ipsum etiam nullus latere potest intellectus, qui missus erat omnem docere veritatem: ideo competebat ejus doctrinæ, ut in uno ser-

Quatuor sensuum sacræ scripturæ congruentia. Joan. 1. Auditor scripturæ qualis debet esse. Deus & verbis, & factis loqui consuevit. Luc. 2.

sermone multiplices laterent intelligentiæ. Competit nihilominus ipsi fini: quia scriptura data est, ut per ipsam dirigatur homo in cognoscendis, & agendis, ut tamdem perveniat ad optata. Et quia omnes creaturæ ad hoc factæ sunt, ut serviant homini tendenti ad supernam patriam: ideo scriptura assumit ipsarum creaturarum species diversas, ut sic per ipsas doceat nos sapientia dirigentem nos ad æterna. Et quia homo non dirigitur ad æterna, nisi cognitiva agnoscat verum credendum, & operativa faciat bonum operandum, & affectiva suscipiet ad Deum videndum, & amandum, & perfruendum: hinc est, quod scriptura sacra per Spiritum sanctum data, assumit librum creaturæ, referendo in finem secundum triplicem modum intelligentiæ: ut sic per tropologiam habeamus notitiam agendorum moraliter: per allegoriam credendorum veraciter: per anagogiam desiderandorum delectabiliter. Ut sic purgati per virtuosam operationem, illuminati per radiosam fidem, & perfecti per ardentissimam charitatem, perveniamus tandem ad bravium felicitatis æternæ.

Homo quo modo ad æterna dirigitur.

De modo procedendi ipsius sacræ Scripturæ.

IN tanta igitur multiformitate sapientiæ, quæ in ipsius sacræ Scripturæ continetur latitudine, longitudine, altitudine, & profundo, unus est communis modus procedendi authenticus, videlicet intra quem continetur modus narrativus, præceptorius, prohibitivus, exhortativus, prædictivus, comminatorius, promissivus, deprecatorius, & laudativus. Et omnes hi modi sub uno modo authentico reponuntur, & hoc quidem satis recte. Quia enim hæc doctrina est, ut boni fiamus & salvemur, & hoc non fit per nudam considerationem, sed potius per inclinationem voluntatis: ideo scriptura divina eo modo debuit tradi, quo modo magis possemus inclinari. Et quia magis movetur affectus ad exempla, quam ad argumenta, magis ad

Affectus quibus magis moveatur.

A promissiones, quam ad ratiocinationes, magis per devotiones, quam per diffinitiones: ideo scriptura ista non debuit habere modum diffinitivum, divisivum, & collectivum ad probandum passiones aliquas de subiecto ad modum aliarum scientiarum; sed oportuit, quod haberet modos proprios secundum varias inclinationes animorum diversimode animos inclinantes: ut si quis non movetur per præcepta, & prohibita saltem moveatur per exempla narrata: si quis non per hæc movetur, moveatur per beneficia sibi ostensa: si quis nec per hæc movetur, moveatur per monitiones sagaces, per promissiones veraces, per comminationes terribiles, ut sic saltem B excitetur ad devotionem, & Dei laudem, in qua percipiat gratiam, per quam diligatur circa opera virtuosa. Quoniam igitur hi modi narrativi non possunt fieri per viam certitudinis rationum, quia particularia gesta probari non possunt: ideo ne scriptura ista tamquam dubia vacillaret, ac per hoc minus moveret loco certitudinis rationis, providit Deus huic scripturæ certitudinem auctoritatis, quæ adeo magna est quod omnem perspicuitatem humani ingenii superexcellit. Et quia non est certa auctoritas ejus, qui potest fallere, & falli, nullus autem sit, qui falli non possit, & fallere nesciat, nisi C Deus, & Spiritus sanctus: hinc est, quod ad hoc, quod scriptura sacra modo sibi debito esset perfecte authentica, non per humanam investigationem est tradita, sed per revelationem divinam. Ideo nihil in ipsa contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum: pro eo quod Spiritus sanctus ejus auctor perfectissimus nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum: nihil diminutum: & propterea, cœlum, & terra transibunt, verba scripturæ sacræ non præteribunt, quin impleantur: Donec enim cœlum, & terra transeat, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant, Salvatore testante. Qui ergo solverit ea, quæ scri-

Matt. 24. *Matt. 5.*

scriptura docet, & docuerit sic homines, hic minimus vocabitur in regno cælorum, qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.

De modo exponendi sacram scripturam.

Quemadmodum autem scriptura hæc, specialem habet modum procedendi, sic juxta suum procedendi modum, speciali suo modo debet intelligi & exponi. Cum enim ipsa sub una littera, multiplicem tegat intelligentiam, expositor debet abscondita producere in lucem, & illam eductam manifestare per aliam scripturam magis patentem: sicut si exponerem illud Psalmi. Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi, & velim explicare, quæ sint arma divina, dicam, quod ejus veritas, & bona voluntas: & quod ita sit, probatur per scripturam apertam. Nam & scribitur alibi: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Et iterum: Scuto circumdabit te veritas ejus. Ad quod non potest quis de facili pertingere, nisi per assuefactionem lectionis, textum, & litteram Bibliæ commendet memoriæ: alioquin in expositione scripturarum, numquam poterit esse potens. Unde sicut, qui dedignatur prima ediscere elementa, ex quibus dictio integratur numquam potest cognoscere, nec dictionum significatum, nec rectam legem constructionum: sic qui litteram sacræ Scripturæ spernit, ad spirituales ejus intelligentias numquam assurget. Attendat autem expositor, quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda. Propter quod notandum est, quod scriptura sacra quatuor habet partes. Una est, in qua secundum litteram agit de mundanis naturis, & per illas significat reparationem nostram, sicut apparet in descriptione formationis mundi. Alia est, in qua agit de actibus, & processibus illius populi Israelitici, & per illos significat reparationem generis humani. Tertia est, in qua nudis verbis significat, & exprimit ea, quæ pertinent ad nostram salutem, quantum ad fidem, vel mores. Quarta est, in qua prænuntiat nostræ salutis mysterium, partim verbis nudis, partim ænigmaticis, & obscuris. Et propterea scriptura in his locis variis, non est uniformiter exponenda.

Psalm. 34. — Psalm. 5. — Psalm. 90. — Scripturæ sacræ quatuor partes.

Debet autem expositor dirigi in expositione sacræ scripturæ, secundum triplicem regulam, quæ trahi potest de verbis beati Augustini. Prima est hæc: Ubicumque in hac scriptura prima verborum significatio significat res creationis, sive singulares actus humanæ conversationis, ibidem res significatæ per verba primo significantur, deinde nostræ reparationis mysteria. Ubi vero prima significatio verborum exponit fidem, sive charitatem, ibi nulla est allegoria quærenda.

Tres regulæ exponendi sacram scripturam ex B. Aug. verbis. 2. lib. de Doct. Christ. c. 7. de promptis.

Secunda regula est ista: Ubi verba hujus scripturæ significant res creationis, aut conversationis populi Israelitici, ibi quærat ex alio scripturæ loco, quid quælibet res significet: & deinde significationem suam eliciat per verba nude significantia fidei veritatem, vel morum etiam honestatem: utpote si dicatur, oves pariunt gemellos fœtus, ostendat quod oves significant ibi homines, & geminus fœtus geminam charitatem.

Cant. 4.

Tertia regula est ista: Quando aliqua scriptura habet aliquem intellectum litteralem, & spiritualem, debet discutere expositor, utrum illa attributio conveniat historico, an spirituali significato, si forte utrique non poterit convenire: si autem utrique competit, tunc litteraliter, & spiritualiter debet affirmari. Si vero altero modo tantum, tunc spiritualiter solum debet intelligi: sicut sabbatum legis esse perpetuum, sacerdotium æternum, possessionem terræ æternam, & pactum circumcisionis esse æternum, quæ omnia ad spirituale significatum referenda sunt.

Ad hoc autem, quod per sacrarum scripturarum silvam, quis secure incidendo, & exponendo incedat, opus est, ut prius noverit ipsius sacræ Scripturæ veritatem per ver.

Quæ oportent præcognosci ad secure exponendum scripturam sacram.

verba explicita: videlicet, ut attendat quo modo scriptura describat initium, progressum, & consummationem duplicis corporis, quasi ex opposito se respicientium bonorum: scilicet, qui hic se humiliant, ut exaltentur sempiternaliter: in futuro & malorum, qui hic se exaltant, ut æternaliter deprimantur. Unde ipsa agit de toto universo, quantum ad summum & imum, primum, & ultimum, & quantum ad decursum inter medium sub forma cujusdam crucis intelligibilis, in qua describi habet, & quodam modo videri lumine mentis, tota machina universi, ad quam quidem intelligendam oportet nosse rerum principium, scilicet Deum, ipsarum rerum creationem, lapsum, redemptionem per sanguinem Jesu Christi, reformationem per gratiam, curationem per sacramenta, & tandem retributionem per pœnam, & gloriam sempiternam.

Et quia hæc doctrina tam in scriptis Sanctorum, quam etiam doctorum sic diffuse tradita est, ut ab accedentibus ad scripturam sacram audiendam, non posse per longa tempora videri, nec audiri, propter quod etiam novi Theologi frequenter ipsam Scripturam sacram exhorrent, tamquam incertam, & inordinatam, & tamquam silvam opacam, rogatus a sociis, ut paupere portiuncula scientiolæ nostræ aliquid breve in summa dicerem de veritate Theologiæ, eorumque precibus devictus assensi breviloquium quoddam facere, in quo summatim non omnia, sed aliqua magis opportuna ad tenendum, breviter tangerentur; addens simul cum hoc rationem aliquam, ad intelligendum secundum quod occurrebat pro tempore. Quia vero Theologia sermo est de Deo, & de primo principio, utpote, quia ipsa tamquam scientia, & doctrina altissima, omnia resolvit in Deum, tamquam in principium primum, & summum: ideo in assignatione rationum; in omnibus, quæ in hoc toto opusculo, vel tractatulo continentur, conatus sum rationem sumere a primo principio, ut sic ostenderem veritatem sacræ Scripturæ esse a Deo, & de Deo, & secundum Deum, & propter Deum, ut merito ista scientia appareat, una esse, & ordinata, & Theologia, non immerito nuncupata. Si quid igitur imperfectum, vel obscurum, vel superfluum, vel minus rectum ibi fuerit, venia occupationi, & brevitati temporis, & pauperculæ scientiæ concedatur: si quid vero rectum, soli Deo honor, & gloria referatur. Ut autem sequentia clarius elucescant, titulos particulares capitulorum præmittere curavi, ad faciliorem memoriam, & lucidiorem contuitum dicendorum, quæ septem partitionibus, & septuaginta duobus capitulis distinguuntur.

Breviloquii scribendi causa, materia, modo procedendi in eo, & ejusdem divisio.

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doct. Breviloquii,

PRIMA PARS,

In qua de Trinitate Dei agitur.

CAPUT I.

De illis septem, de quibus est, Theologia, in summa.

IN principio intelligendum est, quod sacra doctrina, sc. Theologia, quæ principaliter agit de primo principio, scil. de Deo trino & uno, de septem agit in universo: scil. de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de Incarnatione Verbi, de gratia Spiritus Sancti, de medicina sacramentali, & de statu finalis judicii. Ratio autem ad intelligentiam hujus veritatis, hæc est: quia cum sacra Scriptura, sive Theologia, sit scientia, dans sufficientem notitiam de primo principio, secundum statum viæ, secundum quod necessarium est ad salutem, & Deus non tantum sit rerum principium, & exemplar effectivum in creatione, sed etiam refectivum in redemptione, & perfecti-

Theologia de quibus præcipue agit.

ctivum in retributione: ideo non tantum agit de Deo creatore, sed etiam de creatore, & creatura. Et quia creatura rationalis, quæ est quodammodo finis omnium, non stetit, sed suo casu indiguit reparari: ideo agit de corruptela peccati, medico, sanitate, & medicina, & tandem de curatione perfecta, quæ erit in gloria impiis projectis in pœnam: ideo ipsa sola est scientia perfecta, quoniam incipit a primo, quod est primum principium, & pervenit ad ultimum, quod est præmium æternum: incipit a summo, quod est Deus altissimus creator omnium, & pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium. Ipsa etiam sola est sapientia perfecta, quæ incipit a causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica: & transit per eam, ut est remedium peccatorum; & reducit in eam, ut est premium meritorum, & finis desideriorum. Et in hac cognitione est sapor perfectus, vita, & salus animarum: & ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum.

Theologia sola scientia & sapientia perfecta.

Ex his patet, quod licet Theologia sit de tot, & tam variis: est tamen scientia una, cujus subjectum, ut a quo omnia est Deus, ut per quod omnia, Christus: ut ad quod omnia opus reparationis: ut circa quod omnia, unicum charitatis vinculum, quo cælestia, & terrestria connectuntur: ut de quo omnia in libr. Canonicis comprehensa; credibile, ut credibile; ut de quo omnia in libris expositorum, credibile, ut intelligibile. Secundum Augustinum: Quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus rationi.

Theologia est una scientia, & quod sit ejus subjectum.

Aug. lib. de utilit. cred. c. 11. tom. 6.

Caput II.

Quid tenendum de Trinitate personarum, & unitate essentiæ.

De Trinitate tria consideranda.

PRimo igitur de Trinitate Dei, sunt tria consideranda, scilicet, qualiter unitas substantiæ, & naturæ simul stet cum pluralitate personarum: secundo, qualiter cum pluA ralitate apparitionum: tertio, qualiter cum pluralitate appropriatorum.

De pluralitate ergo personarum in unitate naturæ, hoc dictat recta fides esse tenendum, scil. quod in unitate naturæ sunt tres personæ, scil. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Quarum prima a nulla est, secunda est a sola prima per generationem, tertia vero est a prima, & secunda per spirationem, sive processionem: ita quod Trinitas personarum non excludit ab essentia divina summam unitatem, simplicitatem, immensitatem, æternitatem, incommutabilitatem, necessitatem, & etiam primitatem: quin potius includit summam fœcunditatem, charitatem, li-B beralitatem, æqualitatem, germanitatem, conformitatem, & inseparabilitatem, quæ omnia sana fides intelligit esse in beata Trinitate.

Personarum pluralitas in unitate natura quomodo stet.

Ratio autem hujus veritatis hæc est: quia fides, cum sit principium cultus Dei, & fundamentum ejus, quæ secundum pietatem est doctrinæ, dictat de Deo esse sentiendum altissime, & piissime. Non autem sentiret altissime, si non crederet, quod Deus posset se summe communicare; non sentiret piissime, si crederet, quod posset & nollet: & ideo, ut altissime, & piissime sentiat, dicit, Deum se summe communicare, æternaliter habendo, dilectum, & condilectum, ac per hoc C Deum, unum, & trinum. Huic autem fidei, inquantum dictat de Deo piissime sentiendum esse, attestatur tota sacra Scriptura, quæ dicitur doctrina secundum pietatem: quia Deum fatetur habere prolem, quam summe diligit, Verbum sibi coæquale, quod ab æterno genuit, in quo cuncta disposuit, per quod cuncta produxit, & gubernat, per quod etiam carne factum pro summa benignitate hominem redemi pretiosissimo ejus sanguine redemptumque cibavit: per quod etiam in fine mundi summam misericordiam impartiendo, ab omni miseria liberabit: & per Christum omnes electi sunt filii summi patris, in quo erit omnis pietatis consummatio, & Dei ad nos, & e converso. In quantum au-

Fides dictat altissime, & piissime sentiendum de Deo.

autem fides dictat de Deo sentiendum altissime, non tantum attestatur ei sacra Scriptura, verum etiam omnis creatura, juxta quod dicit Aug. Neque enim divinorum librorum tantummodo auctoritas prædicat esse Deum, sed omnis, quæ nos circumstat, ad quam nos etiam pertinemus, universa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem, rationemque naturalem dedit, qua viventia non viventibus, sensu prædita, non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, potentia impotentibus, justa injustis, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, invisibilia B visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc, quoniam rebus creatis creatorem sine dubitatione præponimus, oportet, ut est, & summe vivere, & cuncta sentire, atque intelligere, & mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnipotentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur. Ecce in his duodecim includuntur altissimæ nobilitates essentiæ divinæ. Sed post, ut ipse *ostendit, hæc duodecim* reducuntur ad tria, scil. ad æternitatem, sapientiam & beatitudinem: & hæc tria ad unum, scil. ad Sapientiam; in qua includuntur mens C generans, verbum nascens, & amor utrumque nectens, in quibus fides dictat beatissimam consistere Trinitatem. Et quoniam summa sapientia ponit Trinitatem, ponit etiam nihilominus omnes prius habitas nobilissimas conditiones, videlicet unitatem, simplicitatem & cæteras sequentes: necesse est omnes prædictas nobilitates divini esse, simul stare cum beatissima Trinitate.

Aug. l. 15. de Trinit. c. 4. tom. 3.

A

CAPUT III.

De istius fidei intelligentia sana.

De iis, quæ in divinis.

AD istius autem fidei intelligentiam sanam, docet doctrina sacra, quod in divinis sunt duæ emanationes, tres hypostases, quatuor relationes, quinque notiones, & ex his tantum tres proprietates personales.

Ratio autem ad prædictorum intelligentiam hæc est quia cum primum, & summum principium, hoc ipso, quod primum, sit simplicissimum: hoc ipso, quod summum, sit perfectissimum: ideo perfectissime communicat, quia perfectissimum: & indivisionem omnimodam servat hoc ipso, quod simplicissimum. Et ideo salva unitate naturæ, sunt ibi modi emanandi perfecti. Modi autem emanandi perfecti sunt duo tantum, sc. per modum naturæ, & per modum voluntatis: Primus est generatio, secundus spiratio, sive processio, & ideo hi sunt ibi. Et quia duabus emanationibus substantificis, necesse est emanare duas hypostases, necesse est etiam ponere hypostasim primo producentem ab alio non emanare, ne sit infinitum abire: & ideo sunt ibi tres hypostases. Et quia cuilibet emanationi respondet duplex habitudo relativa: ideo sunt ibi quatuor relationes, scil. paternitas, filiatio, spiratio, & processio. Et quia per has habitudines innotescunt nobis divinæ hypostases: & præter hoc etiam hypostasis illa, in qua est prima ratio principiandi innotescit nobis, quia non producitur, nam hoc est nobilitatis in ipsa: ideo quinque notiones, scil. quatuor relationes prædictæ cum innascibilitate. Et quia quælibet personarum unam habet proprietatem, per quam principaliter innotescit: ideo tantum tres sunt proprietates personales, quæ his nominibus exprimuntur, proprie & principaliter, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Cum enim proprium sit Patris esse innascibilem, sive

Emanationes duæ in divinis.

Hypostases tres.

Relationes quatuor.

Notiones quinque. Proprietates personales tres.

Innascibilitas quomodo notificet patrem.

sive ingenitum, esse principium non de principio, & esse Patrem: innascibilitas notificat ipsum per modum negationis, licet ex consequenti per modum positionis: quia innascibilitas in Patre ponit fontalem plenitudinem, principium non de principio; per modum positionis cum negatione: esse Patrem per modum positionis, & habitudinis, proprie, complete, & determinate. Similiter cum filius sit imago verbum & filius: imago nominat illam personam, ut similitudinem expressam: verbum, ut similitudinem expressivam: filius, ut similitudinem hypostaticam. Rursus imago, ut similitudinem conformem: verbum, ut similitudinem intellectualem: filius ut similitudinem connaturalem. Per hunc modum cum proprium sit Spiritus sancti esse donum, esse nexum seu charitatem amborum, esse etiam Spiritum sanctum: donum nominat ipsum, ut datum voluntarium: charitas sive nexus, ut datum voluntarium, & præcipuum: Spiritus sanctus, ut datum voluntarium præcipuum, & hypostaticum. Hinc est quod per hæc tria nomina, quæ sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, trium personarum proprietates personales insinuantur. Hæc igitur tenenda sunt, ad fidei Trinitatis intelligentiam sanam.

Filius, imago, verbum.

Spiritus S. donum, nexus charitas.

Caput IV.

De istius fidei expressione catholica.

Ad istius etiam fidei expressionem catholicam tenendum est, secundum sacrorum Doctorum documenta, quod in divinis sunt duo modi prædicandi, scil. per modum substantiæ, & relationis. Tres modi supponendi, scilicet essentiæ, personæ notionis. Quatuor modi significandi substantiam, scil. nomine essentiæ, substantiæ, personæ, hypostasis. Quinque modi dicendi, scilicet quis, qui, quæ, quod, & quid. Tres modi differendi, scilicet secundum differentem modum existendi, secundum differentem modum se habendi, & secundum differentem modum intelligendi.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est, quia cum primum principium sit perfectissimum simul, & simplicissimum, omnia, quæ perfectionis sunt, de ipso dicuntur proprie, & vere, quæ autem imperfectionis sunt, aut non dicuntur, aut si dicuntur secundum assumptionem humanæ naturæ dicuntur, vel transsumptive. Cum igitur decem sint prædicamenta, scilicet substantia, quantitas, relatio, qualitas, actio, passio, ubi, quando, situs, & habitus: quinque ultima spectant proprie ad corporalia, seu mutabilia. Ideo non attribuuntur Deo, nisi transsumptivo modo, & figurativo. Alia vero quinque præcedentia Deo attribuuntur, secundum id quod completionem dicunt, ita tamen quod divinam simplicitatem non impediant. Omnia ergo hæc prædicta prædicamenta sunt idipsum, quod est illud, de quo prædicantur: & ita per comparationem ad subjectum, in quo sunt omnia, dicuntur transire in substantiam, relatione tamen excepta: quæ cum duplicem habeat comparationem, scilicet ad subiectum in quo, ad terminum ad quem: primo modo transit, ne faciat compositionem: sed secundo modo manet, ut faciat distinctionem. Et hinc est quod substantia continet unitatem, & relatio multiplicat Trinitatem: & ideo manent ibi hi tantum duo modi prædicandi differentes, de quibus datur regula.

Duo modi prædicandi in divinis.

Prædicamenta decem quomodo Deo attribuantur.

Relatio in divinis.

Quæ dicuntur secundum substantiam, de omnibus dicuntur, & sigillatim, & simul, & singulariter. Quæ vero secundum relationem, aut non de omnibus dicuntur: aut si de pluribus, pluraliter, ut relati, distincti, similes, æquales, propter relationem intrinsecam. Nomen autem Trinitatis comprehendit utrumque.

Regula de modis prædicandi in divinis.

Et quoniam plures possunt esse relationes in una persona, sicut sunt plures personæ in una natura; ideo distinctio in notione non infert diversificationem personæ: nec distinctio personæ plurificationem naturæ.

Et

Et propterea non quidquid convenit essentiæ, convenit notioni, vel personæ, nec econverso: & hinc est, quod sunt ibi tres modi supponendi, de quibus talis consuevit dari regula: Supposita essentia, non supponitur notio, nec persona: & supposita notione, non supponitur essentia, nec persona: & supposita persona, non supponitur essentia nec notio, sicut patet per exempla.

Regula de modis supponendi in divinis.

Et quoniam vera distinctio est in suppositis substantiæ, manente essentia una, ideo necesse est ibi multipliciter significari substantiam, scil. ut communicabilem, & incommunicabilem. Ut communicabilem per modum abstractionis, per nomen essentiæ; & per modum concretionis per nomen substantiæ: ut incommunicabilem vero, vel ut distinguibilem per nomen hypostasis; vel ut distinctam per nomen personæ. Et aliter, scilicet vel ut distinctam qualitercumque & sic hypostasis: vel notabiliter, & perfecte, & sic persona. Exempla horum quatuor sunt in creatura, *humanitas*, *homo*, aliquis homo, Petrus. Primum essentiam, secundum substantiam, tertium hypostasim, quartum personam dicit.

Et quia in persona, quæ distinguitur, non *solum est considerare eum, qui distinguitur*, sed illud, quo distinguitur, & hoc est proprietas, sive notio: ideo necesse est quod in divinis sint quinque modi dicendi, pariter & quærendi: scilicet quis, ratione personæ: qui ratione hypostasis, quia, dicit suppositum substantiæ indistinctæ: quæ, ratione notionis: quod, ratione substantiæ, quid sive quo, ratione essentiæ.

Modi dicendi quinque.

Et quoniam omnes hi modi in unitate essentiæ radicantur, quia quidquid est in Deo, est ipse Deus, unus, & solus: ideo non ponunt ibi differentiam, nec secundum essentiam, nec secundum esse. Et propterea sunt ibi tantum tres modi differendi, scil. secundum modum essendi, sive emanandi, sicut differt persona a persona: secundum modos se habendi, sicut differt persona, & essentia, quia una persona ad alteram refertur, & ideo distinguitur, A essentia vero non refertur ad alteram, & ideo non distinguitur: secundum modos etiam intelligendi sicut differt una proprietas substantialis ab altera, ut bonitas, & sapientia. Prima differentia est perfectissima, & summa, quæ possit reperiri in divinis. Est enim in suppositis, ita quod unum non dicitur de altero. Secunda differentia est minor, quia est in attributis, licet enim unum possit dici de altero, ut persona de essentia, aliquid tamen dicitur de uno, quod non de altero, ut persona distinguitur & refertur, essentia vero non. Tertia vero differentia minima est, quia est in connotatis: licet enim unum de altero B dicatur ad invicem, & idem possit dici de utrisque non tamen idem connotatur utrobique, nec per idem intelligi datur utrumque. Ex primo modo differendi oritur pluralitas personarum: ex secundo modo, pluralitas prædicationum substantialium, & relativarum: ex tertio pluralitas proprietatum essentialium, & notionum, sive ab æterno, sive ex tempore: sive proprie, sive transumptive: sive communiter, sive appropriate. Dictorum exempla manifesta sunt. His intellectis, claret satis, & quid sentiendum, & qualiter loquendum sit de summa Trinitate divinarum personarum.

Modi differendi in divinis tres.

C

Caput V.

De unitate divinæ naturæ in multiformitate apparitionum.

SEcundo autem de pluralitate apparitionum docet divina doctrina hoc esse tenendum. Cum Deus sit incircumscriptibilis, invisibilis, & incommutabilis, nihilominus tamen habitat in sanctis viris specialiter. Apparuit Patriarchis, & Prophetis, descendit de cælis, misit etiam Filium, & Spiritum Sanctum, ad salutem humani generis. Et licet in Deo sunt indivisa, natura, virtus & operatio Trinitatis; missio tamen, vel apparitio unius personæ, non

non est missio, vel apparitio alterius. Licet etiam sit ibi summa æqualitas, solius tamen est Patris mittere, & non mitti: Spiritus sancti est tantummodo mitti, respectu divinarum personarum, nisi forte dicatur mittere hominem assumptum: Filii autem est mittere, & mittit, sicut ex scripturis potest colligi.

Intelligentia autem, & ratio prædictorum hæc est: Quia licet primum principium sit immensum, & incircumscriptibile: sit incorporeum, & invisibile, sit æternum, & commutabile: principium tamen est rerum spiritualium, & corporalium, naturalium, & gratuitarum, ac per hoc rerum etiam mutabilium, sensibilium, & circumscriptarum: per quas licet ipse sit immutabilis, insensibilis, incircumscriptibilis, seipsum reddit manifestum, & notum. Reddit autem se manifestum, & notum, generaliter per universitatem suorum effectuum ab ipso emanantium, in quibus dicitur esse per essentiam, potentiam, & præsentiam, quod se extendit ad omnia creata. Reddit etiam se specialiter notum, per aliquos effectus, qui in ipsum specialiter ducunt, ratione quorum dicitur habitare, apparere, descendere, mitti, & mittere. Habitare namque dicit effectum spiritualem, & specialem, cum acceptatione: sicut est effectus gratiæ gratum facientis, quæ est deiformis, & in Deum reducit & Deum facit nos habere, & haberi a nobis, ac per hoc & inhabitare in nobis. Et quia gratiæ effectus communis est omnibus personis: ideo una persona non habitat sine alia: immo simul tota Trinitas. Apparere vero, dicit effectum sensibilem, cum expressa significatione sicut: Spiritus sanctus apparuit in columba.

Deus in omnibus per essentiam, potentiam & præsentiam,

Jo. 1.

Et quoniam sicut personæ divinæ, distinctæ sunt, sic distincte significari possunt, & signis, & nominibus. Ideo quælibet persona potest per se apparere, & apparitio potest omnibus competere, sive insimul, sive cuilibet personæ per se. Unde quod Spiritus sanctus dicitur in linguis igneis, & columba apparuisse, hoc

Qualibet persona divina potest per se apparere.

A non est propter novum vinculum, vel effectum specialem: sed propter unionem, quæ est inter signum, & signatum sibi specialiter, & modo, & origine deputatum. Descendere autem dicit utrumlibet effectuum prædictorum, cum inchoatione. Deus enim beatissimis Angelis semper est præsens in cœlis, quia in eis semper habitat, & apparet. Peccatoribus autem in terris est modo ut absens, & quantum ad gratiam, & quantum ad notitiam: ideo cum incipit apparere, vel inhabitare, de præsente, cælis, & quasi absente nobis, fit præsens terris: & ideo licet in se non mutetur, tamen dicitur descendere nobis.

B Mitti vero dicit effectus prædictos, cum æterna productione. Tunc enim pater mitti filium, cum faciendo eum nobis præsentem, per notitiam, vel gratiam, insinuat, quod ab ipso procedit. Et quia pater a nullo procedit, ideo nusquam dicitur mitti. Quia vero filius, & producit, & producitur, ideo mittit, & mittitur. Quia vero Spiritus sanctus æternaliter producitur, sed non producit, nisi ex tempore; ideo ipsius est proprie mitti, & non mittere, nisi respectu creaturæ. Ex quo apparet quod hæ sunt impropriæ, & exponendæ: Spiritus sanctus mittit se: Spiritus sanctus mittit filium: Filius mittit seipsum, nisi intelligatur, inquantum est de virgine natus. C Patet etiam quare mittere, & mitti non competit omnibus, quia licet dicat effectum in creatura, dicit tamen relationem intrinsecam: ita quod mittere dicit auctoritatem, mitti sub auctoritatem, ratione productionis æternæ interius importatæ.

Mitti quid dicat in divinis, & quibus competat.

Caput. VI.

De unitate divinæ naturæ, in multiplicitate appropriatorum.

Tertio vero de pluralitate appropriatorum hoc docet sacra Scriptura esse tenendum, quod licet omnia essentialia omnibus personis æqua-

æqualiter, & indifferenter conveniant; tamen Patri dicitur appropriari unitas, Filio veritas, Spiritui sancto bonitas. Et juxta hanc sumitur secunda appropriatio Hilarii, scilicet æternitas in Patre, species in imagine, & usus in munere. Et juxta hanc sumitur tertia, scilicet in Patre ratio principiandi, in Filio ratio exemplandi, in Spiritu sancto ratio finiendi. Et juxta hanc sumitur quarta, scilicet omnipotentia Patri, omniscientia Filio, voluntas seu benevolentia Spiritui sancto. Hæc autem dicuntur appropriari, non quia fiant propria, cum semper sint communia: sed quia ducunt ad intelligentiam, & notitiam propriorum, scilicet trium personarum.

Hilar. 2 l. de Trin.

Intelligentia autem, & ratio prædictorum hæc est. Quia enim primum principium est nobilissimum, & perfectissimum, & ideo conditiones entis nobilissimæ, & generalissimæ in eo reperiuntur in summo. Hæ autem sunt unum, verum, bonum, quæ non contrahunt ens secundum supposita, sed secundum rationem. Nam unum nominat ens, ut connumerabile, & hoc habet per indivisionem sui in se. Verum, secundum quod cognoscibile, & hoc habet per indivisionem sui e propria specie. Bonum, secundum quod communicabile, & hoc habet per indivisionem sui a propria operatione. Et quia hæc triplex indivisio, se habet secundum ordinem quantum ad rationem intelligendi, ita quod verum præsupponit unum, & bonum præsupponit verum, & unum: hinc est quod hæc tribuuntur primo principio in summo, quia perfecta, & generalia, & appropriantur tribus personis, quia ordinata: & ideo summe unum Patri, qui est origo personarum: summe verum Filio, qui est a Patre, ut verbum, summe bonum Spiritui sancto, qui est ab utroque, ut amor, & donum.

Unum, verum, bonum, summe reperiuntur in Deo.

Et quia summe unum, est summe primum, quia caret omni inceptione: & quia summe verum, summe æquale, & pulchrum: & quia summe bonum, est summe utile, & proficuum.

Hinc oritur secundo appropriatio Hiliarii, quæ est æternitas in patre: quia non habet principium, sed est omnino primum: species in imagine, id est in verbo, quia summe pulchrum: usus in munere, id est, in Spiritu sancto, quia summe proficuum, & communicativum. Quod per alia verba sic insinuat Augustinus: In patre unitas, in filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis, æqualitatisque concordia.

Hilar. ubi sup.

Aug. l. 1 de D. B. Chri. c. 5. t. 3

Rursus, quia summe unum, & primum, tenet rationem principiandi, & originandi: quia summe pulchrum, & speciosum, tenet rationem exprimendi, & exemplandi: quia summe proficuum, & bonum, tenet rationem finiendi: quia bonum, & finis idem. Hinc oritur, tertia ratio appropriandi efficientiam patri, exemplaritatem filio, finalitatem Spiritui sancto.

Rursus, quia a primo, & summo principio fluit omne posse, a primo, & summo exemplari fuit omne scire, & ad summum finem tendit omne velle: ideo necesse est primum, esse omnipotentissimum, omnisapientissimum, & benevolentissimum. Unitas autem prima, & summa, rediens supra seipsam reditione completa, & perfecta, est omnipotentissima, sic & veritas sapientissima, & bonitas benevolentissima: & hæc appropriantur, quia ordinem insinuant. Voluntas enim dat præintelligere cognitionem, & voluntas, & cognitio præsupponunt potentiam, & virtutem, quia posse scire, est aliquid posse. Ex his apparet, quæ sint appropriata, & quibus, & qua de causa. Hæc tamen ultima, scilicet potentia, & sapientia, & voluntas, sunt potissime illa, ex quibus in scripturis laudatur Trinitas summa. Et ideo de his aliquid dicendum est breviter, & summatim.

Caput VII.

De omnipotentia Dei.

Deo omnipotenti qui actus non attribuantur.

IGitur de omnipotentia Dei secundum doctrinam sacram, hæc tenenda sunt: videlicet quod Deus est omnipotens, ita tamen, quod ei non attribuuntur actus culpabiles, utpote mentiri, & male velle: nec actus pœnales, ut metuere, & dolere: nec actus corporales, sive materiales, ut dormire, & ambulare, nisi forte transsumptive: nec actus inconvenientes, utpote posse facere maiorem se, vel alium Deum sibi æqualem, vel infinitum actu, & consimilia: quia, ut dicit Anselmus, quodlibet inconveniens, etiam minimum, apud Deum est impossibile, licet autem hoc non possit, est tamen omnipotens vere & proprie, & perfecte.

Intelligentia autem, & ratio prædictorum hæc est: quia primum principium est potens potentia, quæ est potentia simpliciter: & ideo distributio addita ei, distribuit pro his, quæ posse, est posse simpliciter. Hæc autem sunt, quæ egrediuntur a potentia completa, & ordinata. Potentiam autem completam dico, quæ non potest deficere, nec potest succumbere, nec potest indigere. Potentia autem incompleta in peccando deficit, in patiendo succumbit, in corporalibus actionibus indigentiam includit. Divina autem potentia, quia potentia summa, & perfectissima: ideo nec est de nihilo, nec est sub aliquo, nec eget aliquo alio: ac per hoc, nec culpabilia, nec pœnalia, nec materialia potest: & hoc quia omnipotens est potentia completa. Potentiam autem ordinatam contingit tripliciter dici, vel secundum actum: vel secundum aptitudinem ex parte creaturæ: vel secundum aptitudinem ex parte solius virtutis increatæ. Quod possibile est potentiæ primo modo dictæ, est non tantum possibile, sed etiam actuale. Quod secundo modo, & non primo, est possibile simpliciter, licet non actuale. Quod autem tertio

Potentia completa quæ dicatur.

Potentia ordinata tripliciter dicitur.

A modo, & non primo modo, vel secundo, est possibile Deo, sed impossibile creaturæ. Quod autem nullo prædictorum modorum est possibile, sicut illud, quod directe repugnat ordini secundum rationes, & causas primordiales, & æternas, simpliciter est impossibile: sicut quod Deus faciat aliquod actu infinitum, quod simul faciat aliquid esse, & nullo modo esse, quod faciat id, quod fuit, non fuisse, & cætera talia: quæ posse, est contra ordinem, & complementum divinæ potentiæ. Ex his patet, respectu quorum est divina potentia: patet etiam, quæ debent dici simpliciter possibilia, & quæ simpliciter impossibilia, & quod
B aliquorum impossibilitas simul stet cum vera omnipotentia.

Caput VIII.

De Dei sapientia, prædestinatione, & præsentia.

DE sapientia vero Dei hæc tenenda sunt, scilicet quod ipsa divina sapientia limpidissime cognoscit omnia bona, & mala, præterita, præsentia, & futura: actualia & potentia, ac per hoc incomprehensibilia nobis, & infinita: ita tamen quod ipsa in se nullo modo diversificatur, licet diversa nomina sortiatur. In quantum enim est co- Sapientia Dei unde diversa nomina sortiatur.
C gnoscitiva omnium possibilium, dicitur scientia, sive cognitio: inquantum est cognoscitiva omnium; quæ in universo fiunt, dicitur visio: inquantum est cognoscitiva omnium, quæ bene fiunt, dicitur approbatio: inquantum est cognoscitiva eorum, quæ futura sunt, dicitur præscientia sive prævisio: inquantum est cognoscitiva eorum, quæ ab ipso Deo fienda sunt, dicitur dispositio, inquantum est cognoscitiva eorum, quæ præmianda sunt, dicitur prædestinatio: inquantum vero est cognoscitiva eorum, quæ damnanda sunt, dicitur reprobatio.

Et quia ipsa non tantum est cognoscitiva, sed est etiam ratio cognoscendi omnia: ideo in quantum est ratio cognoscendi omnia cognita, di- Sapientia Dei, ut est ratio cognoscendi om.

nia, variis nominibus dicitur.

dicitur lux: inquantum est ratio cognoscendi visa, & approbata, dicitur speculum: inquantum est ratio cognoscendi prævisa & disposita, dicitur exemplar: inquantum est ratio cognoscendi prædestinata & reprobata, dicitur liber vitæ. Est igitur liber vitæ respectu rerum, ut redeuntium: exemplar, ut exeuntium: speculum, ut euntium: lux vero respectu omnium.

Ad exemplar autem spectat idea, verbum, ars, & ratio. Idea, secundum actum prævidendi: verbum, secundum actum proponendi: ars, secundum actum prosequendi: ratio, secundum actum perficiendi, quia superaddit intentionem: finis. Quia vero hæc omnia unum sunt in Deo, ideo frequenter accipitur unū pro alio.

Et licet divina sapientia, ratione diversitatis scitorum, & connotatorum diversa sortiatur vocabula, non tamen diversificatur secundum rationem intrinsecam.

Cognitio divina in se perfecta, & immutabilis.

Cognoscit enim contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præsentialiter, temporalia æternaliter, dependentia, independenter, creata increate, alia a se, in se, & per se. Et cum infallibiliter contingentia cognoscat, simul stat libertas, & vertibilitas voluntatis cum prædestinatione, & præscientia.

Intelligentia autem, & ratio prædictorum hæc est: quoniam primum principium, hoc ipso quod primum est & summum, cognitionem habet simul simplicissimam, & perfectissimam. Quia perfectissimam, ideo cognoscit omnia distinctissime, sub omnibus conditionibus, quas res habent, vel habere possunt: & propterea futura scit esse futura, & præsentia præsentia: & bona scit approbanda mala reprobanda. Hinc est, quod diversa sortitur vocabula, secundum quod dictum est supra. Sed quia simul stat perfectio sapientiæ cum summa simplicitate; hinc est quod omnia alia a se cognoscit in se, & per se: ex quo sequitur secundum, quod creata cognoscit increate: ex quo sequitur tertium, quod dependentia cognoscit independenter: ex quo oritur quartum, quod tempo-

A ralia cognoscit æternaliter: ex quo sequitur quintum, quod futura cognoscit præsentialiter: ex quo oritur sextum, quod mutabilia cognoscit immutabiliter: ex quo sequitur septimum, quod contingentia cognoscit infallibiliter. Et ita contingentia, manentia contingentia sunt divinæ sapientiæ prorsus infallibilia, tam in contingentibus, quæ subjacent naturæ, quam libertati voluntatis humanæ.

Quo modo stet libertas voluntatis creatæ cum infallibilitate prædestinationis æternæ.

Unde qui vult hoc verum intelligere, quo modo simul stet libertas voluntatis creatæ cum infallibilitate prædestinationis æternæ, resolvendo ab hoc ultimo, procedat per illos septem gradus usque ad primum, quod primum principium B perfectissime cognoscit omnia per seipsum, quod est verum certissimum: ex quo cætera prædicta ratiocinando infallibiliter concluduntur. Sicut autem divinæ cognitionis certitudo simul stat cum contingentia rerum cognitarum, quia simul est simplicissima, & perfectissima divina sapientia: sic unitas simul stat cum multiformitate rationum, & idearum ex eadem causa. Quia enim perfectissima est, ideo distinctissime, & perfectissime cognoscit universa & singula, & illa omnia distinctissime, & perfectissime repræsentat: & ideo singulorum dicitur habere rationes, & ideas, tamquam C rerum similitudines perfectissime expressivas. Quia vero simplicissima est, ideo omnes similitudines illæ sunt unum in ipsa. Unde sicut Deus una virtute omnia producit ex tempore secundum omnimodam rerum integritatem, sic una virtute omnia exprimit sempiternaliter. Et sicut una est in Deo altissimo operatio activa secundum rem, dicuntur tamen plures rerum productiones, ratione pluralitatis productorum: sic una est veritas unius actus intelligentiæ in Deo: dicuntur tamen plures similitudines, ideæ, & rationes, ratione pluralitatis ideatorum, vel existentium, vel futurorum, vel possibilium. Hæ autem rationes, vel ideæ, licet sint una veritas, & lux in essentia, non tamen dicun-

tur esse una ratio vel idea. Ratio enim, vel idea dicitur ut ad alterum, secundum rationem intelligendi. Nominat enim similitudinem cogniti, quæ realiter tenet se ex parte Dei, licet secundum rationem intelligendi, dicere videatur aliquid ex parte ideati. Si autem hujus simile in creatura requiratur, dicendum, quod hoc est ipsius exemplaris proprium: quia sicut dictum est, simul est simplex, & infinitum, & perfectissimum, quo præintellecto, cætera consequenter innotescunt. Quia enim exemplar illud est simplicissimum & perfectissimum; ideo actus purus. Quia vero infinitum & immensum: ideo extra omne genus. Et hinc est, quod existens unum, potest esse similitudo expressiva multorum.

Caput IX.

De voluntate Dei, & providentia.

Voluntas Dei una, efficax, & recta. Voluntas beneplaciti per voluntatem signi significatur.

De voluntate Dei hæc tenenda sunt, quod ipsa sic est recta, quod nullo modo possit obliquare: sic est efficax, ut nullo modo possit impediri: sic est una, ut tamen multiformiter habeat significari: Significatur enim divina voluntas, quæ est voluntas beneplaciti, per voluntatem signi, secundum quinque differentias signorum, quæ sunt præceptio, prohibitio, consilium, impletio, permissio: secundum quæ disponuntur a voluntate beneplaciti quæcumque in universo fiunt. Est enim voluntas Dei prima & summa causa omnium specierum, & motionum. Nihil enim fit visibile aut intelligibile in ista totius creaturæ amplissima quadam universaque republica, quod non de illa imperiali aula summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum, retributionum, & gratiarum.

Providentia divina.

Et quia ista voluntas, ratione regulata, dicitur providentia: hinc est quod omnia, quæ in universo fiunt, aguntur & reguntur divina providentia, quæ per omnia est irreprehensibilis: quæ nihil præcipit, prohibet, vel consulit, nisi juste; nihil agit, nisi bene: nihil permittit injuste. Intelligentia autem, & ratio prædictorum hæc est: Primum principium cum sit summe nobile, & voluntatem habet, & nobili modo habet. Cum igitur vuluntas de se dicat illud, secundum quod in agentibus a proposito attenditur regula rectitudinis, & efficacia operationis; necesse est, quod voluntas in Deo sit rectissima, & efficacissima. Ideo autem rectissima, quia idem est in Deo voluntas, & veritas: ideo efficacissima, quia idem prorsus in Deo est voluntas, & virtus, sive potestas. Et quia non potest divina voluntas carere veritate, ideo non tantum est recta, verum etiam regula rectitudinis. Quia vero nullo modo potest carere virtute, ideo non tantum est efficax, verum etiam fons & origo totius efficaciæ; ita ut nihil sine illa possit effici, nihil contra illam possit fieri, nihil etiam sit, a quo valeat impediri. Et quia rectissima est, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei. Nullus autem potest ei conformari, nisi voluntas illa innotescat sibi. Oportuit ergo voluntatem divinam, regulam rectitudinis, notificari nobis. Rectitudo autem quædam est necessitatis, & hæc est in faciendo bonum necessarium, & declinando malum: quædam autem est perfectionis, & hæc est in supererogando ultra debitum: & secundum hoc innotescit nobis per triplex signum, scilicet præceptionem, prohibitionem, & consilium, quod quidem significat divinum beneplacitum acceptare tamquam justum, quod fit secundum divinum præceptum, quod declinatur secundum divinam prohibitionem, & adimpletur secundum divinum consilium. Signa vero hæc, infallibilia signa sunt divinæ voluntatis, ut est regula rectitudinis.

Voluntas divina regula rectitudinis.

Rursus, quia efficacissima est, nullo modo potest aliquis aliquid efficere nisi ipsa cooperante, & coefficiente: nullus deficere, vel peccare potest, nisi ipsa juste deserente. Et secundum hoc duo sunt signa ejus, sci-

Voluntas Dei efficacissima.

scilicet impletio, quod est signum voluntatis, ut efficientis: & permissio, quod est signum voluntatis juste deserentis. Juste autem deserit, quia justum est, ut sic administret res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit: & sic cooperetur rebus, quas creavit, ut tamen eas agere proprios motus sinat: & ideo si liberum arbitrium ad utrumque vertibile de lege naturæ, in malum dimittat cadere, hoc non permittitur nisi juste. Rursus, & si per gratiam præveniat, & sustentet, nulli injuriam facit: ideo non agit injuste, nec omnino juste secundum exigentiam meritorum; quia merita ad hoc non sufficiunt, sed gratis, & misericorditer, & quodam modo juste, inquantum est ex condecentia bonitatis suæ. Cum ergo damnat, & *reprobat*, operatur secundum justitiam: quando vero prædestinat, secundum gratiam, & misericordiam, quæ non excludit justitiam. Quia ergo omnes secundum quod de *massa* perditionis erant, debebant damnari, *ideo plures reprobantur*, quam eligantur: ut ostendatur, quod salvatio est secundum gratiam specialem, sed damnatio secundum justitiam communem. Nullus ergo potest *conqueri de divina* voluntate, *quia omnia* agit rectissime, immo in omnibus debemus gratias agere, & honorificare regimen divinæ providentiæ. Si quis autem quærat, quare magis uni peccatori gratiam largiatur, quam alteri, hic oportet silentium imponere humanæ loquacitati, & exclamare cum Apostolo: O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis ejus consiliarius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Nota de justitia & misericordia Dei.

Rom. 11.

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doctoris Breviloquij,

SECUNDA PARS.

In qua de creatura mundi agitur.

CAPUT I.

De productione mundi totalis.

HIs summatim præintellectis de Trinitate Dei, dicenda sunt aliqua de creatura mundi. Circa quam hæc tenenda sunt in summa: videlicet, quod universitas machinæ mundialis, producta est in esse ex tempore, & de nihilo ab uno primo principio solo, & summo; cujus potentia licet sit immensa, disposuit tamen omnia in certo pondere, numero, & mensura. Hæc generaliter intelligenda sunt circa rerum productionem, ex quibus, & veritas colligitur, & error repudiatur. Per hoc enim, quod dicitur, ex tempore excluditur error ponentium mundum esse æternum. Per hoc, quod dicitur, de nihilo, excluditur error ponentium æternitatem circa principium materiale. Per hoc, quod dicitur, ab uno principio, excluditur error * Manichæorum, ponentium pluralitatem principiorum. Per hoc quod dicitur, solo & summo, excluditur error ponentium, Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum. Per hoc, quod additur, in certo pondere, numero, & mensura, ostenditur quod creatura est effectus Trinitatis creantis, sub triplici genere causalitatis: efficientis, a quo est in creatura unitas, modus, & mensura: exemplaris, a quo est in creatura veritas, species, & numerus: finalis, a quo est in creatura bonitas, ordo, & pondus. Quæ quidem reperiuntur in omnibus creaturis, tamquam vestigium creatoris, sive cor-

Mundus incepit esse a Deo per creationem.

Sap. 11.

* *Aug. l. de hær. ad Quodvul. hær.* 46. *t.* 6 *Platonis error in Timeo.*

corporalibus, sive spiritualibus, sive ex utrisque compositis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia ad hoc, quod sit ordo perfectus, & status in rebus, necesse est, quod omnia reducantur ad unum principium, quod quidem sit primum, ut det ceteris statum & perfectissimum, ut det ceteris omnibus complementum. Quoniam igitur primum principium, in quo est status, non potest esse nisi unum solum, si mundum producit, cum non possit, ipsum producere de seipso, necesse est, quod producat ipsum ex nihilo. Et quia productio ex nihilo, ponit esse post non esse ex parte producti, & immensitatem in virtute producente ex parte principii, cum hoc sit solius Dei: necesse est, quod creatura mundi sit producta ex tempore ab ipsa virtute immensa, agente per se, & immediate. Rursus quoniam principium perfectissimum, a quo manat perfectio universorum, necesse est agere a se, & secundum se, & propter se, & quia nullo in agendo indiget extra se: necesse est, quod habeat intentionem triplicis causæ, respectu cujuslibet creaturæ, scilicet efficientis, exemplaris, & finalis. Necesse est etiam, omnem creaturam secundum hanc triplicem habitudinem comparari ad causam primam. Omnis enim creatura constituitur in esse ab efficiente, & conformatur ad exemplar, & ordinatur ad finem: ac per hoc est una vera, bona, modificata, speciosa, ordinata, mensurata, discreta, & ponderata: est enim pondus inclinatio ordinativa. Et hæc quidem generaliter dicta sunt de omni creatura, sive corporea, sive incorporea, sive ex utrisque constituta, sicut ex natura humana.

Mundus ex nihilo productus.

Actio principij perfectissimi.

Caput II.

De natura corporali quantum ad fieri.

NAtura vero corporea nobis consideranda est, quantum ad fieri, & quantum ad esse, & quantum ad operari. De natura vero corporea quantum ad fieri, hæc specialiter tenenda sunt, scilicet quod sex diebus sit in esse producta, ita quod in principio, ante omnem diem creavit Deus cœlum & terram. Prima vero die formata est lux: secunda firmamentum factum est in medio aquarum: tertia die separatæ sunt aquæ a terra, & congregatæ in locum unum: quarta vero die cælum ornatum est luminaribus: quinta aer, & aqua, volatilibus, & piscibus: sexta terra animalibus, & hominibus: septima vero die requievit Deus, non a labore, nec opere, cum usque nunc operetur: sed a novarum specierum conditione: quia omnia fecerat, vel in simili, sicut illa quæ propagantur: vel in seminali ratione, sicut illa, quæ aliis modis introducuntur in esse.

Gen. 1.

Gen. 2.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia enim res manant a primo principio, & perfectissimo, tale autem est omnipotentissimum, sapientissimum, & benevolentissimum: ideo oportuit, quod sic producerentur in esse, ut in earum productione reluceret triplex nobilitas prædicta, & excellentia. Et ideo triformis fuit operatio divina, ad mundanam machinam producendam, scilicet creatio, quæ appropriate respondet omnipotentiæ: distinctio, quæ respondet sapientiæ; ornatus, qui respondet bonitati largissimæ. Et quoniam creatio est de nihilo, ideo fuit in principio ante omnem diem, tamquam omnium rerum, & temporum fundamentum.

Creatio rerum.

Rursus, quia distinctio corporum mundi attenditur secundum triplicem modum, ideo facta fuit per triduum. Est enim distinctio naturæ luminosæ a perspicua, & opaca, & hæc facta est in prima die in divisione lucis a tenebris; & est distinctio naturæ perspicuæ, a perspicua, & hæc facta est secunda die, in divisione aquarum ab aquis; & est distinctio naturæ perspicuæ ab opaca, & hæc facta est tertia die, in divisione aquarum a terris. In his autem implicite datur intelligi di-

Distinctio partium mundi.

distinctio cælestium, & elementa- A rium, secundum quod post declarabitur. Sic igitur distinctio fieri debuit per triduum.

Ornatus universi. Et quia ornatus correspondet distinctioni, ideo similiter tribus diebus debuit consummari. Est enim ornatus naturæ luminosæ, & hic factus est quarta die, in formatione stellarum, & solis, & lunæ: & est ornatus naturæ perspicuæ, & hic factus est quinta die, in qua ex aquis facti sunt pisces, & aves ad ornatum aeris, & aquæ: & est ornatus naturæ opacæ, scilicet terræ, & hic factus est sexta die, in quo factæ sunt bestiæ, facta sunt & reptilia, facta est etiam ad consummationem omnium natura humana. Hæc B autem omnia, licet potuerit Deus facere in instanti, maluit tamen per successionem temporum, tum propter distinctam, & claram repræsentationem potentiæ, sapientiæ, bonitatis: tum propter convenientem correspondentiam dierum, sive temporum, & operationum: tum etiam, ut sicut in prima mundi conditione fieri debebant seminaria operum fiendorum, sic fierent & præfigurationes temporum futurorum. Unde in illis septem diebus, quasi seminaliter præcessit distinctio omnium temporum, quæ explicantur per decursum septem ætatum. Et hinc est, quod sex diebus operum additur septimus quietis: qui dies C non scribitur habere vesperam, non quia non habuit dies illa noctem succedentem: sed ad præfigurandum animarum quietem, quæ numquam habebit finem. Si autem diceretur alio modo, quod omnia essent simul facta, tunc omnes hi septem dies ad considerationem angelicam referentur. Verumtamen primus modus dicendi est magis scripturæ consonus, & auctoritatibus sanctorum, & qui præcesserunt, & etiam qui secuti sunt beatum Augustinum.

Aug. epist. 117. ad Jan. circa med. to. 2.

Caput III.

De natura corporali, quantum ad esse.

Mundus in natura cœlesti, & elementaria consistit.

De natura vero corporea quantum ad esse tenendum est, quod corporalis mundi machina tota, consistit in natura cælesti, & elementari, ita quod cælestis distincta est in tres cælos principales, scilicet empyreum, criystallinum, & firmamentum. Intra firmamentum autem, quod est cælum stellarum continentur septem orbes septem planetarum, qui sunt, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Natura vero elementaris in quatuor sphæras distinguitur, scilicet Ignis, Aeris, Aquæ, & Terræ; & sic procedendo a summo cardine cæli usque ad centrum terræ, decem concurrunt orbes cælestes, & quatuor sphæræ elementares ex quibus integratur, & constituitur tota machina mundi sensibilis, distincte, perfecte, & ordinate.

Natura elementaris necessaria.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum natura corporalis ad perfectionem sui, & expressionem sapientiæ multiformis primi principii, requirat multiformitatem formarum, sic apparet in mineralibus, plantis, & animalibus, necesse fuit, ponere aliqua corpora simplicia, quæ multiformiter possunt misceri, ad introductionem formarum multiformium, & talis est natura subjecta contrarietati, & hæc est elementaris. Necesse etiam fuit fieri naturam, per quam haberent hæc contraria in mixto conciliari, & talis est natura elongata a contrarietate, cujusmodi est natura lucis & corporis supercœlestis.

Lucis necessitas.

Contrarietas duplex in elementis.

Et quoniam mixtio fieri non potest, nisi per contraria agentia, & patientia: ideo necesse fuit duplicem contrarietatem fieri in elementis, scilicet quantum ad qualitates activas, quæ sunt calidum, & frigidum, & quantum ad passivas, quæ sunt humidum, & siccum. Et quia quodlibet elementum agit, & patitur:

tur: ideo quodlibet habet duas qualitates, unam activam, & aliam passivam: ita tamen quod unam principalem, & propriam, alteram accidentalem vel acquisitam: ac per hoc necesse est, tantum quatuor esse elementa secundum quatuor qualitates prædictas, quadrupliciter concubinatas.

Natura cælestis.

Natura autem cælestis aut est uniformis & immobilis, & hæc est empyreum, quia lux pura: aut mobilis & multiformis, & sic est firmamentum: aut mobilis & uniformis, & sic cælum medium inter empyreum & stellatum, quod est cælum crystallinum. Quartum membrum, scilicet quod sit multiforme & immobile, non potest stare, quia multiformitas disponit ad motus varietatem, non ad uniformem quietem. Sunt igitur tres cæli, quorum primum per totum est luminosum, scilicet empyreum: secundum per totum perspicuum, scilicet crystallinum: tertium ex utroque conjunctum, scilicet firmamentum. Cum igitur tres sint cæli incorruptibiles, & quatuor elementa variabilia, ut fiat debita connexio, concordia, & correspondentia, disposuit Deus septem orbes planetarum, qui sua varietate motuum, & incorruptibilitate formarum, quasi quoddam vinculum essent, & iunctura inferiorum elementarium orbium, & superiorum cœlestium, ad perficiendum, & decorandum universum; quod secundum numerales proportiones ordinatum dicitur & connexum, denario cælestium orbium, & quaternario elementorum, reddentibus ipsum proportionaliter tam pulchrum, quam perfectum & ordinatum, ut suo modo suum repræsentet principium.

Caput IV.

De natura corporali, quantum ad operari, & influere.

De natura corporal i quantum ad operari, hoc tenendum est, scilicet quod cælestia influunt in terrestria, & elementaria, quantum ad distinctivam significationem temporum, scilicet dierum, mensium, & annorum. Sic enim dicit scriptura, quod sint in signa & tempora, & dies, & annos. *Gen. 1* Influunt etiam quantum ad effectivam productionem rerum generabilium, & corruptibilium, scilicet mineralium, vegetabilium, sensibilium, & corporum humanorum. Sic tamen sunt in signa temporum, & regimen operationum, ut non sint certa signa futurorum contingentium, nec influant super liberum arbitrium per vim constellationum, quam dixerunt aliqui philosophi esse fatum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum in corporibus cælestibus propter proximitatem ad primum principium sit lux, motus, calor, & virtus. Lux ratione suæ formæ & speciei: motus respectu superioris influentis: calor respectu inferioris naturæ suspicientis: virtus vero omnibus modis prædictis. Cum, inquam, ita sit, cælestia corpora per lumen & motum sunt in distinctiones temporum, scilicet diei, secundum lucem solis, & motum firmamenti: mensis, secundum motum lunæ in circulo obliquo anni, secundum motum solis in eodem circulo: temporum vero, secundum varium planetarum motum, distantiam, & concursum, ascensum, & descensum, retrogradationem & statum ex quibus oritur diversitas in temporibus. Per virtutem autem, & calorem, influunt ad productionem eorum, quæ elementis generantur, excitando, promovendo, conciliando: ita quod secundum conciliationem contrariorum ab æqualitate remotam, influunt in mineralia; secundum conciliationem ab æqualitate minus longinquam, in vegetabilia: secundum conciliationem æqualitati proximantem, in sensibilia: secundum vero conciliationem æqualem, in corpora humana, quæ disposita sunt ad nobilissimam formam, quæ est anima rationalis: ad quam ordinatur, & terminatur appetitus omnis naturæ sensibilis & corporalis, ut per eam, quæ est forma, ens, vivens, sentiens, & intelligens, quasi ad modum circuli

Lumine & motu corpora cœlestia distinguunt tempora.

Calore & virtute quomodo in hæc inferiora influant superiora corpora.

Anima rationalis forma nobilissima.

culi

culi intelligibilis reducatur ad suum principium, in quo perficiatur, & beatificetur. Et quoniam in illud tendit per liberum arbitrium, ideo quantum ad arbitrii libertatem, præcellit omnem virtutem corporalem: ac per hoc cuncta nata sunt sibi servire, nihil autem sibi dominari habet, nisi solus Deus, non fatum, sive vis positionis siderum. Et propterea indubitanter verum est, quod sumus finis omnium eorum, quæ sunt, & omnia corporalia facta sunt ad humanum obsequium, ut ex illis omnibus accendatur homo ad laudandum, & amandum factorem universorum, cujus providentia cuncta disponuntur. Hæc autem sensibilis corporalium machina, est tamquam quædam domus a summo opifice homini *fabricata*, donec ad domum veniat non manufactam in cœlis, ut sicut anima modo ratione corporis, & status meriti nunc est in terris, sic aliquando corpus ratione *animæ*, & *status* præmii sit *in cælis*.

Excellentia liberi arbitrii.

2. Cor. 5

Caput V.

De modo describendi prædicta in sacra Scriptura.

EX jam dictis colligitur, quod sicut Deus res ordinate condidit, quantum ad tempus, & ordinate disposuit, quantum ad situm; sic etiam ordinate gubernat, quantum ad influentiam, & scriptura ordinate narrat, quantum ad doctrinæ sufficientiam. Licet non ita explicite describat distinctionem orbium, nec cælestium, nec elementarium, & parum aut nihil dicat de motibus, & virtutibus corporum superiorum, & de mixtionibus, elementorum & elementatorum, & quod plus est, nihil explicite narrat de conditione supernorum spirituum, maxime cum describit istud universum in esse productum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium reddat se nobis cognoscibile & per scripturam, & per A creaturam. Per librum creaturæ se manifestat ut principium effectivum, per librum scripturæ, ut principium reparativum: & principium reparativum non potest cognosci, nisi cognoscatur & effectivum: ideo sacra scriptura, licet principaliter agat de operibus reparationis, debet nihilominus agere de opere conditionis, inquantum tamen ducit in cognitionem primi principii efficientis & reficientis. Et ideo ipsa est cognitio sublimis & salutaris. Sublimis, quia de primo principio effectivo, quod est Deus creator: salutaris, quia de primo principio reparativo, quod est Christus Salvator & mediator. Rursus quia sublimis est, utpote, B quia agit de primo principio & ente summo, ideo non descendit ad describendas speciales entium naturas, motus, virtutes, & differentias: sed stat in quadam generalitate, in qua implicantur specialia, describendo scilicet conditionem mundi, quantum ad dispositionem, & influentiam, quoad naturam luminosam, opacam, & perviam in generalitate quadam. Et quoniam primum principium, de quo agit, habet in se ordinem naturæ in existendo; ordinem sapientiæ in disponendo: ordinem bonitatis in influendo: ita quod ordo naturæ habet in se simultatem & æqualitatem: ordo sapientiæ considerat prioritatem & C posterioritatem: ordo influentiæ superioritatem, & inferioritatem. Ideo ad insinuandum ordinem naturæ, determinat scriptura juxta quod Deum operari decebat: quod in principio ante temporis decursum fuerit illa triplex natura de non esse in esse producta, cum dicit: In principio creavit Deus cælum & terram, &: Spiritus Dei ferebatur super aquas. Ubi nomine cæli insinuatur natura luminosa: nomine terræ, natura opaca. nomine aquæ, natura pervia, sive perspicua, sive contrarietati subjecta, sive supra contrarietatem elevata. Ubi etiam insinuatur Trinitas æterna, scilicet Pater in nomine Dei creantis: Filius in nomine principii: Spiritus sanctus in nomine

Sacra scriptura cognitio sublimis & salutaris.

Gen. 1

ne spiritus Dei. Et sic intelligendum est illud, quod dicitur: Qui vivit in æternum creavit omnia simul: non quia ea creavit in chaos omnimodæ confusionis, secundum quod finxerunt Poetæ, cum produxerit hanc triplicem naturam, summam in summo; mediam in medio; & infimam in infimo, nec etiam creavit in esse omnimodæ distinctionis, cum cælum esset perfectum, & terra incomposita, natura vero media, quasi medium tenens, nondum esset ad perfectam distinctionem deducta. Ad insinuandum autem ordinem sapientiæ in disponendo, determinat, quod hæc triplex natura non simul fuit distincta & ornata: sed juxta triplicis naturæ creatæ exigentiam per triduum distincta, & per triduum aliud ornata: ut sicut Deus in principio triplicem naturam simul creavit in primordio temporis, sic successione temporis in triplici mensura temporis, scilicet triplicis diei, triplicem facere distinctionem naturæ triplicis creatæ. Et rursus in alio triduo, triplicem ornatum triplicis naturæ, distinctæ. Ad insinuandum vero ordinem bonitatis in influendo, determinat, quod hæc triplex natura collocata est in mundo secundum sub, medium, & supra, juxta suam dignitatem & influentiam. Et quia luminosum plurimum habet de specie: ideo sibi debetur circumferentia, quia vero opacum, minimum habet de specie: ideo sibi debetur centrum. Sed quia natura pervia tenet medium, ideo medium sortita est situm. Et quoniam natura corporis pervii & perspicui, communis est naturæ cœlesti & elementari, & rursus luminosa utrique convenit: ideo recte dicitur firmamentum factum in medio aquarum, non quia aquæ super cælos sint aquæ fluxibiles, frigidæ graves, & corruptibiles, sed quia subtiles, & incorruptibiles, & perviæ & super omnem contrarietatem sublimatæ: ac per hoc cœlestis naturæ, & in cœlestibus collocandæ ratione nobilitatis formæ, collocantur etiam ratione virtutis, & influentiæ.

Eccl. 18

Sapientia Dei in disponendis rebus.

Dei bonitas in influendo.

A Quia enim omnis actio corporalis in rebus inferioribus regulam, originem, & vigorem sumit a natura cœlesti, cum duæ sint qualitates activæ, scilicet calidum, & frigidum, & aliquod sit cœlum principaliter influens in calidum, sicut cœlum sidereum ratione luminositatis, congruum fuit, quod aliquod influeret super frigidum, & sic crystallinum. Et sicut cœlum sidereum, licet influat ad calorem, non tamen est formaliter calidum: sic etiam cœlum, quod dicitur aqueum, sive cristallinum non est essentialiter frigidum. Unde, quod sancti dicunt quod aquæ sunt ibi constitutæ ad
B reprimendum calorem superiorum corporum, & cætera consimilia, non cundum formalem prædicationem, sed secundum efficientiam, & influentiam sunt intelligenda.

Competit ergo conditio creaturæ secundum ordinem prædictum, & ordini creatricis sapientiæ, & divinæ scripturæ, quæ est scientia sublimis. Rursus, quia ipsa est scientia salutaris; ideo non determinat de opere conditionis, nisi propter opus reparationis. Et quoniam angeli, sic conditi sunt, ut labentes nullatenus reparentur, sicut apparebit in sequentibus, ideo taceture secundum literam exteriorem angelorum lapsus & conditio, quia non
C debebat subsequi reparatio. Quia vero sublimitatem sacræ Scripturæ non decebat prorsus reticere de conditione sublimissimæ creaturæ: ideo sic sacra scriptura describit rerum conditiones, juxta quod exigit scientia sublimis, & salutaris, ut tamen secundum spiritualem intelligentiam tota conditio litteraliter descripta, spiritualiter referatur, ad describendam hierarchiam, & angelicam, & ecclesiasticam; ideo secundum spiritualem intellectum, describitur in illis tribus naturis primo productis, hierarchia angelica nomine cœli: & ecclesiastica nomine terræ; & gratia, per quam irrigatur utraque, nomine aquæ. Rursus per septenarium numerum dierum, intelligitur septiformis

Angelorum conditio & lapsus cur secundum literam exteriorem tacetur.

Ec-

Ecclesiæ status, secundum decursum septem ætatum. Per eumdem etiam septenarium intelligitur septiformis conversio angelorum a creatura ad Deum. Et sic ex prædictis apparet sufficentia, & veritas scripturæ in diversis opinionibus sanctorum, scilicet Augustini, & aliorum, qui sibi non contradicunt, cum veræ sint, si recte intelligantur.

Caput VI.

De productione supernorum spirituum.

Consequenter vero agendum est de natura spirituali & incorporea, cujusmodi est angelica, de qua B considerari oportet, quantum ad conditionem supernorum spirituum, quantum ad ruinam dæmonum, & quantum ad confirmationem bonorum angelorum. Sciendum est igitur, quod angelis a primordio suæ conditionis quatuor sunt attributa, scilicet *simplicitas essentiæ: personalis discretio*, propter *rationem insitam*: memoria, intelligentia, & voluntas, & libertas arbitrii ad eligenda bona, & respuenda mala. Hæc autem quatuor attributa principalia alia *quatuor comitantur*, *scilicet virtuositas* in operando: officiositas in ministrando: perspicacitas in cognoscendo: & immutabilitas post electionem, sive in bono, sive in malo. C

Angelis a principio suæ conditionis quatuor attributa.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia primum principium hoc ipso, quod primum, omnia de nihilo produxit: ideo non tantum prope nihil, sed etiam prope se: non tantum substantiam a se longinquam, scilicet naturam corpoream producere debuit, verum etiam propinquam: & hæc est substantia intellectualis & incorporea, quæ hoc ipso, quod Deo simillima est, simplicitatem habet naturæ, & discretionem personalem, ut Deo assimiletur ex parte substantiæ sive communis, sive individuæ. Habet etiam in mente imaginem Trinitatis secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Habet etiam voluntatis libertatem, ut assimile-A tur Deo, ex parte potentiæ sive naturalis, sive electivæ; ut sic potentia naturalis, insignita sit Dei imagine, electiva vero arbitrii libertate. Nequaquam enim perveniret meritorie ad præmium gloriosum, quod facit quemquam beatum, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium: hoc autem esse non potest nisi in substantia rationali, quam comitatur memoria, intelligentia, & voluntas. Ubi autem est ratio, oportet, quod sit rationalis naturæ substantia individua. Necesse est etiam quod sit substantia spiritualis, & incorporea, ac per hoc simplex carens omni divisione quantitativa. Talis autem substantia hoc ipso, quod simplex est, virtuosa est in operando: hoc ipso, quod virtuosa est, & personaliter discreta, competit ei distinctio officii in ministrando: hoc ipso, quod simplex, & virtuosa, competit ei perspicacitas in discernendo: hoc ipso autem, quod perspicax, & simplex est habens intellectum deiformem, ideo stabilitatem habet post electionem in electo, sive in bono, sive in malo. Et hæ conditiones ipsam generalem conditionem supernorum spirituum generaliter comitantur.

Caput VII.

De apostasia dæmonum.

De apostasia vero dæmonum hoc est tenendum, scilicet quod Deus angelos omnes fecit bonos, tamen medios inter summum bonum & commutabile bonum quod est creatum: ita quod si converterentur ad amandum, quod est supra, ascenderent ad statum gratiæ, & gloriæ. Si vero ad bonum commutabile, quod est infra hoc ipso ruerent in malum culpæ, & pœnæ: quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ. Primus autem Lucifer inter angelos, præsumens de privato bono, privatam appetiit excellentiam, volens aliis superferri, & ideo cecidit cum cæteris consentientibus sibi. Cadens autem factus est impœnitens, obstinatus, & excæcatus, & exclusus

Deus quales creavit angelos.

Lucifer primus inter angelos peccavit & cecidit.

sus a Dei contemplatione, & deordinatus in operatione, toto nitens conamine ad subvertendum hominem per tentationem multiplicem.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est; quia cum primum principium sit summe bonum, nihil facit, nisi quod sit bonum: quia a bono non procedit nisi bonum: quod tamen fit ab ipso, hoc ipso minus est eo, & ideo non potest esse summum bonum. Fuit igitur angelus a Deo conditus bonus quidem, sed non summus, perficiendus tamen si affectu tenderet in summum. Et quoniam per liberum arbitrium voluntatis, poterat tendere in bonum summum, vel converti ad bonum privatum, Lucifer suæ pulchritudinis, & altitudinis consideratione excitatus ad se diligendum, & suum privatum bonum, præsumpsit de altitudine habita, & ambivit excellentiam propriam, non tamen obtentam: ac per hoc præsumendo, constituit se sibi principium summum, in se ipso gloriando: & ambiendo constituit se sibi summum bonum, in seipso quiescendo. Cum autem ipse non esset summum principium, nec summum bonum; necesse fuit, ut inordinato ascensu appetito, descensu rueret pari ratione, & omnes in hoc consentientes. Et quia non est dedecus peccati sine decore justitiæ, ideo statim cum cecidit in peccatum, cum ceteris adhærentibus sibi, perdidit locum summum, scilicet cælum empyreum, descendens ad imum, scilicet caliginosum aerem, vel infernum: ita quod lapsus in culpam fuit per liberum arbitrium, lapsus vero in pœnam, per divinum judicium. Et quia immutabilitatem habuit post electionem: ideo statim obstinatus est in malo: & per hoc excæcatus a vero: deordinatus est in operatione, & infirmatus in virtute: ideo voluntas ejus impia, & actio aversa a Deo, conversa est ad hominis odium & invidiam: & perspicacitas rationis a vero lumine excæcata, conversa est ad deceptiones per divinationes & cautelas: & officiositas in ministrando a vero ministerio amota, con-

Angeli lapsum quæ sint consecuta.

A versa est ad tentamenta: & virtuositas immutata, & coarctata, quantum permittitur, convertitur ad miracula facienda per transmutationes repentinas, quas facit circa corporeas creaturas. Et quia hæc omnia fuerunt deordinata per voluntatem depravatam per superbiam: ideo hæc omnia convertit ad fomentum suæ superbiæ, quærens ab hominibus coli, & honorari & adorari ad modum Dei. Hinc est, quod omnia male agit, quod tamen justo judicio Deus permittit ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, sicut apparebit per finale judicium.

B

Caput VIII.

De confirmatione bonorum Angelorum.

Angeli boni in ipsa sua ad Deum conversione fuerunt in bono confirmati.

De confirmatione vero bonorum Angelorum tenendum est, quod sicut angeli a Deo aversi, statim sunt obstinati per impœnitentiam; sic angeli ad Deum conversi, statim fuerunt confirmati per gratiam & gloriam in voluntate: perfecte illuminati in ratione secundum cognitionem matutinam & vespertinam: perfecte fortificati in virtute, sive motiva, sive operativa: perfecte ordinati in operatione sive contemplativa, sive ministrativa, & hoc secundum triplicem hierarchiam, scilicet supremam, mediam, & infimam. C Ad supremam autem spectant Throni, Cherubim, & Seraphim: ad mediam autem Dominationes, Virtutes, Potestates: Ad infimam vero Principatus, Archangeli, Angeli. Ex quibus plurimi sunt in ministerium missi, & ad custodiam hominum deputati, quibus ministrant purgando, illuminando, perficiendo, secundum imperium voluntatis Dei.

Angeli in ministerium hominum missi quo modo eis ministrent.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est, quia cum angeli propter expressam similitudinem, & propinquitatem ad primum & summum principium, habeant intellectum deiformem, & immutabilitatem, post consensum ex libertate arbitrii, divina superveniente gratia, ad summum bonum conversi,

cum

cum totaliter in Deum tenderent, A per gloriam fuerunt confirmati, pariter & perfecti: ideo quantum ad voluntatem, fuerunt stabiles & felices: quantum ad rationem perspicaces: ità ut non tantum cognoscerent res in proprio genere, sed etiam in ipsa arte æterna. Ac per hoc non tantum haberent cognitionem vespertinam, sed etiam matutinam, vel etiam diurnam, propter illius lucis plenitudinem, & omnimodam puritatem; respectu cujus omnis creatura merito potest dici tenebra. Quantum autem ad virtuositatem perfecte fortificati, sive in imperando, sive in exequendo, sive in contemplando: vel assumpto corpore, vel etiam non assumpto. B Quantum vero ad operationem perfectissime ordinati, ut jam non possint deordinari, nec ascendendo ad contemplationem Dei, nec descendendo ad ministrandum homini: quia cum Deum facie ad faciem contemplentur, quocumque mittantur, intra Deum currunt. Agnuntur enim, & agunt secundum ordinem hierarchicum in eis initiatum per naturam, & consummantum per gloriam, quæ stabiliendo liberi arbitrii vertibilitatem, *illustravit perspicacitatem, ordinavit* officiositatem, & roboravit virtutem, secundum quatuor attributa, superius nominata. Perspicacitas autem rationis in contemplando, aut principa- C liter respicit ad majestatem divinam venerandam, aut ad veritatem intelligendam, aut ad bonitatem desiderandam: & secundum hoc sunt tres ordines in prima hierarchia, scil. Throni, ad quos spectat reverentia; Cherubim, ad quos sapientia: & Seraphim, ad quos, spectat benevolentia. Ad perfectam autem virtuositatem spectat virtus imperativa, virtus executiva & virtus expeditiva. Prima ad Dominationes: secunda ad Virtutes: tertia vero ad potestates spectat, quarum est arcere potestates contrarias. Ad perfectam vero officiositatem spectat regere, revelare, & relevare. primum est Principatum: secundum Archangelorum: tertium Angelorum quia custodiunt ne stantes cadant, & cadentes adjuvant, ut resurgant. Et sic patet quod hæc omnia sunt in beatis angelis, secundum plus & minus gradatim a superioribus descendendo, usque ad ima. Ordo autem denominari debet ab eo, quod excellentius accipit in munere.

Angeli aguntur, & agunt secundum ordinem hierarchicum.

Sufficientia triplicis Hierarchiæ cœlestis.

CAPUT IX.

De productione hominis quantum ad spiritum.

POst naturam vero corpoream & incorpoream, dicenda sunt aliqua de natura ex utrisque composita. Primo ex parte mentis, secundo ex parte carnis, tertio ex parte totius hominis. De anima igitur rationali hæc in summa tenenda sunt, secundum sacram doctrinam, scil. quod ipsa est forma, ens, vivens, intelligens, & libertate utens. Forma quidem ens: non a seipsa, nec de divina natura, sed a Deo de nihilo per creationem inesse deducta. Forma autem vivens, non ex natura extrinseca, sed seipsa: non vita mortali, sed vita perpetua. Forma vero intelligens, non tantum creatam, sed etiam creatricem essentiam, ad cujus imaginem facta est per memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Forma libertate utens, quia semper est libera a coactione. A miseria vero & coactione libera fuit in statu innocentiæ, licet non in statu naturæ lapsæ. Hæc libertas a coactione nihil aliud est quam facultas voluntatis, & rationis, quæ sunt potentiæ animæ principales.

Anima rationalis.

Aug. de Spi. & ani. c. 35 tom. 3

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sit beatissimum & benevolentissimum: ideo sua summa benevolentia, beatitudinem suam communicat creaturæ, non tantum spirituali & proximæ, sed etiam corporali & longinquæ. Corporali tamen & longinquæ communicat mediate: quia lex divinitatis hæc est, ut infima per media reducantur ad summa. Et ideo non tantum spiritum

tum

tum angelicum & separatum fecit beatificabilem, sed etiam spiritum conjunctum, scilicet humanum. Est igitur anima rationalis forma beatificabilis. Et quia ad beatitudinis præmium pervenire non est gloriosum, nisi per meritum, nec mereri contingit, nisi in eo, quod voluntarie & libere fit: ideo animæ rationali libertatem arbitrii dari oportuit, per remotionem omnis coactionis: quia hoc est de natura voluntatis, ut nullatenus possit cogi, licet per culpam, misera efficiatur, & serva peccati. Rursus quia forma beatificabilis est capax Dei per memoriam, intelligentiam, & voluntatem: & hoc est esse ad imaginem Trinitatis, propter unitatem in essentia, & trinitatem in potentiis: ideo animam hominis necesse fuit esse intelligentem Deum, & omnia ac per hoc imagine Dei insignitam. Et quia nihil beatum potest beatitudinem amittere, nihil poterat esse beatificabile, nisi esset incorruptibile, & immortale: necesse igitur fuit animam rationalem immortali vita de sui natura esse viventem. Postremo, quia omne, quod ab alio beatificabile est, & immortale, est mutabile secundum bene esse, & incorruptibile secundum esse; ideo anima nec a se est, nec de divina natura, quia mutabilis: nec producta de aliquo, nec per naturam generata, quia est immortalis, & incorruptibilis. Et ita hæc forma non potest per generationem inesse introduci, quia omne naturaliter generabile, est naturaliter corruptibile. Ex his apparet, qualiter finis beatitudinis necessitatem imponit prædictarum conditionum ipsi animæ ad beatitudinem ordinatæ. Quoniam autem ut beatificabilis, est immortalis: ideo cum unitur corpori mortali, potest ab eo separari: ac per hoc non tantum forma est, verum etiam hoc aliquid: & ideo non tantum unitur corpori, ut perfectio, verum etiam ut motor, & sic perficit per essentiam, quia movet pariter, per potentiam. Et quoniam ipsa non tantum dat esse, verum etiam vivere, & sentire, & in-

Anima rationalis beatitudinis capax.

Voluntas cogi non potest.

Anima quomodo imago Dei.

Anima non tantum forma, sed hoc aliquid

A telligere: ideo potentiam habet vegetativam, & sensitivam, & intellectivam: ita quod per potentiam vegetativam generat, nutrit, & augmentat. Generat tu quid, nutrit ut quale, augmentat ut quantum. Per sensitivam vero apprehendit sensibilia, retinet apprehensa, componit, & dividit retenta. Apprehendit quidem per sensitivam exteriorem quinque partitam, secundum correspondentiam, ad quinque mundi corpora principalia: retinet per memoriam: componit, & dividit per phantasiam, quæ est prima virtus collativa. Per intellectivam autem discernit verum, refugit malum, & appetit bonum. Verum quidem discernit per rationalem:
B malum repellit per irascibilem: bonum appetit per concupiscibilem.

Rursus, quia discretio est veri cognitio, fuga & appetitus est affectio: ideo tota anima dividitur in cognitivam, & affectivam. Amplius quoniam cognitio veri: est duplex: vel veri, ut veri: vel veri ut boni: & hoc, vel æterni, quod est supra animam: vel temporalis, quod est infra: hinc est, quod potentia cognitiva, utpote intellectus: & ratio dividuntur: ita quod intellectus in speculativum, & practicum: ratio in superiorem portionem, & inferiorem: quæ potius nominant diversa officia, quam diversas potentias.

Cognitio, & affectio proprietates animæ.

Postremo, quoniam appetitus dupliciter potest ad aliquid ferri, scilicet secundum naturalem instin-
C ctum, vel secundum deliberationem, & arbitrium: hinc est quod potentia affectiva dividitur in voluntatem naturalem, & voluntatem electivam, quæ proprie voluntas dicitur. Et quoniam talis electio indifferens est ad utramque partem, ideo est a libero arbitrio. Et quoniam hæc indifferentia consurgit ex deliberatione præambula, & voluntate adjuncta: hinc est, quod liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis: ita quod sicut dicit August. omnes prædictas rationales potentias comprehendit. Ait enim: Cum de libero arbitrio loquimur, non de parte animæ loquimur, sed certe de tota ani-

Potentia affectiva alia naturatis, alia electiva.

Liberum arbitrium quid.

anima. Ex concursu namque illarum potentiarum rationis supra seipsam redeuntis, & voluntatis concomitantis, consurgit integritas libertatis, quæ est principium meriti, vel demeriti, secundum electionem boni, vel mali.

CAPUT X.

De productione hominis quantum ad corpus.

Doctrina orthodoxa de conditione corporis humani.

DE corpore autem humano in statu primæ conditionis tenenda sunt hæc secundum doctrinam fidei orthodoxæ: videlicet quod corpus primi hominis sic conditum fuit, & de limo terræ formatum, ut tamen esset animæ subjectum, & suo modo proportionabile, proportionabile, inquam, quantum ad complexionem æqualem: quantum ad originationem pulcherrimam, & multiformem: & quantum ad staturæ rectitudinem. Subjectum autem, ut esset obtemperans, sine rebellione: esset etiam propagans, & propagabile, sine libidine: esset vegetabile, sine defectione: esset & immutabile, ad omnimodam incorruptionem, non interveniente morte; & secundum hoc datus est sibi locus paradisi terrestris in habitationem tranquillam. Formata est mulier de latere viri, in consortium, & adjutorium ad propagationem immaculatam: datum est lignum vitæ ad vegetationem continuam: & tandem ad immutationem perfectam per immortalitatem perpetuam.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sit in producendo potentissimum, sapientissimum, & optimum, & in omnibus effectibus suis hoc aliquo modo manifestet, potissime debuit hoc manifestare in ultimo effectu, & nobilissimo: cujusmodi est homo, quem inter cæteras creaturas produxit ultimo, ut in hoc potissime appareret, & reluceret divinorum operum consummatio. Ut igitur in homine manifestaretur Dei potentia, ideo

Hominis dignitas.

A fecit eum ex naturis maxime distantibus, conjunctis in unam personam, & naturam: cujusmodi sunt corpus & anima, quarum unum, scilicet corpus est substantia corporea: alterum vero, scilicet anima substantia spiritualis & incorporea, quæ distant maxime in genere substantiæ. Ut vero ibidem manifestaretur Dei sapientia, fecit tale corpus, quod proportionem suo modo haberet ad animam. Quoniam ergo corpus unitur animæ, ut perficienti, & moventi, & ad beatitudinem sursum tendenti, ideo ut conformaretur animæ vivificanti, habuit complexionem æqualem, non a pondere, vel mole, sed ab æqua-

B litate naturalis justitiæ, quæ dispo nit ad nobilissimum modum vitæ. Ut autem conformaretur moventi per multiformitatem potentiarum, habuit multiformitatem organorum, cum summa venustate, & artificiositate, & ductibilitate: sicut patet in facie, & in manu, quæ est organum organorum. Ut autem conformaretur animæ sursum tendenti ad cœlum, habuit rectitudinem staturæ, & sursum erectum caput: ut sic corporalis rectitudo attestaretur rectitudini mentali. Postremo, ut in homine manifestaretur Dei bonitas, & benevolentia: ideo fecit hominem absque omni macula, & culpa, & absque omni pœ-

C na, sive miseria. Cum enim primum principium simul sit optimum, & justissimum: quia optimum non debuit facere hominem nisi bonum, ac per hoc innocentem, & rectum: quia vero justissimum, non debuit infligere pœnam ei, qui nullum omnino habebat peccatum: ac per hoc illi animæ rationali tale corpus constituit, quod sibi esset ita obtemperans, ut nulla esset in eo pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis. Ita etiam esset animæ conforme, ut sicut anima erat innocens, & tamen poterat cadere in culpam, sic corpus esset impassibile, & tamen posset cadere in pœnam; ideo poterat non mori, &

po-

poterat mori: poterat habere sufficientiam, & poterat habere indigentiam: poterat obtemperare, & poterat habere rebellionem & pugnam. Et propterea in statu illo corpus erat tale, ut ab eo fieret decisio seminalis ad propagationem prolis, per adminiculum sexus muliebris, pariter & comprincipiantis. Fieret etiam humoris nutrimentalis consumptio, per actionem caloris. Fieret nihilominus restauratio per alimentum lignorum paradisi, restaurato seu præservato per lignum vitæ humido radicali: quod quidem lignum hanc virtutem habuit, ob quam, ut dicit August. fuit non solum in cibum verum etiam in sacramentum. Incorruptio igitur & immortalitas corporis Adæ principaliter veniebat ab anima, sicut a continente, & influente: & a corporis bona, & æquali complexione, sicut a disponente, & suscipiente: a ligno autem vitæ, sicut a vegetante, & adminiculante: a regimine vero divinæ providentiæ, sicut interius conservante, & exterius protegente.

Corpus hominis quale in statu innocentiæ esset.

Aug. l. 8 de Gen. ad lit. c. 4 & 5 t. 3

Caput XI.

De productione hominis, quantum ad totum conjunctum.

De homine in paradiso collocato quid sentiendum.

De toto autem homine in paradiso collocato, hæc tenenda sunt, videlicet quod datus est ei duplex sensus, scilicet interior, & exterior: scilicet mentis, & carnis. Datus est ei duplex motus, scilicet imperativus in voluntate, & executivus in corpore. Datum est ei duplex bonum, unum visibile, & alterum invisibile. Datum est ei duplex præceptum, scilicet naturæ, & disciplinæ. Præceptum naturæ: Crescite & multiplicamini. Præceptum disciplinæ: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Juxta quæ datum est sibi quadruplex adjutorium, scilicet scientiæ, conscientiæ, synderesis, & gratiæ, ex quibus sufficienter habuit, ut posset stare in bono, & proficere: & a malo cavere, & declinare.

Gen. 1
Gen. 2

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia primum principium fecit mundum istum sensibilem, ad declarandum seipsum, videlicet ut homo per illum, tamquam per speculum, & vestigium, reduceretur in Deum artificem, amandum, & laudandum. Et secundum hoc duplex est liber, unus, scilicet scriptus intus, qui est Dei æterna ars, & sapientia: & alius scriptus foris, scilicet mundus sensibilis. Cum igitur esset una creatura, quæ sensum habebat intus ad cognitionem libri interioris, ut Angelus; & alia, quæ totum sensum habebat foris, ut quodlibet animal brutum: ad perfectionem universitatis debuit fieri creatura, quæ hoc sensu duplici esset prædita, ad cognitionem libri scripti intus, & foris, id est sapientiæ, & sui operis. Et quia in Christo simul concurrit æterna sapientia, & ejus opus in una persona: ideo dicitur liber scriptus intus & foris, ad reparationem generis humani. Et quia cuilibet sensui correspondet motus, ideo duplex est homini datus motus: unus secundum instinctum rationis in mente, alius secundum instinctum sensualitatis in carne. Primi est imperare, secundi vero est obtemperare secundum rectum ordinem: quando autem fit econverso, tunc rectitudo & regimen animæ, præcipitatur de statu suo. Et quia cuilibet motui & sensui respondet appetitus ad aliquod bonum: ideo duplex bonum præparatum est homini, unum scilicet visibile, & alterum invisibile: unum temporale, & aliud æternum: unum carni, & alterum spiritui. Ex his autem bonis Deus unum dedit, alterum promisit, ut unum gratis possideretur, alterum vero per meritum acquireretur. Et quia frustra bonum datur, nisi custodiatur: frustra promittitur nisi ad ipsum perveniatur: ideo duplex fuit præceptum homini datum, scilicet unum naturæ ad custodiendum bonum datum: aliud disciplinæ ad promerendum bonum promissum, quod nullo modo poterat mereri melius, quam per meram obedientiam. Obedientia autem mera est, quando præ-

Ezech. 2
Apoc. 5
Christus liber intus & foris scriptus.

Obedientia mera.

præceptum ex se solo obligat, non ex aliqua causa alia, & tale dicitur præceptum disciplinæ, quia per ipsum discitur quanta sit virtus obedientiæ, quæ suo merito ducit ad cælum, suo autem demerito præcipitat in infernum. Non ergo datum est illud mandatum homini propter indigentiam aliquam, quam Deus haberet de humano obsequio; sed ad dandam viam merendi coronam, per meram, & voluntariam obedientiam.

Quadruplex adjutorium a Deo homini datum.

Et quoniam homo ratione naturæ defectivæ ex nihilo formatæ, nec per gloriam confirmatæ, poterat cadere; benignissimus Deus quadruplex contulit ei adjutorium, scilicet duplex naturæ, & duplex gratiæ. Duplicem enim indidit rectitudinem ipsi naturæ, videlicet unam ad recte judicandum, & hæc est rectitudo conscientiæ: aliam ad recte volendum, & hæc est rectitudo synderesis, cujus est remurmurare contra malum, & stimulare ad bonum.

Synderesis officium.

Duplicem etiam superaddit perfectionem gratiæ, unam gratiæ gratis datæ, quæ fuit scientia illuminans intellectum ad cognoscendum seipsum, & Deum suum, & mundum istum, qui factus fuerat propter ipsum: aliam vero gratiæ gratum facientis, quæ fuit charitas habilitans affectum ad diligendum Deum super omnia, & proximum sicut seipsum. Et sic ante lapsum homo perfecta habuit naturalia, supervestita nihilominus gratia divina. Ex quo manifeste colligitur, quod si cecidit, non aliunde fuit, nisi ex sua culpa, quia obedire contempsit.

Caput XII.

De completione & ordinatione totius mundi consummati.

Mundi creatura comparatur libro

Ex prædictis colligi potest, quod creatura mundi, est quasi quidam liber, in quo relucet, repræsentatur, & legitur Trinitas fabricatrix secundum triplicem gradum expressionis, scilicet per modum vestigii, imaginis, & similitudinis. A Ita quod ratio vestigii reperitur in creaturis omnibus, ratio imaginis solum in intellectualibus, sive spiritibus rationalibus, & ratio similitudinis in solis deiformibus, ex quibus, quasi per quosdam scalares gradus, natus est intellectus humanus gradatim ascendere in summum principium, quod est Deus.

Creaturæ ad creatorem tripliciter possunt comparari.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum omnes creaturæ respectum habeant, & dependentiam ad suum creatorem, tripliciter possunt comparari ad ipsum, scilicet, aut sicut ad principium creativum, aut sicut ad objectum motivum, aut sicut ad donum inhabitativum. Primo modo comparaB tur ad ipsum omnis ejus effectus, secundo modo omnis intellectus, tertio modo omnis spiritus justus, & Deo acceptus. Omnis enim effectus quantumcumque parum habens de esse, habet Deum sicut principium. Omnis intellectus quantumcunque parum habens de lumine, natus est per cognitionem, & amorem Deum capere. Omnis spiritus justus, & sanctus, habet donum Spiritus sancti infusum sibi. Et quoniam creatura habere non potest Deum sicut principium, quin configuretur ei secundum unitatem, veritatem, & bonitatem: nec Deum sicut objectum, quin eum capiat per memoriam, intelligentiam, & voC luntatem: nec Deum sicut donum infusum, quin configuretur ei per fidem, spem, & charitatem, sive per triplicem dotem: & prima conformitas est longinqua, secunda propinqua, tertia proxima: hinc est, quod prima dicitur vestigium Trinitatis, secunda imago, tertia similitudo. Est igitur spiritus rationalis medius inter primam, & ultimam: ita quod primam habet inferius, secundum interius, tertiam superius. Et ideo in statu innocentiæ cum imago non erat vitiata, sed deiformis per gratiam effecta, & sufficiebat liber creaturæ, in quo seipsum exerceret homo ad contuendum lumen divinæ sapientiæ: ut sic sapiens esset, cum universas res videret in se, videret in proprio genere, videret

deret in arte: secundum quod triplıciter habet esse res, scilicet in materia, vel in natura propria, in intelligentia creata, & in arte æterna. Secundum quæ tria dicit scriptura: Dixit Deus: Fiat, fecit, & factum est ita. Propter quam etiam triplicem visionem accepit homo triplicem oculum, sicut dicit Hugo de sancto Victore, scilicet carnis, rationis, & contemplationis. Carnis, quo videret mundum, & ea quæ sunt in mundo: oculum rationis, quo videret animum, & ea quæ sunt in animo: oculum contemplationis, quo videret Deum, & ea quæ sunt in Deo. Et si oculo carnis videret homo ea, quæ sunt extra se: oculo rationis ea, quæ sunt intra se: oculo contemplationis ea, quæ sunt supra se. Qui quidem oculus contemplationis actum suum non habet perfectum, nisi per gloriam, quam amisit per culpam: recuperat autem per gratiam, & fidem, & scripturarum intelligentiam, quibus mens humana purgatur, illuminatur, & perficitur ad cœlestia contemplanda: ad quæ lapsus homo pervenire non potest, nisi prius defectus, & tenebras proprias recognoscat, quod non facit, nisi ruinam humanæ naturæ diligenter consideret, & attendat.

Gen. 1

Triplex hominis oculus.

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doct. Breviloquii,

TERTIA PARS,

In qua de corruptela peccati agitur.

Caput I.

De origine mali in communi.

Aug. l. de nat. bon. cont. Manich. c. 4. & 6.

PRÆDETERMINATIS igitur breviter aliquibus de Trinitate Dei, & creatura mundi: restat nunc aliqua breviter tangere de corruptela peccati. De qua tenendum est in summa,

A quod peccatum non est essentia aliqua, sed defectus & corruptela, qua scilicet corrumpitur modus species & ordo in voluntate creata: ac per hoc peccati corruptio est contraria ipsi bono, non tamen habet esse nisi in bono, nec ortum trahit nisi a bono. Quod quidem bonum est liberum arbitrium voluntatis, & ipsum nec est summe malum, cum possit velle bonum; nec summe bonum, cum possit declinare in malum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia primum principium cum sit ens a seipso, non ab alio, necesse est quod sit ens propter seipsum, ac per hoc summe bonum, nullum prorsus habens defe-B ctum. Non est igitur aliquid, nec esse potest, quod sit primum, & summe malum: quia principium primum dicit summum complementum, & summe malum dicit defectum permaximum. Quoniam ergo primum principium, ut summe ens, & completum, nec in essendo, nec in operando deficere potest, nec summe malum est, nec aliquod malum est, nec aliquo modo malum principiare potest: quia tamen omnipotens est, potest bonum de non esse in esse deducere, etiam sine adminiculo alicujus materiæ. Quod & fecit, cum creaturam finxit, cui dedit esse, vivere, intelligere, & velle. Quæ C quidem quia a summo bono fuit secundum triplicis causæ habitudinem; oportuit, quod haberet in sua substantia & voluntate modum, speciem, & ordinem. Nata ergo fuit agere opera sua a Deo, secundum Deum, & propter Deum: & hoc secundum modum, speciem, & ordinem sibi insitum. Sed quia de nihilo fuit & defectiva, potuit deficere ab agendo propter Deum, ut scilicet aliquid faceret propter se, non propter Deum: ac per hoc nec a Deo, nec secundum Deum, nec propter Deum: & hoc est peccatum, quod est modi, speciei, & ordinis corruptivum. Quod quia defectus est, non habet causam efficientem, sed deficientem, videlicet defectum voluntatis creatæ. Quia vero corruptio

prio est, & non nisi boni, & omnis corruptio in re corruptibili est; ideo non nisi in bono est: ac per hoc, cum voluntas libera corrumpat in seipsa modum, speciem, & ordinem, deficiendo a vero bono, peccatum omne, inquantum hujusmodi, est a voluntate, sicut a prima origine: & est in voluntate sicut in proprio subjecto: quod quidem facit voluntas, quando sua defectibilitate, mutabilitate, & vertibilitate, spreto bono indeficiente & incommutabili, inhæret bono commutabili. Ex quibus colligitur, quod peccatum non est appetitio malarum rerum, sed desertio meliorum, & ideo in appetitu voluntatis est modi, speciei, & ordinis corruptivum, ac per hoc * adeo voluntarium, quod si non est voluntarium, jam non est peccatum. His autem præintellectis, manifeste cadit impietas Manichæorum, ponentium summum malum omnium malorum principium primum. Apparet etiam, quæ sit mali origo, & quid mali subjectum.

Peccati origo, & subjectum.

** Aug. de vera Relig. c. 13. t. 2. Aug. l. 2. de morib. Manich. c. 2 & seq. t. 1*

Caput. II.

De primorum parentum tentatione.

Doctrina de tentatione primorum parentum.

AD intelligentiam autem qualiter corruptela peccati intravit in mundum, considerare oportet lapsum primi parentis, traductionem culpæ originalis, & ortum sive radicem peccati actualis. Circa lapsum igitur primi parentis hæc tria nobis occurrunt consideranda, scilicet tentatio diabolica, culpa commissa, & pœna inflicta. Hæc igitur de tentatione sunt tenenda, videlicet, quod cum Deus hominem condidisset in felicitate paradisi in sexu duplici, scilicet virili, & muliebri; diabolus invidens homini, assumpta specie serpentina, aggressus est mulierem, primo quærendo: Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis? secundo asserendo, dicens: Nequaquam moriemini: tertio promittendo: Eritis sicut dii, scientes bonum & malum: volens ista tentatione deiicere mulierem infirmiorem, & A per illam postea prosternere sexum virilem: quod & fecit, Domino permittente.

Gen. 3 Autem.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia sicut primum principium est potentissimum in operando, sive in producendo, sic etiam est rectissimum in gubernando: & ideo sic res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat. Quoniam igitur homo sic factus erat, ut per victoriam pugnæ perveniret ad præmium quietis æternæ, licet Deus sciret hominem tentationi succumbere, debuit tamen hominem permittere tentari ab eo, qui sciret, posset & vellet. Quoniam ergo diabolus, qui B prius erat sciens, & rectus, per superbiam cadendo, factus est versutus & invidus; ideo per invidiam tentare volebat, & per astutiam sciebat: & ideo tentavit juxta quod potuit, & Deus permisit. Quod igitur in tentando speciem serpentinam assumpsit, hoc dispensationis divinæ fuit, ut non solum deprehendi ejus versutia posset, verumetiam, ut ex illa effigie versutia diabolica in tentando cunctis filiis Adæ innotescere posset. Rursus quia tentavit de præcepto disciplinæ, hoc similiter fuit dispensationis divinæ, ut sive vinceretur, sive vinceret, cunctis innotesceret meritum obedientiæ, sive demeritum inobedientiæ. Quod autem incœpit a C muliere, hoc fuit versutiæ suæ, quia facilius est deiicere minus fortem. Unde & versutia hostis ex infirmiori parte aggreditur civitatem. Similiter, modus, quo in tentatione processit, maximæ versutiæ fuit, quia experiendo, impellendo, & alliciendo processit. Experientiam enim sumpsit in interrogatione, impulit in assecuratione, allexit autem in promissione. Primo enim interrogavit de causa mandati, ut rationem duceret in dubium. Secundo autem dubitatione habita: Ne forte moriamur, assecuravit, ut irascibilem duceret in contemptum. Tertio promisit, ut concupiscibilem duceret in appetitum: & sic his tribus modis libertatem arbitrii traheret ad consensum, quæ facultas est ratio-

Diabolus cur mulierem prius tentavit.

Gen. 3

rationis, & voluntatis, complectens, nihilominus tres prædictas vires, scilicet rationalem, irascibilem, & concupiscibilem: respectu quarum diabolus allexit mulierem per triplex appetibile, scilicet per scientiam, quæ est appetibilis rationali: per excellentiam ad modum Dei, quæ est appetibilis irascibili: per suavitatem ligni, quæ est appetibilis concupiscibili, & sic tentavit omne, quod erat in muliere tentabile, per omne illud, quod poterat in tentationem induci, quod est triplex appetibile mundi, scilicet secundum concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ: secundum quæ tria, attenditur omnis tentationis origo, sive a mundo, sive a carne, sive a diabolo.

Gen. 3

1. Joan. 2

Caput III.

De primorum parentum transgressione.

DE culpa vero primorum parentum sunt hæc tenenda, scilicet quod mulier assentiens tentationi diabolicæ, appetiit scientiam, & excellentiam ad modum Dei. Appetiit nihilominus experiri suavitatem ligni vetiti, & tandem incidit in transgressionem mandati. Nec his contenta, offerendo fructum ligni vetiti, induxit virum, qui nolens suas delicias contristare, mulierem non corripuit, sed potius consensum præbuit male suadenti, & oblatum pomum gustando, effectus est transgressor divini præcepti.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum a primo principio, ut prædictum fuit, datus esset homini duplex sensus & appetitus respectu duplicis libri, & respectu duplicis boni, ut secundum libertatem arbitrii, homo posset ad utrumque converti; mulier audita suggestione serpentis exteriori, non recurrit ad librum interiorem, qui legibilem se præbet recto judicio rationis; sed potius sensum suum circa exteriorem librum tenuit, & circa exterius bonum negotiari cœpit. Et quia sensus ejus non accessit usque ad verum infallibile, appetitus ejus

Origo primi peccati.

A converti cœpit ad bonum commutabile. Appetiit igitur, quod diabolus promisit, & ideo consensit, ut faceret, quod suggessit. Appetendo igitur excellentem scientiam, erecta est in superbiam: erecta in superbiam, hoc ipso illecta est ad gulam: ac per hoc tertio prostrata est per inobedientiam.

Primum fuit in mente: secundum in sensualitate: tertium in opere. Et sicut tentatio ab inferiori incipiens pervenit usque ad summum; quia ab auditu per appetitum pervenit ad consensum: sic econverso, deordinatio a superiori incipiens, pervenit usque ad imum, & fecit unum peccatum consummatum, quod in humana natura est omnis peccati initium & origo malorum. B Nam mulier illecta illexit virum, qui similiter ad librum exteriorem conversus, & ad bonum commutabile, nimis appretiando mulieris consortium, & suæ societatis solatium, nec mulierem voluit corripere, nec proprias delicias contristare. Et quoniam debuit eam corripere, & non corripuit, idcirco imputatur ei peccatum mulieris. Quia vero noluit suas delicias contristare a se repellendo mulierem, incœpit nimium diligere seipsum, ac per hoc recedens a divina amicitia, incidit in gulam, & inobedientiam.

Fuit ergo transgressio præcepti utrique communis, licet ex alia, C & alia causa: quia non vir, sed mulier fuit seducta: in utroque tamen, scilicet viro, & muliere fuit deordinatio a summo usque ad imum: quia primo in mente fuit sive in ratione, deinde in sensualitate, & postremo in opere. Ideo enim uterque prostratus fuit per inobedientiam, & illectus per gulam, quia uterque erectus fuit in superbiam. Mulier quidem appetendo, & ambiendo quod nondum acceperat, vir autem nimis amando, & appretiando, quod jam habebat: unde mulier manducando, credidit sublimari; Adam vero existimans se aliquid magnum, & Deo charum, minus graviter credidit se puniendum. Nondum enim expertus fuerat rigorem divinæ justitiæ, & severitatis.

tis. Et sic uterque dum inordinate erexit se supra se, cecidit miserabiliter infra se, a statu scilicet innocentiæ & gratiæ, ad statum culpæ & miseriæ.

Caput IV.

De primorum parentum punitione.

De pœna vero primorum parentum hoc est tenendum, videlicet quod vir, & mulier statim post culpam senserunt pœnam rebellionis, & erubescentiæ in carne: & ideo ad cooperiendum verenda, fecerunt sibi perizomata. Postea vero divino judicio, vir incurrit pœnam laboris & angustiæ: pœnam famis & indigentiæ: pœnam mortis & resolutionis in cinerem. Juxta quod dicitur in scriptura; Maledicta terra in opere tuo, &c. Mulieri vero duplicata est pœna: quia inflicta est ei pœnalitas multiplicium ærumnarum in conceptu, pœna doloris in partu, pœna quoque subjectionis ad virum in convictu: ac per hoc, secundum quod apparet, satis graviter punitum fuit peccatum illud, scilicet ligni vetiti esus, licet fuerit faciliter perpetratum.

Gen. 3

Ibidem.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sit prudentissimum in gubernando, & rectissimum in præsidendo, nihil prorsus inordinatum dimittit in universo: & quia culpa recte ordinatur in pœna (convenientius enim injustus dolet in supplicio, quam lætatus est in delicto, quoniam melius est dolere damnum salutis, quam lætari in damno æquitatis) ideo statim in primis parentibus dedecus peccati subsecutum est decus judicii, ut quod inordinatum fuit cadendo ab ordine naturæ, caderet statim in ordinem justitiæ. Hic enim duplex ordo sic cuncta complectitur, ut quod ab uno ciciderit, statim in alteram differentiam relabatur.

Ordo divinæ justitiæ in pœna inflicta primis parentibus pro peccato.

Quoniam ergo uterque parens superbiendo in mente, & gustando in carne, inobediens fuit suo superiori, justo Dei judicio factum est, ut sibi fieret inobediens suum inferius: & maxime, quantum ad partes illas, secundum quas est conjunctio utriusque sexus, quæ sunt membra virtuti generativæ deservientia. Et quia hoc inerat eis non ex natura, sed ex propria culpa: ideo erubescebant, & cooperiebant se. Rursus quia vir spreto summo delectabili, quæsivit in carne delectari: ideo justo Dei judicio, inflictus est ei labor, & defectus famis & sitis.

Postremo quia propter bonum carnis, separari elegit a bono mentis; ideo justo Dei judicio, anima invita separatur a carne per mortem, & incinerationem, ac per hoc sicut Deus dederat homini, secundum ordinem naturæ, corpus subjectum animæ, propagabile sine libidine, vegetabile sine defectione, immutabile sine morte interveniente; sic homine peccante, secundum ordinem justitiæ factum est, ut subtraheret cætera prædicta, & infligeret opposita: ut sic culpa non remaneret impunita, & inordinata, quod nequaquam pati debet divina providentia. Et quoniam peccatum a muliere exordium sumpsit; ideo pœna ejus debuit duplicari. Quia igitur in mente superbiens fuit, subjectionem incurrit: quia lignum ad vescendum suave vidit, & appetiit, dolorem incurrit: postremo, quia fregit jugum obedientiæ, incurrit vinculum, & pondus multiplicis ærumnæ. Et sic patet quanto ordine divinæ providentiæ, inflictæ sunt viro pœnæ multiplices, & duplicatæ in muliere, ut sic dedecus peccati non remaneret, seu esset sine decore justitiæ. Tanta est enim beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.

Caput V.

De originalis peccati corruptione.

Modus quo genus humanum per peccatum originale corrumpitur.

POst lapsum primi parentis, dicenda sunt aliqua de corruptione peccati originalis. Circa quod primo considerandus est modus corruptionis, secundo modus traductionis, tertio modus curationis. Modus autem quo genus humanum per originale peccatum corrumpitur, hic est. Nam quilibet per concubitum generatus, nascitur natura filius iræ, quia privatus rectitudine originalis justitiæ: propter cujus absentiam incurrimus, quantum ad animam, quadruplicem pœnam, scilicet infirmitatem, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam: quæ quatuor inflicta sunt propter originale peccatum. Quas sane pœnas spirituales, comitatur in corpore multiplex pœnalitas, multiplex defectus, multiplex labor, multiplex morbus, & multiplex dolor. Ad has quoque pœnas, subsequitur pœna mortis, & incinerationis: pœna carentiæ visionis Dei & amissionis gloriæ cœlestis, non solum in adultis, verum etiam in parvulis non baptizatis: qui quidem parvuli pœna mitissima inter cæteros puniuntur, quia solam pœnam damni habent, sine pœna sensus.

Pœnæ originale peccatum subsecutæ.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium omnia agat a se, & secundum se, & propter se: necesse est esse optimum, & rectissimum, ac per hoc piissimum, & justissimum: & inde est, quod universæ viæ ejus misericordia, & veritas, sive judicium. Si enim Deus a principio hominem in tantis miseriis condidisset, nec pietas esset, nec justitia, quod tanta opus suum opprimeret miseria, nulla præcedente culpa. Similiter si tantis miseriis nos repleret, vel repleri permitteret sine culpa, nec pie, nec juste gubernaret nos divina providentia. Si ergo certissimum est primum principium, & in producen- A do, & in providendo, rectissimum, & clementissimum esse: necesse est, quod genus humanum taliter fecerit, ut a principio nulla esset in eo culpa, nec miseria. Necesse est etiam, quod taliter administret, ut non permittat in nobis esse miseriam, nisi propter aliquam culpam præambulam. Quoniam igitur certissimum est quod a nostra origine multiplicem contrahimus miseriam pœnæ, certum est, quod omnes nascimur natura filii iræ, ac per hoc privati rectitudine originalis justitiæ, quam privationem vocamus originalem culpam. Et quia omnis culpa dicit recessum a bono incommutabili, & accessum ad bonum commutabile: & recedere a bono incommutabili B est recedere a summa virtute, veritate, & bonitate; accedere autem ad bonum commutabile, est plus debito in illud per amorem tendere: hinc est quod perdens originalem justitiam, incurrit infirmitatem, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam. Rursus, quia deserens bonum incommutabile, propter bonum commutabile, efficitur indignus utroque, hinc est, quod ratione carentiæ originalis justitiæ perdit anima quietem temporalem in corpore, per multiplicem corruptionem, & mortem, & tandem separatur a visione lucis æternæ, amittendo felicitatem gloriæ, tam in anima, quam C in corpore.

Psal. 24

Eph. 2

Culpa omnis dicit accessum ad bonum commutabile, & recessum ab incommutabili.

Postremo, quia carentia hujus justitiæ in nascentibus, non est per motum voluntatis propriæ, nec per actualem delectationem; hinc est quod originali peccato post hanc vitam, non debetur pœna sensus in gehenna, pro eo quod non supra condignum, sed citra punit divina justitia, quam semper comitatur superabundans misericordia. Hoc credendum est sensisse beatum Augustin. licet verba ipsius, exterius propter detestationem erroris Pelagianorum, qui aliqualem felicitatem eis concedebant, aliud sentire videantur, ut enim eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum.

Originale peccatum cur post hanc vitam non punitur pœna sensus.

Aug. l. de fid. ad Pet. c. 3. circa med. & c. 27 in prin. t. 3 & de ver. Apost. ser. 14. t. 10

CA-

Caput VI.

De originalis peccati transfusione.

Modus autem traductionis culpæ originalis videtur esse talis: quia licet anima non sit ex traduce, originalis tamen culpa ab anima Adæ transit ad animas posterorum mediante carne per concupiscentiam generata: ita quod sicut ab anima peccante infecta fuit caro Adæ, & prona effecta ad libidinem, sic caro per libidinem seminata, & secum trahens infectionem vitiosam, inficit, & vitiat animam, quæ quidem infectio vitiosa, in anima non tantum est pœna, sed etiam culpa. Et sic persona corrumpit naturam, & natura corrupta corrumpit personam, salva in omnibus divina justitia, cui nullo modo potest imputari infectio animæ, licet eam creando infundat, & infundendo uniat cum carne infecta.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium fecerit hominem ad imaginem suam propter sui ipsius expressionem: sic eum condidit ex parte corporis, ut omnes homines propagarentur a primo homine, tanquam ab uno radicali principio: sic ex parte animæ, ut propter expressam similitudinem tam in essendo, & durando, quam intelligendo, & amando, immediate emanarent omnes spiritus rationales ab ipso Deo, tanquam a primo principio, & immediato. Et quoniam spiritus tanquam excellentior, magis accedit ad primum principium, sic condidit Deus hominem, ut spiritus præesset corpori, & corpus subesset spiritui creato, quamdiu ille subesset spiritui increato: & contra si spiritus non obediret Deo, justo Dei judicio, corpus suum inciperet sibi rebellare. Quod & factum est, cum Adam peccavit. Sicut igitur si Adam stetisset in obedientia Dei, corpus suum spiritui obediens esset, & tale ad posteros transmitteret, & Deus illi animam infunderet: ita quod unita corpori immortali, & sibi obe-A dienti, haberet ordinem justitiæ, & immunitatem omnis pœnæ: sic ex quo Adam peccavit, & caro facta est rebellis spiritui, oportet quod talem ad posteros transmittat, & quod Deus secundum institutionem primariam animam infundat: anima vero cum unitur carni rebelli, incurrit defectum ordinis naturalis justitiæ, quo debebat omnibus inferioribus imperare. Et quia anima carni unita est, oportet, quod ipsam trahat, & trahatur ab ipsa: & quia ipsam non potest trahere tamquam rebellem, necesse est, ut ab ipsa trahatur, & incurrat morbum concupiscentiæ: & sic incurrit simul carentiam debitæ justitiæ, & mor-B bum concupiscentiæ. Ex quibus duobus tamquam ex aversione, & conversione dicitur integrari secundum Aug. & Anselm. peccatum originale. Quoniam igitur ordinatissimum fuit, quod natura humana ita conderetur, & quod condita sic propagaretur, & quod peccans ita puniretur, sicut prædictum est prius, ita quod in conditione servatur ordo sapientiæ: in propagatione, ordo naturæ: in punitione, ordo justitiæ: patet, quod non est contra divinam justitiam, si ad posteros transmittitur culpa. Rursus quia culpa originalis peccati in animam transfundi non posset, nisi pœna rebellionis in carne præcederet; & pœna non esset, nisi culpa præcessisset; nec cul-C pa præcessit a voluntate ordinata, sed inordinata ac per hoc non a voluntate divina, sed a voluntate humana: patet, quod originalis culpæ transfusio est a peccato primi hominis, non a Deo, non a natura condita, sed a vitio perpetrato. Et sic verum est, quod dicit August. quod peccatum originale, non transmittit ad posteros propagatio, sed libido.

Originale peccatum ex carentia justitiæ & morbo concupiscentiæ integratur

Aug. l. de fide ad Pet. cap. 2. paululum a med. t. 3.

Caput VII.

De originalis peccati curatione.

Postremo diligenter attende, quod modus curationis culpæ originalis est iste, scilicet, quod sic cura-tur

tur culpa originalis, quod remanet pœna temporalis, sicut patet in parvulis Baptizatis. Sic curatur quantum ad reatum pœnæ æternæ, quod remanet quantum ad actum, & motum concupiscentiæ. Sic curatur in parente, quod nihilominus ab eo, qui curatus est per baptismum, transmittitur in prolem originale peccatum. Sic tollitur originalis peccati macula, quod remanet sequela, cum qua oportet pugnare, quamdiu vivimus in hac vita: quia in nullo prorsus extinguitur concupiscentia per gratiam communem, quod dico propter virginem beatissimam Mariam, in qua in conceptione filii Dei extincta fuit per gratiam singularem.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia sicut infectio derivatur in omnes a principio creato a quo fit propagatio corporum, & hoc a parte inferiori, scilicet carnis; sic curatio fieri habet a principio increato, a quo fit infusio animarum, & hoc a parte superiori, scilicet mentis. Quoniam igitur ex parte mentis distinctio est in hominibus, ita quod secundum illam unus non propagatur ab altero, sed immediate exit a Deo, gratia curativa menti nostræ a Deo infusa respicit unumquemque, inquantum tenet rationem personæ singularis, & individuæ, non inquantum tenet rationem productivi secundum virtutem naturæ. Quoniam igitur originale peccatum est morbus inficiens personam pariter & naturam, personam in voluntate, naturam in carne; ideo sic curatur macula originalis in mente, quod remanet infectio, & sequela in carne.

Culpa orig. inficit personam & naturam.

Et quia homo generat non secundum quod curatus est in mente, sed secundum quod corruptus in carne, non secundum quod spiritualis, sed secundum quod carnalis; hinc est, quod quamvis sic baptizatus sit ab originali mundatus in se, transmittit tamen in prolem originale. Rursus, quia reatus pœnæ æternæ respicit deformitatem mentis & personæ, actus autem sive motus respicit inclinationem carnis

Baptizatus cur peccatum originale transmittit.

A & naturæ: ideo transit originale per baptismum, quantum ad reatum, & remanet quantum ad actum. Postremo quia afflictio temporalis conditionem respicit ex parte carnis, cum caro remaneat semper subiecta cuidam infectioni, remanere debet semper subiecta pœnalitati: & ideo sicut pœnalitas, & corruptio per gratiam non aufertur a carne: sic sequela illa, sive concupiscentia, & languor membrorum, simul stare potest cum gratia curativa. Et ideo quamvis paulatim minuatur, quia tamen radix non tollitur, numquam omnino aufertur in viatore, nisi in beata Virgine per gratiam singularem. Quia enim Virgo concepit B eum, qui erat expiatio omnis culpæ, ideo data fuit sibi gratia singularis, qua extincta fuit in ea radicitus omnis concupiscentia, ad concipiendum Dei filium, absque omnis peccati labe & corruptela. Nempe decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus pater unicum filium, quem de corde suo genitum sibi æqualem, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius: & quam ipse filius specialiter facere sibi matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operaturus erat, ut conciperetur, & C nasceretur ille, de quo ipse procedebat.

Gratia singularis B. Virginis.

Ansel. de concep. Virg. & pec. orig. cap. 18.

Caput VIII.

De origine peccatorum actualium.

POstquam autem dictum est de traductione peccati originalis, dicenda sunt aliqua de origine peccati actualis. De ortu igitur peccati actualis, hæc tenenda sunt in summa, videlicet, quod peccatum actuale originem trahit a libera voluntate uniuscujusque per suggestionem, delectationem consensum, & operationem. Iuxta quod dicit scriptura: Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscen-

Iac. 1.

piſcentia, cum conceperit, peccatum parit: peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem. Si autem ſuggeſtio, & delectatio ſiſtat citra conſenſum, eſt veniale peccatum. Si vero conſequatur conſenſus, & opus in his, quæ divina lege prohibita ſunt, peccatum eſt mortale conſummatum. Quod ſi medio modo fit, ut conſenſus ſine opere ſit, aut quia vult in opus procedere, ſed non poteſt; tunc voluntas pro facto reputatur, nec minus culpabilis eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur: aut quia non vult in opus procedere, ſed vult interius voluptari in delectatione, & tunc manducat mulier, ſed non vir. Et licet non ſit peccatum plene conſummatum: eſt tamen inter mortalia computandum quia muliere *manducante*, totus homo damnari meretur, quod maxime intelligi habet in peccatis carnalibus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc eſt: quia cum peccatum *dicat receſſum* voluntatis a primo principio, inquantum *ipſa* voluntas nata eſt agi ab ipſo, & ſecundum ipſum, & propter ipſum: omne peccatum eſt inordinatio mentis ſive voluntatis, circa quam nata ſunt eſſe virtus & *vitium. Peccatum igitur actuale, eſt actualis* inordinatio voluntatis. Inordinatio autem iſta, aut eſt tanta, quod ordinem juſtitiæ exterminat, & hoc modo dicitur mortale peccatum: quia natum eſt auferre vitam ſeparando ipſam a Deo, per quem vivificatur anima juſta. Aut eſt tam modica, quod ordinem illum non perimit, ſed tantum in aliquo perturbat, & tunc dicitur veniale peccatum: quia de ipſo adipiſci poſſumus cito veniam, pro eo quod gratia non tollitur per ipſum, nec inimicitiam divinam incurrit homo. Eſt autem ordo juſtitiæ: ut bonum incommutabile præferatur commutabili: ut bonum honeſtum præferatur utili: & voluntas Dei præferatur voluntati noſtræ: ut judicium rationis rectæ præſit ſenſualitati humanæ. Et quoniam lex Dei iſtum ordinem præcepit, & vetat oppoſitum, quando bonum commutabile præfertur æterno, & bonum utile præfertur honeſto, & voluntas noſtra præfertur divinæ voluntati, & ſenſualis appetitus præfertur rationi rectæ: tunc committitur mortale pecatum. De quo dicit Ambroſius, quod eſt, prævaricatio legis divinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum, vel mandatorum. Hæc autem committitur, ſive omittatur, quod lex divina præcepit: ſive fiat id, quod prohibet. Ex quo duplex genus Peccati oritur, delictum ſcilicet, & commiſſum. Quando vero bonum commutabile plus debito diligitur, ſed non præfertur incommutabili: & utilitas non præfertur honeſtati: & voluntas noſtra plus debito amatur: ita tamen quod non præfertur divinæ: & caro concupiſcit, non tamen præfertur judicio rationis rectæ: tunc non eſt mortale, ſed veniale: quia licet hoc ſit præter legem, non tamen directe eſt contra legem. Senſualis autem appetitus rationi rectæ non præfertur, niſi quando ei ratio conſenſit: & ideo peccatum mortale citra conſenſum non committitur. Si tamen ſenſualitas inordinate moveatur, cum illa inordinatio ad malum inclinet, licet ratio non conſentiat, peccatum eſt aliquod, quia aliquo modo lædit ordinem juſtitiæ. Et quia in ſtatu innocentiæ non movebatur ſenſualitas, niſi ſecundum rationis motum: ideo ſtante homine, non poterat ibi eſſe veniale peccatum. Nunc autem quia rationi repugnat ſenſualitas, velimus, nolimus, ideo neceſſe habemus committere aliquod veniale peccatum per primos motus: qui & ſi particulariter & ſingillatim poſſint declinari, omnes tamen nullo modo poſſunt caveri: qui ſic ſunt peccata, quod ſunt etiam pœnæ peccati, & ideo merito dicuntur venialia, quia hoc ipſo digna ſunt venia. Verum quia ratio his conſentire non compellitur, ſi poſt conſenſum delectationis conſentiantur in opus, tunc eſt plenus conſenſus, ac per hoc peccatum conſummatum: quia pervenit uſque ad virum, id eſt, uſque ad partem ſupremam ratio-

Ambr. lib. de Parad. c. 8. tom. 1. edit. Rom.

Peccatum actuale quid, & quotuplex.

Peccatum mortale non committitur citra conſenſum.

Peccata venialia non poterant eſſe in ſtatu innocentiæ: nunc ſingula vitari poſſunt, & ſi non omnia.

tionis, ex qua pendet plenitudo A consensus. Quia vero non solum in opus, verumetiam in delectationem est consensus, in quo inferior portio sequitur sensualitatem: ideo si in delectatione sensuali ratio sensualitati succumbat, mulier serpenti obtemperat: ac per hoc fit subversio recti ordinis, & ita subversio justitiæ, propter quod committitur mortale peccatum, licet minus grave: quod non solum imputatur mulieri, verumetiam viro, a quo mulier compesci debuit, & cohiberi, ne obtemperaret serpenti. Et sic patet, quod in perpetratione omnis peccati actualis, fit aliqualis imitatio primi peccati, secundum explanationem Doctoris præcipui Augustini.

Aug. lib. 12. de Trin. c. 12. tom. 3.

Caput IX.

De origine, & distinctione capitalium peccatorum,

Consequenter descendendum est ad ortum peccatorum in speciali: inter quæ, quædam sunt capitalia, quædam pœnalia, quædam finalia, sive irremissibilia: quasi prima, media, & postrema. Circa ortum vero peccatorum capitalium, hoc est in summa tenendum, videlicet quod peccatorum actualium, unum est initium, duplex radix, triplex fomentum, septiforme caput, sive capitale peccatum. Unum, inquam, est capitale initium, scilicet Superbia, juxta quod dicit scriptura: Initium omnis peccati Superbia. Duplex radix, scilicet timor male humilians, & amor male accedens. Triplex fomentum, secundum tria, quæ sunt in mundo, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Septiforme vero caput, scilicet superbia, invidia, ira, accidia, avaritia, gula, & luxuria. Inter quæ quinque præcedentia sunt peccata spiritualia: duo vero ultima sunt carnalia.

Eccl. 10.

1. Joan. 2.

Ratio autem ad intelligentiam horum hæc est: quia cum peccatum mortale, sit actualis a primo principio recessus; recessus, autem a primo principio non potest esse nisi per contemptum ipsius, vel in seipso, vel in suo præcepto: contemptus autem primi principii cum sit superbia, necesse est, quod omnis mortalis peccati culpa, sive offensa, initium sumat a superbia. Quia vero nullus contemnit primum, & summum principium, vel ejus præceptum per se, nisi per hoc quod aliquid aliud ab ipso, vel vult acquirere, vel timet perdere: hinc est, quod necesse est, omne peccatum actuale originem trahere a duplici radice, scilicet timore, & amore: qui radices sunt malorum, licet non æque primæ. Nam omnis B timor ortum habet ab amore: nullus enim timet aliquid perdere, nisi quia amat illud habere: & ideo per ea habet foveri timor, per quæ fovetur & amor. Amor autem inordinatus est respectu commutabilis boni. E quoniam illud est triplex, scilicet interius, excellentia: exterius, pecunia: inferius, carnalis lascivia: hinc est quod necesse est esse tria peccatorum actualium radicalia fomenta, quæ superius sunt prætacta; ad quæ dum anima inordinate fertur, omnia peccata actualia oriuntur.

Et quia hoc fit secundum septiformem modum, ideo septem sunt peccata capitalia, ex quibus generatur C universitas vitiorum. Voluntas enim nostra aut deordinatur, quia appetit, quod non est appetendum: aut quia refugit, quod non est refugiendum. Si quia appetit, quod non est appetendum, utpote bonum, ut nunc, sive commutabile, sive apparens bonum: aut est interius, & sic est privata excellentia, quam amat superbia: aut exterius, & sic est sufficientia, quam amat avaritia: aut inferius, & sic aut delectabile, quia ad conservationem individui, & sic alimentum, quod est delectabile secundum gustum, & appetitur a gula: aut quia ad conservationem speciei, & sic coitus, qui est delectabilis secundum tactum, & appetitur a luxuria. Si autem voluntas deordinatur, quia refugit, quod non est re-

Deductio septem capitalium peccatorum.

est refugiendum: hoc potest esse tripliciter secundum triplicem modum refugiendi. Aut enim refugit secundum perversum instinctum ipsius rationalis, & sic est invidia: aut secundum instinctum irascibilis, & sic ira: aut secundum instinctum concupiscibilis, & sic est accidia. Unde quia quatuor sunt principalia appetibilia, & tres vires, secundum quarum instinctum est fuga: ideo tantum septem sunt capitalia peccata. Rursus, quia sensus appetibilis est cum delectatione, sensus autem rei fugiendæ est cum dolore: hinc est, quod quatuor habent conjunctam lætitiam, tria vero alia habent adjunctam tristitiam, & pœnam: omnia tamen dicuntur capitalia, quia deordinationes sunt principales, & multarum aliarum deordinationum sunt principia suo modo influentia. Unde licet quædam ex his principaliter fugam respiciant, habent tamen ex ipsa, delectabilia sua. Nam invidia vult privatum bonum possidere, sine socio, & ita integraliter. Ira sine contrario, & ita imperturbabiliter. Acedia sine labore aliquo, & ita infatigabiliter. Et quia hæc non de facili obtinentur, ideo magnum exercitium vitiorum secum trahunt ad *hujusmodi*, quæ *appetunt* exequenda, vel ad ea, quæ respuunt declinanda, respectu quorum dicuntur capitalia peccata, quasi capita ex quibus manant alia quamplurima.

Caput X.

De origine, & qualitate pœnalium peccatorum.

De peccatis pœnalibus hoc tenendum est, quod licet malum culpæ, & malum pœnæ, sint diversæ malorum differentiæ: quædam tamen sic sunt peccata, quod etiam sunt pœnæ peccati. Speciali namque modo, peccata & pœnæ peccati dicuntur illa, quæ habent adjunctum dolorem, & mœstitiam, sicut accidia, invidia, & consimilia. Minus specialiter dicuntur illa, quæ habent adjunctam, vel meram depravatio- A nem naturæ, vel ignorantiam, sicut sunt illa, propter quæ dicitur peccator in reprobum sensum tradi. *Rom. 1.* Generaliter autem peccata, quæ sunt inter primam apostasiam, & ultimam gehennæ pœnam, & peccata possunt dici, & pœnæ peccati juxta quod dicit Gregorius: Crimina criminibus vindicari. *Greg. l. 25. Mor. c. 9.* Licet autem idem dicatur peccatum, & pœna peccati, tenendum tamen est, quod omnis pœna inquantum pœna justa est, & a Deo: nulla vero culpa justa est, nec a Deo, sed tantum a liberæ voluntatis arbitrio. Pœna vero, quæ mere est pœna, a Deo est inflicta: quæ vero est culpa, vel inclinans ad culpam, est B contracta, vel acta.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum malum dicat recessum a primo principio, per hoc quod nocet bono: non autem nocet bono, nisi aliquid adimendo de bono, bonum autem consistit in modo, specie, & ordine: nullum est malum, quod non sit modi, speciei, & ordinis corruptivum: Ordo autem duplex est, scilicet ordo naturæ, & ordo justitiæ. Ordo autem naturæ est in bono naturali, ordo justitiæ in bono morali. *August. e. nat. boni c. 4. tom. 6.* Et quia bonum naturale in omni natura, bonum morale in voluntate habet consistere: ideo ordo naturæ est in omni natura, ordo autem C justitiæ in voluntate electiva habet consistere. Et quia voluntas est instrumentum seipsum movens, natura vero non: hinc est, quod ordo justitiæ est ordo non tantum factus, sed etiam factivus, ordo autem naturæ, est ordo factus. Quoniam ergo malum potest privare ordinem justitiæ, & ordinem naturæ; hinc est, quod duplex est malum, scilicet culpæ & pœnæ. *Malum duplex.* Rursus quia ordo ustitiæ, est ordo voluntarius; hinc est, quod malum culpæ est affectio voluntaria, malum autem pœnæ est affectio involuntaria. Postremo quia ordo justitiæ, qui inest voluntati, est ordo factivus; ideo malum culpæ, quod est ejus privatio, est malum, quod facimus, & malum pœnæ, est malum, quod patimur.

mur. Et quia non est passio, nisi naturaliter præcedat actio, nec est actio, ad quam non sequatur aliqua passio; hinc est, quod nulla est pœna sine præcedente merito culpæ, nulla est & culpa, quin comitetur aliqua pœna. Et quoniam quod facimus, a nobis est: quod nos vero patimur, potest esse a nobis, & ab aliis, utpote a causa superiori, vel inferiori: ideo licet omnis culpa sit a nobis, non tamen omnis pœna est a nobis, immo quædam est a nobis acta, quædam inflicta, quædam contracta. Et quia eum, qui facit, quod non debet, justum est pati, quod debet; ideo omnis pœna inquantum pœna, iusta est, & a divina providentia: quia est ad culpam ordinata, & ipsius culpæ ordinativa. Quia vero passio illa potest esse per ademptionem boni naturalis, vel boni moralis cum naturali; hinc est quod quædam pœna est mere pœna, quædam vero est pœna, & culpa: quia bonum morale, quod est iustitia, non adimitur, nisi per iniustitiam, quæ est culpa. Prima igitur pœna est a Deo, & secundum quod pœna, & secundum id, quod est: a Deo, inquam, non instituente, sed vindicante. Secunda vero cum sit culpa, secundum id, quod culpa est, a Deo non est, nisi solum quantum ad ordinem, ipsa vero, vel est acta, si sequatur ad actuale, vel est contracta, si sequatur ad originale. Si igitur proprie accipiatur malum secundum quod est privatio boni naturalis, & affectio involuntaria, & malum quod patimur, sic non coincidit cum malo culpæ in idem, licet sit annexum eidem. Si vero accipiatur large, ut dicatur malum, quod patimur, sive a nobis, sive aliunde, sive in natura, sive in voluntate: sic coincidunt in idem, sed non ad idem, vel secundum idem: quia quod est in se culpa, dicitur respectu præcedentis culpæ pœna: vel culpa ratione actionis, pœna dicitur esse ratione passionis. Et sic patet quo modo, pro quanto, & quare aliquid simul dicatur esse peccatum, & pœna peccati.

Omnis culpa a nobis, non omnis pœna a nobis

A

Caput XI.

De origine peccatorum finalium, quæ sunt peccata in Spiritum sanctum.

De peccatis autem finalibus, sive irremissibilibus, cuiusmodi sunt peccata in Spiritum sanctum, hoc est tenendum, quod licet omne peccatum generaliter sit contra Deum trinum, & unum: appropriate tamen dicitur aliquod peccatum esse in Patrem, aliquod in Filium, aliquod in Spiritum sanctum. Hoc autem peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicitur in hoc sæculo, & in futuro: non quia in hoc sæculo non possit dimitti, sed quia raro dimittitur, aut vix in hoc sæculo, quantum ad culpam, modicum autem, & quasi nihil fiet remissio sibi in futuro quantum ad pœnam. Hujus autem peccati sex sunt differentiæ, scilicet invidia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ, desperatio, præsumptio, obstinatio mentis, & impœnitentia finalis.

B

Quare peccatum in Spiritum sanctum dicatur irremissibile, & quot sint ejus differentiæ.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum peccatum dicat recessum a primo principio trino, & uno, omne peccatum imaginem Trinitatis deformat, & ipsam animam fœdat, quantum ad triplicem potentiam, scilicet irascibilem, rationalem, & concupiscibilem: & a libero arbitrio procedit, quod gerit in se insigne Trinitatis, scilicet Patris, ratione facultatis: Filii, ratione rationis: Spiritus sancti, ratione voluntatis. Licet autem hæc tria concurrant simul ad omnem culpam, quælibet tamen harum per suum defectum, potest esse ratio deordinandi alias. Defectus autem circa facultatem est impotentia, circa rationem est ignorantia, circa voluntatem est malitia. Et hinc est, quod cum quædam sint peccata ex impotentia, quædam ex ignorantia, quædam ex malitia: & potentia attribuitur Patri, sapientia Filio, & voluntas Spiritui sancto: quod quædam dicuntur esse in Patrem, quædam in Filium, quædam in Spiritum

Peccatum omne deformat Trinitatis imaginem.

C

tum

tum sanctum. Et quoniam nihil magis est in voluntate, quam ipsa voluntas, & voluntas ipsa est origo peccati, nullum peccatum est adeo voluntarium, & mere, sicut est illud, quod provenit ex corruptione existente in voluntate. Cum enim dupliciter dicatur involuntarium, scilicet per violentiam, & per ignorantiam: primum per defectum potentiæ, secundum per defectum scientiæ: quando voluntas sola corruptione sua, licet possit resistere, & sciat hoc malum esse, aliquid eligit, tunc dicitur peccare ex certa malitia: & peccatum tale mere procedit ex improbitate voluntatis liberi arbitrii: & directe impugnat gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio peccati. Et quia mere procedit ex libertate arbitrii, ideo non habet colorem *excusationis*: & proptera modicum, & *quasi nihil* debet ei, qui punitur, de pœna *relaxari*. Quia vero directe impugnat gratiam Spiritus sancti, per quam fit remissio peccati, ideo dicitur irremissibile: non quia *nullo modo possit* remitti, *sed quia* quantum *est de se*, *directe* est impugnativum medicamenti, & remedii, per quod fieri habet remissio peccati: Et quoniam peccati remissio fit a *Deo per gratiam pœnitentialem intra ecclesiasticam* unitatem: *ideo differentiæ hujus* peccati accipiuntur secundum quod directe impugnant illa tria: aut enim impugnant ipsam gratiam pœnitentialem in se, aut in comparatione ad Deum, a quo datur, aut in comparatione ad Ecclesiam, in qua suscipitur. Si in comparatione ad unitatem Ecclesiæ, sic quia unitas Ecclesiæ consistit in fide, & charitate, sive in gratia & veritate: sic est duplex peccatum, scilicet invidia fraternæ gratiæ, & impugnatio veritatis agnitæ. Si in comparatione ad Deum dantem, quia universæ viæ ejus, quantum ad justificationem maxime sunt misericordia, & veritas: sic est duplex peccatum, unum quod impugnat misericordiam, & hoc est desperatio: aliud quod impugnat justitiam, & hoc est impunitatis præsumptio. Si vero impugnat ipsam gratiam pœnitentialem in se, vel secundum se, sic est duplex: quia gratia pœnitentialis facit resilire a peccatis commissis, & præcavere a committendis. Contra primum est obstinatio mentis, contra secundum est impœnitentia finalis, secundum quod finalis impœnitentia, dicitur propositum non pœnitendi: sic enim est species peccati in Spiritum sanctum. Secundum autem quod finalis impœnitentia dicit continuationem peccati usque in finem, sic est sequela omnium mortalium, quæ in hac vita non remittuntur, & maxime omnium specierum peccati in Spiritum sanctum. Et sic omne peccatum initium sumit a superbia, & consummationem, sive finem habet in finali impœnitentia: in quam qui pervenerit, corruit in gehennam, a qua quidem impœnitentia finali, nullus peccans mortaliter potest liberari, nisi interveniat gratia mediatoris Christi: & ideo incarnationem ipsius desiderabat universitas salvandorum, cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Involuntarium dupliciter dicitur.

Psalm. 24.

A B C

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doctoris Breviloquii,

QUARTA PARS.

In qua de incarnatione Verbi agitur.

CAPUT I.

De ratione, qua decuit Verbum Dei incarnari.

POSTQUAM prædicta sunt aliqua de Trinitate Dei, de creatura mundi, & corruptela peccati: restat nunc aliqua breviter dicere de incarnatione Verbi, per quod quidem Verbum incarnatum facta est salus, & reparatio generis humani: non quia aliter Deus humanum genus salvare, vel liberare

non

non potuerit, sed quia nullus alius modus ita congruus, & conveniens erat ipsi reparatori, & reparabili, & reparationi.

Prima ratio, qua probatur decentia incarnationis Verbi.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium effectivum rerum, non poterat, nec decuit esse nisi Deum, & non minus sit, res conditas reparare, quam in esse producere, sicut non minus est bene esse, quam simpliciter esse, decentissimum fuit rerum principium reparativum esse Deum summum: ut sicut omnia creaverat Deus per Verbum increatum, sic omnia repararet per Verbum incarnatum. Quoniam ergo Deus omnia fecit potenter, & sapienter, & optime sive benevolenter, decuit, ut sic repararet reparanda, quod suam potentiam, sapientiam, & benevolentiam ostenderet. Quid autem potentius, quam conjungere extrema summe distantia in unam personam? Quid sapientius & congruentius, quam quod ad perfectionem totius universi fieret conjunctio primi, & ultimi, Verbi, scilicet Dei, quod est omnium principium, & humanæ naturæ, quæ fuit ultima omnium creaturarum? Quid benevolentius, quam quod Dominus propter servi salutem, accipiat servi formam? *Philip.* 2 Immo hoc tantæ benignitatis est, ut nihil clementius, nihil amicabilius, nihil benignius cogitari possit. Convenientissimus ergo erat hic modus Deo reparatori, propter commendandam divinam potentiam, sapientiam, & benevolentiam.

Secunda ratio.

Rursus, quia homo cadens in culpam, averterat se, & recesserat a principio potentissimo, sapientissimo, & benevolentissimo: ideo corruerat in infirmitatem, ignorantiam, & malignitatem, ac per hoc de spirituali effectus carnalis, animalis & sensualis: & ideo ineptus erat ad divinam virtutem imitandum, ad lucem cognoscendam, ad bonitatem diligendam: ad hoc igitur quod homo ab isto statu repararetur, congruentissimum fuit, ut ei condescenderet primum principium, reddendo se illi noscibile, amabile, & imitabile. Et quia homo carnalis, animalis & sensualis non noverat, nec amabat, nec sequebatur, nisi sibi proportionalia, & consimilia: ideo ad eri- A piendum hominem de hoc statu, Verbum caro factum est, *Joan.* 1. ut ab homine, qui caro erat, & cognosci posset, & amari, & imitari: ac per hoc, & homo Deum cognoscens, & amans, & imitans: remediaretur a morbo peccati.

Tertia ratio.

Postremo, quia homo perfecte reparari non poterat, nisi recuperaret mentis innocentiam, Dei & amicitiam, & suam excellentiam, qua soli Deo suberat, & hoc non potuit fieri nisi per Deum in forma servi: ideo congruum fuit Verbum incarnari. Excellentiam, namque recuperare non poterat, nisi reparator esset Deus: quia si mera creatura, tunc homo esset subjectus meræ creaturæ, & sic non recuperaret statum prioris B excellentiæ. Amicitiam quoque Dei recuperare non poterat, nisi per mediatorem convenientem, qui manum posset ponere in utrumque, & utrique parti conformis esset, & utrique amicus: & ideo sicut similis Deo per divinitatem, sic similis homini per humanitatem. Innocentiam vero mentis recuperare non poterat, nisi dimissa culpa, quam dimittere non decebat divinam justitiam, nisi per satisfactionem condignam, & quia satisfacere non poterat, nisi Deus pro toto humano genere, nec debeat nisi homo, qui peccaverat: ideo congruentissimum fuit, humanum genus reparari per Deum hominem, natum de genere Adæ. Quoniam C ergo excellentia recuperari non poterat, nisi per reparatorem excellentissimum: nec amicitia reformari poterat, nisi per mediatorem amicabilissimum: nec innocentia reacquiri poterat nisi per satisfactorem sufficientissimum: excellentissimus autem reparator non est, nisi sit Deus: amicabilissimus mediator non est, nisi sit homo: sufficientissimus satisfactor non est, nisi sit Deus pariter, & homo: congruentissima fuit nostræ reparationi incarnatio Verbi, ut sicut genus humanum in esse exierat per Verbum increatum, & in culpam ceciderat per Verbum inspiratum, sic a culpa resurgeret per Verbum incarnatum.

CA-

Caput II.

De incarnatione Verbi, quantum ad unionem naturarum.

Circa ipsum igitur Verbum incarnatum tria nobis consideranda occurrunt, scilicet unio naturarum, plenitudo charismatum, & perpessio passionum, propter redimendum genus humanum. Circa naturarum unionem hæc tria consideranda sunt ad intelligendum incarnationis mysterium, scilicet opus, modus, & tempus. De opere autem incarnationis, hæc tenenda sunt secundum fidem Christianam, scilicet quod incarnatio est opus Trinitatis, per quam fit assumptio carnis a divinitate, & unio divinitatis cum carne: *ita quod* assumptio, non tantum *est carnis sensibilis*, sed etiam spiritus rationalis secundam potentiam vegetandi, sentiendi, & intelligendi: ita etiam quod unio non fit in unitate *naturæ*, sed *personæ*: non humanæ, sed *divinæ: non* assumptæ, sed *assumentis: non personæ* cujuslibet, sed personæ solius Verbi, in qua tanta fit unio, ut quidquid dicitur de filio Dei, dicatur de filio *hominis, & econverso*, *his tamen exceptis, in quibus exprimitur unio*, vel clauditur *negatio*.

Opus incarnationis.

Ratio autem ad intelligentiam *prædictorum* hæc est; quia incarnationis opus non solum est a primo principio inquantum est effectivum in producendo, verumetiam inquantum reparativum remediando, satisfaciendo, & reconciliando. Quoniam ergo *incarnatio* inquantum dicit aliquem effectum, est a primo principio, quod omnia facit, ratione summæ virtutis: & substantia, virtus, & operatio unita est, & indivisa omnimode in tribus personis; hinc est, quod necesse est incarnationis operationem a tota Trinitate emanare. Quia vero est a primo principio inquantum est reparativum rememando, & totum genus humanum lapsum fuerat, & vitiatum, non solum ratione animæ, verum-

Incarnationis opus a tota Trinitate emanavit.

A etiam & carnis; hinc est, quod necesse fuit, quod totum assumeretur, ut totum curaretur. Et quoniam nobis, magis nota est pars carnis, & magis a Deo distat, ut expressior fiat nominatio, & major exprimatur humiliatio, & profundior explicetur dignatio; hinc est, quod opus istud non inanimatio, sed incarnatio nominatur.

Rursus quia cum sit a primo principio inquantum est reparativum satisfaciendo, & satisfactio non fit, nisi ab eo qui debet, & potest, & non debet nisi homo, nec potest nisi Deus: oportuit, quod in satisfactione simul esset concursus utriusqua naturæ, divinæ, scilicet & humanæ. Et quia impossibile est quod divina natura concurrat cum alia, sicut pars ad constitutionem tertii, nec quod ipsa transeat in aliam naturam, nec alia natura transeat in ipsam, propter simplicitatem, & immutabilitatem ipsius perfectissimam: hinc est, quod deitas, & humanitas non uniuntur, in unitate naturæ, nec accidentis: uniuntur igitur *in unitate personæ*, & hypostasis. Et quoniam divina natura in nullo supposito potest subsistere, præter quam in propria hypostasi: ideo unio illa non potest esse in hypostasi, seu persona hominis, sed Dei, ac per hoc per illam unionem, primum principium in una suarum hypostasum fecit seipsum suppositum humanæ naturæ: & ita una tantum est ibi personalitas, & unitas personalis, ex parte, scilicet assumentis.

Nec debuit nisi homo, nec potuit, nisi Deus nos redimere.

B

C

Postremo, quia est a primo principio, ut est reparativum reconciliando, & reconcilians est mediator, mediatio autem proprie convenit Dei filio, ideo & incarnatio. Mediatoris namque est, esse medium inter hominem, & Deum, ad reducendum hominem ad divinam cognitionem, ad divinam conformitatem, & ad divinam filiationem. Nullum autem decet magis esse medium quam personam, quæ producit, & producitur, quæ est media trium personarum. Nullumque magis decet reducere hominem ad divinam cognitionem, quam Verbum, quo

Convenientius fuisse filium incarnari.

quo se pater declarat, quod est unibile carni, sicut & verbum voci. Nullumque magis decet reducere ad divinam conformitatem, quam eum, qui est imago patris. Nullumque magis decet ad filiationem adoptivam reducere, quam filium naturalem: ac per hoc nullum magis decet fieri filium hominis, quam ipsum filium Dei.

Regula de communicatione idiomatum in Christo.

Quoniam igitur idem omnino est filius hominis, & Dei ratione incarnationis & quæcunque uni, & eidem sunt eadem, inter se sunt eadem: hinc est quod necessario fit communicatio idiomatum, nisi sit vocabulum, in quo aliqua repugnantia includatur: sicut sunt ista, in quibus includitur respectus unionis B unius naturæ ad alteram, sicut unire, incarnari, assumere, & assumi: vel negatio alicujus, cujus oppositum alteri competit: sicut incipere, esse, creare, & consimilia, in quibus instantia fertur contra regulam præhabitam, propter causam prædictam.

Caput III.

De incarnatione, quantum ad modum.

Luc. 1

DE modo incarnationis hoc tenendum est, quod Angelo nuntiante Virgini mysterium incarnationis perficiendum in ipsa, Virgo credidit, appetiit, & consensit: Spiritus sanctus in eam supervenit ad sanctificandum, & fœcundandum, cujus virtute Virgo concepit Dei filium, quem Virgo peperit, & post partum Virgo permansit. Concepit autem non solum carnem, verumetiam carnem animatam, & Verbo unitam, nulli peccato obnoxiam, sed omnino sanctam, & immaculatam, ratione cujus mater Dei dicitur, & est dulcissima Virgo Maria.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia incarnatio est opus manans a primo principio, inquantum est reparativum modo congruentissimo, modo communissimo, & modo completissimo. Decet enim ejus sapientiam operari congrue: decet ejus largitatem ope-

Modus incarnationis, quam conveniens.

A rari communiter; & virtutem operari perfecte. Quoniam ergo incarnatio est a primo principio reparante modo congruentissimo: & congruus modus est, quod medicina ex opposito respondeat morbo, & reparatio lapsui, & remedium nocumento. Cum ergo genus humanum lapsum fuerit per diabolicam suggestionem, & per consensum mulieris deceptæ, & generationem concupiscentialem, transfundentem originale in prolem; oportuit, quod e contrario hic esset Angelus bonus, suadens bonum: & Virgo credens, & consentiens in bonum suasum: & charitas Spiritus sancti, sanctificans, & fœcundans ad conceptum immaculatum: ut sic contraria contrariis curarentur. Ac per hoc sicut mulier per diabolum decepta, & per virum concupiscibiliter cognita, & corrupta, transfudit in omnes culpam, morbum, & mortem: sic mulier per Angelum erudita, & per Spiritum sanctum sanctificata, & fœcundata, absque omni corruptione, tam mentis quam corporis, prolem generaret, quæ omnibus ad ipsam venientibus, daret gratiam, sanitatem, & vitam.

Gen. 3

Rursus quia incarnatio est a primo principio reparante modo communissimo. Nam per Verbum incarnatum reparatur lapsus hominum, & angelorum, utpote cælestium, & C terrestrium: & hominum lapsus reparatur secundum utrumque sexum: ut medicamentum sit commune omnibus; decentissimum fuit, quod ad incarnationis mysterium fieret, concursus Angeli, mulieris, & viri Angeli, ut denuntiantis: mulieris Virginis, ut concipientis: viri vero, ut conceptæ prolis. Ut sic Angelus Gabriel esset nuntius Patris æterni: Virgo immaculata esset templum Spiritus sancti: proles concepta esset ipsa persona Verbi. Ac per hoc in communi reparatione omnium, communis fieret concursus trium de triplici hierarchia, scilicet divina, angelica, & humana, ad insinuandum non solum Trinitatem Dei, verum etiam generalitatem beneficii, & liberalitatem reparatoris sum-

B. Virgo quomodo dicatur concepisse de Spiritu sancto.

summi. Et quoniam liberalitas Spiritui sancto appropriatur, & sanctificatio Virginis, in qua peracta fuit Verbi conceptio: hinc est quod licet opus illud sit a tota Trinitate, per appropriationem tamen dicitur Virgo concepisse de Spiritu sancto.

A

Postremo, quoniam est a primo principio reparante modo completissimo; hinc est, quod in conceptione completio debita fuit in prole, fuit in conceptu, fuit & in virtute concipiente. Et quia completio debita debuit esse in prole: hinc est, quod in instanti conceptionis, non tantum fuit seminis decisio, verumetiam consolidatio, configuratio, vivificatio per animam, & deificatio per deitatem unitam: & sic Virgo Dei filium vere conciperet per unionem carnis ad deitatem, mediante Spiritu rationali, per quem tanquam per medium congruentiæ, caro erat idonea ad unionem. Quia vero completio debita debuit esse in conceptu, cum ex quatuor modis, tres modi producendi hominem præcessissent. Primus nec de viro, nec de muliere, sicut in Adam: secundus de viro sine muliere, sicut in Eva: tertius de muliere, & viro, sicut in omnibus concupiscibiliter natis: decuit ad complementum universi, quartum modum introduci, qui scilicet esset de muliere, sine semine virili, per virtutem summi operatoris. Quia vero complectio debita debuit esse in virtute: hinc est, quod in conceptione filii Dei, simul concurrit virtus innata, virtus infusa, & virtus increata. Virtus innata materiam præparavit, virtus infusa purificando segregavit, virtus increata subito perfecit, quod non poterat a virtute creata, nisi successive fieri. Et sic beatissima Virgo Maria mater fuit completissimo modo, ipsum Dei filium concipiendo absque viro, fœcundante Spiritu sancto. Et quia in mente Virginis amor Spiritus sancti singulariter ardebat: ideo in carne ejus virtus Spiritus sancti miracula faciebat, gratia scilicet partim excitante, & partim adiuvante, & partim elevante naturam, juxta quod conceptus ille mirabilis exigebat.

In primo instanti conceptionis Christi multa simul concurrunt.

B

C

Caput IV.

De incarnatione quantum ad plenitudinem temporum.

De tempore vero incarnationis hoc tenendum est: quod licet Deus in principio potuerit incarnari, noluit tamen nisi in fine sæculorum, præcedente lege naturæ, & lege figuræ, post Patriarchas & Prophetas, quibus, & per quos fuit incarnatio repromissa. Post quos incarnari dignatus est, tanquam in fine temporum, & plenitudine, juxta quod dicit Apostolus: At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. *Gal. 4.*

Ratio autem ad intelligentiam horum hæc est: quia incarnatio est opus primi principii reparantis, juxta quod decet, & convenit secundum libertatem arbitrii, secundum sublimitatem remedii, & secundum integritatem universi: nam sapientissimus artifex, in agendo omnia hæc attendit. Quoniam ergo libertas arbitrii hoc requirit, ut ad nihil trahatur invita, sic debuit Deus genus humanum reparare, ut salutem inveniret, qui vellet quærere Salvatorem: qui vero nollet quærere Salvatorem, nec salutem per consequens inveniret. Nullus autem quærit medicum, nisi recognoscat morbum: nullus quærit doctorem, nisi recognoscat se ignorantem: nullus quærit adiutorem, nisi recognoscat se impotentem. Quia igitur homo in principio sui lapsus, adhuc superbiebat de scientia, & virtute: ideo præmisit Deus tempus legis naturæ, in quo convinceretur de ignorantia. Et post, cognita ingnorantia, sed permanente superbia de virtute, qua dicebant, non deest, qui faciat, sed deest qui jubeat, addidit legem præceptis moralibus erudientem, & cæremonialibus aggravantem: ut habita scientia, & cognita impotentia, confugeret homo ad divinam misericordiam, & gratiam postulandam, quæ data est nobis in adventu Chri-

Ratio prima de tempore incarnationis Domini.

Christi: ideo post legem naturæ, & scripturæ, subsequi debuit, incarnatio Verbi.

Ratio secunda.

Rursus quoniam sublimitas, remedii requirit, ut credatur fide firmissima, & ametur charitate ardentissima, tamquam mysterium secretissimum, & saluberrimum: ideo congruentissimum fuit, ut ante Christi adventum præirent multa testimonia Prophetarum, tam explicita in verbis, quam implicita in figuris, ut multis & firmis testimoniis, quod erat secretum, fieret certum, & indubitabile ad credendum. Præirent etiam multiplicia promissa, & ardentissima desideria: ut promissum beneficium expectaretur, expectatum differretur, dilatum amplius desideraretur, & diu desideratum ferventius amaretur, & amatum gratiosius susciperetur, & susceptum solicitius servaretur.

Ratio tertia.

Postremo, quoniam integritas, & perfectio universi requirit, ut universa sint ordinata quantum ad loca, & quantum ad tempora, & hoc opus, scilicet incarnationis erat perfectissimum inter omnia opera divina, & processus debet esse ab imperfecto ad perfectum & non econverso: hinc est, quod opus illud debuit fieri in fine temporum, ut sicut primus homo qui erat totius mundi sensibilis ornamentum, ultimo fuerat conditus, scilicet sexto die ad totius completionem: sic secundus homo totius mundi reparati complementum, in quo primum principium conjungitur cum ultimo, scilicet Deus cum limo, fieret in fine temporum, hoc est in sexta ætate, quæ est ætas apta ad exercitium sapientiæ, & ad enervationem concupiscentiæ, & ad transitum a statu turbinis ad quietem: quæ omnia competunt sextæ ætati decursus mundi propter incarnationem filii Dei.

Gen. 1.

Quare in adventu Christi dicitur esse plenitudo temporis.

Quoniam ergo adventus Christi fuit in tempore legis & gratiæ, & in exhibitione misericordiæ repromissæ, & in principio ætatis sextæ, & hæc omnia dicunt plenitudinem: quia lex gratiæ implet legem scripturæ, & solutio promissi implet promissionem, & sexta ætas ratione

A perfectionis senarii sonat in plenitudinem: hinc est, quod in adventu filii Dei dicitur esse plenitudo temporum, non propter hoc, quod in ejus adventu tempus finiatur: sed quia temporalia mysteria impleantur. Sicut autem Christus non debuit venire in principio temporis, quia adventus ejus nimis fuisset festinus, sic nec debuit differre usque in finem ultimum, quia tunc nimium esset tardus. Decebat enim Salvatorem, inter tempus morbi, & tempus judicii, introducere tempus remedii. Decebat mediatorem quædam suorum membrorum præcedere, quædam sequi. Decebat ductorem perfectum tunc se ostendere, cum B esset opportunitas currendi ad bravium: & hoc est in fine temporum, & circa terminum, & in approximatione ad finale judicium: ut per timorem judicii stimulati, & per spem præmii attracti, & per perfectionem exempli animati, vigorose & perfecte sequamur ducem de virtute in virtutem, usque quo perveniamus ad bravium felicitatis æternæ.

Christi adventus quam fuerit opportunus.

Psal. 83 Phil. 3.

CAPUT V.

De plenitudine gratiæ Christi, quantum ad charismata in affectu.

Postquam innotuit nobis Verbum incarnatum quantum ad unionem C naturarum, considerandum est, quantum ad plenitudinem charismatum spiritualium. Circa quæ primo consideranda est plenitudo gratiæ in affectu: deinde plenitudo sapientiæ in intellectu: & postremo plenitudo meriti in opere, & effectu. De plenitudine igitur gratiæ in affectu in Christo hoc tenendum est, quod in Christo a sui conceptione fuit plenitudo omnis gratiæ quantum ad gratiam singularis personæ, quantum ad gratiam capitis, & quantum ad gratiam unionis. Ita quod gratiam singularis personæ, habuit omnis culpæ immunitatem, & quantum ad actum, & quantum ad posse: quia nec peccavit, nec peccatum potuit habere. Per gratiam unionis dignus est non tantum felicitate gloriæ, verum

In Christo a sui conceptione fuit omnis plenitudo gratiæ.

verum etiam adoratione latriæ, quæ A est cultus reverentiæ soli Deo debitæ. Per gratiam vero capitis influit motum, & sensum in universos, qui ad eum accedunt, vel per fidem rectam, vel per fidei sacramenta, sive adventum eius præcesserint, sive fuerint subsecuti. Nam turbæ, quæ præibant, & quæ sequebantur, clamabant: Osanna filio David. *Matt. 21.*

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia reparatio, est operatio primi principii, ita quod ab ipso manat secundum liberalitatem, & ad ipsum reducit secundum conformitatem: ideo oportet, quod fiat per gratiam, & deiformitatem. Gratia enim & manat B a Deo liberaliter, & reddit hominem deiformem. Quoniam ergo reparativum principium per gratiam reparat, & omnis res plenius, & perfectius est in suo fonte & origine, quam alibi: necesse est, quod in principio nostro reparativo, scilicet Christo Domino, fuerit omnis gratiæ plenitudo. Et quoniam reparativum principium in reparando non tantum tenet rationem principii, verumetiam medii, & extremi: extremi quidem, in satisfaciendo: medii, in *reconciliando: & principii, in superfluendo, ideo necesse est,* quod in Christo fuerit plenitudo gratiæ, ratione extremi satisfacientis, medii reconciliantis, & C principii superinfluentis. Quoniam igitur extremum ad satisfaciendum idoneum, necesse est esse Deo placens: ac per hoc ab omni peccato perfecte immune, & hoc non potest esse nisi per donum divinæ gratiæ in aliquo homine, necesse fuit ponere in Christo gratiam ipsam sanctificantem, & confirmantem, quam vocamus gratiam singularis personæ. *De triplici gratia in Christo.* Rursus quoniam medium ad reconciliandum conveniens non est, nisi habeat in se utramque naturam superiorem, & inferiorem, scilicet adorabilem, & adorantem, & hoc nullo modo fieri potest, nisi per summe dignativam, & gratuitam unionem: ideo necesse est in Christo ponere gratiam super omnem gratiam, *Gratia unionis est summa. Rom. 9.* & omnimoda reverentia venerandam, quam vocamus gratiam unionis, ratione cujus Christus homo, est super omnia benedictus Deus, & ideo cultu latriæ venerandus.

Postremo, quia principium ad influendum efficax non est, nisi habeat in se plenitudinem fontalem, & originalem, quæ non tantum est plenitudo sufficientiæ, sed etiam superabundantiæ: ideo necesse est Verbum incarnatum esse plenum gratiæ, & veritatis, ita quod de plenitudine eius accipere valeant universi iusti, sicut universa membra a capite recipiunt influentiam motus & sensus. *Joan. 1* Et propter hoc vocatur hæc gratia, gratia capitis, pro eo quod sicut caput habet in se sensuum plenitudinem, & ceteris membris est conforme, ceterisque præsidet, ac ceteris beneficium præstat influentiæ, quæ ipsi capiti connectuntur: sic Christus habens in se gratiam superabundantem, & nobis consimilis in natura, præ ceteris sanctus, & iustus, ceteris, qui ad ipsum accedunt, præstat beneficium gratiæ, & spiritus, per quæ fit sensus, & motus in spiritualibus.

Et quoniam ad ipsum accedere est per fidem, vel per fidei sacramentum, & fides Christi eadem est in præteritis, præsentibus, & futuris: *In Christo cur sit ratio influendi respectu omnium.* ideo ratio influendi in Christo ponitur respectu omnium tam præteritorum, quam præsentium, quam etiam futurorum in Christum credentium, & in Christo renatorum: qui per fidem copulantur Christo, & per gratiam influentem fiunt membra Christi, & templa Spiritus sancti: *1. Cor. 6.* ac per hoc filii Dei patris, connexi ad invicem per indissolubile vinculum charitatis. Quod sicut distantia locorum non dividitur, sic nec diuturnitate temporum separatur: ac per hoc omnes iusti, ubicunque sint, & quandocunque fuerint, unum efficiunt corpus Christi mysticum, sensum & motum suscipiendo ab uno capite influente, secundum fontalem, radicalem, & originalem plenitudinem omnis gratiæ in Christo habitantis sicut in fonte.

Caput VI.

De plenitudine sapientiæ Christi in intellectu.

Plenitudo sapientiæ triplex in Christo.

De plenitudine vero sapientiæ Christi in intellectu, hoc tenendum est, quod in Verbo incarnato Christo scilicet Domino nostro, fuit omnis sapientiæ plenitudo, non solum quantum ad cognita, verum etiam quoad cognoscendi modos, & differentias. In Christo namque fuit cognitio sempiternalis ex parte deitatis: cognitio sensibilis ex parte sensualitatis & carnis: cognitio scientialis ex parte mentis & spiritus. Et hæc fuit triplex, quædam scilicet per naturam, quædam per gratiam, & quædam per gloriam. Unde sapientiam habuit, & ut Deus, & ut homo, & ut comprehensor, & ut viator, & ut illuminatus per gratiam, & ut recte formatus per naturam: & ita in universo fuerunt in Christo quinque modi cognoscendi.

Quinque modi cognoscendi in Christo.

Primus est secundum divinam naturam, & hoc modo cognovit omnia actualia, & potentialia, finita, & infinita, cognitione actuali, & comprehensiva. Secundus est per gloriam, & hoc modo cognovit omnia actualia, & finita, cognitione actuali, & comprehensiva, infinita vero, cognitione habituali, vel excessiva. Tertius per gratiam, & hoc modo cognovit omnia spectantia ad humani generis redemptionem. Quartus est secundum naturam integram, cujusmodi fuit in Adam, & hoc modo cognovit omnia, quæ spectant ad universi constitutionem. Quintus est secundum sensibilem experientiam, & hoc modo cognovit omnia, quæ veniunt ad organa sensuum, secundum quem modum dicitur, quod didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.

Hebr. 5

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia sicut reparativi principii est, nos reparare per liberalissimam gratiam; sic etiam per providentissimam sapientiam. Quod enim secundum ordinem sapientiæ conditum fuerat, non potest absque

A luce, & ordine sapientiæ reparari; & ideo sicut Christus debuit esse immunis ab omni culpa, sic elongatus debuit esse ab omni ignorantia, ac per hoc totaliter repletus supernæ sapientiæ luce, & circumfulgentia. Qua propter cognitionem perfectam habuit secundum utramque naturam, & potentiam cognoscitivam, & secundum omnium rerum existentiam. Quia ergo res habent esse in æterna arte, & in humana mente, & in proprio genere: necesse fuit Christum habere hanc triformem rerum cognitionem. Quia vero res dupliciter potest cognosci in arte, scilicet vel ab ipso artifice, vel ab alio contemplante artem: similiter habet dupliciter cognosci in

Res habent triplex esse.

B mente, etiam præter acquisitionem, quæ Christo non competit propter imperfectionem, scilicet vel secundum habitum innatum, vel secundum habitum infusum; hinc est quod necessarium fuit ad perfectam sapientiæ plenitudinem, quinque modos prædictos reperiri in Christo Deo, & homine, ut in arte æterna cognosceret res, & per naturam deitatis, & per gloriam comprehensionis: in mente autem sua per habitum naturalem, & innatum, sicut cognoverunt Adam, & Eva, & Angeli: & per habitum gratuitum, & infusum, sicut sancti Dei per Spiritum sanctum illuminati: in proprio vero

C genere cognosceret via sensus, & memoriæ, & experientiæ, quæ in nobis facit rem incognitam cognosci, in Christo vero rem cognitam secundum unum modum, cognosci fecit secundum alium modum. Quoniam autem divina substantia, virtus, & operatio est immensa, hinc est, quod secundum primum modum: qui est per naturam deitatis, infinita actualiter comprehendit, quodam enim ineffabili modo summe infinito, omnis infinitas est finita: Quia vero creaturæ quantumcumque sublimatæ finita est substantia, virtus & operatio, ita tamen quod mens humana non quiescit, nisi in bono infinito, nec tamen illud proprie comprehendit, quia infinitum non comprehenditur a finito, accepta

com-

comprehensione proprie: hinc est, A quod quantum ad secundum modum cognoscendi, anima Christi per gloriam comprehensionis, capit quantumcumque potest capere natura finita per bonum infinitum beatificata, cui est summe unita: ac per hoc ad finita se extendit actualiter comprehendendo, ad infinita vero habitualiter, vel etiam excedendo. Non enim potest anima Christi æquari Verbo, nec in scientia, nec in aliquo alio. Rursus, quia gratia maxime respicit opus reparationis: hinc est, quod secundum tertium modum cognoscendi per gratiam perfectissimam, cognovit Christus omnia, quæ spectant ad reparationem nostram longe excellentius & B melius, quam aliquis prophetarum, vel etiam angelorum. Amplius, quia natura hominis bene instituta, nata erat omnibus creaturis præesse, & ipsas nosse tamquam eas, quæ debeant sibi servire, sicut patuit in primi hominis conditione: hinc est, quod quantum ad quartum modum cognoscendi, cognovit Christus omnia, quæ spectant ad mundanam machinam construendam, longe excellentius quam Adam. Postremo quia sensus non est perceptivus rerum, nisi *ad objecti præsentiam*: *hinc est*, quod secundum cognitionem sensitivam non simul cognoscebat omnia, sed modo hæc, modo *illa*, juxta quod opportunum erat ad reparationem humani generis faciendam.

Caput VII.

De plenitudine meriti Christi in effectu.

De plenitudine autem meriti Christi hoc tenenendum est, quod in Christo Domino fuit omnis meriti perfectio & plenitudo. Primo quantum ad eum, qui merebatur, quia non tantum fuit homo, verumetiam Deus. Secundo quantum ad tempus, in quo merebatur, quia ab instanti conceptionis suæ usque ad horam mortis suæ. Tertio quantum ad id, quod merebatur, quia per perfectissimum habitum charitatis, & perfectissimum exercitium virtutis in orando, in agendo, & in patiendo. Quarto quantum ad eum, cui merebatur, quia non tantum sibi, verumetiam nobis, immo omnibus justis. Quinto quantum ad illud, quod merebatur nobis, quia non tantum gloriam, verumetiam gratiam, & veniam: & non tantum gloriam spiritus sed etiam stolam carnis: & apertionem ianuæ cœlestis. Sexto quantum ad id, quod merebatur sibi, quia licet non mereretur sibi glorificationem mentis, quam iam habebat: merebatur tamen glorificationem corporis, & accelerationem resurrectionis, & clarificationem sui nominis, & dignitatem iudiciariæ potestatis. Septimo quantum ad modum, quo merebatur. Cum enim tripliciter dicatur aliquis mereri, vel de indebito faciendo debitum: vel de debito faciendo magis debitum: vel de debito uno modo, faciendo debitum alio modo: omnibus his modis meruit nobis, tertio tantum modo meruit sibi, faciente hoc plenitudine gratiæ Spiritus sancti, per quam Christus simul erat beatus, & in statu merendi: ita quod super ejus meritum, omnia merita nostra habent fundari.

Septem modi merendi in Christo.

Tripliciter dicitur aliquis mereri.

Ratio autem ad intelligentiam horum hæc est: quia cum in principio reparativo, Christo scilicet Do- C mino nostro necessaria fuerit plenitudo gratiæ & sapientiæ, quæ sunt nobis origo recte, & sancte vivendi: necesse est, quod in Christo fuerit plenitudo, & perfectio omnis meriti, secundum omnem modum plenitudinis. Quia enim in Christo fuit plenitudo gratiæ unionis, per quam erat Deus ab instanti conceptionis, habens gloriam comprehensionis, & motum liberi arbitrii: hinc est, quod necessario fuit in Christo perfectio meriti, & quantum ad excellentissimam dignitatem merentis, & quantum ad celerrimam opportunitatem temporis. Rursus quia fuit in eo plenitudo gratiæ singularis personæ, per quam habuit firmam charitatem, & omnes virtutes perfectas, quantum ad habitus,

Plenitudo meriti in Christo probatur ratione triplicis gratiæ.

bitus, & exercitia: necesse fuit, quod in eo esset plenitudo meriti, quantum ad id, per quod contingit mereri, cujusmodi est radix charitatis, & actus multiplicis virtutis. Amplius, quia fuit in eo plenitudo gratiæ capitis, per quam plenissimam habuit influentiam in membra sua, hinc est, quod plenitudinem habuit meriti, non tantum respectu sui, sed etiam respectu nostri, quibus sicut omnia spiritualia, quæ habemus, influit ratione deitatis, sic meruit ratione assumptæ humanitatis, sive sint bona status præsentis, sive æternæ felicitatis.

Postremo, quia tantorum charismatum plenitudo, necessario ponebat in Christo summam, & perfectam felicitatem, secundum sui partem superiorem, licet dispensative propter nos esset in statu viæ: hinc est, quod perfectionem habuit meriti, quantum ad id, quod meruit sibi, quia non gloriam & beatitudinem animæ concreatam, quæ naturaliter in ipso omne meritum anteibat, sed solum illa, cum quibus status viæ stare non poterat, sicut stolam carnis cum glorificatione suæ excellentissimæ dignitatis: hinc est, quod perfectionem habuit meriti, quantum ad modum merendi. Quia enim in ipso ab instanti conceptionis fuit perfectissima plenitudo, statim omnia meruit, quæ potuit mereri respectu sui: ac per hoc de debito uno modo, facere potuit debitum alio modo: de indebito autem debitum, vel de debito magis debitum facere non potuit sibi: quia nullo modo potuit in sanctitate proficere, cum a principio esset sanctissimus: fecit tamen hoc nobis, qui merito ipsius justificamur per gratiam, & proficimus in justitia, & per æternam gloriam coronamur. Ac per hoc, in merito Christi radicata sunt omnia merita nostra, sive satisfactoria pœnæ, sive meritoria vitæ æternæ: quia nec ab offensa summi boni digni sumus absolvi, nec immensitatem æterni præmii, quæ Deus est, digni sumus lucrari, nisi per meritum hominis Dei, cui dicere possumus, & debemus:

Omnia merita nostra radicata in merito Christi.

A Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Ipse, inquam, est Dominus, cui propheta dixit: Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Isa. 26.* *Psal. 15*

Caput VIII.

De passione Christi, inquantum ad statum patientis,

Postquam circa Verbum incarnatum considerata est unio naturarum, considerata est nihilominus plenitudo charismatum: deinde considerandа est tolerantia passionum. Circa quam considerandus est status patientis, & modus patiendi, & exitus passionis. B De statu vero patientis hæc tenenda sunt, scilicet, quod Christus assumpsit non tantum humanam naturam, sed etiam defectus circa naturam. Assumpsit enim pœnalitates corporales, ut famem, sitim, & lassitudinem. Assumpsit & spirituales, ut tristitiam, gemitum & timorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum corporalium multiformium. Nec omnes, spirituales sicut sunt ignorantia, & rebelliones carnis ad spiritum. Nec qualitercunque, quia sic necessitatem patiendi suscepit, ut tamen nihil pati posset invite, nec secundum voluntatem divinitatis, nec secundum voluntatem rationis: C licet passio fuerit contra voluntatem sensualitatis & carnis, sicut exprimit oratio Salvatoris, quæ dicit: Non sicut ego volo, sed sicut tu vis. *Mat. 26*

Christus humanam naturam assumpsit, & defectus aliquos circa eam non tamen omnes.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum principium reparativum in reconciliando, necessario habeat mediatoris officium: ideo necesse est, quod habeat convenientiam cum utroque extremorum, non solum quantum ad naturam, verumetiam quantum ad ea, quæ sunt circa naturam: quoniam ergo Deus est justus, & beatus, impassibilis & immortalis: homo vero lapsus est peccator, & miser, passibilis & mortalis: necesse fuit mediatorem Dei, & hominum, ut posset hominem reducere ad Deum,

Deum, cum Deo communicare in justitia & beatitudine, cum homine vero in passibilitate, & mortalitate: ut sic habendo mortalitatem transeuntem, & beatitudinem permanentem, hominem reduceret de præsenti miseria, ad vitam beatam. Sicut econtra, angelus malus, habendo immortalitatem cum miseria & injustitia, fuit mediator faciens cadere in culpam, & miseriam per suggestionem suam. Quoniam ergo Christus mediator debuit habere innocentiam, & beatitudinem fruitionis, cum mortalitate, & passibilitate: hinc est, quod simul debuit esse viator, & comprehensor. De omni enim statu aliquid habuit in se, secundum quod dicitur, assumpsisse B de statu innocentiæ peccati immunitatem: de statu naturæ lapsæ mortalitatem: de statu vero gloriæ beatitudinem fruitionis perfectæ.

Rursus quoniam pœnalitates vitiosæ, sicut sunt illa quatuor propter peccatum mortale inflicta, scilicet ignorantia, infirmitas, malitia, & concupiscentia stare non possunt cum perfectissima innocentia: hinc est, quod has nec assumere debuit, nec assumpsit. Quia vero pœnæ, quæ sunt exercitativæ virtutis perfectæ, & testificativæ humanitatis veræ, non simulatæ: potissimæ illæ sunt, quæ respiciunt nostram naturam in communi, sicut fames & sitis in absentia alimenti, tristitia & timor in C præsentia nocumenti: hinc est, quod illas debuit assumere, & assumpsit.

Postremo, quia nullus innocens debet invitus aliquam pœnam sustinere, quia hoc esset contra ordinem divinæ iustitiæ, nullus etiam mortalis vult mori & pati, secundum appetitum naturæ, quia naturaliter refugit mortem: hinc est, quod Christus debuit habere hujusmodi pœnalitates, sic tamen, ut nihil posset pati invite secundum rationem, non solum propter beatitudinem, & deitatem omnipotentem sibi unitam, per quam poterat repellere omnia: sed etiam propter perfectissimam innocentiam, qua secundum ordinem naturalis iustitiæ, nihil permittitur pati invite: sic etiam pateretur, ut A etiam hoc esset contra naturalem inclinationem, & appetitum naturæ, qui est in sensualitate, & carne. Et hinc est, quod Christus orans secundum rationem, voluntatem carnis exprimebat, quæ passionem refugiebat, cum dicebat: Transeat a me calix iste: voluntatem rationis voluntati patris conformabat, & appetitui carnis præponebat, cum dicebat: Non mea voluntas, sed tua fiat. Et sic una voluntas non erat alteri contraria: quia secundum voluntatem divinam, quod iustum erat, voluit: secundum voluntatem rationis, iustitiæ consensit: sed secundum voluntatem carnis pœnam recusavit, sed tamen justitiam non accusavit. Et sic unaquæque voluntas, quod suum erat operabatur, & quod ad se pertinebat, sequebatur voluntas scilicet divina justitiam, voluntas rationalis, obedientiam, voluntas carnis, naturam: ac per hoc non erat in Christo colluctatio, & pugna, sed pacata ordinatio, & tranquillitas ordinata.

Mat. 26

Ibidem.

Caput IX.

De passione Christi, quantum ad modum patiendi.

De modo autem patiendi hoc tenendum est, quod Christus passus est passione generalissima, passione acerbissima, passione ignominiosissima, passione interemptoria, sed vivificativa. Passione inquam, generalissima, quantum ad naturam humanam, non solum secundum omnia membra corporis principalia, verumetiam secundum omnem animæ potentiam, licet nihil pati posset secundum divinam naturam. Passus est etiam passione acerbissima, quia non solum dolendo, ut patiens per vulnera, sed etiam condolendo, ut compatiens propter nostra delicta. Passus est etiam passione ignominiosissima, & propter patibulum crucis, quæ erat supplicium pessimorum, & propter consortium iniquorum, videlicet latronum, cum quibus fuit deputatus. Passus est etiam passione interemptoria per se-

Isa. 53

separationem animæ a corpore, salva tamen unione utriusque cum deitate. Anathema enim est, qui dicit Dei filium naturam, quam semel assumpsit, aliquando reliquisse.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia reparativum principium, sicut ordinate produxit, sic & ordinate reparare debuit genus humanum. Sic igitur reparare debet, ut salva sit libertas arbitrii, salvus sit nihilominus honor Dei, salvus sit etiam ordo regiminis universi. Quia ergo reparare debuit, salva libertate arbitrii, reparavit dando exemplum efficacissimum: exemplum autem illud efficacissimum est, quod invitat, & informat hominem ad culmem virtutum. Nihil autem magis informat hominem ad virtutem, quam exemplum tolerandi mortem, propter justitiam, & obedientiam divinam, mortem, inquam, non quamcunque, sed pœnalissimam. Nihil vero magis incitat, quam tanta benignitas, qua pro nobis altissimus Dei filius absque nostris meritis, immo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam: quæ benignitas tanto major ostenditur, quanto pro nobis graviora, & abjectiora pati voluit Deus. Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Ex quo invitamur ad ipsum amandum, & amatum imitandum.

Exemplum efficacissimum dedit Christus in passione.

Rom. 8

Rursus quia reparare debuit, salvo honore Dei, ideo reparavit offerendo obsequium satisfactivum. Est autem satisfacere, honorem Deo debitum rependere. Honor autem Deo subtractus per superbiam, & inobedientiam, respectu rei, ad quam homo astringitur, nullo modo melius restituitur, quam per humiliationem, & obedientiam ad eam rem, ad quam nullatenus tenebatur. Quoniam ergo Christus Iesus, inquantum Deus, æqualis erat Patri in forma Dei: inquantum homo innocens nullatenus erat debitor mortis, dum semetipsum exinanivit, & A factus est obediens usque ad mortem, exolvit Deo, quæ non rapuit per obsequium satisfactionis perfectæ, & obtulit sacrificium suavitatis summæ pro perfecta Dei placatione. Postremo quia reparare debuit, salvo ordine regiminis universi, ideo per remedium convenientissimum reparavit. Convenientissimum autem est, ut contraria contrariis curentur.

Satisfactio Christi.

Phil. 2

Psal. 68

Gen. 3

Quia ergo homo volens esse sapiens, ut Deus, peccavit in ligno vetito volens delectari, ita quod inclinatus est ad libidinem, erectus in præsumptione, ac per hoc totum genus humanum infectum est, & perdidit immortalitatem, & incur- B rit debitam mortem: hinc est, quod ad hoc, quod homo repararetur convenienti remedio, Deus factus homo, voluit humiliari, & in ligno pati: & contra universalem infectionem pati passione generalissima; contra libidinem passione acerbissima: contra præsumptionem passione ignominiosissima: contra mortem debitam & invitam, pati voluit mortem non invitam, sed voluntariam.

Quia ergo generalitas corruptionis in nobis infecerat non solum corpus & animam, sed etiam omnem corporis partem, & omnem animæ potentiam: hinc est, quod Christus passus est in omni corporis parte, & in omni potentia ani- C mæ, & in superiori portione rationis, quæ summe in Deo delectabatur ut ratio, & propter unionem sui ad superius: & summe patiebatur ut natura, & propter conjunctionem ad inferius, quia Christus erat viator & comprehensor simul.

Passio Christi generalis, quia generalis fuit in nobis corruptio

Rursus, quia libido vehementer infecerat in nobis animam & carnem, & quantum ad carnalia, & quantum ad spiritualia peccata: hinc est, quod Christus & acerbissima passione passus est in carne, & amarissima compassus est in anima. Et quia in carne erat maxima æqualitas complexionis, & perfecta vivacitas sensuum, in anima vero summa charitas ad Deum, & summa pietas ad proximum: hinc est, quod uterque dolor fuit intensissimus,

Am-

Superbiæ tumor dupliciter consurgit.

Amplius quia tumor superbiæ aliquando consurgit interius ex præsumptione, & aliquando exterius ex ostentatione, & aliena laude: ideo ad remediandum omnem superbiam, Christus passus est utrumque genus ignominiæ, & in se patiente, & in comitatu, quem habuit in passione. Postremo quia hæc omnia non attingebant divinam naturam impassibilem, sed solum humanam: hinc est, quod in morte Christi sic facta est divisio animæ a carne, ut tamen salva esset unitas personæ, & unio tam carnis, quam animæ cum deitate. Et quia unio animæ cum corpore facit hominem, & facit vivum: hinc est, quod Christus non fuit homo in illo triduo, licet anima, & caro essent unitæ cum Verbo. Unde, quia mors in humana natura, non potuit mortem inducere in personam, quæ semper fuit viva: ideo mortua est mors in vita, & per Christi mortem absorpta est mors in victoria, & devictus princeps mortis: ac per hoc homo a morte, & causa mortis, per meritum mortis Christi, tamquam per medium efficacissimum liberatus.

Christus non fuit homo in triduo mortis.

1. Cor. 15. & Osee 13

Caput X.

De passione Christi, quantum ad exitum passionis.

Fructus passionis Christus.

De exitu autem passionis Christi, & fructu hæc indubitanter tenenda sunt, quod anima Christi post passionem descendit ad infernum, sive ad limbum, ad liberationem non omnium, sed eorum, qui inter membra Christi decesserunt, per fidem vivam, vel per fidei sacramenta. Post hæc tertia die resurrexit a mortuis resumendo corpus, quod primo vivificaverat, sed non tale, quale prius fuerat: quia prius fuerat passibile & mortale, postea autem resurrexit impassibile & immortale, vivens perpetuo. Deinde post quadraginta dies ascendit ad cœlos, ubi super omnem creaturam exaltatus, sedet ad dexteram Dei patris. Quod dictum intelligitur non quantum ad situm, qui non A competit Deo patri, sed quantum ad excellentiam bonorum: quia scilicet residet in potioribus bonis patris. Postremo, interjectis decem diebus, misit in Apostolos promissum Spiritum sanctum, per quem congregata est Ecclesia gentium, & ordinata secundum diversas distributiones officiorum, & gratiarum. Act. 2

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia sicut Christus inquantum Verbum increatum, perfectissime omnia formavit; sic inquantum incarnatum, omnia perfectissime reformare debuit. Decet enim perfectissimum principium, opus non dimittere circa perfectum. Debuit ergo reparatorium principium redemptionis humanæ remedium B producere ad perfectum. Ad hoc autem quod esset perfectissimum, oportuit quod esset sufficientissimum, & efficacissimum. Quia sufficientissimum, ideo se extendit ad cœlestia, terrestria, & infernalia. Quia ergo per Christum sunt infernalia recuperata, terrestria remediata, cœlestia redintegrata: ita quod primum horum fecit per veniam secundum per gratiam, & tertium per gloriam; ideo post passionem anima descendit ad inferos, ad liberandum in inferno detentos: deinde resurrexit a mortuis, ad vivificandum in peccatis mortuos: ascendit ad cœlos, reducendo captivitatem, C ad redintegrandum Hierusalem cœlestem; misit Spiritum sanctum, ad ædificandum Hierusalem terrestrem. Quæ omnia necessario consequuntur, & exiguntur ad sufficientiam reparationis humanæ.

Rursus quia remedium illud fuit efficacissimum, tam in eos, qui Christi adventum præcesserunt, quam in eos, qui sequuntur qui tamen ad ipsum Christum accesserunt, & accedunt & ejus membra fuerunt, & sunt, tales autem sunt qui adhærent ei per fidem, spem, & charitatem: ideo remedium illud habere debuit efficaciam, primo in eos, qui in Christum crediderunt, credendo speraverunt, & sperando amaverunt: ac per hoc statim debuit ad inferos descendere ad ipsorum liberationem.

Gen. 3. Unde aperta janua cœli per Christi A passionem, qui satisfaciendo amoverat romphæam: mutando sententiam divinam, eripuit de inferno omnia membra sua. Debuit etiam habere efficaciam præcipuam in eos, qui Christi adventum sequuntur: ut attrahendo ad fidem, spem, & charitatem, tandem ad gloriam perduceret cœlestem.

Ut igitur ædificaret ad fidem, qua credimus Christum verum hominem, & verum Deum: qua etiam credimus eum voluisse nos redimere per mortem, & ad vitam nos reducere posse per resurrectionem, ideo voluit resurgere ad vitam immortalem, interjecto tamen spatio temporis debito, scilicet tringinta sex horarum, in quo ostenditur, quod vere mortuus fuit: nec magis accelerare debuit, ne si citius resurgeret, crederetur, quod non vere mortuus fuisset, sed se mortuum finxisset, nec amplius differre, ne si semper jaceret in morte, crederetur impotens, & quod nullos posset ad vitam revocare, ideoque resurrexit tertia die.

Christus cur tertia die resurrexerit.

Amplius ut erigeret ad spem, ad cœlestem ascendit gloriam, quam speramus. Sed quia spes non oritur, nisi ex fide immortalitatis futuræ: ideo non statim ascendit, sed spatio quadraginta dierum interjecto, in quo per multa signa, & argumenta veram ostenderet resurrectionem, per quam animus solidaretur in fide, & sublevaretur ad sperandam gloriam cœlestem.

Ascensio Christi nos erigit ad spem gloriæ cælestis.

Act. 2. Postremo, ut inflammaret ad charitatem, misit ignem Spiritus sancti in die Pentecostes. Et quia nullus hoc igne repletur, nisi qui petit, quærit, & pulsat, cum instanti, & importuno spei desiderio: ideo non statim post ascensionem misit, sed decem dierum spatio interjecto, in quo discipuli jejunantes, orantes, & gementes disposuerunt se ad Spiritus sancti susceptionem. Ac per hoc sicut debitam servavit horam in patiendo, sic in resurgendo, sic in ascendendo in cœlum, sic in mittendo Spiritum sanctum, & propter fundationem trium virtutum prædictarum, & propter multa mysteria, quæ in his temporibus implicantur.

Act. 1. Christus sicut in passione, sic in aliis mysteriis debitam horam servavit.

B Et quoniam Spiritus sanctus, qui charitas est, & per charitatem habetur, est omnium origo charismatum: ideo cum descendit Spiritus sanctus, effusa est plenitudo charismatum ad corpus Christi mysticum consummandum. Et quia di- 1. Cor. 12. versa membra debent esse in corpore perfecto, & diversorum membrorum diversa officia, & exercitia, & diversorum officiorum diversa charismata: hinc est, quod uni datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: quæ omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult, secundum suam liberalissimam providentiam, & providentissimam largitatem.

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doct. Breviloquii,

QUINTA PARS,

C In qua de gratia Spiritus sancti agitur.

Caput I.

De gratia inquantum est donum divinitus datum.

Post tractatum de incarnatione Verbi, quod est origo, & fons omnis doni gratuiti, dicenda sunt aliqua de gratia Spiritus sancti, quæ nobis quadrupliciter consideranda occurrit. Primo inquantum est donum divinitus datum. Secundo in comparatione ad liberum arbitrium. Tertio in comparatione ad habitus virtutum. Quarto in comparatione ad exercitia meritorum. De gratia igitur, inquantum est donum divinitus datum, hæc tenenda sunt, scilicet quod ipsa

Gratiæ Spiritus sancti quadruplex consideratio.

ipsa est donum, quod a Deo immediata donatur, & infunditur. Etenim cum ipsa, & in ipsa datur Spiritus sanctus, qui est donum increatum, optimum, & perfectum, quod descendit a Patre luminum per Verbum incarnatum, secundum quod Joannes in Apocalypsi vidit fluvium splendidum ad modo crystalli procedere de sede Dei, & agni. Ipsa nihilominus est donum, per quod anima efficitur sponsa Christi, filia Patris æterni, & templum Spiritus sancti: quod nullo modo fit nisi ex dignativa condescensione, & condescensiva dignatione majestatis æternæ per donum gratiæ suæ. Ipsa denique est donum, quod animam purgat, illuminat, & perficit: vivificat, reformat, & stabilit: elevat, assimilat, & Deo jungit, ac per hoc acceptabilem facit: propter quod donum, hujusmodi gratia gratum faciens recte dicitur, & debuit appellari.

Jac. 1.

Apoc. 22.

Gratia gratum faciens.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium productivum pro sua summa benevolentia fecit spiritum rationalem capacem beatitudinis æternæ: & reparativum principium capacitatem illam infirmatam per peccatum reparavit ad salutem: & beatitudo æterna consistit in habendo summum bonum, & hoc est Deus, & bonum excellens improportionabiliter omnem humani obsequii dignitatem, nullus omnino ad illud summum bonum dignus est pervenire, cum sit omnino supra omnes limites naturæ, nisi a Deo condescendente sibi elevetur ipse supra se. Deus autem non condescendit, per sui essentiam incommutabilem, sed per suam influentiam ab ipso manantem: nec spiritus elevatur supra se per situm localem, sed per habitum deiformem. Necesse est igitur spiritui rationali, ut dignus fiat æternæ beatitudinis, quod particeps fiat influentiæ deiformis. Hæc autem influentia deiformis, quia est a Deo, & secundum Deum, & propter Deum, ideo reddit imaginem nostræ mentis conformem beatissimæ Trinitati, non tantum secundum ordinem originis, verum etiam secundum rectitudinem electionis, & secundum quietudinem fruitionis. Et quoniam qui hoc habet, immediate ad Deum reducitur, sicut immediate ei conformatur: ideo donum illud immediate donatur a Deo, tanquam a principio influxivo, ut sicut immediate emanat a Deo Dei imago, sic immediate manat ab ipso Dei similitudo, quæ est divinæ imaginis perfectio deiformis: & ideo dicitur imago recreationis.

Quo modo Deus condescendit, & nos per gratiam elevamur.

Rursus quoniam, qui fruitur Deo, Deum habet: ideo cum gratia, quæ sua deiformitate disponit ad Dei fruitionem, datur donum increatum, quod est Spiritus sanctus, quod qui habet, habet Deum. Et quoniam nullus Deum habet, quin ab ipso specialiter habeatur: nullus habet & habetur a Deo, quin ipsum præcipue, & incomparabiliter diligat, & diligatur ab eo, sicut sponsa a sponso: nullus sic diligitur quin ad æternam beatitudinis hæreditatem adoptetur pro filio: hinc est, quod gratia gratum faciens facit animam templum Dei, sponsam Christi, & filiam Patris æterni. Et quia hoc non potest esse nisi ex summa dignatione, & condescensione Dei: ideo illud non potest esse per habitum aliquem naturaliter insertum, sed solum per donum divinitus gratis infusum: quod expresse apparet, si quis ponderet quantum est, esse Dei templum, Dei filium, Deo nihilominus indissolubiliter, & quasi matrimonialiter, per amoris, & gratiæ vinculum copulatum.

Mirabiles effectus gratiæ.

Postremo, quia mens nostra non efficitur conformis beatissimæ Trinitati, secundum rectitudinem electionis, nisi per vigorem virtutis, splendorem veritatis, & fervorem charitatis, & vigor virtutis animam purgat, stabilit, & elevat: splendor veritatis animam illuminat, reformat, & Deo assimilat: fervor charitatis animam perficit, vivificat, & Deo conjungit, & ex his omnibus homo Deo placens, & acceptus existit: hinc est, quod illa influentia deiformis, dicitur habere omnes decem

decem actus prædictos, ita tamen quod denominatur ab ultimo, sicut a completissimo. Dicitur enim gratia gratum faciens, quia habentem facit Deo gratum, cum non solum gratis detur a Deo, verum etiam sit secundum Deum, & propter Deum: cum ad hoc sit, ut per ipsam opus manans a Deo revertatur in Deum, in quo ad modum circuli intelligibilis, consistit omnium spirituum rationalium complementum.

Gratia gratum faciens quare sic dicta.

Caput II.

De gratia inquantum juvat ad bonum meritorium.

SECUNDO de Spiritus sancti gratia occurrit nobis considerandum in comparatione ad liberum arbitrium, & hoc secundum duplicem modum. Primo scilicet inquantum ipsa est adjutorium ad meritum. Secundo vero inquantum est remedium contra peccatum. De gratiæ ergo Dei inquantum est adiutorium ad merendum, hæc tenenda sunt, quod cum gratia dicatur generaliter, specialiter, & proprie: generaliter dicitur adiutorium divinum creaturæ liberaliter, & gratis impensum, & indifferenter ad quemcunque actum, & sine hujusmodi adiutorio gratiæ, nec possumus aliquid efficere, nec durare in esse. Specialiter vero dicitur gratia adiutorium divinitus datum, ut quis præparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum, quo perveniat ad meriti statum; & talis dicitur gratia gratis data, & sine hac nullus sufficienter facit quod in se est, ut se præparet ad salutem: proprie vero gratia dicitur adiutorium datum divinitus ad merendum: quod quidem dicitur donum gratiæ gratum facientis, sine quo nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad æternam pervenire salutem. Ipsa enim tanquam radix merendi omnia merita antecedit: propter quod dictum est, quod prævenit voluntatem, ut velit: subsequitur autem, ne frustra velit. Unde nullus ipsam mereri

Gratia tripliciter dicitur.

A potest, merito condigni, sed ipsa meretur augeri a Deo in via, ut aucta mereatur & perfici in patria, & gloria sempiterna ab ipso Deo, cujus est gratiam infundere, augere, & perficere, secundum cooperationem voluntatis nostræ, & secundum propositum sive beneplacitum prædestinationis æternæ.

Gratia non cadit sub merito de condigno.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium sua omnipotenti virtute, & benignissima largitate, creaturam omnem de nihilo produxit ad esse, ac per hoc creatura de se non habeat esse, totum autem esse habeat aliunde: sic facta fuit ut ipsa pro sua defectibilitate semper suo principio indigeret, & primum principium pro sua benignitate influere
B non cessaret. Cum ergo spiritus rationalis hoc ipso, quod de nihilo est, sit in se defectivus: hoc ipso, quod natura limitata & egena, sit in se recurvus, amans proprium bonum: hoc ipso, quod totus a Deo, sit totaliter Deo obnoxius. Et quia defectivus est, & de se tendit in non esse: quia recursus per se non assurgit ad rectitudinem perfectæ justitiæ: quia totaliter Deo obnoxius, & Deus bonis ejus non indiget, nihil potest facere de se, & propria virtute: propter quod Deum sibi constituat debitorem, & maxime mercedis æternæ, quæ Deus est, nisi per divinam condescensionem.
C Hinc est, quod ad hoc, quod salvetur in esse, cum sit defectivus, indiget semper adiutorio divinæ præsentiæ, manutenentiæ, & influentiæ, per quam manuteneatur in esse: quæ quamvis sit universalis in creaturas omnes, nominatur tamen nomine gratiæ: quia non ex debito procedit, sed ex libertate bonitatis divinæ. Hinc est etiam, quod ad hoc ut se præparet ad donum supernæ gratiæ, cum sit recurvus, indiget dono alterius gratiæ gratis datæ, maxime post naturam lapsam, per quam habilis efficiatur ad bona moralia, quæ sunt bona ex circumstantia, quæ nullo modo possunt dici bona, nisi procedant ex intentione recta, videlicet quod non propter

Necessitas triplicis gratiæ.

pter nos, sed propter summum bonum fiant, ad quod non assurgit spiritus noster recurvus, nisi præveniatur a Deo per aliquam gratiam gratis datam. Hinc nihilominus est, quod ad hoc, quod facit bona opera meritoria mercedis æternæ, cum totaliter sit Deo obnoxius, & debitor sui totius, indiget dono gratiæ gratum facientis, per quam Deus sibi condescendat, prius acceptans suam imaginem, & voluntatem, quam operationem ex eo manantem: quia cum causa nobilior sit suo effectu, nullus potest se facere meliorem, nec facere opus Deo placens, nisi prius placeat ipse, ut Deus prius ipsum respiciat, quam ad munera ejus. Et ideo omnis radix merendi fundatur in gratia gratum faciente, cujus est facere hominem Deo dignum: propter quod nullus potest eam mereri merito condigni, sed solum merito congrui. Ipsa autem habita meretur sui ipsius augmentum in statu viæ per bonum ejus usum merito condigni. Nam cum solus Deus sit ipsius gratiæ fontale principium influendi: ipse solus est principium augmentandi, per modum infundentis, & gratia per modum meriti, & dignitatis: & liberum arbitrium per modum cooperantis, & merentis, pro eo, quod liberum arbitrium cooperatur gratiæ, & quod est gratiæ, suum facit; & ideo non tantum liberum arbitrium per gratiam meretur gratiæ augmentum, in statu viæ merito digni, verum etiam complementum in statu patriæ merito condigni: tum propter sublimitatem doni Spiritus sancti in merito cooperantis: tum propter veracitatem Dei promittentis; tum propter vertibilitatem liberi arbitrii consentientis, & finaliter perseverantis: tum propter difficultatem status merendi: tum propter dignitatem Christi nostri capitis intervenientis, quod debet glorificari cum suis membris: tum etiam propter liberalitatem Dei tribuentis, quem non decet parva reddere, propter obsequium sibi fideliter optemperantis; tum propter nobilitatem operis, quod ex charitate procedit, quod tantum ponderat in conspectu judicis, quantum amor, ex quo procedit, qui Deum imcomparabiliter præponit omnibus creaturis: & ideo non sufficienter, & competenter potest nisi in Deo, & summo bono remunerari. Ex quibus omnibus tamquam ex septem rationibus, gloriam æternam merito non tantum congrui, sed etiam condigni, mereri facit gratia septiformis.

Gen. 4.

Gratia usu crescit. Ad augmentum gratiæ quomodo Deus, gratia, & liberum arbitrium concurrunt.

Caput III.

De gratia inquantum est remedium peccati.

De gratia vero inquantum est remedium contra peccatum, hæc tenenda sunt, scilicet, quod liberum arbitrium, licet sit sub Deo potentissimum, potest tamen per se in peccatum corruere: sed nullatenus potest resurgere sine adjutorio divinæ gratiæ, quæ dicitur gratia gratum faciens. Illa autem gratia licet sit sufficiens remedium contra peccatum, non tamen infunditur adulto, nisi adsit liberi arbitrii consensus. Ex quo colligitur, quod ad justificationem impii quatuor concurrunt, scilicet infusio gratiæ, expulsio culpæ, contritio, & motus liberi arbitrii. Expellitur ergo culpa a Dei dono, non a libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam gratiæ gratis datæ est liberum arbitrium revocare a malo, & excitare ad bonum; & liberi arbitrii est consentire, vel dissentire: & consentientis est gratiam suscipere: & suscipientis cooperari eidem, ut tandem perveniat ad salutem.

Homo per se cadit, non per se surgit.

Justificatio impii quatuor requirit.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium hoc ipso, quod primum, & potentissimum, sit causativum omnium, quæ fiunt in universo præter quam peccatorum, quæ sunt transgressiones legis divinæ, & cœlestium inobedientiæ mandatorum, & nihil habet sibi rebelle, injuriosum, & offensivum, nisi peccatum, quod contemnendo Dei præceptum, & avertendo nos a bono incommutabili, offendit Deum, defor-

Ambrof. lib. de paradis. cap. 8. tom. 1. edit. Rom.

Peccatum quam grave malum.

format liberum arbitrium, perimit donum gratuitum, & obligat ad supplicium æternum. Cum igitur deformatio imaginis, & peremptio gratiæ sit quasi annihilatio, in esse moris, & vitæ gratuitæ, cum offensa Dei sit tantum ponderanda, quantus est ipsa, cum reatus pænæ æternæ rationem teneat infiniti: impossibile est, quod homo resurgat a culpa nisi recreetur in vita gratuita, nisi remittatur offensa, & pœna relaxetur æterna. Solus igitur qui fuit principium creativum, est & principium recreativum, & reparativum, Verbum scilicet Patris æternum, quod est Jesus Christus mediator Dei, & hominum, quod quia omnia de nihilo creat, ideo creat seipso solo sine aliquo intermedio.

1. Tim. 2.

Justificatio impii.

Quia vero recreat deformatum per vitium culpæ, reformando per habitum gratiæ & justitiæ, obligatum ad pœnam; absolvendo per satisfactionem condignam; hinc est, quod nos reparat, sustinendo pro nobis pœnam in natura assumpta, & infundendo gratiam reformativam, quæ quoniam continuat nos suæ origini, facit nos membra Christi, ac per hoc animam peccatricem, quæ fuerat inimica Dei, prostibulum diaboli, & serva peccati, facit sponsam Christi, templum Spiritus sancti, & filiam Patris æterni; quod totum fit per gratuitam, & condescensivam infusione doni gratuiti. Rursus quoniam Deus sic reformat, quod leges naturæ inditas non infirmat; ideo sic hanc gratiam tribuit libero arbitio, ut tamen ipsum non cogat, sed ejus consensus liber maneat: & ideo ad hoc, quod culpa expellatur, non solum necesse est, quod gratia introducatur, verum etiam quod liberum arbitrium in adultis (in adultis dico, quia in parvulis sufficit fides Ecclesiæ, & meritum Christi: & excusat impotentia sui) necesse est, inquam, quod conformet se expulsioni culpæ, per detestationem omnium peccatorum, quam vocamus contritionem. Est etiam necesse, quod conformet se introductioni gratiæ, per complacentiam, & acceptationem doni divini, quam vocamus motum liberi arbitrii. Et sic necesse est, ita quatuor concurrere ad justificationem impii.

Postremo quia prædispositio ad formam completivam, debet esse ei conformis, ad hoc, quod liberum arbitrium se disponat ad gratiam gratum facientem, indiget adminiculo gratiæ gratis datæ: & quia gratiæ est liberum arbitrium non cogere, sed prævenire, & simul utriusque est in actum prodire: hinc est, quod in nostra justificatione concurrit actus liberi arbitrii, & gratiæ consone quidem & ordinate, ita quod gratiæ gratis datæ excitare liberum arbitrium: liberi arbitrii autem est hujusmodi excitationi consentire, vel dissentire: & consentientis est ad gratiam gratum facientem se præparare, quia hoc est facere quod in se est: & sic disposito gratia gratum faciens habet infundi, cui liberum arbitrium potest cooperari si vult, & tunc meretur: vel contrariari per peccatum, & tunc demeretur. Si ergo cooperetur ei usque in finem, meretur pervenire ad æternam salutem. Verum est igitur, quod dicit Augustinus, quod qui creavit te sine te, non justificabit te sine te. Verum est etiam quod non est volentis, neque currentis sed Dei miserentis. Verum est etiam, quod nullus potest superbire de meritis, quia nihil in nobis Deus præter sua dona coronat. Reservavit enim sibi Deus munera gratiæ liberaliter largienda, ut discat homo non esse ingratus: nec in se, quasi non acceperit, sed in Domino gloriari. Verum est etiam, quod licet liberum arbitrium per se legem implere non possit, nec gratiam in se efficere, inexcusabile tamen est, si non facit quod potest: quia gratia gratis data semper est præsto ad commonitionem, cujus adminiculo facere potest, quod in se est: quo facto, habet gratiam gratum facientem, qua obtenta, divinam impleat legem, & faciat voluntatem Dei: qua facta, tandem ad beatitudinem perveniat sempiternam propter opera meritoria, quæ totaliter sunt a gratia, totali-

Gratia & liberum arbitrium quomodo se habeant.

August. de Verb. Apos. ser. 15. tom. 3.
Rom. 9.
Aug. epist. 105. ad Six. tom. 2.

taliter etiam a libero arbitrio, licet principalius a gratia. Quia ut dicit Augustinus, gratia cooperatur ad liberum arbitrium sicut sessor ad equum, qui quidem sessor liberum arbitrium dirigit, deducit, & perducit ad portum æternæ felicitatis exercendo nos in operibus perfectæ virtutis secundum donum ipsius gratiæ septiformis.

Caput IV.

De ramificatione gratiæ in habitus virtutum.

Tertio restat agere de gratia in comparatione ad habitus virtutum, circa quam consideranda sunt tria. Primum est qualiter gratia una ramificatur in habitus virtutum: secundum, *qualiter ramificatur in habitus donorum: tertio qualiter ramificatur in habitus beatitudinum*. De ramificatione igitur gratiæ in habitus virtutum hæc tenenda sunt, quod cum una sit gratia gratificans animam, septem tamen sunt virtutes gratuitæ, quibus regitur vita humana: tres quidem Theologicæ, scilicet Fides, Spes, & Charitas: quatuor Cardinales, scilicet Prudentia, Temperantia, *Fortitudo, & Justitia, quæ uno modo est virtus communis & generalis, alio modo specialis & propria*. Hæ autem septem virtutes, licet sint distinctæ, & proprias excellentias habentes, sunt tamen connexæ, & æquales ad invicem in eodem: & licet sint gratuitæ per gratiam informatæ, possunt tamen fieri informes per culpam, sola charitate excepta, & iterum reformari per pœnitentiam adveniente gratia, quæ est habituum virtualium origo, finis, & forma.

Virtutes septem.

Gratia virtutum origo, finis & forma.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia sicut principium productivum sua summa perfectione in dando vitam naturæ, non tantum dat vivere quantum ad actum primum, verum etiam quantum ad actum secundum, qui est operari: sic necesse est, quod principium reparativum vitam tribuat spiritui in esse gratuito, & quantum ad esse; A & quantum ad operari. Et quoniam unius viventis secundum unam vitam primam membrorum multæ sunt operationes vitales ad illius vitæ perfectam manifestationem, cum actus diversificentur per obiecta, & diversitas actuum requirat diversitatem, sive distinctionem habituum: hinc est, quod licet una sit gratia vivificans, ramificari tamen necessario habet in varios habitus propter varias operationes. Et quoniam quædam sunt opera moralia primaria, sicut credere: quædam media, sicut intelligere credita: quædam vero postrema, sicut videre intellecta; & in primis anima rectificatur, in secundis expeditur, in tertiis perficitur: B ideo gratia gratum faciens ramificatur in habitus virtutum, quorum est animam rectificare: in habitus donorum, quorum est animam expedire: & in habitus beatitudinum, quorum est animam perficere.

Aris. 2. lib. de ani. tex. 33.

Virtutum, donorum, & beatitudinum officium.

Rursus quoniam rectitudo animæ perfecta requirit, quod ipsa rectificetur secundum duplicem faciem, scilicet superiorem, & inferiorem, & respectu finis, & respectu eorum, quæ sunt ad finem: ideo necesse est animam quantum ad superiorem faciem, in qua consistit imago Trinitatis æternæ, rectificari per tres Theologicas virtutes: ut sicut imago creationis consistit in trinitate potentiarum cum unitate essentiæ, sic imago recreationis consistit in trinitate C habituum cum unitate gratiæ, per quos anima fertur recte in summam Trinitam secundum tria appropriata tribus personis: ita quod fides dirigit in summe verum credendo, & assentiendo: spes in summe arduum, imitando, & expectando: charitas in summe bonum, desiderando, & diligendo. Necesse est etiam quantum ad inferiorem faciem, animam rectificari per quatuor cardinales virtutes. Nam prudentia rectificat rationalem, fortitudo irascibilem, temperantia concupiscibilem, justitia vero rectificat omnes has vires in comparatione ad alterum. Et quia illud alterum determinate potest esse proximus, potest etiam idem homo comparari ad seipsum, ut ad alterum,

Necessitas virtutum in reformatione hominis.

rum, potest etiam esse ipse Deus: hinc est, quod justitia circumire dicitur omnes vires. Dicitur etiam non tantum virtus cardinalis, verum etiam generalis, comprehendens totius animæ rectitudinem, cum ipsa dicatur rectitudo volontatis. Unde ipsa non tantum comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, sicut est æquitas, & libertas: verum etiam ad seipsum, sicut est pœnitentia, & innocentia: nec non ad Deum, sicut est latria, pietas, & obedientia.

Justitia non solum cardinalis, sed generalis virtus.

Postremo quia omnis rectitudo virtutum secundum esse gratuitum manat a gratia tanquam ab origine, & radice, & secundum esse meritorium comparatur ad charitatem sicut ad originem, formam, & finem: hinc est, quod ceteræ virtutes gratuitæ, quod ad habitus sunt connexæ, & quo ad actus meritorios sunt æquales. Hinc est etiam, quod ceteri habitus virtutum possunt esse informes, sola charitate excepta, quæ est virtutum forma. Cum enim habentur sine gratia, & charitate, in quibus consistit vita virtutum, tunc sunt informes. Cum autem superinfunditur gratia, tunc formantur, & decorantur, & Deo acceptabiles fiunt: sicut, & colores absque luce sunt invisibiles, superveniente autem lumine, fiunt lucidi, pulchri, & aspectui complacentes. Unde quemadmodum ex luce, & coloribus fit unum in ratione motivi, & una lux sufficit ad multos colores illuminandos: sic ex gratia, & habitibus informibus cum formantur, fit unum secundum rationem meritorii, & gratuiti; & una nihilominus gratia sufficit ad informationem & gratificationem habituum diversorum.

Virtutes omnes possunt esse informes, charitate excepta.

Caput V.

De ramificatione gratiæ in habitus donorum.

De ramificatione autem gratiæ in habitus donorum hæc tenenda sunt, quod licet plurima sint dona gratiæ gratis datæ, & generaliter omnes habitus divinitus dati, dona Dei non absurde dici possint, specialiter tamen, & appropriate septem sunt dona Spiritus sancti, quæ enumerat, & nominat Isaias, loquens de flore, qui processit de radice Jesse, id est, Christo: de quo dicit, quod requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus. Spiritus consilii, & fortitudinis. Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. In hac autem enumeratione descendendo procedit a summo, & combinando, ut simul ostendatur donorum distinctio, connexio, origo, & ordo. *Isa. 11.*

Septem dona Spiritus sancti.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia cum principium reparativum per summam liberalitatem, non tantum det gratiam ad rectificandum contra obliquitates vitiorum per habitus virtutum, verum etiam ad expediendum contra impedimenta syntomatum per habitus donorum: ideo purificari debent dona gratuita, secundum quod necessarium est ad expeditionis sufficientiam. Quoniam igitur anima nostra indiget septiformiter expediri: hinc est, quod ex septiformi causa necesse est Spiritus sancti dona esse septiformia. Indiget namque expediri contra vitiorum obliquitates, quantum ad vires naturales, quo ad superadditas virtutes, in patiendo, in agendo, in contemplando, & utroque modo.

Septuplex indigentia hominis.

Primo igitur propter vitiorum obliquitates expeditissime repellendas, septem sunt dona Spiritus sancti, utpote timor, contra superbiam: pietas, contra invidiam: scientia, contra iram, quæ quasi est quædam insania: fortitudo, contra accidiam, quæ mentem reddit ad bona invalidam: consilium, contra avaritiam: intellectus, contra gulam: & sapientia, contra luxuriam.

Secundo propter expediendas vires naturales, debent septem dona Spiritus sancti esse. Nam irascibilis indiget expediri ad bona tam in prosperis, quam in adversis: in prosperis expeditur per timorem, in adversis per fortitudinem. Concupiscibilis autem indiget expediri quantum ad affectionem respectu proximi,

mi, & hoc fit per pietatem: & A quantum ad affectum respectu Dei, & hoc fit per gustum sapientiæ. Rationalis vero indiget expediri, in veritatis speculatione, electione, & executione: per donum autem intellectus expedimur ad verum speculandum, per donum consilii ad verum eligendum, per donum scientiæ, ad electum exequendum: per donum enim scientiæ recte conversamur in medio nationis pravæ, & perversæ.

Tertio propter expedienda septem virtutum officia, septem debent esse Spiritus sancti dona. Nam timor expedit ad temperantiam, timor enim carnes configit, unde: Confige timore tuo carnes meas: pietas ad veram justitiam: scientia ad prudentiam; & fortitudo ad fortitudinem, seu patientiam: consilium ad spem: *intellectus ad fidem*: sapientia ad charitatem. Unde sicut charitas est mater, consummatio omnium virtutum, sic sapientia omnium donorum, ita ut vere dicat Sapiens: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.*

Psal. 118 B

Sap. 7.

Quarto propter expeditionem in patiendo conformiter ad Christum septem sunt *habitus donorum*. *Christum autem ad patiendum movit paterna voluntas*, humana necessitas, & virtutis strenuitas. Paterna quidem voluntas movit, ut cognita per intellectum, ut amata per sapientiam, ut in reverentia habita per timorem. Movit etiam nostra necessitas, ad quam cognoscendam necessaria est scientia, ad quam miserandam superadditur pietas. Movit *nihilominus* virtutis strenuitas, *ut provida* in eligendo per consilium: ut vigorosa in perferendo per fortitudinem. Et sic dona debent esse septem.

Motiva passionis Christi tria.

Quinto propter expeditionem in agendo septem dona dantur a Spiritu sancto. Nam ad actionem expediendam necesse habemus expediri, ad declinandum a malo, quod fit per timorem. Necesse etiam habemus expediri, ad proficiendum in bono duplci, vel necessitatis, vel supererogationis. Circa primum expedimur per scientiam & pietatem, ita quod unum est dirigens, & aliud exequens: circa secundum expedimur per consilium dirigens, & fortitudinem exequentem. Necesse etiam habemus quiescere in optimo, & hoc quantum ad intellectum veri, & quantum ad affectum boni: primum fit per donum intellectus, secundum per donum sapientiæ, in quo est quies.

Sexto ad expeditionem in contemplando, dona Spiritus sancti in septenario numero sunt. Nam ad vitam hierarchicam, & contemplativam necessarium est animam purgari, illuminari, & perfici. Purgari autem oportet a concupiscentia, a malitia, ab ignorantia, ab infirmitate, seu impotentia. Primum facit timor, secundum pietas, tertium scientia, quartum fortitudo. Illuminari autem indigemus in operibus reparationis, & primariæ conditionis: primum dat consilium, secundum intellectus. Perfici autem habemus per accessum ad summum, quod consistit in uno, & hoc per donum sapientiæ, & sic arcanum contemplationis a lato consummatur quasi in cubico.

Ad vitam hierarchicam tres actus necessarii.

Septimo ad expeditionem in actione, & contemplatione, septem debent esse dona Spiritus sancti. Nam contemplativa propter conversionem C ad Trinitatem, tria debet habere dona expedientia, scilicet quantum ad reverentiam majestatis, timorem: quantum ad intelligentiam veritatis, intellectum: quantum vero ad sapientiam, sive gustum bonitatis, sapientiam. Activa vero, quæ versatur in agendis, & sustinendis, debet habere quatuor, scilicet pietatem ad agendum, & fortitudinem ad sustinendum: & directiva horum duorum, scilicet scientiam, & consilium. Unde quia ad expeditionem necessaria est directio: ideo fit donorum combinatio, & plurima sunt dona ad intellectum spectantia, quia lux cognitionis vehementer expedit ad dirigendos pedes in viam rectam, & pacis.

Luc. 1

Caput VI.

De ramificatione gratiæ in habitus beatitudinum, & per consequens fructuum, & sensuum.

De ramificatione autem gratiæ in habitus beatitudinum hæc tenenda sunt, scilicet quod septem sunt beatitudines, quas Salvator enumerat in sermone de monte: scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries justitiæ, misericordia, munditia cordis, & pax. Ad has vero beatitudines propter sui perfectionem, & plenitudinem duodecim fructus Spiritus, & quinque spirituales sensus consequuntur: qui non dicunt novos habitus, sed status delectationum, & usus spiritualium speculationum, quibus replentur, & consolantur spiritus virorum justorum. *Matt. 5*

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum reparativum principium sit perfectissimum, & perfectissime reparativum, & reformativum per donum gratuitum: ideo gratiæ donum ab ipso manans liberaliter, & abunde, ramificari debet usque ad habitus perfectionum, qui cum fini approximent, recto vocabulo nuncupantur ex nomine beatitudinum: quarum sufficientia, numerus, & ordo colligitur ex integritate perfectionis, & ex modis perfectionum, & ex dispositionibus ad perfectionem. Primo igitur ad integritatem perfectionis, requiritur necessario perfectus recessus a malo, perfectus processus in bono, & perfectus status in optimo. Quoniam autem malum aut procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ: ideo ad perfecte elongandum ab hoc triplici genere mali, tres sunt necessariæ beatitudines: scilicet paupertas spiritus elongans a malo tumoris: mititas elongans a malo rancoris: & luctus elongans a malo libidinis & languoris concupiscentialis. Quia vero perfectus processus in bono attenditur secundum divinam imitationem, & universæ viæ

Integritas perfectionis quibus constet.

Tres beatitudines contra triplex malum.

A Domini misericordia, & veritas: hinc est, quod duplex est beatitudo, secundum has duas vias, scilicet esuries, sive zelus justitiæ, & affectus misericordiæ. Quoniam autem status in optimo est vel per limpidam cognitionem, vel per tranquillam affectionem: hinc est, quod sunt duæ ultimæ beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videndum, & pax mentis ad perfecte fruendum. *Psal. 24*

Secundo etiam si modi perfectionum attendantur, debent esse septem habitus beatitudinum. Nam est perfectio religionis, prælationis, & internæ sanctitudinis. Ad perfectionem autem religionis necessario B requiritur abdicatio boni privati, acceptatio boni fraterni, & appetitio boni æterni. Primum fit per paupertatem spiritus, secundum per mititatem affectus, tertium per amaritudinem luctus. Ad perfectionem vero prælationis duo necessario requiruntur, scilicet zelus justitiæ, & affectus misericordiæ: Misericordia enim & veritas custodiunt regem. Secundum hæc duo disponi debet regimen prælationis in Ecclesia militante. Ad perfectionem autem internæ sanctitudinis necessario requiritur puritas conscientiæ, & tranquillitas totius animæ per pacem Dei omnem humanum sensum exuperantem.

Perfectio triplex.

Prov. 20

Phil. 4

C Tertio si attendantur dispositiones præambulæ, septem debent esse beatitudines. Timor enim facit recede a malo, & a mali occasione: & quia radix malorum omnium est cupiditas: ideo timor disponit ad spiritus paupertatem, in qua simul jungitur humilitas cum paupertate, ut sic elongetur vir perfectus a fonte omnis culpæ, scilicet a superbia, & cupiditate. Et hinc est, quod paupertas spiritus est fundamentum totius perfectionis Evangelicæ. Unde primo oportet hoc fundamentum sternere, qui vult ad culmen perfectionis pervenire, secundum illud: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes. Ecce perfecta paupertas, quæ nihil sibi prorsus retinet: Et sequere me. Ecce humilitas,

1. Tim. 6

Matt. 19

litas, quæ facit, quod homo abnegando seipsum, tollat crucem suam, & sequatur Christum, qui est totius perfectionis principalissimum fundamentum. Disponit ergo timor ad spiritus paupertatem. Pietas autem ad mititatem: nam qui pie ad aliquem afficitur, nec illum irritat, nec ab illo irritatur. Scientia vero disponit ad luctum, quoniam per scientiam cognoscimus nos a statu beatitudinis relegatos in hanc vallem miseriæ, & lacrymarum. Fortitudo autem disponit ad esuriem justitiæ, qui enim fortis est, tam avide se tenet cum justitia, ut malis a vita corporali, quam a justitia separari. Consilium vero disponit ad misericordiam: nihil enim Deus magis consulit in scripturam, quam facere misericordiam, quod super omnia reputat holocausta. Intellectus autem disponit ad cordis munditiam: nam speculatio veritatis mundat cor nostrum ad omnibus phantasiis. Sapientia vero disponit ad pacem: nam sapientia jungit nos summo vero, & bono, in quo est finis, & tranquillitas totius nostri rationalis appetitus.

Matt. 6

Qua pace adepta, necessario sequitur superabundans delectatio spiritualis, quæ in duodenario fructuum Spiritus continetur, ad insinuandam superabundantiam delectationum. Est enim duodenarius numerus abundans, in quo insinuatur spiritualium charismatum exuberantia, quibus fruitur & delectatur anima sancta: & tunc est homo ad contemplationem ideoneus, & ad aspectus, & amplexus sponsi, & sponsæ, & qui fieri habent secundum sensus spirituales, quibus videtur Christi sponsi summa pulchritudo, sub ratione splendoris: auditur summa harmonia, sub ratione verbi: gustatur summa dulcedo, sub ratione sapientiæ comprehendentis utrumque, verbum, scilicet & splendorem: odoratur summa fragrantia, sub ratione verbi inspirati in corde: astringitur summa suavitas, sub ratione Verbi incarnati inter nos habitantis corporaliter, & reddentis se nobis palpabile, osculabile, amplexabile, per ar-

Duodecim fructus spirituales.

A dentissimam charitatem, quæ mentem nostram per ecstasim, & raptum transire facit ex hoc mundo ad Patrem.

Ex dictis igitur manifeste colligitur, quod habitus virtutum ad exercitium principaliter disponunt activæ. Habitus vero donorum ad actum contemplativæ. Habitus autem beatitudinum ad perfectionem utriusque. Fructus vero Spiritus, qui sunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas, dicunt delectationes consequentes opera perfecta. Sensus vero spirituales dicunt perceptiones mentales, circa veritatem contemplandam; quæ quidem contemplatio B fuit in prophetis, per revelationem quantum ad triplicem visionem, scilicet corporalem, imaginativam, & intellectualem. In aliis vero justis reperitur per speculationem, quæ incipit a sensu, & pervenit usque ad imaginationem, & de imaginatione ad rationem, de ratione ad intellectum, & de intellectu ad intelligentiam, de intelligentia vero ad sapientiam, sive notitiam excessivam, quæ incipit hic in via, sed consummatur in gloria sempiterna. Ex his gradibus consistit scala Jacob, cujus cacumen attingit cœlum, & thronus Salomonis, in quo residet Rex sapientissimus, & vere C pacificus, & amorosus, ut sponsus speciosissimus, & desiderabilis totus: in quem desiderant angeli prospicere, & ad quem suspirat desiderium sanctarum animarum: sicut cervus desiderat ad fontes aquarum. Quo quidem desiderio ferventissimo, ad modum ignis spiritus noster non solum efficitur agilis ad ascensum, verumetiam quadam ignorantia docta, supra se ipsum rapitur in caliginem & excessum, ut non solum cum sponsa dicat: In odorem unguentorum tuorum curremus, sed etiam cum Propheta psallat. Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Quam nocturnam & deliciosam illuminationem, nemo novit nisi qui probat; nemo autem probat nisi per gratiam divinitus datam, quæ quia ne-

Gal.
Gen. 38
3. Reg. 10
1. Pet. 1
Psal. 41
Cant. 1
Ps. 138

nemini datur, nisi ei, qui se exercet ad illam, ideo deinceps consideranda sunt exercitia meritorum.

Caput VII.

De exercitio gratiæ respectu credendorum.

Quarto igitur restat considerare gratiam, quantum ad exercitia meritorum. Circa quod consideranda sunt quatuor. Primo de exercitatione gratiæ in credendis, cujusmodi sunt articuli fidei: secundo in diligendis, cujusmodi sunt illa, quæ spectant ad ordinem diligendi: tertio in exequendis, cujusmodi sunt præcepta legis divinæ: quarto in postulandis, cujusmodi sunt petitiones orationis Dominicæ. De credendis autem, hæc tenenda sunt, quod licet per fidem astringamur credere plurima, quæ sunt supra rationem, & generaliter omnia, quæ continentur, & asseruntur in canone sacræ scripturæ: specialiter tamen & proprie articuli fidei dicuntur illi, qui continentur in serie symboli Apostolici: qui quidem uno modo sunt duodecim, si habeatur respectus ad eos qui symbolum ediderunt, alio modo quatuordecim, si consideremus, quæ radicaliter sunt credenda, tanquam omnium credendorum fundamenta.

Articuli fidei quomodo duodecim, quomodo quatuordecim.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium in seipso sit summe verum & bonum, in opere vero suo sit summe justum & misericors, & summe vero debeatur firma assensio, summo bono fruens dilectio, summe justo universalis subjectio, summe misericordi fiducialis invocatio, & gratia sit ordinativa mentis nostræ ad primi principii culturam debitam: hinc est, quod ipsa dirigit, & regulat ad debita, & meritoria exercitia in credendis, amandis, exequendis, & postulandis, secundum quod requirit, summa veritas, bonitas, justitia, & misericordia in Trinitate beata. Quoniam igitur veritati est A credendum, & majori veritati magis est credendum, & summæ veritati per consequens summe est credendum, & veritas primi principii in infinitum major est omni veritate creata, & luminosior omni lumine intellectus nostri: hinc est, quod ad hoc, quod intellectus noster sit recte ordinatus in credendis, necesse est quod plus credat summæ veritati, quam sibi, & quod se redigat in obsequium Christi: ac per hoc quod non solum credat, quæ sunt secundum rationem, verumetiam quæ sunt supra rationem, & contra sensuum experientiam: quod si recusat, non exhibet summæ veritati debitam reverentiam, dum judi-B cium industriæ propriæ præfert dictamini lucis æternæ, quod esse non potest absque tumore superbiæ, & elationis improbandæ.

Rursus, quia veritas supra rationem, sive præter rationem, est veritas non visa, nec apparens, sed magis occulta, & ad credendum difficillima: ideo ad hoc quod firmiter credatur, necessaria est illustratio veritatis animam elevans, necessaria est etiam testificatio auctoritatis animam firmans. Primum fit per fidem infusam, secundum per scripturam authenticam, quorum utrumque est a veritate summa per Jesum Christum, qui est splendor & Verbum, & per Spiri-C tum sanctum, qui veritatem ostendit, & dicit, & nihilominus credere facit. Hinc est, quod auctoritas præbet fulcimentum fidei, & fides assentit auctoritati. Et quia auctoritas principaliter residet in sacra scriptura, quæ per Spiritum sanctum est condita tota, ad dirigendam fidem catholicam, hinc est, quod vera fides a scriptura non dissonat, sed ei assentit assensione non ficta.

Ad firmiter credendum duo sunt necessaria.

Postremo, quia veritas ad quam credendam arctamur per fidem, & de qua Scriptura agit principaliter, non est veritas quæcumque sed veritas divina, vel ut est in natura propria, vel ut est in natura assumpta, nam in hujus veritatis cognitione consistit: & præmium patriæ, & meritum viæ: hinc est quod arti-

articuli fidei, qui sunt fidei fundamenta, aut spectant ad divinitatem, aut ad humanitatem. Et quoniam divinitas habet considerari in tribus personis, scilicet in Patre generante, Filio genito, & Spiritu sancto procedente: & quadriformi operatione, scilicet creatione in esse naturæ, recreatione in esse gratiæ, resuscitatione in reparatione vitæ, & glorificatione in collatione gloriæ: hinc est, quod articuli spectantes ad deitatem sunt septem. Similiter, quia humanitas Christi habet considerari ut concepta de Spiritu sancto, ut nata de Virgine, ut patiens in cruce, ut descendens ad infernum, ut resurgens a morte, ut ascendens in cœlum, ut veniens ad finale judicium: hinc est, quod septem sunt articuli spectantes ad humanitatem: & sic sunt in universo quatuordecim, ad modum septem stellarum, septem candelabrorum aureorum, in quorum medio Filius hominis ambulabat.

Distinctio articulorum fidei.

Apoc. 1

Quoniam ergo unus est Christus in natura divina & humana, & una tantum est veritas summa, quæ est ratio credendi, una prima, summa & sola, quæ non mutatur per tempora: hinc est, quod de omnibus prædictis articulis una tantum est fides & eadem, non mutata, tam in præsentibus, quam in præteritis, quam in futuris: licet magis clara sit & explicita in eis, qui Christum sequuntur, quam in eis, qui præcesserunt ejus adventum: sicut novum Testamentum clarius est, quam vetus, in quibus prædicti articuli continentur. Et quia Spiritus sanctus hos articulos fidei in scripturarum profunditate contentos, in unum compegit per duodecim Apostolos, tamquam per testes firmissimos: hinc est, quod prædicti articuli in unum symbolum Apostolorum collecti fuerunt. Et ideo secundum Apostolos componentes, duodecim articuli dici possunt: quia quilibet Apostolus in ædificationem fidei posuit unum articulum, quasi lapidem unum vivum: quod Spiritus sanctus recte præfiguravit in duodecim viris, qui duodecim lapides

Una & eadem est fides omnium articulorum.

A de Jordanis alveo extraxerunt, ad altare Dominicum construendum.

Caput VIII.

De exercitio gratiæ respectu diligendorum.

De diligendis autem hæc tenenda sunt, quod licet omnia opera divina sint valde bona, quatuor tamen proprie sunt ex charitate diligenda: scilicet Deus æternus, quod nos sumus, proximus noster, & corpus nostrum. In quorum dilectione servandus est ordo, & modus, ut Deus diligatur primo, & super omnia, & propter se: secundo quod B nos sub Deo, & pro Deo: tertio proximus noster, sicut & nos: quarto corpus nostrum infra nos, & infra proximum, tamquam bonum minus præcipuum. Ad hoc autem exequendum datur unus charitatis habitus, & duplex mandatum: in quo pendet universitas legis, & prophetarum, non solum quantum ad vetus testamentum, verumetiam quantum ad novum.

Aug. lib. 1 de Doctr. Christ. c. 23 & 3 ex quo Mag. 3 sen. dist. 28. §. Hic potest, & dist. 29

Mat. 22

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia primum principium hoc ipso, quod primum est summum; & hoc ipso quod summum, est summe bonum: & hoc ipso quod summe bonum, est summe beatum, & summe beatificativum: & hoc ipso quod C summe beatificativum, est ipso summe fruendum; & hoc ipso, quod est eo summe fruendum, summe est ei inhærendum per amorem, & in eo quiescendum tamquam in fine. Quoniam ergo amor rectus, & ordinatus, qui charitas appellatur, principaliter fertur in illud bonum, quo fruitur, & in quo quiescit, & hoc ipsum est ratio diligendi: hinc est, quod illud præcipue diligit tamquam beatificativum, &c. per consequens, quæ per illud idonea sunt beatificari. Quoniam igitur nobiscum ad beatitudinem natus est proximus pervenire, natum est etiam pervenire & corpus nostrum, tamquam beatificabile cum spiritu: hinc est, quod quatuor tamquam ex charitate

Quatuor esse diligenda.

diligenda esse dicitur, scilicet Deus, A & proximus, spiritus noster, & corpus nostrum.

Rursus quoniam Deus est supra nos, tamquam bonum supremum: spiritus noster intra nos tamquam bonum intrinsecum: & proximus noster juxta nos, tamquam bonum cognatum: corpus vero nostrum infra nos, tamquam bonum subjectum: hinc est, quod hic debet servari ordo in diligendo, ut primo Deus diligatur super omnia, & propter seipsum: secundo spiritus noster sub Deo supra omne bonum caducum: tertio proximus noster juxta nos ad consimile bonum: quarto corpus nostrum infra nos sicut bonum infimum, & in eodem gradu B contineri debet corpus proximi, quia utrumque tenet rationem inferioris boni respectu spiritus nostri.

Ordo servandus in dilectione.

Postremo, quia amor est pondus mentis, & origo omnis affectionis mentalis, qui de facili reflectitur in se, & difficulter tendit in proximum, & difficilius elevatur in Deum: hinc est, quod licet quatuor sint diligenda ex charitate, duplex tamen datur mandatum, unum quod dirigit in Deum, aliud quod dirigit in proximum. Et quia omnia præcepta, vel ad Deum referuntur tamquam in finem, vel ad proximum tamquam in illud, quod est ad finem; hinc est, quod in his duobus mandatis clauditur collectio manda- C torum, & comprehensio omnium scripturarum, charitas ipsa est radix, forma, & finis virtutum, quæ jungit omnes cum ultimo fine, & ligat omnia ad invicem simul, & ordinat: ac per hoc ipsa est pondus inclinationis ordinatæ, & vinculum colligationis perfectæ; ordinem quidem servans respectu diligendorum diversorum, quantum ad affectum pariter, & effectum: unitatem autem habens in habitu quantum ad unum finem, & unum principale dilectum, quod est ratio diligendi respectu omnium aliorum dilectorum, quæ per omnis vinculum nata sunt colligari in unum Christum quantum ad caput & corpus, quod unitatem continet in se salvandorum: quæ unitas nunc inchoatur in vita, sed consummatur in æterna gloria, juxta quod Dominus orat; ut sint unum, sicut & nos unum sumus, & ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum. Qua unitate consummata per vinculum charitatis, erit Deus omnia in omnibus, æternitate certa, & pace perfecta, eruntque omnia per amorem communia communione ordinata, & ordinatione connexa, & connexione indissolubiliter alligata.

Duobus mandatis mandata omnia clauduntur. Charitas radix, forma, & finis virtutum.

Jo. 17

1 Cor. 15

Caput IX.

De exercitio gratiæ respectu agendorum, præceptorum, & consiliorum.

De præceptis autem legis divinæ hoc tenendum est, quod in lege Mosaica sunt præcepta judicialia figuralia, & moralia: utpote decem præcepta decalogi in duabus tabulis conscripta digito Dei. Lex autem Evangelica judicialia temperat auferendo, figuralia evacuat adimplendo, moralia consummat adiiciendo. Adiicit autem documenta instruentia, promissa excitantia, & consilia perficientia; cujusmodi sunt consilium paupertatis, consilium obedientiæ, & consilium castitatis, ad quæ implenda invitat Dominus noster Jesus Christus eum, qui vult esse perfectus.

Præceptorum diversitas. Exod. 13.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est, quia primum principium, sicut est summe bonum in seipso, sic est summe justum in opere suo, & universo regimine disponendo. Quoniam ergo summe justi est zelare justitiam, non tantum in se, verumetiam in altero: justitia autem consistit in conformando se regulis juris: hinc est, quod divinæ justitiæ est regulas justitiæ homini imprimere & exprimere, non tantum dictando, per modum veritatis erudientis, sed etiam præcipiendo, & obligando, per modum voluntatis imperantis. Et quoniam gratia facit voluntatem nostram voluntati divinæ conformem,

ipsius

ipsius est disponere nos ad obtemperandum, & subjacendum illis regulis justitiæ, secundum dictamen legis divinitus datæ.

Præceptis divinis dupliciter obtemperare contingit.

Rursus quoniam divinis imperiis dupliciter obtemperare contingit, videlicet ex timore pœnæ, vel ex amore justitiæ: & primum est imperfectorum, secundum autem perfectorum; ideo duplicem Deus homini contulit legem, unam timoris, & alteram amoris: unam in servitutem generantem, & alteram in adoptionem filiorum Dei transferentem. Ac per hoc, quia timentibus & imperfectis competit, ut terreantur per judicia, & manuducantur per signa, & dirigantur nihilominus per præcepta: hinc est, quod lex Mosaica, quæ est lex timoris, continet judicialia, & figuralia, & moralia. Perfectis autem & amantibus competit aperta instructio documentorum, larga promissio præmiorum, & alta perfectio consiliorum: hinc est, quod lex Evangelica continet ista tria. Et ideo dicitur lex Mosaica differre ab Evangelica: quia illa figuræ, hæc veritatis: illa lex pœnæ, hæc gratiæ: illa litteralis, est ista spiritualis illa occidens, & ista vivificans: illa timoris, & ista amoris: illa servitutis, & ista libertatis: illa oneris, & ista facilitatis.

Mosaicæ, & Evangelicæ legis discrimen.

Inst. de Just. & Jus. §. pœnalis.

Postremo quoniam regulæ spectantes ad justitiæ necessitatem, continentur in divinis præceptis, & justitiæ est jus suum unicuique reddere; necesse est, quod præcepta moralia quædam sint, quæ ordinent nos ad Deum: quædam ad proximum secundum duplex charitatis præceptum, quod Spiritus sanctus voluit insinuare per duarum mysterium tabularum: & ideo digito Dei scriptæ dicuntur. Et quia Deus est trinus, Pater scilicet & Filius, & Spiritus sanctus; cui competit summa majestas adoranda, veritas profitenda, & charitas acceptanda, secundum vim irascibilem, rationalem, & concupiscibilem, per actum operis, oris, & cordis: ideo triplex est mandatum primæ tabulæ, correspondens tribus præmissis, scilicet adorationis subjectivæ, jurationis veridicæ, & A sabbatizationis sacratæ. Quia vero proximus est imago Trinitatis, & ei, quantum præfert imaginem Patris, debetur pietas: in quantum imaginem Filii, debetur veracitas: inquantum imaginem Spiritus sancti, debetur benignitas: hinc est, quod septem sunt mandata, quæ ad secundam tabulam spectant. Nam penes pietatem duo sunt, unum, quod pietatem mandat, scilicet de patre onorando alterum, quod impietatem vetat, sc. sibi & de non occidendo. Penes veracitatem vero, quæ principaliter consistit in verbo, accipitur unum, scilicet de falso testimonio non ferendo. Penes benignitatem vero, cui opponitur cupiditas, & concupiscentia, B quarum utraque potest esse in opere, vel in corde, accipiuntur quatuor, scilicet non mœchaberis: non concupisces uxorem: non furtum facies: & non concupisces rem alienam. Et habent hæc ordinari, secundum majora, vel minora nocumenta, per quæ infringi potest justitia. Et sic regulæ spectantes ad justitiæ necessitatem, debent contineri in decem præceptis. Quoniam autem justitia ad perfectionem pervenit, dum perfecte se elongat a malo, & quantum ad culpam, & quantum ad causam: & omnem malum oritur ex triplici radice, scilicet concupiscentiæ carnis, & concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ; hinc est, quod tria sunt consi- *1. Joh 2.*
C lia Evangelica, perfecte nos elongantia a triplici radice prædicta. Quæ ideo sunt consilia, quia ut perfecte faciant recedere a malo, non solum separant ab illicitis, verum etiam a licitis, & concessis, quæ possunt esse occasio mali: ac per hoc non solum justitiam continent sufficientem, verum etiam superabundantem, secundum quod competit perfectioni Evangelicæ legis, & exercitationi gratiæ perficientis.

Exod. 13.
Sufficientia præceptorum Decalogi.

Caput X.

De exercitio gratiæ respectu petendorum, & orandorum.

Cur Deus a nobis requirat orandi assiduitatem.

DE petitionibus autem orationis Dominicæ hoc tenendum est, quod licet Deus sit liberalissimus, & promptior ad dandum, quam nos ad accipiendum; tamen a nobis vult orari, ut occasionem habeat largiendi dona gratiæ Spiritus sancti. Vult autem orari, non solum oratione mentali, quæ est ascensus intellectus in Deum, verumetiam vocali, quæ est petitio decentium a Deo, non solum per nosipsos, verumetiam per Sanctos, tamquam B per adjutores nobis divinitus datos, ut quod minus digni sumus impetrare per nos, impetrare valeamus per Sanctos. Et quia quid oremus, secundum quod oportet, nescimus, ne vagaremur incerti, formam nobis tribuit Dominus, & Deus noster Christus in oratione, quam composuit: in qua sub septenario petitionum numero universitas comprehenditur petendorum.

Rom. 8

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia primum principium sicut est summe verum & bonum in seipso, sic misericors & justum in opere suo. Et quia misericordissimum est, ideo libentissime condescendit humanæ miseriæ per infusionem gratiæ suæ. Quia vero simul cum hoc justum est, ideo donum perfectum non dat, nisi desideranti: non dat gratiam, nisi regratianti, non impendit misericordiam, nisi miseriam cognoscenti, ut salva sit libertas arbitrii, & non vilescat nobilitas doni, & integer perseveret cultus honoris divini. Quoniam ergo orantis est affectare subsidium, proprium allegare defectum, & gratias agere propter beneficium gratis datum: hinc est, quod oratio disponit ad susceptionem divinorum charismatum, & Deus orari vult ad hoc, ut munera largiatur. Rursus quia ad hoc, quod desiderium efficaciter sursum tendat ad impetrandum dona divina, ne- A cesse est, quod affectio nostra sit fervida, & cogitatio in unum collecta, & expectatio nostra sit certa, & firma; & quia cor nostrum frequenter est tepidum, frequenter dispersum, frequenter etiam pavidum propter peccati remorsum, nec audens per seipsum comparere ante Dei conspectum, hinc est quod Dominus voluit nos non tantum orare mentaliter, verumetiam vocaliter, ad nostri affectus excitationem per verba, & ad recollectionem cogitationum per sensum verborum. Voluit etiam nos orare per Sanctos, & Sanctos pro nobis, ad dandam fiduciam pavidis, ut quod non audent, vel non possunt impetrare per se, per idoneos impetratores obtineant, ac per hoc in orantibus humilitas conservetur: in Sanctis intercedentibus dignitas declaretur: in omnibus etiam Christi membris charitas, & unitas ostendatur, qua quæ inferiora sunt ad superiora fiducialiter recurrant, & superiora inferioribus liberaliter condescendat.

Oratio mentalis, & vocalis & invocatio Sanctorum.

Postremo quia Deus justus & misericors exaudire non debet nisi in his, quæ spectant ad suum honorem & ad nostram salutem: hujusmodi autem sunt, quæ spectant ad præmium patriæ, & ad viaticum viæ, & prima sunt tria, & sequentia quatuor: hinc est, quod petitiones Dominicæ orationis, quæ docent, quid petere utiliter debeamus, sunt septem. Quæ enim C spectant ad divinum honorem, & præmium patriæ, sunt tria, scilicet intelligentia veritatis, reverentia majestatis, & concordia voluntatis. Sive per alia verba. Vel est visio summi veri, quod non videtur nisi a mundis, & a Sanctis, & hæc petitur, cum dicitur: Sanctificetur nomen tuum, id est tui nominis notitia perfectis Sanctis, & mundis donetur. Vel est tentio summi ardui, quæ reges facit & per quam regnum habetur & hæc petitur, cum dicitur: Adveniat regnum tuum. Vel est fruitio summi boni, quæ non datur, nisi his, qui voluntates suas habent divinæ voluntati conformes, & hæc petitur cum dicitur. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, &

Orationis Dominicæ petitiones septem, & brevis earum summa.

in

in terra. Quæ autem spectant ad A transitum viæ, aut respiciunt collationem boni conferentis, aut amotionem mali nocentis. Collatio autem boni conferentis petitur in pane quotidiano, sive supersubstantiali, in quo petitur quidquid necessarium est ad conservationem vitæ præsentis, sive secundum spiritum, sive secundum corpus. Amotio autem mali nocentis petitur in tribus petitionibus ultimis: quia omne malum aut tenet rationem præteriti, aut futuri, aut præsentis. Vel aliter, aut tenet rationem mali culpæ, aut pugnæ, aut pœnæ. Primum petitur amoveri in dimissione debitorum: secundum in victoria tentationum: tertium, & ulti- B mum in liberatione ab oppressione malorum. Et sic septem in universo sunt petitiones, in quibus universaliter petitur quidquid petendum est. Et hoc quidem satis rectum, ut septenarius petitionum respondeat septenario divinorum charismatum, & donorum gratiæ septiformis. Propter quod notandum est, quod septiformem septenarium proponit nobis sacra scriptura considerandum, scilicet vitiorum capitalium, sacramentorum, virtutum, donorum, beatitudinum, petitionum, & dotum gloriosarum, trium scilicet spiritualium, & quatuor corporalium, ut inferius apparebit. Proponit ergo septenarium vitio- C rum, tamquam primum, a quo debemus recedere: septenarium sacramentorum secundum, per quem debemus incedere: septenarium dotum ultimum, quem debemus appetere: septenarium petitionum penultimum, quo debemus petere: septenarium autem virtutum, donorum, & beatitudinum, triplicem intermedium, per quem debemus transire: ut sic septies in die laudantes nomen domini & orantes, impetremus gratiam septiformen virtutum, donorum & beatitudinum, qua vincamus septiformem pugnam vitiorum capitalium, & perveniamus ad septiformem coronam dotum gloriosarum, adjuvante nihilominus septiformi medicina sacramentorum divinitus ad reparationem humani generis statutorum.

Septenarius septiformis ex sacra scriptura.

Ps. 118

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doct. Breviloquii,

SEXTA PARS,

In qua de Medicina Sacramentali agitur.

CAPUT I.

De Sacramentali origine.

POSTQUAM actum est de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, & de gratia Spiritus Sancti: jam nunc sexto agendum est de medicina sacramentali. Circa quam consideranda sunt septem. Agendum est enim de sacramentorum origine, variatione, distinctione institutione, dispensatione, iteratione, & uniuscujusque integritate. De origine igitur sacramentorum hoc tenendum est, quod sacramenta sunt signa sensibilia divinitus instituta tamquam medicamenta, in quibus sub tegumento rerum sensibilium divina virtus secretius operatur: ita quod ipsa ex similitudine naturali repræsentant, ex institutione significant, ex sanctificatione conferunt aliquam spiritualem gratiam, per quam anima curatur ab infirmitatibus vitiorum, & ad hoc principaliter ordinantur tamquam ad finem ultimum: valent tamen ad humiliationem, eruditionem, & exercitationem, sicut ad finem, qui est sub fine.

Propositio agendorum in sexta parte Breviloquii.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia principium reparativum, quod est Christus crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod sapientissime dispensat omnia, quia divinum, & clementissime curat, quia divinitus incarnatum, sic debet reparare, &

& salvare humanum genus ægrotum, secundum quod competit ipsi ægrotanti, ægritudini & occasioni ægrotandi, & ipsius ægritudinis curationi. Ipse autem medicus est Verbum incarnatum, Deus, scilicet invisibilis in natura visibili. Homo ægrotans est non tantum spiritus, nec tantum caro, sed spiritus in carne mortali. Morbus autem est originalis culpa, quæ per ignorantiam inficit mentem, & per concupiscentiam inficit carnem. Origo autem hujus culpæ, licet principaliter fuerit ex consensu rationis; occasionem tamen sumpsit a sensibus carnis. Ad hoc ergo, quod medicina correspondens esset omnibus supradictis, oportuit, quod non tantum esset spiritualis, verumetiam aliquid haberet de sensibilibus signis: ut sicut hæc sensibilia fuerunt animæ occasio labendi, ita essent ei occasio resurgendi. Quoniam igitur signa sensibilia, quantum est de se, non habent efficacem ordinationem ad gratiam, licet habeant longinquam repræsentationem de sui natura; hinc est quod oportuit quod ab auctore gratiæ instituerentur ad significandum, & benedicerentur ad sanctificandum: ut sic essent ex naturali similitudine repræsentantia: ex adiuncta institutione significantia: ex superaddita benedictione sanctificantia, & ad gratiam præparantia, per quam curaretur & sanaretur anima nostra. Rursus, quoniam gratia curativa non datur elatis, incredulis, & fastidiosis; ideo oportuit hæc signa sensibilia divinitus dari, quæ non solum sanctificarent, & gratiam conferrent, ac per hoc sanarent, verum etiam significatione erudirent, & susceptione humiliarent, & diversificatione exercitarent: ut sic per exercitationem exclusa accidia a concupiscibili: per eruditionem exclusa ignorantia a rationali: per humiliationem exclusa superbia ab irascibili, tota anima curabilis fieret a gratia Spiritus sancti: quæ reformat nos secundum has tres potentias, ad imaginem Trinitatis, & Christi. Postremo quoniam per hujusmodi signa sensibilia divinitus instituta, gratia Spiritus sancti suscipitur, & in eis ab accedentibus invenitur: hinc est, quod hujusmodi Sacramenta dicuntur gratiæ vasa, & causa, non quia gratia in eis substantialiter contineatur, vel causaliter efficiatur, cum in sola anima habeat collocari, & a solo Deo habeat infundi: sed quia in illis, & per illa gratiam curationis a summo medico Christo ex divino decreto oportet hauriri, licet Deus non alligaverit suam gratiam sacramentis.

Sacramentum cur sensibile signum.

Sacramenta quo modo vasa, & causa gratiæ.

Ex præmissis igitur apparet non solum, quis sit sacramentorum ortus, verum etiam quis usus, & quis fructus. Nam ortus eorum est Christus Dominus. Usus autem est actus exercitativus, & eruditivus, & humiliativus. Fructus autem est hominum cura, & salus. Patet etiam quæ sit causa efficiens sacramentorum, quia divina institutio, quæ materialis, quia signi sensibilis repræsentatio, quæ formalis, quia gratuita sanctificatio, quæ finalis, quia hominum medicinalis curatio. Et quia denominatio fit a forma, & fine; hinc est, quod dicuntur sacramenta, quasi medicamenta sanctificantia. Per hæc enim anima a fœditate vitiorum reducitur ad sanctificationem perfectam. Et ideo licet sint corporalia & sensibilia, sunt tamen medicinalia, & ob hoc veneranda tamquam sancta: quia sacra significant mysteria, ad sacra præparant charismata, a sacratissimo Deo data, sacra institutione & benedictione divinitus consecrata, ad cultum sacratissimum Dei in sacra Ecclesia constituta, ut merito dici debeant sacramenta.

CAPUT II.

De Sacramentorum variatione.

DE variatione autem sacramentorum hoc tenendum est, quod sacra-

sacramenta ab initio ad curationem hominis sunt instituta, & semper cum morbo hominis cucurrerunt, & usque in finem sæculi perdurabunt: sed alia fuerunt in lege naturæ, alia sub lege scripta, alia sub lege gratiæ. Et in his omnibus illa, quæ posteriora sunt significatione, sunt evidentiora, & effectu gratiæ digniora. In lege enim naturæ fuerunt oblationes, sacrificia, & decimationes. In lege autem scripta introducta est circumcisio, & adjuncta est expiatio, & superaddita est oblationum, & decimationum & sacrificiorum multiformis distinctio. In lege autem nova statuta sunt sacramenta numero pauciora, utilitate potiora, virtute efficaciora, & præeminentia digniora, in quibus est impletio simul, & evacuatio Sacramentorum omnium prædictorum.

Sacramenta legis naturæ scriptæ & gratiæ.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia verbum incarnatum, quod est reparationis nostræ principium, & fons & origo Sacramentorum, cum sit clementissimum & sapientissimum; eo quod clementissimum est, non permisit quod curreret morbus peccati sine remedio Sacramenti: eo vero quod sapientissimum, ideo juxta dictamen suæ immutabilis sapientiæ cuncta ordinatissime gubernantis, diversa adhibuit medicamenta, & varia secundum mutationem variam temporum diversorum. Quoniam ergo ab initio præcurrente tempore, & adventu Salvatoris magis ac magis appropinquante, semper magis ac magis effectus salutis crevit, & cognitio veritatis; congruum fuit, & ipsa signa salutis per successionem temporum alia post alia variari: ut effectus gratiæ divinæ in salutem cresceret, simulque & ipsa significatio in ipsis signis visibilibus evidentior appareret. Et ideo primum per oblationes, postea per circumcisionem, ad ultimum per baptismalem ablutionem, expiationis, & justificationis Sacramentum formaliter institutum est: quia ejusdem mundationis forma, & similitudo in oblatione quidem occulte invenitur, in circumcisione vero evidentius exprimi-

A tur, per baptismum autem manifestius declaratur. Et hinc est quod illa primi temporis sacramenta, sicut dicit Hugo, fuerunt sicut veritatis umbra: medii temporis sicut figura, seu imago: postremi, scilicet gratiæ sicut corpus, quia intra se veritatem, & gratiam curatricem continent, quam præsentant, & præsentialiter conferunt, quod promittunt.

Hugo de S. Vict. Dial. de sacram. leg. nat. & script. longissime post med.

Rursus quoniam præsentia veritatis, & gratiæ, quæ in lege gratiæ exhibetur ratione suæ excellentiæ, & multiformitatis in opere & virtute, per unum signum exprimi non poterat, ut decebat; hinc est, quod in omni tempore, & lege plura fuerunt sacramenta data, ad illam veritatem, & gratiam exprimendam: sed præcipue in tempore legis figuræ, cujus est figurare, multa signa & varia præcesserunt, quæ sua varietate Christi gratiam multipliciter exprimerent, & excellentius commendarent, & multipliciter commendando nutrirent parvulos, exercerent imperfectos, & duros onerando frangerent, & ad jugum gratiæ domarent: & quodammodo emollirent.

Quare in omni lege plura fuerunt sacramenta.

B

Postremo, quoniam superveniente veritate, cessat umbra, & figura prænuntians sortitur finem intentum, quo habito, cessare debet ejus usus, & actus; hinc est, quod gratia superveniente, vetera Sacramenta & signa impleta sunt pariter & sublata; quia signa erant prænostica futurorum, & quasi prænuntiantia de longinquo, & nova nihilominus instituta tamquam demonstrativa præsentis gratiæ, & rememorativa quodam modo Passionis Dominicæ, quæ fons est, & origo gratiæ curativæ, sive in omnibus, sive in nobis, sive in his, qui præcesserunt Christi adventum: sed in his qui præcesserunt, tamquam pretium promissum: in his, qui sequuntur, tamquam pretium persolutum. Et quoniam non debetur gratia promissioni pretii, nisi ratione persolutionis, & abundantior debetur persoluto pretio, quam promisso; hinc est, quod Passio Christi immediatius Sanctificat Sacramenta temporis legis novæ, & pleniori gratia in

Dignitas sacramentorum novæ legis.

C

in eis redundat. Propter quod illa præparaverunt, & perduxerunt ad hæc, sicut via ad terminum, sicut signum ad signatum, sicut figura ad veritatem, & sicut imperfectum reducit & præparat ad perfectum.

Caput III.

De Sacramentorum numero, & distinctione.

De distinctione autem, & numero Sacramentorum novæ legis, hoc tenendum est, quod ipsa sunt septem, secundum correspondentiam, ad gratiam septiformem, quæ per septenarium temporis nos reducit ad principium, quietem, & circulum æternitatis, sicut ad octavam Resurrectionis universalis. Horum autem Sacramentorum janua est baptismus, deinde confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, unctio extrema, ordo, & Matrimonium: quod licet ultimo collocetur propter morbum concupiscentiæ annexum, ipsum tamen fuit ante omnia introductum in Paradiso, etiam ante peccatum.

Sufficientia septem Sacramentorum. Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia principium nostrum reparativum, & curativum nostrorum morborum Christus Dominus; Verbum incarnatum, cum sit Dei virtus, & sapientia, & misericordia nostra, sic potenter, sic sapienter, sic clementer, sic decenter sua debet instituere Sacramenta in lege gratiæ, ut nihil prorsus desit curationi nostræ quantum competit statui vitæ præsentis. Ad perfectam autem curationem ægritudinis concurrunt hæc tria, scilicet expulsio ægritudinis, introductio sanitatis, & conservatio introductæ salutis.

1. Ratio. Primum igitur quoniam ad perfectam curationem, perfecta & universalis requiritur morbi expulsio, & morbus est septiformis, triplex culpabilis, scilicet culpa originalis, mortalis, & venialis: & quadruplex pœnalis, scilicet ignorantia, malitia, infirmitas, & concupiscentia, & non sanat oculum, quod sanat calcaneum, sicut dicit Hieronymus: hinc est, quod oportuit adhiberi contra hæc septenarium medicamentorum ad hunc septiformem morbum plenius expellendum, scilicet contra originalem, baptismum: contra mortalem, pœnitentiam: contra venialem, unctionem extremam: contra ignorantiam, ordinem: contra malitiam, eucharistiam contra infirmitatem, confirmationem: & contra concupiscentiam, matrimonium, quod eam temperat, & excusat.

Rursus quia perfecta curatio non potest esse sine restitutione integræ sanitatis, & sanitas animæ integra consistit iu usu septem virtutum, trium scilicet theologicarum, & quatuor Cardinalium; hinc est, quod ad harum usum sanum restituendum, institui oportuit septiforme Sacramentum. Nam baptismus sanando disponit ad fidem, confirmatio ad spem, Eucharistia ad charitatem, pœnitentia ad justitiam, unctio extrema ad perseverantiam, quæ est fortitudinis complementum, & summa, ordo ad prudentiam, matrimonium ad temperantiam conservandam, quam maxime persequitur infirmitas carnis, sed honestas remediat nuptiarum. 2. Ratio.

Postremo quoniam perfecta curatio esse non potest, sine conservatione salutis introductæ, & salus introducta conservari non potest in conflictu certaminis, nisi in acie Ecclesiæ, quæ est terribilis, ut castrorum acies ordinata, & hoc quidem fit per septiformis gratiæ armaturam; hinc est, quod necesse est, septem esse Sacramenta. Nam ut hæc acies sit perfecte, & continue communita, cum constet ex partibus corruptibilibus, indiget Sacramentis munientibus, relevantibus & renovantibus; munientibus pugnantes, relevantibus cadentes, & renovantibus morientes. Sacramentum autem muniens, aut munit ingredientes, & sic est baptismus, aut stantes, & sic est confirmatio: aut exeuntes: & sic est extrema unctio. Sacramentum autem relevans aut relevat a casu veniali, & sic est Eucharistia: aut a mortali, & sic est pœnitentia. Sacramentum autem renovans, aut renovat in esse spirituali, & sic est ordo, cujus est administrare Sacra- 3. Ratio. Cant. 6.

cra-

cramenta: aut in esse naturali, & sic est matrimonium, quod quia renovat multitudinem in esse naturæ, quod est omnium fundamentum, ideo primo fuit ante omnia institutum, sive introductum, licet propter morbum concupiscentiæ annexum. Et quia minime est sanctificativum quamvis significatione sit Sacramentum magnum, inter medicamenta spiritualia ultimo collocatur, & locum sortitur extremum. Unde quia baptismus est ingredientium, confirmatio pugnantium, Eucharistia vires resumentium, pœnitentia resurgentium, extrema unctio exeuntium, ordo novos milites introducentium, matrimonium novos milites præparantium, patet ex his sufficientia, & ordo medicamentorum sacramentalium, & armorum.

Matrimonium cur ante omnia alia Sacramenta institutum.

CAPUT IV.

De Sacramentorum institutione.

DE institutione autem Sacramentorum hoc tenendum est, quod septem Sacramenta legis gratiæ Christus instituit, tamquam novi testamenti mediator, & præcipuus lator legis, in qua vocavit ad promissa æterna, dedit præcepta dirigentia, & instituit Sacramenta sanctificantia. Instituit vero ea in verbis, & elementis, ad evidentiam significationis, & efficaciam sanctificationis, ita quod semper habet significantiam veritatis, sed non semper efficaciam curationis, non propter defectum à parte sui, sed a parte suscipientis. Instituit autem prædicta sacramenta diversimode. Quædam scilicet ex eis confirmando, approbando, & consumando, ut matrimonium, & pœnitentiam: quædam autem insinuando, & initiando, ut confirmationem, & unctionem extremam: quædam vero initiando, & consummando, & in semetipso suscipiendo, ut sacramentum Baptismi, Eucharistiæ, & Ordinis. Hæc enim tria & plene instituit, & etiam primus suscepit.

Institutionis Sacramentorum modus diversus.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium reparativum nostrum est Christus A crucifixus, Verbum scilicet incarnatum, quod quia Verbum est patri coæquale, & consubstantiale, est verbum summæ virtutis, summæ veritatis, & summæ bonitatis, ac per hoc, & summæ auctoritatis; & ideo ipsius est proprie novum testamentum introducere, ipsius est etiam dare legem integram, & sufficientem, secundum exigentiam summæ virtutis, & veritatis, ac bonitatis suæ. Ratione igitur summæ bonitatis, promissa proposuit beatificantia: ratione autem summæ veritatis, præcepta dedit dirigentia: ratione vero summæ virtutis, Sacramenta statuit adminiculantia: ut sic per Sacramenta virtus repararetur, ad implenda B præcepta dirigentia; & per præcepta directiva perveniretur ad promissa æterna, faciente hoc Verbo æterno Christo, scilicet Domino in lege Evangelica in quantum est via veritas, & vita.

Rursus quoniam reparativum principium non solum est Verbum, inquantum Verbum, sed etiam inquantum incarnatum, quod hoc ipso, quod incarnatum omnibus se offert quantum ad notitiam veritatis, & omnibus digne accedentibus se exhibet ad gratiam curationis; hinc est, quod tamquam plenum gratiæ, & veritatis ad maiorem evidentiam significandi, & efficaciam sanctificandi, Sacramenta instituit in elemen- C tis simul, & verbis: ut dum elementa oculis, & verba auribus se offerrent, qui sunt duo sensus maxime cognoscitivi, evidentiam darent significationis expressæ: deinde etiam verba sanctificarent elementa, ut plenior fieret efficacia curationis humanæ, quæ quoniam nulli datur repugnanti & impugnanti fontem gratiæ interius in corde; ideo sic instituta sunt, ut significarent semper, & universaliter, non autem sanctificarent, nisi accedentes digne absque omni fictione.

Joan. 14.

Joan. 1.

Postremo, quoniam & si Verbum incarnatum sit fons gratiæ sacramentalis, aliqua tamen gratia sacramentalis fuit ante incarnationem; aliqua vero non nisi post Spiritus sancti missionem, quædam autem medio

dio modo se habens; hinc est, quod A oportuit Sacramenta institui diversimode. Nam ante incarnationem necessaria fuit compunctio pœnitentialis, generatio matrimonialis; ideo hæc duo Sacramenta non de novo instituit, sed iam a se instituta, & naturali dictamini quodam modo impressa consummavit, & confirmavit in lege Evangelica, dum pœnitentiam prædicavit, & nuptiis interfuit, & legem coniugii approbavit, secundum quod colligitur ex diversis Evangelii locis. Ante vero Spiritus sancti missionem, nec fuit plena Spiritus sancti donatio ad confirmationem, & nominis Christi publicam confessionem, nec unctio mentis plenaria ad evolationem: ideo hæc duo B Sacramenta, scilicet confirmationem, & extremam unctionem Christus solum initiavit, & insinuavit: confirmationem, manum parvulis imponendo, & prædicendo, discipulos baptizandos Spiritu sancto: unctionem vero extremam, discipulos ad curandum mittendo, qui infirmos ungebant oleo, sicut dicitur in Marco. Medio autem tempore, & fuit regeneratio, & Ecclesiæ ordinatio, & spiritualis cibatio, ideo Christus hæc tria Sacramenta, scilicet Baptismi, Eucharistiæ, & Ordinis, & complete, & clare instituit. Primo Baptismum suscipiendo, deinde formam dando, & ceteris publicando: Ordinem vero, dando primo potesta- C tem ligandi, & solvendi peccata humani generis, & potestatem conficiendi Sacramentum altaris: Eucharistiam vero, comparando se grano frumenti, & conficiendo, & dando discipulis, imminente passione, Sacramentum corporis, & sanguinis sui. Et ideo hæc tria Sacramenta per Christum distincte, & integre, debuerunt institui, & in lege veteri multipliciter figurari, tamquam Sacramenta substantialia novi testamenti, & propria legislatoris, Verbi scilicet incarnati.

Act. 1.

Mar. 6.

CAPUT V.

De Sacramentorum dispensatione.

DE dispensatione vero Sacramentorum hoc tenendum est, quod potestas dispensationis Sacramentorum, regulariter spectat ad solum genus humanum. In omnibus autem Sacramentis dispensandis, necessaria est in dispensante intentio. In aliquibus etiam necessario cum intentione requiritur ordo sacerdotalis, vel pontificalis. Pontificalis, inquam, necessarius est, dispensationi confirmationis, & ordinis. Sacerdotalis vero dispensationi Eucharistiæ, pœnitentiæ, & unctionis extremæ. Baptismus autem, & matrimonium, licet ad sacerdotes spectent, possunt tamen præter ordinem sacerdotalem dispensari de facto, maxime in articulo necessitatis. His autem existentibus, Sacramenta dispensari possunt a bonis, & malis; a fidelibus, & hæreticis: intra Ecclesiam, & extra: sed intra, secundum veritatem, & ad utilitatem; extra vero non ad utilitatem, licet dispensentur secundum veritatem.

Ministri Sacramentorum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum, inquantum Deus, & homo, Sacramenta instituit ad salutem hominum, ordinavit, sicut & congruum fuit, ut hominibus dispensarentur per ministerium hominum, propter servandam conformitatem dispensatoris ad Salvatorem Christum, & ad ipsum hominem salvandum. Quoniam ergo Salvator Christus humanum genus salvavit, secundum quod exigebat æquitas iuris, dignitas ordinis, & securitas salutis, operatus est enim salutem nostram modo recto, ordinato, & certo: hinc est quod secundum horum trium exigentiam, Sacramenta commisit hominibus dispensanda. Primo igitur, quia rectitudo iuris exigit, ut opera hominis, secundum quod homo, non fiant præcipitanter; & opera hominis, ut ministri Christi, aliquo modo referantur

tur

tur ad Christum; & opera hominis, ut ministri salutis, aliquo modo referantur ad salutem, vel in generali, vel in speciali; & dispensatio Sacramentorum est opus hominis, ut rationalis, ut ministri Christi, & ut ministri salutis: hinc est, quod necesse est, quod fiat ex intentione, qua quis intendat facere, quod Christus instituit ad humanam salutem facere, quod facit Ecclesia, in quo clauditur in generali intentio prædicta, quia ipsa Ecclesia sicut sacramenta a Christo accepit, sic ad fidelium salutem dispensat.

Intentio Sacramentis necessaria.

Rursus, quia ordo dignitatis exigit, ut maiora maioribus, minora minoribus, & media mediis committantur: & quædam sunt Sacramenta, quæ præcipue respiciunt excellentiam virtutis, sive dignitatis, ut Sacramentum confirmationis, & ordinis: quædam, quæ respiciunt indigentiam necessitatis, ut baptismus, & matrimonium, quorum unum generat, alterum regenerat ad existentiam debitam: quædam autem media, ut Eucharistia, pœnitentia, & unctio extrema; hinc est quod prima tamquam suprema, non possunt dispensari nisi ab Episcopis, & Pontificibus, quantum est de jure communi: alia vero tamquam infima, dispensari possunt a quibuscumque ordinibus, & personis inferioribus, maxime in articulo necessitatis, quod dico ratione baptismi: media vero a solis sacerdotibus, qui inter Episcopos, & inferiores personas, sunt quasi in medio constituti.

Postremo, quia securitas salutis exigit, ut res sic fiat, ut in dubium non cadat, & nullus est, qui certus sit de bonitate, & credulitate dispensatoris, & idem ipse non est certus de se, utrum odio vel amore dignus sit: ideo si Sacramenta dispensari solum possent a bonis, nullus esset certus de susceptione Sacramenti, & sic oporteret semper iterari, & sic malitia unius, præiudicaret alienæ saluti. Nulla etiam esset stabilitas in gradibus hierarchiæ Ecclesiæ militantis, quæ maxime consistit in Sacramentis dispensandis: & ideo congruum fuit, ut Sacramentorum dispensatio committeretur homini, non ratione sanctitatis, quæ variatur secundum voluntatem, sed ratione auctoritatis, quæ semper manet quantum est de se: ac per hoc oportuit, quod se extenderet ad bonos, & ad malos: ad eos, qui sunt intra, & ad eos qui sunt extra Ecclesiam. Verum, quia extra unitatem fidei, & charitatis, quæ facit nos filios Ecclesiæ, & membra, nullus potest salvari; ideo si Sacramenta extra recipiantur, non ad salutem recipiuntur, quamvis vera sint Sacramenta, sed utilia possunt fieri, si quis redeat ad sanctam matrem Ecclesiam unicam Christi sponsam, cuius filius tantum Christus sponsus reputat dignos hæreditate æterna. Unde Aug. contra Donatistas: Ecclesia Paradiso comparata, indicat nobis posse quidem baptismum eius homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere, vel tenere. Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt: nominatim quippe commemorantur, per quas terras fluant, & quod extra Paradisum constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotamia, vel in Ægypto, quo illa flumina perveniunt, est felicitas vitæ, quæ in Paradiso commemoratur. Ita fit, ut cum Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra Paradisum. Sic ergo baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fundata est, quæ ligandi, & solvendi claves accepit. Hæc est una, quæ tenet & possidet, omnem sponsi sui & Domini potestatem, per quam coniugalem potestatem, etiam de ancillis parere filios potest, qui si non superbiant, in sortem hæreditatis vocabuntur, si vero superbiant, extra remanebunt. Magis ergo, quia pro Ecclesiæ honore atque unitate pugnamus, non tribuamus hæreticis, quidquid apud eos eius cognoscimus, sed eos arguentes docea-

Eccl. 9. Quare non a solis bonis dispensantur Sacramenta.

Aug. de Baptism. con. Donatist. lib. 4. c. 2. tom. 7. Gen. 2.

Matt. 16.

ceamus, quod extra unitatem habent, non valere ad salutem, nisi ad eamdem venerint unitatem.

Caput VI.

De Sacramentorum iteratione.

De iteratione autem Sacramentorum, hoc tenendum est, quod licet commune sit omnibus Sacramentis non iterari super eamdem personam, & materiam, & ex eadem causa, ne fiat contumelia Sacramento; specialiter tamen tria sunt sacramenta, quæ non sunt aliquatenus iteranda, scilicet baptismus, confirmatio, & ordo. In his namque tribus imprimitur triplex character interior, qui non deletur; inter quos, character baptismalis retinet fundamentum, nec alii possunt imprimi, nisi ille primitus imprimatur. Unde si quis ordinatur non baptizatus, nihil prorsus efficitur, sed est totum de novo faciendum: quia non intelligitur iteratum, quod constat non fuisse factum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia principium nostrum reparativum. Verbum scilicet incarnatum, licet ratione suæ summæ virtutis, & sapientiæ & bonitatis nihil agat inefficaciter, nihil ineptè, nihil infructuose; potissime tamen hoc observare debet in nobilissimis operibus suis, cuiusmodi sunt illa, per quæ reparatur genus humanum. Quoniam ergo Sacramenta sunt de genere huiusmodi operum divinorum; hinc est, quod contumelia quodam modo fit eis, quando super eamdem materiam, & personam, & ex eadem causa iterantur: quia ex hoc ostenditur, quod prius dispensata fuerunt inefficacia, inepta, & infructuosa, contra id, quod exigebat ipsius reparativi principii virtus, & sapientia, & bonitas summa, quæ semper assistit ad operandum in illis, & per illa Sacramenta.

Sacramentorum cur quædam iterabilia

Rursus quoniam inter hæc Sacramenta reparantia, in quibus est generaliter efficacia divinæ virtutis ad A reparationem humani generis, quædam sunt, quæ tantum introducta sunt propter remedia morborum; quædam etiam non solum ad hoc, sed ad statuendum, discernendum, & ordinandum in Ecclesia hierarchicos gradus: & morbi possunt variari, expelli, & iterum introduci; gradus autem Ecclesiæ debent esse firmi, & solidi, & inconcussi: hinc est, quod Sacramenta, quæ respiciunt morbos iterabiles, habent effectus transeuntes: ac per hoc, & iterabiles ratione novæ causæ. Sacramenta vero illa, quæ respiciunt gradus hierarchicos, & status fidei determinatos, necesse est, quod præter effectus remediantes, aliquos effectus tribuant permanentes, ad graduum, & statuum Ecclesiæ distinctionem fixam & stabilem. Et quoniam hoc non potest fieri per data naturalia, vel dona gratuita gratum facientia, necesse est, quod fiat per aliqua signa, substantiæ incorruptibili: scilicet animæ incorruptibili a principio incorruptibili, secundum conformitatem ad incorruptibile indelebiliter, & gratis impressa, quæ characteres appellantur: qui quoniam numquam delentur, ideo nec iterari possunt, nec illa Sacramenta, in quibus huiusmodi characteres imprimuntur.

sint, quædam vero non.

Triplex status fidei.

Postremo, quoniam triplex est status fidei, secundum quem habet fieri distinctio in populo Christiano, in acie Ecclesiasticæ hierarchiæ, scilicet status fidei genitæ, roboratæ, & multiplicatæ. Secundum primum fit distinctio fidelium ab incredulis: per secundum fit distinctio fortium ab infirmis, & debilibus: secundum tertium fit distinctio clericorum a laicis. Hinc est, quod illa Sacramenta, quæ respiciunt triplicem fidei statum prædictum, characteres imprimunt, per quos indelebiliter impressos semper distinguunt: ac per hoc numquam iterari possunt. Quoniam ergo baptismus respicit statum fidei genitæ, in quo populus Dei distinguitur ab incredulis, ut Israelitæ ab Ægyptiis; & confirmatio respicit statum fidei roboratæ, in quo distinguitur populus fortis

Character per quæ Sacramenta imprimitur.

fortis ab infirmis, ficut pugiles ab his, qui ad pugnam non funt idonei, & ordo refpicit ftatum fidei multiplicatæ, in quo diftinguitur clerus a laicis, ficut levitæ ab aliis tribubus; hinc eft, quod in his tantum tribus Sacramentis characteres imprimuntur. Quia vero diftinctio populi a non populo prima eft, & radicalis; hinc eft, quod character baptifmalis eft fundamentum omnium aliorum characterum: & ideo illo non fubftrato, nihil poterit fuperædificari: ac per hoc oportet, de novo fieri. Si autem ille fubfternatur, alii imprimi poffunt, nec umquam ulterius iterandi funt, nec Sacramenta tria prædicta, quæ hos imprimunt, ex caufa aliqua iterentur, & gravis de facto iterantibus debet pœna imponi, propter divini contumeliam Sacramenti: licet alia quatuor ex caufis diverfis poffint fine fui contumelia iterari.

Caput VII.

De integritate Baptifmi.

Jam nunc feptimo loco reftat videre de integritate uniufcuiufque Sacramenti, quæ cum fint in numero feptiformi, primo dicendum eft de baptifmi integritate, quod eft janua omnium aliorum Sacramentorum. De integritate igitur Sacramenti baptifmi, hoc tenendum eft, quod ad hoc, quod aliquis baptizetur vere, & plene, requiritur expreffio formæ vocalis a Domino inftitutæ, quæ eft hæc: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus fancti, Amen: abfque omiffione vocabuli, & fine interpofitione vocabuli: abfque præpofteratione ordinis fupradicti, & fine commutatione nominis prænotati. Requiritur etiam merfio, vel ablutio, per elementum aquæ in toto corpore, vel faltem in digniori parte: ita quod expreffio, & merfio fiat ab uno, & eodem, & in eodem tempore, quibus concurrentibus, fi non fit fictio in baptizando, datur ei gratia regenerans, & rectificans, & purificans ab omni culpa. Quod ut

Forma baptifmi.

A efficacius fiat, catechifmus & exorcifmus tamquam præparatorii præmittuntur tam in parvulis, quam in adultis; ita tamen, quod in adultis requiritur fides propria, in parvulis fufficit fides aliena.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc eft: quia cum principium noftrum reparativum, Verbum fcilicet incarnatum, tamquam perfectiffimum, & fufficientiffimum principium reparare habeat genus humanum per medicamenta Sacramentorum, ita quod nihil fit in eis fuperfluum, nihil inordinatum, nihil etiam diminutum; ita difponere debuit, quod Sacramentum baptifmi, & alia integrarentur fecundum quod exigebat B fua virtus, noftra falus, & etiam nofter morbus. Quoniam ergo virtus nos reparans, eft virtus totius Trinitatis, quam fancta mater Ecclefia credit in animo, confitetur in verbo, & profitetur in figno fub trium perfonarum diftinctione, & proprietate, ordine, & origine naturali: eft etiam virtus paffionis Chrifti, qui mortuus, & fepultus fuit, & die tertia refurrexit: hinc eft, quod ad horum expreffionem in Sacramento, quod primum omnium Sacramentorum eft, & in quo primo, & principaliter hæc virtus operatur, debuit fieri expreffio Trinitatis diftincta, propria, & ordinata nominatione, quantum eft C de forma communi: licet in tempore primitivæ Ecclefiæ potuerit fieri in nomine Chrifti, in quo intellectus clauditur totius Trinitatis. Debuit etiam fieri propria, & ordinata nominatio verbi baptizandi, cum trina merfione, ad expreffionem mortis Chrifti, & fepulturæ & refurrectionis poft triduum factæ, quantum eft de congruitate. Et quia fimul operatur utraque virtus, & in uno Chrifto Salvatore, utrumque horum debet fieri ab uno & eodem fimul, & eodem tempore, propter fervandam unitatem in Sacramento, & fignificandam unitatem in noftro mediatore.

Trinitatis expreffio in baptifmo neceffaria.

Baptifmus in nomine Chrifti claudit intellectum totius Trinitatis.

Rurfus quoniam falus noftra requirebat inchoari per regenerationem,

nem, seu renovationem in esse gratiæ conferentis spirituale, esse abstergendo immunditiam, affugando tenebras, & refrigerando concupiscentiam, quæ universaliter labefactat omnem hominem descendentem seminaliter ab Adam: hinc est, quod Sacramentum primum, quod est regenerativum, debuit fieri in elemento, quod haberet conformitatem ex naturali repræsentatione ad triplicem effectum prædictum gratiæ inchoantis nostram salutem. Quoniam ergo aqua sua puritate mundat, sua pervietate seu diaphaneitate luminis est delativa, sua frigiditate refrigerat, & maxime communis est omnibus inter omnia liquida: hinc est, quod Sacramentum regenerationis nostræ perfici debuit in elemento aquæ indifferenter: quia omnis aqua omni aquæ est eadem specie, & etiam ne aliquis propter defectum elementi periculum salutis incurrere posset.

Cur Baptismus in aqua fiat.

Postremo, quoniam moribus noster, contra quem principaliter est baptismus, est originale peccatum, quod animam privat vita gratiæ, & omnium virtutum rectitudine habilitante, & pronum quodam modo reddit ad omne genus culpæ, & traducitur aliunde & parvulum facit concupiscibilem, & adultum actu concupiscentem, redigit etiam in diabolicam servitutem, & in potestatem principis tenebrarum: hinc est, quod ad hoc, quod per illud Sacramentum per contrarium sufficiens adhibeatur remedii medicamentum, congruit in eo dari gratiam regenerantem contra privationem vitæ gratuitæ: gratiam rectificantem in septiformi virtute, contra privationem virtutis habilitativæ: gratiam purificantem ab omni culpa, contra pronitatem ad omnem deordinationem vitiosam.

In baptismo triplex gratia datur.

Et quoniam originale peccatum, trahitur aliunde, & parvulum facit concupiscibilem, & adultum actu concupiscentem, necessaria est adulto fides propria, & pœnitentia: sed parvulo sufficit aliena, quæ scilicet est in universali Ecclesia. Quia vero baptismus debet eruere a servitute Diaboli, & de potestate principis tenebrarum tam parvulos, quam adultos; hinc est, quod utrique exorcizari debent ad expulsionem potestatis contrariæ, utrique etiam cathechizari: adulti, ut expulsa caligine erroris, informentur ad fidem: parvuli vero, ut sciant patrini, quid eos debeant edocere, ne pro humano defectu impediatur baptismatis Sacramentum, quo minus habeat finem suum.

Quid in parvulo, & quid in adulto ad baptismum requiratur.

Caput VIII.

De integritate Confirmationis.

De Sacramento confirmationis hoc tenendum est, quod ad ipsius integritatem requiritur forma vocalis, quæ secundum morem magis communem hæc est: Signo te signo crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Requiritur etiam chrisma, quod conficitur ex oleo olivarum, & balsamo, de quo cum per manus Episcopi signum crucis fronti imprimitur sub prædicta forma verborum, confirmationis suscipitur Sacramentum, per quod confirmatur homo ut pugil ad nomen Christi audacter & publice confitendum.

Forma Sacramenti confirmationis, & materia.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia reparativum principium nostrum, Verbum scilicet incarnatum sicut æternaliter conceptum est in corde patris, & temporaliter in carne sensibiliter apparuit homini, sic neminem reparat, nisi ipsum & corde credendo concipiat, & creditum exterius confitendo depromat confessione debita: cujusmodi est confessio veridica, veritate plena, quæ non tantum est veritas speculativa, verumetiam practica. Hæc autem est in qua, non tantum est adæquatio intellectus, sermonis, & rei, verumetiam in qua totus homo veritati conformatur secundum intelligentiam rationis, secundum complacentiam voluntatis, & secundum adhærentiam virtutis, ut sit ex toto corde, tota anima, & tota mente: sit ex corde puro,

Confessio vere Christiana. 1 Tim. 1

puro, conscientia bona, & fide non A ficta: & talis est confessio integra, placida, & intrepida: ut sit ex integra ratione eius, de quo est; placida ratione eius, coram quo fit: intrepida ratione eius, a quo fieri habet illa confessio. Quoniam ergo ad hoc homo pusillanimis non est idoneus, nisi per manum supernæ gratiæ confirmetur; ideo ad hoc, Sacramentum confirmationis fuit divinitus institutum, tamquam immediate sequens baptismum.

Integritas Sacramenti confirmationis.

Quia vero finis imponit necessitatem iis, quæ sunt ad finem, ideo integrari debet hoc Sacramentum secundum exigentiam confessionis prædictæ, & suarum conditionum, trium videlicet prædictarum. Primo ergo B quoniam confessio hæc debet esse integra, & integritas confessionis non est, nisi quis confiteatur Christum verum hominem pro hominibus crucifixum, eumdemque verum Dei Filium incarnatum in Trinitate Patri, & Spiritui sancto per omnia coæqualem: hinc est, quod in forma vocali non tantum fit expressio actus confirmandi, verum etiam ipsius signi crucis, & nominis beatissimæ Trinitatis. Amplius, quia confessio debet esse placida ratione eius, coram quo fit, & fieri habet coram Deo & hominibus, & Deo non potest placere nisi adsit lumen intelligentiæ, & nitor conscientiæ, nec proximis, nisi adsit odor C bonæ famæ & vitæ honestæ: ideo ad horum designationem in elemento exteriori commiscetur oleum olivarum, quod est nitidum, & balsamum, quod est odoriferum: ut per hoc significetur quod confessio, ad quam hoc Sacramentum ordinat & disponit, coniunctum debet habere nitorem conscientiæ & intelligentiæ, cum suavi odore tam vitæ, quam famæ, ne contrarietas aliqua fit inter linguam, & conscientiam, vel inter linguam, & famam, propter quam talis confessio non acceptetur ab homine, nec approbetur a Christo. Postremo quoniam talis confessio debet esse intrepida, ut nec pudore, nec timore dimittat quis dicere veritatem, & tempore persecutionis ignominiosam mortem Christi in cruce confiteri publice formidat quis, & erubescit, præcipue horrens incidere in consimilem pœnam, & ignominiam passionis, & huiusmodi timor & pudor potissime apparet in facie, & maxime in fronte: ideo ad omnem verecundiam, & formidinem propulsandam, & manus potestativa imponitur, quæ confirmet; & crux fronti imprimitur, ut non erubescat eam publice confiteri, nec formidet pro confessione nominis Christi, si opus fuerit, quantamcumque pœnam, vel ignominiam sustinere, tamquam verus pugil unctus ad prælium, & tamquam strenuus miles ferens in fronte Regis sui signum & crucis eius triumphale vexillum, cum quo paratus sit penetrare hostium cuneos securus. Non enim potest crucis gloria libere prædicari, si crucis pœna, & ignominia formidetur, iuxta quod sanctus dicebat Andreas: Ego si crucem expavescerem, gloriam crucis minime prædicarem.

CAPUT IX.

De integritate Eucharistiæ.

Doctrina vere Catholica de Eucharistia.

DE Sacramento Eucharistiæ hoc tenendum est, quod in hoc Sacramento verum Christi corpus, & verus sanguis non tantum significatur, verum etiam veraciter continetur sub duplici specie, panis scilicet & vini, tamquam sub uno, & non sub duplici Sacramento; hoc autem est post consecrationem sacerdotalem, quæ fit in prolatione vocalis formæ a Domino institutæ: super panem scilicet. Hoc est corpus meum; Super vinum vero: Hic est calix sanguinis mei. Quibus verbis cum intentione conficiendi a sacerdote prolatis, transsubstantiatur utrumque elementum secundum substantia in corpus, & sanguinem JESU Christi, remanentibus speciebus sensibilibus, in quarum utraque continetur totaliter, non circumscriptibiliter, nec localiter, sed sacramentaliter totus Christus. In qui-

quibus etiam proponitur nobis ut cibus, quem qui digne accipit, non solum sacramentaliter, verum etiam per fidem, & charitatem spiritualiter manducando, corpori Christi mystico magis incorporatur, & in seipso reficitur, & purgatur: qui vero indigne accedit, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans sanctissimum corpus Christi. (1. Cor. 11.)

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, & sufficientissimum est in virtute, & sapientissimum est in sensu: ideo sic nobis contulit Sacramenta, secundum quod exigit sapientia, & efficientia sua. Et quia sufficientissimum est, ideo largiendo medicamenta morborum, & charismata gratiarum, non tantum instituit Sacramentum, quod nos in esse gratiæ generaret, ut baptismus: & genitos augmentaret, & roboraret, ut confirmatio: verum etiam quod genitos, & augmentatos enutriret, ut Sacramentum Eucharistiæ, propter quod hæc tria Sacramenta omnibus dantur, qui accedunt ad fidem. Quoniam ergo nutrimentum nostrum quantum ad esse gratuitum attenditur in unoquoque fidelium per conservationem devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, & delectationis intra seipsum: & devotio ad Deum exercetur per sacrificii oblationem: dilectio ad proximum, per unius Sacramenti communionem: & delectatio intra seipsum, per viatici refectionem: hinc est, quod principium nostrum reparativum istud Sacramentum Eucharistiæ, dedit in sacrificium oblationis, & Sacramentum communionis, & viaticum refectionis. (Eucharistia est sacrificium, Sacramentum, & viaticum.)

Quia vero principium nostrum reparativum non tantum est sufficientissimum, verum etiam sapientissimum, cuius est omnia agere ordinate; ideo sic dedit, & disposuit nobis sacrificium, Sacramentum, & viaticum exhibere, secundum quod competit tempore gratiæ revelatæ, statui viæ, & capacitati nostræ. Primo igitur quoniam tempus gratiæ A revelatæ requirit, quod iam non offeratur oblatio qualiscumque sed pura, placida & plenaria; & nulla alia oblatio est talis, nisi illa, quæ in cruce fuit oblata, scilicet Christi corpus, & sanguis; hinc est, quod necessario oportet in hoc Sacramento non tantum figurative, verum etiam veraciter corpus Christi, tamquam oblationem huic tempori debitam contineri. Similiter quia tempori gratiæ consonat, quod Sacramentum communionis, & dilectionis, non tantum sit communionem, & dilectionem significans, verum etiam ad illam inflammans, ut efficiat, quod figurat: & quod maxime nos inflammat ad dilectionem mutuam, & B maxime unit membra, est unitas capitis, a quo per vim amoris diffusivam unitivam, & transformativam, manat in nos dilectio mutua; hinc est, quod in hoc Sacramento continetur verum Christi Corpus, & caro immaculata, ut se nobis diffundens, & nos invicem uniens, & in se transformans per ardentissimam charitatem, per quam se nobis dedit, se pro nobis obtulit, & se nobis reddidit, & nobiscum existit usque ad finem mundi. Per hunc etiam modum refectio competens statui gratiæ est refectio spiritualis, & communis, & salutaris. Refectio autem spiritus est Verbum vitæ, ac per hoc refectio spiritualis C ipsius spiritus in carne, est Verbum incarnatum, seu caro Verbi, quæ cibus est communis, & salutaris: quia licet sit una, omnes tamen salvantur per ipsam.

Quia ergo non est dare alium cibum spiritualem communem & salutiferum, nisi ipsum verum corpus Christi; hinc est, quod necesse est, ipsum in hoc Sacramento veraciter esse contentum, exigente hoc perfectione sacrificii placativi, Sacramenti unitivi, & viatici refectivi: quæ debent esse in tempore novi Testamenti, & gratiæ revelatæ, & veritatis Christi. (Christus vere, & realiter continetur in Sacramento Eucharistiæ.)

Rursus quia statui viæ non competit Christum aperte videre, propter velamen ænigmatis, & propter meritum fidei, nec convenit Christi carnem

carnem dentibus attrectare, & propter horrorem cruditatis, & propter immortalitatem ipsius corporis: ideo necesse fuit, corpus & sanguinem Christi tradi velatum sacratissimis symbolis, & similitudinibus congruis, & expressis. Et quoniam nihil magis idoneum est ad refectionem, quam cibus panis, & potus vini, nihil est etiam magis idoneum ad significationem unitatis corporis Christi veri, & mystici, quam panis factus de mundissimis granis, & vinum expressum de purissimis acinis in unum collectis: ideo sub his speciebus magis quam sub aliis debuit hoc Sacramentum exhiberi. Et quia Christus sub illis speciebus esse debebat, non secundum mutatione factam in ipso, sed potius in eis: ideo ad prolationem duplicis verbi prædicti, in qua insinuatur exigentia Christi sub speciebus illis, fit conversio substantiæ utriusque in corpus, & sanguinem: remanentibus solis accidentibus, tamquam signis ipsius corporis contentivis, & etiam expressivis.

Sacramentum Eucharistiæ cur sub panis & vini speciebus magis quam sub aliis debuit exhiberi.

Quia vero corpus Christi beatum, & gloriosum non potest dividi in partes suas, nec separari ab anima, neque a divinitate summa: ideo sub utraque specie est unus Christus, & totus, & indivisus, scilicet corpus, & anima, & Deus: ac per hoc utrobique est unum, & simplicissimum Sacramentum continens totum Christum. Et quoniam quælibet pars speciei significat corpus Christi; hinc est, quod totum sic est in tota specie, quod in qualibet eius parte, sive sit integra, sive divisa: ac per hoc non est ibi, ut circumscriptum, ut occupans locum, vel habens situm, ut perceptibile per aliquem sensum corporeum, & humanum; sed omnem latens sensum, ut fides habeat locum, & meritum. Propter quod etiam, ut non deprehendatur, accidentia illa habent omnem operationem, quam etiam habebant prius, licet sint præter subiectum, quamdiu continent intra se Christi corpus: quod quidem est quamdiu durant in suis proprietatibus naturalibus, & sunt idoneæ ad cibandum.

Christus cur sub utraque specie est unus totus, & indivisus.

Postremo quoniam capacitas nostra ad Christum efficaciter suscipiendum non est in carne, sed in spiritu: non in ventre, sed in mente: & mens Christum non attingit, nisi per cognitionem, & amorem, per fidem, & charitatem, ita quod fides illuminat ad recognitionem, vel recordationem, & charitas inflammat ad devotionem: ideo ad hoc, quod aliquis digne accedat, oportet, quod spiritualiter comedat, ut sic Christum per recordationem fidei masticet, & per devotionem amoris suscipiat: per quæ non in se transformet Christum, sed ipse potius traiiciatur in eius mysticum corpus. Propter quod manifeste colligitur, quod qui tepide, indevote, & inconsiderate accedit, iudicium sibi manducat, & bibit: quia tanto Sacramento contumeliam facit. Et ideo consilium est his, qui se sentiunt minus mundos mente, vel carne, vel etiam indevotos, ut differant quousque parati ad esum veri agni, mundi, devoti, & circumspecti accedant. Propter quod etiam hoc Sacramentum præceptum est celebrari cum solemnitate præcipua tam quantum ad locum, quam etiam ad tempus, & quantum ad verba, & orationes, & quantum ad vestimenta in celebratione missarum: ut tam ipsi sacerdotes conficientes, quam etiam suscipientes percipiant gratiæ donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, reficiantur, vivificentur, & in ipsum Christum excessivum amorem ardentissime transferantur.

Quo modo ad Eucharistiam digne accedatur.

1. Consilium.

Caput X.

De integritate pœnitentiæ.

De Sacramento pœnitentiæ hoc tenendum est, quod ipsa est secunda tabula post naufragium, ad quam naufragans per mortale peccatum recurrere potest, quamdiu est in statu præsentis vitæ, quandocum-

Hieron. Ep. 64. in med. tom. 2.

que, & quotiescumque divinam clementiam voluerit implorare. Ipsius autem partes integrales, sunt contritio in animo, confessio in verbo, & satisfactio in facto. Ex quibus tunc, pœnitentia integratur, cum peccator omnem mortalem culpam perpetratam & facto deserit, & verbo accusat, & animo detestatur, proponens numquam iterare peccatum. His autem debito modo concurrentibus cum absolutione facta ab eo, in quo est ordo, clavis, & iurisdictio, absolvitur homo a peccato, & reunitur Ecclesiæ, & reconciliatur Christo, mediante clave sacerdotali: per cuius etiam iudicium non tantum fieri habet absolutio, verum etiam excommunicatio, & relaxatio, quæ proprie habet fieri ab Episcopo tamquam ab Ecclesiæ sponso.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quo Verbum est fons veritatis, & sapientiæ: eo ipso quod incarnatum, fons est pietatis, & indulgentiæ; ideo reparare debet genus humanum per medicamenta Sacramentorum, & præcipue contra morbum præcipuum, qui scilicet est mortale peccatum: iuxta quod decet Pontificem pium, medicum peritum, & iudicem æquum: ut sic in curatione nostra appareat Verbi incarnati summa clementia, & summa prudentia, & summa iustitia.

In Pœnitentia ostenditur summa Christi clementia prudentia, & iustitia.

Primum igitur, quoniam in curatione nostra a mortali culpa per pœnitentiam, apparere debet ipsius Christi Pontificis piissimi summa clementia, & summa clementia Pontificis superexcedit omnia peccata humana, qualiacumque, & quantacumque sint, & quotiescumque fuerint perpetrata: hinc est, quod peccantes suscipere ad veniam, est ipsius Pontificis clementissimi, non solum semel, nec bis, sed quotiescumque suppliciter imploraverint clementiam Dei. Et quia divina clementia tunc vere, & suppliciter imploratur, quando intervenit pœnitentiæ lamentum, & ad hoc potest homo se convertere, quamdiu est in statu præ-

A sentis vitæ, quia convertibilis est in bonum, & in malum: hinc est, quod quantumcumque & quandocumque & quotiescumque peccator peccaverit, ad Sacramentum pœnitentiæ potest habere refugium, per quod sibi fiat remissio peccatorum.

Rursus, quia in curatione nostra, debet apparere, & manifestari ipsius Christi medici peritissimi summa prudentia, & prudentia medici est in adhibendo remedia contraria, per quæ non tantum morbus auferatur, verum etiam præscindatur causa; & cum peccetur in Deum delectatione, consensu, & perpetratione, scilicet in corde, ore, & opere; hinc est, quod prudentissimus medicus instituit, ut contra deordinationem B peccatoris secundum triplicem vim, scilicet effectivam, interpretativam, & operativam, quæ fit per delectationis complacentiam occultam, esset reformatio pœnitentis secundum triplicem vim prædictam, per dolorem pœnitentiæ conceptum in corde per compunctionem: expressam in ore per confessionem: consummatam in opere per satisfactionem. Et quia omnia peccata mortalia ab uno Deo avertunt, & uni gratiæ opponuntur, & unam principalem hominis rectitudinem pervertunt; hinc est quod ad hoc quod pœnitentiæ medicamentum sit sufficienter ex suis partibus integratum, necesse est, quod pœ- C nitentia habeatur de omnibus peccatis, & quantum ad præteritum, per displicentiam de perpetratis: & quantum ad præsens, per cessationem de perpetrandis: & quantum ad futurum, per propositum numquam recidivandi, vel in idem, vel in aliud genus peccati. Ut sic totaliter recedendo a culpa per pœnitentiam, divina gratia suscipiatur, per quam obtineatur venia omnium peccatorum.

Postremo quoniam in curatione nostra manifestari debet ipsius Christi iudicis recta iustitia, & ipsius in propria persona non est iudicare ante iudicium ultimum, & finale; ideo ad particularia iudicia ante finem, iudices debuit constituere: & quia iudices isti inter Deum offensum, & hominem offendentem,

dentem, sunt quasi intermedii, ut A proximi Christo, præpositi populo; Domino autem illi præcipue sunt proximi, & familiares ratione officii, qui sunt eius præcipue ministerio consecrati, scilicet sacerdotes: ideo omnibus in sacerdotali ordine constitutis, & solis datur potestas duplicis clavis, scilicet clavis scientiæ ad discernendum, & clavis, quæ est potestas ligandi, & solvendi, ad diiudicandum, & absolutionis beneficium impendendum.

Potestas ligandi, & solvendi quibus, & quo modo collata, & distributa in Ecclesia.

Quia vero propter confusionem vitandam non quilibet cuilibet est prælatus in Ecclesia militante, cum ipsa Ecclesiastica hierarchia debeat esse secundum potestatem iudiciariam ordinata; ideo hæc potestas ligan- B di, & solvendi concessa est primo uni primo, & summo sacerdoti, cui collata est tamquam summo capiti potestas universalis: & deinde secundum particulares Ecclesias dividitur in partes, ita quod primo in Episcopos, deinde in presbyteros descendit a capite uno. Ideo licet unusquisque sacerdos habeat ordinem, & clavem; ad eos tamen usus clavis tantum se extendit, qui sibi ordinarie sunt subiecti, nisi sibi ab eo, qui habet iurisdictione ordinariam committatur. Cum vero illa iurisdictio sit principaliter in capite summo, & deinde in Episcopo, & postremo in sacerdote curato; potest quidem a quolibet eorum C committi alteri, sufficienter quidem ab infimo, magis a medio, & maxime a supremo. Et quia in Pontifice summo, & etiam in Episcopis est huiusmodi iurisdictio, non tantum ad iudicandum inter Deum, & hominem in occulto, verum etiam ad iudicandum inter hominem, & hominem in aperto, tamquam in illis, quibus commissum est Ecclesiæ regimen, & custodia, sicut sponso committitur sponsa; hinc est, quod gladium habent prælati, quo possunt percutere ad iuris defensionem in excommunicatione, & potestatem largiendi de thesauris meritorum Ecclesiæ, quos habent repositos, & commendatos tam a capite, quam a membris, & hoc in relaxatione: ut sic tamquam veri Dei iudices ligandi, & solvendi integram possideant potestatem, per quam impœnitentes feriant, & compescant rebelles, & nihilominus absolvant, & reconcilient Deo, & sanctæ matri Ecclesiæ veraciter pœnitentes.

Caput XI.

De integritate unctionis extremæ.

De Sacramento extremæ unctionis hoc in summa tenendum est, quod ipsa est Sacramentum ex euntium ex hac vita præparans, & disponens ad sanitatem perfectam. Valet etiam ad delenda venialia, & ad recuperandam sanitatem præsentem, si infirmo expediat. Ad huius autem Sacramenti integritatem requiritur oleum simplex, sed consecratum: vocalis expressio orationum: inunctio infirmi in septem partibus determinatis: scilicet in oculis, auribus, naribus, labiis, manibus, pedibus, & lumbis. Nec debet illud Sacramentum dari, nisi adultis, & postulantibus, imminente periculo mortis, & hoc per manum, & ministerium sacerdotis. Ex quo colligitur, quod inter hoc Sacramentum, & confirmationem est differentia septiformis, scilicet in efficacia, in materia, in forma, in suscipiente, in dante, in loco, & in tempore.

Differentia extremæ unctionis, & confirmationis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, nos reparat: in quantum mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, & in quantum Jesus habet salvare; in quantum autem Christus unctus, habet unctionis gratiam in alios derivare: hinc est, quod ipsius est in Sacramentis suis unctionem membris suis tribuere salutarem. Quoniam autem anima, ad hoc quod perfecte sanetur, indiget triplici genere sanitatis, scilicet ad strenuitatem actionis, ad suavitatem contemplationis, & ad felicitatem comprehensionis: & prima est intrantium in aciem Ecclesiæ: secunda est præsiden-

1. Tim. 2.

Anima triplici genere sanitatis indiget.

ſidentium in eadem, quorum eſt alios erudire: & tertia eſt exeuntium de eadem per mortem: hinc eſt, quod non ſolum unctionem Sacramentalem inſtituit Dominus in confirmatione, verum etiam mediam in ordine pontificali, & extremam imminente periculo mortis.

Quoniam ergo finis imponit neceſſitatem his, quæ ſunt ad finem; hinc eſt, quod ſecundum exigentiam huius finis debet hoc Sacramentum operari, debet etiam integrari, ſuſcipi, & diſpenſari. Primum igitur, quia huius Sacramenti operatio debet regulari a fine, & finis eſt, quia introductum eſt ad ſalutem felicitatis perpetuæ facilius & expeditius conſequendam, & hoc fit per devotionem ſurſum levantem, & per exonerationem a culpis venialibus, & aliis ſequelis, quæ deorſum deprimunt; hinc eſt, quod Sacramentum iſtud efficaciam habet, & ad devotionem excitandam, & ad venialia dimittenda, & ad peccatorum ſcoriam facilius abolendam. Et quia plurimis infirmis expedit adhuc vivere ad ſuorum cumulum meritorum; hinc eſt quod Sacramentum iſtud, & animam vigorando in bono, & exonerando a malo, frequenter etiam alleniat a morbo. Et hinc eſt, quod dicit B. Jacobus, quod oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.

Efficacia extremæ unctionis.

Jac. 5.

Rurſus, quia huius Sacramenti inſtitutio debet eſſe ſecundum exigentiam finis, & hæc eſt acquiſitio ſpiritualis ſalutis per remiſſionem culparum, & hæc ſalus reſpicit ſanitatem, & munditiam conſcientiæ interioris, ſecundum quam iudicat ille iudex cœleſtis: hinc eſt, quod in iſto Sacramento debet eſſe oleum ſimplex & conſecratum, quia ſanctitatem, & nitorem deſignat in habitaculo conſcientiæ. Quia vero ſuper iſtam ſalutem mortalis homo non habet poteſtatem: hinc eſt, quod oratio, & forma vocalis exprimitur per verbum deprecativum, ad impetrandum gratiæ donum. Et quoniam anima infirmitates ſpirituales contrahit, in corpore ſecundum quatuor virtutes ipſius corporis regi- A tivas, ſcilicet ſenſitivam, interpretativam, generativam, & progreſſivam; hinc eſt, quod membra his virtutibus deſervientia, ſunt inungenda. Quia igitur quinque ſunt membra deſervientia quinque ſenſibus, ſcilicet oculi viſui, aures auditui, nares olfactui, manus tactui, & os guſtui, & etiam alii virtuti, ſcilicet interpretativæ, & pedes deſerviunt progreſſui & lumbi generationi, quia genitalia indignum, & pudendum eſt contrectari, & etiam nominari; hinc eſt, quod inunctio debet fieri in ſeptem locis prædictis, ut ſic diſponatur homo per hoc Sacramentum ad plenitudinem ſanitatis per deletionem omnis ve- B nialis peccati.

Cur oleo ſimplici conſecrato & oratione deprecativa conficiatur extrema unctio.

Poſtremo, quia iſtius Sacramenti ſuſceptio a fine dependet, & finis eſt velocior tranſitus ad cœlum, per depoſitionem omnium venialium, & converſionem mentis ad Deum; ideo non debet dari niſi adultis, qui venialiter peccant, nec aliquibus niſi petentibus, qui devotione ſurſum eriguntur: nec aliquibus niſi in periculo conſtitutis, & quaſi in tranſitu ad alium ſtatum. Et quia hoc Sacramentum eſt periclitantium, & tamen habet materiam ſacram, ſcilicet oleum conſecratum; hinc eſt, quod propter periculum evitandum communiter committi debet ſacerdotibus; & propter C conſecrationem olei non eſt, niſi a conſecratis manibus contrectandum. Ex variatione igitur finis in confirmatione, & unctione extrema, oritur diverſitas in efficacia, in materia, & in forma, in loco, & in tempore, in ſuſcipiente, & in diſpenſante. In efficacia, quia illud Sacramentum diſponit ad melius agonizandum, hoc ad celerius evolandum. In materia, quia illud in oleo permixto balſamo, hoc vero in oleo puro. In forma, quia illud in indicativa, hoc vero in deprecativa. In loco, quia illud in fronte, hoc vero in multiplici parte. In tempore, quia illud in ſanitate, hoc vero in ægritudine. In ſuſcipiente, quia illud non ſolum adultis, verum etiam parvulis, hoc vero tantum adultis.

Quare non niſi adultis conferendum.

Miniſter huius Sacramenti.

tis. In dante, quia illud ab Episcopis, hoc autem a sacerdotibus quibuscumque. Et hæc omnis diversitas a fine procedit: quia sicut claruit, diversitas in finibus proximis diversitatem introducit in his, quæ ad fines illos habent finaliter ordinari.

Caput XII.

De integritate ordinis.

Sacramenti ordinis septem gradus.

De Sacramento ordinis, hæc in summa tenenda sunt, quod ordo est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato. Licet autem ordo sit unum de septem Sacramentis, septiformis tamen est ordinis gradus. Primus est in Ostiariis, secundus in Lectoribus, tertius in Exorcistis, quartus in Acolytis, quintus in Subdiaconis, sextus in Diaconis, septimus in Sacerdotibus. His autem quasi per modum cuiusdam præparatorii supponitur clericalis tonsura, & etiam Psalmistatus, per modum autem complementi superponitur Episcopatus, Patriarchatus, & etiam Papatus; a quibus manant ordines, & dispensari debent sub debitis signis, tam ex parte visus, quam ex parte auditus, solemnitate debita nihilominus observata, quantum ad tempus, locum, officium, & personam.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, quia ut Deus & homo Sacramentorum medicamenta ad salutem hominum instituit ordinate, discrete, & potestative, secundum exigentiam suæ bonitatis, sapientiæ, & virtutis, hinc est, quod ipsa medicamenta Sacramentorum commisit hominibus dispensanda, non qualitercumque, sed eo modo, quo exigebat ordo, discretio, & potestas. Oportuit ergo aliquas personas ad huiusmodi officium exequendum distingui & segregari, quibus ordinario iure potestas huiusmodi committeretur.

Et quia huiusmodi discretio non debuit fieri, nisi per signa sacra, cuiusmodi sunt Sacramenta; hinc est, quod debuit esse aliquod Sacramentum, quod esset sacrum signa- A culum, ordinativum, distinctivum, & potestativum ad Sacramenta cetera dispensanda modo distinctivo, potestativo, & ordinativo. Et ideo ordo diffinitur signaculum quoddam, in quo spiritualis potestas traditur ordinato: ita quod simul in eius notificatione clauduntur tria prædicta, ex quibus colligi possunt in summa, quæ ad integritatem ordinis exiguntur. Primum igitur, quoniam ordo est signaculum distinctivum, & sequestrativum ab omni populo, ut quis totaliter divino sit cultui mancipatus; ideo ordines præcedit distinctio quædam in tonsura, & corona: per quam intelligitur appetituum temporalium resecatio, & men- B tis elevatio ad æterna: ut totus ostendatur clericus deputatus esse ad divinum cultum; ideo dicit in susceptione coronæ: Dominus pars hæreditatis meæ. Et quia talis debet esse instructus in divinis laudibus, quæ maxime consistunt in Psalmis: ideo Psalmistatus, tamquam præambulans cæteros ordines, antecedit, quem tamen largo modo Isidorus inter ordines numeravit. Secundo vero, quia ordo est signaculum ordinativum, & in seipso etiam est ordinatum, & ordo consistit in graduum disparitate, & distinctione completa, secundum quod exigit septiformis gratia, ad cuius dispensationem Sacramentum ordinis princi- C paliter ordinatur: hinc est, quod septem sunt ordines gradatim ordinatii, usque ad sacerdotium, in quo status est ordinum: quia ipsius est consecrare Sacramentum corporis Christi, in quo est plenitudo omnium gratiarum: unde alii sex sunt tamquam subministrativi, & quasi gradus quidam, per quos ascenditur ad thronum Salomonis. Qui, & sex sunt propter numeri perfectionem: quia senarius est primus numerus perfectus; & propter hoc, quod sic exigit perfectio, & sufficientia officii ministrandi. Nam oportet aliquos ministrare, quasi a remotiori: aliquos a propinquiori: & aliquos a proximo, ut nihil desit ministerio ordinato. Et quia quodlibet istorum ministeriorum geminatur secundum

Ordo quid.

Tonsura clericalis.

Psal. 15.

Isid. lib. 2. de Eccl. offic. c. 11.

actum purgandi, & illuminandi, hinc est, quod sex sunt ordines ministeriales, & septimus omnium perfectissimus, in quo altaris conficitur sacramentum, qui consummatur in ordine uno, tamquam in termino ultimo & completo.

Postremo, quia ordo est signaculum potestativum, non tantum respectu aliorum Sacramentorum dispensandorum, verum etiam respectu sui: & potestas super potestatem est potestas excellens: ideo sibi non tantum competit potestas simplex, cuiusmodi est in ordine simplici, verum etiam eminentia potestatis, cuiusmodi est his, quorum est ordines ordinare, & dispensare. Et quia excellentia quanto magis descendit, tanto magis dilatatur: & quanto magis ascendit, tanto magis unitur, hinc est, quod plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchæ, & unus pater patrum, qui Papa merito appellatur, tamquam unus primus, & summus Pater spiritualis omnium patrum, immo, omnium fidelium, & hierarcha præcipuus, sponsus unicus, caput indivisum, Pontifex summus, Christi vicarius, fons, & origo, regula cunctorum principatuum Ecclesiasticorum: a quo tamquam a summo derivatur ordinata potestas, usque ad infima Ecclesiæ membra, secundum quod exigit præcellens dignitas in Ecclesiastica hierarchia.

Ordo hierarchię Ecclesiasticæ.

Summus Pontifex & eius primatus.

Et quia hæc dignitas præcipue manet in ordine, ideo hoc Sacramentum non debet dispensari, nisi cum magna discretione, & solemnitate: ac per hoc non a quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec quolibet tempore, sed personis litteratis, honestis, & a cunctis irregularitatibus alienis, ieiuno stomacho, loco sacro, tempore missæ. Et temporibus ab Ecclesiastico iure statutis debent huiusmodi ordines dispensari, & hoc ab Episcopis, quibus propter eminentiam reservatur dispensatio ordinum, confirmatio per impositionem manuum, consecratio Monialium, & Abbatum, & dedicatio Ecclesiarum, quæ propter sui celebritatem non debent dispensari, nisi ab his, qui habent præeminentiam potestatis.

Sacramenti ordinis dispensatio.

Caput XIII.

De integritate matrimonii.

De Sacramento matrimonii hæc in summa tenenda sunt, quod matrimonium, est coniunctio legitima maris, & fœminæ, individuam vitæ consuetudinem retinens. Hæc autem coniunctio non solum fuit post peccatum, verum etiam ante peccatum. Sed prius institutum fuit sacramentum coniugii in officium, nunc autem non solum in officium, verum etiam in remedium contra libidinis morbum. Prius significabat coniunctionem Dei, & animæ; nunc autem præter hoc significat coniunctionem Christi, Ecclesiæ, & duarum naturarum in unitate personæ. Introducitur autem hæc coniunctio in esse per liberum consensum animorum ex parte utriusque personæ, exterius expressum in aliquo signo sensibili: consummari autem habet in copula carnali. Nam per verba de futuro dicitur matrimonium initiari, per verba de præsenti ratificari, sed per carnalem copulam habet consummari. Huius autem sacramenti tria sunt bona, scilicet fides, & proles, & sacramentum, & duodecim impedimenta quæ impediunt contrahendum, & dirimunt iam contractum, quæ in his versibus, continentur.

Matrimonii definitio.

Aug. l. 9. de Gen. ad lit. cap. 7. tom. 3.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc socianda vetant coniugia, iuncta retractant.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium nostrum reparativum, Verbum scilicet incarnatum, eo ipso quo Verbum Dei, est fons sapientiæ in excelsis: eo ipso quod incarnatum, est clementiæ fons in terris: & ideo eo ipso, quod Verbum increatum, est humani generis formativum ex summa sapientia: eo ipso quod incarnatum, est ipsius reformativum ex summa clementia: ideo enim humanum genus

genus reparat per clementiam, quia A prius reparabile fecit ex sapientia, quæ pro suo summo ordine exigebat, quod genus humanum faceret potens stare, potens labi, potens etiam reparari, sicut in præcedentibus ostensum fuit. Quoniam ergo Verbum Dei in sua sapientia hominem fecit, sicut & congruum fuit, potentem stare, cadere, & surgere; hinc est, quod genus humanum eo modo propagandum ordinavit, quod ex ipso modo propagandi haberet, quod manuduceret ipsum ad standum: haberet etiam quod manuduceret ad remedium, sicut etiam in propagatione illa est aliquid per peccatum, scilicet libido, quod traducit morbum. Et quia status hominis erat ex conjunctione ipsius animæ ad Deum per amorem unitivum modo castissimo, singulari, & individuo, remedium veniebat ex conjunctione divinæ naturæ, & humanæ in unitatem hypostasis, & personæ, unitatem, inquam, divina gratia introductam, ut singularem, & individuam. Hinc est, quod Deus ab initio instituit, ut propagatio fieret per conjunctionem maris, & fœminæ, individuam & singularem, quæ significaret ante peccatum conjunctionem Dei, & animæ, seu Dei, & subcælestis hierarchiæ: post peccatum vero conjunctionem Christi, & humanæ naturæ, seu Christi, & Ecclesiæ: & ideo utrobique est Sacramentum, scilicet ante, & post, licet alio & alio modo, quantum ad significationem, & usum. Cum enim esset Sacramentum, antequam superveniret morbus: libido, quæ supervenit per peccatum, potius habet per matrimonium excusari, quam ipsum valeat vitiare; quia non morbus medicamentum corumpit; sed medicamentum habet curare morbum. Ex quo manifeste apparet, quid sit matrimonium, & qualiter divinitus sit introductum in esse.

Matrimonium cur ab initio institutum.

Rursus quia quælibet prædictarum spiritualium unionum in sacramento matrimonii significatarum est unio unius sicut agentis, & influentis, alterius sicut patientis, & suscipientis, & hoc faciente amoris vinculo, qui ex mera voluntate procedit: hinc est, quod matrimonium debet esse conjunctio duplicis personæ, differentis secundum rationem agentis, & patientis scilicet virilis sexus, & muliebris, & hoc ex mero consensu voluntatis. Et quia voluntas exterius non apparet, nisi per signa ipsam exprimentia; hinc est, quod necesse est, ut consensus mutuus exterius exprimatur. Quia vero consensus ut de futuro non est proprie consensus, sed ipsius promissio, consensus vero ante commixtionem non facit plenariam unionem, quia nondum sunt una caro; hinc est, quod per verba de futuro dicitur matrimonium B esse initiatum, de præsenti ratum, & confirmatum: sed in carnali copula consummatum, quia tunc sunt una caro, & unum corpus fiunt: ac per hoc plene significat unionem illam, quæ est inter nos & Christum. Tunc enim plene traducitur corpus unius in corpus alterius secundum sui comparis potestatem ad procreandam prolem. Et ideo ipsius matrimonii sunt tria bona, scilicet sacramentum, propter vinculum insolubile: fides, propter debiti solutionem: proles vero, sicut effectus consequens ad utrumque.

Consensus conjugum mutuus exterius est exprimendus.

Postremo, quia dicta conjunctio, matrimonialis debet esse ex libero consensu, procedens ad copulationem C personarum distantium in unam matrimonii legem, & hoc potest duodecim modis impediri; hinc est quod duodecim sunt impedimenta matrimonii: quod patet sic. Ad matrimonialem namque consensum requiritur libertas in consensu, & libertas in consentiente, & idoneitas ad conjunctionem. Sed libertas in consensu tollitur per duo, secundum duas partes involuntarii, scilicet per ignorantiam, & per violentiam. Et sic sunt duo impedimenta, scilicet error, & violentia. Libertas autem in consentiente, tollitur, per hoc, quod quis est alligatus alteri, & hoc, vel Deo, vel homini. Si Deo, hoc est, vel per votum expressum, vel per aliquid, quod habet votum annexum. Primum est in voto, secun-

Impedimentorum matrimonii sufficientia.

cundum in ordine. Si autem homini, hoc est dupliciter, aut per ligamen existens, aut per ligamen præcedens. Primum est in ligamine, quo quis ligatus est uxori: secundum est in crimine, quando mœchus, vel mœcha machinatus est in mortem conjugis, vel, ipso vivente, fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, scilicet votum, ordo, ligamen, & crimen. Idoneitas autem ad unionem est distantia personarum conveniens, quæ tollitur per nimiam proximitatem, vel per nimiam elongationem. Nimia autem proximitas venit sive per generationem, sive per aliquid simile generationi, ut est cognatio legalis, aut spiritualis: ant venit per com- B mixtionem sexuum, aut per contractionem sponsalium. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet cognatio, affinitas, & publicæ justitiæ honestas. Nimia autem distantia aut attenditur quantum ad ea, quæ sunt naturæ, ut cum non possunt commisceri carnaliter: aut quantum ad ea, quæ sunt fortunæ, quæ non sunt in nostra potestate, ut patet, cum est unus servus, & alter liber: aut quantum ad ea, quæ sunt religionis Christianæ, ut cum unus est baptizatus, alter vero minime. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet impotentia coeundi, error conditionis, & disparitas religionis. Ac per hoc sunt in universo duodecim impedimenta, quæ Spiritu sancto dictante, introducta sunt in Ecclesia Dei. Cui scilicet Ecclesiæ, etsi omnia Sacramenta sunt commissa, potissime conjugii Sacramentum commissum est regulandum propter varietates, quæ circa hoc Sacramentum incidere possunt, & propter morbum annexum, qui est maxime infectivus, & minime tenens modum: & ideo ipsius Ecclesiæ est gradus cognationum limitare, sicut pro tempore expedire videt, & personas legitimas, vel illegitimas iudicare, & divortia facere. Sed numquam debet, nec potest matrimonium, quod legitime introductum est annullare: quia quos Deus conjunxit, non potest homo, quantum- A cumque sit magnæ potentiæ, separare, cum ipsius Dei judicio iudicandi remaneant universi.

Potestas Ecclesiæ, ad moderanda matrimonii jura.

Mat. 19 & Marc. 10

S. BONAVENTURÆ,

Eximii Ecclesiæ Doctoris Breviloquii,

SEPTIMA PARS.

In qua tractatur de statu finalis judicii.

CAPUT I.

De judicio in communi.

POSTQUAM aliqua breviter dicta sunt, de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, & de medicina Sacramentali: restat nunc septimo, & ultimo aliqua breviter tangere de statu finalis judicii: De quo in summa tenendum est, quod sine dubio judicium universorum futurum est, in quo Deus Pater per Dominum nostrum JESUM Chistum judicabit vivos, & mortuos, bonos, & malos reddendo unicuique; secundum exigentiam meritorum. In hoc C autem judicio fiet apertio librorum, scilicet conscientiarum, quibus merita & demerita universorum sibiipsis, & ceteris innotescent: faciente hoc virtute illius libri vitæ, Verbi scilicet incarnati, qui in forma divinitatis non videbitur, nisi a bonis: in forma vero humanitatis, in qua & sententiam promulgavit, videbitur tam a bonis, quam a malis, licet terribilis in eadem forma appareat reprobis, & blandus justis.

Apoc. 20

Ratio autem ad intelligentim prædictorum, hæc est: quia primum principium cum hoc ipso, quod primum sit a seipso, secundum seipsum, & propter seipsum, hoc ipso, ipsum est efficiens, forma, & finis, universa producens, regens, & perficiens:

ciens: ita quod sicut producit, secundum altitudinem summæ virtutis, sic etiam regit secundum rectitudinem veritatis, & consummat secundum plenitudinem bonitatis. Quoniam ergo altitudo summæ virtutis requirebat, ut non tantum esset productio creaturæ ad vestigium, verum etiam ad imaginem: non solum creaturæ irrationalis, verumetiam rationalis: non solum creaturæ, quæ movetur secundum impetum naturalem, verumetiam secundum libertatem voluntatis: & creatura, quæ est ad imaginem, quia capax est Dei, est beatificabilis creatura rationalis disciplinabilis, creatura habens libertatem voluntatis est secundum legem justitiæ ordinabilis, & deordinabilis: hinc est, quod rectitudo veritatis legem homini imponere debuit, in qua ad beatitudinem invitaret, & ad veritatem erudiret, & ad justitiam obligaret: ita tamen quod libertatem voluntatis non cogeret, quin pro suo libito voluntatis justitiam relinquere posset, & sequi, cum sic res, quas condidit administret, ut eas agere proprios motus sinat. Et quia plenitudo bonitatis in consummando, operatur secundum quod exigit altitudo virtutis, & rectitudo veritatis: hinc est, quod consummatio beatitudinis non datur a bonitate summa nisi his, qui servaverunt justitiam a rectitudine veritatis impositam; qui susceperunt disciplinam, ac amaverunt illam summam & perpetuam felicitatem plus, quam bona transitoria.

Ratio futuri universali judicii.

Et quoniam quidam hoc agunt, quidam autem oppositum, pro suarum varietate voluntatum, quæ interius occultantur, & in statu viæ secundum suum arbitrium currunt: hinc est, quod ad manifestationem altitudinis virtutis, rectitudinis veritatis, & plenitudinis bonitatis, necesse est universale judicium sequi; in quo fiant justæ retributiones præmiorum, apertæ declarationes meritorum, & irrevocabiles lationes sententiarum, ut in iustis retributionibus stipendiorum, summæ bonitatis appareat plenitudo: in aper-

A tis declarationibus meritorum, veritatis appareat rectitudo: & in irrevocabilibus lationibus sententiarum, summæ virtutis, & potestatis appareat altitudo. Primum igitur, quoniam iusta retributio respicit culpam, cui debetur pœna, vel iustitiam, cui debetur gloria, & universi filii Adæ habent hanc, vel illam; hinc est, quod necesse est iudicio retributionis omnes iudicari, ut boni glorificentur, & impii condemnentur. Rursus, quia aperta declaratio meritorum requirit, quod simul appareat quid agendum est, & quid actum est, vel omissum a libertate voluntatis humanæ, secundum varietatem circumstantiarum; hinc est

Ratio retributionis præmiorum in judicio.

B quod & libri conscientiarum aperientur, ut appareant merita, & liber vitæ, ut appareat ipsa iustitia, secundum quam approbanda, vel reprobanda sunt merita illa. Et quoniam ille liber vitæ est liber, in quo scripta sunt omnia simul & lucidissime, & in conscientiis scribuntur veraciter: ideo ex concursu apertionis horum librorum fiet aperta declaratio omnium meritorum; ita quod occulta cordis cuiuslibet, & sibi, & cæteris innotescant. Unde, ut vult Augustinus liber ille est vis, qua fiet, ut ad memoriam cuiuslibet cuncta mirabiliter revocentur, ut lucide appareat æquitas divinorum iudiciorum in apertissimo lumine ve-

Apertio librorum conscientiæ.

Aug. l. 20 de Civ. Dei c. 19. t. 5

C ritatis. Postremo, quia irrevocabilis latio sententiarum debet fieri ab eo, qui possit audiri, & videri, & a quo non possit appellari: & videri ab universis non potest summa lux, quam tenebrosi oculi videre non possunt, pro eo quod facie ad faciem videri non potest sine deiformitate mentis, & iucunditate cordis, necesse est quod iudex appareat in effigie creaturæ. Quia vero pura creatura auctoritatem non habet summam, a qua appellari non possit, hinc oportet, quod iudex noster, & Deus sit, ut judicet per auctoritatem summam; & homo sit, ut videatur, & disceptet cum peccatoribus in effigie humana. Et quia una vox disceptationis terret culpabiles, & assecurat innocentes;

Latio sententiæ irrevocabilis

hinc

hinc est, quod una eidem effigies iustos lætificabit, & econtrario impios deterrebit.

CAPUT II.

De antecedentibus ad judicium, cujusmodi est pœna purgatoria.

DEinde in speciali circa statum finalis judicii consideranda sunt: quædam, sicut præambula: quædam, sicut concomitantia: & quædam, sicut consequentia. Præambula autem sunt duo, scilicet pœna purgatorii, & suffragia Ecclesiastica. Primo igitur de pœna purgatorii hoc tenendum est, quod ignis purgatorius est ignis corporalis, quo tantum spiritus iustorum, qui in hac vita non impleverunt pœnitentiam, & satisfactionem condignam, affliguntur secundum plus, & minus, secundum quod plus, vel minus de cremabili secum ex hac vita traxerunt. Affliguntur autem minus graviter, quam in inferno, & gravius, quam in hoc mundo: non tamen ita graviter, quin semper sperent, & sciant se in inferno non esse, licet forte pro pœnarum magnitudine, hoc aliquoties non advertant. Hac autem afflictione, ab igne corporali inflicta, purgantur spiritus a reatibus, & scoriis, & etiam reliquiis peccatorum, quibus sufficienter expurgatis, immediate evolant, & introducuntur in gloriam Paradisi.

Summaria doctrina de purgatorio

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium eo ipso, quod primum, sit optimum, & perfectissimum: & eo ipso, quod optimum, sit summe amativum boni, & summe detestativum mali, sicut summa bonitas non patitur, quod bonum maneat irremuneratum, sic etiam non debet pati, quod malum remaneat impunitum. Quoniam ergo viri iusti aliquando decedunt, qui in hac vita non totaliter pœnitentiam impleverunt, cum meritum vitæ æternæ in eis non possit remanere irremuneratum, & vitium culpæ non possit remanere impunitum; A ne perturbetur pulchritudo ordinis universi, necesse est, quod ipsi finaliter præmientur, necesse est etiam, quod iidem temporaliter puniantur secundum suarum culparum exigentiam & reatum.

Ratio purgatoriæ pœnæ.

Et quia culpa commissiva, & offensiva fuit majestatis divinæ, & damnificativa Ecclesiæ, & deformativa imaginis divinæ menti nostræ impressæ, maxime si fuit culpa mortalis, & venialis etiam disponit ad hoc: & de offensa requiritur punitio, de danno vero agenda est satisfactio; & de deformatione requirenda est expurgatio; hinc est quod necesse est, quod pœna illa sit iuste punitiva, digne satisfactoria, & suf- B ficienter expurgativa. Primum igitur quoniam pœna ista debet esse juste punitiva, & spiritus, qui contempto bono æterno, & summo, se subjecit infimo, iuste debet inferiori subiici, ut ab eis suscipiat pœnam, ex quorum occasione perpetravit culpam, & ratione quorum & Deum contempsit, & seipsum vilem fecit; hinc est, quod ordo divinæ iustitiæ exigit, ut spiritus ab igne materiali habeat puniri, ut sicut secundum ordinem naturæ anima unitur corpori, ut influat vitam ipsi corpori, sic uniatur igni materiali secundum ordinem iustitiæ, ut punibile punienti, a quo suscipiat pœnam. Et quia viri iusti qui sunt in gratia, C non sunt digni nisi pœna transitoria, & tanto maiori digni sunt pœna, quanto maiora commiserunt peccata, & minorem egerunt pœnitentiam: hinc est, quod ab igne materiali puniuntur temporaliter, quidam tamen diutius, quidam vero brevius, quidam acerbius, quidam levius, secundum quod reatus exigit offensarum. Necesse enim est, ut dicit egregius doctor Augustinus quod tantum urat dolor, quantum hæserat amor. Tanto enim difficilius quis purgatur, quanto medullis cordis ejus intimius amor inhæserat mundanorum. Amplius quoniam pœna illa debet esse satisfactoria, & satisfactio respicit libertatem voluntatis, & statum viæ, potissime cum ibi iam non sit status merendi, & pœ-

Culpæ gravitas.

Aug. l. 21 de Civ. Dei c. 26 prope fin. t. 5.

pœnæ illæ minime teneant rationem voluntarii: necesse est, quod illud, quod defecit ex parte libertatis in voluntate sustinente, suppleatur in acerbitate ex parte pœnæ. Quia vero gratiam habent, qui purgantur, quam quidem ultra perdere non possunt: hinc est, quod nec a tristitia penitus absorberi, nec in desperationem incidere, nec in blasphemiam possunt, nec volunt aliquatenus prosilire; ac per hoc, licet graviter puniantur, longe tamen aliter, & mitius quam in inferno: & statum etiam illum indubitanter sciunt alium esse, quam istum, in quo sunt illi, qui in inferno irremediabiliter cruciantur. Postremo quia pœna illa debet esse expurgatoria, & purgatio illa spiritualis, necesse est, vel quod ignis ille spiritualem habeat virtutem divinitus sibi datam, vel, ut magis credo, ipsa virtus gratiæ interius habitantis adiuta a pœna extrinseca, ipsam animam iam pro offensis punitam, & a reatuum onere alleviatam purget purgatione sufficienti, ut jam illa remaneat dissimilitudo ad gloriam. Et quoniam tales spiritus dispositi sunt in summo, ad deiformitatem gloriæ suscipiendam in se, cum janua sit aperta, & purgatio consummata, necesse est illos spiritus evolare, in quibus charitatis ignis sursum levans, & nihil retardans ex parte impuritatis animæ, vel reatus. Nec enim decet divinam misericordiam, seu justitiam, ut amplius differat gloriam, cum inveniat receptaculum idoneum, & magna sit pœna in dilatione præmiorum, nec amplius puniri debeat spiritus jam purgatus.

Quo modo ab igne materiali in purgatorio spiritus patiantur.

Animæ purgatæ statim evolant ad gloriam.

Caput III.

De antecedentibus ad judicium, cujusmodi sunt suffragia Ecclesiastica.

DE suffragiis autem Ecclesiasticis hoc tenendum est, quod suffragia Ecclesiæ prosunt mortuis, suffragia dico, quæ pro mortuis Ecclesia facit, sicut sunt sacrificia, ieiunia, eleemosynæ, & aliæ orationes, & pœnæ voluntarie assumptæ pro eorum culpis celerius, & facilius expiandis. Prosunt autem mortuis, non quibuscumque sed mediocriter bonis; ut pote illis, qui sunt in purgatorio: non valde malis, scilicet illis, qui sunt in inferno: nec valde bonis, scilicet his, qui sunt in cœlo; quin potius, econverso eorum merita, & orationes suffragantur Ecclesiæ militanti, cuius membris multa beneficia impetrant beati. Prosunt autem secundum magis, & minus, vel pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro charitate vivorum, quæ magis sollicitatur pro aliquibus, quam pro aliis, & hoc, vel ad pœnarum mitigationem, vel celebriorem liberationem, secundum quod supernæ providentiæ dispensatio melius eis viderit expedire.

Ratio suffragiorum pro mortuis.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quoniam primum principium cum sit optimum, ac per hoc summæ severitatis contra malum, debet pariter summæ suavitatis esse ad bonum: & ideo cum ratione severitatis iustitiæ, iusti, in quibus est reatus culpæ debeant post hanc vitam in purgatorio tormentari; debent etiam ratione suavitatis misericordiæ relevari; & habere auxilium, & munimen: maxime quia in miseria sunt constituti, & suis operibus, & meritis non possunt amplius se iuvare. Disponere igitur debuit regimen divinæ providentiæ suffragia eis conferri ab eis, qui possunt, salva tamen rectitudine iustitiæ, a qua nec debet, nec potest dulcedo misericordiæ dissentire, nec aliquatenus separari. Quoniam igitur rectitudo iustitiæ exigit conversationem honoris divini, regiminis universi, & qualitatis meriti humani; ideo superni, & primi principii providentia summa disposuit, hæc suffragia valere defunctis secundum dulcedinem misericordiæ, & rectitudinem iustitiæ, servantis honoris divini dignitatem, universi regimen, & humani meriti qualitatem.

Primo igitur quoniam in huiusmodi suffragiis servari debet iustitia, quæ di-

divini præcipue est conservativa honoris; & honor divinus nihilominus exigit opera satisfactoria, & pœnalia sibi persolvi pro culpis: hinc est, quod per illa opera habent suffragia fieri, per quæ potissime fit satisfactio, & honor recompensatur Deo. Quoniam igitur huiusmodi sunt tres partes satisfactionis, ieiunium, oratio, & eleemosyna, & altaris sacrificium, in quo maxime redditur honor debitus propter placentiam illius, qui in sacrificio illo offertur; hinc est quod suffragia Ecclesiæ consistunt in huiusmodi operibus satisfactoriis, & maxime in Missis celebrandis, secundum quod Gregorius in dialogis insinuat aliquos, propter Missarum beneficia de pœnis magnis celerrime liberatos: & per hoc pompa exequiarum, & accuratio funeris, & huiusmodi non debent inter suffragia Ecclesiæ computari; Propter quod & S. Augustinus dicit, quod curatio funeris, conditio sepulturæ, & pompa exequiarum, magis sunt solatia vivorum, quam subsidia mortuorum.

Satisfactionis partes.

Greg. 4. l. Dial. c. 55

Aug. l. de cura pro mort. agen. c. 2. & 3

Amplius, quia debet ibi servari iustitia conservativa ordinis, & regiminis universi, & hæc exigit, ut in communicatione influentiarum salvetur ordo, & symbolum inter ea, in quibus, & in quæ influentiæ illæ manant, ac per hoc inferius non debeat influere in illud, quod est supra, neque in id, quod est per omnimodam distantiam elongatum: hinc est quod suffragia Ecclesiæ non possunt valere his, qui sunt in inferno, quia sunt a corpore Christi mystico penitus separati, unde nulla spiritualis influentia capitis ad eos pervenit, nec eis prodest, sicut nec influentia capitis prodest membris a corpore amputatis. Hinc est etiam, quod non prosunt beatis, quia sunt omnino superiores secundum statum, & iam in termino existentes non possunt ad altiora conscendere, sed magis econverso ipsi prosunt nobis, & eorum orationes, nam & hoc meruerunt in carne; ideo disposuit ordo divinus, ut etiam ipsis sanctis Dei orationes offerantur, ut A & ipsi suffragentur nobis ad divina beneficia impetranda. Non prosunt ergo eis Ecclesiastica suffragia, sed magis nobis prosunt sua. Restat igitur quod prosunt solis iustis, qui sunt in pœnis purgatorii. Nam ibi ratione pœnæ, & impotentiæ se iuvandi, sunt vivis inferiores, ratione vero iustitiæ ceteris membris Ecclesiæ sunt coniuncti: ita ut merito eis Ecclesiæ sanctæ merita possint propter symbolum, & ordinem suffragari.

Suffragia Ecclesiæ quibus non prosint.

Postremo, quoniam debet in his servari iustitia, quæ pensat exigentiam meritorum; hinc est, quod suffragia illa, quæ communiter fiunt pro defunctis, licet omnibus bonis B valeant pro modulo suo, his tamen amplius valent, qui magis meruerunt, ut sibi valerent, & prodessent, dum erant in statu viæ. Illa vero, quæ specialiter fiunt pro aliquibus, quia intentio facientis est recta, & secundum Deum procedit, & Ecclesiastica institutio absque dubio non est cassa: ideo plus valent illis, pro quibus determinate fiunt, licet etiam aliis aliquo modo communicentur. Nec tamen possunt ita aliis subvenire, sicut illi principali personæ, pro eo quod licet sint spiritualia, tamen divina iustitia pro maiori culpa majorem exigit emendam, & pro pluribus culpis plures emendas. Unde exemplum de lu- C mine, quod æqualiter illuminat ad unam mensam sedentes, non placet; quia hujusmodi suffragia potius assimilari habent pretiis redemptivis, quam hujusmodi influentiis diffusivis. Quantum autem cuilibet determinate valeant, ille certitudinaliter diffinire habet, cujus est in reatibus, & pœnis & suffragiis attendere pondus, numerum, & mensuram.

Ecclesiæ suffragia quibus magis prosint

Caput IV.

De concomitantibus judicium, sicut est conflagratio ignium.

Deinde aliquid dicendum est de concomitantibus iudicium, quæ sunt duo, scilicet conflagratio ignium mun-

mundanorum, & resurrectio corporum. De conflagratione igitur hoc tenendum est, quod ignis præcedet faciem iudicis, quo terræ facies exuretur, ita quod figura hujus mundi mundanorum ignium, & conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione tempore diluvii. Dicitur autem transire figura hujus mundi, non quantum ad destructionem totalem hujus mundi sensibilis, sed quia per actionem illius ignis omnia elementaria inflammantis, consumentur vegetabilia, & animalia purgabuntur, & innovabuntur elementa, maxime aer & terra: purgabuntur justi, & adurentur reprobi: quibus factis cessabit etiam motus cœli, ut sic completo numero electorum, fiat quodam modo innovatio & præmiatio corporum mundanorum.

Gen. 7. 1. Cor. 7.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia principium rerum universale, cum sit sapientissimum, & si in omnibus, quæ agit, attendit ordinem sapientiæ, potissime tamen in his debet attendere, quæ spectant ad consummationem: ut sic non discordet primum a medio, nec medium a postremo, sed in cunctis congruentissime ordinatis appareat illius primi principii sapientia ordinans, & bonitas, & altitudo. Quoniam ergo Deus secundum sapientiam suam ordinatissimam cunctum mundum istum sensibilem, & majorem fecit propter mundum minorem, scilicet hominem, qui inter Deum, & res istas inferiores in medio collocatus est: hinc est, quod ut omnia sibi invicem congruant, & habitatio cum habitatore habeat harmoniam, homine bene instituto, debuit mundus iste in bono, & quieto statu institui: homine labente debuit etiam mundus iste deteriorari: homine perturbato, debuit perturbari: homine expurgato, debuit expurgari: homine innovato, debuit innovari; & homine consummato, debuit quietari.

Commotio totius creaturæ in fine mundi.

Primo ergo quoniam mundus ille perturbari debet, homine perturbato, sicut stetit cum stante & quodammodo cecidit cum labente: & in futuro judicio propter severitatem judicis ostendendam, necesse est omnium corda terreri, & peccatorum maxime, qui universorum Dominum contempserunt: ut sic omnis creatura divinum accipiat zelum, & conformetur auctori, conformetur etiam habitatori, necesse est totius orbis cardines horribilissime commoveri. Et quia nihil intensius, & velocius, & horribilius in agendo commovet alia elementa, quam ignis hinc inde ex omni parte concurrens; hinc est, quod necesse est, quod ipsius judicis faciem ignis præcedat, non ex una parte tantum, sed ex omni parte mundi, ut sit ibi concursus ignis elementaris, & terrestris: ignis purgatorii, & etiam infernalis: ut per infernalem, reprobi adurantur: per purgatorium, iusti purgentur: per terrestrem, hæc terræ nascentia consumantur: per elementarem, elementa subtilientur, & ad innovationis faciem disponantur, & simul cum hoc cetera conturbentur, ut non solum homines, & dæmones, verumetiam Angeli videntes terreantur.

Rursus quoniam mundus iste purgari debet cum homine expurgato, & homo in statu finalis temporis indiget purgari a scoria avaritiæ, & malitiæ, sicut in primo tempore a fæce luxuriæ; indiget etiam purgari & velociter, & intime, & perfecte: hinc est, quod sicut mundus prius deletus est, & quodam modo purgatus, per elementum aquæ, quod est frigidum contra ardorem, & fœtorem luxuriæ: sic finalis mundus per ignem propter refrigerium charitatis, & frigus malitiæ & avaritiæ, quæ regnabunt in fine quasi in ipsius mundi senectute. Quæ quia maximæ sunt adhærentiæ, necesse est, quod purgans sit actionis intimæ, violentæ, & acceleratæ: quod non contingit reperiri in elemento alio, quam in igne. Et ideo sicut factum est aquarum inundatione diluvium; sic per actionem ignis mundi sensibilis facies exuretur.

Gen. 7

Avaritia & malitia in senectute mundi.

Mundi innovatio.

Amplius quoniam mundus ille innovari debet cum homine innovato, nec innovari potest aliquid in novam for-

formam, nisi perdat vetustam, & A quodam modo disponatur dispositione nova superinducta: hinc est, quod cum ignis maxime habeat virtutem expulsivam formæ extraneæ, habeat etiam vim subtilitativam, & cœlesti naturæ cognatam: ideo per ipsum debet fieri purgatio simul & innovatio, ita quod cum geminam habeat efficaciam, quantum ad aliquam, judicis adventum præcedit, quantum autem ad reliquam habet sequi. Et cum innovatio sit ad novitatem, quæ amplius non redit ad vetustatem: ac per hoc ad novitatem incorruptibilem, quam dare non est in potentia alicuius creaturæ: hinc est, quod licet in illa purgatione & innovatione, ignis aliquid agat B per naturalem virtutem, ut inflammare, purgare, rarefacere, & subtiliare: tamen necesse est, quod cum illa virtute naturali sit virtus operans supra naturam, cujus imperio fiet conflagrationis initium, & cuius etiam virtute fiet nihilominus complementum.

Completo numero electorum omnia terminantur. Postremo quoniam mundus ille debet consummari, homine consummato, & tunc est homo consummatus, quando, in gloria completus erit numerus electorum, ad quem quidem statum omnia tendunt, sicut ad finem ultimum, & completum: necesse est, facta completione illius numeri, terminari, & quietari motus naturæ cœlestis: necesse est etiam teminari C transmutationes elementares: necesse est etiam per consequens terminari generationem, quæ est in animalibus, & in plantis. Cum enim omnia ista ordinentur ad formam nobilissimam, quæ quidem est anima rationalis, posito statu in animalibus, necesse est & statum, & complementum poni in ceteris præcedentibus. Et ideo corpora cœlestia habita quiete, & luminis plenitudine, dicuntur remunerari. Elementa vero, quæ amplius non habent vim multiplicandi per transmutationem mutuam, dicuntur interire, non quantum ad substantiam, sed quantum ad actionem, & passionem mutuam, & hoc maxime, quantum ad qualitates activas. Vegetabilia vero, & sensibilia, quia non habent potestatem, & vitam perpetuam, & durationem sempiternam, qualis competit statui illius nobilitatis; necesse est in propria natura consumi: ita tamen quod salventur in principiis, & quodam modo in simili, videlicet in homine, qui similitudinem habet cum omni genere creaturæ: & ideo in ipsius innovatione, & glorificatione possunt dici omnia innovari, & quodammodo præmiari.

Caput V.

De concomitantibus judicium, sicut est resurrectio corporum.

De resurrectione autem corporum hoc tenendum est, quod omnium corpora hominum in generali resurrectione resurgent, nulla in eis existente distantia quantum ad ordinationem temporis, sed magis quantum ad ordinationem dignitatis. Nam mali resurgent cum suis deformitatibus, & pœnalitatibus, miseriis, & defectibus, quos habuerant in statu viæ. In bonis autem natura servabitur, & vitia detrahentur, & omnes resurgent integro corpore, & plena ætate, & debita mensura membrorum; ut sic omnes sancti occurrant in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Surgent autem tam in bonis quam in malis corpora eadem numero, quæ prius, & ex eisdem partibus constituta, salva totius veritate naturæ, non solum quantum ad membra principalia, & humiditatem radicalem, verumetiam salvis capillis & cæteris membris, quæ faciunt ad decentiam corporis, ita quod in quascumque auras, vel sinus naturæ, pulvis humani corporis cedat, ad eam animam redibit, quæ ipsum primitus, ut viveret & cresceret, animavit.

Universalis resurrectionis qualitas & ratio.

Eph. 4

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia primum principium eo ipso, quod primum & summum, est universalissimum, & sufficientissimum, ac per hoc principium est naturarum, gratiarum, &

& præmiorum: principium etiam potentissimum, clementissimum, & justissimum, & licet secundum quandam appropriationem sit potentissimum in constitutione naturarum, & clementissimum in collatione gratiarum, & iustissimum in retributione stipendiorum; tamen sigillatim singula sunt in singulis, quia summa potentia, clementia, & justitia nullatenus possunt ab invicem separari: & ideo in opere retributionis necesse est, quod ipsa fiat secundum quod exigit rectitudo iustitiæ, & reformatio gratiæ, & completio naturæ. Quoniam ergo justitia necessario requirit, ut homo qui meruit, vel demeruit non in anima solum, nec in corpore solum, sed in anima simul, & corpore puniatur, vel præmietur in utroque: reformatio autem gratiæ requirit, ut totum corpus assimiletur Christo capiti, cujus corpus mortuum necessarium fuit resurgere, cum unitum esset inseparabiliter deitati: completio vero naturæ requirit, ut homo constet simul ex corpore, & anima, tamquam ex materia & forma, quæ mutuum habent appetitum, & inclinationem mutuam; necesse est, resurrectionem esse futuram, exigente hac constitutione naturæ, infusione gratiæ, & retributione iustitiæ, secundum quas tota universitas habet regi. Et ideo ex his tribus, omnia clamant hominem suscitandum, ut omnis tollatur excusatio illis, qui contra hanc veritatem fidei obsurdescunt, & merito contra tales universus pugnet orbis terrarum.

Sap. 5. Ratio justitiæ Dei in resurrectione.

Primo igitur, quoniam resurrectio debet esse secundum exigentiam ordinis divinæ iustitiæ, & divina justitia reddit unicuique quod suum est pro loco, & tempore, & omnis anima corpori semel, & ad punctum temporis unita, vel habet in eo culpam, vel gratiam: necesse est quod omnes resurgant. Et quia distinctus debet esse status retributionis a statu viæ, & resurrectio spectat ad statum retributionis; ut non confundatur ordo universi, & ut fides habeat meritum, quæ credit, quod non videt, & ut certius, & clarius appareat æquitas divinæ justitiæ; & ut simul fiat consummatio, & retributio finalis in Angelis, & hominibus; requirit hoc divina justitia, ut omnes resurgant simul, quantum est de lege communi. Quod dico propter Christum, & ejus beatissimam Matrem gloriosam virginem Mariam. Quia vero malis debetur pœna, & miseria, & bonis gloria: ideo etsi simul resurgant in tempore, valde tamen dissimiles erunt in conditione. Nam quia malis resurrectio non est ad vitam, sed ad supplicium, necesse est, quod ipsi cum infirmitatibus, & deformitatibus, & defectibus suscitentur.

Ratio resurrectionis ex consummatione gratiæ.

Rursus, quia resurrectio debet esse secundum exigentiam consummationis gratiæ, & perfecta gratia facit nos conformes Christo capiti nostro, in quo nullus fuit defectus membrorum, sed perfecta ætas, & statura debita, & effigies formosa; opportunum est, quod boni suscitentur in optimis conditionibus, ac per hoc necesse est, quod in eis vitia detrahantur, & natura servetur. Opportunum etiam est, ut si aliquod membrum deerat, suppleatur: si aliqua erat superfluitas, auferatur: si aliqua membrorum deordinatio, corrigatur: si parvulus erat, ad quantitatem ætatis Christi, quam habebat in resurrectione, licet non in mole, divina virtute deducatur: si decrepitus, ad eamdem ætatem reducatur: si gigas, si nanus, ad mensuram congruam limitetur: ut sic omnes integri, & perfecti occurrant in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. *Eph. 4.*

Ratio ex conditione naturæ.

Postremo quia resurrectio debet esse secundum exigentiam perfectionis naturæ, & natura spiritus rationalis exigit, quod vivificet corpus proprium, quia proprius actus in propria materia habet fieri: necesse est, quod idem corpus numero resurgat, & alioquin non esset resurrectio vera. Requirit etiam natura animæ rationalis, & immortalis, quod sicut habet esse perpetuum, sic corpus habeat, cui perpe-

tuo insinuat vitam: ac per hoc, corpus, quod animæ unitur, ex ipsa unione ordinationem habet ad incorruptionem perpetuam: ita tamen quod illud, in quo consistit substantia totius corporis, sicut sunt membra principalia, & etiam humiditas radicalis, & caro secundum speciem habeat ordinationem necessariam; alia vero, scilicet caro secundum materiam, & partes, quæ sunt de bene esse corporis, habeant ordinationem de congruo: & ideo primæ partes sunt ordinatæ ad resurrectionem, secundum ordinem necessitatis, aliæ vero omnes secundum ordinem congruitatis. Quem quidem ordinem, quia Deus impressit naturæ, & natura non potest perficere, quia non potest mortuum suscitare, & ipsa divina providentia nihil debuit facere frustra: necesse est, quod ipsius virtute reparetur corpus idem numero, & immortale, & ex omnibus partibus constitutum, & salva tota veritate humanæ naturæ. Cum autem hæc natura non habeat in potestate, sed solum in appetitu, quia nec idem corpus numero destructum reparare potest, cum non possit in totam rei substantiam: nec corpus immortale possit efficere, cum omne per naturam generabile sit corruptibile; nec dispersa colligere potest: necesse est, quod resurrectio non seminalibus, nec naturalibus causis, sed primordialibus attribuatur, ut fiat secundum cursum mirabilem & supernaturalem, & secundum divinæ imperium voluntatis.

Caput VI.

De consequentibus ad judicium, scilicet de igne infernali.

De pœna infernali summatim.

Consequenter de consequentibus ad judicium est dicendum, quæ sunt duo; scilicet pœna infernalis, & gloria cœlestis. De pœna igitur infernali hoc tenendum est, quod pœna infernalis est in loco corporali deorsum, in quo æternaliter affligentur omnes reprobi tam homines, quam spiritus mali. Affligentur autem A eodem igne corporali: qui concremabit & affliget spiritus, & etiam corpora: nec tamen corpora illa consumet; sed semper affliget alios plus alios minus secundum exigentiam meritorum. Huiusmodi autem afflictioni ignis conjuncta erit afflictio secundum omnes sensus, conjuncta erit pœna vermis, & carentia visionis Dei; ita quod in his pœnis erit varietas, & cum varietate acerbitas, & cum acerbitate interminabilitas, ut ad reproborum supplicium, tormentorum fumus ascendat in sæcula sæculorum. *Apo. 14*

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum hæc est: quia cum primum principium summum sit, quid- B quid habet, habet in summo: ideo necesse est ipsum esse rectissimum. Cum ergo in retribuendo agat secundum rectitudinem, sicut contra se facere non potest, nec se negare, nec suam justitiam impugnare: sic necessario sua rectitudine exigente, oportet, quod peccatum puniatur secundum quantitatem culpæ, in his maxime, qui legem misericordiæ contemnentes: per impœnitentiam impegerunt in severitatem justitiæ: Quoniam ergo severitatis justitiæ est considerare culpam, non solum quantum ad radicem, verum etiam quantum ad circumstantias aggravantes: congruissimum est, ut iudex justus pœnas debitas ab impiis C exigat usque ad ultimum quadrantem: & sic non remaneat dedecus peccati sine decore justitiæ: & sicut manifesta est potestas in creando & sapientia in gubernando, & clementia in reparando; sic manifestetur summa justitia in puniendo. Quoniam ergo divina iustitia peccatorem impium debet punire secundum exigentiam culpæ; & culpa mortalis, ad quam succedit finalis impœnitentia, ipsa habet rationem deordinationis perpetuæ, deordinationis libidinosæ, deordinationis multimodæ; necesse est, quod ipsa puniatur pœnarum æternitate, acerbitate, & multiformitate.

Divinæ justitiæ severitas.

Deordinationis perpetuæ pœna.

Primo igitur deordinationis perpetuæ pœna debet esse perpetua, quia peccatum, quod quis commit-

tit,

tit, & de quo nunquam pœnitet, perpetuo in animo durat, & a vita perpetua, scilicet Deo separat, & a voluntate procedit, quæ in peccato vellet perpetuo delectari. Et licet delectatio illa transiens sit momentanea, quia tamen deordinatio tenet rationem perpetuitatis, pœna deordinationi respondens, debet habere carentiam finis: ut sicut homo in suo perpetuo finem non apposuit a peccato recedendo, sic Deus in suo perpetuo non desistat a puniendo: & sicut homo contra infinitum peccavit, sic pœnam habeat infinitam. Et quia non potest habere pœnam infinitam intensive, habeat saltem duratione. Et sicut voluntas ejus post mortem semper malo adhæret sine susceptione pœnitentiæ: sic Deus semper affligat sine immutatione sententiæ, requirente hoc perpetuitate deordinationis in impiis damnatis.

Libidinosę deordinationis pœna. Rursus quoniam deordinationis libidinosæ pœnæ debet esse afflictiva, quia delectatio punitur per tristitiam contrariam, & spiritus rationalis in peccando convertit se ad bonum proprium, & ut nunc, & partiale libidinose amandum, & ex hoc contemnit divinum imperium & dominium: hinc est, quod ad hoc, quod illa delectatio improba perfecte puniatur, in qua simul est delectatio cum contemptu: necesse est, quod ad punitionem illius contemptus & delectationis peccator, sive spiritus præcipitetur in locum infimum, & maxime a statu gloriæ longinquum, hoc est in profundissimum infernum. Necesse est etiam, quod ibi exponatur affligendus, infimæ naturæ, ac per hoc non a substantia spirituali patiatur, sed a corporali, & infima, hoc est a fæcibus corporum mundanorum, ut in fæcibus defigatur, & igne, & sulphure concremetur. Et quoniam spiritus, qui per naturam præponitur corpori, & in corpus habet influere, & ipsum movere, dignitatem naturæ per culpam pervertit, & se subjicit quodam modo vilitati & nihilitati peccati; hinc est, quod secundum ordinem justitiæ debet ordinari, ut tam pecca-A tor spiritus, quam homo igni corporeo alligetur: non ut in illum influat vitam, sed ut divino decreto suscipiat pœnam. Cum enim rei, quam horret per timorem divinitus immissum, & quam sentit per vim naturalis sensus, sit inseparabiliter alligatus, necesse est, quod acriter tormentetur. Et quia ille ignis non agit nisi per dispositionem peccati, & reatus, & maculæ, ex improbitate libidinis procedentis, & hæc non est æqualiter in omnibus, hinc est, quod ab eodem igne alii cremantur plus, alii vero minus; sicut ab eodem igne aliter uritur palea, & aliter comburitur lignum. Quoniam autem illa pecca-B ti distinctio, & reatus, secundum quam actio ignis moderatur, est in eodem uniformis, & numquam crescit, nec decrescit, nec mutatur; hinc est, quod divino imperio ordinante, ignis ille sic agit, quod semper urit, & non consumit: semper affligit, & non interimit; quia non agit ad suæ formæ multiplicationem, sed ad pacis animæ in corpore perturbationem, sive ipsius spiritus in seipso. Unde non fit nova ademptio, sed ademptæ pacis continuatio: ut sic in eadem pœna, nec acerbitas æternitatem; nec æternitas tollat acerbitatem.

Postremo quoniam deordinationis multimodæ pœna debet esse multimo-C da & in omni peccato actuali mortali est deordinata aversio a summa luce & bonitate, & inordinata conversio ad bonum commutabile, & deordinatio voluntatis contra dictamen rationis rectæ: hinc est, quod omnes actualiter peccantes, qui erunt damnati, punientur pœna triplici; propter aversionem, carentia visionis Dei: propter conversionem, pœna incendii materialis: propter pugnam voluntatis & rationis, pœna vermis ut sic ex hac multiplicitate pœnarum afflicti, & varie, & acerbe, & æternaliter crucientur, & tormentorum fumus ascendat in secula seculorum, Amen. *Apo. 14* *De ordinationis multimodæ pœna.*

Caput VII.

De consequentibus ad judicium, scilicet gloria paradisi.

Præmium beatorum triplex.

1. Cor. 13.

Bern. in Cant. serm. 11 post med.

Dotes corporis quatuor.

Aureola.

Beatitudinis nostræ ratio.

Rom. 1

DE gloria autem cælesti hoc in summa tenendum est, quod in ipsa est præmium substantiale, consubstantiale, & accidentale. Præmium, inquam, substantiale consistit in visione, fruitione, & tentione unius summi boni, scilicet Dei: quem beati videbunt facie ad faciem, hoc est nude, & sine velamine fruentur avide, & delectabiliter: quem etiam tenebunt, sempiternaliter, ut sic verificetur illud Bernardi, quod Deus futurus est rationi plenitudo lucis, volutati multitudo pacis, & memoriæ continuatio æternitatis. Præmium vero consubstantiale consistit in gloria corporis, quæ secunda stola dicitur: qua resumpta, perfectius anima beata tendit in summum cœlum. Et hæc stola consistit in quadruplici dote corporis, scilicet in dote claritatis, subtilitatis, agilitatis, & impassibilitatis: quæ erunt secundum plus & minus in diversis, secundum majoritatem, & minoritatem prius habitæ charitatis. Præmium autem accidentale, consistit in quodam decore speciali superadiecto, qui quidem aureola nuncupatur, & secundum Doctorum sententiam, debetur triplici generi operum, scilicet martyrio, prædicationi & continentiæ virginali. Et in omnibus prædictis servabitur gradus, & distinctio, secundum exigentiam meritorum.

Ratio autem ad intelligentiam prædictorum, hæc est: quia primum principium hoc ipso, quod primum, habet summam unitatem, veritatem, & bonitatem, & hoc ipso in eo etiam est ponere summam potentiam, sapientiam, clementiam, & iustitiam. Quoniam autem hæc invisibilia Dei manifestari decet per opera; ideo Deus mundum istum sensibilem principians, sic produxit, sic gubernat, sic reparat, sic remunerat, & consummat, quod in A productione manifestetur summa potentia: in gubernatione summa sapientia: in reparatione summa clementia: & in remuneratione iustitia consummata. Ut ergo manifestaretur potentia ad suiipsius laudem, & gloriam, & honorem, omnia produxit de nihilo, faciens aliquid prope nihil, scilicet materiam corporalem: & aliquid prope se, scilicet substantiam spiritualem, & simul hæc jungens in uno homine, in unitate naturæ, & personæ, scilicet rationalem animam, & materiam corporalem. Ut manifestaretur sapientia, ipse quidem providentissime omnia gubernat, & ordinate. Nam ipse supremum hominis regit per seipsum, mentem scilicet quam illustrat: & infimum, B scilicet corpus per liberum arbitrium voluntatis, ut sic corpus, & corporalia quo ad regimen subiaceant spiritui, spiritus vero Deo. Ut manifestaretur clementia, lapsum hominem reparavit, assumendo hominis naturam, suscipiendo pœnalitates, & tandem perferendo pœnam: ut sic summa misericordia misero misericordem faceret esse conformem ad revelationem miseriæ, non solum in dignitate naturæ conditæ, verumetiam in defectibus naturæ in miseria constitutæ. Ut tandem manifestetur iustitia, retribuet unicuique secundum exigentiam meritorum, non solum malis pœnam, C verumetiam iustis gloriam sempiternam. Sic enim exigit retributio æqua, & reparatio gratuita, & gubernatio ordinata, & productio virtuosa. Nam omnium horum consummatio est in fine.

Ratio præmii iustorum quoad corpus & animam.

Primum igitur quoniam omnium iustorum præmiatio fieri debet, secundum quod exigit retributio iusta, & etiam productio virtuosa: & productio Dei fecit rationalem spiritum prope Deum, capacem Dei, capacem scilicet secundum vim inditæ imaginis ipsius B. Trinitatis, cui in iustis totus hominis spiritus secundum integritatem imaginis deservivit; hinc est, quod a nullo minus Deo potest rationalis spiritus præmiari, nec impleri, nec

nec ejus capacitas terminari: ideo in præmium datur ei deiformitas gloriæ, per quam Deo effectus conformis, & ratione ipsum videat clare, & voluntate diligat plene, & memoria retineat in æternum: ut sic anima tota vivat, tota dotetur in tribus animæ viribus, tota Deo configuretur, tota in illo requiescat: in ipso sicut in omni bono inveniens pacem, lucem, & sufficientiam sempiternam, per quam in statu omnium bonorum congregatione perfecta constituta, & æterna vita vivens, dicatur beata, & etiam gloriosa.

Boet. li. 3 de consol. philos. prosa 2. circa princ.

Rursus quoniam retributio illa debet fieri secundum quod exigit non solum retributio justa, & productio virtuosa, verumetiam gubernatio ordinata, & Deus in productione corpus animæ alligavit, & naturali, & mutuo appetitu invicem copulavit: ad gubernationem vero subjecit, & in statu meriti fecit, ut spiritus condescenderet, & intenderet corpori gubernando propter exercitium in merendo; nec naturalis appetitus patitur, quod anima sit plene beata, nisi restituatur ei corpus, ad quod resumendum habet inclinationem naturaliter insertam; nec regiminis ordo sustinet, quod restituatur corpus spiritui beato, nisi per omnia illi conforme, & subjectum, quantum potest corpus spiritui conformari. Quoniam ergo spiritus est visione lucis æternæ clarificatus; ideo debet, in ejus corpore claritas lucis permaxime resultare. Quia vero dilectione illius summi spiritus est summe spiritualis effectus; ideo in corpore habere debet correspondentem subtilitatem & spiritualitatem. Quia tentione æternitatis factus est omnino impassibilis; ideo in corpore ejus, debet esse impassibilitas omnimoda, tam intra, quam extra. Quia vero ex his omnibus, spiritus promptissimus est ad tendendum in Deum; ideo in corpore glorioso debet summa agilitas reperiri. Quoniam igitur per has quatuor proprietates fit corpus spiritui conforme, & etiam subjectum: hinc est, quod in his quatuor præcipue dotari dicitur, ratione quorum idoneitatem habet sequi spiritum, & locari in regione cœlesti, quæ est regio beatorum. In istis enim proprietatibus, cœlestibus corporibus assimilatur, per quas quasi gradatim distat corpus cæleste a quatuor elementis, & sic dos corporum quadruplicata & corpus in se perfectum reddit, & conforme habitationi cœlesti, & spiritui beato: per quem a summo capite Deo usque in oram vestimenti, scilicet corporis, plenitudo dulcedinis, & beatitudinis ebrietas redundat, & quantum est possibile derivatur.

Postremo quoniam illa præmiatio debet fieri, secundum quod exigit retributio justa, & productio virtuosa, & gubernatio ordinata, & etiam reparatio gloriosa, & in diversis Christi membris diversa sunt charismata gratiarum, non solum quantum ad interiora dona, verum etiam quantum ad exercitia exteriora; non solum quo ad habitus, verumetiam quo ad status; non solum quo ad perfectionem charitatis in mente, verumetiam quo ad perfectionis decorem & pulchritudinem in opere corporali: hinc est, quod aliquibus membris non solum stola animæ cum tribus eius dotibus, & stola corporis cum quatuor, verumetiam excellentia quædam decoris & gaudii debetur, propter excellentiam perfectionis, & decoris habiti corpore virtuoso. Quoniam igitur triplex est genus operis præcellentis, perfectum, & pulchrum, & spirituali forma formosum, secundum triplicem vim animæ: secundum rationalem, prædicatio veritatis perducens alios ad salutem: secundum concupiscibilem, perfecta declinatio conpiscentiarum, per integritatem perpetuam continentiæ virginalis: secundum irascibilem, perpessio mortis ad honorem Christi: hinc est, quod his tribus generibus iustorum, scilicet prædicatoribus, virginibus, & martyribus debetur illa excellentia præmii accidentalis, quod aureola nuncupatur, quod ad decorem facit, non solum animæ, verumetiam corporis: quia non redditur voluntati tantum, sed operi extrinseco,

Aureola quibus reddenda.

seco, substernens sibi meritum, & præmium charitatis, quod consistit in septiformi dote, triplici animæ, & quadruplici corporis, in quibus clauditur consummatio, integritas, & plenitudo omnium bonorum spectantium ad gloriæ complementum.
Anselm. Prosolog. c. 24. Qualia autem & quanta sint illa non verba mea, sed B. Anselmi ponantur. Ait enim in fine Prosologii: Excitare nunc anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita quantum potes, quale & quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum: non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt creator a creatura. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix? Si iucunda est salus facta, quam iucunda est salus, quæ fecit omnem salutem? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia, quæ omnia condit ex nihilo? Denique si multæ, & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis, & quanta est delectatio in illo, qui fecit ipsa delectabilia.

Idem Prosolog. c. 25 Qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit? Certe quidquid volet, erit, & quod nolet esse, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. 1. Cor. 2 Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum & satis est. Quid enim amas caro mea, quid desideras anima mea: ibi est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo. Sap. 3. Fulgebunt iusti sicut Sol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit: Matt. 22. Erunt similes Angelis Dei: quia 1. Cor. 15 seminatur corpus animale, & resurget corpus spirituale: potestate utique non natura. Si longa & salubris vita, ibi erit sana æternitas, & æterna sanitas; quia iusti in perpetuum vivent, Sap. 5. & Salus iustorum a Domino. Psal. 36 Si satietas: Satiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Psal. 16 Si ebrietas: Psal. 35 inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum Chori concinunt sine fine Deum laudantes: Si quælibet non immunda, sed munda voluptas; Torrente voluptatis tuæ potabis eos Deus. Ibidem. Si sapientia, ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia, diligent Deum plus, quam seipsos, & invicem tamquam seipsos, & Deus illos, plus quam seipsos: quia illi illum, & se invicem per illum, & ille se, & illos per seipsum, Si concordia, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit nisi Dei voluntas. Si potestas, omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus, quod volet per seipsum, ita poterunt illi per illum quod volent; quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille, ita ille volet, quidquid illi volent: & quod ille volet, non poterit non esse. Si honor, & divitiæ, Deus suos servos bonos, & fideles supra constituet: Mat. 25 immo filii Dei, & Dei vocabuntur, Mat. 5 & erunt, & ubi erit filius Dei, ibi erunt & illi. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi Rom. 8 Si vera securitas, certe ita certi erunt numquam, & nullatenus ista, vel potius istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum; nec aliquid Deo potentius, invitos Deum, & illos separaturum. Gaudium vero quale, aut quantum est, ubi tale, ac tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, immo obrutum ærumnis, quantum gauderes si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possunt gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut te ipsum diligeres, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo, quam pro te ipso. Si vero duo, vel tres, vel multo plures

res idipsum haberent: tantumdem pro singulis quantum pro te ipso gauderes, si singulos sicut te ipsum, amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium Angelorum, & hominum beatorum, ubi nullus minus alium, quam seipsum diligit, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis, quam pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet suum gaudium, quo modo capax erit tot, & tantorum gaudiorum? Et utique quia quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet, sicut in illa perfecta felicitate unusquisque, plus amabit sine comparatione Deum, quam se, & omnes alios secum; ita gaudebit plus absque æstimatione de felicitate Dei, quam de sua, & omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis, profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii.

Ans. Proslog. c. 26 Nondum ergo Domine dixi aut cognovi, quantum gaudebunt illi beati tui, utique tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum cognoscent te. Quantum cognoscent te, & quantum amabunt te? certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita, quantum te cognoscent, & amabunt in illa vita. *1. Cor. 2.* Oro Deus cognoscam te, amem te, ut gaudeam te; & si non possum ad plenum in hac vita, ut proficiam in dies, usque dum veniat illud ad plenum: proficiat hic in me notitia tui, & ibi fiat plena; crescat hic amor tuus, & ibi fiat plenus; ut hic gaudium meum sit in spe magnum, & ibi sit in re plenum. Domine per filium tuum jubes, immo consulis petere, & promittis accipere, ut gaudium nostrum plenum, sit. *Isa. 16* Deus verax peto, accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Peto Domine, quod per admirabilem consiliarium nostrum consulis; accipiam, quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim inde mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini mei, qui est trinus & unus Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen. *Matt. 25 Rom.*

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS, CENTILOQUIUM.

QUOD COMPENDIUM THEOLOGIÆ DICITUR.

INGREDIENTEM ad sacram Theologiam generalibus præceptis instruit hoc opusculo eximius Ecclesiæ Doctor: idque brevitate verborum, ac sententiarum ubertate, quibus in Breviloquio usus est, egregie præstat. Tractatus vero iste in partes quatuor distributus est, quæ omnes continent Sectiones centum, unde Centiloquium sibi nomen sortitur. Prima igitur pars est de malo sub ratione culpæ: secunda de malo sub ratione pœnæ: tertia de bono sub ratione gratiæ: quarta de bono sub ratione gloriæ: Ut autem notum sit, perspicere volenti, quomodo Centiloquium, & Breviloquium connexa sint, animadvertendum est: primam & secundam partem Centiloquii tertiæ omnino; & partim septimæ Breviloquii respondere: tertiam primæ, secundæ, quartæ, quintæ & sextæ similiter: quartam vero septimæ pro sua ratione. Adeo vero conformis est doctrina utriusque tractatus, ut eumdem, & sibi maxime constantem demonstret auctorem.

PROOEMIUM.

Prov. 22 ECCE descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus, & scientia, ut ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis respondere ex his, illis, qui miserunt te. Informans Sapiens in his verbis eum, A qui intendit ad prædicationis officium promoveri, quatuor innuit studioso discipulo videnda, scilicet in quo est studendum, quia in trina traditione, cum dicit: Ecce descripsi eam, scilicet doctrinam sacram tripliciter: quia ad discretionem boni, & mali, informavi

Præfatio auctoris.

ra.

rationalem: ad reiectionem mali, animavi irascibilem: ad dilectionem boni, excitavi concupiscibilem. Item tripliciter doctrina sacri canonis est descripta, quia præter litteralem sensum tribus modis traditur exponenda scilicet moraliter, sive tropologice, allegorice, & anagogice. Tropologia sive moralitas, est quando per illud, quod factum est, datur intelligi, quod faciendum est. Allegoria est, quando per illud quod factum est, indicatur illud quod credendum est. Anagogia est, quasi sursum ductio, quando per unum factum intelligendum est aliud, quod desiderandum est, scilicet æterna felicitas beatorum. Secundo, de quo est conferendum, quia de audita lectione, cum addit: In cogitationibus, & scientia, id est, ut cogites, quæ audisti, & intellectum frequenter cogas circa ruminationem, ut scias ubi audita, & ruminata comprehendas per cognitionem. Tertio quid proponendum in prædicatione, quia præcepta moralia, quæ sub lege naturæ, scripturæ, & gratiæ, & firma & immobilia permanserunt: & Evangelia præcipue, quæ ex ore altissimi prodierunt, cum dicit: Ut ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis. Quarto per quid respondendum in interrogatione, quia per ea, quæ sunt ex lectione percepta, in ratione collecta, & prædicatione concepta, cum subiungit: Respondere ex his, id est examinatoribus illis, qui miserunt, id est missi sunt, quo modo examinent te.

Sacra scriptura quot modis exponitur.

Eccl. 24.

In adminiculum itaque parvulorum rudis rogatus a rudibus, rudem tractatum rudibus compilavi, in quo rudium ruditas, circa generalia theologiæ, saltem ruditer poterit erudiri, & ex lacte infantiæ ad cibum solidum prævia Dei gratia, cum sensus industria præparari. Collegi autem hoc ex dictis proborum, quæ hinc inde decerpens, in unius opusculi angustiam coarctavi. Quod cum & centum recipiat sectiones, centiloquium poterit appellari. Cuius continentia, ut facilius pateat requirenti, præmittuntur centum tituli Sectionum, quæ ex quatuor partibus B distinguuntur. In universo enim agitur de quatuor in præsenti opusculo. Primo scilicet de malo sub ratione culpæ. Secundo de malo sub ratione pœnæ. Tertio de bono sub ratione gratiæ. Quarto de bono sub ratione gloriæ.

Intentio auctoris.

Centiloquium, materia tractanda.

CENTILOQUII.

PRIMA PARS.

Sectionibus triginta tribus comprehensa.

SECTIO I.

De malo culpæ in generali.

MALUM considerare occurrit quantum ad diffinitionem. Quod diffiniens August. ait: Malum est privatio modi, speciei, & ordinis. Ad cuius intelligentiam, est notandum, quod creatura quælibet, quantumcumque modica comparari habet ad Deum secundum triplex genus, causæ scilicet efficientis, formalis, & finalis: & sic habet modum, speciem, & ordinem. Creatura vero rationalis non solum habet modum, speciem & ordinem, prout est natura quædam, sicut ceteræ creaturæ; verum etiam prout est voluntate libera. Voluntas autem nostra quando habet modum, speciem, & ordinem, tunc est bona. Tunc autem habet hæc tria, quando in operando continuatur virtuti divinæ, ut principio moventi: conformatur ei, ut regulæ dirigenti: unitur ei, ut fini qui tanti. In primo est modus, in secundo est species, in tertio ordo attenditur secundum triplex genus causæ. Quandocumque vero quis peccat mortaliter; discontinuatur necessario a Deo, tamquam a principio movente, quia Deus numquam movet ad peccatum: discordat a Deo, tamquam a regula dirigente: elongatur, & deordinatur a Deo, tamquam a fine quietante ponens creaturam finem sui. Et sic malum culpæ privat, & corrumpit hæc

Sup. Brevil. 3. p. c. 1. Aug. lib. de nat. boni contra Manich. c. 4. tom. 8.

Voluntas nostra quando bona.

Peccatum mortale corrumpit modum speciem, & ordinem.

hæc tria inseparabiliter & æqualiter, non tamen totaliter in rationali creatura, inquantum est agens voluntarie, & libere, ultra alias creaturas. Malum vero pœnæ corrumpit hæc tria prædicta, prout cum aliis creaturis convenit in natura.

Malum triplex. Item consideratur malum, quantum ad distinctionem. Distinguitur enim malum per triplicem differentiam, scilicet in malum culpæ, sive transgressionis: malum pugnæ, sive tentationis: malum pœnæ, sive punitionis. Malum culpæ idem est, quod iniustitia generalis, sive absentia debitæ honestatis, vel passio voluntaria. Malum pœnæ est absentia debitæ delectationis, cum sensu sui contrarii, sive passio involuntaria. Malum pugnæ tenet medium inter ista: nam diabolo est culpa in instigando, iusto est pœna in reluctando.

Mali subdivisio. Quantum ad subdivisionem. Subdividitur enim malum in malum culpæ, secundum se, & per se, quod nullo modo potest bene fieri, ut odire Deum, & blasphemare Deum: in malum in se, sive in genere, ut occidere, quod potest bene fieri propter iustitiam: in malum ex circumstantia, ut dare eleemosynam propter vanam gloriam.

Mali introductio. Item consideratur quantum ad introductionem: & sic malum originatur a bono, id est a voluntate & libero arbitrio non efficiente, sed deficiente: substantificatur in bono, non enim est essentia aliqua, vel natura, sed corruptio boni, quæ non potest esse, nisi in bono, quod corrumpitur, id est in libera voluntate: contrariatur bono. Ad quod intelligendum nota, quod malum corrumpit & perimit iustitiam, id est rectitudinem voluntatis. Tria enim circa rectitudinem animæ attendun tur, scilicet potentia rectificabilis, hanc non corrumpit: habitus rectificans, hunc privat simpliciter, & corrumpit, scilicet gratiam & virtutes: habilitas media, & hanc diminuit, dum minus redditur homo habilis ad bonum per peccatum, non tamen tollit eam. Non enim opponitur malum illi habilitati, ratione naturæ, cuius est, sed ratione gratiæ, & virtutis, sive finis, ad quæ est.

SECTIO II.

De tentatione.

Malum tentationis sive pugnæ, notificatur per diffinitionem Hugonis de sancto Victore. Tentare est callide experiri, & quasi quibusdam blandis conatibus probare. Augustinus: Omnis tentatio probatio est. Cassiodorus: Tentatio diaboli est assimulatio apparentis boni ad fallendum. Sic etiam aliter diffinitur: Tentatio est pulsatio ex intentione, vel proposito ad declarandum bonum hominis sive malum. *Aug. enarr. in psal. 55. tom. 8.* Multiplicatur per divisionem. Potest enim tentatio considerari quantum ad motivum, & sic dividitur tentatio in eam, quæ est ab hoste, a carne, & a mundo. Juxta illud: Mundus, caro dæmonia diversa movent prælia. *Tentationis divisio.* Item in eam, quæ est tentatio, alia ab hoste, alia a carne: prima generaliter, secunda specialiter. Dividitur etiam quantum ad instrumentum, & sic generaliter est illa divisio Greg. Est quædam tentatio per vitia, quædam per flagella. Specialiter, & sic est illa super psalmo: Omnem escam abominata est anima eorum: Multiplex est tentatio, quarum prima est error, sive nescientia viæ veritatis, secunda difficultas vincendarum concupiscentiarum, tertia tædium boni, quarta tempestas sæculi. *Aug. enarr. in ps. 106. tom. 8.* Quantum ad effectum, & sic generaliter est illa, de qua dicitur: Tentatio vos non apprehendat nisi humana. *1. Cor. 10.* Tentatio alia diabolica, alia humana. Diabolica malum habet exitum, quia terminatur in mortali. Humana non habet periculosum exitum, quia vel ibi est peccatum veniale, vel nulla est ibi culpa. Specialiter, & sic est illa de doctrina christiana: Diabolus tentat aut vexando carnem, aut vulnerando naturalia, aut expoliando gratuita. Quantum ad gradum, & sic generaliter est illa: tentatio alia exterior, alia interior. Specialiter,

liter, & sic est illa Gregorii: Tentatio tribus modis perficitur, scilicet suggestione, delectatione, & consensu. Quantum ad tentandi modum. Et sic est illa generaliter & implicite super psalmos: Qui habitat in adiutorio. Quædam tentatio est levis & occulta; quædam gravis & occulta: quædam levis & manifesta: quædam gravis & manifesta. Generaliter & explicite, sic est illa Richardi per septem membra. Prima est importuna, quæ pertinaciter insistit: secunda est dubia, quæ animum dubietatis nebula involuit: tertia est subita, quæ iudicium rationis prævenit: quarta occulta, quæ deliberationis ordinem præterfugit: quinta est violenta, quæ vires nostras transcendit: sexta fraudulenta, quæ animum seducit: septima perplexa: quæ variis vitiis impetit. Si specialiter & implicite, sic est illa Augustini: Diabolus tentat ut leo, tentat ut draco. Si specialiter & explicite, sic est illa Gregorii super Job: Diabolus premendo rapit, insidiando circumvenit, minando terret, suadendo blanditur, desperando frangit, promittendo decipit. Diversificatur autem per intentionem. Nam tentat Deus ut erudiat, diabolus ut decipiat, mundus ut alliciat, homo ut coniiciat, caro ut inficiat.

Greg. hom. 16. in Evang. Gloss. in ps. 90.

Richard. in ps. 90. p. 2.

SECTIO III.

De diffinitione peccati.

Viso de malo culpæ in generali, & de malo pugnæ quod impellit ad culpam, descendendum est ad peccatum in speciali. Circa quod tria considerare debemus, scilicet modum divisivum, modum diffinitivum, modum punitivum. Potest autem peccatum considerari formaliter prout dicit privationem, & materialiter prout substernit sibi aliquam actionem. Habet ergo formales diffinitiones, prout dicit privationem per hunc modum. Nam ut dicit recessum a bono, & sic tribus diffinitionibus quasi idem circumloquentibus diffinitur. Prima ex Au-A gustino hæc est: Peccatum est absentia boni, ut debet esse. Secunda: *a* Peccatum est appetitio non naturarum malarum, sed desertio meliorum. Tertia: *b* Peccatum est corruptio speciei, modi & ordinis. Aut dicit recessum a naturæ rectitudine, & sic triplex diffinitio idem circumloquens invenitur. Prima est Damasceni: *c* Peccatum est ab eo, quod est secundum naturam, in id, quod est præter naturam, conversio. Secunda est Anselmi: *d* Peccatum est carentia debitæ justitiæ. Tertia est August. Peccatum est defectus quidam a luce veritatis, naturam non perimens, sed obscurans.

B Aut dicit recessum ab omnis boni complemento, & perfectione, & sic tripliciter diffinitur. Primo ab Augustino: *e* Peccatum est aversio a bono incommutabili. Secundo ab eodem in lib. de Christiana religione: Peccatum est carere bonis incommutabilibus, quibus fruendum est. Tertio etiam ab eodem, Peccatum est tenebra intellectus. Habet quoque peccatum materiales diffinitiones prout substernit sibi actum, & secundum hoc potest tripliciter comparari. Aut ad Deum, quem offendit & sic tripliciter diffinitur. Primo ab August. contra Manichæos: *f* Peccatum est in præceptis veritatis, vel in ipsa veritate errare. Secundo ab Ambrosio: *g* Peccatum est prævari-

C catio legis divinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum, vel præceptorum. Tertio ab Augustino: *h* Peccatum est dictum vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Aut ad virtutem quam excludit: Et sic triplex datur diffinitio de peccato. Prima est Basilii: *i* Peccatum est dispositio animæ, contrarie se habens ad virtutem. Secunda August. *k* Peccatum est voluntas retinendi, vel assequendi quod iustitia vetat. Tertia est etiam Augustini: *l* Peccatum est appetere, quæ Christus contempsit, vel contemnere quæ Christus appetiit. Aut ad bonum, quod prætendit. Et sic tripliciter diffinitur. Primo ab Augustino in lib. de Civit. Dei: Peccatum est, male uti bono. Secundo ab eodem: *m* Peccatu m

Aug. l. 11. de civ. Dei c. 9. & 22. tom. 5.
a Aug. lib. de nat. bo. c. 34. to. 6.
b Ibid. c. 4.
c Damasc. lib. 4. fid. orth. c. 11.
d Ansel. de concep. Virg. & pec. orig. cap. 6.
e Aug. l. 1. de lib. arb. c. 16. tom. 1.
f c. de fide c. 8. tom. 6
g Ambros. lib. de Parad. cap. 8. to. 1. edit. Rom.
h Lib. 22. cont. Faust. Manic. c. 27. tom. 6.
i Basil. or. de virt. & vit.
k Idem l. 1. Retr. c. 15. tom. 1. & lib. de duab. animab. c. 11. tom. 6.
l Idem lib. de ver. rel. c. 16. to. 1.
m Lib. de Trin. c. 10. to. 3. & lib. 83. quæst. q. 30. to. 4.

catum est, uti fruendis, & frui utendis. Tertio etiam ab eodem: n Peccatum est, spreto bono incommutabili, rebus commutabilibus adhærere. Duæ autem inveniuntur diffinitiones peccati. Una hæc est: Peccatum est actus incidens ex defectu boni. Secunda est hæc: Peccatum est demeritum pœnæ æternæ.

n Lib. 1. de lib. arbit. c. 16. to. 1.

SECTIO IV.

De peccato originali.

Peccati divisiones.

Viso de peccati diffinitione, sequitur videre de divisione. Dividitur autem peccatum in originale, & actuale, veniale, & mortale, delictum, & commissum. Et hæ divisiones sumuntur penes causam formalem. Item in peccatum cordis, oris & operis. Item in peccatum superbiæ sive inanis gloriæ, invidiæ, iræ, accidiæ, avaritiæ, gulæ, luxuriæ. In concupiscentiam carnis, in concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. In peccatum cogitationis, delectationis, consensus, operis, & consuetudinis. Et hæ sumuntur penes causam materialem. Item peccatum aliud ex ignorantia, aliud ex infirmitate, aliud certa malitia perpetratur. Item peccatum aliud ex timore male humiliante, aliud ex amore male accendente. Et hæ sumuntur penes conditiones peccantis. Item peccatum aliud in Deum, aliud in se, aliud in proximum. Et hæ sumuntur penes circumstantias eius, in quem peccatur.

Peccatum originale.

Primam divisionem prosequamur primo quantum ad peccatum originale. Circa quod sunt quatuor attendenda, diffinitio, corruptio, curatio, & nominatio: Diffinitur autem peccatum originale ab Anselmo sic: Peccatum originale est carentia sive nuditas debitæ iustitiæ per inobedientiam Adæ facta, quam comitatur carentia visionis Dei. Ista diffinitio est formalis, indicans huius peccati essentiam, causam, & pœnam. Item aliter diffinitur sic Peccatum originale est vitium ex qualitate seminis in humana natura natum. Ista est materialis, ostendens

Anselm. de concep. Virg. & pec. origin. c. 26.

A originalis peccati effectum, & originem. Item diffinitur tertio ab August. sic: Peccatum originale est concupiscentia, vel concupiscibilitas, quæ parvulum facit concupiscibilem, adultum concupiscentem.

Ex August. colligitur a Mag. sent. dist. 39. §. Nomine autem.

Corrumpitur autem genus humanum, per originale peccatum, quia licet anima non sit ex traduce, originalis tamen culpa transit ab anima Adæ, ad animas posterorum, mediante carne infecta, tamquam per concupiscentiam generata, & per libidinem seminata, quæ infectionem secum trahens, animam sibi unitam inficit, & vitiat, non tantum pœna, sed & culpa. Et sic homo per concubitum generatus nascitur natura filius iræ, quia privatus B est rectitudine divinæ iustitiæ, propter cuius absentiam incurrit quantum ad animam, infirmitatem, ignorantiam, malitiam, & concupiscentiam: quantum vero ad corpus pœnalitates, labores, dolores, defectus, morbos multiplices: præter hæc pœnam mortis, incinerationis, pœnam carentiæ visionis Dei, & amissionis gloriæ cœlestis, tam in parvulis, quam in adultis.

Curatio originalis peccati.

Curatur autem originale peccatum per baptismum sic quantum ad culpam, quod tamen remanet quantum ad temporalem pœnam: sic curatur quantum ad reatum pœnæ æternæ, quod remanet quantum ad actum, C & motum concupiscentiæ: sic curatur in parente, quod nihilominus a curato parente transmittitur in generatam prolem: sic tollitur originalis culpæ macula, quod remanet sequela, cum qua oportet nos pugnare, quamdiu vivimus in hac vita.

Originale peccatum variis sortitur vocabula.

Nominatur autem originale diversis vocabulis, tam ex parte culpæ, quam ex parte pœnæ. Comparatum enim ad animam dicitur infirmitas, quia reddit animam impotentem resistere motibus. Dicitur fœditas, quia secundum eam anima ratione corporis coinquinatur. Dicitur pronitas, propter inclinationem appetitus ad malum. Dicitur corruptio, quia ducit ad nihilum, scilicet ad peccatum. Dicitur vitium, quia diminuit

minuit naturales virtutes. Dicitur languor naturæ, propter diminutionem boni naturalis & delectabilis. Comparatum vero ad corpus dicitur lex carnis, quia est pœna a lege iustitiæ naturaliter inflicta. Dicitur lex membrorum, quia præstat aptitudinem ad faciendum opera mala. Dicitur tyrannus, propter dominationem quasi violentam in concupiscentiis. Dicitur fomes, quia est causa materialis conservandi peccatum in carne. Ambros. diffiniens fomitem dicit sic: Fomes est morbidus quidam affectus, qui commovet ad illicitum desiderium, quantum ad actum generativæ, & nutritivæ. Comparatum ad actus delectabiles illicitos, dicitur concupiscentia, vel concupiscibilitas. Differunt tamen, quia concupiscibilitas, dicit potentiam, concupiscentia vero actum. Dicitur etiam libido, quia sequitur quidquid libet, scilicet voluptuosas delectationes in sensu. Comparatum vero ad pœnam, ad quam obligat, dicitur peccatum originale, quia est carentia, vel nuditas debitæ, & originalis iustitiæ.

SECTIO V.

De peccato actuali.

Sequitur videre de peccato actuali. Circa quod quatuor videamus, scilicet diffinitionem essentialem, originalitatem, differentiam materialem, & maioritatem.

Peccatum actuale quid & quo modo perpetretur.

Diffinitur autem peccatum actuale sic. Peccatum actuale est carentia debitæ iustitiæ, facta per inobedientiam propriæ voluntatis: vel est aversio ab incommutabili bono, & ad bonum commutabile conversio. Trahit autem peccatum actuale originem a libera voluntate uniuscuiusque per suggestionem, & delectationem, consensum, & operationem. Si autem suggestio, & delectatio sistat citra consensum, peccatum est veniale: Si autem sequatur consensus, & opus in his, quæ divina lege prohibentur, peccatum est mortale consummatum. Si autem medio modo fiat, ut sit consensus sine

A opere, hoc potest esse dupliciter: quia aut homo vult in opus procedere, sed non potest, & tunc voluntas pro facto reputatur, nec minus culpabilis est, quam si in ipso facto deprehenderetur. Aut non vult in opus procedere, sed vult interius voluptari in delectatione, & tunc licet non sit peccatum plenarie consummatum, est tamen inter mortalia reputandum, quod maxime de peccatis carnalibus habet intelligi.

Peccatum Angeli.

Differentiæ materiales actualis peccati sunt duæ, scilicet peccatum Angeli, & hominis. Peccatum Angeli inchoatum est in præsumptione: statim enim ut vidit suam pulchritudinem præsumpsit; & consummatum B est in ambitione, quia præsumens de se, appetiit quod est supra se: atque confirmatum est in invidiæ, & odii auersione; quia, ex quo non potuit hoc obtinere, quod appetiit, cœpit odio, & invidia contraire. Et sic in peccato Luciferi, superbia præsumptionis fuit prima generatione, superbia ambitionis fuit prima consummatione.

Peccatum hominis.

Peccatum vero hominis fuit in obedientia, ad quam præcipitavit diabolus hominem per triplex appetibile naturale, scilicet per bonum gloriosum, copiosum, & delitiosum. Tentavit enim de excellentia, sufficientia, experientia, sive demulcentia. Diabolus enim per mulie- C rem volens deiicere hominem, promisit mulieri dignitatis excellentiam. dicens: Eritis sicut dii. Deinde subiunxit cognitionis abundantiam, dicens: Scientes bonum & malum. Tertio prætendit suavitatis experientiam, cum ostendit ei lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave. Unde peccatum mulieris inchoatum fuit in superbia: progressum habuit in avaritia, quia non in rebus solum, sed etiam in scientia invenitur avaritia: consummatum fuit in gula. Et sic deordinatum fuit quantum ad irascibilem, appetendo alta: quantum ad rationalem, appetendo scire occulta: quantum ad concupiscibilem, volendo gustare suavia.

Gen. 3. *Ibidem.* *Ibidem.*

Peccatum maius.

Peccatum maius unum altero dicitur

unum altero duodecim modis. citur duodecim modis, primo causalitate, & sic peccatum diaboli dicitur maius esse: quia eius invidia mors intravit in orbem terrarum. Secundo generalitate, & sic peccatum primi parentis fuit maius, quia se per totum genus humanum diffudit. Tertio enormitate, & sic peccatum Judæ fuit maximum, quia tradidit Dominum Salvatorem. Quarto ingratitudine, & sic eius peccatum dicitur esse maius, qui plura gratiarum dona percepit. Quinto periculositate, & sic peccatum ignorantiæ dicitur esse gravius, quia periculosius. Sexto inseparabilitate, & sic peccatum cupiditatis dicitur esse maius, quia cum cætera vitia cum homine consenescant, sola avaritia iuvenescit. Septimo importunitate, & sic superbia dicitur esse maximum peccatum, quia etiam ex bonis operibus generatur. Octavo pronitate, & sic luxuria dicitur esse gravius, ad quam homines pronius inclinantur. Nono maioris gratiæ impugnatione, & sic peccatum in Spiritum sanctum dicitur esse gravius. Decimo ratione maioris offensæ, & sic peccatum idololatriæ dicitur esse maius. Undecimo ratione maioris facilitatis resistendi, & sic peccatum Adæ fuit gravissimum. Duodecimo ratione maioris improbitatis, & libidinis, & sic peccatum cuiuslibet generis potest fieri maius altero.

SECTIO VI.

De peccato veniali, & mortali.

SEquitur videre de divisione peccati in veniale, & mortale. Ad cuius evidentiam tria sunt breviter attendenda, scilicet ordo divinæ iustitiæ, qui imponitur: peccatum veniale, quod contrahitur, & peccatum mortale quod incurritur. Ordo autem divinæ iustitiæ, ad quem Dominus hominem obligavit: est, ut bonum incommutabile præferatur bono commutabili: ut bonum honestum præferatur bono utili: & voluntas Dei præferatur voluntati nostræ: & iudicium rationis rectæ præferatur, & præsit sensualitati humanæ. Peccatum vero actuale est inordinatio actualis voluntatis. Ista autem inordinatio si est tam modica, quod ordinem istum non exterminat, quamvis in aliquo perturbet, tunc peccatum est veniale. Quod habemus pertractare breviter, quantum ad diffinitionem, distinctionem, & curationem. Diffinitur autem sic: Peccatum veniale est libido sive amor voluptatis in creatura citra Deum. (Veniale, quid & quotuplex.)

A

Distinguitur autem veniale tripliciter. Nam quoddam est veniale ex surreptione, & ideo veniale est, quia non potest vitari tunc: & quia committitur præter rationem semper est veniale. Quoddam est veniale ex cogitatione sine consensu: & ideo veniale, quia non plene consentitur, ut in cogitatione, & delectatione: & ideo veniale fit mortale per complacentiam & consensum. Quoddam est veniale cum delectatione, & consensu: & ideo veniale est, quia non est deordinatio contra præceptum, ut ebrietas & mendacium iocosum: & istud cum sit veniale propter delectationem, quæ est citra Deum, tamen potest fieri mortale propter nimiam libidinem & contemptum. Non tamen intelligendum est, quod aliquod veniale per essentiam fiat mortale, sed quia de veniali fit transitus ad mortale, per complacentiam & consensum, sive per libidinem & contemptum.

B

C

Curatur autem peccatum veniale per actus, in quibus est aliqua humiliatio & devotio, qui quidem actus gratia informati repugnant veniali: & sic ad actum curationis, & deletionis venialium, gratiam gratum facientem coadiuvant, & vigorant. Huiusmodi remedia his versibus continentur. (Remedia undecim contra veniale.)

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per quæ venialia pono,
Unctio, pœna levis, compassio, quæ fit egenis.

Hæc enim remedia sunt. Generalis confessio, pectoris tunsio, aquæ benedictæ aspersio, cordis contritio, Dominica oratio, signatio ab Episcopo, Eucharistiæ sumptio, offen-

fæ

ftæ condonatio, extrema unctio, levis pœnitentia, compassio fraterna.

Peccatum mortale.

Si autem est tanta deordinatio voluntatis, quod ordinem exterminat supradictum, tunc mortale est peccatum, quod potest considerari quantum ad diffinitionem, punitionem, & remissionem. Diffinitur autem ab Ambros. sic: Peccatum mortale est prævaricatio legis divinæ, & cœlestium inobedientia mandatorum, vel præceptorum. Pœna peccati mortalis est æterna damnatio. Dicitur enim mortale quia per ipsum vitæ gratia perditur in præsenti; & vita gloriæ in futuro. Et sic contrahitur mors culpæ, & infligitur mors gehennæ.

Ambr. lib. de Parad. c. 8. tom. 2. edit. Rom.

B

Iuste autem propter mortale, in quo quis finaliter perseverat, sempiternaliter cruciatur. Unde secundum Gregorium, quia peccator peccat in suo æterno, æternaliter est cruciandus. Secundum Augustinum vero, quia peccat contra bonum æternum, & infinitum, æternaliter punietur.

Greg. l. 4. Dial. c. 44.

Aug. l. 21. de civ. Dei c. 12. to. 1.

Remedia septem contra mortale.

Curatur autem sive remittitur mortale peccatum per septiforme remedium, scilicet per baptismum, eleemosynam, martyrium, conversionem proximorum, dimissionem iniuriæ, fletum pœnitentiæ, & per dignam Eucharistiæ sumptionem. Attende tamen quod baptismus & pœnitentia, non solum valent contra pœnam peccati, verumetiam contra culpam, cetera vero valent contra pœnam tantum. Unde versus:

Sunt septem, delere quibus mortalia possis,
Fons, eleemosyna, martyrium, conversio fratrum.
In te peccanti dimittere, flere reatum.
Sanguinis, & carnis Christi perceptio digna.

SECTIO VII.

De ignorantia.

Delictum & commissum.

SEquitur videre de divisione peccati in delictum, & commissum. Prævaricatio præceptorum est delictum hoc est transgressio præceptorum affirmativorum. Prævaricatio prohibitionum est commissum, hoc est transgressio præceptorum negativorum. Differentiæ delicti sunt ignorantia, omissio, negligentia. Delictum dicitur quasi derelictum, id est boni desertio. Bonum est duplex, scilicet sciendum, cuius desertio dicitur ignorantia; & faciendum, ad quod duo requiruntur, scilicet quod fiat bonus actus, cuius desertio dicitur omissio; & quod, bene fiat, id est cum debitis circumstantiis, quarum desertio dicitur negligentia.

Bonum duplex.

Ignorantiæ prima divisio.

Circa ignorantiam quadruplex divisio est attendenda. Prima est hæc: Ignorantia alia negationis, alia privationis, alia pravæ dispositionis: Ignorantia negationis, est in parvulis, quæ non est culpa neque pœna, usque ad præfinitum tempus. Ignorantia privationis est in adultis, qui tempore determinato ignorant, quæ possent scire, vel obliti sunt, quæ aliquando didicerunt. Ignorantia pravæ dispositionis est, qua quis opinatur contraria fidei, quæ potest erronea dici; & est in hæreticis. Prima excusat a toto, secunda a parte non a toto, tertia accusat in toto, quia perversam sequitur voluntatem.

Secunda divisio.

Secunda divisio est hæc: Ignorantia alia facti, alia iuris. Iuris, aut iuris naturalis, & hæc non excusat, cum sit scriptum in corde hominis; vel iuris divini, ut legis, prophetarum, Evangelii, & doctrinæ Apostolicæ, & ista accusat, sicut de magno, & mortali delicto prælatos, maxime Episcopos, & Metropolitanos, qui tenentur de fide & spe reddere rationem. Accusat autem sicut de veniali clericos simplices, & illiteratos, qui cum potuissent discere noluerint. Laicos vero in nullo accusat, quia ad ipsos non pertinet, dummodo non contemnant. Si est iuris positivi, ut legum, & decretorum solos iudices accusat. Si est ignorantia iuris continentis morales constitutiones Ecclesiasticas, ad discernenda peccata, accusat sacerdotes, & confessores. Si vero est ignorantia facti, aut indifferentis, sic sufficienter excusat: aut necessarii ad salu-

C

1. Petr. 3.

salutem, & sic aut non potest vitari, sicut in amente, qui a nativitate caruit iudicio rationis, & hæc excusat: aut potest vitari, sicut in Iudæis, & Paganis, qui potuerunt scire Christum passum fuisse pro salute hominum, & hæc non excusat.

Tertia divisio. Tertia divisio ignorantiæ est, quia alia est simplex, ut quando aliquis nescit, quæ tenetur scire, facit tamen aliquid, sed non plene: ut illa sciat, hæc excusat a tanto, sed non a toto: alia est crassa sive supina, ut quando quis negligit scire, quæ tenetur, & tamen non est determinatum ei, quod teneatur scire illa, hæc minus excusat, non excusat a toto, sed a tanto: alia est affectata sive affectiva, ut quando aliquis negligit scire, quæ tenetur scire, cum ei sit determinatum, quod tenetur scire illa, hæc accusat potius, quam excusat.

Quarta divisio. Quarta divisio est: ignorantia alia vincibilis; alia invincibilis. Vincibilis alia, potest removeri cum magna difficultate, ut in valde hebetibus, hæc excusat a tanto non a toto, si est de necessariis ad salutem. Alia potest removeri cum facilitate, ut in ingeniosis, hæc non excusat. Invincibilis, alia est invincibilis per naturam, ut in puero, qui non utitur ratione, & in decrepito, qui non discernit, & in eo, qui nascitur amens, hæc excusat a toto. Alia est invincibilis per culpam, ut in eo, qui per culpam efficitur furiosus, & secundum quosdam non excusat a toto.

SECTIO VIII.

De omissione, & negligentia.

Omissio quid. Viso de ignorantia, quæ est desertio debitæ scientiæ, sequitur videre de omissione, & negligentia, quæ dicunt desertionem rei debitæ faciendæ. Omissio est desertio actus debiti in tempore determinato. Et dicitur actus debitus quem tenemur facere. Circa omissionem autem habemus videre quatuor actus debitos. Tentionem, distinctionem, descriptionem, absolutionem. Dicitur au-

A tem omissio, derelictio actus non circumstantiæ: actus principalis, non annexi: præcepti, affirmativi, non negativi. Est autem triplex tentio, quam omittere non debemus. Quædam est ratione divinæ obligationis: & hæc est duplex, una ad agendum, ut in præceptis affirmativis, ut: Honora patrem tuum: alia ad non agendum, ut in præceptis negativis, sive prohibitionibus, ut: Non occides. Prima obligat semper, sed non ad semper nisi pro loco, & tempore. Secunda obligat semper, & ad semper. Quædam est ratione spontaneæ consensionis, ut in contractibus, votis, iuramentis, promissis, & obligatione, quam facit conscientia. Quædam ratione culpabilis offensionis. Nam propter culpam mortalem obligatur homo, sive tenetur ad pœnam æternalem, propter venialem vero ad pænam temporalem. Describitur autem tentio sic: Tentio est alieni præcepti, vel prohibitionis, vel propriæ, assensus, vel culpæ, ad agendum, vel non agendum, vel patiendum obligatio. Ad agendum quantum ad præcepta affirmativa: ad non agendum, quantum ad præcepta negativa, & prohibitiones: ad patiendum quantum ad culpam. Triplex est autem absolutio prædictæ triplicis rationis, scilicet impossibilitas dispensatio, & pœnitentia. Obligatio multiplex.

B

Negligentia est debitæ circumstantiæ derelictio in bono opere faciendo. Circa quam breviter sunt videnda tria, scilicet eius originatio, denominatio, concomitatio. Oritur autem negligentia ex torpore, unde dicit: Greg. Duo sunt in bonis operibus timenda, desidia scilicet & fraus. Desidiam facit minor amor Dei: fraudem maior amor sui. Item desidia per torporem nascitur: fraus per privatam dilectionem. Fraus ista sic notificatur. Fraudem in opere Dei perpetrat, qui se inordinate diligens, ad remunerationis transitoriæ bona festinat. Tripliciter autem fraus ista committitur, aut cum cordis humani gratia, aut favoris aura, aut cum quælibet res exterior desideratur. Ut enim bonum opus bene fiat, requiritur bonus finis, Negligentia quid. C *Greg. lib. 9. Mor. c. 17.* Fraus.

quem

quem qui omittit, fraudatur. Requiruntur & aliæ circumstantiæ, ut locus, tempus, modus, quas qui omittit, utique negligit. Nominatur autem duplici vocabulo, scilicet negligentia, & desidia, quæ si large accipiantur, communia sunt ad quamcumque omissionem, tam actus debiti, quam circumstantiæ. Si vero accipiatur stricte per omissionem circumstantiæ, tunc desidia magis respicit communem significationem. Desidia dicitur quasi desistentia: negligentia vero magis respicit significationem propriam, scilicet omissionem circumstantiæ debitæ, quasi non diligentia: quæ diligentia circumstantias diligenter prosequitur. Sunt autem comites negligentiæ, torpor, & pigritia, quæ quamvis sint idem, tamen pigritia dicitur eo, quod pigeat difficultas laboris. Torpor vero aspicit appetitum quietis. Triplex est autem torpor sive pigritia, scilicet infirmitatis naturalis, sicut in flegmaticis, & est pœna, & non culpa. Et est torpor infirmitatis acquisitæ ex culpa præcedente, ut in ebriosis, & gulosis: & talis non excusat, secundum quosdam. Et est torpor libidinosus, & dicitur torpor captatus, & ille torpor est voluntas recusans facere bonum difficile, eo quod difficile. Et talis torpor sive pigritia cum sit peccatum, reprehenditur in scripturis.

Desidia.

Torpor.

SECTIO IX.

De commissione.

SEquitur videre de commissio. De quo est breviter videndum, & adiungendum, quod est transgressio legis divinæ prohibentis quantum ad præcepta negativa. Potest autem aliquid committi contra naturam. Et hoc dupliciter, scilicet contra naturam communem hominibus & brutis, ut quod masculus pro fœmina sit: & hoc est peccatum sodomiticum. Aut contra naturam particularem, ut in natura angelica, aut humana: & hoc est naturale iudicatorium dictans malum esse fugiendum, & bonum faciendum. Ista na-

Peccatum contra naturam.

A tura dictat, qoud debemus Deo obedire, Deum colere, & diligere. Dictat etiam quod proximo debemus facere, quod nobis volumus fieri ab eodem. Et quod nobis nolumus fieri, alii non debemus irrogare. Sic largo modo, omne peccatum, quod committitur, est contra naturam. Potest etiam aliquid contra legem committi. Et hoc dupliciter variatur, nam lex prohibet aliquid quantum ad omne tempus, & hoc est prohibitum, quia est malum, & sic sunt prohibitiones Decalogi. Prohibet etiam aliquid non simpliciter, sed ad tempus, & sic sunt prohibitiones cæremonialium: & hoc est B malum, quia prohibitum. Committi potest etiam aliquid contra consuetudinem: & hoc est, quod committitur contra mores. Proprie autem loquendo mos non scriptus dicitur consuetudo, mos vero scriptus constitutio nominatur. Nota tamen quod facere contra consuetudinem conservativam honesti, est peccatum: facere contra consuetudinem destructivam honesti, sanctum est: facere contra consuetudinem indifferentem, malum non est. Honestum autem est, quod sua vi nos trahit, & sua dignitate nos allicit. Item nota, C quod lex respicit honestum; consuetudo sive constitutio respicit utile, quod est conservativum honesti.

Peccatum contra legem.

Peccatum contra consuetudinem.

SECTIO X.

De errore, pravo judicio, & personarum acceptione.

SEquitur de divisione peccati, in peccatum cordis, oris, & operis. Et primo aliquid de peccato cordis, breviter videamus, & primo de eius diffinitione, postea de differentiis. Peccatum cordis sic diffinitur: Peccatum cordis est transgressio legis divinæ per inordinationem intrinseci motus mentis. Differentiæ autem eius sunt peccatum cogitationis, delectationis, & consensus. De peccato delectationis visum est supra, cum de peccato actuali ageretur. Ad peccatum cogitationis pertinet error, pravum iudicium, & acceptio

Peccatum cordis quid.

Sup. Sect. 5.

personarum. Ad peccatum consensus reducitur peccatum conscientiæ. Quantum ad peccatum cogitationis primo videndum est de ipsa, deinde de pravo judicio, postremo de personarum acceptione. Cogitationum alia speculativa pure, & ista non est peccatum, alia practica sive affectiva. Prima est in conspectu mentis, & est involuntaria, quantum est de se. Secunda in aspectu cum affectu; & est voluntaria, & ideo potest esse peccatum.

Error. Error quidam est infirmantis, qualis est in febricitantibus, quibus dulcia videntur amara. Quidam est infirmitatis naturalis originalis, quo corrumpitur ratio in iudiciis, & frequenter deviat. Iste error quia non est voluntarius, non est peccatum, sed pœna peccati. Quidam est error perversæ voluntatis, cuius est, habere falsa pro veris. Talis autem error aut est contra fidem, vel bonos mores, & ille semper est peccatum. Si non est contra fidem, vel bonos mores, tunc aut accidit in his quæ sunt supra iudicium humanum, ut judicare de intentionibus cordium: & sic semper est peccatum: quia tunc usurpatur, quod solius Dei est. Aut accidit in his, quæ subsunt iudicio humano, ut errare in logicis, naturalibus, & mathematicis: & tunc non est peccatum. Pravum iudicium, recipit diffinitionem, & distinctionem. Diffinitur autem sic.

Pravum Iudicium. Pravum iudicium, est ex errore proveniens temeraria sententia, vel suspicio mali de occultis aliorum. Error est habere ignota pro notis. Sententia est in asserentia, vel diffiniendo, quod ita est. Suspicio est in opinando cum dubitatione temeraria, etiam sententiando quæ ad ipsum non pertinent. Distinguitur autem humanum iudicium secundum hunc modum. Judicium aliud est certitudinis, aliud temeritatis, aliud suspicionis. Primum scilicet iudicium certitudinis non est peccatum, quia de manifestis licite iudicamus. Secundum iudicium temeritatis est triplex, videlicet diffinitionis, arguitionis, assertionis. Diffinitionis, cum quis de futuris male

A iudicat. Nam de alicuius correctione desperare; & eum tamquam abiectum reprehendere, qui nunc apparet malus, cum nesciamus qualis futurus sit, temerarium iudicium est. Arguitionis, cum quis iudicat de his, quæ ad eum non pertinent, de quo Paulus dicit: Tu quis es, qui alienum servum iudicas? *Rom. 14.* Assertionis, cum quis judicat de occultis. Glossa super prædictum locum: De quibus incertum est quo animo fiant, sine periculo nemo iudicat. August. vel Beda super illud dictum Christi: Nolite iudicare, *Matth. 7.* dicit: hoc loco, nihil aliud nobis præcipi, nisi ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. B Primum est perniciosum, secundum præsumptuosum, tertium superstitiosum. Tertium iudicium, scilicet suspicionis est triplex, scilicet suspicionis violentæ, quando omnia signa apparent mali, nulla, vel pauca boni: temerariæ, quando multa boni, pauca mali: levis, quando multa mali, pauca boni. Primo modo non est peccatum, secundo veniale grave, tertio veniale parvum. Nota quod iudicium certitudinis, nec veniale est, nec mortale. Judicium temeritatis mensuratur iuxta illud Salvatoris: In quo iudicio iudicaveritis, iudicabimini. *Matth. 7.* Glossa: C Si quem iudicaveris temerarie damnatione veniali, venialiter condemnaberis, si damnatione mortali, mortaliter condemnaberis. Et hoc intellige sine præiudicio. Judicium suspicionis, quamdiu manet in suspicione, non est mortale, nisi veniat in assertionis iudicium.

Personarum acceptio. Circa personarum acceptionem, attendendum est quantum ad diffinitionem, & differentiam triplicem. Diffinitur autem sic: Personarum acceptio est iniustitia qua præfertur persona personæ propter causam indebitam. Differentiæ acceptionis personarum sunt tres. Una committitur in honoris exhibitione. *Iac. 2.* De qua Jacobus dicit: Fratres mei, nolite habere fidem Jesu Christi in personarum acceptione. Alia est in iudicii executione. *Deut. 16.* De qua in Deutero-

teronomio: Non accipies personam in iudicio. Alia in promotione ad dignitates, quæ prohibetur in electione David, cui non prætulit Dominus fratres suos, propter vultus pulchritudinem, seu propter altitudinem staturæ.

1. Reg. 16.

SECTIO XI.

De peccato consensus, & de peccato contra conscientiam, & de perplexitate.

Consensus quid.

SEquitur videre de peccato consensus, ubi primo videndum est de ipso consensu, quid est. Secundo de peccato contra conscientiam. Tertio de differentiis perplexitatis. Consensus diffinitur sic: Consensus est nutus voluntatis spontaneus, vel motus animi liber sui. Et cum nihil ita sit in potestate nostra, sicut consentire, vel dissentire: hinc est, quod consummatur ibi omne peccatum. Initiatur enim in cogitatione, crescit in delectatione, perficitur vero in consensu.

Conscientia.

Ad intelligentiam, quo modo peccatur, quando agitur contra conscientiam, multiplicitas conscientiæ attendenda est. Conscientia enim uno modo dicitur superior pars rationis, quam Græci synderesim vocant, & apud nos, scintilla conscientiæ potest dici. Hæc diffinitur a Basilio sic: Conscientia est naturale iudicatorium faciendi, vel non faciendi. Differunt tamen secundum rationem synderesis, & conscientia. Nam synderesis iudicat faciendum, id est dignum fieri. Conscientia vero iudicat faciendum, id est debitum fieri. Alio modo dicitur conscientia habitus naturalis dictandi bonum, vel malum, & sic diffinitur a Damasceno: Conscientia est lex intellectus nostri naturalis, apposita peccato. Et secundum hoc, conscientia nunquam errat: Tertio dicitur conscientia opinio habita de agendis, vel non agendis, id est debitis fieri, vel non fieri formata. De qua Apostolus: Quidam cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant. Et alibi: Omne quod non est ex fide, peccatum est. Glossa, id est omne, quod est contra conscientiam. Isto tertio modo, conscientia est habitus acquisitus, frequenter erroneus in iudicando esse faciendum, quod non est faciendum, & converso. Potest autem dictare conscientia tertio modo dicta, aliquid secundum legem Dei, præter legem Dei, contra legem Dei. Et est hic sermo de dictamine conscientiæ per modum præcepti sive prohibitionis, non per modum consilii, vel persuasionis. Primo modo conscientia ligat simpliciter, & universaliter: quia legi Dei concordat, qua conscientia ostendit esse ligatum. Secundo modo conscientia ligati quandiu manet: unde tenetur homo, vel eam deponere, vel quod dictat opere adimplere: utpote si dictat conscientia, quod levare festucam de terra est necessarium ad salutem. Tertio modo conscientia non ligat ad faciendum, vel non faciendum, sed potius ad se deponendum: quia cum talis conscientia sit erronea, & error ille repugnet legi divinæ, necessario, quamdiu durat, ponit hominem extra statum salutis, utpote si dicat peccatrix alicui: Moriar si non cognoscas me, & ille incipiat habere conscientiam de mortali, si non cognoverit peccatricem; non est in statu salutis, ipsa conscientia perdurante: quia si non cognoscit eam, peccat mortaliter contemnendo Deum, cum dictet conscientia hoc Domino displicere: si cognoscit eam, facit contra præceptum Domini.

Basil. hom. in princip. Proverb.

Damasc. l. 4. de fide orth. c. 23.

Rom. 1. Rom. 14. Conscientia erronea.

Perplexitas triplex.

Perplexitas nascitur ex errore conscientiæ. Est autem triplex perplexitas. Prima est intelligentiæ verborum sacræ scripturæ, quæ videntur sibi repugnare. Secunda est intelligentia faciendorum, de qua Paulus: Quid oremus, nescimus, &c. Tertia est inevitabilitas peccandi. Prima dissolvitur per distinctionem, & considerationem causarum dicendi utrumque. Secunda dissolvitur per inspirationem Spiritus sancti, quæ est unctio docens de omnibus

Rom. 8.

per meritum orationis, de qua Jacobus dicit: Si quis indiget sapientia, postulet a Deo: &c. Et cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Tertia dissolvitur per depositionem erroneæ conscientiæ.

Jac. 1. 1. Paral. 20.

SECTIO XII.

De mendacio, perjurio, & contentione.

Peccatum oris. SEquitur videre de peccato oris, quod pluribus differentiis variatur. Peccata enim oris sunt mendacium, in quo veritas destruitur: periurium in quo veritas contemnitur: contentio in quo veritas impugnatur. Est enim contentio veritatis impugnatio cum confidentia clamoris. Hæc tria præcipue sunt contra veritatem. Ista vero contra bonitatem sunt, scurrilitas, quæ est contra honestatem, vaniloquium, sive multiloquium, quod est contra utilitatem; adulatio, quæ est contra rectitudinem in laude aliena: iactantia, quæ est contra rectitudinem in laude propria: blasphemia, quæ est contra rectitudinem in vituperium Dei: maledictum, quod est contra rectitudinem in vituperium proximi, quantum ad pœnam: contumelia, quæ est contra rectitudinem in vituperium proximi, quantum ad culpam apertam, quæ improperatur: detractio, quæ est contra rectitudinem in vituperium proximi, quantum ad occultam culpam.

Mendacium: Aug. lib. cont. mend. ad Consen. cap. 12. in fide tom. 4. De mendacio est videre quantum ad diffinitionem, & divisionem. Diffinitur autem ab August. sic: Mendacium est falsa signatio vocis cum intentione fallendi. Et nota, quod cum mentiri, sit contra mentem ire, potest homo mentiri, dicendo falsitatem ex certa scientia. Item potest homo mentiri, dicendo veritatem: quamvis sit verum, quod loquitur, tamen aliud sentit in conscientia. Item potest homo dicere falsum non mentiendo, nec peccando, ut quando fallitur, adhibita tamen debita diligentia. Dividitur autem mendacium divisione trimembri, scilicet in mendacium officiosum, perniciosum, iocosum. Officiosum est, quod iuvat: perniciosum, quod nocet: iocosum, quod delectat. Dividitur autem divisione octimembri sic: Octo sunt genera mendaciorum: primum, quod fit in doctrina religionis, ut dicere Christum non esse de Virgine Maria natum. Secundum, quod nulli prodest, & alicui obest, ut mendacium detractionis, & si quis est testis falsus in causa criminali. Tertium, quod alicui obest, ut prosit alii, ut quod aliquis sit testis falsus in causa pecuniaria. Quartum, quod fit solum mentiendi libidine. Quintum, quod fit cupiditate placendi, aut delectandi suavi eloquio, ut mendacium adulationis. Sextum quo quis mentitur, pro conservanda pecunia alicuius. Septimum, quo quis mentitur, pro conservanda vita alterius. Octavum, quo quis mentitur, pro conservanda castitate alterius. Nullo horum mendaciorum est mentiendum. Dat autem talem regulam August. quod quanto aliquid mendacium magis accedat ad primum, tanto maius est peccatum; & quanto magis recedit a primo mendacio, tanto minus est peccatum.

Idem lib. de mendac. ad Consent. c. 14. tom. 4.

Ibidem.

Post mendacium, quo veritas destruitur, sequitur periurium, quo veritas contemnitur. Sed quia periurium est violatio iuramenti, prius videndum est de iuramento quantum ad essentiam: & sic iurare, est invocare Deum in testem suæ locutionis. Quantum ad licentiam: & sic iurare licet, propter pacem, & iustitiam conservandam, vel amicitiam confirmandam. Propter veritatem astruendam: & sic Paulus frequenter iurabat. Propter calumniam vitandam: sicut iurant actor, & reus. Propter fidelitatem servandam: sic iurant principes regi. Quantum ad formam: & sic est forma concessa, ut iurare per Deum. Et hæc variatur: nam in veteri Testamento dicebatur: Vivit Dominus, id est per Deum vivum. In Ecclesia primitiva dicebatur: Testis est

Iuramentum.

est mihi Deus, id est testem Deum invoco. Modo vero dicitur: Per Deum. Et est forma non concessa: ut iurare per idola. Quantum ad comites: & sic dicitur, quod iuramentum tres debet comites habere, scilicet veritatem, quæ debet esse: in conscientia, ut noverit ita esse iudicium, ut discrete iuret, & cum deliberatione: iustitiam, ut quod iuratur sit licitum, & honestum. Quantum ad differentias, quæ sunt duæ, scilicet iuramentum assertorium, ut quando iuratur, vel de præsenti, vel de præterito ita esse, vel fuisse: Promissorium, ut cum iurat aliquis de futuro aliquid se facturum. Modo videri potest periurii diffinitio, quæ est talis. Periurium est mendacium iuramento firmatum. Potest etiam videri distinctio, quæ est hæc: Periurium dicitur falsa iuratio. Item, perversa iuratio: quod fit, quando est illicitum, quod iuratur. Tertio dicitur transgressio iuramenti.

Mag. in 4. dist. 39. in pr.

SECTIO XIII.

De adulatione, maledicto, & detractione.

SEquitur videre de adulatione, maledicto, & detractione, quæ contra rectitudinem laudis & vituperii committuntur. Adulatio autem diffinitur sic: Adulatio est sermo laudis alicui exhibitus, intentione placendi. Distinguitur autem sic. Est enim quædam adulatio, quæ bonum non habitum attribuit: quædam quæ habitum extollit, dicendo maius esse, quam sit: quædam est, quæ malum nutrit, laudando malum, & dicendo esse bonum, & licitum. Unde in Psalmo dicitur: Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur: quædam est, qua homo homini vult placere, non propter Deum, laude tamen vera; de qua Paulus: Si adhuc hominibus placerem, id est placere vellem non propter Deum, Christi servus non essem.

Adulatio quid.

Psalm. 9.

Gal. 1.

Maledictum quadrupliciter variatur. Est enim maledictum surreptionis, de quo dicit August. Si enim cum omni facilitate, & temeritate maledixerimus, ad minima pertinet peccata. Lasciviæ est, cum alicui non ex animo maledicimus, de quo dicit Hieron. Qui negligit oris maledici resecare consuetudinem, & si non corde maledicat, immunditiam tamen labiorum, & oris inquinamentum incurrit. Est & maledictum odii, quod ex malo corde procedit zelo vindictæ. Quartum est maledictum iustitiæ, quod ex charitate procedit, scilicet cum alicui amico nostro maledicimus ad eius correctionem. De his duobus ultimis dicit Greg. Scriptura sacra duobus modis maledictum commemorat, B aliud quod approbat, aliud quod condemnat. Aliter enim profertur amore iustitiæ, aliter amore vindictæ.

Aug. serm. 41. de sanctis, qui est 4. de animab. defunct. ante med. tom. 10.

Greg. lib 4. Mor. c. 6.

Detractio sic diffinitur: Detractio est alienæ famæ denigratio. Committitur autem sex modis, scilicet cum bonum negamus, quod novimus esse factum: vel cum tacemus, ne fiat aliis manifestum: vel cum pervertimus dicendo illud mala intentione esse factum: item malum occultum revelando, in casu non concesso: vel augmentando, dicendo maius esse, quam sit: vel adinveniendo mendaciter malum, quod factum non fuit. Tenetur autem detractor ad restitutionem bonæ famæ, quam abstulit. Maius enim bonum aufert C detractor, quam raptor: & * non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Detract o

* *August. Epist. 54. ad Macedonium t. 2*

SECTIO XIV.

De peccato operis.

DE peccato operis breviter est videndum, quantum ad diffinitionem, & distinctionem ab offensa voluntatis, & superadditionem ad malitiam voluntatis. Est autem peccatum operis transgressio legis divinæ, per inordinationem extrinseci motus mentis. Ad peccatum operis reducitur peccatum consuetudinis. Peccamus enim cogitatione, delectatione, consensu, verbo, opere, & consuetudine. Peccatum autem

Peccatum operis.

operis comparari habet ad peccatum voluntatis interioris, prout sunt coniuncta; & sic sunt unum peccatum, pro eo quod est ibi unus contemptus, & una aversio. Unum, inquam, sunt, loquendo formaliter; cum sit ibi una deordinatio prævia. Loquendo tamen materialiter, plura sunt peccata: quia plura sunt deordinata, scilicet voluntas interior, & actus exterior. Si autem hæc duo adinvicem comparentur tamquam disiuncta, ita quod unus peccet voluntate tantum, alius voluntate, & opere: tunc diversa sunt peccata, non solum materialiter, sed etiam formaliter. Superaddit vero malitia operis, super malitiam voluntatis, quando voluntas mala non vult in opus procedere: quia tunc non est omnino plenus consensus. Nam si actus operis subsequatur contemptum, aversio, & conversio consummantur. Si autem voluntas mala vult in opus malum procedere, sed non potest, tunc distinguendum est. Nam unum peccatum maius altero tripliciter iudicatur, scilicet aut ratione maioris contemptus Dei, & sic opus non addit ad iniquitatem voluntatis: aut ratione maioris delectationis, & libidinis, & sic opus aggravat, maxime quantum ad genus carnalis peccati, quo peccat quis in seipso: aut ratione maioris damnificationis, & sic opus addit ad malam voluntatem, maxime quantum ad genus peccati, quo quis peccat in proximum. Quantumcumque enim velit quis fornicari, non tantum delectatur in voluntate, quantum in opere. Et quantumcumque velit quis occidere, non tantum nocet volendo, quantum actualiter occidendo.

SECTIO XV.

De septem vitiis capitalibus in generali.

SEquitur videre de divisione peccati in septem vitia capitalia, quæ sunt: Superbia, invidia, ira, accidia, avaritia, gula, luxuria. De quibus primo videndum est in generali, deinde de singulis in speciali. In generali tria sunt in vitiis capitalibus attendenda, scilicet diversa nominatio, connexiva ordinatio, sufficiens assignatio. A beato Gregorio, & aliis Doctoribus sic nominantur: Superbia, invidia, ira, accidia, avaritia, gula, luxuria. Ab Isidoro sic: Gastrimargia, fornicatio, philargiria, tristitia, accidia, cenodoxia, superbia. *Greg. l. 31. Mor. c. 17.* *Isid. lib. in Deut. c. 16.*

Item superbiam quidem, & cenodoxiam, sive vanam gloriam distinxit Isidorus. Sed Gregorius coniunxit: quia idem sunt in re, differentes tantum ratione. Superbia enim dicitur, quando aliquis sibi magnus apparet intra animum: vana gloria est, quando aliquis nititur magnus apparere per laudem in facie aliorum. Similiter Isidorus distinxit accidiam, & tristitiam. Sed Gregorius coniunxit: quia idem sunt in re, sed differunt ratione. Idem enim motus est in accidia, & tristitia, differens ratione terminorum. Nam secundum aversionem, & recessum ab arduo gravi, dicitur tristitia; secundum vero accessum, & conversionem ad levia, dicitur accidia: ut quia isti est grave surgere ad matutinas, tristis avertit se: quia vero leve est ei quiescere, accidiosus convertit se.

Ordinantur autem vitia capitalia secundum connexionem, qua fit, ut unum ex altero proferatur. Nam superbus non vult subesse maioribus, vult præferri æqualibus; vult conculcare minores. Et si non potest, invidet maioribus, quia principantur: æqualibus, quia prosperantur: minoribus, quia exaltantur. Et cum sic nihil proficiat, concipit iram de facili ad maiores, mediocres, & minores. Deinde decidit in accidiam, qua mentis tranquillitas perturbatur. Et tunc cum interiorem consolationem amiserit, ad exteriorem per avaritiam se convertit, & sic factus opulentus immoderate per ingluviem farcit ventrem, & postremo ad luxuriam resolvit carnem, a summo rationis vertice, usque ad carnis infimum depravatus. Sic patet quod quinque prima sunt *Vitiorum connexio.*

sunt spiritualia, duo vero ultima sunt carnalia.

Numerus vitiorum capitalium. Accipitur autem sufficientia septem capitalium vitiorum, penes pronitatem ad apparens bonum. Hæc autem pronitas si est respectu boni, quod respicit spiritum secundum se, potest esse quadruplex, secundum quatuor conditiones boni, ad quod appetitus hominis inclinatur. Appetit enim quis bonum sub ratione dignitatis, & sic est superbia: aut sub ratione proprietatis, & sic est invidia: aut sub ratione securitatis, & sic est ira: aut sub ratione quietis, & tranquillitatis, & sic est accidia. Si vero sit pronitas respectu boni, quod respicit carnem sive spiritum in carne, sic potest esse tripliciter. Nam spiritus carnalis appetit bonum sub ratione sufficientis, & sic est avaritia: aut sub ratione demulcentis, & sic est luxuria: aut sub ratione reficientis, & sic est gula. Et ex hoc patet numerus & sufficientia vitiorum capitalium.

SECTIO XVI.

De differentia inter capitale vitium, initium peccati, & radicem malorum.

Caput peccati. Attendenda est differentia inter capitale vitium, peccati initium, & radicem malorum. Capitale vitium dicitur, quia sicut caput est membrum principale & completum, & aliorum membrorum principium quantum ad motum, & sensum: sic vitium, quod dicitur capitale, nominat peccatum completum, a quo alia vitia oriuntur. Initium vero nominat proprie illud, in quo actus inchoatur. Radix autem illud, a quo nutrimentum trahitur, & fomentum. Unde cum peccatum nutrimentum trahat ex parte appetibilis, & dicat recessum a Deo: hinc est, quod initium peccati attenditur ex parte aversionis, radix vero, ex parte conversionis. Et sic aversio est ratione contemptus, conversio vero est ratione cupiditatis, & libidinis. Et ideo superbia dicitur initium omnis peccati, cupiditas radix omnium malorum.

A

Dicitur autem initium peccati tripliciter, sive nominatur, aut prout dicit recessum liberi arbitrii a lege maiestatis, & sic superbia sive contemptus Dei, dicitur initium peccati: quia qui præceptum transgreditur creatoris, a superbia incipit & contemptu: aut a lege veritatis, & sic error dicitur initium peccati, quia sicut dicit Sapiens: Omnis malus, ignorans. Et vere ab ignorantia incipit & errore, quia æterna deserit pro terrenis. Aut a lege bonitatis, & sic insipientia dicitur initium peccati, unde Chrys. super illud Psalmi: A facie insipientiæ meæ, dicit, quod omnis peccati initium insipientia est. Insipientia enim est contraria sapientiæ, in qua divina bonitas prægustatur. Merito ergo ab insipiditate dicitur inchoare, qui potius in malitia peccati, quam in suavitate Dei elegit delectari. — Initium peccati. — Arist. 3. Eth. c. 1. a med. — Chrysost. hom. 4. in cap. 5. Joan. to. 3. Psalm. 37.

B

Radix etiam peccati, sive mali, quæ circa peccatum dicit libidinis pronitatem, tripliciter potest sumi, scilicet generalissime, cum dicitur: Cupiditas, sive libido est radix omnium malorum: generaliter, ut cum dicitur: Duplex est radix malorum, scilicet amor male accendens, & timor male humilians, sive deiiciens: amor est respectu boni, timor respectu mali: Minus generaliter, ut cum dicitur, quod triplex est radix peccati, scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Et sic patet ex prædictis, quo modo accipiatur vitium capitale. Patet etiam, quod initium dicitur aliquando de superbia, aliquando de errore, aliquando de insipientia. Patet nihilominus, quod aliquando dicitur una radix, aliquando duæ, aliquando tres. — Radix. — 1. Joan. 2.

C

SECTIO XVII.

De Superbia.

Jam de singulis vitiis capitalibus est videndum. Et primo de superbia. Circa quam tria sunt atten-

A denda, scilicet diffinitio, differentia, & gradus. Superbia diffinitur sic a Bernardo: Superbia est propriæ excellentiæ appetitus. Sic ab Augustino: Superbia est amor propriæ excellentiæ. Item ab eodem: Superbia est perversæ celsitudinis appetitus.

Bernard. epist. 42. ante med. August. de Gen. ad lit. l. 11. c. 14. tom. 3.

Superbia secundum Gregorium habet quatuor differentias. Prima est, quando homo attribuit sibi bonum, quod habet. Secunda est, quando, & si non sibi, tamen suis meritis: Tertia est, quando iactat se habere, quod non habet. Quarta est, quando se existimat aliis prævalere unde Versus.

Idem l. 14. de Civ. Dei c. 13. to. 5. Greg. l. 23. Mor. c. 4.

A se pro meritis, falso, plus omnibus inflat.

Secundo Ansel. quatuor sunt exaltationis species. Quædam est exaltatio in opinione, quædam in voluntate, quædam in sermone, quædam in opere. Exaltatio in opinione est, cum quis reputat se dignum Episcopatu, vel aliqua dignitate, tamen nollet eam habere. Exaltatio in voluntate est, cum quis vellet habere Episcopatum, tamen non reputat se dignum, vel etiam opinatur. Exaltatio in sermone est, quando nec se dignum reputat, nec vellet habere, tamen loquitur ampullosa de aliqua scientia, ut magis appareat. Exaltatio in opere est, quando aliquis nec se dignum reputat, nec vellet habere, nec loquitur magna; tamen exaltatur in opere, ut quando vocatur ad consilia, & hujusmodi.

Ansel. lib. de similit. cap. 22.

Gradus superbiæ secundum Bernardum sunt duodecim, scilicet curiositas, levitas mentis, inepta lætitia, iactantia, singularitas, arrogantia, præsumptio, defensio peccatorum, simulata confessio, rebellio, libertas peccandi, consuetudo. His, quasi quibusdam passibus, superbus diligenter ad finem, quem intendit, pervenit. Curiositas est, quando superbus diligenter inquirit rumores, scilicet quid de ipso dicatur. Levitas mentis est, quando leviter aliquis mutatur de delectatione ex verbis laudis, in tristitiam propter verba vituperii. Inepta lætitia est, quando lætatur ex defectibus, & criminibus aliorum. Jactantia est, quando narrat ea, quæ habet, ut laudetur. Singularitas est, quando præter consuetudinem aliqua singulariter operatur, ut solus appareat, & laudetur. Arrogantia est, quando iactat se habere, quod non habet. Præsumptio est, quando ingerit se ad faciendum, quod ad eum non pertinet. Defensio peccati est, quando peccatum suum, & errorem defendit, & excusat quis manifeste, & aperte. Simulata confessio est, quando peccatum suum excusat occulte. Rebellio, quando dissidet, scilicet superioribus, paribus, & inferioribus: superioribus obviat, inferiores **B** opprimit, pares molestat, & perturbat. Tunc libertas peccandi succedit, quia nec Deum timens, nec homines reverens, peccat libere, consuetus ad mala, in profundum decidens peccatorum.

Bern. tract. de grad. humil. §. Primus itaque & seq.

SECTIO XVIII.

De inani gloria.

Sequitur videre de inani gloria, quæ idem est, quod superbia, secundum rem, ab eadem differens ratione. Circa quam breviter videnda sunt quatuor, scilicet diffinitio, oppositio differentiæ, & filiæ.

Inanis gloria sic diffinitur: Inanis gloria est amor laudis propriæ, **C** propter excellentiam apparentem. Inanis gloria ad humilitatem habet opponi. Humilitas autem quatuor habet actus, & sic habet quatuor oppositiones. Primus actus est, velle subiici, & sic opponitur superbiæ large sumptæ. Secundus est, de se parva sentire. Unde August. dicit: Humilitas est sensus propriæ parvitatis, & sic opponitur tumori, vel elationi. Tertius est, velle subesse omnibus, scilicet superioribus, paribus, & inferioribus: & sic opponitur superbiæ stricte sumptæ, quæ est amor propriæ excellentiæ. Quartus est, de se velle parva dici, & sic opponitur inani gloriæ.

Inanis gloriæ diffinitio.

Habet inanis gloria duas differentias formales, scilicet appetitum favoris, & appetitum laudis. Favor est excellentia alicuius in corde, laus in ore.

Tres

Tres autem habet differentias materiales, quæ ponuntur in Hieremia, ubi dicit: Non glorietur sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me, dicit Dominus. Cum gloria sit beatissimæ Trinitatis propria, non est gloriandum in sapientia, quæ attribuitur Filio: nec in fortitudine quæ attribuitur Patri: nec in divitiis tam temporalibus, quam spiritualibus, quæ attribuuntur Spiritui sancto.

Hiere. 9

Inanis gloriæ, secundum beatum Gregorium, septem sunt filiæ, scilicet inobedientia, iactantia, hypocrisis, incontinentia, pertinacia, discordia, novitatum præsumptio. Inobedientia est voluntas fugiens minorationem potestatis, nolens subiacere superioribus in debitis. Jactantia est voluntas, propter apparentem potestatem propriam se ostentans. Hypocrisis est voluntas, per speciem sanctitatis se simulans fallaciter in aperto, & viliter agens in occulto, sive intentione, sive opere. Incontinentia est voluntas per conformationem sui, ab his, qui mali sunt, laudari appetens. Pertinacia est voluntas fugiens minorationem probitatis, dicta vel facta sua irrevocabiliter defendens. Discordia est voluntas fugiens minorationem sapientiæ, ab his, quæ ab aliis dicuntur, dissentiens. Novitatum præsumptio est voluntas excedens qualitatem sui ordinis, propter apparentem novitatem scientiæ, vel sapientiæ ostentari cupiens. Isidorus vero distinguens inter superbiam, & inanem gloriam, propter differentiam rationis, dicit, quod de superbia oriuntur contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio, & plura alia. De inani gloria vero, secundum eumdem, oriuntur contentiones, hæreses, iactantia, & præsumptio novitatum.

Greg. l. 31 Mor. c. 27

Isid. l. in Deut. c. 16

SECTIO XIX.

De invidia.

Sequitur videre de invidia quantum ad quinque, scilicet quantum ad diversam nominationem, diversam diffinitionem, oppositionem, differentias, & filias.

Invidia dicitur aliquando nomine iræ, ut dicitur in Genesi: Quare irasceris: Gloss. 1. livore torqueris. Aliquando nomine odii, ut habetur in eodem: Oderant eum fratres, id est invidebant. Aliquando nomine æmulationis, sicut constat ex primo Regum: Affligebat eam æmula eius. Tamen æmulatio quatuor habet significationes hoc versiculo comprehensas.

Gen. 4 Ibid. 37

1. Reg. 1.

Æmulor, inflatur, amat invidet, ac imitatur.

Aliquando nomine proprio: & sic Damascenus dicit, quod quatuor sunt species tristitiæ, scilicet accidia, quæ est tristitia aggravans: achos; quæ est tristitia vocem auferens: misericordia, quæ est tristitia de alieno malo: invidia, quæ est tristitia de alieno bono.

Damasc. Orth. fid. l. 1. c. 14

Diffinitur autem sic invidia ab Augustino: invidia est odium felicitatis alienæ. A Remigio sic: Invidia est dolor de alieno bono. A Damasceno: Invidia est tristitia de alienis bonis. A Philosopho: Invidia est tristitia in apparenti felicitate alicujus inimicorum. Item aliter: Invidia est dissensio ab alieno bono, existimato diminuere proprio.

Aug. Enar. in Ps. 104 to. 8

Damasc. Orth. fid. l. 2. c. 14

Aristot. 2 Rhet. 8 &

Differentiæ invidiæ materialiter assignatæ secundum Augustinum sunt tres, scilicet invidere superioribus, paribus, & minoribus, sive inferioribus. Invidet enim homo superioribus, quia eis non æquatur: paribus, quia in melius prosperantur: inferioribus, ne ei æquentur.

Aug. l. 11 in sea. c. 13 com. 3

Opponitur autem timor Domini superbiæ, ratione humilitatis, quam generat: & pietas invidiæ, ratione charitatis, ex qua generatur. Prima enim, & potissima filia charitatis est pietas, quæ ad omnia valet.

Filiæ

Greg. l. 31 Mor. c. 17

Filiæ invidiæ secundum Beatum Gregor. sunt quinque, scilicet odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis ipsius. Odium est voluntas affectans proximo malum, ut careat contristante bono. Susurratio est voluntas loquendi seminans discordias inter fratres, ut persequatur proximum propter ipsius bonum contristans. Detractio est voluntas famam proximorum per verba denigrans, ut destruat in aliorum opinione contristans bonum. Exultatio in adversis proximorum est voluntas procurata in proximi adversitate delectans. Afflictio in bonis proximi est voluntas procurans malum suo desiderio, per eventum prosperitatis contrariæ defraudata.

SECTIO XX.

De Ira.

SEquitur videre de ira quantum ad quatuor, scilicet quantum ad diffinitionem, oppositionem, differentias & filias.

Diffinitur autem ira a Cassiodoro sic: Ira est animi motus concitatus, ad pœnam provocans inferendam. A Rabano. Ira est omnis malus motus ad nocendum. Ab Augustino: Ira est tristitia ex impotentia ulciscendi. A Damasceno: Ira est fervor eius, qui circa cor est sanguinis, ex evaporatione fellis, vel returbatione fiens. Item ab eodem sic: Ira est id, quod est audax mentis vindex concupiscentia. Item ab eodem: Ira est desiderium repunitionis. A Philosopho: Ira est appetitus contrarii doloris, propter apparentem exanimationem: & appetitus inferendi dolorem sibi adversanti, propter illatam iniuriam apparentem; quæ quodam modo exanimat, per hoc, quod debito ordine hominem quantum ad iudicium animæ privat.

Damasc. Orth. fid. l. 2. cap. 2 Ibidem. Arist. Rhetor. l. 2. c. 2.

Habet autem ira oppositionem ad mansuetudinem ratione sui initii, quia mansuetus etiam numquam vult incipere irasci: ad iram per zelum, ratione materiæ. Sunt enim circa eamdem materiam, scilicet circa personam, ira per vitium, & ira per zelum, quam utraque vult puniri. Sed ira per vitium, vult quod persona puniatur, ut sic satietur vindicta personæ. Ira vero per zelum, appetit punitionem personæ, ut destruat vitium in persona. Breviter ira per zelum, vult punitionem personæ cum debitis circumstantiis: ira per vitium cum indebitis. Ad patientiam vero habet ira oppositionem ratione finis: quia patientia extinguit iram, ne procedat. Nam qui patiens est, iras mitigat suscitatas, ut testatur Salomon. *Prov. 15*

Species, sive differentiæ iræ sunt tres secundum Damascenum, scilicet fel, mania, cotus. Fel sive fellea passio, dicitur subitus animi motus impatiens læsionis. Et accidit ex parte corporis, & commotione fellis; & ex parte animæ, ex corruptione vis irascibilis & tunc movetur fel ad vindictam, ut expellatur tristitia. De qua dicit Aug. Ira est commotio passionis illatæ. Hæc ira cito transit. Mania, dicitur manens ira, & memoriæ tradita. Cotus est ira observans tempus ad vindictam.

Damasc. Orth. fid. l. 2. c. 16

Filiæ iræ, secundum beatum Gregorium, sunt sex: scilicet rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia. Rixa est audax vindicandi voluntas, in iniuriam facti procedens. Tumor mentis est voluntas vindicandi, fugiens adversantem, propter æstimatas inimicitias. Contumelia est voluntas vindicans per exprobrationem malorum. Clamor est voluntas se vindicans in exaltando vocem, per vituperium, ad aliorum aures perveniens. Indignatio est voluntas se vindicans per signum molestiæ exterius declaratum. Blasphemia est voluntas se vindicans per opprobrium Deo, vel sanctis illatum. Secundum Isidorum sunt tres filiæ iræ, scilicet homicidium, clamor, indignatio. Quæ sic distinguuntur: nam vindicta infertur homicidio per manum: clamore, per os: indignatione, per signum.

Greg. l. 31 Mor. c. 17

Isid. l. in Deut. c. 16

SE-

SECTIO XXI.

De Accidia.

Sequitur videre de accidia quantum ad tria, scilicet quantum ad diffinitionem, oppositionem, & filias. Diffinitur autem sic ab Augustino: Accidia est tædium interni boni. A Richardo: Accidia est torpor animi, bonum inchoare negligentis. A Damasceno: Accidia est tristitia aggravans. A magistris: Accidia est diffidentia de propriis viribus, & auxilio Dei implendi ardua, sive mandata.

Damasc. Orth. fid. l. 2. c. 14

Opponitur autem accidia, inquantum est diffidentia implendi præcepta, virtuti spei, cuius est confidere. Inquantum est tædium interni boni, ex quo generatur pusillanimitas, opponitur virtuti fortitudinis. Inquantum vero, quod est facile, reputat difficile, opponitur virtuti charitatis, quæ omnia etiam difficilia facit facilia reputari. Quantum vero ad suam essentiam, quæ est tristitia, opponitur gaudio spiritus.

Greg. l. 31 Mor. c. 17

Accidia, secundum beatum Gregorium, habet sex filias, quæ sunt, videlicet malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, vagatio mentis circa illicita. Malitia est voluntas gravedinis impatiens, machinans malum illius, quem æstimat inferentem. Rancor est voluntas ex impotentia repellendæ gravedinis amaricata, amaritudinem intus clausam per signum exterius manifestans. Pusillanimitas est voluntas immoderate metuens gravedinem in aggressu agendorum, sive de propriis viribus immoderate diffidens. Desperatio est voluntas gravedinem reprimens, de adiutorio ad perficienda agenda diffidens, sive de remuneratione divina, propter sustinentiam gravedinis, quæ est in implendis præceptis diffidens. Torpor est voluntas gravedinis impatiens, tepida, vel pigra ad expletionem agendorum inchoatorum. Vagatio mentis circa illicita, est voluntas interno gaudio destituta, in rebus exterioribus illicitis quietem, vel solationem quærens. Secundum Isidorum aliæ sunt filiæ tristitiæ, aliæ accidiæ. Ipse enim tristitiam vocat voluntatem, inquantum a gravi debito se avertit. Accidiam vero vocat voluntatem, inquantum se ad quietem indebitam convertit. Dicit ergo: De tristitia exeunt rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio. De accidia secundum ipsum oriuntur otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo mentis, corporis instabilitas, verbositas, curiositas.

Isid. l. in Deut. c. 15

SECTIO XXII.

De Avaritia.

Sequitur videre de avaritia, quantum ad quinque, scilicet quantum ad diffinitionem comparationem, oppositionem, differentias, & filias. Augustinus super Genesim, ad litteram, diffinit sic avaritiam: Aviritia est appetitus non solum pecuniæ, sed etiam altitudinis, & scientiæ. Idem in lib. de Civit. Dei: Avaritia est libido habendi pecuniam. Item Tullius diffinit eam sic: Avaritia est amor immoderatus habendi.

Aug. l. 14 de Civ. Dei c. 15

Comparatur autem avaritia idololatriæ: unde sæpe dicitur idolorum servitus in scriptura. Hoc autem dicitur, quia cultor Dei, ad Deum tripliciter comparatur, scilicet diligendo, honorando, & in ipso confidendo; quæ tria in avaro respectu pecuniæ inveniuntur, & reperiuntur propter quod avaritia non immerito dicitur servitus idolorum.

Ephes. 5

Duplex est etiam actus avaritiæ, scilicet diligere pecuniam, & retinere, sive non dare. Ratione primi actus avaritia opponitur charitati, quæ bonum diligit incommutabile. Ratione vero secundi actus, opponitur largitati, sive liberalitati, quæ dat danda, & retinet retinenda. Duplex quidem est actus largitatis, scilicet dare danda, & retinere retinenda. Cuius duplex est extremitas vitiosa, scilicet prodigalitas, quæ dat non danda, & avaritia, quæ retinet non retinenda. Largitas, sive par-

parcitas, quod idem eſt, eſt virtus, A tamen ratione actuum differens erit medietas. Si autem attendatur oppoſitio, ſecundum actum dandi, prodigalitas eſt ſuperfluitas, quæ dat non danda: avaritia eſt diminutio, quæ nihil dat: largitas eſt medietas. Si vero ordinatur ſecundum actum retinendi: avaritia eſt ſuperfluitas, quæ retinet retinenda, & non retinenda: prodigalitas eſt diminutio, quæ nihil retinet: parcitas vero eſt medietas.

Differentiæ avaritiæ ſunt quinque, ſcilicet beneficii ſubtractio, furtum, rapina, uſura, ſimonia. Subtractio beneficii eſt avaritia retinens beneficium, quod tenetur dare pauperibus in tempore neceſſitatis, ut dives indigenti. Furtum eſt avaritia retinens rem alienam invito domino. Rapina eſt avaritia per vim occupans rem alienam. Uſura eſt avaritia acquirens per mutuum aliquid præter ſortem. Simonia eſt avaritia ſtudioſe appetens vendere, vel emere ſpiritualia, vel ſpirituali annexum.

Greg.l.31. Mor.c.17 Filiæ avaritiæ, ſecundum Gregorium, ſunt ſeptem, ſcilicet proditio, fraus, fallacia, perjurium, inquietudo mentis, violentia, obduratio contra mentis miſericordiam. Proditio eſt voluntas per deceptionem domeſticorum acquirendis inhians. Fraus eſt voluntas profectum proximi decipiens, propter terrenum emolumentum. Fallacia eſt voluntas per verba decipiens proximum, cauſa lucrandi. Periurium eſt voluntas violans Sacramentum, & juramentum. Inquietudo mentis eſt voluntas cogitare non ceſſans, qualiter poſſit divitias congregare. Violentia eſt voluntas per vim aliorum bona rapiens. Obduratio mentis contra miſericordiam eſt voluntas concitata adverſus poſtulationem indigentis, ex nimio ardore pecuniæ retinendæ. *Iſid. l. in Deut.c.16* Secundum Iſidorum, octo ſunt filiæ avaritiæ, ſcilicet mendacium, fraus, furtum, turpis lucri appetitus, falſa teſtimonia, violentia, inhumanitas, & rapacitas.

SECTIO XXIII.

De Gula.

Gulæ diffinitio.

SEquitur videre de gula quantum ad quatuor, ſcilicet quantum ad diffinitionem, oppoſitionem, differentias, & filias. Diffinitur autem gula quantum ad exceſſum in cibo ſic: Gula eſt immoderatus amor edendi. Quantum vero ad exceſſum in potu dicitur ebrietas, quam diffinit *Sene.Epiſt. ad Lucil.83* Seneca ſic: Nihil aliud diffinio ebrietatem, quam inſaniam voluntariam. Quantum vero ad exceſſum cibi & potus, ſic poteſt diffiniri: Gula eſt B immoderatus amor elementi. Item ſic: Gula eſt immoderatus amor delectationis eius, quæ eſt circa, vel ſecundum guſtum.

Secundum hoc gula poteſt ſumi ſtricte pro immoderantia in cibo, & ſic opponitur ei parſimonia. Vel large poteſt accipi pro immoderantia in cibo & potu pariter. Et ſic opponitur ei ſobrietas, quæ modum ſervat in utroque.

Iſid.ſen.l.2 c. 42 Differentiæ ſive conditiones gulæ, ſecundum Iſidorum, ſunt quatuor, ſcilicet quid, quantum, quando, quo modo. Quid, ad ipſam rem pertinet: quando, ſi ante legitimum tempus appetat: quantum, ad immoderantiam refertur: quomodo, *Greg.l.30 Mor.c.13* C ſi nimis ardenter appetat. Secundum beatum Gregorium, ſunt quinque differentiæ, hoc verſu comprehenſæ.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.

Præpropere, pertinet ad ſumptionem cibi ante tempus: laute, pertinet ad cibi ſubſtantiam, cum ſcilicet ex ſe pretioſus, & delicatus eſt: nimis, ad cibi quantitatem: ardenter, attenditur ex parte affectivæ: ſtudioſe, ex parte cognitivæ. Duas iſtas ultimas differentias ſecundum Beatum Gregorium, ſub illa, *Idem l.31. Mor.c.17.* quæ eſt quarto modo, apprehendit Iſidorus.

Quinque ſunt filiæ gulæ ſecundum Greg. ſcilicet inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, hebe-

hebetudo mentis, vel sensus circa intelligentiam. Inepta lætitia est voluntas per exteriores lusus excitans libidinem in gustu, & ex ipsa postmodum excitata. Scurrilitas est voluntas per verba carnalia libidinem gustus commovens & ex ipsa postmodum commota. Immunditia est voluntas per nimiam cibi sumptionem, libidinem in gustu continuare desiderans. Multiloquium est voluntas per multiplicationem verborum, intendens in gustu conservare libidinem. Hebetudo mentis est voluntas libidinis conservandæ propriæ carnis absorpta, intelligere spiritualia fastidiens. Secundum Isidorum, quæ sunt filiæ gulæ, scilicet commessatio, & ebrietas, quarum una in cibo attenditur, alia in potu.

Isid. l. in Deut. c. 16

SECTIO XXIV.

De Luxuria.

Luxuriæ diffinitio.

SEquitur videre de luxuria quantum ad diffinitionem, oppositionem, tentationem, differentias, & filias. Diffinitur sic: Luxuria est libidinosæ voluptatis appetitus. Item sic: Luxuria est concupiscentia nimia experiendæ voluptatis. Item sic· Luxuria est inordinatus appetitus illius delectationis, quæ est secundum coitum.

Opponitur autem luxuria continentiæ: cujus triplex est differentia. Est enim continentia coniugalis, vidualis, & virginalis.

Tentationes.

Quintuplex autem tentatio est luxuriæ, secundum quod in hoc versu continetur.

Visus, & alloquium, contactus, & oscula, factum.

Hoc quippe ordine tentatio luxuriæ consummatur. Primo enim inchoatur in visu exteriori, sive interiori, ut in cogitatione: deinde venitur ad alloquium: postea transitur ad contactum: deinde prorumpitur ad osculum: postea consummatur per factum.

Differentiæ

Differentiæ luxuriæ sunt sex, scilicet fornicatio, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, peccatum contra naturam. Fornicatio est A luxuria, qua solutus cognoscit solutam naturali usu. Et intelligitur, & solutus, & soluta a vinculo coniugii, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, & religionis, vel voti continentiæ. Adulterium est luxuria, qua coniugalis thorus violatur. Stuprum est luxuria, qua virginalis incorruptio violatur, seu defloratur. Sacrilegium hic appellatur sacræ personæ læsio, per vitium luxuriæ: & melius luxuria sacrilega diceretur. Hæc est luxuria, qua votum continentiæ violatur, & hoc in se, vel quando in sacris ordinibus constitutus, vel religiosus aliquis fornicatur, cum aliqua soluta, vel soluta aliqua cum religioso, vel sacerdote. B Incæstus est coituscontr a consanguinitatem, affinitatem, vel compaternitatem commissus. Peccatum contra naturam est luxuria, qua naturalis usus coeundi maris, & fœminæ dissipatur.

Filiæ luxuriæ secundum Greg. sunt octo, scilicet cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, sive desperatio futuri sæculi. Cæcitas mentis est voluntas fastidiens, despiciens superiora, & spiritualia. Inconsideratio est voluntas, prævidere renuens agenda inferiora. Inconstantia est voluntas libidine carnis confracta, statum suum tenere non valens. C Præcipitatio est voluntas ad aggredi quælibet impetuose. Amor sui est voluntas affectione carnis imbuta, sibi propter se super omnia adhærens. Odium Dei est voluntas, Deum tamquam impedimentum propriæ voluntatis carnalis, vel voluptatis detestans. Affectus præsentis sæculi est voluntas præsens sæculum semper manere desiderans, propter fruitionem voluptatis carnis. Desperatio, sive horror futuri sæculi, est voluntas voluptate præsenti cæcata, de æterna iucunditate desperans. Secundum Isid. quatuor sunt filiæ fornicationis, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludicra, stultiloquia. Sapientiæ in sermone opponuntur stultiloquia: bonitati in sermone opponuntur aliat ria. Nam cum triplex sit

Greg. l. 31. Mor. c. 17

Isid. l. in Deut. c. 16

bonitas, scilicet utilitas, delectatio licita, & honestas; sermoni utili opponuntur ludicra: sermoni delectabili licito opponuntur scurrilia: sermoni honesto opponuntur turpiloquia.

SECTIO XXV.

De peccato ex infirmitate, & ignorantia, & industria.

SEquitur videre de divisione peccati trimembri, quae est. Peccatum aliud ex infirmitate, aliud ex ignorantia, aliud ex certa malitia sive industria perpetratur. Quod aliis verbis dicitur in Evangelio: Est peccatum in Patrem, peccatum in Filium, peccatum in Spiritum sanctum. In Patrem, cui attribuitur potentia, peccare dicitur, quando quis peccat ex infirmitate: in Filium, cui attribuitur sapientia, qui peccat ex ignorantia: in Spiritum sanctum, cui attribuitur bonitas, qui peccat ex industria, sive ex certa malitia.

Primo videndum est de peccato ex infirmitate, quod est aversio voluntatis male humiliatae, vel male accensae ab infirma creatura, a Deo omnipotente. Duae sunt differentiae huius peccati effectivae, timor male humilians, & amor male accendens. Tripliciter autem distinguitur amor, scilicet amor gratuitus libidinosus, & naturalis. Gratuitus habet finem principalem summum bonum, scilicet incommutabilem Deum: libidinosus habet finem voluptatem, sive delectationem in creatura: naturalis habet finem necessitatem, sive utilitatem propriam. Primus est laudabilis, quia virtus: secundus vituperabilis, quia peccatum: tertius nec laudabilis, nec vituperabilis, quia naturalis est. Similiter distinguitur triplex timor, scilicet naturalis, gratuitus, libidinosus. Naturalis est passio, id est primus motus, & in testimonium humanitatis verae fuit in Domino Jesu Christo: gratuitus multiplicatur in servilem, initialem, & filialem, de quibus alibi dicetur, scilicet in libro de donis: libidinosus, dividitur in humanum, quo quis eligit peccare, ne laedatur in corpore, & mundanum, quo quis eligit peccare, ne laedatur in possessione. Timore libidinoso homo male humiliatur: timore gratuito bene: timore naturali nec laudabiliter, nec vituperabiliter. Item amore libidinoso homo male accenditur: amore gratuito bene: amore naturali, indifferenter.

Amor triplex.

Timor triplex.

Peccatum ex ignorantia est aversio voluntatis ignorantis, & perpetrantis, quod malum est, ab omni scientia Dei. Nota tamen, quod aliud est peccatum ex ignorantia, aliud peccatum ignorantiae. Peccatum ignorantiae, est omissio debitae scientiae: peccatum ex ignorantia, est peccatum, quod committitur ignoranter. Est ignorantia iuris, & ignorantia facti. Ignorantia facti duplex, aut adhibita debita diligentia, & hoc excusat a toto: aut non adhibita debita diligentia, & hoc excusat a tanto, & non a toto. Ignorantia iuris, quaedam est vincibilis, quae est culpa: haec autem aut est ex vero consensu, ut ignorantia affectata, & ista sic ex una parte excusat, & alia magis aggravat: aut est ex negligentia, & ignavia, sicut ignorantia crassa, & supina, & ista, etsi aliquo modo excusat, non tamen sic excusat, quin aeterno igne ardeat, sicut dicit Aug. Sic & ignorantia iuris invincibilis potest esse duplex: aut enim est introducta per praeambulam culpam, aut praeter omnem culpam. Si praeter omnem culpam, aut simpliciter privat cognitione iuris, sicut in infantibus, & furiosis, qui omnino carent usu rationis, & haec excusat a toto: unde dicit Bern. quod parvulis infantibus, & dormientibus nihil imputatur, quod faciunt: aut non tollit omnino usum rationis, sed semiplenum, & tunc non excusat a toto: sed a tanto, sicut in his, qui non plene sunt furiosi, sed habent aliquo modo aliqua intervalla lucida, & in pueris, qui sunt aliquo modo capaces praecepti, licet non plene. Si autem ignorantia est introducta per praeambulam culpam, sicut in ebrio, & fu-

Ignorantia

& furioso, quorum uterque præcipitavit se in hoc per culpam suam; sic non excusat a toto, sed ut dicit Philosoph. Ebrius habet duplices maledictiones unam pro culpa præcedenti, aliam pro culpa sequenti. Non tamen proprie loquendo est dicendum, quod ebrius aliquid perpetrans novam culpam committat, sed ex consequenti culpa, aggravatur prima, ut videtur magis peritis, quamvis aliqui dixerunt, quod præter culpam primam in ebrietate commissam, secundo committat novam.

Arist. 3. 4.3

Peccati in Spiritum sanctum sex species.

Peccatum ex industria, sive in Spiritum sanctum, est aversio voluntatis malignantis a summo clemente Deo. Cujus sunt sex differentiæ, scilicet desperatio, præsumptio, impugnatio veritatis agnitæ, invidentia fraternæ gratiæ, obstinatio mentis, finalis impœnitentia. Quarum sufficientia accipitur sic: Istud peccatum impugnat gratiam pœnitentialem, per quam fit remissio peccati a Deo intra Ecclesiasticam unitatem. Potest ergo impugnare pœnitentiam in se, & sic sunt duæ species, quia pœnitentia facit resilire a commissis, contra quod est obstinatio mentis: facit etiam præcavere a committendis, contra quod est finalis impœnitentia, id est propositum numquam finaliter pœnitendi. Si autem impugnat gratiam pœnitentialem in comparatione ad Deum, a quo datur, sic est duplex species. Nam universæ viæ Domini, misericordia, & veritas, sive justitia. Misericordiam impugnat desperatio, iustitiam impugnat præsumptio. Si autem impugnat gratiam pœnitentialem in comparatione ad unitatem Ecclesiæ, in qua recipitur, sic est duplex peccatum. Nam unitas Ecclesiæ maxime consistit in duobus, scilicet in fide, sive veritate, contra quam est impugnatio veritatis agnitæ: & in gratia sive charitate, contra quam est invidentia fraternæ gratiæ.

Ps. 24

SECTIO XXVI.

De idololatria, & hæresi.

Sequitur videre de divisione peccati, quæ est peccatum aliud in Deum, aliud in proximum, aliud in se ipsum. Peccatum in Deum, dicitur impietas: peccatum in proximum, iniquitas: peccatum in seipsum, impuritas.

Primo videndum est de peccatis, quibus inhonoratur divinæ maiestatis omnipotentia, superstitione colendi, quæ sunt idololatria, ritus Judaicus, ritus Saracenicus, apostasia, schisma, hæresis. Idololatria est falsa, & superstitiosa protestatio maiestatis divinæ in idolo. Idololatriæ duæ sunt species. Una in rebus naturalibus, alia est in rebus artificialibus; sicut ostenditur in libro Sapientiæ. Committitur autem tripliciter, scilicet protestatione cordis, ut credere de creatura, quod sit omnipotens, quod est proprium creatoris: confessione oris, ut est non solum credere, sed etiam verbis exprimere: exhibitione operis, ut fit in reverentia, & in sacrificiis.

Idololatria

Sap. 13

Triplex est apostasia, scilicet perfidiæ, cum quis recedit a fide, ut Julianus apostata: inobedientiæ, cum quis recedit a præceptis Ecclesiæ, & sic: Initium superbiæ hominis est apostatare a Deo: irregularitatis, cum quis recedit a religione claustrali, vel clericali. Apostasia sic potest describi: Apostasia est temerarius a statu fidei, vel obedientiæ, vel religionis recessus.

Apostasia.

Eccl. 10

Schisma est illicita dissensio eorum, inter quos unitas esse debet, vel illicitus ab unitate dissensus. Omnis hæresis est schisma, sed non convertitur: hæresis est recessus a fidei veritate. Item differunt schisma, & hæresis: nam hæresis addit pravum dogma, schisma in fine confingit aliquam hæresim. Post recessum enim ab unitate Ecclesiæ, sequitur inobedientia in mandatis Ecclesiæ; in fine vero sequitur assertio, quod non est obediendum Ecclesiæ.

Schisma.

Hæ-

Hæresis: Hæresis idem est, quod divisio, & sic dicitur hæresis propriissime recessus a fide: proprie, falsa interpretatio scripturarum: minus proprie, excommunicatio. Secundum hoc hæreticus dicitur multipliciter: uno modo secundum Aug. hæreticus est, qui alicujus temporalis lucri, & maxime gloriæ, principatusque sui gratia falsas opiniones de fide, ac novas gignit, aut sequitur. Gignit, ut hæresiarchæ, Sabellius, & Arrius: sequitur ut Sabelliani, & Arriani decepti per tales. Secundum Hieronymum potest hæreticus appellari, licet ab Ecclesia non decesserit, qui aliter intelligit scripturam, quam sensus Spiritus sancti expostulat. Tertia, dicitur hæreticus quicunque a Sacramentis Ecclesiæ, vel communione fidelium est divisus, ut excommunicatus, seu subversor Ecclesiæ, seu subrisor: Sacramentorum, unde simoniacus hæreticus reputatur.

Aug. l. de util. cred. ad Honor. in pr. t. 6.

Hieron. in Epist. ad Galat. c. 5. post med. t. 6

SECTIO XXVII.

De interdicto, & duabus speciebus excommunicationis.

Sequitur de hæresi, quæ est excommunicatio, diffusius videre in speciali: & primo de interdicto, quod est excommunicationis initium. Ad quod notandum, quod nomine censuræ Ecclesiasticæ intelligitur sententia interdicti, excommunicationis, & suspensionis. Proprie autem excommunicatur persona, a communione Sacramentorum, & fidelium separata. Suspenditur etiam persona quandoque ab officio, quandoque a beneficio, quandoque ab utroque. Interdicitur locus, utputa civitas, villa, vel castrum.

Censuræ Ecclesiasticæ.

In generali interdicto debent ista conferri ab Ecclesia: Baptismus parvulorum, morientibus pœnitentia, peregrinis crucem accipientibus, ob reverentiam crucifixi, non est pœnitentia deneganda. Potest Episcopus baptizatos parvulos confirmare, semel in mense, vel septimana; populum interdictum causa prædicationis ad Ecclesiam convocare. Item

A morientibus, si digne pœniteant, potest Eucharistia ministrari. Clerici decedentes, sine pulsatione campanarum, cessantibus solemnitatibus cum silentio in cœmeterio sepeliri possunt, si bene servaverunt interdictum. In conventualibus Ecclesiis, bini, vel tres simul horas Canonicas possunt legere, non cantare, januis clausis, & interdictis exclusis: & hoc ita demisse, quod exterius non possint audiri. Ex quo colligitur, quod interdicti, & multo fortius excommunicati, non debent horas extra Ecclesiam auscultare. Plerisque tamen religiosis indultum est, ut ianuis clausis, & interdictis exclusis, possint simul celebrare di-

B vina, quod hodie ad Episcopos extenditur, nisi specialiter eis prohibeatur.

Excommunicatio vero est animadversio gladii spiritualis Ecclesiæ a communicatione Sacramentorum, & fidelium separatio. Excommunicationis duæ sunt species: una, quæ dicitur maior, excludens a sacramentis, & legitimis actibus fidelium, hoc versiculo comprehensis.

Excommunicatio.

Os, orare, vale, communio mensa negatur.

Alia, quæ dicitur minor separans a Sacramentis. Item excommunicatio, quædam infligitur a iure, & hæc est conservativa: quia licet videatur esse ad libertatem Ecclesiæ

C conservandam, principalius tamen est ad culpam præcavendam: quædam infligitur a iudice, & hæc est curativa: nam licet videatur esse propter emendam faciendam, principalius tamen est propter contumaciam confringendam. Pœna sustinentis excommunicationem est multiplex, quæ in hoc versu continetur.

Gratia subtrahitur, magis, ac magis obice rupto.

De vitio cadit in vitium, suffragia perdit.

Ecclesiæ satanæ vexandus traditur illi.

Quem ligat ex propriis anathematis ultio culpis.

Circumstantia vero præservans personam participantem cum excommu-

municato, ne excommunicationis vinculo involvatur, est multiplex, ut his versibus continetur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.
Haec anathema quidem faciunt, ne possit obesse.

Utilitas communicantis, ut quando petit quod sibi debetur: excommunicati, ut quando secum tractat de correctione. Lex matrimonii, quæ ligat virum, & uxorem. Humile, ut filii non emancipati, servi, ancillæ, rustici, mancipiis, & aliis obnoxiis astricti. Res ignorata, ut quando nescitur esse excommunicatus, cum quo participatur. Necesse, ut peregrini, & pauperes, ac cæteri viatores.

SECTIO XXVIII.

De duabus regulis generalibus circa excommunicationem.

Circa excommunicationem nota duas regulas generales. Prima est hæc: quicumque in clericum, vel in personam Ecclesiasticam, manus iniicit temere violentas, excommunicatus est. Hoc fallit in quatuordecim casibus. Primus est in apostata percusso, qui clericus ignoratur: secundus est in apostata admonito, se non corrigente: tertius est in eo, qui gerit procurationem, & administrationem sæcularium personarum: quartus est in eo, qui ex loco iniicit manus in clericum: quintus in magistro, qui causa disciplinæ verberat clericum: sextus in eo, qui vim sibi illatam a clerico vi repellit: septimus in eo, qui clericum deprehendit cum uxore, matre, vel sorore, aut filia commisceri: octavus in eo, qui auctoritate suæ prælationis, vel de mandato prælati, manus iniicit in clericum: nonus in senioribus Ecclesiæ: decimus in dominis: undecimus in patribus familias: duodecimus in propinquis: tertiusdecimus in eo, qui manus in clericum iniicit depositum, & curiæ traditum: quartusdecimus, cum clericus transfert se ad vitam clericatui prorsus con- A trariam, ut quando fit miles, vel contrahit bigamiam.

Casus ab excommunicatione excepti in clerici percussione.

Secunda regula est hæc: Quicunque est excommunicatus propter manus iniectas in clericum violentas, pro absolutione ad sedem Apostolicam est mittendus. Hoc autem fallit in quindecim casibus. Primus est quando percussor est in mortis articulo constitutus: secundus casus est in eo, qui iustam excusationem habet, ut inimicitias capitales: tertius est in ostiario, qui necessitate officii sui aliquem clericum non enormiter percusserit: quartus in infirmo: quintus in paupere: sextus in senectute depresso: septimus in claustrali, qui enormem non intulit læ- B sionem: octavus in muliere: nonus in eis, qui sui iuris non sunt: decimus in his, qui sunt magnæ potentiæ, & nimium delicati, ita ut laborem in eundo ad curiam non possint sustinere: undecimus in his, qui non gravem læsionem, sed levem, vel modicam iniuriam intulerunt clericis: duodecimus in impubere, sive ante pubertatem, sive post postulet se absolvi: tertiusdecimus, in servo, de cuius absentia Dominus nimium gravaretur, vel cum ipse servus verberaret clericum, ut materiam habeat evadendi: quartusdecimus de monialibus: quintusdecimus in omnibus communiter viventibus.

Casus in quibus percussor sedem Apost. adire non tenetur.

C

SECTIO XXIX.

De divinatione.

Sequitur videre de peccatis, quibus inhonoratur divinæ sapientiæ altitudo, superstitione sciendi, quæ sunt sortilegium, & divinatio. Ad cuius mali notitiam, est videndum, quid sit divinatio, quæ sunt eius species, utrum omnis divinatio sit prohibita.

Divinatio sic describitur: Divinatio est superstitiosa investigatio præscientiæ futurorum. Cujus quinque sunt species, scilicet mantia, maleficium, sortilegium, augurium, præstigium. Mantia dicta est a Mante, quæ in ea prævaluit: & hæc ha-

Divinatio quid, & quotuplex.

habet quinque species, scilicet necromantiam, quæ est divinatio facta in cadaveribus mortuorum, a necron, quod est mortuus, & mantia, divinatio: geomantiam, quæ est divinatio facta in terra, a Gea, quod est terra, ut in circulo: hydromantiam: quæ est divinatio facta in aqua, ab hydor, quod est aqua ut in aqua pluviali: aeromantiam, quod est divinatio facta in aere, ut in contemplativis circulis: pyromantiam, quæ est divinatio facta in igne, a pyr, quod est ignis. Istæ sunt species mantiæ. Maleficium est peritia, per quam mulieres faciunt aliquas ligaturas in damnum, vel incommodum alicujus, ut de crista galli, & de rana, & de imagine cum eis. Sortilegium est ratio divinandi per sortes. Usus hujus divinationis fuit in
Act. 1 veteri Testamento. Sorte etiam usi sunt Apostoli, ante Spiritus sancti plenitudinem. Augurium est ratio divinandi per garritus avium, vel gestus, ut per volatum. Præstigium est, per quod diabolicis illusionibus oculi hominum perstringuntur, ne possint cernere, quod verum est, sed phantastica figmenta, ut faciunt incantatores. Præter hos modos, sunt alii multi, & plures, qui quotidie per diabolum adinveniuntur.

Est etiam divinatio facta in varia inspectione psalterii, & Evangelii. Est & divinatio, quæ futura prædicit in fatis, & constellationibus, dicta mathesis, media producta. Est & divinatio facta per aurarum, vel astrorum, inspectionem, dies, & horas custodiens in agendis, & dicitur aruspicium. Est quæ exta, vel intestina pecudum inspicit. Est quæ in aris idolorum a dæmonibus responsa accipit. Dicitur autem Ariolus divinator in aris. Est quæ somnia observat. Coniecturator, dicitur observator in somniis. Augur in garritu avium. Maleficus immolans dæmonibus pueros, vel saltem lustrans, magus alio nomine dictus. Incantator est præstigiosus fallens oculos intuentium; Phyto est ventiloquus per spiritum malignum loquens, a Phytone, vel Phytio, id est, Apolline dictus. Divinus, id est, aruspex, id est, inspector astrorum. Auspex, qui volatum avium aspicit. Augur, qui voces audit avium. Estipex, qui exta, id est, intestina pecudum inspicit. Astrologus, qui in astris auguratur. Genetliacus, qui mores hominum prædicere conatur, secundum signa sub quibus homines nascuntur: hic vulgo mathematicus vocatur, cujus superstitio constellatio dicitur a Latinis. Horoscopus, qui per horas nativitatem hominum speculatur diverso, & dissimili facto. Sortilegus est, qui sub nomine fictæ religionis, divinationis scientiam profitetur, vel ex inspectione aliquarum scripturarum prædicit futura. Saliator, qui dum quæcumque pars membrorum ei salierit, exinde aliquid prosperum vel triste significari prædicit.

Est autem omnis divinatio, deceptio, & delusio diabolica, ideo maledicta a Deo, & ab Ecclesia interdicta. Nec potest ea ex voluntario commercio quisquam uti sine peccato. Aut enim est ibi peccatum infidelitatis, dum aliquid divinum diabolo attribuitur, quod Dei est: aut est peccatum idololatriæ, utpote in oblationibus, & sacrificiis: aut est peccatum inobedientiæ: quia fit contra prohibitionem Dei, & Ecclesiæ. Talis autem prohibitio est sancta, quia talis peccat in seipsum, dum discrimini se committit: peccat in maiestatem divinam, dum recurrit ad diabolum, quasi non sit omnipotens, omnisciens, benignus Deus Christianorum: peccat in Ecclesiam, cum commercium habeat cum illo, qui omnino præcisus est ab Ecclesia, & eidem adversatur. Omnis divinatio damnabilis

SECTIO XXX.

De hypocrisi, simonia, & sacrilegio.

Sequitur videre de peccatis, quibus vilipenditur sanctitas bonitatis divinæ perversitate utendi: quod fit tripliciter, scilicet apparentis sanctitatis simulatione, ut in hypocrisi: abusione doni gratuiti, ut in simonia: violatione loci sacri ut in sacrilegio.

Pri-

Hypocrisis quid, & quotuplex. Primo, de hypocrisi sunt videndæ notificationes, & differentiæ. Hypocrisis sic diffinitur a Rabano: Hypocrita est, qui vult videri, quod non est, scilicet bonus, quasi alterius personæ repræsentator. Item aliter diffinitur; Hypocrita est, qui vult videri bonus, cum non sit. Item aliter: Hypocrisis est vitium clausum, simulatione virtutis palliatum. Potest etiam hoc modo diffiniri: Hypocrisis est vitium, quo quis vult videri bonus inordinate. *Richard. de erud. inter. hom. c. 13 par. 1 Dan. 7* Species hypocrisis secundum Richardum sunt quatuor, scilicet affectatio dignitatis, affectatio libertatis, affectatio auctoritatis, affectatio potestatis. Secundum Gregorium, Pardus in Daniele habens quatuor alas, hypocritas habens quatuor species. Prima est iactantia de bono manifesto: secunda simulatio de bono occulto: tertia excusatio de malo manifesto: quarta dissimulatio de malo oculto.

Simonia. Simonia, est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquod spirituale, vel spirituali annexum. Hæc autem contrahitur tripliciter, *Greg. homil. 4. in Evang. longe post med.* secundum Gregorium, scilicet munere a manu, quod est pecunia: munere ab obsequio quod est servitus indebite impensa: munere a lingua, quod est favor. Tres autem sunt differentiæ materiales simoniæ. Prima est, quando venditur spirituale, sicut sunt Ecclesiæ Sacramenta: secunda est, quando venditur annexum spirituali, ut est præbenda, quæ ratione consanguinitatis, sive pretii, vel favoris datur, & obtinetur indigne: tertia est, quando venditur spirituale, & annexum spirituali, ut est prædicatio.

Sacrilegium. Sacrilegium est sacræ rei violatio, vel eiusdem usurpatio, quasi sacriledium. Committitur autem sacrilegium aliquando ratione personæ, ut cum religiosus, vel clericus verberatur. Quandoque ratione loci, ut quando Ecclesiæ, vel cœmeterii immunitas violatur. Quandoque ratione rei, ut quando res sacra, vel sacro usui deputata, usurpatur. Circa quod est distinguendum, quia sacrilegium committitur, aut auferendo sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro.

SECTIO XXXI.

De rapina, furto, usura, homicidio, & scandalo.

Tripliciter in proximum peccamus. Sequitur videre de peccatis, quæ committuntur in proximum, quorum tria sunt genera. Quibusdam enim læditur proximus in possessione, quæ sunt rapina, furtum, usura. Rapina est manifesta, & violenta alienæ rei contrectatio. Furtum est occulta, & ignorante Domino, & invito alienæ rei contrectatio. Usura est sub specie negotiationis, domino sciente, alienæ rei contrectatio. Quibusdam etiam læditur in persona, ut in homicidio, & in bello.

Est autem homicidium hominis occisio ab homine facta. Duplex est autem homicidium, scilicet spirituale, & corporale. Spirituale est, quo quis occiditur spiritualiter, quod fit duobus modis, scilicet odiendo: nam qui odit fratrem suum, homicida est, & detrahendo: lingua enim detractoris est gladius acutus. *1 Joan. 3* Corporale vero homicidium est, quo quis corporaliter occiditur, quod etiam fit duobus modis, scilicet lingua, & opere. Lingua tripliciter, scilicet percipiendo, consulendo, & non defendendo. Opere quadrupliciter, scilicet iustitia, casu, necessitate, & voluntate. Quibusdam vero læditur in mente proximus, ut sunt scandala.

Scandalum. Est autem scandalum, dictum, vel factum minus rectum, præbens aliis occasionem ruinæ. Scandalon, græce, latine obex. Sicut ad obicem in via positum læditur pes euntis: sic dictum vel factum minus rectum est obex infirmis in via morum. Scandalum aliquando dicitur obex scilicet dictum, vel factum, minus rectum. Aliquando dicitur actio, sive impactio illius, qui scandalizat. Aliquando dicitur casus, &

& ruina illius, qui scandalizatur. Unde versus:

Scandalum æquivocat, obex, impactio, casus.

Est autem duplex differentia scandali. Est enim scandalum activum, & passivum. Activum, quo quis alii dat occasionem ruinæ spiritualis: passivum est ipsa ruina facta ad obicem mali exempli alterius, ut cum fornicatur quis exemplo alterius. Ad sciendum autem, quæ sunt propter scandalum omittenda, duæ regulæ sunt notandæ. Una est Bernardi, alia Hieronymi. Regula Bernardi est hæc: Peccamus ex infirmitate, vel ignorantia, ex certa etiam interdum malitia, cavendum est ne quid faciamus, quod sit in scandalum alicuius. De talibus dicit Dominus Petro: *Mat. 17* Ne autem scandalizemus eos, &c. In tertio vero casu, cum scandalum procedit ex certa malitia, non propterea est omittendum opus, vel ab opere desistendum. Unde dicit Dominus de Pharisæis scandalizatis ex malitia: *Matt. 15* Sinite eos, cæci sunt, &c. Rugula Hieronymi est talis: Omne quod potest fieri, vel non fieri salva triplici veritate, omittendum est propter scandalum. Non est autem omittenda veritas vitæ, doctrinæ, iustitiæ, propter scandalum evitandum. Veritas vitæ pertinet ad omnes, comprehendens præcepta, prohibita, & consilia. Veritas doctrinæ pertinet ad prædicatores, & Magistros. Veritas iustitiæ pertinet ad Prælatos, comprehendens duas partes iustitiæ, scilicet, severitatem in puniendo malos, & reos, & liberalitatem in sustinendo iustos.

SECTIO XXXII.

De peccato luxuriæ, & gulæ.

Equitur videre de peccatis, quibus peccat quis in seipsum, quæ sunt duo, scilicet peccatum luxuriæ deordinans generativam, & peccatum gulæ deordinans nutritivam. Peccata, quæ accidunt ex deordinatione generativæ, sunt ista, scilicet *Dupliciter in nosipsos peccamus.* pollutio nocturna, luxuria in propria uxore, fornicatio simplex, meretricium, raptus, adulterium, incestus, vitium contra naturam. Peccata ex deordinatione nutritivæ dupliciter committuntur manducando, & sic dicitur gulositas: & bibendo, & sic dicitur ebrietas. Quod fit quinque differentiis, ut supra dictum est, hoc versu comprehensis.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Supposito, quod coitus conjugalis *Sup. sect. 13* possit esse peccatum, videndum est per distinctionem, quis coitus conjugalis est peccatum, & quis non, & quis venialis, & quis mortalis. Nota ergo, quod coitus coniugalis alius est licitus, alius est fragilis, alius est impetuosus. Licitus est triplex. Quidam fit causa prolis generandæ ad cultum divinum, & hic est theosebiæ virtutis, quæ dicitur pietas. Quidam causa reddendi debitum, & hic est iustitiæ. Quidam causa fornicationis vitandæ, & hic est cautelæ: de quo Apostolus: *1 Cor. 7* Unusquisque habeat suam uxorem, propter fornicationem, vitandam supple. Fragilis ex fragilitate proveniens, cum quis in uxore quærit coniugalem delectationem, non causa prolis habendæ, nec debiti reddendi, nec fornicationis vitandæ, sed causa delectationis in coniuge. Et distinguitur, aut illa delectatio amatur citra Deum, & tunc culpa est venialis: vel amatur plusquam Deus, vel æque ut Deus, & tunc peccatum est mortale. Impetuosus est, qui ex libidine sola proveniens, metas honestatis, & rationis excedit. Et ideo mortalis est quinque modis. Primo quando fit propter satiandam libidinem, per blanditias meretricias: secundo quando fit præter naturalem modum: tertio, quando fit in tempore prohibito: quarto: cum fit in loco prohibito: quinto cum accedit vir ad prægnantem mulierem vicinam partui, aut in fluxu menstruo laborantem.

Simplex fornicatio est luxuria, qua solu-

solutus cum soluta naturali usu fœminæ commiscetur: ita quod solutus excludit vinculum matrimonii, consanguinitatis, affinitatis, ordinis, voti, religionis: & hoc cum muliere soluta, quæ unius, vel paucorum libidini se exponit. Meretricium est commercium nefarium cum muliere, quæ multorum paret libidini. Nam meretrix proprie dicta est mulier, quæ multorum libidini se exponit. Adulterium est alterius thori violatio. Incestus est lubricum carnis contra consanguinitatem, affinitatem, votum, commissum, de quibus supra dictum est.

Sup. sect. 24

SECTIO XXXIII.

De passionibus, sive proprietatibus peccatorum.

AD clariorem expeditionem prædictorum, postremo videndum est de passionibus, sive proprietatibus peccatorum. Sciendum est ergo, quod ad peccatum quædam sunt antecedentia, quædam circumstantia, & quædam subsequentia: Antecedentia quædam sunt ex parte aversionis, quædam ex parte conversionis. Ex parte aversionis a Deo, sunt contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, & prævaricatio. Ex parte conversionis ad creaturam, sunt libido, concupiscentia, delectatio, consensus in peccatum, & prava intentio. Subsequentia sunt macula, & reatus. Circumstantia sunt illa, quæ circumstantias nominamus. Aversionem a Deo comitantur contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, & prævaricatio. Nam voluntas ad Deum conversa, & Deo conformis, vult quod Deus vult, & non vult, quod Deus non vult, & hoc debet fieri. Tum quia voluntas Dei superior est simpliciter, voluntas rationalis creaturæ inferior: & ideo tenetur sequi superiorem: quod si non facit, dicitur contemnere. Tum quia dignum est facere, quidquid Deus vult fieri: & ideo cum avertimur, dicimur omittere. Tum quia iustum est propter accepta beneficia, obsequium impen- A dere: unde cum avertimur a Deo, dicimur ingrati. Tum quia ipse est Dominus, & nos servi: ideo tenemur facere quidquid novimus, ipsum velle, quod cum non facimus, dicimur inobedientes, & prævaricatores: sed inobedientes, quia avertimur a voluntate Dei; prævaricatores, quia transgredimur legem eius. Et nota quod in voluntate avertente se a Deo contemptus, omissio, ingratitudo, inobedientia, & prævaricatio, idem sunt secundum rem, differunt autem secundum rationem. Nam contemptus respicit Dei potentiam: omissio sapientiam: ingratitudo beneficium: inobedientia præceptum: prævaricatio legem. B Et sic secundum ista, recessus est in frequenti aversione a Deo: elongatio vero est in obduratione.

Conversionem autem voluntatis ad creaturam comitatur libido, quæ est improbitas voluntatis, bonum creatum præeligens, & deferens increatum. Quam sequitur concupiscentia, quæ est primus motus ex fomite proveniens in sensualitatem, tendens ad delectationem illicitam. Tunc sequitur delectatio, cum inferior pars ratione condelectatur. Tertio est consensus, cum superior pars rationis non contradicit, sed assentit. Iste triplex status designatus est in prima tentatione, per serpentem, mulierem, & virum. Deinde C restat operis consummatio, vel adhuc est prava intentio: nam intentio est ad opus. Et sic ex parte conversionis, actuale peccatum antecedit libido, concupiscentia, delectatio, consensus in peccatum, & prava intentio.

Quæ peccatum præveniant.

Circumstantiæ vero dicuntur, quæ peccatum circumstant, quæ nos circumstantias appellamus. Est autem circumstantia, proprietas, personæ, vel negotii, ex se pertinens ad laudem, vel vituperium, vel diminuendo, vel augendo, vel in aliud genus peccati trahendo. Proprietas personæ est, ut quia pulcher est homo sapiens, bonus, &c. hujusmodi. Et talis proprietas respondet ad quæstionem factam, per quis. Proprietas negotii est, quæ pertinet ad opus;

Circumstantiæ.

opus, & est genus operis: ut quia A fecit hoc, ubi fecit, quare fecit, quo tempore fecit, & quomodo fecit. Quæ in hoc versiculo continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quæ possunt in quatuordecim differentias explicari; his versibus comprehensas.

Aggravat, ordo, locus, persona, scientia, tempus.
Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa.
Et modus in culpa, status altus, lucta pusilla.

Ex his autem, quinque respiciunt personam, scilicet scientia, ætas, conditio, ordo, & status. Tres re- B spiciunt crimen, scilicet copia, causa, lucta pusilla. Duæ sunt adiacentes, scilicet locus & tempus.

Quæ peccatum sequantur. Ad peccatum vero sequentia sunt macula, & reatus. Anima enim, cum ad creaturam convertitur, secundum Augustinum, obtenebratur, peioratur, & destruitur. Ista autem obtenebratio, peioratio, & destructio, idem sunt quod deformitas imaginis Dei, sive diminutio naturalis boni, sive macula, quia ex contactu spirituali inferiorum, qui est per amorem inordinatum, sordidatur imago Dei in nobis, & polluitur. Reatus vero sequitur peccatum, ratione aversionis: quia tantum bonum est Deus, sicut dicit C Augustinus, ut nulli bene sit qui ab eo recedit: Sicut ergo ex conversione ad creaturam est macula; sic ex aversione a Deo est reatus, qui est obligatio ad pœnam. Peccatum quippe pertransit actu, sed remanet reatu: peccatum scilicet actuale.

In senten. ex Aug. decerp. sent. 289. t. 3

CENTILOQUII.

SECUNDA PARS,

Quæ recipit septem Sectiones.

SECTIO I.

De vulneratione naturalium.

POSTQUAM visum est de malo, prout tenet rationem culpæ videndum est de malo, inquantum tenet rationem pœnæ. Est ergo notandum, quod malum, sive peccatum, punitur pœna multiplici in præsenti, & etiam in futuro. In præsenti autem punitur, quantum ad animam, & quantum ad corpus. Quantum ad animam, punitur in vulneratione naturalium, & expoliationem gratuitorum. *Pœna peccati.*

Vulnera, quibus vulnerata est anima propter peccatum, sunt quatuor secundum Bedam. Dicit enim *Beda.* quod quatuor sunt nobis inflicta propter peccatum Adæ, scilicet infirmitas, ignorantia, malitia, & concupiscentia ex his contracta, & conflata. Quorum sufficientia sic accipitur. Anima sicut dicit August. est media inter Deum, & creaturas. Deus autem est omnipotens, omniscius, summe bonus, essentia indivisus. Potentia attribuitur Patri: sapientia, Filio: bonitas, Spiritui Sancto. Indivisio ad Patris, & Filii, & Spiritus sancti pertinet unitatem. Avertens ergo se a Deo anima, & ad creaturas transiens per *Nota.* amorem, deserendo potentiam, qua potest, quidquid potest, incurrit infirmitatem: deserendo sapientiam, qua scit, quidquid scit, incurrit ignorantiam: deserendo bonitatem, qua valet, quidquid valet, incurrit malitiam: deserendo substantiam indivisam, incurrit concupiscentiam: qua homo dividitur in seipso, & a seipso, in tantum, ut voluntas sensualitatis, voluntati non subiaceat rationis. Non enim quod volumus, *Rom. 7 Gal. 5* hoc facimus bonum: cum caro adver-

versus spiritum concupiscat. Est autem infirmitas ex desertione omnipotentiæ, impotentia resistendi malis, vel difficultas in agendis bonis. Ignorantia ex desertione summæ sapientiæ, est hebetudo ad cognoscendum ea, quæ sunt necessaria ad salutem. Malitia ex desertione summæ bonitatis est pronitas, vel inclinatio ad malum. Concupiscentia ex desertione indivisæ substantiæ, est corruptio dividens appetitus, ut appetitus sensualitatis, ab appetitu rationis dissentiat. Peccavit siquidem per rationalem primus parens, scientiam indebitam appetendo: & ideo in rationali potentia est punitus per ignorantiam. Peccavit in concupiscibili, appetendo cibum vetitum; & ideo in concupiscibili est punitus per casum in malitiam, quæ dicitur pronitas ad malum. Peccavit in irascibili, appetendo indebitam potestatem: & ideo in irascibili est punitus, cadendo in infirmitatem. Ex tribus autem prædictis, concupiscentia est conflata. Hæc autem quadruplex pœna, vulnerans animam, per originale peccatum ad posteros est transmissa.

SECTIO II.

De spoliatione gratuitorum.

SEquitur videre de spoliatione gratuitorum, qua punitur anima propter peccatum. Est autem spoliatio gratuitorum, subtractio gratiæ gratum facientis, mortificatio meriti præcedentis, frustratio sanguinis redimentis, iniuria angeli promoventis, inimicitia Domini præsidentis, deformatio divinæ imaginis, honoratio dæmonis, servitus peccati, reatus æterni supplicii, debilitatio liberi arbitrii, elongatio superni beneficii, & provocatio omnis creaturæ Dei in ultionem inimicorum creatoris sui.

Et quia, teste August. numquam est dedecus culpæ, sine decore iustitiæ, nec est culpa commissa, sine pœna permixta: ideo nota, quod quædam sunt sic peccata, quod etiam sunt pœna peccati. Speciali A modo sunt illa peccata, & pœna peccati, quæ habeat adiunctam mœstitiam, & dolorem, sicut sunt, invidia, ira, gula, & accidia. Minus specialiter dicuntur illa peccata, & pœna peccati, quæ habent adiunctam meram depravationem naturæ, vel ignominiam, sicut sunt illa peccata, propter quæ dicitur homo, tradi in reprobum sensum. Generaliter vero peccata, & pœna peccati dici possunt omnia peccata, quæ sunt inter primam apostasiam, & ultimam gehennæ pœnam. Dicit enim Beatus Gregorius, quod crimina criminibus vindicantur. Et peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur. Mox suo pondere ad aliud B trahit. Licet autem idem dicatur peccatum: & pœna peccati, nota tamen, quod omnis pœna inquantum pœna, iusta est, & a Deo est. Nulla autem culpa iusta est, nec a Deo est, sed tantum a liberæ voluntatis arbitrio. Pœna vero, quæ mere pœna est, a Deo est inflicta: quæ vero culpa est, vel ad culpam inclinans, est contracta, vel acta. Et sic collige breviter, quod triplex est pœna, scilicet acta, inflicta, & contracta. Acta est, quæ sequitur ad peccatum actuale: nam qui culpam mortalem committit, pœnam damni facit sibi, quia gratiam Dei perdit. Pœna inflicta est, quam Deus non statuendo, sed iudicando, vel vindicando peccatori infligit. Pœ-C na contracta est, quæ sequitur ad peccatum originale.

Idem sup. p. Brevi. c. 10 — *Rom. 1* — *Greg. l. 25 Mor. c. 9* — *Pœna triplex.*

SECTIO III.

De pœnis corporalibus.

SEquitur videre de pœnis quantum ad corpus, quas homines propter peccata patiuntur. Patiuntur autem homines propter culpam pœnas naturales: de quibus dicit B. Gregorius, quod septem sunt sagittæ, naturam hominum molestantes, scilicet frigus, calor, fames, sitis labor, morbus, mors. Hæ sunt pœnæ naturales, & generales, quæ de primis parentibus ad posteros sunt transmissæ, & in ipsis progenitori-

Idem sup. 3. part. Brevil. c. 4. bus inchoatæ. Nam primi parentes, A statim post culpam senserunt pœnam rebellionis, & erubescentiæ in carne: & post divino iudicio vir incurrit pœnam laboris, & angustiæ, pœnam famis, & indigentiæ, pœnam mortis, & incinerationis. Mulieri autem duplicata est pœna: quia inflicta est ei pœnalitas multiplicium ærumnarum in conceptu, pœna doloris in partu, pœna subiectionis ad virum in convictu: Patiuntur etiam pœnas personales complures: plurimi enim filiorum Adam patiuntur in membris diminutionem, quidam superfluitatem, quidam intrinsecam corruptionem, quidam extrinsecam deformitatem, quidam sunt paralytici, quidam epileptici: & alii sunt diversis infirmitatibus, & ægritudinibus, & specialibus morbis oppressi: alii leprosi, alii a dæmonibus obsessi. Patiuntur quoque pœnas temporales: nam teste Orosio ab Adam usque ad nos sunt sæcula transacta, nunc bellis gravia, nunc morbis corrupta, nunc fame tristia, nunc terrarum motibus terribilia, nunc inundationibus aquarum insolita, nunc eruptionibus ignium metuenda, nunc ictibus fulminum, plagisque grandinum sæva, nunc parricidiis, flagitiisque misera. *Oros. hist. l. 1 in praef. Ad Aug.*

SECTIO IV.

De locis pœnalibus.

SEquitur videre de pœna, qua punitur quis post hanc vitam. Ad cujus rei notitiam, sunt quatuor attendenda, scilicet, distinctio locorum, apertio librorum, conflagratio ignium mundanorum, & triplicatio cruciatuum inflictorum.

Triplex locus, in quo puniuntur peccata post hanc vitam. Triplex autem locus est, sive receptaculum, post hanc vitam ad peccata hominum punienda, secundum triplex genus peccati. Est enim locus purgatorius, & hic debetur peccato veniali: est limbus, & hic debetur peccato originali: est infernus, & hic debetur peccato mortali: Et creduntur esse sub terra gradatim posita ista loca, quæ aliter distingui possunt, secundum differentiam quadrimembrem. Pœnalis enim locus dicitur alicui deputatus, aut secundum pœnam damni, & sic est limbus: aut secundum pœnam sensus, & sic est infernus. Utrumque autem membrorum in duo dividitur: nam qui pœna damni puniuntur, aut simpliciter, & æternaliter puniuntur, & hi sunt in inferiori parte loci illius, qui dicitur limbus: aut puniuntur non æternaliter, sed ad tempus: & hi erant in superiori parte eiusdem loci, qui dicebatur Abrahæ sinus. Similiter qui pœna puniuntur, aut simpliciter, & æternaliter puniuntur, & isti sunt in inferno proprie B dicto: aut ad tempus puniuntur, & isti sunt in purgatorio.

Purgatorius locus ubi situs. Determinatur autem locus purgatorius secundum legem communem, & sic credendum, est esse inferius, non superius, sicut creditur de limbo. Determinatur etiam secundum dispositionem divinam, & sic diversis diversa concessa sunt loca: vel propter eorum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare: vel propter nostram instructionem, ut cogitemus post hanc vitam quam magnum restare peccantibus cruciatum: vel propter alicujus sancti impetrationem, sicut legitur, sanctus Patricius cuidam in quodam loco purgationem a Deo C impetrasse. *Idem sup. pa. 7 Brevil. c. 6*

Locus vero infernalis absque dubio, est sub terra, deorsum, in quo omnes reprobi æternaliter affligentur, tam homines, quam spiritus mali, sub eodem igne materiali, qui semper affliget damnatos, nec consumet, secundum exigentiam meritorum excrucians omnes sensus. Nec solus ignis reprobos inflammabit, sed & cætera elementa confusa, & permixta, in reprobos convertentur: ita quod erit ibi ignis ardens, aqua congelans, aer inquietus, & perturbatus, & terræ fœtor. Unde Gregorius: In inferno erit frigus importabile, ignis inextinguibilis, fœtor intollerabilis.

SE-

SECTIO V.

De apertione librorum.

Hec sup. p. 7. Breviloq. c. 1. SEquitur videre, de apertione librorum, id est, conscientiarum, quæ fiet in iudicio. De qua apertione tenendum est, quod in iudicio singulis aderit vis divina; qua fiet, ut omnia merita, vel demerita sibi ipsis, & aliis innotescant. Sibi ipsis autem innotescent propria, ut in promptu habeant singuli cogitationes accusantes, vel etiam defendentes. *Rom. 2.* Reducentur etiam ad memoriam singulorum cogitationes, affectiones, & operationes, & intentiones, ad ostensionem divinæ iustitiæ secundum statum illum, & ad ostensionem divinæ misericordiæ, secundum statum transactum, vel præteritum. Ad ostensionem divinæ iustitiæ retribuendo singulis, ad memoriam reducentur bona, vel mala, in quibus finaliter permanserunt: quia illa sola digna sunt retributione æterna. Ad ostensionem divinæ misericordiæ, de præterito rememorabuntur mala bonorum, a quibus sunt misericorditer liberati: bona malorum, quæ eis Dominus misericorditer operatus est. Non solum autem sub ipsis, verum etiam singulis, singulorum, singula innotescent gesta, & cogitata bona, & mala, & ex tunc nota erunt, & aperta omnibus. Et hoc ad certam liberationem meritorum, quæ scitur in omnium actuum bonorum, & malorum recognitione, ita ut singuli de singulis meritis aliorum valeant iudicare. Ostensio quippe malorum in bonis, erit ad manifestationem divinæ misericordiæ, prius sibi factæ. Ostensio bonorum in eisdem, erit ad manifestationem iustitiæ, qua digne a Deo præmiantur. Ostensio autem bonorum in malis, erit ad manifestationem divinæ misericordiæ, in hoc sæculo sibi factæ. Ostensio vero malorum in eis, erit ad manifestationem iustitiæ, qua digne a Deo condemnantur.

A Aperietur nihilominus alius liber qui est liber vitæ, Verbum scilicet incarnatum, cuius virtute omnia ista fient, qui in forma Deitatis non videbitur nisi a bonis. In forma humanitatis, in qua sententiam promulgabit, videbitur tam a malis, quam a bonis, licet in eadem forma appareat terribilis reprobis, blandus iustis.

SECTIO VI.

De igne conflagrationis.

DE igne conflagrationis iam modo est agendum. *Idem sup. p. 7. Breviloq. c. 4.* B De hoc breviter est tenendum, quod ignis præcedet faciem Judicis, quo terræ facies exuretur: ita quod figura huius mundi ignium conflagratione peribit, sicut factum est aquarum inundatione diluvium. Sicut enim prius *Gen. 7.* mundus deletus est per aquam, quæ est frigida, & purgativa, contra ardorem, & fætorem luxuriæ, qua illud sæculum inficiebatur: sic finalis mundus per ignem, qui calidus est, & consumptivus finiri debet, contra teporem charitatis, & algorem, sive frigus avaritiæ, quæ maxime regnabit in sæculi senectute. E quia tunc hominis iniquitas punietur, necesse erit, terreri corda C omnium peccatorum, qui universorum Dominum contempserunt. Et quia habitaculum debet conformari suo habitatori, tunc totus mundus perturbabitur, homine perturbato, sicut stetit cum ipso stante, & quodammodo cecidit cum labente. Quia etiam tunc iudicis severitas ostenditur, cum divinum zelum accipiet omnis creatura, ut suo conformetur auctori: & ideo necesse erit totius orbis cardines commoveri. Et quia nihil est intensius, & velocius, & horribilius in agendo, & commovendo cætera elementa, quam ignis ex omni parte concurrens: hinc est, quod ipsius iudicis faciem præcedet ignis, non ex utraque parte tantum, sed ex omni parte mundi: ita quod ibi erit concursus ignis ele-

elementaris, terrestris, purgatorii, & infernalis. Et tunc per infernalem reprobi adurentur: per purgatorium, iusti purgabuntur: per terrestrem, terræ nascentia consumentur, ut pote vegetabilia, & animalia: per elementarem omnia subtiliabuntur, & ad innovationis faciem disponentur: & etiam cum hoc non solum homines, sed etiam dæmones turbabuntur, & tandem homines reprobi, & spiritus mali cum infernali igne in baratrum intrudentur.

SECTIO VII.

De cruciatibus inferorum.

Hæc sup. p. 7. Brevil. c. 6. Damnatorum pœna triplex.

SEquitur videre iam septimo, de tribulatione cruciatuum inferorum. Ad cuius rei notitiam est tenendum, quod omnes actualiter peccantes, & in peccatis finaliter perdurantes, pœna triplici apud inferos punientur, secundum quod multimoda deordinatio est in mortali, & actuali peccato, in omni quippe mortali peccato est deordinata aversio a summa luce, & bonitate: & huic debetur carentia visionis Dei. Est etiam deordinata conversio ad bonum commutabile, & huic debetur pœna materialis incendii: Est etiam tertio deordinatio voluntatis liberæ, contra dictamen rectæ rationis: & huic debetur vermis intrinsecus. Punientur etiam pœna æterna, secundum quod deordinatio in mortali peccato est perpetua. Peccatum enim, quod quis committit, & de quo nunquam pœnitet, perpetuo in anima perdurat, & a vita perpetua, scilicet Deo, perpetuo separat, & a voluntate procedit, quæ vellet in peccato perpetuo delectari: Et licet illa delectatio transiens, sit momentanea, deordinatio tamen tenet rationem perpetuitatis: ideo pœna deordinationi respondens, debet habere carentiam finis, ut sicut homo in suo perpetuo non apposuit finem a peccato recedendo: sic Deus in suo perpetuo non desistat a puniendo. Et sicut contra infinitum peccavit, sic pœnam habeat infinitam. Et quia infinitam pœnam non A potest habere intensione, saltem infinitam pœnam habeat duratione. Et sicut voluntas post mortem, malo adhæret sine susceptione pœnitentiæ: sic Deus semper affligat sine sententiæ mutatione. Punientur nihilominus pœna acerba, secundum quod deordinatio in peccato fuit libidinosa. Delectatio enim libidinosa puniri debet per pœnam afflictivam. Et quia peccatores delectabiliter creaturæ adhæserunt, & creatorem contumaciter contempserunt: ideo præcipitabuntur in locum infimum, & maxime a statu gloriæ longinquum, scilicet in profundissimum infernum: ubi exponentur affligendi infimæ naturæ, B scilicet fæcibus corporum mundanorum, igne fumoso, & sulphureo concremandi, in illo igne inseparabiliter alligandi, & ab eodem, secundum exigentiam meriti æternaliter cruciandi, nunquam tamen substantialiter consumendi. Et sic patet, quod in pœnis damnatorum erit varietas: & cum varietate æternitas: & cum æternitate acerbitas.

CENTILOQUII.

TERTIA PARS.

Quæ habet 57. Sectiones,

SECTIO I.

De eo, quod est frui, & uti.

C DIcto de malo culpæ, quod est fugiendum & de malo pœnæ, quod est pertimescendum, videndum est de bono, & hoc dupliciter. Primo sub ratione meriti in viatoribus: secundo, sub ratione præmii in comprehensoribus. Ad meritum viatorum spectat, cognoscere, & discernere triplex bonum, scilicet bonum increatum, quod est Deus: procreatum, quod est mundus: coniugatum, quod est Christus: Deus est creator: mundus creatura: Christus creator, & creatura. a Deo est fruendum, mundo est utendum. Chri-

Bonum triplex.

a Aug. l. 1. de Doctr. Christ. c. 3.

som. 3. ex quo Mag. 1. Sen. d. 1. §. Idem ergo. Christi Dei felicitate est fruendum, Christi hominis conformatione est utendum. Sunt ergo res, quibus est fruendum, ut increatæ: sunt quibus est utendum, ut procreatæ: sunt quæ fruuntur, & utuntur, ut Angeli, & homines. Res, quibus est fruendum, faciunt nos beatos: res, quibus est utendum ad beatitudinem, adiuvant viatores: res quæ fruuntur, & utuntur, habent Christum Deum, & hominem, ut contemplentur delectabiliter eius divinitatem, & imitentur exemplariter eius humanitatem. Deitas Christi maxime beatificat Angelos, & sanctos etiam comprehensores: humanitas vero eius maxime lætificat, & ædificat homines adhuc viatores. b Est autem frui, alicui rei amore inhærere, propter seipsam. Uti vero, est id, quod in usum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum est. c Item fruimur cognitis, in quibus ipsa voluntas delectata conquiescit. Utimur vero eis, quæ ad illud referrimus, quo fruendum est. Item aliter accipit hæc duo Aug. dicens: d Uti, est assumere aliquid in facultatem voluntatis. Frui, est uti cum gaudio, non adhuc spei, sed iam rei. Videndum est ergo per ordinem de his tribus. Et primo, de Deo trino, & uno: secundo, de mundo ex creatura triplici constituto: tertio, de Christo, & triplici eius beneficio, scilicet doctrina, vel Scriptura sacra, gratia virtutum, & medicina Sacramentali.

b Idem ibi c. 4. ex quo Mag. ibid.

c Id. in lib. 18 de Trin. c. 10. to. 3. ex quo Mag. ibid.

d Ib. c. 11. ex quo Mag. ibid. §. Notand.

SECTIO II.

Quid de Deo Trino, & Uno, credendum est, & intelligendum, & exprimendum.

DE Deo Trino, & Uno, secundum fidem rectam, habemus credere, intelligere, & exprimere. Credere de pluralitate personarum in unitate naturæ, hoc est, quod in divinis est una natura, & tres personæ, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: quarum prima a nulla est: secunda a prima sola est per æternam generationem: tertia a prima, & secunda est, per communem spirationem: ita quod personarum Trinitas non præiudicat unitati, nec essentiæ unitas præiudicat Trinitati. Habemus quoque intelligere, quod in divinis sunt duæ emanationes: una per modum naturæ, qua generatur Filius: alia per modum voluntatis, qua spiratur, & procedit Spiritus sanctus. Tres hypostases, una Patris, una Filii, una Spiritus sancti. Quatuor relationes, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio. Quinque notiones, scilicet quatuor prædictæ relationes, & innascibilitas est quinta, ita quod innascibilitas privative, & paternitas positive, sunt duæ patris notiones. Filiatio est notio filii: spiratio activa est communis notio Patris, & Filii: processio est notio Spiritus sancti. Tres sunt etiam proprietates personales, quæ his vocabulis exprimuntur, scilicet Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Habemus tertium mysterium divinitatis beatæ exprimere, secundum duos modos prædicandi, scilicet per modum substantiæ, & per modum relationis. Omnia enim prædicamenta dicta de Deo, transeunt in substantiam, excepta relatione quia ratione subiecti, in quo est, transit in substantiam, ne faciat compositionem: ratione vero termini, ad quem est, manet, ut faciat distinctionem, secundum tres modos supponendi, scilicet secundum modum substantiæ, notionis, & personæ, de quibus datur talis regula. Quod supposita essentia non supponitur notio, vel persona, & supposita notione, non supponitur persona, vel essentia: & supposita persona, non supponitur notio, vel essentia, secundum quatuor modos significandi substantiam, scilicet nomine essentiæ, substantiæ, hypostasis, & personæ. Horum quatuor exempla in creaturis sunt, humanitas, quæ essentiam: homo qui substantiam: aliquis homo, qui significat hypostasim, sive suppositum: Petrus qui dicit personam, secundum quinque modos dicendi, sive quærendi, per quis, qui, quæ, quod, & quid. Quis, ratione substantiæ: qui, ratione hypostasis: quæ, ratio-

Sup. par. 1. Breviil. c. 2.

Ubi supra c. 3. & 4.

Duo modi prædicandi in divinis.

ratione notionis: quod ratione substantiæ: quid, ratione essentiæ. Secundum tres modos differendi, scilicet secundum differentem modum existendi, sive emanandi, sicut differt persona, a persona. Secundum modum differentem se habendi: sicut differt persona, & essentia, quia persona una refertur ad aliam, sed essentia non refertur. Secundum modum intelligendi, sicut differt una proprietas substantialis ab alia, ut bonitas, & sapientia.

SECTIO III.

Qualiter Deus Trinus, & Unus, manifestat se in effectibus creaturæ.

Hæc supr. p. Brevil. c. 5.

DE Deo Trino, & Uno secundum fidem catholicam est tenendum, quod licet sit incommutabilis, insensibilis, incircumscriptibilis, reddit tamen se per creaturas diversas, id est, per effectus multiplices manifestum: ita quod in creaturis omnibus dicitur: Deus esse, quantum ad naturam, & hoc tripliciter, scilicet per essentiam, præsentiam, & potentiam: ita quod extra immensitatem divinæ essentiæ nihil manet: propter limpiditatem divinæ præsentiæ nihil latet: contra infinitatem divinæ potentiæ nihil valet: & sic esse competit beatissimæ Trinitati. Dicitur habitare in iustis, quantum ad gratiam, quæ est effectus beatissimæ Trinitatis, ad Deum reducens, & faciens nos habere Deum, & Deum haberi a nobis, ac per hoc Deus Trinitas in nobis dicitur habitare. Dicitur sedere in beatis, quantum ad gloriam, ratione cuius Deus trinus in beatorum mentibus quietatur, in quorum potestativa sedet, ut æquitas: in cognitiva lucet, ut veritas: in affectiva ardet, ut charitas. Dicitur apparere sensibiliter cum expressa significatione. Sicut Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit super Christum: & in linguis igneis super Apostolos. Et quia personæ distinctæ sunt, distinctis possunt signari signis, ita quod tres simul personæ: sicut Abraham in tribus Angelis dicitur apparuisse Trinitas personarum: possunt etiam duæ apparere, & quælibet sigillatim dicitur descendere de cœlis: & hoc cum effectus tam spiritualis, quam sensibilis inchoatione: qui quamvis in se immutabilis perseveret, tamen de absente, dicitur fieri nobis præsens, quando in nobis incipit habitare per donum gratuitum, quod non videmus, sicut accidebat frequenter in Ecclesia primitiva. Dicitur mittere sive mitti cum æterna productione. Pater siquidem mittit Filium, quando insinuat, quod procedit ab ipso per æternam generationem. Pater, & Filius mittunt Spiritum sanctum, cum insinuant, quod procedit ab ambobus per communem spirationem. Pater non mittitur, quia a nullo procedit. Spiritus sanctus non mittit personam, sed mittitur, quia non producit, sed producitur. Filius vero mittitur, & mittit: quia producitur, & producit. Dicitur incarnari, per commercium divinæ naturæ, & humanæ in personæ unione: quæ unio facta est tantum in persona Filii, quam tamen est tota Trinitas operata.

Deus in quibus habitet, sedeat, & appareat. — *Matth. 3. & Jo. 1. Act. 2.* — *Gen. 18.* — *Mitti, & mittere quid.*

A — B

SECTIO IV.

De appropriatis Patri.

Hæc sup. p. 1. Brevil. c. 6.

C DE Deo Trino, & Uno, secundum fidem Catholicam, est tenendum, quod licet omnia essentialia tribus personis æqualiter, & indifferenter conveniant: tamen Patri dicitur appropriari unitas, æternitas, ratio principiandi, & omnipotentia. Hæc autem quatuor dicuntur appropriari Patri, non quia fiant propria, cum omnibus personis sint communia: sed quia dicuntur in cognitione personæ patris, quæ est origo personarum in Trinitate, non habens principium, sed principians, a qua etiam fluit omne posse. Est autem Dei potentia completa, non posse deficere, cum non sit de nihilo: non potens succumbere, cum non sit de aliquo: non potens indigere, cum numquam careat

Ubi sup. c. 7

reat aliquo bono. Potentia vero hominis in peccando deficit: in patiendo succumbit: in corporalibus actionibus indigentiam includit. Est igitur Deus omnipotens, ita tamen, quod ei non attribuuntur actus culpabiles: ut posse mentiri, & malum facere: nec actus pœnales, ut posse metuere, & dolere: nec actus materiales, sive corporales, ut possit currere, & ambulare. Est etiam Dei potentia ordinata, ita quod ei non attribuuntur actus inconvenientes, ut posse facere maiorem se, vel alium Deum æqualem sibi: vel creaturam infinitam actu. Quia sicut dicit Anselmus, quodlibet inconveniens, etiam minimum, est impossibile apud Deum.

B

SECTIO V.

De appropriatis Filio.

Ubi supr. c. 6. Filio appropriatur veritas, species, ratio exemplandi, & omnis scientia. Hæc autem quatuor, dicuntur appropriari Filio, non quia fiant propria, cum tribus personis sint communia: sed quia dicunt in cognitionem Filii personæ, quæ est a Patre, ut Verbum, quod est Patri æquale, & ideo summe pulchrum, in quo omnia prævisa, & disposita exemplantur, a quo tamquam primo, & summo exemplari fluit omne scire. Cognoscit autem Dei sapientia limpide omnia bona, & mala, & præterita, præsentia, & futura, actualia, & possibilia, incomprehensibilia a nobis, & infinita. Ita tamen quod in se nullo modo diversificatur, licet diversa vocabula sortiatur. Nam inquantum ipsa sapientia Dei est cognoscitiva omnium possibilium, dicitur scientia, sive cognitio. Inquantum est cognoscitiva omnium, quæ fiunt in universo, dicitur visio. Inquantum est cognoscitiva omnium, quæ bene fiunt, dicitur approbatio. Inquantum est cognoscitiva omnium, quæ futura sunt, dicitur præscientia, sive prævisio. Inquantum est cognoscitiva eorum, quæ ab ipso Deo fienda sunt, dicitur dispositio. Inquantum eorum,

Ubi sup. c. 8.

Dei sapientia diversimode appellatur.

C

A quæ præmianda sunt, dicitur prædestinatio. Inquantum eorum, quæ damnanda sunt, dicitur reprobatio. Possunt autem ad tria reduci vocabula ista septem, scilicet ad notitiam simplicis cognitionis, qua cognoscit Deus bona, & mala quæ sunt, fuerunt, & futura sunt, & quæ possunt esse, & numquam erunt. Ad notitiam visionis, qua cognoscit Deus omnia bona, & mala, quæ sunt, fuerunt, & futura sunt. Ad notitiam approbationis, qua cognoscit Deus, quæ sunt, fuerunt, & futura sunt tantum bona.

SECTIO VI.

De appropriatis Spiritui sancto.

Spiritui sancto appropriatur bonitas, usus, ratio finiendi, & voluntas, sive benevolentia. Hæc autem quatuor appropriantur Spiritui sancto, non quia fiant propria, cum tribus personis sint communia: sed quia ducunt in cognitionem personæ Spiritus sancti, quæ est a Patre, & Filio, ut amor, & donum summe proficuum & communicativum, omnis nostri desiderii finitivum, ad quod bonum, tamquam ad finem summum, tendit omne velle rationabiliter ordinatum, & inclinatum. Est autem voluntas Dei sic recta quod nullo modo potest obliquari: sic efficax, quod nullo modo potest retardari: sic unica, quod tamen quinque signis habet significari: quæ hoc versiculo continentur: *Ubi sup. c. 6.*

Voluntas Dei. Ubi sup. c. 9.

Imperat, & prohibet, permittit, consulit, implet.

Dicitur autem voluntas Dei ratione regulata, providentia: qua omnia, quæ in universo fiunt, irreprehensibiliter gubernantur, cum nihil præcipiat, prohibeat, & consulat, nisi recte: nihil agat, nisi bene: nihil permittat fieri, nisi iuste. Cum autem voluntas Dei sit rectissima, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei: & nemo potest ei conformari, nisi sibi signis aliquibus innotescat, tamquam regula rectitudinis prosequendæ. Est autem duplex rectitudo, quædam necessitatis, quæ

Rectitudo duplex.

quæ consistit in faciendo bonum, ad quod est præceptum: & in declinando malum, propter quod est prohibitio: quædam est perfectionis in supererogando ultra debitum, ad quod est consilium. Est etiam voluntas Dei efficacissima, ita quod nullus potest aliquid efficere nisi ipsa coefficiente, & sic est impletio in signum voluntatis. Item nullus potest deficere, vel peccare, nisi ipsa iuste, & merito deserente, & sic est permissio, ut signum voluntatis divinæ iustitiæ deserentis.

SECTIO VII.

De quatuor simul creatis, & de mensuris durabilium.

POstquam vidimus de bono increato, quod est Deus, videndum est de bono creato, quod est mundus, Circa productionem autem mundialis machinæ, habemus primo explicare creaturæ summitatem. Et sic dicit Beda: quod quatuor fuerunt primo creata, quæ dicuntur esse coæva, vel fuisse, scilicet natura Angelica, cœlum empyreum, materia quatuor elementorum, & tempus. Quorum sufficientia sic accipitur: Primo debuerunt creari aliqua prima in quolibet genere creaturæ, scilicet respectu creaturarum spiritualium, & corporalium activarum, & corporalium passivarum, & etiam respectu mensurarum. Respectu creaturarum spiritualium primo creata est natura Angelica: respectu creaturarum corporalium activarum, est primo creatum cœlum empyreum, de quo dicit Damascenus, quod est continentia omnium corporalium, & spiritualium creaturarum: respectu creaturarum corporalium passivarum, primo creata est materia quatuor elementorum: respectu mensurarum primo creatum est tempus, quod generaliter accipitur, pro mensura cuiuslibet durationis habentis initium, sive finem habeat, sive non.

Damasc. l. 2. Orth. fid. c. 6.

Tres durationis mensuræ.

Ad cuius rei notitiam sciendum, quod tres sunt mensurabilium, sive durabilium mensuræ principales, scilicet æternitas, æviternitas, & tempus proprie dictum. Æternitas est divinarum personarum duratio, quæ non habet principium, neque finem: de qua dicit Boetius: quod est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Æviternitas est mensura eorum, quæ habent principium, sed non finem, sicut sunt Angeli, animæ cœlestis naturæ, & materia quatuor elementorum. Hæc mensura aliquando dicitur ævum, aliquando æternitas creata. Sed quia æternitas proprie dicitur de divinis, ævum vero aliquando pro tempore invenitur: ideo ex his duobus æviternitas nominatur. Tempus autem proprie dictum est mensura eorum, quæ habent principium atque finem, sicut sunt generabilia, atque corruptibilia, quæ secundum motum primi mobilis variantur, usque ad completionem numeri quatuor elementorum. Quarta vero differentia non potest esse, quæ careat principio, habens finem.

Boet. de cons. phil. l. 5. prosa 6.

SECTIO VIII.

De veritate exprimenda, cum exclusione erroris, circa productionem mundi.

SEcundo habemus errorem extinguere, & exprimere veritatem. Propter quod tenendum est, quod universitas machinæ mundialis est producta in esse ex tempore, in quo excluditur error ponentium mundum æternum. Ex nihilo, in quo excluditur error ponentium æternitatem circa materiale principium. Ab uno principio, in quo excluditur error Manichæorum, ponentium pluralitatem principiorum. Solo, & summo, in quo excluditur error ponentium Deum produxisse inferiores creaturas per ministerium intelligentiarum. In certo pondere, numero, & mensura: in quo ostenditur, quod creatura est effectus Trinitatis creantis sub triplici genere causalitatis, scilicet efficientis, ratione cuius est in creatura unitas, modus, & mensura:

Hæc sup. p. 2. Brevil. c. 1.

Aug. libr. de hæres. ad Quod vult. hær. 46. to. 6.

Plato in Timæo.

Sap. 11.

sura: exemplaris, ratione cuius est in creatura veritas, species, & numerus: finalis, ratione cuius in creatura est bonitas, ordo, & pondus. Omnis quippe creatura constituitur in esse, ab efficientiæ: formatur ad exemplar: ordinatur ad finem: ac per hoc est una, vera, & bona: modificata speciosa, & ordinata: mensurata, discreta, & ponderata. Aliis etiam vocabulis prædictus ternarius nominatur. Ab Augustino in libro de anima, & spiritu, dicitur essentia, species, & usus. A Dionysio: Harmonia, species, & commensuratio. Item ab eodem: Substantia, virtus, & operatio. Ex una ergo parte cadunt unitas, modus, essentia, substantia, mensura, & commensuratio. Ex una, veritas, numerus, species, virtus, & harmonia. Ex una bonitas, ordo, usus, pondus, & operatio. De primo autem ternario nota, quod unum nominat ens commutabile connumerabile, & hoc propter indivisionem sui in se: verum nominat ens cognoscibile, & hoc patet per indivisionem sui, a propria specie: bonum nominat ens communicabile, & hoc habet per indivisionem sui a propria operatione.

SECTIO IX.

De triplici differentia creaturæ.

Creatura triplex.

TErtio circa productionem mundi habemus attendere creaturæ triformitatem. Produxit enim Deus Trinus, & Unus differentiam triplicem creaturæ. Nam produxit creaturam pure corporalem, ut est mundialis machina: creaturam pure spiritualem, ut est natura Angelica: creaturam ex utraque compositam, ut est natura humana. Sic enim decuit Deum producere varia & diversa, ut multiplicitas creaturæ faceret perfectionem universi: quæ consistit in amplitudine ambitus, in sufficientia ordinis, & influentia bonitatis: ex quibus etiam divina potentia, sapientia, & bonitas innotescit.

Potentia, Sapientia, & bonitas Dei in creatione.

Decuit namque Deum sic res producere, ut essent ad manifestationem suæ potentiæ: quæ quidem apparuit, in productione creaturarum summe distantium, & earumdem coniunctione: ut patet in natura humana, in qua corporeum, & incorporeum uniuntur. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suæ sapientiæ: quæ maxime ex perfectione ordinis declaratur: qui quidem ordo necessario tria requirit, scilicet infimum, medium, & supremum. Infimum fuit natura corporalis: supremum natura spiritualis: medium, natura composita ex utraque. Item decuit Deum sic res producere, ut essent in manifestationem suæ bonitatis, & benevolentiæ: quæ maxime consistit in diffusione, & communicatione in alterum. Sic ergo divina bonitas communicavit actum nobilissimum, qui est vivere, & intelligere, ut non tantum daret alii potentiam vivendi, & intelligendi, sed etiam potentiam se communicandi alii: quod factum est in homine, in quo spiritualis vita, & intellectiva facit corporalem.

SECTIO X.

De productione machinæ mundialis.

DE his tribus differentiis videndum est per ordinem, & primo de natura pure corporali, cuiusmodi est machina mundialis, quæ sex diebus fuit in esse producta: ita quod in principio ante omnem diem creavit Deus cœlum, & terram. Primo vero die formata est lux: secunda, factum est firmamentum in medio aquarum: tertia die separatæ sunt aquæ a terra, & congregatæ in unum locum: quarta die ornatum est cœlum luminaribus: quinta die aer, & aqua ornati sunt piscibus, & avibus: sexta die, ornata est terra animalibus, & hominibus: septima die requievit Deus a novarum specierum productione: quoniam omnia fecerat, vel in simili, sicut illa, quæ propagantur: vel in ratione seminali, sicut illa, quæ aliis modis introducuntur in esse.

Sup. p. 2. Brevil. c. 2.

Gen. 1.

Et

Operatio Dei triplex in producendo mundo.

Et sic colligitur ex prædictis quod triplex fuit operatio divina, in mundi machina producenda, scilicet creatio distinctio, & adornatio. Prima operatio appropriatur Patri: secunda Filio: tertia Spiritui sancto. Creatio fuit ex nihilo: ideo fuit in principio ante omnem diem: tamquam rerum omnium, & temporum fundamentum. Distinctio vero corporum mundanorum fuit modo triplici: ideo per triduum fuit facta. Itaque prima die, fuit facta distinctio naturæ luminosæ a perspicua, & opaca, cum lux a tenebris est distincta; Secunda die est facta distinctio naturæ perspicuæ a perspicua, cum aquæ inferiores a superioribus sunt divisæ. Tertia die facta est distinctio naturæ perspicuæ ab opaca, cum divisæ sunt aquæ a terra. Ornatus autem, qui distinctioni corporum correspondet, est etiam in triduo consummatus. Ita quod ornatus naturæ luminosæ est factus quarta die, in formatione stellarum, & solis, & lunæ. Ornatus naturæ perspicuæ factus est quinta die, in qua facti sunt pisces, & eves, in aquæ, & aeris ornamentum. Sexta die est factus ornatus naturæ opacæ, quando factæ sunt bestiæ de terra, facta sunt reptibilia, facta est humana natura, ad consummationem omnium prædictorum.

SECTIO XI.

De consistentia machinæ corporalis.

Sup. Ibid. c. 2.

CONsistit autem tota natura corporea, maxime in duobus, scilicet, in natura elementari, & cœlesti. Cœlestis distinguitur in tres cœlos principales, scilicet, empyreum, cristallinum, & firmamentum. In firmamento autem, quod ad cœlum, continentur septem orbes septem planetarum, qui sunt, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Natura vero Elementaris distinguitur in quatuor phæras, scilicet Ignis, Aeris, Aquæ, & Terræ. Et sic procedendo a summo cœli cardine, usque ad centrum terræ, occurrunt nobis de-

Natura cœlestis triplex.

Natura elementaris quadruplex.

A cem orbes cœlestes, & quatuor sphæræ elementares: ex quibus tota mundi sensibilis machina integratur. Ita quod cœlestia influunt in terrestria, & elementaria, quantum ad distinctivam significationem temporum, dierum, mensium, & annorum, dicente Scriptura: Sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Influunt etiam quantum ad effectivam productionem rerum generabilium, & corruptibilium, & corporum humanorum. Sic tamen sunt in signa temporum, rerum, & operationum per lucem, calorem, motum, & virtutem, ut non sint certa signa contingentium futurorum, nec influant super liberum arbitrium per vim con- B stellationum, quam dixerunt aliqui fatum esse. Et sic colligitur ex prædictis, quod Deus ordinate res condidit, quantum ad tempus ordinate disposuit, quantum ad situm, ordinate gubernat, quantum ad influentiam. In scriptura sacra ordinate narrat, quantum ad doctrinæ sacræ sufficientiam, quæ in principio sui insinuat naturam luminosam, nomine cœli: naturam opacam, nomine terræ: naturam perspicuam, nomine aquæ. Insinuat & beatissimam Trinitatem, Patrem, in nomine Dei creantis: Filium, in nomine principii: Spiritum sanctum, in nomine spiritus Dei. Insinuat etiam nobis appropriata trium personarum scili- C cet omnipotentiam Patris, in producendo: omniscientiam Filii; in distinguendo: benevolentiam Spiritus sancti, in influendo.

Sup. ibid. c. 4.

Gen. 1.

SECTIO XII.

De sufficientia cœlorum.

DE natura cœlesti specialiter est videndum. Cœlum quidem secundum communem acceptionem, nominat naturam perspicuam contentivam. Secundum vero propriam acceptionem, nominat naturam perpicuam contentivam, nulli contrarietati subiectam. Secundum primam acceptionem, septem cœli a Rabano distinguetur, scilicet cœlum aereum, æthereum, olympum, igneum,

Cœlorum numerus diversimode computatur.

igneum, sidereum, aqueum, empyreum. Quorum sufficientia sic sumitur. Cœlum enim natura perspicua, & contentiva, aut est dativa luminis, aut receptiva. Si est dativa, aut est uniformis non mota, & sic est cœlum empyreum: aut multiformis, & mota, & sic est sidereum: aut uniformis, & mota, & sic est crystallinum: quarta differentia non habetur, scilicet multiformis, & non mota. Si autem natura perspicua est luminis receptiva, aut est receptiva separabiliter, aut inseparabiliter. Si inseparabiliter, aut secundum superioris superficiei circulum, & sic est olympum, quod monti appropinquat olympo: si vero separabiliter, aut secundum superiorem partem, & sic est æthereum: aut secundum inferiorem, & sic est aereum.

B Si autem dicatur cœlum natura perspicua contentiva nulli contraria, sic a quibusdam octo orbes distinguuntur, scilicet septem planetarum cum octava sphæra. A quibusdam amplius eruditis, novem. Ab aliis vero ulterius illustratis, decem. Horum autem sufficientia sic potest accipi. Distinctio enim cœlorum, aut per primam diversitatem formarum, aut est per dispositiones motuum, & luminarium contentorum. Si per diversitatem formarum, sic distinguuntur tres cœli: aut enim in cœlo viget natura perfectæ luminositatis, & sic est habile ad statum gloriæ, & quietum, sic est empyreum: aut viget in eo natura perfectæ perspicacitatis, & effectivæ frigiditatis, & sic est aqueum, sive crystallinum, quod facit ad conservationem rerum corruptibilium, ideo est habile ad motum: aut viget in eo natura perfectæ perspicuitatis simul, & luminositatis, & effectivæ caliditatis, & sic est sidereum, quod facit transmutationem inferiorum: ideo est multiforme habile ad motum. Si vero cœli penes contenta luminaria distinguuntur, sic est orbium distinctio attendenda: aut enim orbis continet siderum multitudinem, & sic cœlum sidereum, sive stellarum: aut continet unitatem, & sic septem planetæ septem orbibus sunt distincti, quibus regitur universitas temporum, dierum septenario dispensata.

SECTIO XIII.

De quatuor attributis Angelis, cum conditione sui.

De natura pure spirituali cuiusmodi est angelica, sex per ordinem sunt videnda, scilicet conditio angelorum omnium, prævaricatio malignorum dæmonum, confirmatio beatorum spirituum, diffinitio aliquorum nominum communium, non omnium, divisio hierarchiarum diversorum statuum, custoditio commissorum hominum. De conditione supernorum spirituum est tenendum, quod angelis a primordio suæ conditionis sunt quatuor attributa, scilicet simplicitas essentiæ: distinctio personalis propter rationem naturaliter insitam: memoria, intelligentia, & voluntas: & libertas arbitrii ad eligendum bonum, & respuendum malum. Hæc autem quatuor principalia attributa, alia quatuor comitantur scilicet virtuositas in operando, officiositas in ministrando, perspicacitas in cognoscendo, & immutabilitas in eligendo. Immutabilitas inquam, post electionem, sive in bono, sive in malo. Substantia quippe spiritualis, & incorporea, simplex, & omni carens divisione quantitatis, cuiusmodi est natura angelica, hoc ipso, quod est simplex, est virtuosa in operando: hoc ipso quod est virtuosa, & personaliter discreta, competit ei distinctio officii in ministrando: hoc ipso, quod est simplex, & virtuosa, competit ei perspicacitas in discernendo: hoc ipso, quod est perspicax, & simplex, & habens intellectum deiformem, habet post electionem stabilitatem in electo, sive bonum fuerit, sive malum. Sufficientia horum quatuor sic accipitur. Angelus potest considerari quadrupliciter, scilicet in se, & sic est essentiæ simplicitas, ad alterum angelum, & sic est distinctio personalis: ad Deum & sic est memoria intelligentia, & voluntas, in qui-

C

bus consistit ratio imaginis: ad ea, quæ eius regimini sunt subiecta, & sic est libertas liberi arbitrii.

SECTIO XIV.

De prævaricatione spirituum malignorum.

DE prævaricatione damnatorum spirituum esse tenendum, quod Lucifer primus inter angelos præsumens de bono privato, appetiit privatam excellentiam volens aliis superferri: ideo cum omnibus adhærentibus sibi, perdidit locum summum, scilicet cœlum empyreum, descendens in locum imum, scilicet caliginosum aerem, vel infernum. Cecidit autem in culpam per liberum arbitrium, lapsus vero in pœnam per divinum iudicium. Cadens autem factus est immutabilis per ruinam: ideo statim fuit obstinatus in malo, excæcatus a vero, deordinatus in operatione, infirmatus in virtute. Voluntas diaboli obstinata habet deformitatem, in qua est continuatio, naturæ variatio, decisio sive minoratio ratione primæ maculæ, a cuius adhæsione nullatenus separatur. Habet pronitatem, in qua est continuatio, quantum ad actum peccandi: tamen intervenit variatio quantum ad genus peccati. Ratio vero in diabolo est excæcata. Prædicit aliquando futura, quod dicit Augustinus fieri quatuor modis, scilicet sensus, vel ingenii acrimonia: longa temporum experientia: dolosa cautela, quia proponit aliquando facere, quæ prædicit: aliena doctrina, cum ab Angelis aliquid didicit, iusto Dei iudicio permittente.

Status, & voluntas diaboli post casum.

Aug. lib. de divin. demon. c. 3. & 8. to. 3. & ex lib. de spir. & anim. c. 28. ibid.

Ministerialis diaboli operatio est hominibus interdicta, tum propter peccatum infidelitatis, ne attribuatur diabolo, quod est Dei: tum propter peccatum idololatriæ, quia desiderat diabolus aliquid sibi immolari: tum propter peccatum inobedientiæ, quia voluntarium commercium cum diabolo præciso, tam a Deo, quam ab Ecclesia prohibetur. Virtus diaboli peccati merito coarctata, quando permittitur, vertitur ad miracula facienda, propter transmutationes repentinas circa corporeas creaturas. Possunt discerni diaboli miracula a miraculis Dei veris, quatuor modis, scilicet ex parte principalis agentis: nam in miraculis Dei operatur virtus potentiæ infinitæ, in miraculis diaboli virtus creaturæ. Ex parte ministri, quia miracula Dei fiunt per publicam iustitiam, scilicet per fidem iustificantem, quæ publice prædicatur, vel signa publicæ iustitiæ, ut in peccatoribus, qui per fidem aliquando sunt miracula operati: miracula diaboli fiunt per privatos contractus, & arcana quædam: quia sic inventores artis magicæ cum dæmonibus pepigerunt. Ex parte finis, quia miracula Dei fiunt ad hominum utilitatem & Dei gloriam: miracula dæmonum, & magorum ad deceptionem, & fraudem. Ex parte facti, quia miracula Dei sunt excellentia, ut suscitare mortuos, illuminare cæcos, & similia: miracula diaboli sunt vilia, ut facere muscas, busones, & serpentes.

Cur ministerium diaboli hominibus interdictum.

Discretio miraculorum.

SECTIO XV.

De confirmatione spirituum bonorum.

SEquitur videre de confirmatione spirituum beatorum, de quibus tenendum est, quod aliis apostatantibus, ipsi immobiliter Domino adhæserunt: Ita quod aliis per malitiam irrevocabiliter obstinatis, ipsi sunt per gratiam, & gloriam in voluntate perfecte confirmati. Simul enim tempore non natura, gratiam & gloriam conversionis, & adhæsionis ad Deum merito perceperunt: ratione cuius fuerunt quantum ad voluntatem stabiles, & felices. In ratione sunt perfecte illuminati, secundum cognitionem matutinam, & vespertinam. Lux quippe divina Angelum illuminans ad cognitionem Dei, Angelum facit lucem. Cognitio autem Dei in se dicitur dies: quia pure est lux tamquam cognitio, & ratio cognoscendi. Lux autem Angelica divinitus illustrata, habet cognoscere creaturam: quæ respectu Dei tenebra reputa-

putatur: ideo eius cognitio dicitur vespertina, prout cognoscitur in seipsa: Dicitur matutina, prout ex illa cognitione consurgit mens Angelica in laudem Dei, cognitionem illam referens ad cognitionem, quam habet in verbo, & virtute. In virtute sunt perfecte fortificati, sive in operando, sive in exequendo: & hoc sive assumpto corpore, sive etiam non assumpto corpore. In operatione sunt perfecte ordinati, sive contemplativa, sive administrativa. Duplex est enim vis Angelica, contemplativa, qua contemplantur Deum, & negotiativa, sive administrativa, qua negotiantur circa salutem hominum. Non possunt autem deordinari ascendendo ad contemplationem Dei, nec descendendo in administrando homini: quia quocumque mittuntur, semper currunt, & militant intra Deum.

Angelorum vis duplex.

SECTIO XVI.

De diffinitionibus Angeli, ordinis, & hierarchiæ.

SEquitur videre de diffinitionibus trium vocabulorum, quæ faciunt ad notitiam Angelorum, quæ sunt Angelus, ordo, hierarchia. Ex multis nempe Angelis ordo consurgit. Ex pluribus ordinibus saltem tribus constituitur Angelica hierarchia. Angelus diffinitur a Damasceno sic: Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, secundum gratiam, non naturam immortalitatem suscipiens. Ordo sic diffinitur a Gregorio. Est multitudo cœlestium spirituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur, sicut & in naturalium datorum munere conveniunt. Triplex autem invenitur diffinitio hierarchiæ, secundum quod triplex est differentia hierarchiæ, scilicet divina, Angelica, & Ecclesiastica. Divina sic diffinitur a Dionysio: Hierarchia est divina pulchritudo, ut simpla, ut optima, ut consummativa. Angelica sic diffinitur ab eodem: Hierarchia est ordo divinus, scientia, & actio, deiforme, quantum est possibile, est similans, & ad inditas ei divinitus illuminationes, proportionabiliter in Dei similitudinem ascendens. Ecclesiastica magistraliter sic diffinitur: Hierarchia est rerum sacrarum, & rationabilium ordinata potestas, debitum in subditis obtinens principatum. Hæc autem diffinitio potest etiam convenire Angelicæ hierarchiæ.

Damasc. orth. fid. lib. 2. c. 3. Et Mag. in 2. dist. 9. §. considerandum colligitur ex Greg. hom. 34. in Ev.

Dion. de cœlest. hier. c. 3.

A Damasceno diffinitur Angelus quantum ad substantiam, cum dicit: Angelus est substantia incorporea; quantum ad virtutem, cum dicit: Intellectualis semper mobilis, arbitrio libera. Ubi tangitur triplex virtus Angelica, scilicet cognitiva, cum dicit: Intellectualis operativa, cum dicit: Semper mobilis, quia infatigabiliter operatur: imperativa, cum dicit: Arbitrio libera. Operatio tangitur: cum dicitur, Deo serviens: duratio, cum dicitur, gratia non natura immortalitatem suscipiens. Ordo notificatur, quantum ad fundamentum, cum dicitur: Ordo est cœlestium spirituum multitudo: & quantum ad complementum, cum dicitur: Qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur: & quantum ad dispositionem, quæ inter hæc medium tenet locum, cum dicitur: Sicut in naturalium donorum participatione conveniunt. Diffinitio Angelicæ hierarchiæ notificat ipsam egredientem a Deo per modum imaginis, cum dicit: Hierarchia est ordo divinus, scientia, & actio. Ut ordo, id est ordinata potestas respondeat Patri: scientia, Filio: actio, Spiritui sancto, secundum memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Secundo describitur, ut egrediens per modum similitudinis, cum dicitur: Deiforme quantum possibile est similans, quantum ad habitum, & inditas Dei divinitus illuminationes, proportionabiliter in Dei similitudinem ascendens, quantum ad actum. In diffinitione hierarchiæ increatæ, ostenditur esse Unitas in Trinitate, cum dicitur: Divina pulchritudo. Pulchritudo enim ex pluralitate, & æqualitate con-

Damasc. loco init. Sect. cit.

constat. Ut autem ostendatur, quod pluralitas non præiudicat unitati, dicitur. Ut simpla quod unitas pluralitati dicitur: Ut optima: quod unitas spectat ad perfectionem pluralitatis, & e converso subiungitur: Ut consummativa.

SECTIO XVII.

De triplici divisione hierarchiæ.

SEquitur videre de tribus divisionibus hierarchiæ. Prima hæc est. Hierarchiarum alia supercælestis, id est divina: alia cœlestis, id est, Angelica: alia sub cœlestis, id est, Ecclesiastica, vel humana. Omissa Ecclesiastica, & divina, subdividitur secunda divisione Angelica hierarchia, in supremam, mediam, & infimam: sive per alia vocabula, in epiphaniam, hyperphaniam, & hypophaniam. Epiphania est incalescentis actionis incendio, altioris intellectus fastigio, iudiciique libera resultatio distributa. Hyperphania est, divina illuminatio sui particeps interscalari reverentia insigniens usum edocens dominandi, arcensque contrarium. Hypophania est divinum participium legibus naturæ occurrens, arcana referans pro capacitate discreta. Tertia divisio est hæc. In suprema hierarchia, quæ dicitur Epiphania, sunt Seraphin, Cherubin, & Throni. In media, sive hyperphania, sunt Dominationes, Virtutes, & Potestates. In infima, sive hypophania, sunt Principatus, Angeli, & Archangeli.

Angelorum mutua actio.

Aguntur quidem, & agunt Angeli: secundum ordinem hierarchicum in eis initiatum, per naturam: consummatum, per gloriam, quæ in eis stabilivit liberi arbitrii vertibilitatem, illustravit perspicacitatem, roboravit virtuositatem, & ordinavit officiositatem. Perspicacitas rationis in contemplando, aut respicit bonitatem desiderandam, sic sunt Seraphin: aut veritatem intelligendam: sic sunt Cherubin: aut maiestatem venerandam, sic sunt Throni. Ad Thronos spectat reverentia: ad Cherubin sapientia, ad Seraphin benevolentia. A Ad perfectam virtuositatem spectat virtus imperativa, quæ est in Dominationibus: virtus executiva, quæ est in Virtutibus: virtus expeditiva, quæ est in Potestatibus, quarum est arcere contrarias potestates. Ad perfectam officiositatem spectat regere, quod faciunt Principatus: dirigere, quod faciunt Archangeli, revelare, quod faciunt Angeli.

SECTIO XVIII.

De custodia hominum per Angelos.

Huius sect. doct. fere omnis est ex Greg. hom. 34. in Ev.

IAm sexto, & ultimo, circa naturam Angelicam, de custodia hominum suo regimini commissorum, B est videndum. Ad cuius notitiam est notandum, quod Angeli habent ab hominibus defectum quadruplicem revelare, scilicet pronitatem ad malum, difficultatem ad bonum, longinquitatem a Domino, & tepiditatem a mente. Ad quæ quatuor designanda, quatuor nomina Angelorum, & non plura sunt in Scriptura hominibus revelata, scilicet Raphael, *Raphael.* qui interpretatur medicina Dei, sive sanans Dominus. Hic est missus curare Tobiam a cæcitate oculorum, *Tob. 11.* & Saram ab improperio de occisione virorum. Et hoc contra duo, quæ ex originali contraximus, quæ sunt ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum: per quæ C duo reddimur ad malum labiles. Item Gabriel, qui interpretatur fortitudo Dei, *Gabriel.* qua fortificamur, & confortamur, ad observantiam præceptorum Dei, & ad impletionem consiliorum. In signum primi missus est annuntiare ortum Præcursoris de coniugatis. *Luc. 1.* In signum secundi, missus est annuntiare ortum Salvatoris de Virgine. *Ibid.* Per Joannis exemplum, reddimur fortes ad expugnandum malum: per Christi beneficium & exemplum, reddimur dispositi, & faciles bonum. Item Michael, *Michael.* qui interpretatur quis ut Deus, qui dicitur animas in cœlo Domino præsentare: propter quas de manu diaboli eruendas, commisit prælium cum dracone. *Apoc. 12.* Huius duas solemnitates solemniter celebramus, sci-

scilicet apparitionis, & dedicationis. In signum, quod ipse pro nobis est, dum vivimus in hoc sæculo, & dum educimur de exilio.

Uriel. Item Uriel, qui interpretatur lucens Deo, sive apparens Deo, vel ignis Dei, aut incendium Dei: quæ duplex interpretatio innuit, quod per eius ministerium illustramur in veritate, & inflammamur in charitate. Mittuntur enim Angeli, ad illuminandum nostrum intellectum, & inflammandum nostrum affectum, & si non effective, saltem dispositive. De hoc nomine Uriel, legitur in tertio Esdræ, quia missus est iste Angelus ad consolationem populi Dei, qui ab alienigenis premebatur. *3. Esd. 4.*

Angelorum actus circa hominem. Habent etiam Angeli circa hominem actum triplicem frequentare, scilicet purgare, illuminare, perficere. Primus actus ordinatur ad amotionem impedimentorum: secundus actus ad cognitionem verorum: tertius ad dilectionem bonorum. Habent tertio in hominibus effectum duplicem procreare: unum, scilicet respectu boni, vel conservandi, vel acquirendi, vel augmentandi: alium respectu mali, vel deserendi, vel vitandi, vel minuendi. Habent nihilominus omnes propter ministerium humani generis militare. Quidam enim mittuntur ad nos missione exteriori: quidam mittuntur ad Angelos propter nos, missione interiori, sicut illa superna agmina, quæ præeminent, quæ usum exterioris officii numquam habent, tamen ad nos, vel propter nos mittuntur, secundum quod dicit Apostolus: quod omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Habent quoque Angeli ad custodiam hominum deputati, ab infusione animæ usque ad egressionem de corpore, conatum diaboli contra hominem refrenare. Unde dicit Beatus Hieronymus: * Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Et beatus Gregorius dicit, quod unusquisque habet unum bonum Angelum sibi ad custodiam, & unum malum ad exercitium deputatum.

** Hieron. comment. in Mat. c. 18. to. 6. Greg. lib. 2. Mor. c. 25. & 16.*

SECTIO XIX.

De diffinitionibus animæ.

Restat videre de tertia differentia creaturæ, quæ composita est ex spirituali, & corporali, cuiusmodi est humana. Et primo, quantum ad animam: secundo, quantum ad corpus: tertio, quantum ad coniunctum. De anima humana duo sunt principaliter videnda, scilicet diffinitio, & potentiarum divisio.

Anima septem diffinitionibus diffinitur. Prima est in libro de motu cordis. Anima est substantia incorporea, intellectualis, illuminationum, quæ sunt a prima, & ultima relatione perceptiva. Secunda est Remigii. Anima est substantia incorporea, regens corpus. Tertia est Aristotelis, in libro de anima. Anima est actus primus corporis organici physici, potentia vitam habentis. Quarta est Augustini. Anima est similitudo omnium. Quinta est similiter Augustini. Anima est substantia quædam rationis particeps, regendo corpori accommodata. Sexta sumitur ex Genesi. Anima est deiforme spiraculum vitæ. Septima est Senecæ. Anima est spiritus intellectualis, in se, & in corpore ad beatitudinem ordinatus. Per primam diffinitionem notificatur anima rationalis, prout est spiritus: per secundam, & tertiam, prout est anima. Copulatur enim anima, & unitur corpori, ut motor mobili, & sic est secunda: & ut perfectio perfectibili, & sic est tertia. Per alias vero quatuor, quæ sequuntur, diffinitur ut anima, & spiritus: ita quod quarta est per comparationem ad creaturas generaliter: quinta per comparationem ad corpus, quod perficit: sexta per comparationem ad Deum, tamquam ad suam causam efficientem: septima, per comparationem ad Deum, ut finem ultimum: circa quem non potest rationalis anima quietari.

Aristot. de Anim. lib. 2 text. 5. *Aug. lib. de Spir. & an. c. 6. tom. 3. Ibid. c. 3. Gen. 2.*

SECTIO XX.

De divisione potentiarum animæ, secundum Magistros in quinque membra.

SEquitur videre divisionem potentiarum animæ. Ad quarum notitiam habendam, quadruplex est divisio percurrenda. Una divisio secundum Magistros est in quinque membra, scilicet in sensualitatem, sensum, imaginationem, rationem, & intellectum. Sensualitas secundum Magistros est illa potentia, quæ sensificat corpus, & movet; & appetit ea, quæ sunt delectabilia corpori, & refugit nociva. Sensus est illa vis animæ, qua homo cognoscit res corporales præsentes. Imaginatio est illa vis animæ, quæ intuetur res corporales absentes. Ratio est illa vis animæ, qua anima inter bonum & malum, inter verum, & falsum discernit infra se. Intellectus est illa vis animæ, qua anima apprehendit res immateriales, & intelligibiles, ut animam, Angelum, & Deum.

Sensualitas. Sensus. Imaginatio. Ratio. Intellectus.

Aug. lib. de Spir. & an. c. 9. 10. 3.

Istorum quinque membrorum sufficientia, sic potest sumi: Anima est quasi duo, sicut dicit Augustinus. Est anima, & spiritus. Anima inquantum corpus perficit, & vivificat: spiritus inquantum sine corpore consideratur & separata perdurat. Secundum vero quod est anima, comparatur ad corpus, & corpus ad animam: & sic congruit anima corpori, & aptatur ei, ut influat ei vitam, & sensum. Et hæc potentia animæ dicitur animæ sensualitas. Congruit etiam corpus animæ & aptatur ei, ut per corpus perficiatur, quantum ad vitam inferiorem. Et hæc potentia dicitur sensus. Sensus autem est duplex, scilicet interior, qui dicitur imaginatio, & dicitur exterior, qui communiter dicitur sensus: ut visus, qui fit per oculum, & auditus per aurem, & sic de aliis. Ipsa vero anima, inquantum spiritus, dicitur duplicem habere aspectum. Unum respectu A inferiorum, & unum respectu superiorum, secundum, quod dicit Augustinus, quod anima duas habet partes, scilicet, unam ad superiora respicientem, & aliam ad inferiora. Inferiorem Magistri appellant rationem, superiorem vero intellectum.

Ibid. c. 11.

SECTIO XXI.

De divisione potentiarum secundum naturales, in tria membra.

SEcunda vero divisio secundum naturales, est in tria membra. Secundum enim quod anima comparatur ad actus, B tres sunt animæ potentiæ, ad actum triplicem ordinatæ. Tres quidem sunt actus animæ primi, scilicet vegetare, sentire, & ratiocinari. Et secundum hoc distinguitur triplex animæ potentia, scilicet vegetabilis, sensibilis, & rationalis. Nota tamen, quod vegetabilis est anima in plantis. Sensibilis est anima in brutis. Rationalis est anima in hominibus. In homine autem non sunt tres animæ, sed tres potentiæ sunt dicendæ in anima. Vegetabilis appetit esse, sensibilis bene esse, rationalis optime esse. Vegetabilis subdividitur in generativam, & nutritivam. C Generativa est ad conservationem esse universalis, scilicet speciei. Nutritiva est ad conservationem esse singularis, scilicet individui. Nutritivæ duplex est actus, scilicet nutrire, & iste actus semper est necessarius: augmentare, & iste solum est necessarius usque ad rei completionem. Unde nutriuntur semper animalia, non autem semper augmentantur. Vis sensibilis dividitur in apprehensivam, & motivam. Apprehensiva, dividitur in sensum particularem, & sensum communem: sive in sensum exteriorem & interiorem. Sensus particularis, sive exterior, dividitur in quinque sensus, scilicet, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.

In homine una tantum anima.

Circa

Circa iſtos quinque ſenſus, tria neceſſario requiruntur, ſcilicet, bonitas organi, diſpoſitio medii, & præſentia obiecti. *Tria in ſenſu requiſita.* Organum viſus, ſunt pupillæ oculorum: organum odoratus, ſunt nares: organum auditus, ſunt aures: organum guſtus, lingua, & palatum: organum tactus, ſunt nervi totius corporis. Iſta organa deſcendunt ab interiori parte cerebri: In qua quidem eſt nervus, qui dicitur opticus, & deſcendit ad pupillas, & ramificatur in duas partes: alius deſcendit ad nares: alius ad aures: quidam alius ad linguam, & palatum: quidam multipliciter ramificatus eſt organum tactus in toto corpore. Obiecta vero ſenſuum ſunt hæc: obiectum viſus eſt color, & eius differentiæ: obiectum odoratus eſt odor, & eius differentiæ: obiectum guſtus, eſt ſapor, & eius differentiæ: obiectum auditus eſt ſonus, & eius differentiæ: obiectum tactus ſunt elementares qualitates, ut calidum, humidum, frigidum, ſiccum, rarum, & denſum, leve, & grave, aſperum, & lene. Media ſenſuum ſunt hæc: aer, & aqua, & quodlibet corpus diaphanum, & tranſparens. Illuminatum eſt medium in viſu: aer exterior, & interior eſt medium in auditu: auris enim concava, in concavitate habet aerem intrinſecum ſibi connaturalem. Vapor per aerem delatus, eſt medium in odoratu, res enim odorifera quaſi fumum inſenſibilem evaporat, ex quo immutatur aer deferens odoratui, odoratum. Humor ſalivalis eſt medium in guſtu. Caro eſt medium in tactu.

Senſus interior. Interior ſenſus dividitur in tres partes, ſecundum tres partes cerebri, quæ ſunt anterior, in qua eſt imaginatio: media in qua eſt æſtimativa: poſtrema in qua eſt memoria. Imaginatio aliquando dicitur ſenſus communis, aliquando imaginatio, aliquando phantaſia. Senſus communis dicitur inquantum ibi concurrunt ſenſus particulares quinque tamquam lineæ ad centrum, ibique ligantur. Imaginatio dicitur, inquantum repræſentat formas prius receptas a particularibus ſenſibus A quamvis abſentes. Phantaſia inquantum poteſt componere formas novas ſecundum ſimilitudines eorum, quæ præcepit per ſenſus particulares. Æſtimativa eſt illa vis, ſecundum quam dicimus ſagacitatem, vel prudentiam in brutis: ut in vulpe, ſive in aliis, in appetendis delectationibus, & refugiendis nocivis. Memoria eſt vis illa, quæ conſervat, ſive retinet formas ſenſibilium ſpecierum. Vis ſenſibilis motiva eſt motivum ſecundum motum movens univerſaliter membra corporis, ut caput, brachia, & armos. Motiva pedum dicitur greſſibilis, quia ſecundum eam movetur animal motu progreſſivo. Vis rationis dividitur in intellectum ſpecula- B tivum qui exercetur in contemplatione veri: & practicum, qui in operatione boni. Secundum hanc duplicem radicem intellectum, dicuntur vita activa, & contemplativa.

SECTIO XXII.

De diviſione potentiarum ſecundum Naturales, & Theologos.

Tertia diviſio ſecundum Theologos, & Naturales eſt hæc: Potentiarum alia corporalis, id eſt, corporis regitiva: alia ſpirtualis. C Corporis regitiva diſtinguitur in animalem, vitalem, & naturalem. Secundum has vires anima regit corpus. Vis animalis ſecundum Medicos eſt in cerebro, vitalis in corde, naturalis in hepate. Vis animalis dividitur in cognitivam, & motivam. *Vis animalis.* De cognitiva dictum eſt ſupra. Motiva dividitur in iraſcibilem, & concupiſcibilem. Motus enim animalis aut eſt a malo nocivo, & dicitur motus fugæ, qui eſt ab iraſcibili. Aut eſt ad bonum delectabile, & talis motus eſt a concupiſcibili. Vis vitalis, eſt vis motiva aeris in corpore animalis, per arterias, unde eſt pulſus. *Vis vitalis.* Tanti enim caloris eſt cor, quod niſi refrigeraretur aere attracto per inſpirationem, & emiſſio per reſpiratio-

 nem,

nem, animal moreretur. Hæc eadem vis est motiva ad vocem formandam, eo modo, quo formatur vox irrationalis, ut vox avium, & animalium. Vis naturalis comprehendit nutritivam, & generativam. Sed nutritiva est ad conservationem naturæ singularis: generativa est ad conservationem naturæ universalis. Nutritivæ virtuti aliæ quatuor deserviunt, scilicet appetitiva, quæ appetit nutrimentum: digestiva, quæ separat conveniens, & non conveniens in alimento: retentiva, quæ transmittit ad singulas partes corporis, quod conveniens est in nutrimento, ut facta deperditio restauretur: expulsiva, quæ expellit, quod in nutrimento fuit inconveniens, & nocivum.

Vis naturalis.

Spiritualis autem, id est, spiritus regitiva, dividitur aliquando secundum naturam intellectivam, & affectivam. Aliquando secundum officia, ut cum dividitur ratio in superiorem, & inferiorem. Aliquando secundum status, ut cum dividitur, in intellectum speculativum, & practicum: Speculativus intellectus, extensione fit practicus, dum coniungitur voluntati, & operi. Aliquando secundum aspectus, ut cum dividitur cognitiva in rationem, quæ aspicit ad inferius, & intellectum, qui aspicit ad par, & intelligentiam, quæ aspicit ad superius. Aliquando secundum actus, ut cum fit divisio in inventivam, & dijudicativam. Invenire enim, & iudicare, sunt actus potentiæ cognitivæ ad invicem ordinati. Aliquando secundum differentias, ut cum dividitur intellectus, in agentem, & possibilem, nam prima differentia intellectus utitur anima ad abstrahendum, secunda vero ad recipiendum. Aliquando secundum diversos modos movendi, & sic est divisio voluntatis, sive appetitus in naturalem, & deliberativam. Prima est divisio principalis in intellectum, & affectum, sive cognitivam, & affectivam, sive in rationem, & voluntatem.

Vis spiritualis.

Arist. lib. 3. de an. text. 49.

Voluntas dicitur potentia, & sic diffinitur ab Anselmo: Voluntas est

Voluntas. Ans. Dial. de lib. arb. c. 7.

A instrumentum per seipsum movens. Dicitur actus sive motus potentiæ, & si diffinitur ab Augustino: Voluntas est animi motus, cogente nullo ad aliquid admittendum, vel non admittendum, vel adipiscendum, vel non adipiscendum. Dicitur etiam volitum, ut cum dicit aliquis, hæc est mea voluntas. Sex sunt actus ad voluntatem liberam pertinentes secundum Damascenum, scilicet consilium, iudicium, sententia, electio, operatio, & usus. Liberum arbitrium vult, ecce voluntas: inquirit, & scrutatur, ecce consilium; iudicat, ecce iudicium: B disponit, ecce sententia: eligit, ecce electio, quæ est duobus placentibus alterum præoptare: impetum facit, ecce operatio: agit, ecce usus.

Aug. lib. 21 sent. 14. tom. 4. & li. de duab. ani. c. 10. tom. 6.

Damasc. Orthod. fid. l. 2. c. 22.

Ratio autem habet quinque actus, duos, per quos dirigitur in finem veri, quorum unus præcedit cognoscere, & dicitur ratiocinatio, quæ sic Augustino diffinitur: Ratiocinatio est rationis inquisitio. Huic ratiocinationi est insitum ingenium, quod diffinitur ab Augustino: Ingenium est illa vis animæ, sive intentio, qua se extendit anima, & exercet ad incognitorum cognitionem. C Alius actus est ipsum cognoscere, quod est aspectus veri. Et secundum hoc diffinitur ratio ab Augustino: Ratio est animi aspectus, quo per seipsum verum intuetur. Habet etiam ratio tres actus per quos dirigitur in finem boni. Primus est boni, & mali discretio, sive boni, & melioris: secundus est, discretione facta, boni, sive melioris electio: tertius est dilectio: De his tribus dicit Augustinus: Ratio est animæ aspectus, quo bonum & malum discernit, virtutes eligit, Deum diligit.

Ratio.

Aug lib. de spir. & an. c. 1. 10. 11

Ibid. c. 11

Ibid. c. 1.

Ibid. c. 11.

SECTIO XXIII.

De divisione potentiarum, secundum Augustinum.

QUarta divisio potentiarum, ponitur ab Aug. in libro de Spiritu, & anima, quæ facit ad maiorem evidentiam prædictorum. Distinguunt autem vires animæ, in rationalem, concu-

Ibid. c. 4.

Tres vires animæ.

concupiſcibilem, & iraſcibilem. Per rationalem, eſt anima habilis ad cognoſcendum aliquid infra ſe, & ſupra ſe, in ſe, & iuxta ſe. Cognoſcit ſiquidem Deum ſupra ſe, ſe in ſe, angelum juxta ſe, & quidquid cæli continetur ambitu, infra ſe. Per concupiſcibilem, & iraſcibilem habilis eſt affici ad aliquid appetendum, vel fugiendum, amandum vel odiendum. De rationalitate omnis ſenſus animæ naſcitur: de concupiſcibilitate omnis affectus. Affectus quadripartitus eſſe dignoſcitur, dum de eo, quod amamus, iam gaudemus, vel gaudendum ſperamus: vel cum de eo, quod odimus, jam dolemus, vel dolendum metuimus. Unde de concupiſcibilitate gaudium, & ſpes: de iraſcibilitate, dolor & metus oriuntur. Qui quidem quatuor affectus animæ omnium ſunt vitiorum, atque virtutum, quaſi quædam principia, & communis materia. Affectus quidem omni operi nomen imponit. Notandum vero, quod ſenſus animæ virtutes apprehenſivæ vocantur, ſive cognitivæ, quæ a rationabilitate oriuntur. Quinque autem ſunt progreſſus ad ſapientiam: ſenſus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia. Senſus eſt ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas recipit formas, ſed præſentes. Imaginatio eſt ea vis animæ, quæ rerum corporearum corporeas recipit formas, ſed abſentes. Senſus namque formas accipit in materia, imaginatio extra materiam. Et ea vis exterius formata, ſenſus dicitur, & eadem uſque ad intimum traducta, vocatur imaginatio, quæ de ſenſu oritur. Ratio eſt ea vis animæ, quæ rerum corporearum formas, naturas, differentias, propria, & accidentia omnia percipit incorporea, ſed non extra corpora, niſi ratione exiſtentia. Abſtrahit enim in corporibus, quæ fundantur a corporibus, non actione, ſed conſideratione. Intellectus eſt ea vis animæ, quæ inviſibilia percipit, ut angelos, dæmones, animas, & omnem ſpiritum creatum. Intelligentia eſt ea vis animæ, quæ immediate ſupponitur Deo. Cernit quidem ipſum

Hæc habentur apud Aut. lib. modo cit. c. 11.

A ſummum verum, & vere immutabile. Sic ergo anima ſenſu percipit corporea: imaginatione, corporum ſimilitudines: ratione, corporum naturas: intellectu, ſpiritum creatum: intelligentia, ſpiritum increatum. Ad imaginationem, quæ dicitur ſenſus communis, & etiam phantaſia, pertinent ea, quæ vident in ſomnis dormientes: de quibus dicit Auguſtinus, quod omnium, quæ ſibi videntur videre dormientes quinque ſunt genera, ſcilicet oraculum, viſio, ſomnium, inſomnium, & phantaſma. Oraculum eſt, cum in ſomnis parens, vel aliqua gravis perſona, ſeu ſacerdos, vel etiam Deus aliquid eventurum aperte, vel B non eventurum, faciendum, vel vitandum denunciat. Viſio eſt, cum id quis videt, quod eodem modo, quo apparuerat, evenit. Somnium eſt figuris tectum, & ſine interpretatione intelligi non poteſt. Inſomnium eſt, quando id, quod vigilantem fatigaverat, ſe ingerit dormienti: ſicut eſt cibi cura, vel potus, vel aliqua ſtudia, vel artes, vel infirmitates. Juxta infirmitates enim diverſi diverſa accipiunt ſomnia. Alia enim vident ſanguinei, alia colerici, alia melancholici, alia flegmatici. Iſti enim vident rubra, & varia: & illi nigra, & alba. Phantaſma, eſt quando vix dormire cœperit quis, & vigilare ſe exiſtimat, C & videtur aſpicere irruentes in ſe, vel paſſim vagantes formas diſcrepantes, & varias, lætas, & turbulentas. In hoc genere eſt ephialtes, quem opinantur vulgares invadere dormientes, & opprimere quieſcentes, quod non eſt niſi fumoſitas conſcendens ad cerebrum a ſtomacho, vel a corde, vim comprimens animalem.

Ibid. c. 15.

SECTIO XXIV.

De quo eſt anima.

POteſt colligi ex prædictis, quod anima eſt ens vivens, intelligens, ac libertate utens. Forma quidem eſt anima, non a ſeipſa, nec de divina natura, ſed a Deo per

Sup. in brevil. p. 2. c. 9

per creationem de nihilo in esse deducta. Forma autem vivens est non ex natura extrinseca, se ex seipsa: non vita mortali, sed perpetua. Forma vero intelligens, non tantum creata, sed etiam per creatricem essentiam, ad cuius imaginem, & similitudinem facta est. Imago autem nominat conformitatem in quantitate: similitudo vero, convenientiam in qualitate. Imago namque dicit quamdam configurationem, & illa importat figuram, quæ est quantitas in qualitate, & qualitas in quantitate. Similitudo vero, dicitur rerum differentium eadem qualitas. Ex hac primaria differentia, triplex modus distinguendi inter imaginem & similitudinem assignatur, secundum Hugonem. Imago respicit figuram, similitudo naturam: alius est modus distinguendi, quod imago est in naturalibus, similitudo in gratuitis: tertius modus secundum Augustinum est, quod imago est in potentia cognoscendi similitudo, in potentia diligendi. Hæc ultima est per approbationem, pro eo quod in imagine, quæ est per creationem, duæ sunt potentiæ ex parte cognitivæ, scilicet memoria, & intelligentia: & una ex parte affectivæ, scilicet voluntas. Econtrario autem in similitudine, quæ est per recreationem sive iustificationem, duæ sunt virtutes ex parte affectivæ, scilicet spes, & charitas: & una ex parte cognitivæ, scilicet fides. Et propterea ponitur imago in potentia cognitiva, similitudo in potentia affectiva. Diffinitur autem imago ab Hilario in libro de synodis sic: Imago est eius rei, ad quam imaginamur, species indifferens. Est etiam anima forma libertate utens, quia semper est libera a coactione. Hæc autem libertas a coactione, nihil aliud est, quam facultas rationis & voluntatis, quæ sunt potentiæ animæ principales. Hæc autem libertas, consurgit ex deliberatione præambula, & voluntate adjuncta, & communiter liberum arbitrium appellatur.

Hugo Annotati lucidator. in Gen. c. 9 Aug. l. de spir. & ani. c. 28. t. 3

Hilar. l. de syn. defin. 1

Liberum arbitrium quid, & quale.

De quo libero arbitrio videndum est, quantum ad diversam diffinitionem, & quantum ad variam denominationem. Liberum arbitrium a Philosopho sic diffinitur: *a* Liberum de voluntate iudicium. A *b* Bernardo sic in libro de libero arbitrio: Liberum arbitrium est consensus ob voluntariis in amissibilem libertatem, & rationis indeclinabile iudicium. Ab *c* Augustino sic. Liberum arbitrium, est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum, eadem desistente. Ab *d* Anselmo sic: Liberum arbitrium, est potestas servandi rectitudinem propter seipsam. Potest enim liberum arbitrium considerari quantum ad actum, & sic diffinitur a Bernardo. Quantum ad actum, & obiectum, & sic ab Anselmo. Quantum ad actum, & obiectum, & finem ultimum, & sic ab Augustino. Denominatur autem ista potentia a *e* Magistro sententiarum: libertas a coactione, sive necessitate, a culpa, & a miseria. *f* A Bernardo vero, libertas arbitrii, consilii, & complaciti. A Magistro sententiarum privative. A Bernardo positive. Considerari enim potest libertas ista quantum ad esse, & sic dicitur a Magistro libertas a coactione privative: a Bernardo libertas arbitrii positive. Item quantum ad bene esse, ad quod requiritur duplex bonum, scilicet bonum rectificans, sive ordinans, & bonum delectans, sive quietans. Et excluditur duplex malum, scilicet malum deformans, & malum affligens. Respectu mali deformantis dicitur a Magistro libertas a culpa privative. Respectu boni rectificantis, dicitur a Bernardo libertas consilii positive. Respectu mali affligentis, dicitur a Magistro libertas a miseria privative. Respectu boni quietantis, dicitur a Bernardo libertas complaciti positive.

a Refertur Magist. 2 sen. dist. 25 in prin.
b Bern. l. de l. arb ante med.
c Habetur apud Mag. sent. l. 2. de 24 c. liberum vero.
d Ansel. l. de l. arb. c. 15.
e Mag. 2 sen. dist. 25
f Bern. l. pro. cit.

SECTIO XXVI

De conditione humani corporis.

SEquitur videre de natura composita, hoc est humana natura quantum ad corpus. Fuit enim corpus primi hominis de limo terræ con-

conditum, & formatum, animæ subiectum, & proportionabile suo modo. Proportionabile, inquam, fuit, quantum ad æqualem complexionem, & quantum ad pulcherrimam & multiformem organizationem, & quantum ad staturæ rectitudinem, Quamvis enim corpus & anima multum distent, tamen infimum spiritus, & supremum corporis, sunt unibilia miro modo. Spiritus enim animalis, sive rationalis habet potentiam vivificandi, potentiam vegetandi, & potentiam sentiendi. Corpus vero habet complexionis æqualitatem, organorum multiformitatem, & spirituum subtilitatem secundum triplicem differentiam. Habet namque spiritum vitalem, spiritum naturalem, & spiritum animalem. Comparando igitur complexionis æqualitatem, ad potentiam vivificativam, per medium sive vinculum spiritus vitalis optimus est nexus. Similiter comparando non solum complexionem æqualem, verumetiam organizationis perfectionem, ad potentiam vegetativam, & sensitivam, mediante spiritu naturali, & animali, optima est proportio, & mirabilis nexus. Unde sicut terra & ignis, quamvis multum distent, duplici tamen medio connectuntur: uno, quod magis communicat cum igne: alio quod magis communicat cum terra: sic est in proposito intelligendum. Rursus quoniam anima, tamquam ad beatitudinem ordinata & habilis, tendit sursum corpus habet staturæ rectitudinem, & caput sursum erectum, ut sic rectitudini spiritus attestetur. Fuit etiam corpus animæ subiicibile & subiectum, ita quod esset obtemperans, sine rebellione: vegetabile, sine defectione: propagabile sine libidine. Unde datus est sibi Paradisi terrestris locus, in tranquillam habitationem: datum est ei lignum vitæ, ad continuam vegetationem: formata est ei mulier de latere viri, in consortium & adiutorium, ad immaculatam propagationem.

Gen. 2

Animæ humanæ & corporis proportio.

Gen. 2

Ratio seminalis.

Et quia homo ex homine, sicut est in cæteris, seminaliter propagatur de ratione seminali est aliquid adiungendum. Ad quod notandum est, quod causa & causalis ratio communis est ad principium extrinsecum, & intrinsecum, quantum est de vi nominis. Semen vero & ratio seminalis respicit principium intrinsecum. Possunt tamen distingui, ut causa & ratio causalis accipiatur quantum ad principium increatum: semen & ratio seminalis quantum ad principium creatum. Differunt tamen causa, & ratio causalis: quia causa dicit principium productivum, ratio vero causalis dicit regulam dirigentem illud principium in operatione sua, Similiter etiam differunt semen, & ratio seminalis. Regula autem agentis increati est forma exemplaris vel idealis. Regula agentis creati, est forma naturalis. Et ita rationes causales sunt formæ ideales, vel exemplares: rationes vero seminales, sunt formæ naturales. Et secundum hoc patet, quod rationes causales & primordiales, sunt idem re, differentes solum ratione: Primordiales dicuntur, per privationem prioris: causales, per positionem posterioris. Et primordiales respiciunt Deum, & primum principium: causales respiciunt Deum, & ultimum finem, qui est causa causarum. Similiter naturales rationes, & seminales, idem sunt re, sed differunt ratione: quia semen dicit, ut ex quo: natura, ut a quo. Ratio seminalis, attenditur inquantum dicit potentiam naturæ, ut ex aliquo aliquid fiat. Vel seminalis ratio respicit inclinationem, & virtutem intrinsecam, quæ movet, & operatur ad effectus productionem: naturalis vero ratio concernit producentis ad productum assimilationem, & modi agendi assuetudinem.

Rationes causales, & primordiales.

SECTIO XXVI.

De toto homine ex corpore & anima constituto.

Iam tertio est videndum de toto homine ex anima & corpore constituto. De quo doctrinaliter est tenendum, quod homini datus est du-

Homini a principio data.

duplex sensus, scilicet interior sive mentis, & exterior sive carnis. Datus est ei duplex motus, scilicet imperans in voluntate, & exequens in corpore. Datum est ei duplex bonum, unum visibile, alterum invisibile. Datum est ei duplex præceptum, scilicet naturæ, & disciplinæ. Præceptum naturæ: Crescite & multiplicamini. Præceptum disciplinæ: De ligno scientiæ boni & mali ne comedas. Datum est ei quadruplex adiutorium, scilicet scientiæ, & conscientiæ, synderesis, & gratiæ. Et sic potest colligi ex prædictis, quod creatura mundi est quasi quidam liber, in quo relucet, repræsentatur, & legitur Trinitas fabricatrix secundum triplicem modum expressionis, scilicet per modum vestigii, per modum imaginis, & per modum similitudinis: Ita quod ratio vestigii invenitur in creaturis omnibus: ratio imaginis, in solis intellectualibus, sive rationalibus: ratio similitudinis, in solis deformibus. Omnis enim creatura Deum habens ut principium, configuratur ei per unitatem, veritatem, & bonitatem, & hoc est vestigium: habens Deum ut obiectum, ipsum capit per memoriam, intelligentiam, & voluntatem, hæc est imago: habens Deum ut donum infusum, configuratur ei per fidem, spem, & charitatem, sive per visionem, tentionem, & perfectam dilectionem, in hoc est similitudo.

Gen. 1
Gen. 2

Et quia imago est expressa similitudo, & hæc in creatura rationali, secundum gradum triplicem, invenitur, ampliato nomine, potest distingui triplex imago in creatura rationali, qua repræsentatur expresse trinitas fabricatrix. Est enim imago creationis, quæ consistit in tribus potentiis, & in unitate substantiæ: ita quod memoria repræsentat Patrem: intelligentia Filium: & voluntas Spiritum sanctum. Substantia vero animæ cum sit una, repræsentat divinæ essentiæ unitatem. Est etiam imago recreationis, quæ consistit in tribus virtutibus Theologicis, & unitate gratiæ gratum facientis: ita quod fides repræsentat

Imago triplex in homine.

A Filium: spes, Patrem: & charitas, Spiritum sanctum: unitas vero gratiæ gratum facientis, repræsentat essentiæ unitatem. Est & imago glorificationis, quæ consistit in tribus dotibus gloriosis, & unitate gloriæ: ita quod aperta visio repræsentat Filium: secura tentio repræsentat Patrem: perfecta dilectio, Spiritum sanctum: unitas vero gloriæ repræsentat unitatem essentiæ. Prima imago est animarum a Deo exeuntium, per creationem: secunda est ad Deum redeuntium, per iustificationem: tertia est ad Deum pervenientium, per glorificationem. Prima dicitur propriæ imago naturæ, & est angelorum omnium & omnium rationa- B lium animarum: secunda dicitur similitudo gratiæ, & est angelorum conversorum & animarum iustarum, non autem dæmonum, nec hominum peccatorum: tertia dicitur deiformitas gloriæ, & est angelorum sanctorum, & beatarum animarum. Hæc autem tria operatur tribus vicibus, per singulos hominum beatorum benignitas Salvatoris.

SECTIO XXVII.

De unione naturarum in Christo.

POstquam vidimus de bono increato, quod est Deus, & de bono creato, quod est mundus: videndum est aliquid de bono ex utroque C conjugato, quod est Christus. De quo breviter tria sunt videnda, scilicet naturarum sociatio, gratiarum exuberatio, & pœnarum toleratio.

Quantum ad naturarum unionem in Christo, tenere debemus, quod in fine sæculorum, quando venit plenitudo temporis, post legem naturæ, & scripturæ, post Patriarchas, Gal. 4 & Prophetas, quibus, & per quos fuit incarnatio repromissa, dignatus est Filius Dei incarnari, propter homines redimendos: & tunc angelo nuntiante virgini Mariæ incarnationis mysterium perficiendum in ipsa, virgo credidit, appetiit, & consensit: & descendit Spiritus sanctus super eam, ad sanctificandum, &

Luc. 1

fœ-

fœcundandum: cuius virtute, virgo concepit Dei Filium, quem virgo peperit, & post partum virgo permansit. Concepit non solum carnem, verumetiam carnem animatam, & Verbo unitam, & nulli peccato obnoxiam, sed omnino sanctam & immaculatam: ratione cuius dicitur mater Dei, & virgo Maria. Hanc autem incarnationem fuit tota Trinitas operata. Per quam quidem incarnationem, facta est assumptio carnis a divinitate, & unio divinitatis cum carne vivifica spiritu rationali, secundum potentiam vegetandi, sentiendi, & intelligendi. In hac autem incarnatione non est facta unio in unitate naturæ, sed personæ: non humanæ, sed divinæ: non assumptæ, sed assumentis: non personæ cuiuslibet, sed personæ solius Verbi. Hæc vero unio tanta fuit, ut faceret Deum hominem, & hominem Deum: ita quod quidquid dicitur de filio Dei per naturam, dicitur de filio hominis per gratiam, & econtra: exceptis his, in quibus exprimitur unio, & includitur negatio. Non enim potest dici, quod humana natura divinam naturam assumpserit, vel sibi unierit, sed quod assumpta fuerit, & unita. Similiter non potest dici, quod filius Dei incœperit esse. Hoc enim negatur de assumente, sed vere dicitur de assumpto.

A non solum facilitate gloriæ; verumetiam adoratione latriæ: quæ est cultus reverentiæ soli Deo debitus. Per gratiam vero capitis, influit motum, & sensum in universos, qui ad eum accedunt per fidem rectam, vel per fidei sacramenta: sive adventum ejus præcesserint, sive fuerint subsecuti. Christo enim considerato in se, quantum est singulare, sive individuum, competit gratia ipsum sanctificans, & confirmans: quam vocamus gratiam singularis personæ. In comparatione ad Verbum unitum, competit ei gratia unionis: ratione cuius habuit superiorem naturam, & inferiorem: divinam & humanam: adorabilem, B & adorantem. In comparatione vero ad corpus mysticum, competit ei gratia capitis, hac ratione: quia sicut caput habet in se sensuum plenitudinem, & cæteris membris est conforme, cæteris membris præsidet, cæteris præstat beneficium influentiæ, quæ ipsi capiti connectuntur: sic Christus habens in se gratiæ superabundantiam: nobis consimilis in natura, præ cæteris sanctis, & sanctus, & iustus: cæteris, qui ad ipsum accedunt, præstat beneficium gratiæ, & spiritus, per quem fit sensus, & motus in spiritualibus: sensus, inquam, cognitionis, & veritatis: motus dilectionis, & charitatis.

SECTIO XXVIII.

De perfectione gratiarum in Christo.

Triplex gratia in Christo.

SEquitur videre de perfectione gratiarum, quæ fuerunt in Domino Jesu Christo: de quibus tenendum est, quod in Christo a sui conceptione fuit plenitudo omnis gratiæ, & quantum ad gratiam singularis personæ, & quantum ad gratiam capitis, & quantum ad gratiam unionis: ita quod per gratiam singularis personæ habuit omnis peccati immunitatem, & quantum ad actum, & quantum ad posse: quia, nec peccavit, nec peccare potuit. Quantum ad gratiam unionis dignus est

C

SECTIO XXIX.

De plenitudine sapientiæ in Christo.

VIdimus de plenitudine gratiæ, quam habuit Christus in affectu: videamus subsequenter de plenitudine sapientiæ, quam habuit in intellectu. Et sic tenendum est, quod in Verbo incarnato fuit omnis sapientiæ plenitudo, non solum ad cognita, verumetiam quantum ad modos, & differentias cognoscendi. Triplex cognitio in Christo.
Fuit namque in Christo cognitio sempiternalis, ex parte divinitatis: cognitio sensibilis, ex parte sensualitatis & carnis: cognitio scientialis, ex parte mentis, & spiritus. Et

Et hæc fuit triplex , quædam per naturam , quædam per gratiam , quædam per gloriam. Unde sapientiam habuit, ut Deus & homo: ut comprehensor, & viator: ut perfecte illuminatus per gratiam: & ut recte formatus per naturam. Et ita in universo, fuerunt in Christo quinque modi sciendi, sive cognoscendi. Primus, secundum divinam naturam: & secundum hoc, cognovit omnia actualia & possibilia, finita & infinita, cognitione actuali, & comprehensiva. Secundus, per gloriam: & hoc modo cognovit omnia actualia & finita, cognitione actuali: infinita vero cognitione habituali. Tertius, per gratiam: & hoc modo cognovit omnia spectantia ad humani generis redemptionem, longe excellentius, & melius, quam aliquis Prophetarum, & angelorum. Quartus, secundum naturam integram, cujusmodi fuit in Adam, & hoc modo cognovit, quæ spectant ad mundanam machinam construendam excellentius, & melius quam ipse Adam. Quintus, secundum sensibilem experientiam: & hoc modo cognovit omnia, quæ veniunt ad organa sensuum: secundum quem modum dicitur, quod didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.

Quinque modi sciendi in Christo.

Debuit quidem in Christo esse quintuplex iste modus. Nam res habent esse in æterna arte, in humana mente, & in proprio genere. In arte cognovit res per naturam divinitatis, & per gloriam comprehensionis. In mente per habitum naturalem sive innatum, sicut cognoverunt angeli: per habitum gratuitum, & infusum, sicut cognoverunt sancti Dei per Spiritum sanctum illuminati. In proprio genere cognovit via sensus, memoriæ, & experientiæ, quæ in nobis facit rem incognitam cognosci: in Christo autem rem cognitam secundum unum modum, fecit per modum alium esse notam.

Hebr. 5

Cur quintuplex modus sciendi in Christo.

SECTIO XXX.

De plenitudine meriti Christi.

Sequitur videre de plenitudine meriti, quam Christus habuit in opere, & effectu. Et sic est tenendum, quod in Christo Domino fuit omnis meriti perfectio, & plenitudo. Primo quantum ad eum, qui merebatur: quia non tantum erat homo, verumetiam Deus. Secundo quantum ad tempus, in quo merebatur: quia ab instanti conceptionis, usque ad horam mortis. Tertio quantum ad id, quo merebatur, propter perfectissimum habitum charitatis, & perfectissimum exercitium virtutis in agendo, orando, & patiendo. Quarto quantum ad eum, cui merebatur: quia non tantum sibi, sed etiam nobis, immo omnibus justis. Quinto quantum ad id, quod merebatur nobis: quia non tantum gloriam, verumetiam gratiam, & veniam: Non tantum gloriam spiritus, verumetiam stolam carnis, & apertionem ianuæ cælestis. Sexto quantum ad id, quod merebatur sibi: quia licet non mereretur glorificationem mentis, quam iam habebat, merebatur tamen accelerationem Resurrectionis, & glorificationem sui nominis, & dignitatem iudiciariæ potestatis. Septimo quantum ad modum quo merebatur. Cum enim dicatur tripliciter quis mereri, scilicet vel de indebito facere debitum: vel de debito facere magis debitum: vel de debito uno modo, facere debitum alio modo. Omnibus his modis meruit nobis: tertio tantummodo meruit sibi, faciente ad hoc plenitudine Spiritus sancti, per quam Christus simul erat beatus & in statu merendi. Ita quod supra eius meritum, omnia nostra merita habent fundari. Cum in Christo siquidem fuerit plenitudo gratiæ in affectu, & plenitudo sapientiæ in intellectu, necesse fuit quod in ipso esset plenitudo, & perfectio meriti, secundum omnem modum plenitudinis.

Tribus modis meruit nobis Christus.

SE-

SECTIO XXXI.

De tolerantia passionis Domini nostri Jesu Christi.

SEquitur videre de tolerantia passionis circa Dominum Salvatorem. Sciendum est, quod Christus assumpsit non tantum naturam humanam, sed etiam defectus circa naturam humanam. Assumpsit enim pœnalitates corporales, ut famem, sitim, & lassitudinem. Assumpsit & spirituales, ut tristitiam, gemitum, timorem, & dolorem. Nec tamen omnes corporales assumpsit, sicut sunt defectus ægritudinum multiformium. Nec omnes spirituales, sicut sunt ignorantia, & rebellio carnis ad spiritum, & econtra. Nec eas qualitercumque assumpsit: quia sic necessitatem patiendi assumpsit, ut nihil pati posset invite, nec secundum divinitatis voluntatem, nec secundum voluntatem rationis, licet passio fuerit contra voluntatem sensualitatis & carnis.

Christus humanam naturam assumpsit, & defectus aliquos circa eam, non tamen omnes.

In natura passibili sic assumpta, passus est passione generalissima, quantum ad naturam humanam: quia non solum secundum omnia membra corporis principalia, verumetiam secundum omnem animæ potentiam, licet nihil pati posset secundum naturam divinam. Passus est passione acerbissima, tum propter complexionis æqualitatem: tum propter sensuum vivacitatem: tum propter suspendii continuitatem: tum quia doluit propter vulnera ut patiens: tum quia doluit propter nostra delicta ut compatiens. Passus est passione ignominiosissima, propter patibulum crucis, quod erat supplicium latronum, & pessimorum: & propter consortium iniquorum latronum, scilicet cum quibus reputatus est. Passus est tamdem passione interemptoria, per separationem animæ a corpore, salva tamen unione utriusque cum divinitate. Anathema enim est, qui dicit filium Dei naturam, quam semel assumpsit, reliquisse. Peracto autem mysterio passionis, descendit

Magnitudo passionis Christi.

Isa. 53.

A anima Christi ad liberationem eorum, qui inter membra sua decesserant per fidem rectam, vel per fidei Sacramenta: tertia die rediens ab inferis, corpus, quod prius vivificaverat, factum immortale & impassibile assumpsit: post quadraginta dies cælos ascendit, interiectis decem diebus, Spiritum sanctum misit. Act. 1.

SECTIO XXXII.

De sacra Scriptura, quantum ad duo Testamenta.

SEquitur videre de triplici beneficio Christi, & primo de doctrina sacra, ratione cujus dicitur plenus veritatis ad homines descendisse. Doctrinam ergo sacram, sive scripturam divinam habemus considerare quantum ad diversitatem Testamentorum, quantum ad generalitatem contentorum, & quantum ad specialitatem præceptorum. Et sic scriptura sacra in quo dividitur Testamenta, vetus scilicet & novum. Vetus habet multitudinem librorum. Habet enim libros legales quinque: scilicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numeri, Deuteronomium. Habet historiales decem: qui sunt, Josue, Judicum, libri Regum quatuor, libri Paralipomenon duo, libri Esdræ tres, libri Tobiæ, Judith, Esther, Job, & libri Machabæorum duo. Sapientiales sunt quinque: Parabolæ, Ecclesiastes, Cantica, liber Sapientiæ, & Ecclesiasticus. Prophetales sunt sex, scilicet Isaias, Hieremias Ezechiel, Daniel, liber Psalmorum, & libri duodecim Prophetarum: qui sunt Oseæ, Johel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

B Jo. 1.

Vetus Testamentum

C

Novum Testamentum habet etiam libros multos, scilicet Evangelia quatuor, primum secundum Mathæum: secundum, secundum Marcum: tertium, secundum Lucam: quartum, secundum Joannem. Habet actus Apostolorum. Habet Epistolas Pauli quatuordecim, ad Romanos unam, ad Corinthios duas, ad Galathas unam, ad

Novum.

ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Titum unam, ad Philemonem unam, ad Timotheum duas, ad Hebræos unam. Et septem canonicas, scilicet unam Jacobi, duas Petri, tres Joannis, unam Judæ. Habet etiam librum Apocalypsis. Novum Testamentum, & maxime quatuor Evangelia, quatuor qualitatibus secundum Hieronymum contexuntur: quæ sunt præcepta, mandata, testimonia, & exempla. Præcepta sunt, ad declinandum a malis: mandata, ad faciendum bona: testimonia, ad credendum vera: exempla ad imitandum, & explendum honesta. Timor incutitur præceptis, fides roboratur testimoniis, spes erigitur exemplis, charitas consummatur mandatis.

Hier. pref. in Evang. sec. Marc. c. 6

Legis Mosaicæ & Evangelicæ differentia.

Assignatur autem differentia inter legem Mosaicam, & Evangelicam in hunc modum: quia lex Moysi dicitur lex figuræ, lex pœnæ, lex litteralis, lex occidens, lex timoris, lex servitutis, lex oneris. Lex autem Evangelica, dicitur lex veritatis, lex gratiæ, lex spiritualis, lex vivificans, lex amoris, lex libertatis, lex facilitatis. In lege quippe Evangelica quatuor conditiones nobilissimæ sunt adiectæ, scilicet documenta instruentia, promissa incitantia, sacramenta adiuvantia, & consilia perficientia: quæ sunt consilium paupertatis altissimæ, castitatis mundissimæ, & obedientiæ sive humilitatis subiectissimæ.

Res de quibus scriptura sacra agit.

Agitur enim de septem in universo in sacra Scriptura tam novi, quam veteris Testamenti, scilicet de Trinitate Dei, & de creatura mundi, de corruptela peccati, de incarnatione Verbi, de gratia Spiritus sancti, de medicina sacramentali, de statu finalis iudicii. Sunt specialiter in scriptura quatuor genera præceptorum; scilicet quædam cæremonialia, ut: Non arabis in bove & asino. Quædam sacramentalia, ut de vitula rufa, & aliis sacrificiis, & circumcisione. Quædam iudicialia, ut oculum pro oculo, dentem pro dente. Quædam moralia, ut decem præcepta Decalogi.

Deut. 22 Num. 19. Gen. 17 Exod 21 Exod. 20

SECTIO XXXIII.

De præceptis Decalogi.

Salus hominis.

Præcepta Decalogi sunt specialiter declaranda, quæ dicuntur moralia, quia cum fide sunt ad salutem hominum necessaria. In fide enim & moribus est salus hominum constituta. Fuerunt autem conscripta digito Dei in duabus tabulis lapideis, in signum geminæ charitatis, divinæ, scilicet & humanæ. De quibus breviter duo sunt videnda, scilicet ordinatio, & numeri sive sufficientiæ assignatio. Ordinantur autem a Josepho historiographo, secundum ordinem rei gestæ quinque in prima tabula, & quinque in secunda. Secundum eumdem ordinem, ab Augustino tria in prima tabula, & septem in secunda. Origenes considerans materiam eorum, quæ ordinantur, distinguit primum in duo, scilicet non habebis deos alienos præter me: & non facies tibi sculptile. In quorum primo prohibetur adoratio statuæ nihil habentis simile in naturis: secundo prohibetur adoratio statuæ habentis similitudinem cum aliqua creatura. Duo vero ultima secundæ tabulæ non distinguit, reputans ea esse unum, scilicet: non concupisces uxorem proximi tui: Et non desiderabis rem eius. Augustinus vero, considerans finem, ad quem præcepta Decalogi ordinantur, primum non distinguit, quia utrobique secundum intentionem idololatria prohibetur. Et sic ponit tantum tria in prima tabula. Præceptum vero de concupiscentia uxoris, & possessionis alienæ, distinguit in duo; quia alio fine concupiscitur uxor ad usum voluptatis, alio fine concupiscitur possessio ad usum cupiditatis: & sic septem ponit in secunda.

Exod. 31

Joseph. Antiq. Judaic. l. 3. c. 4 Aug. lib. 2. quæstio. in Exod. q. 71 c. 4

Sufficientia decem præceptorum.

Augustinum ergo sequentes, qui tria ponit in prima tabula, & septem in secunda, sufficientiam numeri assignemus. In prima tabula tria fuerunt præcepta ordinantia ad Deum, quorum sufficientia potest sumi

sumi penes subiectum: quod est triplex in nobis, scilicet potentia irascibilis, quæ ordinatur per præceptum de protestatione veritatis: potentia concupiscibilis, quæ ordinatur per præceptum de sabbatizatione mentis: potentia rationalis, quæ ordinatur per præceptum de ordinatione maiestatis. Potest etiam sumi penes obiectum, quod est triplex in divinis, scilicet summa maiestas reverenda, respectu cuius est primum: summa veritas profitenda, respectu cuius est secundum: summa bonitas diligenda, respectu cuius est tertium. Potest sumi nihilominus penes actum intermedium, qui est triplex, scilicet actus operis, qui exercetur in primo mandato per actualem, adorationem: actus oris, qui exercetur in secundo per sermocinalem prolationem: actus cordis, qui exercetur in tertio, per affectualem dilectionem. Non potest bene sabbatum, idest, quietem mentis celebrare, qui per quietem continuam, non studet omne peccatum mortale declinare. In secunda tabula, septem fuerunt præcepta ad proximum ordinantia. Quorum sufficientia sic accipitur. Ad proximum habemus dupliciter ordinari, scilicet per beneficentiam, & sic est primum, scilicet: Honora patrem & matrem tuam: per innocentiam, & sic possumus nocere proximo tripliciter, actu operis, actu oris, & actu cordis. Actu operis, tribus modis, scilicet in propria persona, & sic dicitur: Non occides. In persona conjuncta, & sic dicitur: Non mœchaberis. In possessione sua, & sic dicitur: Non furaberis. In actu oris, possumus nocere proximo falsum testificando, & sic dicitur: Non loqueris falsum testimonium contra proximum tuum. In actu cordis, possumus nocere ei dupliciter, scilicet affectu carnalitatis, & sic dicitur: Non concupisces uxorem proximi tui: & affectu cupiditatis, & sic dicitur: Non desiderabis rem ejus, Decem præcepta per ordinem his versibus continentur.

Sperne deos, fugito periuria, sabbata serva.
Sit tibi patris honor, sit tibi matris amor.
Non sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus,
Vicinique thorum, resque caveto suas.

SECTIO XXXIV.

De præceptorum summa.

AD majorem notitiam præceptorum est attendendum, quod est præceptum naturæ, disciplinæ, & scripturæ. Præceptum naturæ est duplex, innatum, & datum. Innatum est duplex, quoddam respectu Dei, quoddam respectu proximi. Respectu Dei est illud Deuteronomii, videlicet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua. Respectu proximi est duplex, unum per beneficentiam, de quo Salvator: Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis. Aliud est de innocentia in Tobia: Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne alteri aliquando ut facias. Datum est duplex præceptum. Unum ad conservationem individui in Genesi. Ex omni ligno Paradisi comede. Aliud est ad conservationem speciei, ibidem: Crescite, & multiplicamini. Præceptum disciplinæ est duplex: quoddam ad probationem obedientiæ: De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas. Quoddam ad probationem fidei: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & offeres eum mihi.

Præceptum triplex. — Deut. 6 — Matt. 7 — Tob. 4 — Gen. 2 — Gen. 1 — Gen. 2 — Gen. 22.

Præcepta scripturæ sunt in quatuor generibus comprehensa, sicut supra dictum est. Quædam sunt cæremonialia, quædam sacramentalia, quædam iudicialia, & moralia: Hæc quatuor genera præceptorum, fuerunt in veteri Testamento, tanto multiplicato numero, ut quasi non essent plures dies in anno, nec ossa in homine, quam præcepta data Dei populo. Lex autem Evangelica superveniens, tamquam abbrevians, & consummans cæremonialia, & sacramentalia evacuavit adimplendo: iu-

Sup. Sec. 32 hujus par. — Lex Evangelica.

dicialia temperavit auferendo: moralia consummavit, consilia salutifera adiiciendo. Possunt autem omnia præcepta, quæ legimus in scriptura, reduci ad tres diferentias, sive membra: ut dicamus, quod præceptum aliud executionis, sicut est illud quod implere tenemur ex Domini voluntate. Aliud probationis, sicut fuit præceptum Abrahæ, ut immolaret filium, in quo requirebat Deus non opus, sed promptitudinem voluntatis. Aliud instructionis: sicut quandoque curabat Dominus aliquos, & mandabat curatis, ne eum in populo divulgarent. Non enim obligabat Dominus curatos, ut tacerent: sed instruebat, ut de magnis operibus laudes non captemus.

Gen. 22

SECTIO XXXV.

De gratia in se considerata, quo ad diffinitionem, divisionem, & operationem.

SEquitur videre de secundo beneficio Jesu Christi, quod est gratia, ratione cuius, plenus gratia dicitur advenisse. Est autem considerare gratiam in se, & in comparatione ad habitus virtuales. In se habet considerari gratia, quantum ad diversitatem diffinitionis, divisionis, nominationis, & operationis.

Jo. 1

Diffinitur autem gratia multipliciter, secundum quod multipliciter comparatur. Comparatur autem ad suum principium, & sic diffinitur ab Isidoro: Gratia est divinæ misericordiæ donum, per quod bonæ voluntatis est exitus. Ad suum obiectum, & sic est illa super Psalmos, ut exhilaret faciem in oleo. Gratia est quidam nitor animæ, ad conciliandum sanctum amorem. Ad suum oppositum, & sic est, quæ datur in Glossa super Psalmos: Gratia est justificatio, & recisio peccatorum. Ad suum effectum, & sic est illa Chrysostomi: Gratia est sanitas mentis, dilectio cordis. Potest quinto comparari ad suum præmium, & sic est illa: Gratia est similitudo gloriæ. Secundum has omnes comparationes, assignatur diffi-

Gratiæ definitiones.

Isidor. de Diff. l. 1 differ. 27
Psal. 103

A nitio magistralis, quæ talis est: Gratia est forma a Deo data gratis sine meritis, gratum faciens habentem, & opus eius bonum reddens. Invenitur, & alia notificatio, quæ competit gratiæ gratis datæ: Gratia est manifestatio spiritus ad utilitatem spiritus, sumpta ab Apostolo.

1. Cor. 12

Dividitur etiam gratia multipliciter secundum quod multipliciter comparatur. Comparata enim ad suum principium, a quo est, dividitur in gratiam prædestinationis, vocationis, iustificationis, & magnificationis. Primo enim Deus gratiam præparat, secundo affert, tertio confert, quarto complet. Comparata ad suum subiectum, in quo B est, dividitur in gratiam cognitionis, voluntatis, & perfectionis, secundum triplicem potentiam: scilicet intellectivam, affectivam, & operativam. Et sumitur a Bernardo in libro de Libero arbitrio. Comparata ad oppositum, contra quod est, dividitur in gratiam protectionis, liberationis, & salvationis, contra quadruplex malum, scilicet pugnæ, sive tentationis: miseriæ, sive persecutionis: culpæ, sive infectionis: & sequelæ, sive damnationis. A primo protegit, a secundo liberat, a tertio extrahit, a quarto salvat. Et sumitur de Isaia: Proteget Dominus exercituum Hierusalem, protegens, & liberans, transiens, & salvans. Comparata ad ef- C fectum, ad quem est, dividitur in gratiam prævenientem, & subsequentem, sive operantem, & cooperantem: quæ sunt duæ differentiæ gratiæ secundum effectus, quos habet in voluntate. Dicitur enim gratia præveniens, quia non est a libero arbitrio, sed infunditur ab ipso Deo. Subsequens vero dicitur, vel cooperans, inquantum adiuvat liberum arbitrium, respectu boni operis eliciendi.

Divisiones gratiæ.

Isai. 31

Exprimitur autem gratia diversis vocabulis, secundum diversas intentiones nominantium. Dicit enim gratia gratis data, & gratia gratum faciens: dicitur gratia operans, & cooperans; sive gratia præveniens & gratia subsequens. Accipitur enim gra-

Gratiæ nomina.

gratia largissime, & sic comprehendit dona naturalia, & dona gratuita. Accipitur minus communiter, & sic comprehendit gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Et sic dicit beatus Bernardus, quod quædam gratia seminat cogitatum, & hæc est gratia præveniens: quædam perficit bonum, & hæc est gratia sequens. Dicit enim in libro de Libero arbitrio, quod Deus operatur in nobis cogitare, velle, & perficere. Primum sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos: Et nota, quod gratia gratis data communiter a Theologis dicitur gratia, quæ bonis, & malis potest esse communis & plurificatur in homine secundum munificentiam largitoris: Gratia vero gratum faciens solis iustis convenit, qui sunt præditi charitate: & est in uno homine una sola, tum ratione unius principii effectivi, cui assimilat: tum ratione unius subiecti perceptivi, quod vivificat: tum ratione unius finis ultimi completivi, ad quem gradatim ordinat. Nam totum hominem acceptum Deo reddit, opus a libero arbitrio egrediens meritorium facit, & ad unum summum bonum perducit. Accipitur tertio gratia stricte, & sic comprehendit gratiam gratum facientem: & gloriam: & tunc gratia præveniens est ipsa gratia, gratia subsequens est gloria. Et secundum hoc dicit Augustinus: Gratia prævenit, ut pie vivamus: subsequitur, ut cum illo semper vivamus. Accipitur etiam magis stricte & sic nominat tantum gratiam gratum facientem: & tunc præveniens dicit effectum contra malum, subsequens ad bonum, vel ad bonum tantum: ita quod præveniens dicitur, secundum quod informat, subsequens secundum quod movet, vel monet.

[Bon. tract. de l. arb.] [Ibidem.] [Aug. l. de nat. & grat. c. 32. t. 7]

Est duplex effectus gratiæ; unus in ingressu; alius in profectu. Et sic exponit Augustinus in libro de Natura, & gratia. Hæc autem gratia cum sit una, tamen multa in anima operatur. Ipsa enim animam efficit sponsam Christi, filiam Patris æterni, & templum Spiritus sancti. Ipsam animam purgat, iluminat, perficit, vi- [Gratiæ effectus.]

A vificat, reformat, & stabilit, elevat, assimilat Deo, conjungit, ac per hoc acceptabilem Deo facit: propter quod tale donum gratia gratum faciens non immerito debuit appellari.

SECTIO XXXVI.

De gratia in comparatione ad habitus gratuitos, ut sunt virtutes in generali.

Sequitur videre de gratia in comparatione ad habitus virtuales, in quos ramificatur: qui sunt in triplici differentia. Sunt enim habitus virtutum, donorum, & beatitudinum, primi sunt ad primos motus animæ, secundi ad medios, tertii ad perfectos. Sunt enim quædam B opera moralia promitiva, sicut credere: quædam media, sicut credita intelligere: quædam postrema, sicut intellecta videre. Item primi sunt respectu incipientium: secundi respectu proficientium: tertii respectu perfectorum. Item primi sunt ad potentias animæ rectificandas: secundi ad expediendas: tertii ad perficiendas.

Primo de virtutibus aliquid videamus breviter. De quibus in generali tria sunt simpliciter referenda, scilicet diffinitio, & distinctio, & connexio. Multiplex virtutis diffinitio invenitur. Nam virtus accipitur communiter, proprie, & magis proprie. Communiter accepta virtus, com- C prehendit virtutem moralem, & naturalem. Et secundum hoc comparata ad actum, diffinitur a Philosopho de cælo, & mundo sic: *a* Virtus est ultimum potentiæ de re. Comparata a actum, & finem ultimum, diffinitur ab eodem sic: *b* Virtus est dispositio perfecti ad optimum. Accepta vero proprie comprehendit moralem tantum, ad Politicam & gratuitam se extendens, & secundum hoc comparata ad actum diffinitur a Philosopho in Ethicis sic: *c* Virtus est habitus, qui perficit habentem, & opus eius bonum reddit. Comparata ad principium directivum, diffinitur ab eodem ibidem sic: Virtus est habitus voluntarius, in mente consistens, recta ratione determinatus, prout sapiens de-

[Virtutis definitiones.] [a Arist. l. 1 de cæl. tex. 106.] [b Idem 7 phis. tex. 17] [c. Idem 2 Eth. c. 6]

determinavit. Secundum hoc diffinitur a Tullio: * Virtus est habitus mentis bene compositæ. Item *d* ab Augustino in libro de Quantitate animæ: Virtus est æqualitas quædam vitæ rationi undique consentientis. Accepta magis proprie, comprehendit virtutem gratuitam. Et secundum hoc comparata ad finem, diffinitur ab *e* Augustino in Soliloquiis: Virtus est habitus ratione recta, ad suum finem perveniens. Comparata ad suum subjectum, quod informat, diffinitur ab eodem in libro de Civitate Dei: Virtus est bona voluntas: Ad actum proprium, sive complementum, diffinitur in libro de Moribus Ecclesiæ: Virtus est ordo amoris, sive amor ordinatus. Comparata ad suum principium effectivum diffinitur ab Augustino sic: * Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus nobis sine nobis operatur.

* *Est apud Aug. l. de spir. & ani. c. 4 t. 3*
d *c. 16. t. 1*
e *Lib. 1. c. 15 t. 1*
* *Colligitur ex August. c. 1. retract. c. 9 & li. 2 de lib. arb. c. 18. & 19 t. 1 Mag. in 2 d. 27*

Sunt autem septem virtutes, quibus vita regitur Christiana tres Theologicæ, scilicet fides, spes, & charitas: quatuor Cardinales, scilicet prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo. Qarum sufficientia sic accipitur. Duplex est facies animæ, scilicet superior, quæ est respectu finis: & inferior, quæ est respectu eorum, quæ sunt ad finem. Superior habet rectificari per Theologicas, & quantum ad triplex objectum, quod est in divinis, & quantum ad triplex subjectum, quod est in nobis. In divinis est summa veritas, in quam nos dirigit fides in credendo, & assentiendo: summa majestas, sive largitas, in quam erigit spes in laudando, & expectando: summa bonitas, cum qua unit charitas in complectendo, & diligendo. Triplex etiam subjectum in nobis est, scilicet potentia rationalis, quæ ordinatur, sive rectificatur per fidem: irascibilis, quæ per spem: concupiscibilis, quæ per charitatem. Inferior vero facies animæ habet rectificari per quatuor Cardinales. Nam prudentia rectificat rationalem: fortitudo, irascibilem: temperantia, concupiscibilem: iustitia rectificat omnes vires, sive virtutes, in comparatione ad alterum. In comparatione, inquam, ad proximum, rectificans omnes vires, dicitur justitia cardinalis. In comparatione vero ad proximum, ad ipsum, & ad Deum, non solum cardinalis dicitur, sed generalis iustitia, totius animæ rectitudinem comprehendens. Potest & aliter sufficientia Cardinalium assignari per subiecta. Nam rationalis rectificari habet respectu sui, & sic indiget prudentia: respectu proximi, & sic indiget justitia. Irascibilis habet rectificari contra adversa, & sic indiget fortitudine: concupiscibilis contra prospera, & sic indiget temperantia. Habent autem virtutes esse gratuitum a gratia, tamquam ab origine, & radice: & esse meritorium a charitate, tamquam a motore, forma, & fine. Et ideo omnes virtutes quo ad habitus sunt connexæ, quo ad habitus meritorios sunt æquales.

SECTIO XXXVII.

De fide.

Sequitur videre de singulis virtutibus in speciali, & primo de fide. Et primo quantum ad ejus essentiam: secundo quantum ad symboli continentiam. In se possumus considerare fidem quantum ad diffinitionem, æquivocationem, actus diversificationem, & effectus impetrationem.

Diffinitur autem fides multipliciter. Quantum ad genus proprium diffinitur ab *a* Augustino: Fides est virtus, qua creduntur ea, quæ non videntur. Quantum ad finem ultimum ab Apostolo: Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium. A *b* Damasceno: Fides est eorum, quæ sperantur hypostasis, rerum, quæ non videntur, redargutio. Quantum ad objectum, & primum motivum ab Augustino: Fides est illuminatio mentis ad summam veritatem. Quantum ad actum proprium a *c* Damasceno: Fides est non inquisitus consensus. In ordine ad subiectum a *d* Dionysio: Fides est unicum credentium fun-

a *Aug. quæst. Evang. l. 2 c. 39 t. 4 Heb. 11.*
b *Damasc. l. 3 de fide orth. c. 11*
c *Damasc. l. 4. de fide orth. c. 11*
d *Dionys. de div. nom. c. 7*

fundamentum eos collocans in veritate. In comparatione ad alios habitus, & modum, asserendi, ab *e* Hugone sic: Fides est voluntaria quædam certitudo de rebus absentibus supra opinionem, & infra scientiam constituta.

e Hug. l. 1 Miscellan. c. 18

Accipitur autem nomen fidei decem modis. Aliquando enim accipitur pro sponsione, unde Apostolus: Primam fidem irritam fecerunt. Aliquando pro fidelitate: Periit fides, & sanctus de terra. Aliquando pro conscientia: Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Aliquando pro sacramento fidei. Unde dicit *a* Augustinus: Parvulos habere fidem, non est aliud, quam fidei habere sacramentum. Aliquando pro acceptione conclusionis, per rationem probatæ. Et sic dicit Boetius: Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem. Aliquando pro cognitione comprehensionis, & sic accipitur ab Apostolo: Justitia Dei revelabitur ex fide in fidem. Glossa in fidem speciei, quæ fides dicitur, quia fidentissima, & certissima est. Aliquando pro habitu fidei informis a Jacobo: Fides sine operibus mortua est. Aliquando pro habitu fidei formatæ: Justus ex fide vivit. Aliquando pro actu fidei. Et sic dicit Augustinus: Fides est credere, quod non vides. Aliquando pro obiecto fidei. Unde dicitur in Symbolo: * Hæc est fides catholica.

1 Tim. 5
Hebr. 7
Mich. 7
Rom. 14
a Aug. Epis. 23 ad Bonifac. prope fin. t. 2
Rom. 1
Ja. 2
Rom. 1
Aug. expos. in Jo. tract. 40. t. 9. & serm. 29 de verb. Apos. t. 10
** Athan. in Symb.*

Diversificatur autem actus fidei, qui est credere, per credere Deum, credere Deo, credere in Deum. Credere Deum, & credere Deo possunt esse actus informis fidei, & formatæ. Possunt autem ad eumdem actum secundum ordinem pertinere. Nam credere Deum, respicit divinam veritatem, ut obiectum: credere Deo, ut motivum: credere in Deum ut finem ultimum. Istum ultimum actum, multiplicat, & exponit Anselmus sic: Credere in Deum est, credendo, eum amare, credendo, in eum ire, ei adhærere, & credendo, eius membris incorporari. Ad hoc enim quod fides perfecte tendat in Deum, requiritur adiunctio charitatis, quæ

Ansel. in epis. ad Rom. c. 4

A ordinat ad amorem Dei, & sic est prima differentia: ad operationem boni, & sic est secunda: ad perpessionem mali, & sic est tertia: ad dilectionem proximi, & sic est quarta.

Fidei operatio.

Fidei attribuitur operatio miraculorum. Ipsa est enim prima virtus, quæ supra se elevat intellectum, captivans eum in obsequium Domini nostri Jesu Christi: & ideo meretur de congruo apud Deum opus arduum impetrare, ad quod se non extendit possibilitas admirantis. Et hoc est, quod tangitur in diffinitione miraculi. Miraculum est opus arduum, & insolitum, supra spem & facultatem admirantis con- B sistens.

Miraculum quod dicatur.

SECTIO XXXVIII.

De continentia Symboli quantum ad articulos.

Sequitur de continentia symboli, circa quod tria sunt breviter attendenda, scilicet differentia symbolorum, sufficientia credendorum, & essentia articulorum.

Tria symbola fidei.

Tria sunt symbola fidei Christianæ, scilicet symbolum Apostolorum: symbolum Nicæni concilii, quod CCCXVIII. Episcopi condiderunt: & symbolum Athanasii. Causa principalis conditionis primi, fuit certa C fidei traditio: causa secundi, fuit certa probatio vel propalatio: causa tertii, fuit errorum pullulantium exterminatio. Primum dicitur maius, non numerositate contentorum, sed maioritate conditorum, vel auctorum. Et dicitur submissa voce, quia fuit conditum tempore veritatis nondum propalatæ, vel prolatæ: vel quia est ad propriæ conscientiæ securitatem. Dicitur etiam in diei principio, & fine, scilicet in Prima, & in Completorio, propter duplicem confessionem fidei necessariam, scilicet in principio Ecclesiæ, & in fine: vel in principio regenerationis baptismalis, & ultimo defunctionis corporalis, in testimonium conversationis triumphalis: vel in prosperis, & adversis:

Ritus symbolorum.

vel in agendo, & patiendo : vel quod fides est scutum contra tentationes diurnas, & contra tentationes nocturnas. Secundum, quia editum est propter veritatem traditam propalandam, in diebus Dominicis, & festis solemnibus, propter maiorem conventum populi, alta voce cantatur, & hoc post Evangelium: quia est eius brevis collectio: & ante communionem, quia est ad ipsam digna præparatio. Tertium dicitur, nocte finita, Prima diei hora: quia fuit editum tempore veritatis concussæ per hæreticos, prævalentis finaliter contra eos.

Sufficientia articulorum fidei ex parte causæ efficientis. Idem sup. t 1 ser. 8 in Hexaem. & infr. Opusc. die. Salut. c. 3

Sufficientia articulorum in Symbolo Apostolico contentorum potest dupliciter assignari, scilicet ex parte causæ efficientis, scilicet Apostolorum, quia ad condendum Symbolum singuli singulas particulas posuerunt. Petrus dicit: Credo in Deum Patrem, omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Andreas subiunxit: Et in Jesum Christum filium eius, Dominum nostrum. Deinde Joannes: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Deinde Jacobus Maior: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus. Deinde Thomas: Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis. Deinde Jacobus Minor: Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Deinde Philippus: Inde venturus est iudicare vivos & mortuos. Deinde Bartholomæus: Credo in Spiritum S. Deinde Matthæus: Sanctam Eccclesiam catholicam. Et est sensus: Credo in Spiritum sanctum sanctificantem universalem Ecclesiam. Deinde Simon Chananæus: Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Et est sensus, quod remissio peccatorum fit in communione vivorum, vel sacramentorum. Deinde Judas Thadæus: Carnis resurrectionem. Et est sensus: Credo quod Deus resuscitabit carnem. Deinde Matthias: Vitam æternam, Amen.

Sufficientia ex parte causæ materialis.

Potest etiam sufficientia assignari ex parte causæ materialis, scilicet ipsorum articulorum. Omnes articuli sunt de Deo, vel secundum naturam, in qua consistit, vel secundum naturam, quam assumpsit. Et sic quidam articuli spectant ad divinitatem, quidam ad humanitatem. Qui ad divinitatem, aut respiciunt divinam naturam in se, & sic est primus de singularitate, cum dicitur: Credo in Deum, & non in deos. Aut respiciunt divinæ essentiæ tres personas, & sic respectu Patris est: Credo in patrem omnipotentem: Rerspectu Filii est: Credo in Jesum Christum filium eius unicum, Dominum nostrum. Respectu Spiritus sancti est: Credo in Spiritum sanctum. Aut respiciunt divinæ essentiæ operationes, quarum una est in collatione naturæ, & hæc est creatio habens suum articulum: Credo in creatorem cæli & terræ. Alia est in collatione gratiæ, & hæc est sanctificatio habens suum articulum: Sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum. Et est sensus: Credo quod remissio peccatorum fiat in Ecclesia catholica, ubi est communio sanctorum masculine, vel sanctorum neutraliter, scilicet sacramentorum. Alia est in collatione gloriæ, & hæc est gloriosa resuscitatio, habens suum articulum: Carnis resurrectionem, & vitam æternam. Amen. Septem sunt ergo articuli respectu divinitatis accepti. Accipiuntur etiam septem respectu humanitatis Christi, iuxta septem actus principales, quos ad reparationem nostram Dominus Deus ordinavit. Primus fuit incarnari habens suum articulum: Qui conceptus est de Spiritu sancto. Secundus fuit nasci, habens suum articulum: Natus ex Maria virgine. Tertius fuit pretium pro nobis solvere, habens suum articulum: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. Quartus fuit inferos visitare, habens suum articulum: Descendit ad inferna. Quintus fuit infernum spoliare, habens suum articulum: Tertia die resurrexit a mortuis. Sextus fuit cœlestia transcendere, habens suum articulum: Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis:

tis: Septimus erit venire ad iudicium, habens suum articulum: Inde venturus est iudicare vivos, & mortuos. Et sic sunt septem articuli respectu humanitatis Christi. Diffinitur autem a Richardo articulus sic: Articulus est indivisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. Ab Isidoro vero sic: Articulus est perceptio veritatis divinæ, tendens in ipsam. Prima diffinitio non tantum convenit articulo formato, sed etiam informi.

Articulus quid est

SECTIO XXXIX.

De spe.

Spei definitiones. Arist. l. 2 Rhet. c. 5

SEquitur videre de spe. Circa quam possumus considerare quatuor, scilicet diffinitionem, æquivocationem, actus excellentiam, & cum fide differentiam. Spes in quantum est nomen affectionis diffinitur a Philosopho: Spes est suspicio futuri boni. In quantum est nomen virtutis, tribus diffinitionibus notificatur. Prima est hæc: Spes est virtus, qua spiritualia, & æterna bona sperantur, idest, cum fiducia expectantur. Ista spiritualia bona, possunt intelligi venia peccatorum, gratia meritorum, & gloria præmiorum: ut dicatur quædam spes veniæ, quædam gratiæ, quædam gloriæ. Secunda hæc est: Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & meritis præcedentibus. Tertia est Augustini hæc: Spes est virtus, qua quis se illud, quod credit, perventurum præsumit.

Mag. sent. l. 3 dist. 26. Est autem.

Accipitur autem multiformiter nomen spei. Aliquando enim nominat affectionem, secundum quod dicit Boetius:

Boet de consola Philos. l. 1. met. 7

Gaudia pelle, pelle timorem, Spemque fugato.

Nec dolor adsit. Aliquando nominat habitum virtutis, & tunc spes non habet ortum ex meritis, sed ex ea merita oriuntur. Aliquando nominat virtus actum, & tunc spes oritur ex intuitu meritorum. Nemo enim recte se sperat ad beatitudinem perventurum, nisi qui Deo servit, vel servire proponit. Aliquando nominat virtutis statum, & tunc spes ex meritis concomitantibus habet ortum, iuxta illud Pauli: Probatio operatur spem, id est, certitudinem secundum Glossam: ad quam certitudinem per bona opera, & maxime per adversorum tolerantiam pervenitur. Aliquando nominat virtutis terminum, sive obiectum, idest, rem separatam, scilicet beatitudinem sempiternam, & tunc spes ex gratia, & meritis præcedentibus habet ortum. Et sic spes virtus, secundum primam acceptationem sui præcedit merita: secundum ultimam sequitur: secundum duas intermedias, sequitur & præcedit.

Rom. 5

Excellentia spei in suo actu.

Habet autem spes excellentiam in actu suo. Nam habens potentiam irascibilem pro subiecto, virtutum habitus præsupponit, quibus supereminet, ut regina. Habet enim irascibilis detestari mala culpæ, tolerare mala pœnæ, aggredi terribilia, erigi ad ardua. Ad detestationem culpæ alienæ, requirit iram per zelum. Ad detestationem culpæ propriæ, requirit pœnitentiam. Ad perpessionem malorum pœnæ, requirit patientiam. Ad aggressionem terribilium, habet fortitudinem, & tunc ad expectationem æternæ beatitudinis per spem erigitur a Deo liberaliter repromissæ.

Fidei & spei differentia. Aug. enchi. ad Laur. c. 8 t. 3

Assignatur autem inter fidem, & spem differentia, per hunc modum. Nam fides est bonarum rerum, & malarum: spes tantum bonarum. Est etiam fides rerum præteritarum, præsentium, & futurarum: spes tantum futurarum. Item fides est rerum propriarum, & alienarum: spes est solummodo propriarum.

SECTIO XL.

De charitate.

Definitio charitatis.

SEquitur videre de charitate. Circa quam debes considerare diffinitionem, distinctionem, perfectionem, diligibilium sufficientiam, & ordinis exigentiam. Charitas tripliciter diffinitur. Nam comparata ad obiectum diffinitur in sententiis a Magistro: Charitas est dilectio qua

Mag. sent. l. 3 dist. 7

Cum autem. Aug. l. 1 de mori. Eccles. c. 1. t. 1

qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum. Comparata ad actum proprium, qui est vivere, & adhærere, diffinitur ab Augustino sic: Charitas est rectissima animi affectio, coniungens nos Deo. Vel: Charitas est virtus, qua Deum videmus, eo quod frui desideramus. Vel: Charitas est vita, copulans amantem cum amato. Comparata ad habitum sibi iniunctum diffinitur ab Apostolo: Charitas est finis præcepti de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. *1. Tim. 1*

Distinctio. Distinguitur enim inter amorem, & dilectionem, & charitatem. Nam amor competit rationalibus, & irrationalibus creaturis. Dilectio vero & charitas tantum rationalibus dicitur convenire. Item inter dilectionem, & charitatem, differentia invenitur. Nam dilectio, quasi de diversis electio rationalibus convenit sive iustis, sive iniustis: charitas vero solum est iustorum.

Perfectio. Est autem in Charitate præ cæteris virtutibus, perfectio, & dignitas specialis. Nam cum sit forma virtutum non potest esse informis triplici ratione. Una ex parte obiecti: idem enim habet pro obiecto, & pro fine. Inseparabilis enim est a fine, ratione cuius est perfectio quantum ad meritum in virtute. Alia ex parte subiecti: ipsa enim est regula rectificans voluntatem, qua rectificata, tota anima recte vivit. Tertia est ex parte causæ: habet enim similitudinem cum Spiritu sancto, a quo est, qui etiam charitas dicitur sive amor, a quo inseparabilis est: & ideo esse informis omnino non potest.

Aug. l. 1 de Doct. Ch. c. 23. t. 3 *Sufficientia diligibilium.*

Quatuor autem sunt ex charitate diligenda secundum Augustinum, unum, quod est supra nos, scilicet Deus: alterum, quod nos sumus: tertium, quod iuxta nos, scilicet proximus: quartum, quod infra nos est, scilicet humanum corpus. Horum quatuor sufficientia sic accipitur. Ex charitate diligere, est summum bonum optare dilecto. Qui ergo ex charitate diligit, aut optat summum bonum ipsi Deo, & sic A est primum membrum: aut sibi ipsi, & sic est secundum membrum: aut sibi simili, & sic est tertium: aut sibi inhærenti, & sic est quartum. Est autem Deus diligendus primo super omnia propter se: nos secundo, pro Deo, & sub Deo: proximus noster tertio, sicut nos, & ex quo nos, quia affectu, & effectu: ad quod nos, quia ad gratiam in præsenti, & ad gloriam in futuro: in quo nos, quia in bono: propter quod nos, quia propter Deum. Quarto corpus nostrum infra nos & proximum, tamquam bonum minus præcipuum. Ad hæc autem exequenda datur nobis unius charitatis habitus, & duplex mandatum, in B quo pendet universitas novi, & veteris Testamenti. Assignat autem Ambrosius præter supradictum, alium ordinem diligendi, ut primo Deum, secundo nosmetipsos, tertio parentes, deinde filios, & fratres, postea domesticos, demum inimicos diligamus.

Habetur apud Mag. 3 sent. d. 29 §. Quibus obvtat.

SECTIO XLI.

De prudentia.

Sequitur videre de virtutibus cardinalibus, & primo de prudentia. Circa quam tria sunt breviter videnda, scilicet diffinitio, specierum collectio, & actuum variatio. Prudentia diffinitur, sive describitur ab C Augustino. Prudentia est amor, ea, quibus adiuvatur in Deum, ab his, quibus impeditur, sagaciter discernens. A Gregorio sic: Prudentia est cognitio vitandarum rerum, & appetendarum. A Tullio in Rhetoricis sic: Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & utrarumque scientia. Ab eodem de Officiis: Prudentia est cognitio imitandarum, fugiendarumque scientia rerum. Ab eodem in libro de requie mentis sic: Prudentia est rerum bonarum, & malarum, cum alterarum dilectione, & reliquarum detestatione scientiarum.

Aug. de Mor. Eccl. l. 1. c. 15. t. 1 *Tull. 2. l. de inven.* *Idem l. 1 offic. in fin.*

Partes sive species prudentiæ secundum Tullium in Rhetoricis sunt tres, scilicet memoria, intelligentia,

Idem 2 l. de invent.

tia, & providentia. Memoria est, per quam animus aspicit ea, quæ fuerunt. Intelligentia est, per quam, perspicit ea, quæ sunt. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur antequam factum sit. Seneca videtur concordare Tullio in his tribus, dicens: Si prudens es, animus tuus tribus temporibus dispensatur. Præsentia ordina, futura provide, & præterita recordare. Secundum dogma Philosophorum, prudentia dividitur in quatuor species, scilicet providentiam, circumspectionem, cautionem, & docilitatem. Providentia est præsens notio, futurorum pertractans eventum. Circumspectio est contrariorum vitiorum cautela. Cautio est discernere a virtutibus vitia, virtutum speciem præferentia. Docilitas est prudentia erudiendi imperitos.

Actus. Aug. lib. de spi. & an. c. 20. to. 3. Secundum August. habet prudentia plures actus. Nam prudentia scit quid debeat facere. Prudentia est scire quid possit. Prudentia est in eligendis. Prudentia est nihil pœnitendum appetere, & nihil præter iustum velle facere. *Macrob. lib. 1. in somn. Scip.* Secundum Macrobium prudentia est mundum istum, & omnia, quæ in mundo sunt, divinorum contemplatione despicere, & omnem animi cognitionem in sola divina dirigere. Prudentia est ad rationis normam, quæ cogitat, quæque agit, universa dirigere, & nihil præter rectum velle facere, humanisque actibus tamquam rationis arbitrio providere. Prudentiæ insunt ratio, intellectus, circumspectio, providentia, docilitas, agnitio. Item prudentia in homine jam purgato, est divina non quasi in electione præferre, sed sola nosse. Officium etiam prudentiæ est, ex præteritis, & præsentibus futura perpendere. *Boet. lib. 2 de consol. Philos. pro. 1.* Unde dicit Boetius in libro de consolatione Philosophiæ: Non quod ante oculos est situm sufficit intueri rerum exitus prudentia metitur. Circumspectionis officium, est per diligentem considerationem, inter contraria vitia medium tenere.

SECTIO XLII.

De temperantia.

Temperantiæ diffinitiones. Sequitur videre de temperantia quantum ad tria, scilicet quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, & actuum variationem. *Tull. lib. 2. de invent. Idem l. 1. de offic. Lib. 1. c. 15. tom. 1. Macrob. lib. 1. in somn. Scipionis. Aug. de lib. arb. l. 1 c. 13. to. 1 Tull. lib. 2 de invent* Temperantia describitur a Tullio in prima Rhetorica. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. Item ab eodem in libro de Officiis: Temperantia est dominium rationis in libidinem, & in motus alios importunos. Ab Augustino in libro de moribus Ecclesiæ: Temperantia est amor Deo sese integrum incorruptumque conservans. A Macrobio: Temperantis est, nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, sub iugo rationis cupiditatem domare. Ab Augustino: Temperantia est affectio coercens, & cohibens appetitum ab his rebus, quæ turpiter appetuntur.

Partes temperantiæ secundum Tullium in prima Rhetorica sunt tres, scilicet continentia, clementia, & modestia. Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia est virtus, per quam animus in odium alicuius temere concitatus, benignitate remittitur. Hæc secundum Tullium. *Senec. lib. 2 de clement. cap. 3.* Secundum Senecam vero: Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi, vel superioris lenitas adversus inferiorem in pœnis constituendis. Modestia secundum Tullium est, per quam pudor honestatis puram & stabilem comparat auctoritatem. Auctoritas in hac descriptione stabilis, appellatur gravitas perseverans. Secundum dogma Philosophorum, partes temperantiæ sunt, quæ fœdis motibus dominantur: quæ sunt modestia, verecundia, abstinentia, castitas, honestas, moderantia, parcitas, sobrietas, pudicitia. Modestia est, quæ facit cultum, & motum, & omnem nostram occupationem, ultra defectum, & citra excessum sistere. Verecundia est in gestu,

ftu, & verbo honestatem servare. Abstinentia, & honestas, moderantia & parcitas, & sobrietas edulii, cohibent nutrimenta. Abstinentia est, statutum terminum prandendi non prævenire. Honestas est, nec lautiores cibos quærere, nec in apparatu operam dare. Moderantia est nimium ciborum appetitum rationis imperio revocare. Parcitas est, mensuram refectionis non excedere. Sobrietas est, excessum in potu cohibere. Huius officium est, arcere mala ebrietatis. Castitas est abstinentia ab omni coitu illicito: quæ est triplex scilicet coniugalis, vidualis, & virginalis. Virginitas est secundum Augustinum in carne corruptibili, perpetuæ incorruptionis meditatio. Pudicitia est, moderamine rationis petulantiam domare.

Aug. lib. de Virg. c. 13. tom. 6.

Actus temperantiæ secundum Augustinum sunt contra prospera non præsumere, quod non possit exerceri in utendis, terrenas cupiditates non tantum reprimere, sed penitus oblivisci. Secundum Macrobium, temperantia est omnia relinquere, inquantum natura patitur, quæ corporis usus requirit.

Idem lib. de spir. & an. c. 20. to. 3.

Macrob. l. 1 in somn. Scip.

SECTIO XLIII.

De fortitudine.

SEquitur videre de fortitudine quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, & actuum variationem. Fortitudo sic describitur a Tullio in prima Rhetorica: Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Item ab eodem in secunda Rhetorica: Fortitudo est magnarum rerum appetitio, & humilium contemptio, & cum ratione utilitatis laborum perpessio. Item ab eodem: Fortitudo est rationalis aggressio terribilium, cum constanti eorum perpessione. Secundum Aristotelem: Fortitudo est virtus, difficillimorum in passionibus operativa gratia boni. August. de moribus Ecclesiæ: Fortitudo est amor facile omnia tolerans propter id, quod amatur. Fortitudo etiam aliter describitur: Fortitudo est firmitas animi contra molestias sæculi. Et sumitur de Matthæo: Erant quatuor millia, &c.

Tull. lib. 2. de invent.

Idem lib. 3. ad Her.

Arist. 3. eth. c. 7. & 8. Lib. 1. c. 15. tom. 1.

Matth. 15.

Partes fortitudinis, sive species, secundum Tullium sunt quatuor, scilicet magnificentia, fidentia, patientia, & perseverantia. Macrobius septem ponit partes fortitudinis, scilicet magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, patientiam, firmitatem. Secundum dogma aliquorum: Fortitudo est virtus restringens impetus adversitatis. Huius partes sunt quæcumque hæc efficiunt, quæ sunt magnanimitas, fiducia, securitas, magnificentia, constantia, patientia, fidentia, & perseverantia. Magnanimitas est difficilium spontanea, & rationabilis aggressio. Fiducia, est certa spes animi, perducendi ad finem rem inchoatam. Securitas est habitus, secundum quem imminentes incommoditates, & rei inchoatæ affines non formidantur. Magnificentia, secundum Tullium est rerum magnarum, & excelsarum cum animi ampla quadam, & splendidissima propositione cogitatio atque administratio. Secundum Macrobium: Magnificentia, est difficilium, & præclarorum consummatio. Constantia est stabilitas animi firma, & in proposito perseverans. Patientia est virtus contumeliarum, & omnis adversitatis æquanimiter mala portans. Item aliter: Patientia est æquanimis malorum illatorum tolerantia: Gregorius: Vera patientia est, aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum, qui mala irrogat, nullo animi dolore moveri. Item aliter diffinitur: Patientia est omnium molestiarum aliunde illatarum, victoriosa perpessio. Fidentia est virtus, per quam magnis, & honestis in rebus, multum ipse animus se in fiducia collocavit. Perseverantia secundum Tullium, est ratione bene considerata stabilis, & perpetua permansio. Magistraliter sic describitur: Perseverantia est permanentia in bono, diuturna sive finalis. Nota quod constantia est permanentia in proposito. Perseverantia est permanentia in bono, sive

Macrob. lib. 1. in somn. Scip.

Tull. lib. 2. de invent.

Macrob. loc. prox. cit.

Greg: hom. 35. in Ev. non mul- cum ante med.

Tull. 1 loco prox. cit.

ve

ve continuatio boni. Constantia cavet levem transitum a proposito in propositum, perseverantia vero discontinuationem, vel imperfectionem, respectu debiti finis.

Aug. lib. de spir. & an. c. 20. to. 3. Secundum Augustinum: Actus fortitudinis est contra adversa facere, quod possit, constans in tolerandis, nihil nisi turpia timere, & quidquid agimus, vel cogitamus, ad rationis normam dirigere.

SECTIO XLIV.

De justitia.

Justitiæ descriptiones. Tull. lib. 2. di invent. SEquitur videre de iustitia, quantum ad diffinitionem, specierum assignationem, & actionum progressionem: Justitia diffinitur sic a Tullio in prima Rhetorica: Justitia est habitus animi communi utilitate servata, suam unicuique tribuens dignitatem. *Macrob. de sepe cit.* Macrobius: Justitia est unicuique servare, quod suum est. *Lib. 1. c. 13. tom. 1.* August. libro de libero arbitr. Justitiam quid dicam esse nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur? Super *Matth. 5.* Matth. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam. Justitia est sua cuique tribuere, sibi, proximo, & Deo. Seneca: Quid est justitia, nisi naturæ tacita conventio, in adiutorium multorum inventa? Idem: Justitia divina lex est, & vinculum societatis humanæ: Isidorus: Justitia est ordo, & æquitas, qua homo cum unaquaque re bene ordinatur. *Ans. dial. de verit. c. 13.* Anselmus: Justitia est rectitudo voluntatis propter se servata, propter se, rectitudinem, scilicet. Item aliter diffinitur sic: Justitia est virtus conservatrix humanæ societatis, & vitæ com- *Lib. 1. c. 15.* munitatis. August. de Moribus Ecclesiæ: Justitia est amor, soli amato serviens, & propterea recte dominans ceteris, quæ homini subiecta *Inst. de just. & iu. in priv.* sunt. A magistris sic: Justitia est constans, & perpetua voluntas, ius suum unicuique tribuens.

Justitia secundum quosdam dividitur in severitatem, & liberalitatem. Severitas est virtus, debito supplicio coercens iniuriam. Liberalitas est virtus beneficiorum erogatrix, quæ pro affectu benignitas, pro effectu beneficentia nominatur. Et consistit hæc virtus, tota in tribuendo. Benignitatem vero dividunt in septem partes, scilicet in religionem, pietatem, innocentiam, amicitiam, reverentiam, concordiam, misericordiam, Alii dividunt in innocentiam, amicitiam, concordiam, pietatem, religionem, affectum, & humanitatem. Secundum Tullium *Tull. de invent. lib. 2.* in prima Rhetorica: Ad iustitiam pertinent religio, pietas, gratia, vindicatio, observantia, & veritas: addo pro nunc disciplinam, & obedientiam.

Religio est virtus, quæ superioris cuiusdam naturæ, quam divinam vocant, curam, cæremoniamque affert. Hæc Græce dicitur latria, quæ sic describitur: *Latria.* Latria est cultus Deo debitus, & exhibitus. Vel: Latria est voluntas impendendi Deo cultum debitum. Impenditur autem cultus debitus Deo, corde per fidem, spem, & charitatem: ore per adorationem, laudationem, benedictionem, & gratiarum actionem: opere per oblationem, thurificationem, & geniculationem. Huius primum officium, est perpetrati sceleris pœnitere: secundum est, temporalium mutabilitatem parvi pendere: tertium vitam nostram ex toto, Deo committere: quartum veritatem servare. Nota tamen, quod dulia aliquando idem est, quod latria. Stricte tamen, & proprie accipitur pro reverentia, sanctis, sive personis sublimibus exhibenda: Quæ sic describitur: *Dulia.* Dulia est servitus, vel cultus, creaturæ debitus, & exhibitus. Et videtur idem esse cum reverentia, posita in prima divisione iustitiæ, quæ sic describitur: Reverentia est virtus personis gravibus, vel aliqua prælatione sublimatis, debitæ honorificationis cultum exhibens. Deo autem debetur latria, sanctis dulia, beatæ Virgini Mariæ hyperdulia.

Pietas. Tull. ibid. Pietas est virtus, per quam sanguine coniunctis, patriæque benevolis, officium, & diligens tribuitur cultus. Gratia est virtus, in qua amicitiarum, & beneficiorum alterius, memoria, & remunerandi voluntas

luntas continetur. Vindicatio, est virtus per quam vis aut iniuria, & omnino omne, quod obfuturum est, defendendo, aut ulciscendo propulsatur. Observantia est virtus, per quam homines in aliqua dignitate, cultu quodam, & honore dignantur. Veritas est virtus, per quam immutata ea, quæ sunt, aut quæ ante fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Innocentia est puritas animi, iniuriæ omnem illationem abhorrens. Hac virtute dii placantur. Amicitia est voluntas bona erga aliquem, causa illius, qui diligitur, cum eius pari intentione, a quo diligitur. Huius primum officium est, idem velle, & idem nolle: alterum secreto admonere, & palam laudare. Concordia est virtus, concives, & compatriotas, in eodem iure, & cohabitatione, & spontanee metiens. Misericordia est virtus, per quam animus super calamitate afflictorum movetur. Hæc virtus nihil humanum a se alienum putat, aliorum damna vel commoda, sua æstimat. Disciplina, secundum Cyprianum, est morum ordinata correctio, & maiorum præcedentium patrum regularis observatio. Secundum Hugonem de sancto Victore: Disciplina, est conversatio bona, & honesta, cui parum est non malum facere, sed studet in his, quæ bene agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. Idem: Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus, & dispositio decens in omni habitu, & actione. Bernardus: Disciplina cervicem submittit, deponit supercilia, vultum componit, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, gulam frænat, iram sedat, format incessum. Obedientia sic describitur: Obedientia est voluntas faciendi præceptum, vel mandatum superiorum. Item sic: Obedientia, est obtemperatio, secundum regulam sacræ Scripturæ maioribus quibuscumque debita. Vel sic. Obedientia est spontaneum, & rationabile propriæ voluntatis sacrificium. Vel sic: Obedientia, est pio studio propriæ voluntatis abnegatio. Aug. Citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris. Æquitas est amor æqualitatis in his, in quibus debet esse qualitas.

Innocentia. *Be n. Epist. 113. ad Sophiam in fin.* *Obedientia.*

De iustitia dicit Prosper: Iustitia est quædam animi nobilitas, suam cuique tribuens dignitatem, superioribus reverentiam, paribus concordiam, inferioribus disciplinam, Deo obedientiam, sibi ipsi sanctimoniam, inimico patientiam, & misero compassionem. Secundum Aug. Actus iustitiæ est scire quid debeat reddere: non velle plus, quam possit distribuere: omnem animi cognitionem ad solum Deum dirigere, & erigere, eumque tamquam nihil aliud sit, sola mentis acie intueri. Secundum alios autem est etiam actus iustitiæ ad unam consentire viam uniuscuiusque virtutis obsequium servare, unicuique quod suum est reddere. Item cum superna, & divina mente sociari, ut servet cum ea perpetuum fœdus imitando.

Aug. lib. de spir. & an. c. 20. to. 3. *Plot. lib. 1. de virtut. Enn. 1. & ex eo Macrob. lib. 1. in somn. Scip.*

SECTIO XLV.

De septem donis Spiritus sancti.

Septem sunt dona Spiritus sancti, quæ enumerat Isaias: scilicet donum sapientiæ, & intellectus, donum consilii, & fortitudinis, donum scientiæ, & pietatis, & donum timoris Domini. Habemus autem videre de donis divinis, quæ Spiritui sancto attribuuntur, tria, scilicet specialem sufficientiam, singularem consistentiam, & generalem differentiam.

Is. 11.

Specialis sufficientia habituum prædictorum sic accipitur. Dona Spiritus sancti specialiter sunt, vel principaliter ad expediendas potentias animæ in agendo. Habemus autem expediri quantum ad declinationem mali, & sic est donum timoris. Item quantum ad operationem boni, & hoc dupliciter: nam aut est bonum necessitatis, ad quod expedimur per donum pietatis, cuius regimen directivum est donum scientiæ: aut est bonum supererogationis, ad quod expedimur per donum fortitudinis, cujus regimen est donum consilii.

Sufficientia specialis donorum.

Ad

Singularis donorum consistentia.

Ad maiorem horum donorum evidentiam, attendenda est consistentia actuum singulorum. Nota ergo primo, quod sapientia communiter accepta dicit cognitionem generalem rerum divinarum, & humanarum secundum August. & Philosophum, qui dicit quod sapiens est, qui novit omnia, Minus communiter dicit cognitionem rerum æternarum, unde Apostolus. Alii datur sermo sapientiæ, id est cognitio æternorum. Proprie dicit cognitionem, qua colitur Deus fide, & spe, & charitate, unde Job: Pietas ipsa est sapientia. Magis proprie nominat cognitionem Dei experimentalem, & sic est unum de septem donis Spiritus sancti, cuius actus consistit in degustando suavitatem Dei. Qui quidem actus partim est cognitivus, partim affectivus: ita quod in cognitione inchoatur & in affectione consummatur. Item habemus quiescere in optimo, per intelligentiam virtutis, & sic est donum intellectus: & per affectionem bonitatis, & sic est donum sapientiæ.

Aug. lib. 14 de Trinit. c. 1. to. 3. Arist. lib. 1. Met. c. 2. 1. Cor. 12.

Job 28.

Scientia.

Scientia etiam dicitur tribus modis. Quædam enim est scientia consistens in intellectu pure speculativo, fundata super principia rationis, ut est scientia acquisita, sive humana Philosophia. Quædam est consistens in intellectu inclinato ab effectu, fundata super principia iuris naturalis, ordinans ad rectam, & honestam vitam, ut est scientia prudentiæ virtutis. Quædam est consistens in intellectu inclinato a fide, & inclinante ad operationem bonam, fundata super principia fidei, habens ortum a donis spiritualis gratiæ, ut est donum scientiæ, cuius actus præcipuus est dirigere in agendis secundum exigentiam regulæ fidei, & imitationem Christi.

Intellectus.

De dono intellectus tene quod eius actus consistit in contemplatione, non solum creatricis essentiæ, verumetiam in contemplatione spiritualis creaturæ. Habetur quidem cognitio de Deo sub ratione veri tripliciter, scilicet per simplicem assensum, & sic est fides faciens assentire: per rationis adminiculum, A & sic intellectus donum, cuius est credita per rationem intelligere: per simplicem contuitum, & sic est munditia cordis, cuius est videre Deum. Etenim ad intelligendum credita, non adiuvatur homo per rationes sumptas a conditionibus.

Consilium.

De dono consilii tene, quod consilium aliquando dicit actum consiliandi: aliquando dicit illud, ad quod terminatur ille actus: aliquando dicit habitum, qui expedit, & dirigit animam, ad eligendum prosequenda, & vitandum fugienda. Habitus autem dirigens si sit respectu eligibilium, quæ sunt necessitatis, & prudentiæ, quæ dirigit ad talia, licet minus excellenter, quam B scientia, quæ est donum. Si autem eligibilia sint arduitatis, & difficultatis, est donum consilii. Potest quippe homo dirigi in electione, vel secundum regulam iuris naturalis, & sic est prudentia, vel secundum regulam iuris divini, & sic est donum consilii, cuius est dirigere in electionem prosequendorum, & fugam vitandorum.

Fortitudo.

De dono fortitudinis est tenendum, quod eius actus consistit in sustinentia passionum, & aggressione arduorum. Aggredi autem ardua, sive perpeti passiones, potest homo dupliciter, vel propter iustitiæ, & honestatis conservationem, & sic respicit virtutem fortitudinis: vel pro- C pter Christi perfectam imitationem, & sic respicit donum fortitudinis. Primum est de dictamine iuris naturalis: secundum de dictamine iuris divini. Actus ergo doni fortitudinis, attenditur penes promptam, & expeditam tolerantiam passionum.

Pietas.

De dono pietatis tene, quod pietas attenditur erga Deum, & est idem, quod latria: erga parentes, & est pars iustitiæ, secundum regulam iuris naturalis, & secundum obligationem necessitatis: attenditur etiam erga proximum Dei imagine insignitum, & sic est Spiritus sancti donum. Sed nota quod misericordiæ virtus, attendit in proximo conformitatem in natura, & necessitatem in miseria, prævio dictamine iuris naturalis, secundum regulam prudentiæ.

dentiæ. Pietas vero attendit in proximo divinam imaginem, prævio dictamine iuris divini, secundum regulam doni scientiæ. Ex dono ergo pietatis est homo benevolus cuilibet creaturæ Dei imagine insignitæ. Talis autem benevolentia pro loco, & tempore exit aliquando in compassionis affectum, aliquando in operis beneficium. Actus ergo pietatis præcipuus est, facere hominem benevolum respectu cujuslibet proximi, inquantum gerit imaginem creatoris.

Timor. De dono timoris tene, quod eius actus generalis est resilire ab arduo. Et potest diffiniri communiter omnis timor sic: Timor est resilitio ab aliquo arduo, vel excellente. Si autem illud arduum est in genere boni, B tunc est resilitio cum reverentia. Si autem in genere mali, tunc est resilitio cum fuga. Damascenus dicit timorem esse expectatorem futuri mali. Augustinus diffiniens timorem, dicit: Timor est fuga animi, ne amittat id, quod habet. Timoris donum tria intuetur, scilicet pœnam, ut eam fugiat, & sic est timor servilis: offensam, ut eam caveat, & sic est timor initialis, qui unum habet oculum ad pœnam & unum ad offensam: maiestatem summam, ut ei reverenter subiaceat, & sic est timor filialis, cui duplex respectus est, unus in refugiendo offensam, ne separetur a Deo, alius est principalior in reverendo Deum, C & iste permanet in beatis. Distinguuntur autem sex timoris differentiæ, secundum quod a triplici principio habet ortum. Habet enim ortum a natura, & sic est timor naturalis: a libidine, sive concupiscentia, & hoc vel ex nimio amore sui, & sic est timor humanus: vel ex nimio amore suorum, & sic est timor mundanus: a gratia, & hoc vel a gratia gratis data, & sic est timor servilis: vel a gratia gratum faciente, scilicet inchoata, & sic est timor initialis: aut a gratia perfecta, & sic est timor filialis. Et iste dicitur amicabilis, vel amicalis, quia timet voluntatum dissensionem: castus, quia timet sponsi complexus separationem: filialis, quia timet patris indignationem: sanctus, quia timet in omnibus inquinationem.

Ex Dam. l. 2. de fid. orth. c. 12 in fin.

Ex August. l. 83 q. 33. tom. 4.

Timoris species.

Differentia generalis donorum. De Spiritus sancti donis nota differentiam generalem. Nam quoddam donum est a Spiritu sancto, & numquam cum Spiritu sancto, sic est timor servilis, in quo viget voluntas peccandi, si impunitas speraretur. Quoddam a Spiritu sancto, & numquam sine Spiritu sancto, & sic est donum charitatis, & gratiæ gratum facientis. Quoddam est a Spiritu sancto, & potest esse cum Spiritu sancto, & sine Spiritu sancto, ut est donum scientiæ, & donum Prophetiæ, ceteræ gratiæ gratis datæ.

SECTIO XLVI.

De beatitudinibus, & vita activa, cum operibus misericordiæ: & de vita contemplativa cum oratione, & duodecim fructibus, & quinque sensibus.

Matth. 5. Septem sunt beatitudines, quas enumerat Salvator in monte, scilicet paupertas spiritus, mititas, luctus, esuries iustitiæ, affectus misericordiæ, munditia cordis, & pax. Circa beatitudines, habemus videre numerum, sufficientiam, vitæ duplicis excellentiam, usus duplicis consequentiam. Sunt autem beatitudines numero septem, quarum ratio, & sufficientia sic accipitur: Beatitudines sunt ad potentias animæ perficiendas. Ad integram autem perfectionem tria præcipua requiruntur, scilicet perfectus recessus a malo, perfectus profectus in bono, & perfectus status in optimo. Malum autem procedit aut a tumore superbiæ, a quo elongamur per paupertatem spiritus: aut ex rancore malitiæ, a quo elongamur per mititatem: aut ex languore concupiscentiæ, a quo elongamur per luctum. Perfectus autem profectus, vel processus in bono, est secundum imitationem divinam. Universæ autem viæ Domini sunt misericordia, & veritas, quæ pro iustitia ponitur. Deum iustum per esuriem iustitiæ imitamur: Deo misericordi per effectum misericordiæ conformamur. Perfectus status in optimo est, per limpidam cognitionem in vero, & sic est munditia cordis ad videndum Deum: & per tranquillam affectionem

Beatitudinum enumeratio, & sufficientia.

Psal. 24.

ctionem in bono, & sic est pax mentis ad fruendum Deo. Habitus virtutum disponunt ad exercitium vitæ activæ. Habitus donorum ad otium vitæ contemplativæ. Habitus beatitudinum ad perfectionem faciunt utriusque.

De duplici vita.

De his duabus vitis, signatis per Liam, & Rachel, per Petrum, & Joannem, per Martham, & Mariam, dicit Beda: Activa panem corporalem esurienti, vel panem doctrinæ ignoranti porrigit, errantem corrigit, superbum ad humilitatem revocat, quæ singulis expediunt dispensat. Contemplativa charitatem Dei, & proximi retinet, sed ab exteriori operatione quiescit, soli conditoris desiderio inhæret, & calcatis omnibus curis, ad videndum faciem creatoris inardescit, & desiderat misceri supernis civibus, de æterna Domini incorruptione gaudentibus. Est autem triplex proprietas in utraque, secundum quas mutuo excedunt. Prima proprietas activæ est: diligentia utilitatis, & necessitatis publicæ, respectu rationalis: secunda est charitas erga proximum, cum compassione respectu concupiscibilis: tertia est fœcunditas bonorum operum in agendo, cum perfectione patientiæ respectu irascibilis. In his contemplativa exceditur ab activa. Prima proprietas contemplativæ est contuitus pulchritudinis summæ majestatis, cum delectatione respectu rationalis: secunda est quies, cum securitate respectu irascibilis: tertia est munditia cordis, cum bonitate respectu concupiscibilis. In his contemplativa excedit activam.

Opera misericordiæ corporalia.

Ad activam pertinent opera misericordiæ, tam corporalia, quam spiritualia. Corporalia sunt septem, hoc versiculo comprehensa:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Quorum sufficientia sic accipitur. Homo est substantia animata, per hoc tangitur vegetabilis, quæ indiget restauratione calidi, & sicci, & hoc per cibum: frigidi, & humidi, & hoc per potum. Sensibilis, & huic est necessarium duplex operimentum propter exteriora nociva, A remotum, & est hospitium: propinquum, & hoc est vestimentum. Rationalis, & sic est substantia libera, nata habere libertatem a carcere, vel ab infirmitate: & sic est contra intrusionem in carcere, vel in lecto visitatio: & a servitute, & contra hanc est redemptio. Mortalis, & sic inest ei mors: propter quam, sive post quam indiget sepultura. Spiritualia quoque sunt septem, hoc versiculo comprehensa:

Instrue, consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Opera misericordiæ spiritualia.

Quorum sufficientia sic accipitur. Defectus spiritualis in proximo, si non potest relevari nisi per Deum, tunc adhibenda est oratio: si potest B relevari per hominem, & est cognitivæ, ut ignorantia cognoscendorum, tunc est instructio: si est ignorantia agendorum, tunc est consilium. Si vero est affectivæ, aut est culpa commissa in te, & sic est remissio aut in alios, & sic est correctio. Si est pœna, aut est relevandus verbo, & sic est consolatio: aut facto, & sic est supportatio.

Ad contemplativam pertinet oratio. Unde de contemplativa videndum est quantum ad diffinitionem, gradum, distinctionem, & contentam sub ea orationem. Contemplatio sic diffinitur, Contemplatio est verus certusque intuitus de quacumque re. A Richardo sic: Contem- C platio est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Vel sic. Contemplatio est perspicax, & liber animi intuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus. Bernardus ponit sex gradus contemplationis, qui sunt vacatio, intuitio, admiratio, dilectio, delectatio, anhelatio. Augustinus de quantitate animæ ponit septem gradus, sive actus. Primus dicitur animatio: secundus, sensus: tertius, ars: quartus, virtus: quintus, tranquillitas: sextus, ingressio: septimus contemplatio. De oratione videndum est quantum ad diffinitionem in generali, quantum ad assignationem petitionum orationis Dominicæ in speciali. Oratio sic describitur ab Augustino. Oratio est

Contemplatio. Richar. l. 1 Beniamin. Majo. de contempl. c. 4 Par. 8.

Aug. l. de quant. ani. c. 33. t. 1

Aug. l. de

spir.&ani. c.50.f.3 est pius mentis affectus in Deum directus. A Joanne Damasceno sic: *Damasc. orth. fid.l. 3. c. 24* Oratio est ascensus intellectus in Deum. Idem: Oratio est expressio desiderii directi in Deum propter bonum adipiscendum, vel malum removendum, formata per verbum interius, & exterius. Et magistraliter sic: Oratio est ostensio voluntatis nostræ ei, a quo impetrare speramus id, quod desideramus. Greg. *Greg. l.33. mor. c.21 in fin.* Veraciter orare est, in compunctione amoris gemitus, & non composita verba resonare.

Oratio Dominica. Jam descendendum est ad orationem, quam Dominus composuit: in qua sub septenario petitionum, comprehenditur universitas petendorum, & quantum ad ea, quæ spectant ad præmium patriæ, & quantum ad ea, quæ spectant ad meritum viæ. Quæ spectant ad præmium patriæ, sunt intelligentia veritatis, sive aperta visio veri, quæ petitur ibi: Sanctificetur nomen tuum, id est notitia tui nominis personis sanctis & mundis donetur. Reverentia majestatis, sive secura tentio summi ardui, quæ reges facit, & per quam habetur regnum, quæ petitur ibi: Adveniat regnum tuum. Concordia voluntatis, sive perfecta fruitio summi boni, quæ petitur ibi: Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Quæ spectant ad meritum sive transitum viæ, aut respiciunt collationem boni, aut amotionem mali. Collatio boni petitur in pane quo- *Idem. sup. t.c. in expošit. c. 6 Matth.* tidiano sive supersubstantiali: in quo petitur, quidquid necessarium est ad conservationem vitæ præsentis, tam secundum spiritum, quam secundum corpus. Amotio mali peti- *Triplex malum.* tur in tribus sequentibus. Est autem malum triplex. Quoddam tenet rationem præteriti, quoddam præsentis, & quoddam futuri. Sive quoddam est malum culpæ, sive transgressionis: quoddam est malum pugnæ, sive tentationis: quoddam est malum pœnæ, sive tribulationis. Primum petitur amoveri in dimissione debitorum: secundum, in victoria tentationum: tertium, in liberatione ab oppressione adversorum.

A Perfectionem beatitudinum consequitur duplex usus, scilicet quinque *Quinque sensus.* sensuum spiritualium, & duodecim fructuum spiritus. Sensus spirituales sunt, visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Visu videtur sponsi Christi summa pulchritudo, sub ratione splendoris: auditu auditur Christi summa harmonia, sub ratione verbi; gustu gustatur Christi summa dulcedo, sub ratione sapientiæ, comprehendentis Verbum, & splendorem: odoratu odoratur Christi summa fragrantia, sub ratione verbi inspirati in corde: tactu astringitur, & palpatur Christi summa suavitas, sub ratione Verbi incarnati, inter homines habitantis. Fructus *Fructus spiritus. Gal. 5* B vero spiritus sunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, modestia, continentia, & castitas. Non sunt autem sensus, neque fructus, per se habitus: sed fructus dicunt affectuales delectationes, circa bonitatem sponsi degustandam: sensus autem dicunt intellectuales perceptiones, circa veritatem sponsi contemplandam. Quæ contemplatio fuit in Prophetis per revelationem quantum ad triplicem visionem, scilicet corporalem, imaginariam, sive spiritualem, & intellectualem. In aliis vero justis reperitur, per speculationem quæ incipit a sensu, & pervenit ad ima- C ginationem: de imaginatione ad rationem: de ratione ad intellectum: de intellectu ad intelligentiam: de intelligentia ad sapientiam, sive notitiam excessivam: & sic assistitur vero Salomoni.

SECTIO XLVII.

De Sacramentis in generali.

JAm videndum est de tertio beneficio Jesu Christi, quod est sacramentalis medicina. De Sacramentis *Materia huius sectionis habetur. sup. 7 par. Brevil. a c. 1 usque ad 7* ergo primo videamus in generali, postea de singulis in speciali; In generali habemus videre, de Sacramentorum institutione, diffinitione, ordinatione, iteratione, sufficientia, & præcellentia.

In-

Institutio Sacramentorum.

Institutio Sacramentorum Deum decuit, & nobis expediens fuit. Decuit quidem divinam misericordiam nobis providere remedia, non solum quæ faciunt ad remissionem culpæ, sed etiam pœnæ. Decuit divinam iustitiam, quæ a nobis exigit aliquam humiliationem, quam exhibemus per signorum sensibilium observationem. Decuit divinam sapientiam, quæ in sensibilibus decrevit remedia invenire, ex quibus contingit naturam hominis interire. Nobis expediens fuit. Quoniam enim eramus cæci, quo ad rationalem: ideo data sunt Sacramenta sensibilia ad eruditionem. Quoniam eramus elati, quo ad irascibilem: ideo data sunt Sacramenta corporalia, ad humiliationem. Quoniam eramus proni ad malum, quo ad concupiscibilem: ideo data sunt Sacramenta plura, ad exercitationem.

Difinitio.

Mag. 4. sen. dist. 1. §. Sacramentum

Hugo de sacra. fid. lib. 1. p. 9. cap. 2.

Sacramentum sic diffinitur in sententiis: Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, cuius similitudinem gerit, & causa existit. Hugo de sancto Victore sic diffinit: Sacramentum est materiale elementum subiectum oculis, similitudine repræsentans, institutione significans, significatione gratiam conferens.

Ordo sacramentorum.

Ordinantur autem Sacramenta sic: Baptismus, confirmatio, Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium. Quinque prima respiciunt personam. Ordo, & matrimonium Ecclesiam. Ordo patet sic: Nam baptismus est ad vulnerum curationem. Confirmatio, ad curationis habitæ conservationem. Eucharistia, ad habitæ, & conservatæ promotionem. Pœnitentia, ad curationis perditæ reparationem Extrema unctio, ad venialium expiationem, quo ad culpam, & pœnæ debitæ partem remittendam. Ordo est respectu personarum generantium spiritualiter. Matrimonium est generantium corporaliter. Et utraque generatio est Ecclesiæ necessaria, ne deficiat in gratia, & natura.

Iteratio.

Quatuor autem sunt Sacramenta, quæ possunt iterari, vel potius frequentari, scilicet Eucharistia, pœnitentia, extrema unctio, & matrimonium. Baptismus autem, & confirmatio, & ordo non iterantur, quia in eis tres characteres indelebiles imprimuntur, quibus secundum diversos status fidei, homines ab hominibus distinguuntur. Nam secundum statum fidei genitæ, est character baptismalis, secundum quod fideles ab infidelibus distinguuntur. Secundum statum fidei roboratæ est character confirmationis distinctivus fortium ab infirmis. Secundum statum fidei jam multiplicatæ, est character ordinis, quo clerici a laicis distinguuntur.

Sufficientia.

Sufficientia Sacramentorum sic accipitur. Sacramenta sunt medicamenta contra morbum. Morbus autem est duplex, scilicet morbus culpæ, & morbus pœnæ. Morbus culpæ est duplex, scilicet originalis culpæ, contra quam est Baptismus: & actualis culpæ, quæ etiam geminatur: nam quædam est culpa actualis mortalis, contra quam est pœnitentia: Quædam actualis venialis, contra quam est extrema unctio. Morbus pœnæ est quadruplex, scilicet ignorantia, contra quam est ordo: malitia, contra quam est Eucharistia: infirmitas, contra quam est confirmatio: concupiscentia, contra quam est matrimonium. Sacramenta sunt etiam adiuvamenta, quia sunt in adiutorium septem virtutum. In adiutorium fidei, est baptismus. In adiutorium spei, est extrema unctio. In adiutorium charitatis, Eucharistia. In auxilium prudentiæ. ordo. In auxilium temperantiæ matrimonium. In auxilium fortitudinis, confirmatio. In auxilium iustitiæ, pœnitentia. Sunt quoque Sacramenta, armamenta Ecclesiæ militantis, quæ in Canticis dicitur: Terribilis, ut castrorum acies ordinata. Et quidem terribilis, quia fortis, & munita per Sacramentum confirmationis: Acies, quia coniuncta, & unita per Sacramentum Eucharistiæ: ordinata per ordinem. Ex hac acie quidam subtrahuntur per mortem, ad hos restaurandos, est matrimonium: quidam prosternuntur per culpam, ad hos relevandos, est pœnitentia. Hanc aciem quidam ingre- *Cant. 6.*

grediuntur, ut prælientur, & hoc per Baptismum: quidam egrediuntur, ut coronentur, & hoc per extremam unctionem.

Præcellentia.

Dicitur autem unum Sacramentum aliud præcellere quinque modis, scilicet propter significationem, sic matrimonium præcellit: quia significat unionem naturarum in Christo: propter continentiam, & sic excedit Eucharistia: propter efficaciam, & sic excedit Baptismus: propter dignitatem dispensativam, & sic confirmatio, quæ a solis Pontificibus dispensatur: propter maiorem, digniorem, & nobiliorem gradum, in quo ponit, & sic dicitur ordo maior. Unde versus:

Maior in effectu Baptismus, corpus in esse.
Conjugium signo, majori Chrisma ministro.
Nobiliore gradu præcellere dicitur ordo.

SECTIO XLVIII.

De Baptismo.

Supr. Brevil. p. 7. c. 8.

NUnc de Sacramentis singulis est videndum. Et primo de Baptismo, quantum ad diffinitionem, significationem, formæ expressionem, effectus collationem, nominis distinctionem, & operis completionem. Baptismus secundum quod est nomen elementi significantis, & sanctificantis virtute verbi, diffinitur ab Hugone sic: Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata. Secundum vero quod est actus, vel usus elementi, diffinitur a Magistro in sententiis: Baptismus est intinctio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. Secundum autem quod accipitur pro sacramento, & re sacramenti, quæ est character, diffinitur a Damascenus. Baptismus est vitæ spiritualis principium, sigillum, & custodia, & illuminatio mentis. Et tangitur hic quadruplex conditio characteris, quia enim præparat ad gratiam Dei, dicitur vitæ spiritualis principium: quia distinguit gregem Domini, dicitur sigillum: & quia indelebiliter perseverat, dicitur custodia: quia spiritualiter disponit ad fidem, dicitur illuminatio mentis. Secundum quod accipitur pro Sacramento diffinitur, a Dionysio: Baptismus est regenerationis Sacramentum, secundum quod prius subsistit in anima, animales spiritualiter formans motus, ad operationem divinorum eloquiorum, & actionum, & cœlestis quietis anagogem iter faciens. In hac diffinitione tangitur res Sacramenti, quæ est gratia vivificans animam, cum dicitur: Secundum quod prius subsistit in anima. Tangitur habilitatio potentiarum per virtutem, primo quantum ad activam, cum dicitur: Formans animales motus. Secundo quoad contemplativam, cum dicitur. Et cœlestis quietis anagogem.

Hug. de sacr. fid. lib. 1. p. 6. c. 2.
Magist. in 4. dist. 3. in pr.
Damasc. lib. 4. de fid. orth. c. 10. in med.
Character.
Dionys. de Eccl. Hier. c. 13.

Significatio.

Quantum ad significationem, nota, quod in Baptismo, sicut in ceteris Sacramentis, est aliquid, quod est tantum Sacramentum, sive signum significans, ut elementum visibile: aliquid est res tantum significata, ut gratia curans: aliud quod est sacramentum, & res signata, ut character.

Forma.

Forma, quando puer immergitur, exprimenda est hæc: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. Hæc forma debet exprimi sine omissione vocali, sine intermissione vocabuli, sine præposteratione ordinis supradicti, & sine commutatione ordinis prænominati.

Effectus

Effectus autem, qui recipitur in Baptismo, ab homine humiliter accedente, est characteris impressio, gratiæ infusio, & innocentiæ restitutio, cœli apertio. Gratia, inquam, infunditur regenerans, rectificans, & purificans ab omni culpa originali, & actuali, tam mortali, quam veniali, absolvens nihilominus a pœna æternali, & ab omni pœna satisfactoria temporali.

Distinctio.

Distinguitur autem triplex Baptismus, scilicet flaminis, fluminis, & sanguinis. In Baptismo flaminis, qui est per pœnitentiam, & Spiritus sancti gratiam, purificamur a culpa. In Baptismo fluminis, purifica-

ficamur a culpa, & a satisfactoria pœna. In Baptismo sanguinis, purificamur ab omni miseria. Non sunt autem Baptismus flaminis, & sanguinis Sacramenta: cum in eis deficiant, quæ conveniunt Sacramento, scilicet repræsentatio ex similitudine, significatio ex institutione, & sanctificatio ex verbi prolatione.

Integritas Quantum ad integritatem Sacramenti, sufficiunt verbum, & elementum. Quantum ad solemnitatem, præmittuntur tamquam præparatoria, catechismus, & exorcismus in parvulis, & adultis: ita tamen, quod in adultis requiritur fides propria, in parvulis sufficit aliena. Quantum ad veritatem, requiritur baptizantis recta intentio. Et quantum ad utilitatem baptizati, fictionis depositio.

SECTIO XLIX.

De Confirmatione.

Sup. Brev. p. 7. c. 8. SEquitur videre de confirmatione, quantum ad formam, quantum ad materiam, quantum ad dispensationem, quantum ad gratiæ collationem, & quantum ad significationem:

Forma. Forma in confirmatione servanda, est hæc: Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen. In hac forma exprimitur duplex actus, quia in hoc Sacramento datur gratia ad robur fidei, quantum ad confirmationem in corde, & quantum ad liberam confessionem in ore. Unus actus respicit liberam Crucifixi confessionem, quasi semper ferendam in fronte: alter respicit firmam stabilitatem in corde.

Materia. Materia in hoc Sacramento est Chrisma, confectum ex oleo olivarum, & balsamo. Oleum propter nitorem significat fidem interiorem ex bona conscientia: balsamum propter odorem significat dignam, & laudabilem confessionem in evidentia, & hoc secundum correspondentiam ad duplicem actum in forma expressum.

A Istud autem Sacramentum a solis Episcopis dispensatur, quod si alii præsumunt, nihil faciunt. Quia enim tam in confirmatione, quam in ordine datur gratiæ plenitudo: propter hoc hæc duo Sacramenta per eos solummodo dispensantur, qui gerunt auctoritatis plenitudinem. Dispensatio.

Gratia. Gratia, quæ confertur in confirmatione est gratia gratum faciens. Gratia autem gratum faciens dicitur dupliciter, aut gratum faciens de non grato, & talis est gratia baptismalis, & pœnitentialis: aut est magis gratum faciens, de iam grato, & talis gratia datur in confirmatione, quæ gratiam prius receptam ampliat, & confirmat.

B Significatio. In isto Sacramento aliud est, quod est tantum signum, ut est forma audibilis, & materia visibilis: aliud est, quod est tantum res, ut est gratia corroborans, & confirmans: aliud est, quod est res, & signum, ut est character.

SECTIO L.

De Eucharistia.

Supr. in Brev. p. 7. c. 9. Eucharistiæ integritas. SEquitur videre de Eucharistia, & hoc, quantum ad integritatem, significationem, repræsentationem manducationem, & operationem. De integritate, & necessitate huius sacramenti sunt quatuor, scilicet ordo sacerdotalis, intentio consecrandi, materia debita, & forma verborum præscripta.

C

Materia. Materia huius sacramenti est panis de frumento, & vinum de vite. Ille enim cibus, inter omnes cibos, & inter omnes potus, est convenientior, & communior, efficacior, & sanior. Ideo Dominus se comparavit grano frumenti, & ligno vitis. *Joan. 12.* *Joan. 15.* Et ideo in his duabus speciebus confecit, & conficiendum constituit, ad innuendum, quod corpus suum sub hoc sacramento contentum, ut cibus, non est cibus qualiscumque, sed cibus conveniens, cibus communis, cibus efficax, cibus sanus. Vino miscetur aqua, quæ significat populum, & per coniunctionem sui cum vino, significat

membrorum cum capite unitatem. Per vinum autem significatur unio membrorum ad invicem.

Forma. Forma super panem est hæc: Hoc est enim corpus meum. Super vinum vero est hæc: Hic est calix sanguinis mei. Huius autem formæ positio, est singularis. Est enim verbum operativum, non operatione successiva, sed instantanea, & operativum non alicuius rei novæ, vel non existentis, sed terminus eius est, quod ens actu completum, & non mutatum, & ad id terminatum, ut est alterius signum, id est, Corporis Christi mystici: & hoc totum fit virtute Verbi increati, adiuncto ministro circa materiam nihil agente. Quia ergo hic sermo B est conversivus, & operativus, operatur circa substantiam panis: ideo pronomen demonstrat substantiam panis sub accidentibus, quæ aspici possunt oculis, & tangitur id, quod convertitur per subiectum sicut in id, in quod convertitur per prædicatum. Quia vero terminus operationis est ens, actu non innovatum, debet ibi poni verbum essendi, non fiendi. Quia vero subito fit conversio, ita quod simul est fieri, & factum esse: ideo præsens verbum instantaneum, non futurum ibi ponitur. Est, scilicet, & non, erit. Quia vero operatio terminatur ad corpus verum, ut est signum corporis mystici, in C quo est diversitas operationum, dicitur corpus, & non caro: quia corpus est heterogeneum, non homogeneum, caro vero homogenea. Quia vero hæc operatio fit virtute verbi increati adiuncta, & ut coniuncta, dicitur meum, non in persona sacerdotis, sed Christi Verbi, scilicet increati. Quoniam autem Minister, nihil operatur circa materiam, nec immutat: ideo nihil plus est de forma. Unde si minister nec tangat, nec frangat, dummodo consecrare intendat, & verba dicat, confectum est.

Significatio. Quantum ad significationem tene, quod in hoc Sacramento est aliud tantum signum, ut species visibilis panis, & vini: aliud tantum res, Aut Corpus Christi mysticum: aliud res, & signum, ut corpus Christi verum, quod est res signata per panem ex diversis granis confectum, & sanguis per vinum ex diversis racemis expressum, & signum corporis mystici. Quia enim corpus partes habet heterogeneas, diversas operationes in Ecclesia significat.

Repræsentatio. Ritus in celebratione Missæ. In hoc Sacramento fit repræsentatio Dominicæ passionis. Unde fiunt significationes septem vicibus, propter passionem Domini exprimendam: Prima vice fiunt tres propter trinam Christi traditionem, scilicet a Deo, Juda, & Judæo. In secunda vice fiunt quinque, propter quinque personas, quæ in traditione fuerunt: quæ fuerunt persona traditi: persona tradentis Judæ: personæ ementium, quæ fuerunt tres, scilicet Pontifices, Scribæ, & Pharisæi. In tertia vice duæ propter duplicem conversionem duplicis elementi, scilicet panis, & vini. In quarta vice fiunt quinque, propter quinque plagas. In quinta vice fiunt duæ propter vincula, quibus fuit ligatum corpus, & propter flagella, quibus usque ad sanguinem fuit flagellatum. In sexta vice fiunt tres, propter crucifixionem factam linguis Judæorum, quando ter clamaverunt: Crucifige. In septima vice fiunt tres cruces de corpore super calicem, propter tres cruciatus, scilicet propassionis, passionis, & compassionis: & duæ alteræ, propter aquam, & sanguinem, quæ de Christi latere profluxerunt.

Manducatio. Duo autem sunt modi manducandi illud Sacramentum, scilicet sacramentalis, & spiritualis: quorum distinctio oritur a triplici principio. Primo a dispositione sumentium: quidam enim accedunt male dispositi, & hi manducant sacramentaliter: quidam bene, & hi spiritualiter, & sacramentaliter: Secundo a modo sumendi: quidam enim sumunt ore carnis, & hi sacramentaliter: quidam ore cordis, & hi spiritualiter. Unde duplex os, duplex manducatio. Tertio a duplici re huius sacramenti: duæ quippe sunt essentiæ huius

huius sacramenti, scilicet corpus Christi verum, & gratia in corpore mystico faciens unionem, quarum una sine altera sumi potest. Manducare autem sacramentaliter, est manducare Sacramentum, ut Sacramentum. Ad quod quatuor requiruntur cibi existentia, eius ad cibatum naturalis convenientia, ut scilicet sumatur ab homine, non a mure, intentio, & illius intentionis regulatio per fidem. Spiritualis manducatio habet duo, scilicet suo modo masticationem, quæ consistit in recognitione cibi, scilicet carnis Christi pro nobis expositæ, in pretium redemptionis, & cibum refectionis. Habet etiam incorporationem, quæ consurgit ex tali recogitatione, dum recogitans ardore afficitur charitatis: & ei, de quo recogitat, iungitur, & sic incorporatur: & dum incorporatur, reficitur, & magis assimilatur.

Operatio.

Spiritualis autem operatio, sive efficacia huius sacramenti est, unire non de novo, sed iam unitos per gratiam magis unire. Digne enim accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus: & fortiorem, ut bonus cibus. Et, ut istam efficaciam habeat in sumente, primo oportet ipsum sumentem, cibum istum ab aliis discernere, per fidem: secundo hospitium præparare per sui probationem: tertio in hospitium paratum recipere, cum honore, & devotione. Et talis dicitur digne accedere. Nota de hostiæ fractione, versus:

Hostia dividitur in partes, tincta beatos:
Plene sicca notat vivos, servata, sepultos.

Fractio est passio: partes fractæ, tres iustorum differentiæ. Quidam regnant in cœlo, hi per tinctam. Quidam securi expectant in sepulchris, hi per eam, quæ antiquitus servabatur. Quidam pugnant in mundo, hi per siccam partem hostiæ figurantur.

SECTIO LI.

De pœnitentia.

Sequitur videre de pœnitentia, quantum ad diversam diffinitionem, diversam nominationem, integrationem, iustificationem, & significationem. Pœnitentia, quantum ad actum principalem sic diffinitur: Pœnitentia est prima virtus, perimens veterem hominem. *a* Ambrosius: Pœnitentia est dolor, & amaritudo animæ, pro peccatis, quæ quisque commisit. Augustinus: *b* Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se, quod dolet commisisse. Item diffinitur, quantum ad actum annexum sic ab Ambrosio. Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. *c* Gregorius: Pœnitentia est ante acta mala deflere, & flenda non committere. Item sic. *d* Pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & odimus, & plangenda ulterius committere nolumus. Diffinitur etiam quantum ad effectum a Damasceno sic: Pœnitentia est ab eo, quod est præter naturam, in id, quod est secundum naturam, conversio. Item super illud Matthæi: *e* Pœnitentiam agite: Pœnitentia est correctio malæ mentis. Augustinus. *f* Pœnitentia est quædam res optima, & perfecta, omnes defectus revocans ad perfectum.

Supr. Brevil. p. 7. c. 10.
Pœnitentiæ definitio.
a *Mag. ex Ambros. 14. sent. d. 14. cap. 1.*
b *Aug. lib. de vera & fals. pæn. c. 8.*
c *Gregor. hom. 34. in Evang. post. med.*
d *Magist. in 4. dist. 14. c. 1.*
e *Matt. 4.*
f *August. Hypogn. lib. 3. a med. to. 7.*

Nominatio.

Pœnitentia diversis vocabulis nominatur, secundum quod diversa contra peccati maculam operatur. Expellit enim peccati actualis maculam, quæ animam deformat: potentiam ad malum inclinat, sive dehabilitat: naturam vulnerat: actu liberæ voluntatis committitur: cum delectatione, & libidine perpetratur. Delere autem culpam, ut deformantem, est gratiæ reformantis: ut dehabilitantem, est virtutis habilitantis: ut vulnerantem, est Sacramenti curantis: ut actu voluntatis commissam, per actum similiter voluntatis: ut cum delectatione, & libi-

libidine perpetratam, cum passione contraria. Ideo pœnitentia recte dicitur gratia, virtus, sacramentum actus, & passio.

Integritas.

Partes pœnitentiæ integrantes, sive integrales sunt, cordis contritio, oris confessio, & operis satisfactio.

Cordis contritio est dolor voluntarie pro peccatis assumptus. Oris confessio debito modo facta, debet habere sexdecim conditiones, his versibus comprehensas:

Sit simplex, humilis confessio pura, fidelis.
Sitque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.
Fortis, & accusans, & sit parere, parata.

Quando sit iteranda confessio.

In quatuor casibus secundum Magistros, est confessio iteranda. Duo sunt ex parte sacerdotis, quorum priorum primus est propter enormitatem sceleris, ob quam est confitens ad superiorem remittendus, ab eo, si voluerit, iterum audiendus. Secundus est, propter ignorantiam sacerdotis: quia tunc est quærendus peritus, sciens solvere, & ligare, cui sunt iterum peccata detegenda. Duo vero sunt ex parte confitentis: quorum primus est propter malitiam fictionis, ut si accessit cum voluntate peccandi, vel aliquod peccatum scienter in conscientia reservavit. Secundus est propter contemptum satisfactionis, ut quando satisfacere negligit & contemnit. In duobus ultimis casibus, si vadit ad alium sacerdotem, vel eumdem interiectu temporis iam oblitum, debet homo mala sua iterum confiteri. Et sic ex parte sacerdotis est duplex defectus, scilicet quia non potest absolvere, vel quia nescit. Ex parte etiam confitentis est duplex defectus, scilicet quia contemnit sacerdotis absolutionem aut ligationem. Sunt alii duo casus, de quibus est controversia inter doctores, unus est de peccati alicuius oblivione, alius de recidivatione. Sed potest dici, quod in his duobus casibus iterum omnia peccata confiteri, sit consilium, non præceptum. Quinque autem sunt casus, in quibus est confitens ad Episcopum mittendus, vel super eo Episcopus consulendus. Primus est de pœnitentia solemni, quæ ab ipso debet imponi, & per eum pœnitens reconciliari. Secundus est de excommunicatis, quod non potest sacerdos aliquando absolvere. Tertius est, cum invenerit sacerdotem, irregularitate contracta, propter quam debet ad Episcopum mittere confitentem, qui si potest, eum absolvat, vel cum litteris suis ad Papam mittat. Quartus est de incendiariis. Quintus est, si sit consuetudo, in aliquo Episcopatu, quod certa crimina ad Episcopum mittantur, ut homicidium, & sacrilegium, & iste casus non est generalis. Satisfacere ut dicit g Augustinus: est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere. h Anselmus vero dicit: Satisfacere est, debitum Deo reddere. Partes autem satisfactionis tres communiter assignantur, scilicet ieiunium, eleemosyna, & oratio. Jeiunium est contra carnis concupiscentiam. Eleemosyna, contra cupiditatem oculorum. Oratio est contra superbiam vitæ. Item, jeiunium ordinat nos ad nosipsos. Eleemosyna ad proximos. Oratio vero ad Deum. Item per orationem reconciliamur Deo, cui secundum i Augustinum, per jeiunium, & eleemosynam facimus duas alas.

Remissio pœnitentis ad superiorem.

g Aug. lib. de Eccl. dogm. c. 54. tom. 3.
h Ans. lib. Cur Deus homo, c. 11.
i August. enarr. in Ps. 42. in fid. to. 8. & serm. 49 de temp. in fin. to. 10.

Quatuor autem ad justificationem impii requiruntur: duo ex parte Dei, scilicet gratiæ infusio, & culpæ expulsio. Et duo ex parte impii, scilicet motus liberi arbitrii consonans gratiæ advenienti, & cordis contritio, concordans gratiæ culpam expellenti. Hæc autem quatuor præcedit attritio, scilicet ad justificationem præparatio, quæ est motus fidei, & doloris, quamvis longo tempore semiplenus. Tanguntur autem hæc quatuor supradicta in illo versu: Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones eius, quia commota est. Gratia quippe adveniens in animam, commovet rationem, secundum quod est potestas, vel potentia liberi arbitrii: &

Ps. 59.

con-

conturbat voluntatem, per contritionem: & postmodum sanat per peccati expulsionem. Et horum redditur duplex ratio, scilicet commotio rationis, & conturbatio mentis, quæ præcessit: unde subditur, quia commota est. Unde commotio dicitur a con, quod est simul, quia tunc omnes vires super se pungun-tur, & moventur ad bonum.

Significatio. In sacramento pœnitentiæ est ali- quod, quod est tantum signum, ut exterior pœnitentia secundum institutionem Ecclesiæ: in qua est Sacerdotis absolutio, tamquam formale: & confitentis humiliatio, sive quantum ad actum contritionis, sive quantum ad verbum accusationis, sive quantum ad pœnam satisfactionis, tamquam materiale: aliud, quod est tantum res, ut peccati remissio perfecta: aliud, quod est res, & signum, ut pœnitudo interior.

SECTIO LII.

De unctione extrema.

Supr. Brevil. p. 7. c. 11. SEquitur de unctione extrema. Circa quam septem breviter sunt videnda, scilicet, quæ materia, quæ forma, quis dispensator, quis susceptor, quæ efficacia, quæ ad confirmationem differentia, & quæ significationis convenientia.

Materia. Materia huius sacramenti est oleum simplex; sed consecratum ab Episcopo. Forma. Forma vero est vocalis expressio orationum in ordinariis contentarum. Minister. Huius sacramenti dispensatio sacerdotibus competit ex officio; & hoc confirmat auctoritas, & ratio. Auctoritas, dicente *Jac. ult.* Jacobo: Quis infirmatur, inducat præsbyteros. Ratio etiam hoc confirmat: quia cum materia huius Sacramenti sit oleum ab Episcopo consecratum, consecratis debet manibus contrectari. Et sic cum sit medicina periclitantium, non ad solos Episcopos pertinet. Oleum autem consecratum, non ad aliquos laicos se extendit. Quibus & quando danda est. Debent autem illud sacramentum suscipere soli infirmi ratione utentes, quia scilicet potuerunt peccare venialiter, vel etiam peccaverunt, & hoc in mortis articulo existentes. Et sic patet, quod nec infantibus, nec naturaliter stultis debet extrema unctio dispensari, nec intranti bus iustum bellum: quia Sacramenta Ecclesiæ non sequuntur fortunam, sed respiciunt naturam: nec etiam per [illegible] les, qualitercumque damnati, in Ecclesiæ facie sunt infames: nec mediocriter infirmantibus, quia adhuc possunt venialia iterare.

Efficacia. Est autem huiusmodi Sacramentum tam finaliter, quam efficaciter contra venialia ordinatum, & quantum ad remissionem culpæ, & quantum ad dimissionem partis pœnæ. Valet etiam consequenter, ad recuperandam corporis sanitatem, si expediat infirmanti. Et quia venialia efficaciter tunc curantur, quando sic delentur, quod non amplius iterantur, tunc debet adhiberi ista medicina, quando desperatur de infirmantis vita. Si tamen contingat eum restitui sanitati, potest, & debet propter venialia iterata, medicina venialium iterari. Et quia venialia peccata per organa sensuum maxime contrahuntur, ideo partes tribus potentiis servientes inunguntur. Est enim triplex potentia, secundum quam anima regit corpus, & etiam contrahit iustum morbum, scilicet sensitiva, generativa & progressiva. Sensitivæ deserviunt os, oculi, nares, aures, & manus: generativæ, lumbi: progressivæ, pedes. Et secundum hoc est infirmus in septem corporis partibus inungendus, scilicet in labiis, in oculis, in manibus, in auribus, in naribus, in lumbis, in pedibus.

Differentia hujus Sacramenti, & confirmationis. Ex prædictis colligitur, quod inter hoc sacramentum, & Sacramentum confirmationis est differentia septiformis: scilicet in efficacia, in materia, in forma, in suscipiente, in dante, in loco, & in tempore. Nota tamen quod unctio, quæ fit in chrismate, dicitur unctio principalis, quadruplici ratione, scilicet ratione loci, quia fit in fronte:

te : ratione ministri, quia ab Episcopo : ratione elementi, quia de oleo mixto cum balsamo : ratione effectus, propter abundantiam gratiæ, quia ibi datur Paraclitus in magna abundantia. Juxta quod nota, quod Chrismate inunguntur baptizati in vertice, confirmandi in fronte, Pontifices in capite, Reges, ut dicitur, in scapulis.

[Extrema unc]tio. In Sacramento extremæ unctionis secundum exigentiam sacramentalis significationis, est aliquid, quod est tantum signum, ut exterior unctio : aliud, quod est tantum res, ut venialis morbi curatio : aliud, quod est res & signum, ut ipsa devotionis excitatio in anima, quæ non est aliud, nisi quædam spiritualis unctio.

SECTIO LIII.

De Ordine.

Supr. Brevil. p. 7. c. 12.

SEquitur videre de sacramento ordinis, quantum ad præparationem consignationis, quantum ad ordinis diffinitionem, quantum ad characteris impressionem, quantum ad debitam dispensationem; quantum ad rectam susceptionem, quantum ad significationem, & quantum ad status consummationem.

Prima tonsura.

Qui sunt ad ordines Ecclesiasticos assumendi, primo assignantur signaculo divino, distinctivo, & instructivo. Nam tondentur in capite, quod est membrum præ cæteris nobile. Et quia tonsura tam superius, quam inferius facta, formam habet coronæ, quæ est signum dignitatis Regiæ, innuitur, quod qui taliter ab aliis distinguuntur, ad officium nobile, scilicet ad regale sacerdotium assumuntur. Non tantum autem tale signum est signum distinctionis, sed etiam instructionis. In tali enim tonsura est superfluitatis amotio, in quo instruuntur clerici, quid vitandum, quia superfluitas terrenorum. Est etiam summitatis capitis denudatio, in quo instruuntur, quid amandum, quia felicitas supernorum. Est figuræ orbicularis impressio, in quo instruuntur, quomodo conversandum est, quia figura orbicularis est simplicissima, capacissima, & pulcherrima, ad innuendum, quod taliter coronati, dicunt simplificari in intentione, amplificari in dilectione, pulchrificari in castificatione.

Ordo quid, & quotuplex.

Ordo sic diffinitur : Ordo est signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato. Cum enim septem sint ordines, scilicet ordo Janitorum, Lectorum, Exorcistarum, Acolytorum, Subdiaconorum, Diaconorum, & Sacerdotum : In ordine sacerdotali datur potestas conficiendi corpus Christi verum, & absolvendi corpus Christi mysticum: & hic ordo tamquam nobilissimus debet habere alios sibi ministrantes, respectu duplicis potestatis. In conficiendo corpus Christi verum, sibi serviunt Subdiaconi, & Diaconi, ita quod potestas, & officium Subdiaconi, est in accipiendo hostias a plebe. Potestas & officium Diaconi, est easdem Subdiacono susceptas Sacerdoti offerre. In absolvendo autem Corpus Christi mysticum, quatuor minores subserviunt Sacerdoti. Ita quod potestas, & officium ianitorum est, ad locum sacrum admittere. Lectorum est documentum præbere. Exorcistarum est, auxilium præstare. Acolytorum est exempla monstrare. Hoc officio septiformi, Dominus usus fuit. Fuit namque Ostiarius, quando facto flagello ejecit negotiantes de templo. *Joan. 2.* Fuit Lector, quando legit in Synagoga, assumpto libro. *Matt. 21.* *Luc. 4.* Fuit exorcista, quando saliva sua tetigit linguam surdi, & muti. Ostendit se Acolytum, quando dicit, Ego sum lux mundi. *Matt. 7.* Fuit Subdiaconus, quando lavit pedes discipulorum, & linteo se præcinxit. *Joan. 8.* Fuit Diaconus, quando post cœnam corpus, & sanguinem suum discipulis suis dispensavit. Fuit Sacerdos, dum se ipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos & hostia. *Joan. 13.* Et etiam quando in cœna, panem in corpus, & vinum in sanguinem commutavit.

Cha-

Character impressus.

Character cum sit signaculum impressum, distinctivum, perpetuum, Christo configurativum, imprimitur in quolibet ordine: non idem, sed diversus: Ordine congruo, non necessario, cum unus possit recipi, quamvis indebite, alio prætermisso. Ita, quod cum perventum fuerit gradatim ab ordinem sacerdotis, in quo est status, quamvis septem sint gradus, unus est tantum ordinis Sacramentum, sicut unam dicimus Epistolam, quamvis habeat multas partes. In quolibet autem ordine character imprimitur in eo signo, quod maiorem habet similitudinem ad signatum, & in quo principalis potestas, quam ordo respicit, significatur tradi ordinato. Ad quam significandum duo concurrunt exterius, scilicet traditio alicujus instrumenti, & expressio vocalis verbi, ut in signo visibili, simul & audibili significetur dari: & hæc duo sunt essentialia, & intrinseca ordinis Sacramento.

Debita dispensatio ordinis

Debet autem dispensari hoc Sacramentum, cum magna discretione & solemnitate, ac per hoc non a quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, nec quolibet tempore: sed sub debitis signis, tam ex parte visus, quam ex parte auditus, ut dictum est: solemnitate nihilominus observata, quantum ad tempus, & locum, officium, & personam.

Ordinem suscipientis conditiones.

Requiritur autem multiplex conditio, ut digne, & debite suscipiatur ordinis Sacramentorum, scilicet ex parte originis, ut non sit filius Sacerdotis, vel spurius, vel etiam solemniter pœnitens: a corporis parte, ut non sit corpore vitiatus, dæmoniacus, epilepticus: a parte actionis, ut non sit homicida, vel aliter enormis peccator: a parte conditionis, ut non sit servus: a parte conversationis, ut non sit curialis: a parte conjugationis, ut non sit bigamus: a parte sexus, ut non sit mulier, quæ non potest ordinari, nec de jure, nec de facto: a parte sensus, ut non sit infantulus, in quo nondum viget iudicium rationis.

Significatio.

In hoc Sacramento est aliud, quod est tantum signum, ut exterior operatio in traditione alicujus instrumenti, & expressione verbi. Aliud, quod est tantum res, ut spiritualis potestatis collatio. Aliud, quod est res & signum, ut interior characteris impressio. Collige ex prædictis, quod septem sunt ordines, & non plures, quatuor sunt minores, qui dicuntur non sacri: quia post eorum susceptionem, potest clericus conjugari. Tres majores, scilicet subdiaconatus, diaconatus, & presbyteratus, in quo est status ordinum. Hi dicuntur sacri: quia post eorum susceptionem non licet ordinatis carnali operi deservire, cum sint totaliter divino cultui dedicati. Et sic patet, quod Psalmistatus non est ordo, sed officium annexum ordini. Nec Episcopatus est ordo, sed dignitatis nomen & officii. Colligas in unum, nomina tam ordinum, quam officiorum, & dignitatem, ut devenias ad unum hierarcham Ecclesiasticæ hierarchiæ, & sic procede, Psalmista, Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Archipresbyter, Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha, Pontifex summus.

Ecclesiastica hirrarchia.

SECTIO LIV.

De Matrimonio.

Materia hujus sectionis & duarum sequ. habetur sup. Brevi. p. 7. c. 13

SEquitur videre de sacramento matrimonii, quantum ad diffinitionem, quantum ad istitutionem, & quantum ad contractionem, quantum ad divisionem, quantum ad significationem, quantum ad bonum proveniens, & quantum ad impedimentum prohibens.

Matrimonium diffinitur sic: Matrimonium est viri mulierisque coniunctio maritalis, inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens. Est autem institutum matrimonium a Deo in officium, in remedium, & in sacramentum, vel signum. In officium, inquam, procreandæ prolis, etiam in statu naturæ institutæ. In remedium, contra impulsum libidinis, in statu naturæ lapsæ. In sacramentum

tum sive signum insolubilis conjunctionis naturarum in Christo, divinæ scilicet, & humanæ. Circa contractionem matrimonii nota, quod per sponsalia de futuro initiatur: per mutuum consensum inter legitimas personas per verba de præsenti expressum, ratificatur: per carnalem copulam subsequentem consummatur. Circa sponsalia nota, quod ante septennium contracta de iure non valent, post septennium vero tenent. Et hæc quatuor modis contrahuntur: scilicet simplici promissione, fideidatione, sive juramenti interpositione, datis arrhis sponsalitiis, & annuli subarrhatione.

Contractus matrimonii.

Sic aut contracta octo modis solvuntur. Primus est, voto solemni superveniente, ut si alter sponsorum intret religionem: secundus est superveniente matrimonio, ut si cum alia contrahat de præsenti: tertius est superveniente affinitate, ut si cognoscat aliam consanguineam sponsæ suæ, & hoc possit fama vel facto probari: quartus est incurabili infirmitate superveniente, puta lepræ, vel mutilatione alicujus membri: quintus est, altero se absentante, ut cum vadit in regionem longinquam, sine licentia alterius: sextus est altero fornicante: septimus est utroque volente, scilicet cum ambo consentiunt, & mutuo se obsolvunt: octavus est, minore petente, ut quando contracta sunt sponsalia inter duos, quorum unus est in ætate debita, alter non. Duobus primis modis solvuntur sponsalia ipso facto. Consequentibus vero per iudicium Ecclesiæ. Duplex est autem effectus sponsalium contractorum. Unus est obligatio propter promissionem, unde tales compellendi sunt ad matrimonium contrahendum, nisi timeatur uxoricidium, vel interveniat aliquis casuum prædictorum. Alius effectus est publicæ honestatis justitia, quæ est, quod nullus consanguineorum sponsi potest contrahere cum sponsa, vel e converso.

Impedimenta sponsalium.

Conjuncti matrimonialiter per Ecclesiam tripliciter separantur, aut simpliciter, quantum ad vinculum, A cum ostenditur propter impedimentum, legitimum non fuisse conjugium inter eos: aut separantur ad tempus, ad pœnitentiam faciendam, ut quando contra interdictum Ecclesiæ contraxerunt: aut separantur simpliciter, quantum ad tempus in pœnam, propter aliquod crimen contra substantiam matrimonii, perpetratum, ut quando alter conjugum fornicatur, tunc si petat innocens cum probatione adulterii absolvitur per Ecclesiam, a mutua cohabitatione uxoris, & debiti redditione. Sunt autem septem casus, in quibus potest adultera excipere contra petentem divortium. Primus est si fornicari convincitur: secundus B est, si eam prostituat: tertius eum credebat virum in bello esse defunctum, & nupsit alteri; quartus si cognita est ab altero latenter, quem credebat esse virum suum: quintus est, si fuit vi oppressa: sextus est, quando post adulterium reconciliavit eam sibi, & petiit debitum: septimus est rarior casus, ut si infidelis repudiavit uxorem, & illa nubet alteri, si veniat ad fidem, debet eam recipere non obstante, quod fuit fornicata.

Triplex modus separandi conjuges.

In matrimonio ratificato est aliud, quod est tantum signum, ut consensus exterior per verba, aut nutus expressus: aliud quod est tantum res, & unio Dei, & animæ per gratiam, C quæ tamen est separabilis per peccati mortalis transgressionem, sicut illud matrimonium est separabile, per ingressum in religione: aliud quod est res & signum, ut consensus interior animorum. In matrimonio consummato est tantum signum, consensus exterior: tantum res, unio naturarum inseparabilis in Christo: res, & signum, consensus mutuus animorum.

Significatio.

Tria sunt bona conjugii, scilicet bonum fidei, bonum prolis, bonum sacramenti. Fides est, quod suam cognoscat, & non aliam: & hoc est bonum moris cadens in genere honesti. Bonum prolis cadit in genere conferentis: confert enim proles ad speciei conservationem, & ad numeri perfectionem. Bonum sacramen-

Tria bona conjugii. *Aug. l. 9 de Gen. ad lit. c. 7. r. 3*

menti cadit in genere delectabilis. Tanta est enim ibi unio, ut propter uxorem relinquat homo patrem, & matrem. Et sic patet, quod tria sunt in electione, secundum Philosophum, scilicet honestum, conferens, & delectabile. In hoc triplici genere sunt bona conjugii distributa, & sunt hæc bona numero tria, qui ad hoc, quod matrimonium sit completum, tria potissime requiruntur, scilicet, institutio, usus & fructus. Ratione institutionis, est bonum sacramenti: ratione usus debiti, est bonum fidei: ratione fructus conferentis, est bonum prolis.

Gen. 2

SECTIO LV.

De impedimentis matrimonii in generali.

Circa impedimenta matrimonii, quia frequenter occurrunt, est specialiter insistendum. De quibus est tenendum, quod quædam sunt, quæ impediunt ex congruitate, sicut Ecclesiæ interdictum, & feriarum tempus: & ista dicuntur impedire contrahendum, sed non dirimere jam contractum. Quædam impediunt de necessitate, quia non stat cum eis matrimonii sacramentum: unde sic impediunt matrimonium contrahendum, quod etiam dirimunt jam contractum. Hæc autem sunt numero duodecim, quæ versibus istis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc socianda, vetant connubia, juncta retractant.

Tria sunt ex parte causæ efficientis, quæ est consensus, ad quem concurrit ratio, & voluntas. Contra actum rationis est error: contra actum voluntatis, est vis, sive violentia: contra actum utriusque, est conditio servitutis, quæ impedit partim propter defectum libertatis, partim propter errorem. Tria ex parte causæ materialis. Nam matrimonium, est conjunctio voluntarie A introducta, inter personas antea non conjunctas: unde conjuncti in proximitate ad matrimonium sunt inepti. Conjunguntur autem quidam consanguinitate, quidam affinitate, quidam publicæ justitiæ honestate, quæ contrahitur ex sponsalibus per verba de præsenti. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet, cognatio, affinitas, & honestas. Tria sunt ex parte causæ formalis, quia matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas viri, & uxoris. Hæc autem potestas impeditur, quando alter tradit potestatem corporis sui alii, adhuc vivente proprio, & sic est ligamen: aut quia dedicavit se Deo, & sic est ordo: aut quia mancipavit se Deo, & Prælato, & sic B est votum. Tria autem ultima, sunt ex parte causæ finalis. Nam matrimonium est ad procreandam prolem ad cultum Dei, vel saltem in remedium tempestatis. Contra rationem generandi, vel remedii est impotentia coeundi: contra cultum Dei, qui est in fide, est cultus disparitas: contra cultum Dei, qui est in moribus, est criminis enormitas.

Circa impedimentum, quod provenit ex errore attendendum est, quod error potest esse circa personam & circa proprietates personæ: error circa personam consensum tollit, & matrimonium impedit: ut si C credit consentire in Mariam, de qua cogitat sensu interiori, consentit in Margaretam, quæ offertur sensui exteriori. Si autem sit error circa proprietates personæ, non propter hoc matrimonium impeditur: ut si credat accipere divitem, & nobilem, quam postea deprehendit ignobilem, & pauperem. Error.

De proprietatibus autem personæ accipitur conditio servitutis, quæ impedit matrimonium contrahendum & dirimit jam contractum. Circa quod nota, quod triplex potest esse error conditionis, scilicet paris: ut cum servus credit accipere liberam, & accipit ancillam, talis error non impedit: aut conditionis melioris, ut cum scilicet credit accipere ancillam, & accipit libe- Conditio.

beram, nec iste error impedit; aut conditionis deterioris, ut cum credit accipere liberam, cum sit liber, & accipit ancillam, talis impedit contrahendum, & dirimit jam contractum, nisi velit in eam libere consentire.

Hugo de sac. fid. l. 2 p. 12. c. 3. Circa votum nota diffinitionem Hugonis. Votum est testificatio promissionis factæ spontanee, quæ Deo & de his, quæ Deo pertinent, fieri debet. Item aliter diffinitur. Votum est melioris boni conceptio, cum deliberatione formata. Est autem duplex votum, simplex, & solemne. Simplex est, in quo non est in prælatum translata potestas: impedit contrahendum, sed non dirimit jam contractum. Solemne votum est, quod solemnizatur ordinis sacri susceptione, professionis emissione, habitus professorum assumptione, cum aliis quæ ostendunt hominem professum: impedit contrahendum, dirimit jam contractum.

Crimen. Circa crimen nota, quod in septem generibus criminum, denegatur connubium. Primum est adulterium, cum occisione mulieris, seu uxoris, scilicet fideidatione de ducenda uxore adultera, propria defuncta, vel cum contractione de facto: secundum est incestus: tertium est raptus sponsæ alterius: quartum est de eo, qui insidians matrimonio, filium suum de sacro fonte levavit, quintum est de eo, qui occidit presbyterum: sextum est de eo qui occidit propriam uxorem, sive persequendo culpam adulterii, sive persequendo personam ratione odii: septimum est solemniter pœnitens. In omnibus istis dispensatur, præterquam in primo, quod respicit determinatam personam. Nam adulterium, cum uxoricidio, vel cum fideidatione, vel contractione de facto, respectu illius personæ, impedit contrahendum, & dirimit jam contractum.

Impotentia coeundi. Item impotentia naturalis coeundi, si est temporalis, non impedit. Si est perpetua, impedit, & dirimit, si præcedit matrimonium. Si autem sequatur matrimonium, non dirimit. Sic etiam de sectis dicitur.

A Ordo: Ordo sacer triplex impedit contrahendum, & dirimit jam contractum. Minores ordines neutro modo, si voluerit ordinatus Ecclesiæ deservire.

Cultus disparitas. De cultus disparitate nota, quod infidelis dicitur aliquando, quia caret fide, non tamen fidei Sacramento, ut hæretica baptizata: talis disparitas impedit contrahendum, & non dirimit jam contractum: aut est infidelis, carens fidei Sacramento, & talis disparitas impedit, & dirimit, etiam si mulier sit fidelis, quia caret Baptismo, qui est janua sacramentorum.

Vis. Circa vim, sive violentiam, tene, quod coactio potest fieri vi, sive metu. B Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest, ut cum quis capitur, trahitur, ligatur: talis vis impedit, & dirimit. Metus est instanti periculi trepidatio. Metus autem est duplex, scilicet levis, & justus. Levis est, qui non cadit in constantem virum, ut quando parva est comminatio, vel per hominem parva potentem. Coactio per hunc modum sive metus non dirimit, nec impedit. Justus metus est, qui potest cadere in constantem virum, ut quando verisimile est, quod malum inferet, qui minatur: & talis coactio tollit consensum, & secundum jura impedit matrimonium, & dirimit jam contractum.

C Ligamen. Circa ligamen nota, quod quantumcumque fiat divortium inter conjuges, propter crimen adulterii, quantum ad thorum, & cohabitationem, manent personæ sic separatæ innubiles cum aliis: cum inter eos, quamdiu vixerint ambo, permaneant indissolubile vinculum, & ligamen.

Honestas. Circa honestatem publicæ justitiæ nota, quod qui contrahit sponsalia cum aliqua post septennium, & decedit ante consummatum matrimonium: ex tali honestate retrahuntur consanguinei sponsi defuncti a contractione matrimonii cum relicta: & hæc honestas impedit contrahendum, & dirimit jam contractum.

SE-

SECTIO LVI.

De impedimentis affinitatis, & cognationis in speciali, & primo de affinitate.

Affinitatis, & consanguinitatis differentia triplex.

DE duobus impedimentis, quæ restant, specialiter est videndum, scilicet de affinitate, & cognatione. Et primo de affinitate. Circa quam primo est notanda triplex differentia: secundo notanda est triplex notula. Differt ergo primo inter esse affinem, & consanguineum. Consanguinitas enim venit ex carnis propagatione: affinitas autem ex carnali commixtione, præsupposita consanguinitate, quæ diffi- B nitur sic: Affinitas est proximitas personarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela, quantum est de se, supple. Unde si quis cognoscit mulierem, efficitur affinis omnibus consanguineis mulieris, & e contra. Secundo differt inter affinitatem, genus, & gradus. Nam genus attenditur, penes plurificationem commixtionis carnis: gradus vero ex parte sanguinis, & propagationis: propter quod dicebatur antiquitus:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Erant enim quondam tria genera affinitatis. Primum erat ex consanguinitate, & prima carnis commix- C tione. Verbi gratia: Si frater tuus contraxit cum Maria, illa erat tibi affinis in primo genere: Secundum erat ex affinitate & secunda carnis commixtione, ut si Maria mortuo fratre tuo, contraxit cum Martino, ipse erat tibi affinis in secundo genere: Tertium erat ex secunda affinitate, & tertia carnis commixtione, ut sit Martinus, defuncta Maria, contraxit cum Guillota. ipsa Guillota erat tibi affinis in tertio genere. Et sic nupta mutabat genus, generata vero sive propagata mutabat gradum. Nam si Maria mortuo fratre tuo, ex Martino filiam generasset, illa filia fuisset tibi affinis in secundo gradu, quasi neptis, & non in secundo genere.

A Hodie vero cessant illa tria genera præter primum, & filia generata ex cognata tua ex alio viro nihil dicetur tibi attinere. Et sic tertio differt, utrum mulier affinis generet ex consanguineo, vel extraneo. Nam si generet ex consanguineo, proles genita attinet tibi gradu consanguinitatis. Si vero ex extraneo, attinet tibi proles genita gradu affinitatis, ut dictum est secundum jura antiqua. Secundum vero jura moderna, nihil tibi attinet proles illa.

His visis, tres notulæ sunt ponendæ: quarum prima est, quod in primo genere affinitatis, non licet contrahere usque ad quartum gradum inclusive, sicut & de consanguinitate dicitur. Si autem quartum gradum velis agnoscere, recurre ad personam, mediante qua affinitas est contracta, & quoto gradu distat ab illa, tanto gradu distat a persona, cui est affinis: ut si contraxisti cum muliere, factus es affinis consanguineis mulieris: & quoto gradu aliquis est consanguineus mulieris tuæ, toto gradu est tibi affinis: & si attinet sibi in quarto gradu consanguinitatis, attinet tibi in quarto gradu affinitatis. Et sicut non licet uxori tuæ contrahere cum tali, ita nec tibi. Secunda est, quod ex quo affinitas est contracta, mortua persona, mediante qua est contracta nihilominus manet: quia sicut vinculum consanguinitatis est perpetuum, sic etiam affinitatis. Tertia est, quod affinitas non solum contrahitur per coitum conjugalem, sed etiam per fornicatorium.

Notula triplex.

SECTIO LVII.

De cognitione triplici.

SEquitur videre de cognatione, quæ distinguitur triplex, scilicet carnalis, spiritualis, & legalis. De singulis videndum est per ordinem. Et primo de carnali. Circa quam primo ponenda est triplex diffinitio. Ergo videndum est quid sit consanguinitas, & quo modo diffinitur. Secundo adjungenda est triplex notula.

Primo consanguinitas est vinculum

Consanguinitas.

lum personarum ab eodem stipite A descendentium, carnali propagatione contractum. Secundo videndum est, quid sit linea: Linea est ordinata collectio personarum, consanguinitate conjunctarum ab eodem stipite descendentium, diversos gradus continens. Et quia ordo potest attendi quantum ad id, quod est supra, vel ad id, quod est infra, vel ad id, quod est iuxta; tres lineæ assignantur. Quædam ascendentium in qua sunt gradus isti pater & mater: avus & avia: proavus & proavia: abavus & abavia: atavus & atavia. Quædam est descendentium, in qua sunt filius & filia: nepos & neptis: pronepos & proneptis: abnepos & abneptis: atnepos & atneptis. B Quædam est transversalium, in qua sunt duo fratres, filii duorum fratrum: nepotes duorum fratrum. Tertio videndum est, quid sit gradus. Gradus est habitudo personarum distantium, qua cognoscitur quota generis differentia duæ personæ differunt, seu distant inter se.

Linea.

Gradus quid.

Notulæ tres.

Nunc ponendæ sunt tres notulæ. Quarum prima est quod non licet contrahere cum aliqua consanguinea, usque ad quartum gradum inclusive. Secunda est, quod toto gradu personæ descendentes a stipite distant a se invicem, quoto distant a stipite. Tertia est, quod quando personæ inæqualiter distant a stipite, utpote una in secundo gradu, alia C in quinto, quod linea consanguinitatis & gradus computari debet secundum differentiam personæ magis remotæ.

Cognatio spiritualis.

Circa cognationem spiritualem, primo videndum est quid sit. Est autem cognatio spiritualis propinquitas, sive proximitas, proveniens ex sacramentali donatione, vel ad id tentione. Secundo videndæ sunt ejus differentiæ, quæ sunt tres: Compaternitas, quæ est inter patrem spiritualem & patrem carnalem: paternitas, quæ est inter patrem, qui suscipit, & eum, qui suscipitur, sive sit masculus sive fœmina: fraternitas, quæ est inter filium spiritualem & filium carnalem, universaliter & præcise: non enim se extendit nisi ad eum, qui suscipitur. Tertio videndum est, quot modis contrahitur, quia dupliciter, scilicet indirecte, ut cum alter conjugum fit compater alicujus per actum conjugis: directe, ut cum aliquis fit compater alicujus per actum proprium, ut quando ipse personaliter de fonte suscipit filium alicujus. Secundum istum duplicem modum, intellige istos versus.

Quæ mihi, vel cujus mea natum de fonte levavit:
Hæc mea commater, fieri mea nequit uxor.
Si qua meæ natum non ex me fonte levavit:
Hanc post functam meam, non inde vetabor habere.

Contrahitur autem hæc cognatio per catechismum, baptismum, & confirmationem. Sed per catechismum adeo exiliter, ut vix impediat matrimonium contrahendum, non autem dirimit jam contractum. Per Baptismum vero & confirmationem contracta cognatio spiritualis, secundum triplicem differentiam supradictam, impedit contrahendum & dirimit jam contractum.

Modo videndum est breviter de cognatione legali, quæ sic describitur. Cognatio legalis est: proximitas proveniens ex adoptione. Triplex autem oritur cognatio per adoptionem: una est quasi descendentium, quæ attenditur inter adoptantem, & filiam, vel neptem adoptatam, & inter ipsos non potest contrahi matrimonium: alia est quasi a latere, quæ attenditur inter filium naturalem, & filiam adoptivam, & isti quamdiu sunt in potestate patris, non possunt matrimonio conjungi, emancipati vero possunt matrimonio copulari: alia est quasi affinitas quædam, quæ attenditur inter adoptatum, & uxorem adoptantis, vel inter adoptantem & uxorem adoptati, inter istas non potest matrimonium celebrari. Nota quod carnalis cognatio sumitur penes legem naturalem: spiritualis, penes divinam: legalis, penes legem humanam. Prima respicit bonum naturæ: secunda, bonum gra-

Cognatio legalis.

tiæ:

tiæ: tertia, bonum fortunæ: Prima corpus, secunda animam, tertia conjunctum.

A

CENTILOQUII.

QUARTA PARS,

Quæ tribus Sectionibus est contenta.

SECTIO I.

De triplici differentia præmii.

POSTQUAM visum est de bono, inquantum tenet rationem meriti; videndum est jam ultimo de bono, inquantum tenet rationem præmii. Circa quod breviter sunt tria videnda, scilicet triplicis præmii differentia, viæ expedientia, & gaudii sufficientia. Quantum ad primum tenendum est, quod triplex præmium legitur in scriptura, scilicet præmium, quod dicitur aureola: & præmium, quod dicitur fructus: & præmium, quod dicitur aurea. Aurea est merces incorruptibilis & æterna, veritate & bonitate. Comparatur autem talis merces aureæ propter tria. Aurea enim est corona de auro. Corona autem debetur filio Regis. In qua etiam quantum est in se, non est reperire principium, neque finem. Et materia de qua est, scilicet aurum, est inter cetera metalla maxime incorruptibile. Præmio ergo, quod dicitur aurea, præmiantur, qui transeunt ad regni hereditatem, ad Dei æternitatem, ad sui soliditatem, sive incorruptibilitatem. Hoc autem præmium debetur cuilibet virtuti, & præcipue redditur charitati, & aliis virtutibus gratia charitatis. Nam si finalis charitas amittatur, illud præmium nulli datur. Et quia est bonum increatum, de quo percipitur ista merces: dicitur autem nunc aurea, nunc præmium substantiale, nunc bonum essentiale.

Præmium bonorum triplex.

Aureola vero est gloria incorruptionis, secundum profectum trium virium animæ, vel in carne operantium. Tres quippe naturales potentiæ, scilicet rationalis, irascibilis, concupiscibilis in actus perfectissimos egredientur respectu carnis tribus virtutibus informatæ, scilicet prudentia, temperantia, & fortitudine. Temperantia habet suum perfectissimum actum, & difficillimum, qui est semper servare carnem suam integram, absque omni contagione venereæ actionis: quod faciunt virgines, ratione cujus debetur eis aureola virginum. Fortitudo habet suum actum difficillimum, quem in carne transfigit & exercet mediante carne: uti est sustinere mortem pro justitia, & veritate, quod faciunt martyres, ratione cujus debetur eis aureola martyrum. Prudentia quoque habet actum suum difficillimum, quem transfigit & exercet in carne, quæ aggravat animam: & hic est docere alios in fide, & moribus, quod faciunt doctores, ratione cujus debetur eis aureola prædicatorum. Aureola igitur virginum est gloria de incorruptione carnis, attestante incorruptione mentis. Aureola martyrum est gloria de invicta sustinentia mortis, usquequo aliquis perseveraverit usque ad mortem, pro fide & justitia patienter. Aureola prædicatorum est gloria de incorruptione doctrinæ ad alterum prolatæ, verbo, & mente, & exemplo. De hac aureola prædicatorum dicitur: Quæ est mea spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Deum? In signum hujus triplicis aureolæ debitæ tribus generibus salvandorum, præmittuntur in aliquibus Ecclesiis antiphonis Beatæ Mariæ versiculi, in signum aureolæ virginum. Antiphonis beati Pauli Apostoli, pro prædicatoribus. Antiphonis beati Laurentii martyris pro martyribus. Et nota, quod pro quatuor datis maximis, quæ dat homo justus Deo, ab eo recipit quatuor dona maxima. Nam pro bona voluntate informata charitate, recipit auream: pro bona doctrina fidei & morum, recipiunt prædicatores aureolam: pro sustinentia mortis, recipiunt martyres suam: pro incorruptio-

Aureola triplex.

B

C

1. Thes. 2.

Ritus.

ruptione carnis, virgines habent suam aureolam.

Præmium fructus.

Præmium quod dicitur fructus, attenditur secundum unum prædictorum, scilicet secundum continentiam virginalem. Et diversificatur fructus, secundum quod diversificatur continentia. Est enim continentia conjugalis abstinens se ab omni coitu illicito, non tamen ab omni coitu. Huic respondet fructus tricesimus, in quo est denarius, qui æterna significat: & ternarius trium bonorum conjugii, scilicet prolis, fidei, & sacramenti, quæ ad denarium referuntur. Est continentia vidualis abstinens se ab omni coitu in carne corrupta, respectu temporis, & personæ a posteriori tantum, cui respondet fructus sexagesimus. In quo est denarius æterna significans & senarius operum, in quibus propter denarium æternorum debent viduæ exerceri secundum Apostolum. Quorum operum primum est reddere parentibus vicem: secundum est instare obsecrationibus & orationibus: tertium est filios educare: quartum pauperes hospitio recipere: quintum sanctorum pedes lavare: sextum tribulationem patientibus subministrare: Est tertio continentia virginalis abstinens se in carne incorrupta, respectu cujuslibet temporis, & personæ ab omni coitu, cui respondet fructus centesimus, qui constat ex denario in se ducto. Iste quidem competit virginibus, quæ in terra manentes, angelicam ducunt vitam, & tantum interius sibi vacant propter æternum bonum, quod est denarium in se ducere. Castitas conjugalis bene excolit terram suam, vidualis melius, virginalis optime. Et nota quod cum virginitas sit in carne corruptibili perpetuæ incorruptionis meditatio, virginitas tria dicit. Primum est abstinentia ab omni coitu illicito: secundum est abstinentia ab omni coitu licito: tertium est integritas mentis, & carnis. Quantum ad primum dicit habitum virtutis, huic debetur aurea: quantum ad secundum, dicit virtutis statum, huic debetur fructus centesimus: quantum ad tertium, dicit decorem, huic debetur aureola. Fructus autem in virginibus determinat ante se aureolam: aureola vero præsupponit auream. Voluntati enim continendi propter Deum debetur aurea: sed cum additur in carne incorrupta, superadditur ei aureola: quia sic est continentia in suo summo. Ulterius cum additur, respectu cujuslibet temporis & personæ, debetur ei fructus centesimus.

1. Tim. 5. Sex opera vidualis castitatis.

SECTIO II.

De expedientia ad præmium.

Sequitur videre de his, quæ animam expediunt ad gloriæ supplementum. Retardatur enim anima exuta, quamvis gratia finali informata, dupliciter, ne totaliter feratur in Deum, scilicet propter cremabile, quod secum traxit, & propter corpus suum socium, quod dimisit. Contra primum, expeditur per Ecclesiæ orationes, & suffragia viatorum. Contra secundum, expeditur per consummationem justitiæ, sive per remunerationem corporum resumptorum. Primo ergo videamus qualiter animabus in purgatorio retardatis, valeant suffragia viatorum. Et post de resurrectione mortuorum.

Suffragia pro defunctis.

Prosunt autem Ecclesiæ suffragia defunctis, non quibuscumque, sed mediocriter bonis, utpote illis, qui sunt in purgatorio: non, valde malis, ut illis, qui sunt in inferno: nec, valde bonis, ut illis, qui sunt in paradiso: sed potius eorum orationes & merita militanti Ecclesiæ suffragantur: quia nobis adhuc miseris multa per eos beneficia impetrantur. Prosunt autem suffragia sic impensa secundum magis, & minus, vel pro diversitate meritorum in mortuis, vel pro sollicitudine charitatis in vivis. Prosunt, inquam, ad pœnarum mitigationem, vel ad celeriorem liberationem, prout divina providentia voluerit dispensare. Suffragia autem, quæ valent præcipue in remedium defunctorum, his versibus continentur.

Effectus suffragiorum.

Missa

Missa frequens, crebræque preces, jejunia sacra,
Prosunt defunctis, prodest eleemosyna sancta.

Cum autem per divina munera & propria merita, necnon & aliena suffragia, animæ ad gloriam transierint angelorum; adhuc tamen secundum sanctos propter naturalem inclinationem ad corpus, a contemplatione plena, & fruitione perfecta retardantur.

Resurrectio generalis.

Unde videndum est de resurrectione, de qua secundum fidem catholicam est tenendum, quod omnia corpora hominum resurgent in generali judicio, non existente in eis distantia quantum ad ordinem temporis, sed potius quantum ad ordinem dignitatis. Mali enim non in melius mutabuntur, sed in bonis natura servabitur, & vitia atque defectus detrahentur. Omnes quippe resurgent in integro corpore, plena ætate, debita mensura membrorum, in eisdem corporibus numero, & eisdem partibus constitutis, salva totius veritate naturæ, non solum quantum ad membra principalia & humiditatem radicalem, verum etiam salvis capillis & membris cæteris, quæ ad corporis decentiam pertinebunt: ita quod in quascumque auras pulvis humani corporis dispersus fuerit, ad eamdem redibit animam, quæ hominem prius, ut viveret & cresceret, animavit. Et quia electi debent esse conformes primogenito mortuorum, id est Domino nostro Jesu Christo, in quo nullus fuit omnino defectus: necesse erit, ut si aliquod membrorum deerat, suppleatur: & si aliqua superfluitas inerat, auferatur: si aliqua membrorum inordinatio corrigatur. Si parvus erat, ad quantitatem ætatis Christi, quam habebat parvulus, in ratione quamvis non in mole, virtute divina deducatur. Si decrepitus, ad eamdem ætatem deveniet. Si gigas, ad eamdem, si nanus deficiens, ad mensuram congruam limitetur: ut sic omnes sancti & integri & perfecti, occurrant in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Eph. 4

Dotes quatuor beatorum corporum.

Erunt autem in corporibus electo-A rum quatuor conditiones nobilissimæ, quæ dotes dicuntur, in quibus cætera bona includuntur. Quæ quidem dotes sunt claritas, agilitas, impassibilitas, & subtilitas, quæ sic corpus perficiunt quod ordinant ad animæ actionem, quæ duplex est, scilicet cognitio, & dilectio. Claritas habet ordinem ad cognitionem, aliæ tres dotes ad dilectionem. Consistit autem dilectio, quæ est delectatio magna, in conjunctione convenientis cum convenienti. Est itaque agilitas, ut conjungatur anima Deo: impassibilitas, ut non retrahatur, subtilitas, ut nihil interponatur inter diligens & dilectum. Potest autem sumi sufficientia harum dotium B penes causam materialem sic: Corpus humanum quatuor habet defectus, ex quatuor elementis, quibus componitur & subsistit. Ab aqua habet passibilitatem, quæ est elementum fluidum, contra hunc defectum habet impassibilitatem: a terra habet opacitatem, contra quam habet claritatem: ab igne, qui consumit, habet animalitatem, secundum quam alimoniis reddit ponderosum, contra quem defectum habet agilitatem: ab aere, qui cedit cuilibet impellenti, habet infirmitatem contra quam habet subtilitatem sive penetrabilitatem, per quam corpori glorioso erit pervium omne durum.

C

SECTIO III.

De sufficientia gaudii.

Jam ad gaudii sufficientiam est tertio, sive ultimo transeundum. Circa quam breviter est attendendum quod gaudium sufficiens, perficitur & completur in tribus dotibus animæ, quæ sunt aperta visio summi veri, certa tentio summi ardui, perfecta dilectio summi boni. In primo perficitur rationalis, in secundo irascibilis, in tertio concupiscibilis. Primum est præmium fidei, secundum præmium spei, tertium præmium charitatis. Sunt autem quidam ternarii in superiori facie animæ, quibus ab imo sui usque ad

Tres dotes animæ gloriosæ.

ad summum Dei pervenit, & quiescit. Sunt tria subjecta, scilicet tres potentiæ naturales, rationalis, irascibilis, & concupiscibilis: quæ tanquam fundamenta bonis spiritualibus substituuntur. Sunt tres habitus virtutum theologicarum, scilicet fidei, spei, & charitatis, quæ a Deo gratis ad informationem trium virium prædictarum infunduntur, & quibus ipsæ potentiæ diriguntur. Sunt tres actus, qui a prædictis potentiis, mediantibus tribus habitibus supradictis, scilicet tribus virtutibus theologicis eliciuntur, scilicet credere, assentiendo summæ veritati propter se, & super omnia: sperare, intendendo summæ largitati propter se, & super omnia: diligere, complectendo summam bonitatem propter se, & super omnia. Sunt tria objecta, ad quæ tres actus egredientes a tribus potentiis virtute trium habituum terminantur. Ista autem objecta sunt veritas increata, majestas increata, & bonitas: ita

A quod summum verum est objectum fidei, summum arduum est objectum spei, summum bonum est objectum charitatis. Verum, inquam, sub ratione veri, arduum sub ratione ardui, bonum sub ratione boni: Et respiciunt hæc omnia statum & meritum viatorum. Sunt etiam tria præmia, scilicet cognitio, sive intelligentia veritatis infallibilis: possessio sive permanentia dignitatis inamissibilis: dilectio sive complacentia bonitatis infatigabilis. Et sic potest colligi ex prædictis, quod in B gloria cælesti erit præmium substantiale, consubstantiale, & accidentale. Substantiale & ex parte animæ, consistit in Dei visione aperta, Dei tentione secura, Dei dilectione perfecta: & hæc est prima stola. Consubstantiale ex parte corporis, consistit in claritate, impassibilitate, agilitate, & subtilitate: & hæc est secunda stola. Accidentale consistit in tribus aureolis, quæ non sunt omnium salvandorum.

Præmium triplex.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

PRÆSENS Opusculum quadripartitum est: cujus prima pars agit de tribus primæ Hierarchiæ ordinibus: secunda de tribus ordinibus Hierarchiæ secundæ: tertia de tribus ordinibus Hierarchiæ tertiæ: quarta de cœli, & cœlestium corporum proprietatibus. Continent autem singulæ partes singularem, & valde utilem doctrinam iis præsertim, qui regimini præsunt, dum modum ostendit Auctor quo se superioribus spiritibus conformare debeant tam subditi quam prælati pro sua quique ratione. Lector tamen animadvertere debet præcedens Opusculum a S. Bonaventura hic in principio citatum, in quo se de rerum ordine & distinctione egisse ait, illud non esse quod in ultima editione Veneta de mystica Theologia inscriptum huic proxime præponitur, tum quod in eo de his non agit, tum quod an Bonaventuræ sit ab aliquibus in dubium revocetur, tum denique quod in antiquis impressis non est is Opusculorum ordo. Quare vel injuria temporum tractatus ille non extat, vel fortasse breviloquium est, in cujus secunda parte de productione, & distinctione rerum agitur, & si conjecturæ aliquis locus est, fortasse auctor statim post breviloquium, hoc scripsit.

Prima Pars hujus Opusculi de tribus ordinibus primæ Hierarchiæ, cujus hæc sunt capita.

De nomine Angeli, & quod eo varia in Scriptura significentur. Cap. I.
De Seraphim. Cap. II.
De Cherubim. Cap. III.
De Thronis. Cap. IV.

CAPUT I.

De nomine Angeli, & quod eo varia in Scriptura significentur.

INvisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ut ait Apostolus, sempiterna quoque eius virtus & divinitas. A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter poterat Creator horum videri, ait Sapiens. Ex quo apparet manifeste, quod humanus intellectus ad invisibilium & intellectualium contemplationem ascendere non poterit, nisi per visibilium & sensibilium considerationem dirigatur. Impossibile namque est, ut dicit, Dionysius, aliter nobis lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum. Ideo Theologia poeticis sacris informationibus usa est, ut ex rerum visibilium similitudinibus allegoricæ locutiones & mystici intellectus transsumptiones formentur, & sic sensibilibus & visibilibus spiritualia & invisibilia coaptentur. Hujus rei gratia præsens opusculum, & si laboriosum mihi, tamen & aliis parvulis in Christo lac petentibus, ut spero, non infructuosum, offero ad ædificationem domus Domini, qui est sublimis & gloriosus in sæcula sæculorum. In quo agitur de proprietatibus rerum naturalium quas secundum parvitatem meam, nunc tropologice, nunc allegorice, nec non quandoque anagogice rebus spiritualibus comparavi, junioribus relinquens materiam exercitii sensibilia insensibilibus, & carnalia spiritualibus coaptandi. Et cum rerum naturalium proprietates ipsarum sequantur substantias, secundum ipsarum distinctionem substantiarum & ordinem erit distinctio, & ordo proprietatum, quas in alio opusculo per sepositas & distinctas, poteris per ordinem reperire.

Rom. 1 *Sap. 13* *Dionys. de Ang. Hier. c. 1*

Primo igitur de spirituali substantia actu & potentia a materia separata est agendum, cujus proprietates & differentias in præcedenti opusculo traditas, poteris diligentius intueri, sed quantum ad præsens spectat negotium, est notandum, quod inter principalem & propria significatio-A nem, Angelus metaphorice ad significandum diversa in sacra Scriptura est transsumptus, quia, ut beatus ait Gregorius, nomine Angeli, nunc Christus, nunc iustus, nunc gratia seu virtus, figuraliter nuncupatur.

Greg. l. 24. c. 2. & homil. 6. in Evang. in sensu.

Christus igitur ratione assumptæ humanitatis, dicitur Angelus propter missionem. Angelus enim mittit, & mittitur, sic Christus a Patre in mundum missus est. Unde dicit Isaias: Quem mittam? & quis ibit nobis? & in Matthæo: Non sum missus, nisi ad oves domus Israel. Et in Joanne: Honorifico eum, qui me misit. Et in Exodo: Mittam vobis Angelum præcursorem, ut eiiciam Amorrhæum, &c. Et ibidem: Ecce ego B mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te in via, & introducat in terram, &c. Unde Christus sic missus more Angeli alios misit, juxta illud Matthæi: Ecce ego mitto vos sicut oves, & Lucas: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios, &c. Ideo dicitur in libro Judicum, Dixit Angelus Domini ad Gedonem: Vade & scito, quod misero te, & liberabis Israel, & in Hieremia: Ad omnia quæcumque mittam te, &c.

Isa. 6 *Mat. 15* *Joan. 8* *Exo. 33* *Ibidem.* *Mat. 10* *Luc. 10* *Judic. 6* *Hier. 1*

Secundo propter illuminationem. Angelus enim illuminat, & illuminatur, sic Christus divinitatis lumine repletus, ad illuminandum sedentes in tenebris & umbra mortis mundo est datus, ut dicit Joannes: Lux C in tenebris lucet, &c. & Isaias: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus, &c. Et in Apocalypsi: Vidi Angelum alium descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est a gloria eius, &c. Est in Actibus: Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris. Nam ubi Christus est, tenebra esse non potest.

Joan. 1 *Isa. 49* *Apoc. 18* *Act. 12*

Tertio propter purgationem; quia Angelus purgat & purgatur, & Christus in Matris utero divina virtute ab omni immunditia fomitis est purgatus, & actu & potentia ab omni corruptione vitii liberatus, & fide corda credentium purificat, & ad totius munditiæ puritatem nos informat. In cujus rei figura dixit Angelus ad Manue: Abstineat puer ab omni immundo:

Jud. 13

Isa. 6 do: vinum & siceram, &c. Isaias: A Volavit unus ad me ex Seraphim, & dix: Ecce tetigi labia tua, & auferetur iniquitas tua, & mundabitur peccatum tuum.

Quarto propter perfectionem; quia Angelus perficit & perficitur, & Christus non solum est purgatus a malo, imo perfectus est in omni bono, & est causa totius nostræ perfectionis: iuxta illud Lucæ: Perfectus omnis erit si fuerit sicut magister eius. Unde in signum summæ perfectionis, omnia terrena fugere docuit. In cuius rei figuram dixit Angelus ad Jacob: Surge egredere de terra hac, revertere in terram nativitatis tuæ, &c. Hic Angelus est Christus, qui monet ut de terrenis fugiamus, & in terram B viventium ingredi festinemus.

Luc. 6

Gen. 31

Quinto propter mediationem; nam Angelus inter Deum & homines est medius, & hoc congruit Christo, qui est Mediator Dei & hominum, mundum, scilicet Deo reconcilians, & ad patris amicitiam nos reducens, & pro nobis continue intercedens. Unde dicit Joannes: Advocatum habemus apud Patrem Christum Jesum, qui interpellat pro nobis. Et Job: Si fuerit pro eo Angelus loquens miserebitur ejus, & dicet: Libera animam ejus, ne descendat in corruptionem.

1. Joan. 2

Job. 33

Sexto propter mysticam refectionem, nam Angelus divino alimento repletus, nos reficit, & Christus Patris complendo voluntatem, reficitur. Unde Joannes dicit: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, &c. Et sic refectus, & spiritualiter & sacramentaliter nos reficere non destitit, juxta illud Sapientiæ: Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti. Et 3. Regum: Tetigit eum Angelus, & dixit: Surge, & comede.

Joan. 4

Sap. 16

3. Reg. 19

Septimo propter inferiorum regimen sive gubernationem; Angelorum enim regimini hæc inferiora deputantur, ut dicitur in Ecclesiastico: In unamquamque gentem præposuit rectores, &c. & hoc Angelo magni consilii, id est, Christo convenit, qui omnium electorum mentes in sua custodia suscipit & tutela, ut dicitur in Joanne: Quos dedisti mihi, ego custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, &c. & in Ecclesiastico: Ne dicas, Coram Angelo non est providentia, &c. Et in Exodo: Tollens se Angelus Domini, qui præcedebat castra filiorum Israel, abiit post illos, &c. quia Christus, qui omnes præcessit doctrina & exemplo, omnes sequitur custodiæ beneficio, ait enim Psalmista: Immittit Angelus Domini, &c. Bernardus: O quam desiderant cives Angelici civitatis suæ ruinam restaurari, o quam soliciti ut veniant lapides vivi. Quomodo discurrunt medii inter nos & Deum, gemitus nostros portantes; non dedignantur nobis fieri socii, qui pro nobis jam sunt ministri. Expectat nos creata jam illa multitudo. Væ tibi quicunque es, qui redire iam desideras ad lutum, reverti ad vomitum. In quovis diversorio Angelo tuo reverentiam age, ne audeas illo præsente, quod me vidente non auderes.

Eccl. 17

Joan. 17

Eccl. 5

Exod. 14

Ps. 33

Bernar. in medit. c. 6

Nomine Angeli iustus intelligitur, & præcipue vir spiritualis & religiosus, & omnis litteratus, seu prælatus pro Angelo comparatur, sic Joannes Baptista propter predicationis excellentiam, & spiritualis vitæ eminentiam, Angelus a Domino nuncupatur in Mathæo: Hic est de quo scriptum est. Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Item Joannes in Apocalypsi: Rectores septem Ecclesiarum Angelos vocat, & Paulus? Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, C & hominibus. Et alibi: An nescitis, quia Angelos judicabimus. Et rursus: Mulier habet velamen super caput suum propter Angelos.

Angeli nomine justus quandoque intelligitur.

Mat. 11

Apoc. 1. 2. 3

1. Cor. 4

1. Cor. 11.

Ibidem.

Comparantur autem viri iusti Angelis propter septem. Primo propter munditiam cordis, & puritatem conversationis. Nam Angelus ab omni corpulentia & conditione carnea est separatus. Spiritus enim carnem & ossa non habet. Sic vir iustus nihil habet in se admixtionis carnalis delectationis, imo sicut adeps ab omni carne separatur, ut dicitur in Ecclesiastico, & in Psalmo: Qui facit Angelos suos spiritus, &c. Ideo legitur Angelus carnes consumpsisse, Extendit, inquit in libro Judicum, Angelus Domini summitatem virgæ, & tetigit carnes, ascenditque ignis de petra, & carnes azymosque panes con-

Justi propter septem comparantur.

Luc. 24.

Eccli. 37

Ps. 103

Judic. 6

sumpsit. Vir enim spiritualis, cum virga pœnitentiæ, quidquid in eo carnalitatis est, consumere solet, & per omnia abolere.

Item secundo propter limpiditatem divinæ cognitionis. Angelus enim Deiformem habet intellectum. Unde sicut eius intellectus Deo immediate coniungitur, & influentia occulti luminis illustratur, sic vir iustus, suum sensum, & intellectum Deo reddit conformem, & non de se præsumit, sed ut amplius mereatur per fidem illuminari, & perfectius divinis instrui, se Deo subijcere non postponit. (2 Cor. 10) Ait enim Apostolus: Destruentes per arma spiritualia, omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi. (1 Tim. 3) Et ad Timotheum: Quod manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatũ est in gentibus.

Item tertio propter humilitatem subiectionis. Nam inferior Angelus subest superiori, & obedit sine murmure & indignatione, quia superior præest sine tyrannica inferiorum oppressione. In quo notatur, quanta debeat conformitas esse inter imperium prælatorum, & obedientiam subditorum. Nam sicut prælatorum monere est cum mansuetudine, ita subditorum est humiliter iustis iussionibus obedire, (Heb. ult.) sicut dicitur ad Hebræos: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant! non gementes. Unde in signum talis obedientiæ (Zach. 2) dicitur in Zacharia: Alius Angelus egrediebatur in occursum Angeli, qui loquebatur in me, & dixit: Curre, & loquere ad puerum istum, &c. Ecce cum quanto moderamine maior (1. Pet. 1) præcipit, & cum quanta humilitate alter eius imperio acquiescit. Et Petrus in Canonica: Animas nostras castificantes in obedientia charitatis & fraternitatis amore, simplici ex corde.

Item quarto propter rectitudinem intentionis. Nam Angelus, ut dicit Gregorius, in omni suo opere Deum inspicit & nihil aliud, quam divinæ voluntatis regulam diligit vel requirit. Ita enim exteriora divino nutu Angeli

A peragunt, quod mentis aciem ab ipso non deflectunt. (Matt. 18) Ideo dicitur in Matthæo: quod Angeli eorum semper vident faciem Patris. Gregorius: Semper videntis omnia faciem intuentur, qui nulla intentionis dissimilitudine ab ipsius præsentia removentur. Et (2 Reg. 19) in 2. Regum: Tu Domine mi, quasi Angelus Dei es, fac quod beneplacitum est tibi: quia qui Deum vera intentione cordis diligit, ab ipsius voluntatis beneplacito non recedit.

Item quinto propter sedulitatem & diligentiam administrationis. Angelus enim ad Sanctorum ministerium continue deputatur, & substantiæ suæ agilitate ad peragendum quælibet iniuncta subito concitatur. (Heb. 1) Omnes enim B sunt administratorii spiritus missi, propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis. Sic absque dubio, viri Angelici Angelorum numero ascribuntur, qui pro aliorum salute laboris ministeria assumere non verentur. (Isa. 18) Ideo dicit Isaias: Ite Angeli veloces ad populum, &c. Unde magnum obtinent Angelorum officium, qui docendo & inducendo vitæ exemplo, ad Deum errantes alliciunt & convertunt. (Iac. 5) De quo Jacobus: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, animam eius salvabit a morte, &c. (Gen. 16) Talis fuit Angelus, qui dixit ad Agar: Revertere & humiliare sub manu dominæ tuæ, & noli timere, &c. (Iudic. 13) Talis etiam fuit Angelus, de quo dicit C Manue: Obsecro Domine, ut mittas Angelum, ut veniat iterum, & doceat nos, quid de puero, qui nasciturus est, facere debeamus.

Item sexto propter continuitatem dulcedinis contemplationis. Angelus enim sic administrando Deo servit, quod propter hominum servitium a contemplationibus intimis non recedit, (Greg. l. 2 Mor. c. 2 in sensu.) ut dicit Gregorius: Nam quandocumque ad exteriora exeunt, ab interiori contemplatione non recedunt, quia illum semper aspiciunt, qui præsens est quocumque vadunt. Sic vir spiritualis taliter circa exteriora se occupat, ut devotionis spiritum non extinguat. Unde quando extrinsecus per bonorum exercitationes operum fatigatur in corpore, intrinsecus reficitur in mente. (Ose. 12) Unde in Osea dicitur: In fortitudine sua dire-

ctus

ctus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum & confortatus est, flevit & rogavit eum. Et in Genesi: Vidit Angelos descendentes, & ascendentes per scalam, &c. Scala, sicut ibi dicit Glossa, cujus cacumen tangebat cœlum, significat Christum, qui est via recta perducens ad Deum, per hanc scalam descendunt viri spirituales cum Angelis ministrando ascendunt & contemplando. Unde dicitur in Daniele: Millia millium ministrabant, &c. Et Joannes: Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super Filium hominis.

Gen. 28

Dan. 7. Joan. 1

Item septimo, propter fixum & stabilem motum dilectionis, quo amor Angelicus tamquam ignis sine termino in Deum movetur, ideo sæpius Angeli in specie ignis leguntur apparuisse, ut in Exodo apparuit Dominus, idest Angelus, in quo erat Dominus, in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus ardebat, & non comburebatur, &c. Rubus, est vir spiritualis spinis pœnitentiæ circumplexus, medium rubi est cor viri iusti, de cujus medio erumpere debet flamma inextinguibilis charitatis. Unde dicitur in Canticis: Lampades eius Lampades ignis, atque flammarum. Et in Psalmo: Ministros suos facit flammam ignis. Hoc igne cor accensum ardet, & non comburitur, quia nulla adversitate frangitur, nullo etiam mortis metu ab illo, quem diligit, separatur. Unde 2. Regum legitur: Sicut Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex, qui nec benedictione, nec maledictione movetur. Ideo dicitur in Actis: Angelus Domini apparuit Moysi in igne rubi. Et in libro Judicum: Angelus Domini cum flamma pariter ascendit in cœlum.

Exo. 3

Can. v. 1 Psal. 103

2. Reg. 14.

Act. 7 Jud. 13

Angeli nomine gratia Dei sive virtus significatur

Item Angelus, dicitur gratia Dei, sive virtus. Hunc Angelum Dominus mittit, quando alicui gratiam infundit: ideo dicitur in Daniele: Angelus Domini descendit in fornacem, &c. Omnis enim æstus concupiscentiæ, ac fomitis incentivum extinguitur, quando Angelus in fornacem mittitur, idest quando divina gratia cordi infunditur, & virtus animæ inspiratur. Virtus enim dicitur quasi virum tuens, vel quasi virens intus: quoniam duplicem habet effectum, nam animam sua præsentia tuetur, ac conservat, & ornat atque decorat, sicut Angelus hominem custodit, & servat, animam etiam illuminat, perficit, & informat. Ideo dicitur in Actis: Viderunt vultum Stephani, quasi vultum Angeli. Et in libro Esther: Vidi te Domine, quasi Angelum Dei: Valde ei mirabilis es, & facies tua plena gratiarum, dicitur ergo gratia Angelus Dei, per quem mens humana perfectissime custodiatur, per quem peccatum expellitur, & potestas dæmonum in anima evacuatur. Unde dicitur in Exodo: Angelus meus præcedet te, & custodiet te in via, & eiiciet Amorrhæum, Cananæum, &c. Septem nomina gentium ponit, per quæ septem principalia peccata intelligit, quæ superveniens gratia eiicit penitus & excludit. Et sunt novem genera gratiarum, quæ comparationem habent ad novem ordines Angelorum, & quarum usu ad Angelorum æqualitatem pervenitur.

Dan. 3.

Act. 6 Esth. 15

Exo. 23

Prima igitur gratia, est gratia dilectionis sive charitatis, de qua Lucas: Si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ est vobis gratia? Et Joannes: Maiorem gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare. Ista gratia a Domino animæ immissa, ipsam inflammat, & per fervorem amoris, ordini Seraphim ipsam assimilat, & conformat. Unde in Luca dicitur. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat? Et in Threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis.

Luc. 6 3. Joan. 1

Luc. 12 Thren. 1

Secunda gratia, est gratia sapientiæ, & divinæ cognitionis, de qua in Proverbiis: Inveniens gratiam & disciplinam bonam coram Deo & hominibus. Et in Ecclesiastico: In me omnis gratia vitæ & veritatis. Et in Proverbiis: Super aurum & argentum est gratia bona. Et in Ecclesiastico: Vir sapiens amabilem se faciet, gratiæ autem futurorum effundentur: Hæc gratia mentem illuminat, & intuitum animæ ad Deum videndum per fidem habilitat, & informat: Unde Psalmista: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Per hanc gratiam ordo Cherubim in anima collocatur, quando mens a sensu carnali

Prov. 13.

Eccli. 24

Prov. 22 Eccli. 20

Psal. 18

abstracta, ad susceptionem divini luminis per cognitionem veritatis præparatur. Et hoc intellexit Psalmista cum dixit: Ascendit super Cherubim, & volavit, &c. Et Ezechiel: Tu Cherubim plenus sapientia, & decore. *Ps. 17.* *Ezech. 28.*

Tertia gratia est contemplationis, sive spiritualis delectationis quæ ex plenitudine divinæ dilectionis & cognitionis in anima generatur. De hac dicitur in Exodo: Domine si inveni gratiam coram te, ostende mihi faciem tuam, &c. Et in Ecclesiastico: Gratiam & speciem desiderabit oculus, & super hoc virides sationes. Hæc gratia mentem quietat & pacificat, & velut sedem quietissimam, ad divini superadventus susceptionem præparat & coaptat, & sic Thronorum ordinem repræsentat, anima etiam justi sedes sapientiæ est. Dicitur etiam in Ecclesiastico: Thronus meus in columna nubis. Columna nubis, est anima per contemplationem suspensa & elevata, in qua Dei Filius tamquam in throno requiescit. *Exo. 33* *Eccli. 40.* *Eccli. 24.*

Quarta gratia est benignæ severitatis, sive severæ liberalitatis, ad bene præessendum. Magna enim gratia Dei est, quod prælati sic exequantur contra delinquentes justitiam, ut benignitatem & misericordiam non dimittant. Unde dicitur in Ecclesiastico. Curam illorum habe, ut ornamentum gratiæ accipias, & coronam ac dignitatem consequaris. Et alibi iterum. Retribuet gratiam, qui offert similaginem, & qui facit misericordiam offert sacrificium. Et rursum: Sunt homines misericordiæ, intuentes gratiam in oculis omnis carnis, &c. Hæc gratia ordinat prælatos respectu suorum subditorum, ut sciant qualiter se debeant inferioribus conformare, & sine tyrannide dominari. Ideo dicitur adhuc in Ecclesiastico: Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis, & sic configuratur ordini Dominationum. Apostolus etiam ad Colossenses: Domini, quod justum est, facite servis vestris, scientes, quia & vos Dominum habetis in cœlis. Et Petrus: Non ut dominantes in clero, sed forma gregis facti ex animo, & cum venerit princeps pastorum percipietis immarcescibilem coronam gloriæ. *Eccli. 32.* *Eccli. 35.* *Ibidem.* *Eccli. 32* *Coloss. 4.* *1. Pet. 5*

Quinta gratia est humilitatis ad obediendum, de qua dicitur in Ecclesiastico: Quanto magnus es, tanto plus te humilia in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, quoniam magna est potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Et Petrus: Humilibus dat gratiam. Hæc gratia ordinat subditos respectu suorum superiorum, ut debitam reverentiam eis impendant. Unde dicitur in Ecclesiastico. Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia, & sic per hanc gratiam ordini Principatuum anima conformatur. Magnus enim princeps est, cui propria voluntas non principatur. Ait Ecclesiasticus: Principatus sensati stabilis erit. Et Job: Senes assurgentes stabant, & principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, &c. Et in Genesi: Princeps Dei es apud nos. Et Psalmista: Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, &c. *Eccli. 3.* *1. Pet. 5.* *Eccli. 32.* *Eccli. 10* *Job 29.* *Gen. 23.* *Ps. 67.*

Sexta gratia est patientiæ & longanimitatis, de qua Petrus: Hæc est gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias patiens injuste. Quæ enim gratia est, si peccantes suffertis? Et in Ecclesiastico: In dolore sustine & in humilitate tua patientiam habe. Hæc gratia docet resistere tentationibus, & adversas dæmonum coercere potestates. Unde Ecclesiastes: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, ne dimiseris locum tuum. Locum suum dimittit, qui per impatientiam dæmoni cedit, cum dicat: Resistite diabolo, & fugiet a vobis. Unde per patientiam conformatur homo ordini Potestatum. Maxima enim potestas est per patientiam seipsum, mundum, & diabolum superare. Unde in Proverbiis: Melior est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Et in libro Machabæorum: Accingimini viri potentes, &c. Et in Psalmo: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. *1 Pet. 2.* *Eccl. 2.* *Eccli. 10* *Jac. 4* *Prov. 16.* *1 Mach. 3* *Ps. 44.*

Septima gratia est pudicitiæ & castitatis. Ait enim Sapiens: Nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc Dei donum est. Gratia enim su- *Sap. 8.*

super gratiam, est mulier sancta & pudorata, ut dicitur in Ecclesiastico. Item in Deuteronomio: Si non inveniet mulier gratiam coram viro suo propter aliquam fœditatem, abominabilis erit mulier hujusmodi. Gratia enim Dei luxurioso penitus denegatur. Hæc gratia hominem facit virtuosum, ut viriliter omnes motus sensualitatis rebellantes conterat, & allidat. Unde Psalmista: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum: Et hæc virtus refertur ad ordinem virtutum, quorum est officium, naturam lapsam vel corruptam miraculose reparare. Non enim est maius miraculum, quam in carne præter carnem vivere, hoc enim non est humanæ naturæ sed Angelicæ, ut dicit Hieronymus. Et Psalmista: Dextera Domini fecit virtutem dextera Domini, &c.

Eccli. 26
Deut. 24
Ps. 30.
Hieron. ad Demetria. Epist. 8 post med.

Octava gratia est eloquentiæ ad docendum, de qua Psalmista: Diffusa est gratia in labiis tuis & habetur etiam in Proverbiis: Propter gratiam labiorum, habebit amicum regem. Et in Ecclesiastico: In labiis sensati invenietur gratia. Hæc gratia ordinat animam ad gradum Archangelorum, quorum est docere. Unde in Daniele: Gabriel fac intelligere visionem. Et alibi: Egressus sum ut docerem te, & intelligeres. Et Malachias: Labia sacerdotum custodiunt scientiam, &c.

Ps. 44.
Prov. 22.
Eccli. 21
Dan. 8
Dan. 9.
Mala. 2

Nona est gratia misericordiæ & pietatis ad compatiendum, de qua in Ecclesiastico: Eleemosyna gratiam hominis conservabit quasi pupillam. Et alibi: Fatuo, id est, avaro non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius. Hæc gratia conformat mentem ordini Angelorum, qui omnes suas gratias nobis communicant, qui bonis nostris congratulantur. Unde Lucas: Maius gaudium, &c. & nostris miseriis compatiuntur. Isaias: Angeli pacis amare flebunt. Et in libro Judicum: Ascendit Angelus ad locum flentium.

Eccli. 17
Eccli. 20
Luc. 15
Isa. 33.
Iudic. 2.

Cum secundum Dionysium: Hierarchia sit sacrarum, & rationalium rerum ordinata potestas debitum in subditis retinens principatum manifestum est, triplicem esse hierarchiam, secundum triplicem ordinatam a Deo potestatem, scilicet divinam, Angelicam, & humanam. Est itaque prima hierarchia supercœlestis sive divina, quæ consistit in tribus increatis personis. Secunda est cœlestis sive Angelica, quæ completur in bonis Angelis & beatis. Tertia est subcœlestis, scilicet humana, quæ in prædestinatis hominibus perficitur, & præcipue in prælatis. Hæc autem hierarchia humana ad similitudinem cœlestis hierarchiæ ordinata est, & disposita, & secundum majorem vel minorem gratiæ sive potestatis perceptionem, in maiori vel minori, sive in excellentiori & inferiori gradu ordinatissime constituta. Unde in Job dicitur: Numquid nosti ordinem cœli? aut rationem eius pones in terra? &c. Nosse cœli ordinem, est cognoscere supernarum virtutum ordinatissimam dispositionem; eius rationem in terra ponere, est vitam & officium hominum, quamdiu in terra sunt, secundum similitudinem cœlestium spirituum sancte & reverenter ordinare. Unde novem sunt ordines ordinandorum, sicut novem sunt sancti ordines Angelorum. Est enim ordo Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, acolytorum, exorcistarum. lectorum, psalmistatus, & ostiariorum: sicut Moysi dictum est: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et in Sapientia dicitur: Dixisti me ædificare templum & altare, secundum similitudinem sancti tabernaculi, quod præparasti ab initio, &c. Et 1. Paralip. Omnia, inquit David, evenerunt ad me scripta manu Domini, ut intelligerem opera exemplaris. Nostra itaque exemplaria sunt sanctorum Angelorum agmina ordinata, ut scilicet secundum ipsorum ordinationem, distinctionem, & operationem nostram, quantum possibile est, ordinemus conversationem. Ut igitur illa omittamus, ratione difficultatis, & prolixitatis, quæ dicit Dionysius in Ecclesiastica hierarchia, hoc sufficiat de hoc ista vice, quod Ecclesia militans in suis membris disponitur, secundum similitudinem Ecclesiæ triumphantis, & hoc quoad ordinationem, quoad scientiam, & quoad

Dion.
Hierarchia triplex
Iob 38.
Exod. 25
Sap. 9.
1. Par. 28

Dionys. de ecclesiast. Hier. c. 3

quoad actionem. Est enim hierarchia, ut dicit Dionysius, ordo divinus, scientia, & actus, Deiforme similans, & ad inditas ei divinitus illuminationes proportionaliter ascendens. In ordine notatur distinctio illorum, qui per ordinatum officium, a Domino maiorem vel minorem recipiunt potestatem. In scientia, notatur discretio, in actione vero ministerium. Sine ordine enim præsumptio est actio: sine actione, negligentia est ordo; sine scientia & discretione, est actio reprehensibilis, & ordo inutilis. Et ideo tam in ordine, quam scientia & actione, & hominum, & Angelorum potestas Dei uniformitatem imitatur, & secundum modum, & mensuram suæ illuminationis in ordine suo proficit, & recte discernendo, & bene operando, ad Dei conformitatem, quantum possibile est, ascendit, * tunc vero Angelorum hierarchiæ, quibus per imitationem, & vitæ conformationem, dum tres electorum hominum ordines secundum trinas conditiones sive differentias singulis appropriatas comparantur. Et hi tres salvandorum status significantur per illos tres, quos dicit Ezechiel liberandos. Si fuerint, inquit, in civitate hi tres viri, scilicet Daniel, Noe, & Job, num liberabunt animas suas? Daniel, qui abstinentiæ merito obtinuit intelligentiam visionum, typum gerit claustralium & religiosorum, qui continue gratia & excellentia abstinentiæ, qua non solum abstinent ab illicitis, verum etiam a licitis concessis, merentur amplius illuminari. Noe autem, qui arcam gubernavit, formam gerit Prælatorum, per quorum scientiam, & regiminis industriam, electi in arca Ecclesiæ constituti, a diluvii, id est, peccati periculo merentur liberari. Per Job vero, cœtus activorum, & conjugatorum numerus poterit designari, pietatis operibus & misericordiæ comprobatus. Job enim fuit conjugatus.

*Locus iste mutilus est.

Ezech. 14

Tres igitur sunt ordines electorum, scilicet religiosorum, sive contemplativorum, Prælatorum, & activorum. De his dicitur in Luca: Duo erunt in lecto, in agro, & in mola. Nam illi, qui sunt contemplativi, in cubiculo divinæ suavitatis requiescunt:

Luc. 17

A qui vero prælati sunt, in agro regiminis, correctionis, & prædicationis officio se exponunt, sed qui vere subditi sunt & activi laborem molæ non renuunt, & a boni exercitio non desistunt, &c. Iste igitur triplex status salvandorum, per quamdam appropriationem videtur esse comparabilis triplici statui Angelorum, inter quos, secundum ordinum differentiam, quidam sunt primi; quidam vero ultimi, & quidam intermedii. Primi quidem ordines hierarchici, debent esse tres ordines, scilicet Angeli de ordine Seraphim, qui amoris incendio præ ceteris fuerunt: Cherubim quoque, qui cognitionis privilegio gaudent, & Throni, qui iustitiæ perpendiculo aliis præeminent. B Angelis horum trium ordinum, qui officio & dignitate sunt ceteris sublimiores, comparabiles sunt viri summæ perfectionis, religiosi videlicet, & claustrales, qui tanto majoris meriti æstimantur, quanto ad altiorem vitæ perfectionem ex voti proposito obligantur. Et ideo nomen & officium Angelorum, qui Deo sunt viciniores, sibi vendicant, qui amoris incendio inflammati, ac sapientiæ dono præditi, divinæ justitiæ se conformant. Unde dicuntur Seraphim, id est, ardentes vel incendentes, propter incensionem & fervorem charitatis; Cherubim, propter plenitudinem cœlestis sapientiæ, & cognitionem divinæ C veritatis: Throni vero propter amorem justitiæ, & perpendiculum æquitatis.

Caput II.

De Seraphim.

Dicuntur igitur primo Seraphim, quia Angeli illius ordinis, divini amoris incendio præ ceteris inflammati aliorum sunt inflammativi. Sic religiosi quasi ignei, illos ad amorem Dei & proximi inflammant, ad quorum corda, nunc verbo, nunc exemplo appropinquant. Dicitur enim in Ecclesiastico: Surrexit Helias sicut ignis, & sermo eius sicut facula ardebat. Et in Luca: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis? &c. Et ideo Angeli ordinis Seraphim, non solum dicuntur calidi, imo su-

Seraphim sunt inflammativi.

Eccli. 48

Luc. 24

per-

perfervidi. Nam qui fervet caloris violentia, nunc extra se jactatur, nunc supra se tollitur, sic mens religiosa in Dei amore fervida, nunc supra se per devotionem rapitur: infra etiam, ut quando suiipsius obliviscitur; nunc ad proximum inflammandum diffunditur, & dilatatur, in se stare non valens; nunc volens alios attrahere, & sibi incorporare satagit, & conatur. Unde dicitur in Job: Fervens & fremens absorbebit terram. Et Psalmus: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Et in Apocalypsi: Vidi Angelum, cujus facies erat ut sol, & pedes eius ut columna ignis. Ideo dicitur in Isaia: Volavit ad me unus ex Seraphim, & in manu eius calculus ignitus, quem tulerat de altari, & tetigit os meum, &c.

Iob 39. Ps. 103. Apoc. 10. Isa. 6.

Seraphim sunt motivi. Ibid.

Item secundo, quia in se mobiles aliorum sunt motivi. Unde & volasse leguntur in Isaia: Sic religiosi spiritu divinæ dilectionis moti, mobiles sunt iussis superiorum, sine moræ dispendio obtemperando, & aliis exemplum obedientiæ relinquendo, tales perficere imperata non procrastinant, sed velut volucres, ad omne, quod præcipitur advolant, & festinant. Ideo de veloci talium obedientia dicitur in Isaia: Qui sunt isti, qui ut nubes volant? Et alibi: Ite Angeli veloces. Et in Sapientia: Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Et in Ezechiele: Quocumque ibat spiritus, rotæ levabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ, &c. Spiritus vitæ est chatitas, quæ vita est animæ. Qui enim non diligit, manet in morte, ut dicit Joannes. Spiritus quidem vitæ, principium est motus & operationis in corde. Unde si fuerit Spiritus vitæ in corde mobilem efficit hominem, & agilem ad quamlibet victoriosam actionem, de tali dicitur in Proverbiis: Vidisti hominem velocem in opere suo? &c,

Isa. 60. Isa. 18 Sap. 7 Ezech. 1. 1 Ioan. 3. Prov. 22

Seraphim acuti & penetrativi.

Item tertio acuti sunt & penetrativi: penetrant enim contemplando ad interiora velaminis, id est, ad secretissima Deitatis: sic contemplativorum affectus per desiderium semper in Deum tendit, & extra se non effluens, ad aliud præter ipsum, & extra ipsum non divertit. Unde dicitur in Ecclesiastico: Gyrum cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi. Et ad Corinthios: Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et Job: Omne pretiosum vidit oculus ejus, profunda fluviorum scrutatus, &c. Tam acutus & penetrativus fuit Paulus, quod in perscrutatione cœlestium arcanorum, usque ad cœlum tertium introivit: Unde in libro Sapientiæ dicitur inter alia, quod spiritus sapientiæ est acutus.

Eccli. 24. 1. Cor. 2 Iob 28. Sap. 7

Seraphim inferiorum reductivi.

Item quarto sunt inferiorum & suppositorum reductivi: quia quos Seraphim igne charitatis accendunt, ad Deum qui sursum est, deducunt, & convertunt. Sic affectus viri spiritualis, igne charitatis succensus, nunc se extendit ad Deum per contemplationem, nunc vero ad proximum per compassionem. Ad Deum movetur, ut in eo conquiescat; ad proximum, ut ipsum ad Deum revocet & reducat. Unde Jacobus: Si erraverit quis a veritate, & converterit eum aliquis, scire debet, &c. Et in Exodo: Si erraverit bos vel asinus reduc eum, &c.

Iac. ult. Exo. 23.

Seraphim activi & exemplificativi.

Item quinto activi & exemplificativi, quia non solum inferiores accendunt, verum etiam & ordinate diligendi formam tribuunt: quia Angelos inferiores informant qualiter per amorem perfectum redeant in Deum, & secundum superiora proficiant & incendant. Et hoc proprie religiosis congruit, quos Dominus sæcularibus posuit in exemplum, ut secundum ipsorum imitationem mores pravos corrigant, & contemptis terrenis, cœlestia appetant & acquirant. Sic & Isaias nudus & discalceatus, datus est in signum & portentum Ægyptiis, & Æthiopibus, & quibusdam aliis. Vita itaque religiosorum exemplar est mundanorum. Similiter vita & conversatio sancta prælatorum, forma est & reformatio vitæ subditorum. Unde dicitur in Deuteronomio: Describet sibi Rex Deuteronomium legis, & accipiet exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, &c. Et Zacharias: Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Et Joannes dicit: Exemplum dedi vobis, &c. Et Paulus: Esto

Isa. 20 Deut. 17 Zach. 13 Ioan. 13 1. Tim. 4

Esto exemplum fidelium, in verbo, in fide, & in castitate. Mali autem sanctorum Angelorum omisso exemplo, se exhibent exemplar perditionis sicut Achaz, qui misit exemplar altaris Damasci in Hierusalem. Quod quidem videntur facere aliqui de modernis, qui hoc sæculo nequam se conformant, relictis, & abiectis Patrum & regulæ institutis, ut dici possit illud Job: Posuit me quasi in proverbium vulgi, & exemplum suum. Relinquunt aliis exemplum culpæ, erunt posteris exemplum pœnæ, sicut dicit Ezechiel: Eris opprobrium & blasphemia, & exemplum & stupor cunctis gentibus. Et Petrus. Civitatem Sodomorum in cinerem redigens eversione damnavit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt ponens, &c. Et Canonica Judæ: Civitates finitimæ simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.

4 Reg. 16. Job. 17. Ezech. 5. 2. Pet. 2. Iud. in Canon.

Seraphim purgativi. Item sexto, Angeli ordinis Seraphim sunt holocausti purgativi: quia non solum sunt purgati a corruptione mali, imo ab imperfectione omnis boni, in quibus nulla adest mali corruptio, nec deesse alicuius boni perfectio comprobatur, & hoc potissime congruit viris Angelicis & perfectis, qui se Domino medullatum holocaustum penitus obtulerunt, qui velut Angeli ignei, in se etiam levioris culpæ maculam non admittunt: imo omnem mali speciem in se, & in aliis annihilant, & consumunt. Ideo dicit Malachias: Erit quasi ignis conflans, & sedebit, & purgabit filios Levi. Et in Ecclesiastico: De negligentia purga te cum paucis: Nec solum sunt puri, & immunes a corruptione mali, verum etiam ab imperfectione boni, ut dicitur in Deuteronomio. Perfectio tua & doctrina tua a viro sancto, &c. Sic etiam dictum est Abraham: Ambula coram me, & esto perfectus. Ideo dicunt Seraphim ad Isaiam: Auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum purgabitur, in quo notatur purgatio omnis mali. Et sequitur in eodem capite: Adhuc erit decimatio, & convertetur, & erit in ostensione sicut terebinthus, & sicut quercus ex-A pandens ramos suos, semen sanctum erit, quod steterit in ea. Ecce perfectio totius boni, quæ consequitur purgationem mali.

Mala. 3. Eccli. 7. Deut. 33. Gen. 17. Isa. 6. Ibid.

Seraphim illuminativi. Item septimo sunt illuminativi & omnis tenebrosæ obscuritatis fugativi, luciformem enim & illuminativam habent proprietatem, ut dicit Dionysius, quod viris spiritualibus potissime convenit, quos Deus velut luminaria in firmamento, id est, in Ecclesia collocavit, quibus dicitur: Vos estis lux mundi, & ideo omnes tenebras in se, & in aliis discutiunt, & lucis spirituales radios undique circumspargunt, iuxta illud Job: Per quam viam spargitur lux? Et ad Ephesios: Ut filii lucis ambulate in dilectione. Et ad Philippenses: Inter quos lucetis tamquam luminaria, &c. Et Daniel: Fulgebunt iusti, sive docti, sicut splendor firmamenti, &c. Nomine igitur Seraphim, qui Deo immediatius conjunguntur, & in divinis laudibus voces frequentius emittere dignoscuntur, viri religiosi & spirituales non immerito intelliguntur, qui viciniores sunt Deo per contemplationem & laudis continuationem, sicut dicitur in Isaia: Clamabat alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et propter charitatis incensionem, cujus excessus sive incensio plus exigitur in ipsis quam in aliis præsertim cum ipsi sint altare Domini, in quorum corde & corpore juge sacrificium Domino immolatur; & ideo ignis in hoc altari est continue accendendus, ut patet in Levitico: Ignis, &c.

Dionde cœlesti Hier. c. 7. Matt. 5. Job. 38. Ephes. 5. Philip. 2. Dan. 12. Isa. 6. Levit. 6.

De Seraphim septem dicta Isaiæ explicantur. De istis autem Angelis ordinis Seraphim, septem specialiter exprimuntur, scilicet quod stabant, quod duo erant quæ stabant, quod bis sex alas habebant, quod se velabant, quod volabant, quod clamando requiem non habebant, quod tollentes lapidem ignitum de altari, labia Isaiæ emundabant. Ista omnia exiguntur in viris Angelicis & spiritualibus, quoad statum perfectionis. Quod namque duo fuisse dicuntur, refertur ad mutuæ cohabitationis associationem, sive ad mutuam geminæ charitatis exhibitionem; quia inter pauciores, quam inter duos, esse non potest ostensio charitatis. Ideo di-

Luc. 10. Eccls. 4. dicitur in Luca: Misit binos & binos, ante faciem suam, &c. Et Ecclesiastes: Melius est duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ, &c. Ideo duo Angeli missi sunt simul in Sodomam, Gen. 19. ut habetur in Genesi, quorum unus gentem perversam subverteret, alter vero justum Lot cum sua familia liberaret. Ad utrumque ministerium complendum unus Angelus suffecisse potuisset, duos tamen simul misit Dominus, ut societatem mutuam in Angelis & hominibus commendaret, & ad augmentum & conservationem charitatis societatem esse necessariam demonstraret. Ideo dicit Psalmista: Ps. 132 Ecce quam bonum, &c. Ideo dicun- Luc. 17 tur duo fuisse in agro, duo in lecto.

Quod autem secundo super templum stabant, scilicet quod non sedebant, non jacebant, sed fixi & erecti super utrumque pedem stabant, refertur ad erectam affectionis & intentionis elevationem ad cœlestia, & ad fixam ac immobilem æternorum contemplationem. Unde dicitur in Psalmo: Stantes erant pedes Psal. 121 nostri in atriis tuis Hierusalem. Et Hier. 6. in Hieremia: State super vias vestras, Psal. 5 & videte, & interrogate, quæ sit Haba. 2 via bona? Et in Psalmo. Mane astabo Sap. 18 tibi, & videbo. Et Habacuc: Apoc. 7 Super custodiam meam stabo, &c. Et in Sapientia: Cœlum attingebat stans in terra. Ideo dicitur Angelum stetisse juxta aram templi, &c. in Apoc.

Tertio bis senas alas habebant, quia sex erant uni, sex alteri, & hoc habet referri ad plenitudinem operum charitatis & misericordiæ, quæ necessario super observationem decalogi supererogantur, quibus viri spirituales, velut duodecim pennis sive alarum fulcimentis, a terrenis ad cœlestia elevantur. Sex itaque alæ unius, sunt sex opera misericordiæ, quæ exhibentur proximo respectu corporis reficere esurientem, potare sitientem, cooperire nudum vestimentum non habentem, visitare infirmantem, recolligere pauperem transeuntem hospitio, sepelire morientem. De quibus dicitur in Mat- Matt. 25 Tob. 1 & 2 thæo, & in Tobia. Sex vero alæ alterius, sunt sex opera spiritualia

A proximo exhibita ex parte mentis, scilicet oonvertere errantem, instruere ignorantem, ad gratiam suscipere pœnitentem, diligere persequentem, arguere delinquentem, defendere innocentem. Talibus alis a dextris & a sinistris, electorum mentes ad cœlestia elevantur, sicut dicitur in Psalmo: Si sumpsero pennas Ps. 138 meas diluculo, &c. Et Ezechiel: Ezech. 1 Apoc. 12. Pennæ eorum erant junctæ alterius ad alterum, &c. Et in Apocalypsi: Datæ sunt ei alæ, ut volaret in desertum a facie draconis persequentis.

Quod autem Seraphim velabant faciem & pedes, refertur ad humilem religiosorum intentionem. Non enim intendunt sua merita propter B hominum laudem publicare, sicut faciunt hypocritæ, qui stant in angulis platearum orantes, ut videan- Matt. 6 tur ab hominibus, ut dicitur in Matthæo: sed ut Deo placeant, qui videt in abscondito, student bona quæ faciunt occultare. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera, ut dicit Ibidem. idem Matthæus. Caput itaque corpus & pedes velant, & tegunt, qui nec in principio, nec in fine, nec in medio, de bonis, quæ faciunt, laudari appetunt ab hominibus, vel requirunt.

Seraphim quinto dicuntur volasse, & hoc refertur ad perfectionem iustorum, & meritorum multiplicationem. Nam avis volans per mulC tiplicatum alarum motum, & sæpius iteratum, aera petens, a terra se elongat: sic viri sancti non per otium & torporem, imo per bonorum operum exercitium & laborem, relictis terrenis, cœlestibus appropinquant. Psalmista: Quis mihi dabit pennas? &c. Psal. 54

Clamor sexto Seraphim jugem significat divinæ laudis sine intermissione continuationem: sic continue prorumpunt electi ex desiderio videndi Deum, idem Psalmista: Ad Psal. 105 videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. Clamabant autem Seraphim. Sanctus, Sanctus, Sanctus. Ideo enim prorumpunt electi, præcipue religiosi, in triplicem laudem Dei; quia ipse Sanctus sanctorum electos suos sanctificat, ab amore mundanorum

rum separando; & separatos in via A meritorum promovendo; & in fine jam sanctificatos, per sanctificationis consummationem in gloria præmiando. Est itaque jugiter laudandus quia efficit hominem sanctum & mundum in pœnitentia; sanctiorem in justitia; sanctissimum vero in gloria sempiterna. De hac sanctificatione
Joan. 17 dicitur in Joanne: Sanctifica eos in veritate, ut & ipsi sanctificati sint & consummati in unum, sicut ego & tu unum sumus.

Quod vero septimo labia Isaiæ polluta cum calculo tangebant & mundabant, habet referri ad sanctorum & religiosorum misericordiam & compassionem, qua per gratiam ipsos sanctificantem in se purgati, B sæcularibus etiam & aliis immundis peccatoribus compatientes, ferventissimis & devotissimis orationum suffragiis, eorum sanctificationi coope-
Num. 12 rantur. Sic Moyses suis præcibus Mariam leprosam & immundam, sanitati & munditiæ restituit. Et in
Job. ult. Job dicitur: Servus meus Job orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut vobis non imputetur stultitia. *Et sequitur*: Conversus est Dominus ad pœnitentiam Job, cum oraret pro amicis suis, &c. Ex quo patet manifeste, quod multum cooperantur bonorum suffragia ad peccatorum justificationem & emendationem. Et hæc de ordine Seraphim dicta sufficiant.

C

Caput III.

De Cherubim.

Sicut viri perfecti configurantur ordini Seraphim propter excellentiam ferventissimæ dilectionis; ita assimilantur ordini Cherubim propter plenitudinem sapientiæ, & prærogativam limpidissimæ cognitionis, quæ in viris spiritualibus dignoscitur præ ceteris relucere. Cherubim quippe plenitudo sapientiæ interpretatur, quod absque dubio viris spiritualibus convenit, per quorum corda spiritus sapientiæ affluentissimæ se diffundit. Unde Apostolus: Sa-
1 Cor. 2 pientiam loquimur inter perfectos, sed non sapientiam principum hujus sæculi, quæ destruetur; sed loquimur sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum hujus mundi cognovit, &c. Istius sapientiæ cœlestis radius per Spiritum sanctum in cordibus virorum spiritualium diffunditur, sicut ibidem sequitur: Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum suum, quia Spiritus scrutatur omnia, &c. Hæc sapientia non est mundana quæ inflat, sed illa, quæ ædificat. Prima enim est terrena, de qua dicitur in
Luca: Prudentiores sunt filii hujus Luc. 16
sæculi filiis lucis, & hæc est in avaris & negotiosis. Præterea est animalis, de qua ad Romanos: Pruden- Rom. 8
tia carnis mors est, hæc est in voluptuosis, quia vera sapientia non invenitur in terra suaviter viventium, ut dicit Job. Est insuper diabolica, Job. 28
& hæc est in superbis, & in invidis, de quibus Isaias: Væ qui sa- Isa. 5
pientes estis in oculis vestris, &c. Hier. 4
Et in Hieremia: Sapientes sunt ut faciant mala, sed in malevolam animam non introibit sapientia, ut di- Sap. 1
citur in Sapientia. Ideo ad veram & permanentem sapientiam, quæ desursum est, recurrendum est. Hæc enim est pudica, pacifica, modesta, Jac. 3
&c. Ut dicit Jacobus. Nam mentem quam inhabitat, purificat, & pacificat, & quietat. Et ideo istius Sapientiæ plenitudo, perfectorum mentes Angelis ordinis Cherubim parificat & configurat. Ideo in Ma- Mala.
lachia: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est. Et in hujus rei figuram dicitur in Exodo: Deus quoque Che- Exod. 25
rubim facies ex utraque parte oraculi, Cherubin unus erit in latere uno, & Cherub. alter in latere altero, &c. Istud oraculum est cor humanum, in quo oportet Deum adorare in spiritu & veritate, sicut Joan. 4
dicitur in Joanne. In quo quasi a sinistris erigitur Cherub. quoad scientiam in humanis, ut scilicet sciamus qualiter in medio hujus pravæ & perversæ nationis sapienter conversemur: in alia vero parte debet esse Cherub. quoad sapientiam necessariam in divinis, ut scilicet secundum spiritum divinæ sapientiæ nos cœ-

cœlestibus conformemur. Et sic Cherubim vocabulum in præsenti, & in futuro scientiam significat.

Cherubim dici possunt viri perfecti.

Possunt itaque viri perfecti dici Cherubim, propter multa, quæ secundum traditionem beati Dionysii, istis Angelis specialiter appropriantur, & primo propter Deificam visionem. Ideo enim Deividi dicuntur, quia divini luminis influentia primo & principaliter irradiantur, qua in Dei visione sublimiori gloria extolluntur. Et hoc ideo, nam viri spirituales Angelis quidem Cherubim comparabiles, Deum vident per cognitionem, & per conscientiæ munditiam, sibi adhærent inseparabiliter per amorem, & sic de numero Cherub. efficiuntur, ad quorum æquiparantiam se devenisse vitæ & gratiæ merito dignoscunt. Unde dicitur in 1. Paralip. Aurum purissimum dedi, ut fieret ex eo similitudo Cherubim, secundum opera exemplaris, &c. Aurum purissimum puram significat conscientiam, & mundam, quæ in viris spiritualibus potissime invenitur, propter quam vita Angelica in ea similis potissime reperitur. Nam nulla creatura puritati Angelicæ in præsenti poterit adæquari, quæ ipsius Angelicam puritatem, quantum in se fuerit, contempserit imitari.

1 Par. 28

Item secundo propter singularem divini luminis susceptionem, quia lux divina super ipsos transfusa, ipsos singulariter illuminat, ut omnibus sub se constitutis ipsis mediantibus evidentissime se ostendat. Propter quod Cherubim plena fuisse oculis leguntur, quia viri Angelis Cherubim comparati, circumspectionis gratia & providentiæ dono circumdati, sunt undique luminosi, ut non solum propria, verum etiam & aspiciant vigilanti studio aliena & ideo forsan facies Cherubim mutuo se leguntur respexisse, quia unusquisque alterius debet esse oculus, & alieno periculo velut proprio cum discretionis moderamine contraire.

Ezech. 1. & 10 c. & Apoc. 4

Item tertio propter sibi infusæ sapientiæ communicationem. Nam occultum supremæ sapientiæ donum sive lumen, quod divinitus accipiunt, ad alios transfundunt, de justi talentum quod ex Dei dispensatione

Matt. 5

A recipiunt, non ponunt sub modio, sed super candelabrum, quod omnibus quantum in se est, communicat æqualiter & exponunt. Ideo dicit Sapiens: Sacramenta Dei non abscondam, sed ponam in lucem scientiam, & non præteribo veritatem, &c. Verum erubescere possunt invidi & æmuli, qui donum Dei nituntur sibi solum vendicare. Contra quod est illud Numeri: Quid, inquit, æmularis pro me; quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det singulis spiritum suum?

Sap.

Num. 11.

Item quarto propter divinæ quietis præparationem. Unde Dionysius, eos divinæ quietis hospites sive receptores cognominat. Ex eo enim B quod lumen capiunt, locus luminis fiunt. Qui igitur per amorem & quietem conscientiæ Deo desuper venienti, in suo affectu locum præparant, Angelis Cherubim se conformant. Ideo forsan dicitur sedere super Cherubim, quia quos quietos, humiles, & mansuetos inveniet, in ipsis familiarius requiescet, sicut dicit Isaias: Requiescet super eum, &c. Et Psalmista: In pace factus est locus ejus, &c. Isaias: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super mansuetum, &c.

Dion. de cœlest. Hier. c. 7

Isa. 11. Psal. 75. Isa. 66.

Item quinto propter immediatam secretæ Dei sapientiæ circuitionem. Nam Angeli Cherubim immediate quidem Deo assistunt, per incom- C mutabilitatem contemplationis & veritatis, circumeunt tamen semper admirando & laudando incomprehensibilem profunditatem divinæ majestatis, nam quanto contemplationis acie profundius divinitatis secreta comprehendere satagunt, tanto se minus comprehendisse per omnia recognoscunt, sic revera est de perfectis, qui nondum se comprehendisse arbitrantur, imo quanto videntur esse virtutibus & gratiis perfectiores, tanto se reputant omnibus inferiores, & cum aliqui reputant eos usque ad Dei secretiora jam penetrasse, vix putant se adhuc talia inchoasse, juxta illud Ecclesiastici: Cum consummaverit homo, tunc incipit. Et in Luca: Cum omnia bene feceritis, dicatis: Servi inutiles, &c.

Eccli. 18.

Luc. 17

Item sexto propter Deifici alimenti

ti unificam repletionem: quia non A esset per omnia beatus Angelorum status, si multa de secretis Dei caperent intellectu, & tamen vacui remanerent in affectu. Ideo dicit, quod multa quidem & inaudita de Dei secretis intelligunt, sed singuli summam repletionem spiritualem, qua Deo incorporantur, inveniunt, & per internam dulcedinem divinæ voluntati uniri, ab ipso non recedunt. Sic viri spirituales multa capientes intellectu, uberius se & alios reficiunt, quanto profundiora de occultis divinæ sapientiæ apprehendunt, ideo dicitur in Hieremia: Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, &c. Et in Isaia: Audite, &c. istius alimenti dulcedinem, tanto justi perfectius recipiunt & sentiunt, quanto sensus corporis & affectiones cordis, purius custodiunt atque regunt. Ideo Abraham prius Angelorum pedes abluebat, quos temperato cibo reficere disponebat, ut dicitur in Genesi: Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, &c. Soli enim boni & mundi ad esum Angelicum admittuntur. Et Sapiens: Præparasti populo tuo escam Angelorum, &c.

Hier. 31
Isa. 55.
Gen. 18
Sap. 16.

Item septimo, propter situs collocationem. Nam supernæ virtutes ex parte dexteræ collocantur, dæmones vero sinistram tenere videntur, juxta illud Ezechielis: Cherubim stabant a dextris domus, &c. Et hoc est proprium electorum & perfectorum, ut sint filii dexteræ, sicut mundani filii sunt sinistræ. Nam oves a dextris, hœdi vero a sinistris in judicio locabuntur, ut dicitur in Matthæo. In cujus rei figuram Abraham dexteram tenuit, Loth vero tenens sinistram in Sodomam declinavit, ut legitur in Genesi. Ideo etiam posuit Jacob manum dexteram super caput Ephraim, sinistram vero super caput Manasse, ut dicitur in Genesi. Manasse oblivio, Ephraim vero frugifer, vel fructificatio interpretatur. Qui hic gaudent bonis temporalibus, quibus applaudit mundus, sunt Ephraim, & putant se dexteram felicitatis obtinere, juxta illud Psalmi: Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Religiosi vero quos obliviscitur, & abiicit mundus, sinistram habere partem a reprobis opinantur, dicente Sapientia: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c. sed in fine cancellabuntur manus, quia mali sinistram cum rubore obtinebunt, boni vero cum honore dexteram obtinuisse se gaudebunt, quando dicetur: Amice ascende superius, & erit tibi gloria coram simul discumbentibus, aliis incipientibus obtinere novissimum locum cum rubore.

Ezech. 10
Matt. 25
Gen. 13
Gen. 48
Psal. 143.
Sap. 5
Luc. 14

Item octavo, propter inferiorum excitationem. Nam Angeli ordinis Cherubim inferiores Angelos excitant in divinæ contemplationis admirationem, & quod de Deo per cognitionis donum percipiunt, inferioribus B innotescunt. Et hoc convenit Religiosis, & verbo & exemplo sæculares allicere ad laudem & cognitionem Creatoris, nam dicit Scriptura: Cum ambularent Cherubim, ibant pariter & rotæ juxta ea, & cum elevarent alas suas ut exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed juxta erant, stantibus illis stabant, &c. Ex quo manifestum est, quod ex profectu vel defectu Religiosorum & Clericorum dependet profectus vel defectus laicorum, juxta illud: Et nunc fratres, vos qui estis Presbyteri in populo Dei, ex vobis pendet anima illorum.

Ezech. 10
Judith. 8

Item nono, propter divinæ voluntatis manifestationem. Nam mediantibus C Angelis Cherubim divina voluntas in superioribus innotescit. Ideo dicitur: Audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam inter duas alas Cherubim, inde & loquebatur ei. Sic Religiosi & litterati viri sunt quasi interpretes Dei, ad aures simplicium laicorum, & ipsorum laicorum ad aures Dei. Moyses retulit verba Domini ad populum, & vice versa, populi ad Deum, ut dicitur in Exodo. Et sonus alarum Cherubim erat quasi sonus aquarum multarum: quasi vox sublimis Dei, ut dicitur in Ezechiele. Nam perfecti verba populorum referunt ad Deum in oratione & gratiarum actione, & verbum Dei annuntiant populo in prædicatione. Videant igitur, quod fideles sint interpretes non amore, non odio vel timo-

Num. 7
Exod. 19
Ezech. 1

timore alicujus personæ, & divinum consilium peccatoribus occultantes. Talis interpres fuit Paulus, qui dicit: Nihil subtraxi vobis utilium, quin annuntiarem vobis, & docerem, publice testificans omnibus pœnitentiam & fidem, &c. *Act. 20*

Item decimo, propter specialem custodiæ paradisi deputationem. Nam Cherubim velut janitoribus, custodia januæ paradisi fuit deputata, ut patet in Genesi: Collocavit Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ. Et hoc videtur esse proprium officium Religiosorum & Doctorum, & Prælatorum, ut tam ex vitæ merito, quam ex officio, viam arctam quæ ducit ad vitam in se custodiant, & aliis ostendere non desistant, ut dicere possint illud Hieremiæ: Hæc est via, ambulate in ea, sed non debet esse sine gladio versatili, & flammeo vir perfectus. *Gen. 3* *Hier. 6*

Caput IV.

De Thronis.

TErtius ordo primæ Hierarchiæ, vocatur ordo Thronorum, in quibus divina justitia potissime requiescit, per quorum ministerium divinæ æquitatis excellentia, benigne & sapienter iudicans, universa hominibus innotescit, sicut dicit Psalmus: Sedes super Thronum, qui iudicas iustitiam. Et Ecclesiasticus: Unus est Altissimus, Creator omnium, potens, & metuendus nimis, sedens super Thronum, dominans Deus. Unde hi Angeli, in quibus Deus residet, & cuncta subjecta ordinat & disponit, dicuntur Throni: quia sicut Thronus subiicitur residenti, sic Angeli illius ordinis divinæ justitiæ sunt subjecti: ex quo præsidentis auctoritas declaratur, & ipsorum subjectorum Thronorum, id est, Angelorum humilitas commendatur. Nam super humiles spiritu Dominus requiescit: & ideo viri spirituales & perfecti, sive sint Religiosi, sive Prælati, significantur per Thronos ratione justitiæ, & humilitatis, sicut per Cherubim propter excellentiam sapientiæ, & sicut per Seraphim ratione charitatis. Nam illa quæ de Thronis per appropriationem dicuntur, in viris sanctis per imitationem divinæ justitiæ inveniuntur. *Psal. 9.* *Eccli. 1* *Isai. 66.*

De proprietatibus autem Thronorum dicit Dionysius, quod sunt sedes Dei Altissimi compactæ, id est, convenienter conjunctæ, ab omni liberæ subjectione, divini superadventus susceptivæ, Deiferæ, & ab omni extremitate remotæ, &c. Et hæ conditiones, quamvis proprie dicantur de Angelis tertii ordinis, conveniunt tamen per appropriationem viris sanctis, qui possunt dici viri ignei vel flammei, quoad perspicuitatem cognitionis, & fervorem charitatis, juxta illud Danielis: Thronus eius flamma ignis, ibi Glossa Origenis: Thronus Dei sunt Monachi & Eremitæ, & consimiles, qui in uno loco degentes, Deo militare student, nec per loca discurrunt, in quorum quietis cordibus quiescit Deus: qui bene flamma nuncupantur, quia dilectione Dei & proximi, & desiderio cœlestis patriæ inflammantur. *Dioni de cæl. Hier. c. 7* *Dan. 7*

Dicuntur etiam Throni eburnei propter munditiam cordis, & candorem innocentiæ castitatis. Unde significantur per Thronum eburneum, quem fecit Salomon de ebore grandem, ut patet in 2. Paralipomenon, & 3. Regum. Nam in cordibus eburneis, id est, mundis & castis Dominus requiescit, qui pascitur inter lilia, donec inclinetur umbra, & aspiret dies. Et ideo in virginali utero velut in Throno eburneo, divinitas novem mensibus requievit, juxta illud: Venter tuus eburneus, distinctus Sapphiris: Ille inquam venter, de quo Lucas ait: Beatus venter qui te portavit, &c. Qui utique fuit eburneus venter vel Thronus, quantum ad extinctionem fomitis & concupiscentiæ, tam originalis quam actualis, & quoad privilegium continentiæ singularis. *2 Par. 9* *3. Reg. 10* *Cant. 2. & 4* *Cant. 5* *Luc. 11.*

Item sunt Throni gemmei, variis scilicet gemmis & lapidibus pretiosis insigniti, quantum ad mentis constantiam & patientiæ firmitatem. Unde dicitur in Ezechiele: Similitudo Throni quasi aspectus dapphiri. Et in Apocalypsi: Sedes erat posita in cœlo, & super sedem sedens, & aspectus eius quasi aspectus lapidis smaragdi. Sapphirus est solidus lapis cœlestis & aerei coloris, & significat illos qui firmi sunt, & stabiles contra extrinsecas mundi tribulationes, & hoc ob spem æternorum & bonorum cœlestium futurorum, sicut fecit Eleazarus, qui dixit: Domine tu scis qui cum a morte possem liberari, duros corporis sustineo cruciatus: secundum aliam vero translationem: Propter timorem tuum hæc libenter patior. Smaragdus vero, qui lapis est mundus, & contra impetuosum sanguinis fluxum utilis, significat illos qui in amore castitatis roborati, innatas reprimunt in se corporis passiones, sicut fecit Apostolus quando dixit: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, &c. Jaspis vero, qui est gemma fugans phantasmata, illos significat, qui tentationes dæmonum superant, & ipsorum phantasticas vincunt illusiones & declinant, sicut Apostolus, qui dixit: Non ignoramus cogitationes ejus, &c. Et talibus gemmis, id est, viris solidis in fide & opere virtuosis, præparat Dominus Thronum suum, sicut dicitur de Hierusalem cœlesti: Thronus Dei, dicebatur in Matthæo. Et in Tobia: Ex saphiro & smaragdo ædificabitur, & ex lapide pretioso, &c.

Ezech. 1. Apoc. 4. Sapphirus. 2 Mac. 6. Smaragdus. 1 Cor. 9. Jaspis. 2. Cor. 2. Matth. 5. Tob. 13.

Item Throni sunt nubei, per compassionem & pietatem in quibus Dominus residens, velut de quibusdam nubibus pluens, per ipsas subvenit miseriis afflictorum. Unde in Ecclesiastico: Speciosa est Dei misericordia in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis. Et in Proverbiis: Misericordia & veritas custodiunt regem, & roborabitur clementia Thronus ejus. De hoc Throno dicitur in Ecclesiastico: Threnus meus in columna nubis.

Eccli. 35. Prov. 20. Eccli. 24.

A Item iusti dicuntur Throni Domini, sed quasi aurei incorruptibilem iustitiam, & inflexibilem æquitatem: nam aurum incorruptibile est & vix flexibile, sic iustitia, de qua in Sapientia: Justitia perpetua est, & immortalis, &c. Et in eadem: Iusti in perpetuum vivent, & ideo in eis velut in Throno aureo, firmo & solido, Dominus requiescit, sicut Assuerus qui in Throno aureo & in solio regni sui residebat. Et in Proverbiis: Aufer iniquitatem & impietatem de vultu Regis, & firmabitur.

Sap. 1. Ibid. 5. Esth. 15. Prov. 25.

Possunt etiam dici iusti Throni siderei, sive stellei, & hoc per tranquillitatem conscientiæ, & perfe-B ctam cordis humilitatem. Nam quanto hominis conscientia humiliando se magis indignum reputat, tanto circa cœlestia obtinenda amplius se coaptat, & ad Deum in se suscipiendum tanto est habilior, quanto in sui consideratione humilior iudicatur. Ideo dicit Psalmista: Thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta, &c. Sol quidem & Luna computantur inter sidera, quæ quamvis corporali dimensione & virtuali effectu & operatione sint maxima, tamen minima secundum sensus aspectum iudicantur. Et hoc humilibus congruit, qui quando in mundo minus reputantur, tanto sunt maiores, iuxta il-C lud Sapientiæ: Habuimus eos in derisum, & in similitudinem improperii, & finem illorum sine honore, & ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei, &c.

Ps. 88. Sap. 5.

Sancti itaque viri, qui tam multiplici causa Dei dicuntur Throni, Angelis tertii ordinis comparantur, propter altissimæ paupertatis professionem. Nam illud reputamus altius, quod est a centro remotius. Tales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum: qui cum terrenis nihil commune possident, & ideo superiorem in cœlestibus locum habent, sicut dicit Apostolus: Altissima eorum paupertas, abundavit in divitias simplicitatis eorum, &c. Alta quidem est paupertas, quæ tollit superflua: altior quæ distribuit &

Matt. 5. 2. Cor. 8.

& licita & permissa: sed altissima sibi subtrahit etiam necessaria. Sicut illa vidua, quæ in gazophylacio de suis necessariis duo dedit minuta. Altius est igitur pauper spiritu superflua abiiciens, sicut Abraham, qui dixit: Juro tibi, &c. Altior vere a licitis abstinens, sicut David, qui abstinuit ab aqua quando sitivit. Sed altissimus est, ea quæ videntur necessaria non admittens, iuxta illud Isaiæ: Sustollam te super altitudinem terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui; &c. *Mar. 12. Gen. 14 2. Reg. 23 Isa. 58*

Item Throni Angeli sunt compacti, id est, convenienter aptati & conjuncti, quia mutuæ charitatis juncturam aliqua relaxante iniuriam non deserunt, sed secundum naturæ suæ & gratiæ capacitatem Deum sepervenientem aptissime recipiunt, & receptum de se ulterius non repellunt. Et hoc convenit sanctis viris, & perfectis, ut sint compacti sicut Throni, per mutuæ charitatis & affectionis indissolubilem compaginationem, sed in omnibus se Deo coaptantes, sibi in suis affectibus immutabilem præparent mansionem, Unde Paulus: Crescamus in charitate, in illo qui est caput, ex quo totum corpus ipsi compactum est, E connexum per omnem iuncturam, &c. Nam in illis, qui sunt uniti, & compacti in charitate, sine omni scissura & affectionis separabilitate, Deus pacis requiescit, &c. *Ephes. 4*

Item ab omni ignominiosa subiectione sunt liberi, quantum ad omnimodam servitutis peccati evacuationem. Nam Throni quamvis Deo sint subditi, non tamen serviliter sunt oppressi, & tanto magis sunt liberi, quanto ei magis sunt subjecti, cui servire est regnare &c. Servitus itaque nimis ignominiosa & turpis est peccare. Nam qui facit peccatum, servus est peccati, ut dicit Salvator. Deo vero subiici, & eius iussis obtemperare, summa est libertas, & jam cum Christo in spiritu conregnare. Et ad Romanos: Liberati a peccato: servi facti estis iustitiæ. &c. Veri ergo servi sunt, in quorum mentibus per malitiam regnat diabolus: sed vere liberi sunt, *Joan. 8 Rom. 6 Ibidem.*

A quorum corda per gratiam inhabitat Deus.

Item sunt Deiferi, per legis divinæ voluntariam supportationem, nam tunc Deum ferre dicimur, quando fidei suæ præceptis voluntarie subiicimur. Ideo ait Apostolus: Glorificate, & portate Deum in corde & corpore vestro. Tamquam ergo Throni Deum ferimus, quando præceptorum suorum onera comportamus. Unde in Canticis: ferculum fecit sibi Salomon, &c. *1. Cor. 6 Cant. 3*

Item divini superadventus sunt susceptivi & hoc per omnimodam voluntatis cum Deo conformationem. Nam ad illos Deus sine obstaculo pervenit, ubi contradictionem voluntatis improbe non agnoscit, & B ideo Thronum cordis oportet disponere, & aptare, si ipsum in nobis voluerimus habitare, quia legitur in libro Sapientiæ: Non habitabit in corpore subdito peccatis, & ideo sola domus cordis est præparanda & ornanda, ne forsitan ad nos declinans recedat, eo quod Thronum vel sedem paratam non inveniat in figuram hujus dicitur in 4. Regum: Vir Dei sanctus est iste qui transit per nos, faciamus ergo ei cœnaculum, & ponamus in eo lectulum, mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit, maneat apud nos, &c. *Sap. 1 4. Reg. 4.*

C Item Throni Angelici ab omni extremitate sunt remoti, quia ei qui sine fine & principio est, in quo non est reperire extremitatem, immediate sunt coniuncti, & hoc refertur ad virtutis meditationem, sive virtutis existentis in medio electionem, quam viri sancti Angelorum exemplo eligunt, & ab extremitate virorum se subtrahentes, ad virtutis medium tendunt, & bonis æternis, quæ sine extremitate sunt, per virtutis opera se conjungunt: In medio se tenendo proficiunt, quia per fidem & charitatem mediatori Dei & hominum adhærendo, ab ipso per voluntatis discrepantiam non recedunt. In medio se tenent, qui omnibus indifferenter sine acceptione personæ, iustitiam exhibent. Dicitur enim in libro Paralipomenon: *2. Par. 19*

O 2 Non

Non est apud Deum iniquitas, neque personarum acceptio, neque cupido munerum, &c. Et in Proverbiis: Accipere personam impii in iudicio, non est bonum, &c. Hi medium non tenent, sed ad extremitatem tendunt, & ideo Throni Dei non sunt. Et iterum: Multi colunt pesonam potentis, & amici sunt munera tribuentis. Et Isaias: Corruit in platea veritas, & causa pauperis non potuit ingredi ad eos. Boni vero & electi, ideo Throni Dei sunt, quia pauperibus sicut divitibus æqualiter se exponunt. Unde dicitur in Proverbiis: Qui in veritate iudicat pauperes, Thronus eius in æternum firmabitur, &c.

Prov. 18

Prov. 19. Isa. 59

Prov. 29

Item Throni Angelici Deo præsidenti non coacte, sed spontanee sunt subiecti, & ideo eorum ministerium potius est felicitatis, quam necessitatis, & hoc refertur ad voluntariam electorum obedientiæ subiectionem. Coacta enim servitia Deo non placent. Unde Paulus: Non ex necessitate, sed ex hilaritate, &c. Et in Psalmo. Voluntarie sacrificabo tibi, &c. Et in Exodo: Obtulerunt mente promptissima & devota primitias Domino, &c. In corde itaque devoto, & ex devotione ad obediendum prompto Dominus suaviter velut in Throno requiescit. In cuius rei figuram Spiritus Sanctus sicut columba descendit, & requievit super caput Domini, quando Joanni voluntarie subditus ab ipso voluit baptizari; ait enim Joannes: Vidi Spiritum quasi columbam, de cœlo descendentem, & manentem super eum, &c. Patet itaque ex prædictis, quia in viris sanctis & Religiosis ille triplex ordo cœlestis per quandam assimilationem couiguratur, ex quibus convincitur, quod subsequentis Hierarchiæ triplex ordo, in bonis rectoribus Prælatis per quandam expressam similitudinem reperitur. Nam media Hierarchia continet Dominationes, Virtutes, & Potestates secundum Dionysii ordinationem. Nam dominationes usum dominandi edocent: Virtutes vigorem conformandi se Deo inferioribus viriliter exhibent: Potestates malitiam adversariorum cohi-

2 Cor. 9 Psal. 53. Exo. 35.

Luc. 3

Joan. 1

A bent atque arcent. Istis tribus Angelorum ordinibus, quorum nomina sonant in dominium, virtutem, & potestatem, omnis Prælationis auctoritas correspondet. Nam omnis Prælatio est propter tria principaliter a Domino ordinata, quia per ipsos vult Deus homines per fidem veritatis, & mores sanctitatis, ad Dei similitudinem reformare, vel lites rescindere, ac discordes ad concordiam revocare, aut coercere rebelles, & malitiam reformare. Ad morum disciplinam & correctionem est instituta dignitas Sacerdotalis: ad reformandam concordiam inter homines, & pacem conservandam ordinata est auctoritas iudiciaria: ad

B malitiam coercendam, concessa est potestas sæcularis imperialis, scilicet & regalis. Prima auctoritas est pure spiritualis, tertia est pure temporalis, sed media est mediocris, scilicet partim spiritualis, partim temporalis. Illi igitur qui præeminent in ministerio Pontificali, sive Sacerdotali, assimilantur ordini Dominationum: qui vero ex officio præcellunt in auctoritate iudiciali, conformitatem habent cum ordine Virtutum: sed qui alios, transcendunt in potentia sæculari, configurantur ordini Potestatum, de quibus per ordinem aliqua sunt breviter in medium proferenda.

C

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

PARS SECUNDA.

De Dominationibus. Cap. I.
De virtutibus. Cap. II.
De Potestatibus. Cap. III.

CAPUT I.

De Dominationibus.

DOMINATIONES itaque dicuntur Angeli primi ordinis mediæ Hie-

Hierarchiæ. Sic autem secundum Isidorum nuncupantur, quia inferioribus Angelis dominantes, eos instruunt & informant, qualiter in Prælationis officio debeant subditos ad Deificam similitudinem revocare, & sine tyrannide subditorum facta liberaliter ordinare. Unde dicit Dionysius: Nominatio Dominationum absolutam, & liberam anagogen absque ulla tyrannica dissimilitudine, liberaliter severam, & ab omni subiectione ignominiosa remotam declarat, quasi dicat: Sicut per anagogen, id est, per excellentiam universalem, super alios Angelos sine subiectione elevantur, ita per nullam tyrannidem ad depressionem aliorum inclinantur. Quorum dominatio & liberalis est & severa: liberalis in benignitate: severa in potestate, & hoc proprie convenit Prælatis, qui in spiritualibus singulariter dominantur, sicut Sacerdotibus & Episcopis, qui in spirituali officio iudicantur omnibus digniores. Dicuntur itaque illi qui præsunt pure in spiritualibus dominationes: quia verum dominium est, quando superantur vitia, ac virtuosa opera in regno animæ, sive Ecclesiæ dominantur. Non autem possunt extirpari mala, ut bona efficaciter dominentur, nisi per Prælatorum ministerium quibus cœlitus collata est auctoritas, ut per ipsorum officium, & Sacramentorum mysterium evacuentur vitia, & mores in hominibus corrigantur, & sic subditorum mentes per morum disciplinam ad Deiformem similitudiuem reformentur. Et ideo apud Prælatos animarum istius Dominationis auctoritas a Domino est relicta, ut ipsis cooperantibus, peccati servitus penitus auferatur, & vera libertas spiritus, electis mentibus per ipsorum ministerium conferatur. Unde dicitur in libero Sapientiæ: In sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ tuæ, quæ a te facta est, ut disponas orbem terræ in æquitate, & in directione cordis & in iustitia, &c. quasi dicat, ideo dominium homini super hominem contulisti, ut cor aversi hominis per iniustitiam, mediante iustitia, ad Deum iteratio dirigatur. Recognoscant igitur Pontifices Christi ac Sacerdotes, quod a Dominatore universæ terræ receperunt supremum dominium, & a diebus sæculi, non solum hominibus, immo & Angelicis spiritibus penitus inauditum. Quia, ut dicit Bernardus nec regibus, nec sæculi huius potestatibus, legitur attributum, ut illud conficiat quotidie consecratus in Sacerdotem in altari, quod Dei Filius divinitatis virtute perfecit in cœna Paschali, ubi fuit remunerans & munus, cibans & cibus, conviva & convivium, offerens & oblatum. Istud donum Prælatis est collatum, non ad turpem quæstum extorquendum, nec ad superbiendum, vel subditos qualitercumque opprimendum, sed potius ad veræ libertatis statum, per Sacerdotum officium & Sacramentorum * mysterium reducendum. Et hoc dicit Zacharias: Sedebit, & dominabitur, & erit Sacerdos in solio suo, & erit consilium pacis inter eos, & erunt coronæ memoriales in templo Domini. Dicuntur igitur Christi Sacerdotes dominationes, non quia debent dominari in clero, ut superbiant, sed ut formam gregi ex animo se ostendant, & ad Angelorum conformitatem, verbo & exemplo promoveant subditos, & adducant, iuxta illud Petri; Non ut dominantes in clero, &c.

Isido. l. 7. etymol. c. 5

Dion. de cælest. Hier. c. 3

Sap. 9

Bern. in ser. quodam de cœna Dom. c. 2

* Forsan ministerium.

Zach. 6

1 Pet. 5

Episco quomodo Dominationibus conformentur.

Illi igitur, qui plenam in spiritualibus a Domino receperunt auctoritatem, non immerito Dominationibus conformantur, & hoc præcipue propter illa, quæ appropriata de istis Angelis recitantur, Primo propter Clericalis auctoritatis libertatem; nam in hoc istorum Angelorum dignitas consistit, quod nullius pedestris subiectionis oppressione oppressa sit, ut dicit Dionysius: & hoc quidem clero convenit, qui libertatem non modicam, laicis omnino & pedestribus incomparabilem, a Domino recipere meruit, ut dici possit illud Psalmi: Non fecit taliter omni nationi. Unde omnium iumentorum, & reptilium, &

Dion. de cæl. Hier. c. 8

Psal. 147

& etiam volatilium dominatio, est universaliter Clericis & viris spiritualibus attributa, ut dicitur in Genesi: Dominamini piscibus & volucribus, &c. Et in Deuteronomio: Dominaberis omnibus nationibus, & nullus tibi dominabitur.

Gen. 1. 9 *Deut. 15.*

Item secundo propter præessendi modum, & dominandi qualitatem; nam Angeli illius ordinis sic inferioribus præsunt, quod nullam tyrannicam violentiam illis, qui sibi subiecti sunt, inferunt, sed simpliciter eis in omnibus condescendunt, quod utique Clericis convenit, ut taliter se habeant circa laicos, quod eorum vita videatur habere conformitatem ad Angelos supradictos.

Item tertio propter ipsorum Clericorum cœlestem intentionem, sive intentionis puritatem; nam isti Angeli dicuntur a Dionysio sursum activi, quia conversi ex suo ordine, alios inferiores convertunt, & perfecti in se alios perficiunt, & alios ex suo lumine illuminare satagunt, & intendunt, & istud manifestum est esse Angelicum, ut illi qui præsunt verbo & exemplo alliciant convertendos, & perficiant perficiendos, ut sic cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat: Veni, sicut dicitur in Apocalypsi, & in Ecclesiastico: qualis est Dominus, vel rector civitatis, tales sunt qui habitant in ea, &c.

Dion. ubid. ubi supra prox. *Apoc. ult. Eccli. 10*

Item quarto propter officii Clericalis necessariam liberalitatem: nam Angeli istius ordinis dicuntur liberales & severi, quia benignitatem habent, & severitatem in liberalitate: sic & Prælati Ordinis Ecclesiastici liberales sunt in casu necessario, pariter & severi. Liberales quidem & benigni circa humiles, & providentes: duri vero circa reprobos & rebelles: quia quos non possunt censura Ecclesiastica reducere ad veritatem vitæ per benignitatem; nituntur reducere per severitatem. Sic legitur Apostolus fecisse ad Titum, & ad Timotheum, cum dixit: Increpa, obsecra, &c.

2 Tim. 4

Item quinto propter quamdam vitæ & morum sæcularium disparitatem: quia sicut dicuntur Angeli Dominationum, omni scilicet dissimilitudine segregati, quia nihil indecens, nihil inhonestum divinæ similitudini contrarium in Angelis illius ordinis invenitur, & hoc utique Angelicæ puritati consonum est, ut qui alios tangunt, & aliis corrigendo dominantur, non subiaceant vitiis, quibus verborum morsibus adversantur, sicut faciunt illi: Qui prædicant non furandum, furantur: & qui dicunt non mœchandum, mœchantur, ut dicit Apostolus: De quibus etiam Isaias: Audite illusores, qui dominamini super populum meum. Tales sunt hypocritæ, qui multa dicunt & imponunt aliis, & suum digitum non apponunt. Qui utique illusores sunt, quia decipiunt, quibus adulantur, iuxta illud Isaiæ: Popule meus, qui te beatum dicunt, &c.

Rom. 2 *Isa. 28* *Isa. 3.*

Item sexto propter status potestatum dominabilitatem; nam illi veri sunt Domini, qui ita dominantur aliis quod sunt etiam Domini propriæ voluntatis, sicut de istis Angelis dicit Dionysius, quod sunt veram dominationem indesinenter desiderantes: quod utique istis congruit, qui ita aliis præsunt, quod propriæ conscientiæ dominium non omittunt, de quibus dicitur in Proverbiis: Melior est patiens, viro forti: & qui dominatur, &c. Nequaquam enim sunt reputandi dominatores hominum aliorum, qui servi sunt vitiorum, dicitur enim in Genesi: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Et alibi: Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.

Dion. ibid. *Prov. 16* *Gen. 4* *Gen. 3*

Item septimo propter fixam & stabilem affectus immutabilitatem, sicut dicitur de Dominationibus, & ad nullum vane apparens, sed ad vere existens totaliter sunt conversi, quia ad nullum inane, & transitorium se convertunt, sed semper illum, qui verus est, Deum, scilicet aspiciunt, & sibi in omnibus placere concupiscunt. Non igitur Clericis convenit vanitates & insanias mundi falsas aspicere, qui Dominatori vero semper debent assistere,

re, & dominatorum, vel dominationum nomen, vel officium se æstimant obtinere. Ideo dicit Tobias: Numquam in tuo sensu superbiam dominari permitte, &c. *Tob. 4*

Patet igitur, quod dignitas Clericalis, quæ in sua radice considerata est, penitus spiritualis, merito est consona ordini Dominationis, quæ sic præcedit alios inferiores ordines, quod illos illuminat, perficit, & purgat, & tamen ab illis non illuminatur, nec perficitur, nec purgatur: quia sicut spiritus dignitate, & officio præcellit corpus, sic potestas spiritualis dignior est, quam sæcularis: & ideo bene sortitur nomen dominationis. Unde regalis potestas subiacet potestati, & auctoritati spirituali, sicut in prima Canonica Petri, dicitur: Vos estis gens sancta, regale Sacerdotium, &c. Nam temporale regnum velut quoddam adiectum subiaceat Sacerdotio in novo Testamento, sed in veteri testamento, Sacerdotium subfuit regno. Unde dicitur in Exodo: Elegi vos in populum peculiarem, in Sacerdotale regnum, &c. ubi regnum ponitur substantive, sed sacerdotium adiective, & ideo reges tunc poterant amovere ab officio summos Sacerdotes, sicut Salomon amovit Abiathar. Jam vero possunt Sacerdotes & Pontifices ex causa amovere Reges, & deponere Imperatores, sicut sæpius accidit & visum est, quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit. Summus vero Pontifex penes quem prima in terris residet auctoritas, non a Rege, non a Principe sæculari, non ab homine judicatur, sed solius Dei judicio reservatur. Spiritualis enim homo iudicat omnia & a nemine, nisi a solo Deo judicatur, Sed ut possint tales personæ liberius spiritualibus vacare, ut nunc per verbi vitæ prædicationem, nunc vero per sacramentorum ministrationem populum sibi subditum ad Deiformem similitudinem reformare; necesse fuit, alios assumere in partem sollicitudinis, qui in diversis negotiis & causis eis assisterent, & onus eorum supportarent. Temporalia enim spiritualibus sunt annexa, & de facili spirituale officium impedirent, nisi causas & lites ex temporalibus orientes, aliqui per justitiam deciderent, & definirent. Ideo dixit Jethro ad Moysen: Ultra vires est negotium: solus sustinere non poteris, esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur, ad Deum, ostendasque cæremonias, & ritum colendi Deum, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Provide ergo viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas & oderint avaritiam, & constitue ex eis, qui judicent populum in omni tempore, leviusque tibi sit, partito in alios onere. Et tales sunt Decani, Præpositi, Archidiaconi, & quicumque judices, sive ordinarii, sive delegati, qui lites sopiunt, & decidentes causas, discordes ad concordiam revocant, & reducunt, & tales sua officia provide, & viriliter exequentes, conformitatem habent cum ordine virtutum, qui sequitur ordinem Dominationum, nam sine virtute non potest tale expediri officium.

1 Pet. 2. Exo. 19. 3. Reg. 2. 1. Cor. 2. Exo. 18

Caput II.

De Virtutibus.

Virtutes itaque dicuntur Angeli secundi ordinis mediæ Hierarchiæ, qui sic vocantur, ut dicit Dionysius, propter fortem & immutabilem virilitatem, ad susceptionem divinarum illuminationum, nullatenus infirmam, sed viriliter in Dei imitationem reductam, Deiformem morum non derelinquentem, sed firmiter ferentem in superessentialem, & pontificam virtutem Deiformiter provenientem. Hæc omnia figurative intellecta, sunt ad illos, qui judicandi recipiunt potestatem, referenda. Nam ut pax & concordia in Christi Ecclesia habeatur, justitia a Domino est ordinata. Justitia enim & pax se invicem concomitantur; nam dicit Psalmista: Suscipient montes pacem populo, & colles iustitiam: quia non esset pax in montibus, id

Dionde cœl. Hier. c. 8. Psal. 71

id est, in superbis hominibus: nisi A esset iustitia in collibus, id est, in bonis, & humilibus Prælatis ac judicibus, in quibus virilitas sive virtuositas Angelica requiritur ut nec benedictione, nec maledictione a rectitudine iustitiæ moveantur, sicut de David, de quo in secundo Re-
2 Reg. 14 gum: Tu autem Domine mi Rex es sicut Angelus Dei, qui nec maledictione, nec benedictione movetur. Fortis igitur, & virilis debet esse judex, ne timore, odio, vel amore a vigore justitiæ deflectatur. Ideo da-
Eccli. 7 tur consilium in Ecclesiastico: Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte expavescas faciem potentis. Et in
Sap. 6. Sapientia: Audite reges & judices, B qui iudicatis terram, vobis data est virtus ab Altissimo, &c. Et iterum
Eccli. 44. in Ecclesiastico: Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Sunt igitur virtutes quoad virilem justitiæ executionem, ut dicitur in
Ps. 30. Psalmo: Viriliter agite.

Item propter virtuosam justitiæ defensionem; nam dicitur in Eccle-
Eccli. 4. siastico: Pro iustitia agonizare, & usque ad mortem certa pro iustitia, &c. Nam quando subditi vident Prælatos pusillanimes, & trepidos, de facili perterrentur, ut dicitur in
Zach. 13 Zacharia: Percutiam pastorem, &c. Hieronymus: Hunc scito nullum esse Christianum, qui nec metuit, C nec concupiscit, ideo dicitur in Eze-
Ezech. 3 chiele: Ut adamantem & silicem posuit te, ne timeas eos, &c. In silice duro, & adamante solido, & omnis ferri attractivo, significatur judicis constantia, & fortitudo, cui semper associanda est patientiæ mansuetudo, quæ quandoque attrahit etiam in malitia obstinatos. Viriliter igitur dicuntur viri Angelici Virtutum cœlestium imitatores esse justitiæ propugnatores, ne dici possit illud Ezechielis: Non ascendistis ex
Ezech. 13 adverso, non opposuistis, vos, &c.

Item Virtutibus cœli comparantur, propter divinæ sapientiæ imitationem quam semper debent iudices in suis sententiis præ oculis retinere. Humana enim iustitia divinam debet prout est possibile, imitari, & ne erret per ignorantiam divino lumine illustrari, ideo dicitur in libro Sapientiæ: Diligite lu- *Sap. 6.*
men sapientiæ qui præestis populis, *Hier. 5*
&c. ne dicatur illud Heremiæ: Forsitan pauperes & stulti ignorant viam Domini, & iudicium Dei sui. *Isa. 56*
Ibo igitur, &c. Et Isaias: Nescierunt saturitatem, ipsi Pastores ignoraverunt intelligentiam, & ideo dicitur de Virtutibus, quod viriliter per susceptionem illuminationum reducuntur ad Dei imitationem. Nam qui a Deo illuminantur, sine offendiculo ipsius iustitiam exequuntur, & hoc est quod dicit Psalmista: Domine in lumine vultus tui ambula- *Ps. 88.*
bunt, & in iustitia tua exaltabuntur.

Item propter celerem causæ pauperum determinationem, nam vera iustitia cum fuerit nota iudici, non est ab executione retardanda, immo statim definienda, & promulganda: & hoc præcipue in causis pauperum, quarum dilatio eis multipliciter est nociva, & ideo dicitur, quod virtutes Deiformem motum non derelinquunt, quia virtuosi iudices cognita causa pauperis iudicare non differunt, sicut nec Deus de quo dicitur:
Dominus non elongabit, sed iudica- *Eccli. 35*
bit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam, &c. Nam sine moræ dispendio sunt innocentes absolvendi, rei vero puniendi.

Item per voluntariam avaritiæ fugam, & munerum declinationem, nam munerum cupiditas multum solet enervare vires iudiciorum, ideo
præcipitur in Exodo: Non accipies *Exo. 23*
munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subvertunt verba iustorum. Et in Deuteronomio: Non ac- *Deut. 16*
cipies personam neque munera, quia *2. Par. 19*
excæcant, &c. & ideo eis congruit, quod dicitur de Virtutibus, quod ad potentificam & superessentialem virtutem perveniunt, id est, in suis moribus, & operibus, solum Deum & non proprium commodum attendunt: sic virtuosi iudices & Prælati nihil faciunt propter lucrum, sed omnia peragunt propter Deum: quia non hominum est iudicium, sed di-

vi-

vinum, ut patet in 2. Paralipomenon: Videte, inquit, quid faciatis non enim hominum exercetis iudicium, sed Dei, &c.

Item propter celerem & virilem oppressorum liberationem, nam iudex virtuosus innocenter oppressos viriliter eripit, & facienti iniuriam, totis viribus se opponit: Prælati enim & iudices Angeli sunt, & Angelorum officium gerunt, quorum ministerium est dæmones coercere a violentia, & ab obsessis corporibus viriliter removere, iuxta illud Tobiæ: Apprehendit Rachel dæmonium, &c. Et in Daniele: Misit Deus Angelum suum, & conclusit ora leonum, &c. Tamquam dæmones sunt crudeles, impii, tyranni, innocentum, & pauperum oppressores, de quibus Isaias: Dabo eos in manus dominorum crudelium, &c. Et Hieremias: Crudelis est, & non miserebitur, & ideo virtuosum est talium insolentiam reprimere, & ut oppressos per iustitiam liberare. Unde in proverbiis: Erue eos qui ducuntur ad mortem. Quod si dixeris: Vires mihi non suppetunt, &c. Et Job: Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor, conterebam molas iniqui, & de faucibus illius, &c. Et in 1. Reg. Pascebat servus tuus gregem patris sui, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de grege, & persequebar illos, & percutiebam, & eruebam de ore eorum, &c. & ideo dicitur in Isaia: Judicate pupillo, subvenite oppresso. Item propter alienæ famæ, vel pecuniæ ablatæ & debitæ, vel subtractæ plenariam restitutionem, & in hoc assimilatur eorum officium ministerio Virtutum, quia per Angelos illius ordinis fiunt miracula & membra corporis a suis usibus depauperata, & depravata in statum pristinum restaurantur. Et hoc convenit iudicibus & Prælatis, famam proximi iniuste læsam, & possessionem, vel pecuniam vi ablatam, integre restaurare per sententiam, & ipsos læsores ad satisfactionem compellere, & emendam. Et hoc figuratur in libro Regum: Eruit David omnia quæ tulerant Amalechitæ, nec defuit quidquam de spoliis, sed omnia quæcumque rapuerant, retulit, & reduxit: Et alibi: Ovem reddet in quadruplum, &c. Sic Salomon, audita causa duarum mulierum super raptu pueri, reddidit infantem matri suæ. Et tantum de Ecclesiasticis.

Tob. 8 · *Dan. 6.* · *Isa. 19* · *Hier. 6* · *Prov. 24.* · *Job 29.* · *1. Reg. 17* · *Isa. 1* · *1 Reg. 30* · *2 Reg. 12* · *3 Reg. 3*

Caput III.

De Potestatibus.

Sicut autem Prælati spirituales, & iudices in suis officiis conformitatem habent ad Dominationes, & Virtutes sic Reges & Principes sæculares cœlestes debent imitari Potestates. Nam potestates dicuntur Angeli, quorum potentia speciali adversæ potestates coercentur, ne tantum lædant, quantum desiderant. Unde dicit Dionysius: Sanctarum Potestatum cognominatio, docet potentem, & bene ornatam & inconfusam circa divinas susceptiones ordinationem, non tyrannice inferiora virtute potestativa præcipitantem, sed potenter in divina reducentem, & ad Potentificam causalem potentiam, quantum fas est, assimilantem & ad Deum, qui princeps est omnis potestatis, secundum Hierarchicam dispositionem inferiora convertentem, divinam, & lucentem potentiam in inferioribus resplendere facientem, &c. Unde Angeli illius ordinis, refrænant, & coercent omnes, Hierarchicam Prælationis & subjectionis ordinationem impedientes. Unde Prælationis potestatem a subditis contemni non permittunt, & subditos per violentiam ab iniquis Dominis opprimi non sinunt immo omni iniuriæ istorum, & illorum obviant potentissime, & resistunt. In his omnino debent Reges & Principes sæculares, sanctas, & cœlestes intueri potestates scilicet ut sapienter regant, ordinate vivant, & potenter malum reprimant, & vindicent, innocentibus parcant, & injuriam fieri personis miseris non permittant, ut etiam de suscepta potestate non superbiant, sed potius humili-

Principes sæculares Potestatibus comparantur. · *Dion. de cœlesti Hier. c. 8*

milibus condescendant. Istæ conditiones in habentibus potestatem requiruntur, quia huiusmodi Reges & Principes a Deo recepisse potestatem hujusmodi dignoscuntur.

Ordinata igitur erit potestas sæcularis, & secundum similitudinem cœlestium potestatum disposita, si in potestate constituti fuerint sapientes, scilicet non secundum voluntatis impetum, sed secundum rationis gubernaculum in singulis procedentes, sicut dicitur in Proverbiis: Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Ideo Salomon in principio regni sui petivit sapientiam, dicens: Domine Deus tu me fecisti regnare pro patre meo, & ego sum puer parvulus, ignorans egressum, & introitum meum. Da ergo servo tuo cor docile, ut possit iudicare populum tuum, & discernere inter bonum & malum, &c. Sicut enim nec in spirituali iurisdictione, sic nec in temporali, sine sapientia, & discretione est agendum. Ideo præcipitur in Deuteronomio: Cum sederit Rex in solio regni sui, faciet sibi describi Deuteronomii verba, & accipiat exemplar a Sacerdotibus Leviticæ Tribus & habebit secum, &c. Ideo provectæ ætatis homines & senes solebant eligi in Principes & in Reges: quia non in pueris, sed in antiquis sapientia reperitur. Propter hoc Roboam perdidit regnum, quia invenis existens, derelicto consilio seniorum, iuvenum consilio acquievit. Ideo dicit Ecclesiastes: Væ terræ cuius Rex est puer, &c.

Prov. 1. 3Reg. 3 Deut. 17 Iob 12. 3. Reg. 12 Eccle. 10

Item similes sunt potestatibus cœlestibus, si ornati moribus, vitam bonam & innocentem subditis ostendant. Nihil enim prodest vestiri purpura, diademate insigniri, gemmis lucentibus splendere, & moribus incompositis sordescere & fœtere. Ideo dicuntur potestates bene ornatam & inconfusam accepisse a Domino potestatem. Nam, sicut dicit Poeta:

Virtus non quæritur extra.
Non eget exterius, qui moribus intus abundat,
Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.

A Dominus itaque non attendit in potentibus mundi, vel carnis nobilitatem, sive corporis, sive habitus venustatem: sed nobilitatem morum, & conscientiæ puritatem, & hoc est, quod dicitur in 1. Regum: Non respicias vultum, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abieci eum neque iuxta intuitum hominis ego video, &c. 1 Reg. 16

Item potestatibus sunt similes, quia amore iustitiæ animati, omnem malitiam sunt in reprobis vendicantes, & pacem perturbantes publicam persequentes, sicut de Juda dicitur: Persecutus est iniquos perscrutans eos, qui populum conturbabunt, & succendit eos flammis, &c. Est B enim potestas Regum, & Principum inter homines a Domino ordinata, ut ipsorum metu malorum audacia refrenetur, qui quidem tantum invalesceret, quod si non resisteret potestas publica, etiam humana societas penitus dissiparetur. Ideo dicitur: Omnis anima sublimioribus Potestatibus subdita sit, &c. Et in primo Machabæorum: Accingimini & estote filii potentes, & estote parati, quia melius est mori, &c. Ideo etiam dicitur in Exodo: Elige de omni plebe viros potentes, &c. Et in Psamis: Super femur tuum potentissime. 1 Mac. 3 / Rom. 13 / 1 Mac. 3 / Exod. 18 Ps. 44.

Item vere sunt Potestates, qui non tyrannica crudelitate, sed potius humana, immo Angelica benignitate C subditos regunt, & custodiunt innocentes Unde dicitur in Esther: Cum pluribus gentibus imperarem, & universum orbem meæ ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed cum clementia, & lenitate gubernare subjectos, ut absque terrore vitam transigentes, optata pace fruerentur, & ideo de Potestatibus dicitur, quod nihil ab eis tyrannice perficitur, sed omnia cum mansuetudine peraguntur. Esth. 13

Item Potestates, sunt, qui seipsos considerant, & de suscepta potestate non superbiunt, immo quanto videntur aliis esse magis auctoritate, & potentia transcendentes, tanto abundantiori humilitate sunt aliis condescendentes, sicut dicitur in Ec-

Eccli. 3. Ecclesiastico: Quanto major es, tanto plus te humilia in omnibus, sicut ipse Dei Filius, qui omnibus præfuit, omnium potentissimus se in omnibus exhibuit infirmiorem malens potius per humilitatis mansuetudinem, quam per potestatis fortitudinem, mundum miserum perducere
Ps. 146 ad salutem. Unde dicitur in Psalmis: Non in fortitudine equi, &c. Ille igitur potentissimis, & supernis spiritibus est similior, qui alios benigne regendo est humilior, sicut
Dan. 4 dicitur in Daniele: Cognoscant viventes, quia dominabitur excelsus in regno hominum, & humillimum hominem constituet super eum. Et
Eccli. 10 in Ecclesiastico: In manu Dei potestas terræ.

Item pacem generalis Ecclesiæ sunt potentissime procurantes, nam tanta subeunt mala hominum, quod nequaquam Dei Ecclesia in pace conquiescit, nisi potentifica Regum & Principum providentia subveniret.
2 Mac. 4 Unde 2. Machabæorum: Videbat sine providentia regali impossibile dari pacem rebus, nec Simonem posse cessare a stultitia sua, &c. Et ideo recognoscere debent Principes sæculares, quod idcirco gladium portant, ut per auctoritatem, & potestatem illis concessam, pax Ecclesiæ universaliter tueatur, & humana audacia metu potentiæ Principum restringatur. Unde Paulus: Vis non
Rom. 13 timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem.

Item lucentem Dei potentia sunt in istis inferioribus resplendere facientes, sicut de Potestatibus dicit
Dion. Dionysius, quia sicut in eis relucet divina bonitas, & veritas, & potestas, mediantibus Angelis superioribus, ita Potestates Angelos inferiores reducunt ad consimiles gratiæ, & gloriæ participationes. Tales utique debent esse huius mundi Potestates, ut nunc per justitiam & severitatem, nunc vero per clementiam & benignitatem, populum simplicem ad Dei reducant cognitionem, & potentes ad inviolabilem legum divinæ iustitiæ observationem.
Eccli. 44. Ideo dicitur in Ecclesiastico: Dominantes in potestatibus suis, homines A magna virtute & prudentia præditi.
Et in Psalmis: Fecit Solem in potestatem diei, Lunam & stellas in Ps. 135
potestatem noctis, quasi dicat. Sicut Sol potestate illuminat & perficit diem, Luna vero decorat noctem: sic boni Prælati ad modum Solis, per exempla benignitatis, & clementiæ alliciunt ad amorem, & per rigorem justitiæ formidinem incutiunt & terrorem. Per timorem quidem a tenebrosis operibus revocant, sed per clementiam & amorem ad bonum provocant, exhilarant, & confortant. Unde dicitur in Proverbiis: Prov. 19.
Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira, & sicut ros super herbam, ita hilaritas ejus. Merito igitur nomi-
B ne Potestatum, intelliguntur Reges, & Principes, sive Domini secularium & mundanorum, quibus est obediendum in his, quæ ad suum pertinent Principatum, ut patet per Apostolum Paulum, qui dicit: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Et Petrus in 1. Canonica Rom. 13 1 Pet. 2
dicit: Servi, subditi estote in omni timore Dominis, &c. Et in eodem: Sive Regi tamquam præcellenti, &c.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

PARS TERTIA.

C

De Principatibus.	*Cap. I.*
De Archangelis.	*Cap. II.*
De Angelis.	*Cap. III.*

CAPUT I.

De Principatibus.

ULTIMA Hierarchia secundum Dionysium, continet Principatus, Archangelos, & Angelos: & hi tres ordines referuntur ad statum subjectionis, sicut præcedentes tres respiciunt statum Prælationis. In subditis autem tria considerantur, scilicet obedientia respectu Dei & Prælati, & vitæ innocentia respectu sui & misericordia respectu proximi, ut sic vi- Dionys. de Cæl. Hier. c. 6

vivant iusti quoad Deum, & Prælatis ejus exhibendo obedientiam debitam & reverentiam: sobrie quoad se, innocenter vivendo, & conservando vitæ munditiam: & pie quoad proximum, ei liberaliter subveniendo, & impartiendo misericordiam. Unde qui maiorum suorum imperio humiliter acquiescunt, Principatibus configurantur, qui vero vitæ continentiam servant, & innocenter vivunt, Archangelis assimilantur: sed illi, qui operibus pietatis, & eleemosynæ sua peccata redimunt, & indigentibus liberaliter subveniunt, Angelos imitantur. Subditi igitur humiles & vere obedientes Principatibus, & continentes sive innocentes Archangelis, misericordes & pœnitentes Angelis comparantur.

Isid. l. 7 etym. c. 5 Principatus autem dicuntur Angeli, & dicit Isidorus, qui præ ceteris possident donum reverentiæ. Unde eorum ministerium est docere homines, exhibere unicuique reverentiam secundum gradum suum: ut sicut Dominationum subsidio superiores in onere regiminis adiuvantur, ita subditi sanctorum Principatuum præsidio, ad obediendum suis superioribus provocentur. De istis quidem dicit Dionysius: Sancti Principatus ad principalem Principatum Deiformiter sunt motivi & inferiorum ordinatione sancta & convenienti reductivi, & ad superprincipalem omnis Principatus principem totaliter conversivi, & ordinationis ejus manifeste ostensivi, &c. Istis igitur Angelis similes sunt vere obedientes, per voluntariæ rei imperatæ adimpletionem, ut scilicet sicut desiderant sibi præesse sine tyrannide & oppressione, ita libenti animo pro bono obedientiæ sciant & velint subesse sine rebellione animi & voluntatis contradictione. Nam sicut tyrannica superiorum oppressio prælationis jura violat: ita subditorum insolentia obedientiæ principatum destruit & enervat. Qui ergo suis majoribus humiliter obtemperant, per donum reverentiæ in se principatuum ordinem repræsentant. Unde dicitur in libro Judicum: Cor meum diligit principes Israel: qui voluntarie vos obtulistis discrimini, benedicite Domino, &c.

Dion. ubi supra.

Judic. 5

Item secundo per debitam reverentiæ exhibitionem, quia cui honorem, honorem; cui timorem, timorem, ut dicit Apostolus, in flexione, in assurrectione & ut dicitur in Levitico: Coram cano capita surge, &c. De his omnibus dicitur in libro Job: Senes assurgentes stabant, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebant Duces, &c. Rom. 13 Levit. 19 Job. 29

Item tertio per humilem divinæ potestatis recognitionem: quia dum suis superioribus obediunt, Dei potestatem in illis quibus obtemperant, recognoscunt. Unde homini non obediunt, sed potius Deo, quem in homine considerant, & attendunt. Unde Alexander Macedo redargutus a suis Principibus, quod summum sacerdotem Judæorum, sicut Principem adorasset, respondit: quia non hominem adorasset, sed Deum in homine, qui sibi in tali effigie in somnis apparuisset, & totius orbis principatum sibi promisisset. Et ideo non est attendendus homo, qui præcipit, & imperat: sed Deus, qui præcipientium corda inhabitat, & legem obedientiæ ipsis mediantibus præcipit, & demandat: Et Paulus: Servi, obedite per omnia dominis vestris, non ad oculum servientes quasi placentes hominibus, sed in simplicitate cordis amantes Deum, quod facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non sicut hominibus. Et alibi: Non ego præcipio, sed in me Dominus. Et iterum: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? Homo igitur non est nisi organum, per quod Deus loquitur, hoc patet in Exodo, ubi dicitur: Ego veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Et ideo non homini facit injuriam, qui non obedit, sed Deo cujus ordinationi resistit, sicut dicit Apostolus: Si ergo Principatus mediantibus superioribus ordinibus, ad obediendum summo Principi donum reverentiæ recipiunt, & idem donum ad reducendos inferiores per obe-

Joseph. Antiq. Judai. l. 11 cap. 8

Coloss. 3

1 Cor. 7 2. Cor. 13

Exod. 19

Rom. 13

obedientiæ legem eis communicant, A & transfundunt: sic homines qui Principatibus sunt conformes, mediantibus suis superioribus, ad superprincipem omnis Potestatis, scilicet ad Deum totaliter convertuntur, & ipsius imperio humerum subiicientes, ad dignitatem Principatuum, & Angelorum consortium obedientiæ merito reducuntur. Unde dicit Isaias: Factus est principatus super humerum ejus, &c. Isa. 9

Item quarto propter libertatis veræ acquisitionem, nullus enim vere liber esse poterit, qui non secundum Principatuum assimilationem, obedientiæ legibus penitus se subjecerit. Nam qui vere obediens esset, omnem creaturam sibi subiicibilem inveniret. B Omnis enim creatura, ut dicit Augustinus, homini obediret, si simpliciter Creatoris imperio obediret, imo ipse Deus nihil penitus subtraheret ab hominis obedientia, si se non subtraheret a divina. Et hoc patet, quia quamdiu antiqui suis præceptis simpliciter, & præcise obediebant, etiam Deum obedire humanis jussionibus versa vicissitudine sentiebant, ut patet in Josue. Non fuit post vel ante tam longa dies, obediente Deo voci hominis & pugnante pro Israel. Unde patet, quod qui vere est obediens, summum Principem Deum sibi subiicit, & habere conformitatem cum summis Principibus se ostendit. Josue 10

Item quinto, subditi, & subiectionis statu constituti, configurantur ordini Principatuum, propter suorum superiorum modestam supportationem: quia si subditi spiritu superbiæ inflati, prælatorum officio resisterent modis omnibus spiritualem Ecclesiæ principatum impedirent. Et ideo in officio prælationis constitutis, non est leviter derogandum, nec eis faciliter detrahendum, quia hoc omnino contrariatur officio Principatus, ideo dicitur in Exodo: Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices. Et in Proverbiis: Verbosus dissipat Principes. Et ideo sicut non decet subditum obloqui prælato: sic non expedit ipsum maiorem, de facili adhibere fidem, Exo. 22 Prov. 16

quando sinistra vel detractoria dicuntur de subdito seu ministro. Dicitur enim in Proverbiis: Princeps qui libenter audit verba mandacii, omnes ministros habet impios, &c. Prov. 19

Item sexto propter expressam divinæ dilectionis ostensionem, de Principatibus enim dicitur, quod sunt supersubstantialis ordinationis manifeste ostensivi, idest, ordinatæ dilectionis. Nam superiores ordines, quibus mediantibus suas recipiunt illuminationes, singulari modo diligunt, & in signum amoris, inferiores Angelos ad superiorum conformitatem ordinatissime promovent & reducunt, & hoc convenit bonis subditis, ut suis prælatis obediant, ut Domino Deo, & eisdem non ex timore, sed ex amore, reverentiam, & honorem exhibeant, & impendant. Unde Sapiens in Ecclesiastico Filii sapientiæ Ecclesia iustorum, & natio eorum obedientia, & dilectio. Et Apostolus: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, &c. Item Ecclesiasticus: Timor Domini initium est dilectionis. Talis timor reverentiæ debetur prælatis, & non servis. De quo dicitur ab eodem Apostolo: Vis non timere potestatem, &c. Unde tales, qui suos diligunt prælatos, a Domi- C no versa vice singulariter diligi promerentur: sicut etiam patet in Ecclesiastico: Eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quam mater. Et in libro Judicum: Anima mea diligit Principes Israel, &c. Eccli. 3 Heb. ult. Eccl. 25 Rom. 13 Eccli. 4 Iudic. 5

Item septimo propter voluntariam correctionis susceptionem. Nam qui Angelicis Principatibus in vita, & in moribus assimilantur, libenter sustinent correctionem, & correcti, non ad iram vel odium provocantur. Quidquid enim Dominationes, & Potestates Principatibus influunt, vel infundunt, hoc benigno affectu Principatus recipiunt, & admittunt. Nam habetur in Ecclesiastico: Quidquid tibi applicatum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate Eccli. 2

tate tua patientiam habe, &c. Nam correctio sive disciplina est animæ medicina: quæ, etsi ad tempus vulnus mordeat, tamen sanat. Et ideo prudens non odit medentem, imo diligit, & sustinet corrigentem. Ideo dicitur in Proverbiis: Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Et Job: Increpationem Domini ne oderis, quia ipse vulnerat, & medetur, &c. Ex quo patet quod homines asperi, & amari, qui nolunt corripi, non possunt sanari. Unde dicitur iterum in Proverbiis: Homini qui dura cervice corripientem contemnit, repentinus ei superveniet interitus, & sanitas eum non sequetur. Et Amos: Oderunt in porta corripientem, & perfecte loquentem abominati sunt, &c. Stulti sunt tales, qui obloquuntur, & murmurant contra disciplinam. Dicit enim Isaias: Stultus stulta loquetur, scilicet murmurando contra prælatos, & corripientibus se detrahendo. Et sequitur: Princeps vero, ea quæ digna sunt Principe cogitabit, &c. Quod utique facit, qui cogitatum suum sic disponit, & ordinat, ut omnia velit sustinere patienter, & corrigenti non resistat. Talis princeps fuit Job quando dixit: Hæc sit consolatio mea, ut affligens me dolore non parcat.

Prov. 23 *Job. 5* *Prov. 28* *Amos 5* *Isa. 32* *Iob 6.*

Caput II.

De Archangelis.

IN subditis vero non solum exigitur obedientia respectu prælati, imo, & vitæ munditia, & innocentia respectu sui. Mundos enim, & immaculatos subditos & ministros requirit Dominus, similiter, & prælatus. Unde Psalmista: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat, &c. Tales fuerunt pueri David, ut patet in 1. Regum. Si mundi sunt pueri a mulieribus, manducent. Et respondit David: Continuimus nos, & vasa puerorum sancta sunt. Exigitur autem in eis triplex munditia, scilicet munditia

Ps. 100 *1. Reg. 21*

A cordis. Nam beati mundo corde, &c. dicitur in Matthæo, & in Proverbiis: Qui diligit cordis munditiam, &c. Item munditia oris in Job. Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ cum haberem mundas ad Deum preces. Ideo Angelus legitur mundasse labia Isaiæ. Item munditia corporis de qua Isaias: Mundamini qui fertis vasa Domini. Et Job: Si mundus & rectus incesseris. Et Paulus: Ut mundaret sibi populum acceptabilem, &c. Et item. Mundemus nos ab inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem. Sic sanctificati, & mundi assimilantur sanctis Archangelis, qui Principatus immediatius sociantur, &

Matt. 5. Prov. 22 Job. 16 Isa. 6. Isai. 52. Job. 8 Tit. 6 2 Cor. 7.

B Archangelus ad Virginem est transmissus, ut per hoc ostenderetur, quod magna est convenientia inter virgineam castitatem, & Archangelicam dignitatem.

Dicuntur autem Archangeli, qui ad nuncianda maiora, a summo Principe transmittuntur, qui inter Angelos inferioris ordinis Principatum habere dignoscuntur, qui a Principatibus accipiunt illuminationes, quas postea Angelis manifestant. Et ideo dicit Dionysius, quod ordo Angelorum communicat cum Principatibus, & ordinibus superioribus, quantum ad susceptionem illuminationum, & sui ad superprincipale principium conversionem: communicat e-

Archangeli qui dicantur. *Dion. de cælesti Hier. c. 9*

C tiam cum inferioribus, per ipsorum ad Deum reductionem. Nam uniti Deo, mediantibus aliis ordinibus superioribus per amorem, Angelos inferioris ordinis, & homines, nituntur unire Deo, quemadmodum, & ipsi sunt uniti, & ideo vivificam, & simplificam dicuntur habere virtutem. Unde status continentium merito comparatur ordini Archangelorum, qui per vitæ munditiam, merentur obtinere illius ordinis dignitatem sicut dicit Dominus: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.

Matt. 22

Conformes igitur debent esse Archangelis quantum ad conscientiæ puritatem, ut scilicet eorum mens, & conscientia ab imaginatione, & ap-

Prælati quo modo Archangelis debeant conformari

pe-

petitione carnalitatis sit remota, sicut natura Archangelica ab omni tali conditione esse dignoscitur aliena. Et ideo non solum expedit talibus a carnis passionibus abstinere, verumetiam illecebram carnis saltem in memoria non tenere. Dicitur e-
Luc. ult. nim in Luca: Spiritus carnem, &
Psal. 103 ossa non habet. Et in Psalmis: Qui facit Angelos suos spiritus. In cuius rei signum, præceptum est filiis Caath, quod mundarent altare a cinere, & involverent illud purpureo vestimento, & ponerent cum vasis ministerii. Caath, dolens vel pœnitens interpretatur. Filii itaque Caath
Num. 4 filii sunt pœnitentiæ, & doloris, qui altare proprii cordis debent emundare, non solum ab igne luxuriæ, imo etiam, & cinere, id est, a reliquiis immunditiæ, scilicet a me-
Gen. 19. moria, & cogitatione, sicut dicitur in Genesi: Nec stes in omni circa regione, &c. & tunc digni erunt hujusmodi, cum vasis tabernaculi, & ignis receptaculis involvi, id est, sanctorum Archangelorum societati adæquari, si videlicet fuerint in purpureo continentiæ vestimento undique involuti.

Item secundo, propter officii dignitatem, nam inter cœlestium spirituum ministeria, leguntur Archangeli habuisse in omnibus digniora, ut patet in Gabriele, qui virginitatis Filium prædixit de Virgine nasciturum. Similiter, & in
Dan. 10 Michaele, qui populum Israeliticum prædixit de captivitate Babylonica exiturum. Similiter, & in Raphae-
Tob. 6 le, qui missus est ad Tobiam curandum, qui prædixit se dæmonium fugaturum. Fumus (inquit) eius extricat omne genus dæmoniorum, &c. Et in istis tribus officiis privilegiatis, videntur habere continentes assimilationem cum Archangelis prætaxatis: nam continentia sanat a vulnere concupiscentiæ mentem, & spiritualem reparat in animo visionem, nam libido affectum corrumpit & sauciat, intellectum vero obtenebrat, & excæcat, ut patet in
Jud. 16 Sampsone, qui per libidinem, & vi-
Dan. 13. res corporis amisit, & exoculatus ab hostibus fuit. Idem etiam patet

A in illis senibus, de quibus dicitur: Exarserunt in concupiscentiam ejus, & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. Sic vir Archangelicus, continens scilicet, & mundus. Raphaelis consilio piscem arripit, & contra omnem spiritus infirmitatem cordis, & fellis particulam apponere non desistit. Piscis est Christus, sicut dicit Glossa super fidem Joannis ultimi. Piscis assus, est Christus passus. Cujus cordis particula, id est, dilectio in perforatione cordis nobis ostensa est, potissime ad fugam, & declinationem omnis malitiæ motiva. Fellica autem
B passionis ejusdem amaritudo, est omnis turpitudinis concupiscentiæ purgativa, & cæcitatis ac caliginis spiritualis absterfiva. At tale collyrium mittit Joannes in Apocalypsi, di- Apoc. 3
cens. Iniunge oculos tuos collyrio, &c. Continentia etiam a Babylonica confusione liberavit, & libertati gloriæ filiorum Dei suos imitatores restituit vel restauravit, & ideo Archangelus Michael, qui populo captivo præfuit annuntiaturus populi liberationem Danieli in vestimentis Dan. 10
lineis se ostendit, & auro mundo cinctus fuit. In quo datur nobis intelligi, quod alii soli ab ultima corruptione naturæ, & gratiæ liberabuntur, qui hac duplici munditia,
C scilicet mentis, & corporis vestiuntur, ideo dicit Ecclesiastes: Omni Eccl. 9.
tempore sint vestimenta tua candida, &c. Et Apocalypsis: Beatus qui Apoc. 16
custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Ad hoc etiam continentia divinæ inhabitationi hominem præparat, quia Deus mentes castas inhabitat, & frequentat, & ideo Archangelus Gabriel mundissimus, ad Mariam mundissimam est specialiter destinatus, & adventus auctoris totius munditiæ nuntiatus, & hoc ut omnis conscientia hic advertat quia mundus Deus, mentes immunditiæ subditas non subintrat, ut dicitur in libro Sapientiæ. Non habita- Sap. 1
bit, &c.

Item vita continentiæ assimilatur dignitati Archangelicæ, propter

pter corporis assumpti qualitatem: nam Angelus cum sit incorporeus, nonnisi propter nostram instructionem, corporis assumit effigiem sive repræsentationem: & ideo Archangelus apparens secundum humanæ capacitatis apprehensionem, & castitatis commendationem mortalibus se ostendit, sicut patet in Propheta Daniele, ubi de Michaele Judæorum Principe, & Archangelo, secundum quod dicit Glossa super illud: Vir vestitus lineis, & cinctus auro obrizo apparuit, cujus corpus fuit quasi chrysolitus, & facies ejus quasi species fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens, & brachia ejus, & pedes sicut similitudo æris candentis. Hæc quidem de Archangelo Michaele sunt dicta, sicut expresse dicit Glossa, cujus ibidem commendatur corpus. Describitur etiam, & vestitus: nam vestis linea candida, & circa renes deaurata, corpus etiam fuit gemmeum, igneum, & æneum: in quo ostenditur, quod duplex est continentia, scilicet corporalis, quæ quidem cum difficultate acquiritur, difficilius retinetur, sed difficillime, imo impossibiliter usque in finem sine gratia custoditur. Vestis itaque linea sive candida, refertur ad castitatis honestatem, qua hominis animus mirabiliter decoratur: deaurata vero, ad ejusdem refertur continentiæ charitatem sive pretiositatem, cui omnis virtus inæstimabilis, vel incomparabilis reputatur, juxta illud Ecclesiastici: Non est æqua ponderatio continentis animæ. Et Isaias: Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo. Quod fuit similis chrysolito lapidi scilicet maris effigiem præferenti, igni sive fulguri, & æri candenti, omnimodam significat mentis puritatem, quæ quidem acquiritur per amaritudinem contritionis, & hoc chrysolito designatur, & per inflammationem delectationis, & hoc in igne vel fulgure figuratur: & per invincibilem instantiam, & continuationem operationis, & hoc in ære cadente demonstratur, &c. & hoc est quod dicitur in Ezechiele: Erat aspectus animalium, scintillæ quasi aspectus

Dan. 10 · *Eccli.* 26 · *Isa.* 13. · *Ezech.* 1

A æris candentis, & sicut splendor ignis, & fulguris coruscantis, & quasi visio maris, &c.

Item comparantur continentes Archangelorum ordini, propter unificam simplicitatem: nam uniti per gratiam, & amorem, alios nituntur inferiores ad divinam reducere unionem, ut dicit Dionysius. Et hoc proprie convenit continentibus, qui divinæ simplicitatis sequentes puritatem, divisas carnalium affectiones nituntur abstrahere ab illicitis, & reducere ad mentis, & corporis castitatem, quia cortina cortinam trahit, sicut dicitur in Apocalypsi, & in Ezechiele. Erant autem pennæ conjunB ctæ alterius ad alterum, &c. Ideo Angeli se mutuo exhortantur ad sanctitatem, ut dicit Isaias: Clamabat alter ad alterum, dicens: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et Paulus: Esto exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & castitate.

Item propter singularem quam habent cum Domino familiaritatem: nam Archangeli specialissime dicuntur Domino assistere, sicut sibi præ cæteris magis familiares, ut dicitur in Luca: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, &c. Et in Tobia: Ego sum Raphael, unus ex septem, qui astant ante Deum. Et utique continentibus convenit, C qui ratione vitæ incorruptæ Domino familiarius videntur adhærere, sicut de innocentibus dicitur: Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quocumque ierit. Ideo Joannes virgo permanens majorem familiaritatem cum Virginis Filio habuit, & contraxit, hoc est quod dicitur in libro Sapientiæ: Incorruptio facit propinquum Deo.

Dion. de cœlest. Hier. c. · *Exo. 26* · *Apoc. ult.* · *Ezech. 1* · *Isa. 6.* · *1 Tim. 4* · *Luc. 1* · *Tob. 12* · *Apoc. 14* · *Sap. 1*

Caput III.

De Angelis.

Ultimus ordo est Angelorum. Unde Angeli sunt cœlestes spiritus ulti-

ultimam hierachiam perficientes, qui immediate se habent ad Ecclesiasticam hierarchiam, ut eam purgent, perficiant, & illuminent; ut ipsis mediantibus sit sursum ad Deum actio, conversio, communicatio, & unitio, dicit Dionysius. Est autem Angelus nomen officii non naturæ, semper enim spiritus sunt sed cum mittuntur Angeli vocantur. Unde illuminationes quas ex superioribus accipiunt, ad nos deferunt, & secundum diversos gradus vitam humanam ordinant, & disponunt, & ad divinam cognitionem nos adducunt. Unde sicut aliis ordinibus subsunt, ita hominibus præsunt, & ideo sursũ se extendunt per dilectionem deorsum progrediuntur per hominum gubernationem.

Dion. de cælesti Hier. c. 9.

Subditi misericordes Angelis assimilantur.

Et istis Angelis potissime assimilantur boni subditi, quoad exercitium misericordiæ, & compassionis: quia enim nos diligunt, ideo dona gratiarum, quæ a Deo recipiunt, nobiscum dividunt, & diligunt quantum in eis est, laborant, ut ad divinæ gratiæ participationem nos perducant. Et quamvis Deo assistant per contemplationem, moventur tamen ad nos per dilectionem, & quæ in secreto contemplationis hauriunt, sanctis animabus communicant, & transfundunt. Sic viri spirituales angelis se configurantes, operibus pietatis intendunt, & sua indigentibus distribuunt liberaliter, & impendunt. De quibus dicitur in Ecclesiastico: Isti sunt viri misericordiæ, &c. Hoc docuit Tobias, dicens. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: & si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impartiri stude. Et in Proverbiis: Per misericordiam, & fidem, &c. Et Lucas: Estote misericordes, &c. Talis fuit Job, qui dixit: Ab infantia crevit meeum miseratio, & de utero egressa est mecum. Et ille est vero misericors, qui totum suum cor impendit miseriis proximorum.

Eccli. 43 Tob. 4 Prov. 15 Luc. 6 Job. 3

Item Angelus, quia non dependet a materia corporali, transiens per materialia, & sensibilia, ab ipsis non coarctatur, nec in aliquo coinquinatur: sic boni activi transeuntes per bona temporalia, nullam ab illis contrahunt infectionem: nam ipsorum corda non dependent a terra, ideo dicit Psalmista: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Non sic est de avaris, quorum affectus omnino dependet a terrenis, ut dicit idem Psalmista: Conglutinatus est in terra venter noster. Et Joannes: Qui de terra est, de terra loquitur. Et Isaias: De terra mussitabit eloquium tuum. Et in Ecclesiastico: Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.

Psal. 61 Psal. Joan. Isa. 29 Eccl. 10

Item Angelus illis, qui magis ei sese conformant, & vicinius appropinquant, plus se communicat, & ideo comparatur luci, in Genesi, in Luca, & in Actibus. Nam sicut lux transparentia, & diaphana manifestius illuminat, contracta autem, & terrestria, propter grossitudinem sibi resistentem, non penetrat, nec immutat: sic lux Angelica sibi appropinquantes perfectius illuminat, & illustrat, & ideo ubi obstaculum improbæ voluntatis invenit, per hujusmodi affectum terrenum, & grossum se non diffundit. Ideo dicitur in libro Sapientiæ: Spiritus disciplinæ effugiet fictum. In quo per spiritum Angelicum instruimur, quantum in nobis est, omnibus benefacere, sed præcipuæ domesticis fidei humanitatis obsequium propensius exhibere, & præcipue illis, qui nobiscum maiorem habent in virtuosis operibus conformitatem, iuxta illud Sapientis: Si benefeceris, scito cui benefeceris. Pauper enim iustus injusto præponendus est, quamvis tempore necessitatis bonis, & malis sit Elemosyna facienda, iuxta illud Lucæ: Omni petenti te tribue. Ideo etiam in figura ignea leguntur Angeli apparuisse in multis locis sacræ Scripturæ: quia vis ignea omnia penetrat, & omnia purificat, & tamen perfectius illa immutat, quæ subtiliora sunt, & in sua substantia puriora, & ad susceptionem suæ impressionis sunt habiliora.

Gen. Luc. 2 Act. 12 Sap. 1 Eccli. 12 Luc. 6 Ezech. 21.

Item Angeli velocitate sua naturali, subito, & in tempore intelligibili operantur, ideo comparantur ventis Similiter in multis locis, & maxime a Psalmista, qui dicit: Volavit super pennas ventorum. Nam ventus velociter agens non valet detine-

Psal. 7

tineri, subito venit, & subito recedit, & causam motus non cognoscimus, & ubi se occultat non videmus, sic, & Angeli. In hoc etiam assimilantur viri misericordes Angelis, qui statim quando pauperis indigentiam percipiunt, manum adiutricem porrigunt, & tamquam venti, nunc occulte, nunc manifeste ad subveniendum pauperi se exponunt, sicut fecit B. Michael, qui subito, & occulte sicut ventus ad sublevationem inopiæ sui populi prosilivit, iuxta illud Sapientis: Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti. Et in Job: Si expectare feci oculos viduæ. Unde exemplo Angelorum, instruimur festinanter, & occulte, sive inintelligibiliter pauperi subvenire. Et hoc est contra aliquos, qui pauperibus bene promittunt, sed promissum non perducunt ad effectum, Contra quod dicitur: Ne dicas amico tuo vade, & revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.

Eccli. 4

Job. 31

Prov. 3

Item virtus Angelica uniformiter est permanens, & indefessa, ideo semper depingitur in forma hominis iuvenis, & hoc propter vivificam Angelorum virtutem semper convalescentem, & numquam deficientem, vel ad antiquationem pertingentem. Et hoc congruit iustis, qui a bono proposito non deficiunt, sicut faciunt aliqui, qui liberales, & prodigi sunt in juventute, sed ad avaritiam se convertunt in senectute, & tunc potissime in horrea congregant, & temporalia coadunant, quando morti vicinius appropinquant, sicut legitur fecisse dives ille stultus in Luca: Hac nocte repetent animam tuam, &c. Sed vir Angelicus numquam torpescit ab exercitio operum charitatis immo tanto plus proficit in virtutibus, quanto procedit amplius in diebus: sicut de Aser dicitur in Deuteronomio: Sicut dies juventutis tuæ, ita, & senectus tua. Et in Psalmo: Senectus mea in misericordia uberi, sicut, & Caleb cum esset octogenarius, ita fortis fuit ad gradiendum, & pugnandum, sicut tempore juventutis, Et in Psalmo: Renovabitur ut aquilæ iuventus tua, &c.

Luc. 12

Deut. 33
Psal. 91
Jos. 14

Ps. 102

Item Angeli habent virtutem mo-

A tivam semper in divina procedentem, & ideo Angeli alati, & pennati describuntur. Alis enim, & pennis a terra volucres elevantur, sic boni, & Angelici viri, alis geminæ charitatis, ab amore terrenorum, affectu, & voluntate separantur, & ad cælestia mente ab omni cura terrenorum expedita, elevantur. Istæ sunt duæ alæ, quæ datæ sunt mulieri, ut fugeret in desertum, ut dicitur in Apocalypsi, & Isaia: Assument pennas ut aquilæ. Et ideo describuntur Angeli in figura aquilæ, & significant sublimem ascensum Angelorum, & hominum in divina, quando quæ sursum sunt, diligunt, & non quæ super terram.

Ezec. 1
& Isa. 6

Apoc. 12
Isa. 40

B Alas quidem non aquilæ, sed potius milvi habent impii, raptores, & avari, pauperum oppressores, quibus non elevantur ad cælum, sed potius deprimuntur ad infernum, ut dicit Zacharias: Datæ sunt ei alæ milvi, & delata est in campum Senaar, quod interpretatur fœtor, & signat infernum, ubi deferuntur impii duplici ala adiuti, scilicet ala cupiditatis, & ala malignitatis. De quibus Hieremias: In alis tuis, inventus est sanguis pauperum.

Zach. 5

Hiere. 2

Item Angeli tanta lege obedientiæ sunt astricti, quod numquam ad aliud deflectuntur, nisi ad illud solum, ad quod Dei ipsis præsidentis nutu, & imperio ducuntur, & ideo

C in figura equorum sæpius describuntur. Nam sicut equus circumducitur fræno: sic ipsi divino imperio circumaguntur: ita viri sancti in statu subjectionis constituti, velut equi ad Dei laudem infrænati, ab obedientiæ legibus non recedunt: sed nunc se exhibent Deo, tamquam albos equos per vitæ munditiam, & castitatem, nunc etiam ut nigros per humilitatem, & nunc rubeos sive igneos per fervidam charitatem, nunc varios per multiplicis meriti diversitatem. De his equis dicitur: Numquid præbebis equo fortitudinem? Et in Proverbiis: Equus paratur ad bellum, &c. Et in Zacharia: Visitavit Dominus exercituum gregem suum, domum Juda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello. Et in li-

Job. 39
Prov. 21
Zach. 10

2. Machab. 10 libro Machabæorum: Apparuerunt
adversarii de cælo viri quinque in
equis, frænis aureis decori, &c. &
in his puritas conscientiæ, & ducti-
litas obedientiæ designantur, nam
talibus frænis Dei iumenta refrænan-
tur, quia a voluntatis propriæ im-
petu voluntarie coarctantur. Unde
Jac. 3 Jacobus: Equis fræna in ora mitti-
mus, ad consentiendum nobis, & o-
mne corpus eorum circumferimus, &c.

Item Angeli quamvis ad diversa,
& contraria sint missi, tamen in se
contrariis affectionibus, & animi
motibus non afficiuntur, & ideo ve-
Zach. 1 stimenta varia, & aureis zonis con-
Apoc. 1 stricta habuisse dicuntur. Nam An-
Dan. 10 gelus habet virtutem servandi firmi-
ter, & coadunandi, & suas, & sub-
ditorum affectiones, ut singulæ, &
universæ in Deum iustificentur, &
ad ipsum reducantur, sicut vestes ne
decidant circa corpus zona colligantur.
Et hoc proprium est existentibus in
activa vita, ut quamvis corpora cir-
ca diversa sint distracta, corda ta-
men quoad intentionem finis semper
Act. 4 in Domino sint unita, sicut fuerunt
corda discipulorum. De quibus di-
citur; Erat omnibus cor unum &
anima una in Domino: Varia ipsa
vestimenta, varia sunt virtutum ope-
ra, quæ zona charitatis quæ est
vinculum perfectionis, ad finem uni-
Luc. 12 cum uniuntur, iuxta illud Lucæ:
Eccl. 45 Sint lumbi vestri præcincti, & lu-
cernæ, &c. Lumbi quidem cingulo
castitatis, sed pectus zona aurea cha-
ritatis. Et in Ecclesiastico: Circum-
cinxit eum zona iustitiæ, &c.

Item quando ad exteriora mittun-
tur, orationes, & merita singulo-
rum vel demerita, sub certo iusti-
tiæ, pondere, & mensura, ad Deum
reducere perhibentur, ut patet in
Tob. 12 libro Tobiæ. Ideo instrumenta men-
Ezec. 40 surandi; & ponderandi in manibus
Apoc. 21 gestare videntur, quibus sunt simi-
Amos 7 les viri iusti, qui non solum pro-
pria, verum etiam aliena nituntur
apud Deum in orationibus, & gra-
tiarum actionibus habere recommen-
data. Eamdem enim mensuram gra-
tiæ, & gloriæ a iusta Dei providen-
tia profuturam desiderant, quam
ex proprio merito a summo iudice

Aiam expectant. Unde Paulus. De 2 Tim. 4
reliquo reposita est mihi corona iu-
stitiæ, &c.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

PARS QUARTA.

Quæ mutila, ac imperfecta est.

*Cœli nomine varia in Scriptura signifi-
cari, & quomodo nomine cœli signi-
ficentur Angeli.* Cap. I.
*Cœlorum nomine quomodo Apostoli san-
cti significentur.* Cap. II.
B *Cœlorum nomine auctoritas judicum,
& prælatorum designatur.* Cap. III.
*Cœlorum nomine religiosi, & contem-
plativi significantur.* Cap. IV.
*Cœlorum nomine Doctores sacræ Scri-
pturæ significantur.* Cap. V.
Firmamenti nomine Christus significatur.
Cap. VI.
*Cœli natura, & proprietas, quomo-
do B. Virgini Mariæ conveniant.*
Cap. VII.

CAPUT I.

*Cœli nomine varia in Scriptura signifi-
cari, & quomodo nomine cœli
significentur Angeli.*

C VOCAVIT Deus firmamentum cœ-
lum, &c. Viso qualiter ordi- Gen. 1
nes Angelorum figurative possint
adaptari diversis ordinibus homi-
num electorum, nunc ad intuen-
das cœli, & cœlestium corporum
proprietates est breviter transeun-
dum. Et cum sit multiplex cœlum,
ex consideratione proprietatum cor-
porum cœlestium, multiplicem pos-
sumus elicere mysticum intellectum.
Dicitur enim in Deuteronomio: En Deut. 10.
Domini Dei tui cœlum est, & cœ-
lum cœlorum, &c. Ibi dicit Glos-
sa: Nonnulli dicunt septem esse cœ-
los. Primum aereum, secundum
æthereum, tertium olympium, quar-
tum igneum, quintum firmamen-
tum, sextum aqueum sive crystalli-

 num,

num, septimum empyreum. Nomine igitur cœlorum intelligere possumus statum, & dignitatem tam hominum, quam Angelorum electorum, quorum conversatio in cœlis est.

Cœli nomine varia in Scriptura significantur.

Cœli itaque nomine, quandoque in Scriptura intelligitur puritas Angelorum, quandoque dignitas sanctorum, quandoque potestas sive auctoritas, quandoque sublimis vita, & conversatio justorum, quandoque occultatio divinorum judiciorum. Cœlo igitur primo, scilicet empyreo puritas Angelica comparatur, de quo dicit Basilius: Cœlum primum est natura simplicissimum, de corpulentia habens naturam subtilissimam, & tamen solidissimam, primum mundi inferiorum contentivum, ordinativum, & informativum: quod propter suam dignitatem est singularis Dei sedes, sive habitaculum nuncupatum. Hæc omnia beatissimis spiritibus congruunt, in quibus singulariter requiescit Deus per aptissimam, & ordinatissimam voluntatis conformitatem. Unde dicit Isaias: Cœlum sedes mea est, &c. Et Psalmista: Dominus in cœlo sedes eius. Et iterum: Dominus in cœlo paravit sedem suam Et in Apocalypsi dicitur: Et ecce ostium apertum in cœlo. Et parum infra: Et ecce sedes posita erat in cœlo, supra sedem sedens.

Basilius. *Isa ult.* *Psalm. 10* *Psal. 192* *Apoc. 4*

Dicuntur itaque Angeli cœlum, propter omnimodam incorruptionem, & naturæ suæ puritatem, nihil enim habent corpulentiæ, qui ab omnibus corporis passionibus sunt divisi. Ideo dicitur in Exodo: Sub pedibus ejus, quasi opus lapidis sapphiri, & quasi cœlum cum serenum est. Unde sicut cœlum serenum, serena est, & pura natura Angelorum, cui nulla prorsus adhæret oppilatio carnalium passionum, nulla attingit infectio morum vel affectionum.

Exo. 24

Item secundo subtilissimi sunt quantum ad intelligentiæ perspicacitatem, unde dicit Psalmista: Qui fecit cœlos in intellectu. Quia quanto sunt Deo viciniores, tanto in secretis divinis, & arcanis Dei sunt subtiliores, & ad videndum omnia in speculo aptiores. Dicit enim Ezechiel: Plenus sapientia, & perfectus decore, &c.

Psal. 135 *Ezech. 28*

Item tertio solidissimi sunt quantum ad naturæ incorruptæ perpetuitatem, & fixam ac stabilem in Deo voluntatem sicut dicit Job: Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt: ibi Glossa: Angelici spiritus, qui in cœlestibus sunt conditi, per cœlos exprimuntur, qui ab integritate etiam acceptæ fortitudinis, nulla mutabilitatis rubigine consumuntur. Ideo dicitur in Ezechiele: Et similitudo super capita animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis. Crystallus firmam soliditatem habet, & radium solis in se recipiens ignem emittit, sic divini spiritus soliditatem habent in constantia virtuosæ actionis, & perspicacitatem in perceptione divinæ illuminationis. Unde dicitur in Apocalysi: Ostendit mihi fluvium aquæ vivæ tanquam crystallum procedentem de sede Dei. Per fluvium crystallinum de sede procedentem, possumus intelligere abundantiam virtutis, & gratiæ, quam divina virtus per Angelorum ministerium in nobis operatur.

Job. 37 *Ezech. 1* *Apoc. 22*

Item quarto quantitate sunt maximi, non per dimensionem, sed per virtutem, & potestatem. Immensam enim habent altitudinem, quoad divinorum præceptorum * immensam latitudinem, quoad com pletissimam dilectionem: maximam profunditatem, quoad secretorum cognitionem: Unde in Ecclesiastico: Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus, &c. Et Isaias: Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit: Glossa: Ut divina manus cœlestium spirituum potentiam ponderat, & eorum virtutes numerat, & mensurat.

* deest forsan impletionem, aut aliud simile.

Eccli. *Isa. 40*

Item quinto qualitate sunt lucidi sunt cœli per scientiæ, & sapientiæ claritatem. Nam cœlestes spiritus illuminantur a fonte primi luminis per sapientiæ receptionem, & alios illuminant per gratiæ susceptæ communicationem: juxta illud Apocalypsis:

Apoc. 18

lypsis: Vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est a gloria eius. Et Lucas: Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, &c. Et in Actibus: Angelus Domini astitit, & lumen refulsit, &c.

Luc. 2 Act. 12

Item sexto figuratione sunt sphærici per continuationis contemplationem, quia mens Angelica a fonte primi luminis primas recipit influitiones, quas postea ad alios diffundit, & diffundendo, & communicando, illos quibus communicat, ad Deum revocat, & reducit. Unde affectus Angelicus circulariter movetur, quia primo movetur in Deum, & de Deo in proximum per dilectionem, & iterum a proximo movetur in Deum per dilectionis extensionem, & continuationem. Unde dicitur in Ezechiele: Ibant, & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. In quo notatur motus circularis in Angelica affectione. Fulgur enim, sicut ibi dicit Glossa, ab igne exit, & discurrens subito ad ignem tamquam ad matricem redit: sic spiritus Angelicus a Deo gratiæ influentiam per contemplationem recipit, & communicando aliis per gratiarum actionem ad Deum, qui est ignis consumens, redire non desistit, exit ministrando, redit laudando, & contemplando, iuxta illud Ecclesiastici: Gyrum cœli circuivi sola, &c. Et Psalmista Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus, hostiam vociferationis, &c. Apocalypsis: Omnes Angeli stabant in circuitu Throni. Et Ezechiel: Splendor erat in circuitu eius.

Ezech. 1 Eccli. 24 Psal. 26 Apoc. 7 Ezech. 1

Item septimo situ sunt supremi, non per circumspectionem, sed per dignitatem, nam dignitate naturæ, & officio excellunt alias creaturas, sicut cęlum alia præexcellit elementa. Tanto enim sunt omnibus superiores, quanto Deo per familiaritatem, & gratiam sunt propinquiores. Unde dicit Job: Suscipe cęlum, & intuere æthera, quod altior te sit. Ibi Glossa: In cęlo, & in æthere supernas accipere possumus potestates, quas jubemur ut intueamur, ut cum Angelicos spiritus longe a nobis distare conspicimus, ab ipso Creatore spirituum quantum differamus, cognoscamus.

Job. 35

Item octavo omnium inferiorum sunt contentivi, quantum ad charitatem. Nam ex affectu dilectionis, Angeli hominibus electis administrant, & inesse gratiæ detinent, & conservant, sicut dicitur in Psalmis: Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te, &c. Et iterum: Immittit Angelus Domini in circuitu, &c. Et Sapiens: Et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Et Esther ait: Tu fecisti cęlum, & terram, & quidquid cęli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.

Psal. 90 Psal. 33 Sap. 1 Esth. 13

Item nono omnium inferiorum ordinativi: nam circuli cęli ordinate se intersecant, & hæc inferiora nunc calore, nunc frigore odinant, & immutant: sic cęlestes spiritus in se ordinati aliorum sunt ordinativi, dicente Job: Numquid nostri ordinem cęli aut rationem ejus pones in terra? &c. Ordinem cęli noscere est dispositionem supernarum virtutum videre. Rationem ejus ponit in terra, qui vitam suam disponit secundum cęlestia, & Angelorum patrocinio affectionem suam erigit ad æterna. Et Hieremias: Templum juxta ordinem suum fundabitur, &c. ad Galatas dicitur: Ordinata est lex per Angelos in manu mediatoris. Ex his igitur novem cęli proprietatibus, manifestum est Angelicam naturam in scriptura cęlum aptissime nuncupari.

Job. 38 Hier. 30 Gal. 3

CAPUT II.

Cœlorum nomine quomodo Apostoli sancti significentur.

COElorum etiam nomine Apostoli sancti possunt merito designari, de quibus Job: Spiritus Domini ornavit cęlos, ubi dicit Gregorius: Nisi Apostoli Christi promissa Paracleti dona percepissent, nullo virtutis decore claruissent. Hæc vitam cęlestem, & conservationem spi-

Job. 26 Greg. l. 17. Mor. c. 19 cir. fin.

Isa. 49 spiritualem advocavit. Unde Isaias
dicit: Posui verba mea in ore tuo,
& in umbra manus meæ protexi te,
ut plantes cælos, & fundes terram.
Psalm. 18 Hi sunt cæli, qui ubique enarrave-
runt gloriam Dei, qui cælos stabi-
liunt prudentia, cujus rore nubes
Prov. 3 concrescunt, ut dicitur in Prover-
biis. Nam sanctorum Apostolorum
vita pariter, & doctrina, universus
mundus quasi rore quodam saluti-
fero, medullitus irrigatur, ut dici-
Deut. 33 tur in Deuteronomio: Caligabunt
cæli rore. Ibi dicit Glossa: Tunc
Apostoli fuerunt quasi cæli rore ple-
ni, quando subtili, & suavi doctri-
na Christi cælitus sunt imbuti. Non
enim fructificat quod hujus roris per-
Isa. 45 fusio non fœcundat. Ideo Isaias præ-
sentiam Apostolorum desiderans, ex-
clamat dicens: Rorate cæli desuper,
& nubes pluant, &c. Fuerunt ita-
que Apostoli quasi cæli, sed aerei in
ipsorum vocatione, quando, scilicet
a terrena conversatione elevati divi-
nis laudibus, & proximorum profe-
ctibus a Domino sunt deputati. Nam
aer a terra elevatur, & substantiæ
suæ subtilitate cælo assimilatur, &
propter conformitatem quam habet
in cælo, sæpius in Scripturis aeris
interstitium cælum nuncupatur, si-
Matt. 13 cut Matthæus dicit: Venerunt vo-
Psal. 103 lucres cæli, & comederunt ea. Et
Job. 12. in Psalmis: Super ea volucres cæli
habitabunt, ait etiam Job: Volati-
lia cæli indicabunt tibi. Nam Apo-
stoli doctores fidei virtutum pennis
de terrenis elevati, prædicationis
discursu per mundum universum cir-
cumvolaverunt, & velut cæli aerei
nunc tonantes minis, nunc pluen-
tes doctrinis, nunc miraculis coru-
scantes, sopitorum corda in peccatis
salubriter commoverunt, sicut scri-
Psal. 76 ptum est in Psalmis: Illuxerunt co-
ruscationes tuæ orbi terræ, vidit,
& commota est terra. Et in libro
Judi. 5 Judicum: Terra mota est, cælique
ac nubes distillaverunt aquis. Item
cæli, scilicet ætherei sunt facti in
ipsorum perfectione, sive in perfe-
cta vitæ Christi imitatione. Æther
enim naturam ignis imitatur, ignis
est Christus, qui est ignis consu-
Deut. 4 mens. Unde in Deuteronomio: Do-

A minus Deus tuus ignis consumens
est cujus puritatem tam in vita,
quam in doctrina, Apostoli post eo-
rum vocationem perfectissime sunt
secuti. Unde Job: Suspice cælum, Job. 35
& intuere, & contemplare æthera,
&c. Quasi dicat. Considera æthe-
ream, & cælestem conversationem
in Apostolis, qui exemplo Christi
omnia contempserunt in terris, ut
suo Regi essent similes, qui habitat
in supernis. Unde dicitur in Pro-
verbiis: Quando præparabat cælos Prov. 8
aderam, quando æthera firmabat
sursum.

Item cæli ignei sunt effecti in
Spiritus sancti missione, quando a
Christo vocati, & ipsius vestigia
B plenissime imitati, igne cælesti in
adventu Spiritus sancti sunt reple-
ti, & quidquid in eis fuerat infir-
mitatis vel imperfectionis, in istius
ignis præsentia penitus est consum-
ptum, juxta Sophoniam: In igne Soph. 3.
enim zeli mei devorabitur omnis
terra, &c. Et in Threnis: De excel- Thren. 1
so misit ignem in ossibus meis,
idest, charitatis fervorem in Apo-
stolis, per quorum igneam conver-
sationem universalis Ecclesia amore
Christi est undique inflammata. Zach. 12.
Unde dicit Zacharias: Ponam du-
ces Juda sicut caminum ignis in li-
gnis, & sicut facem ignis in fœno,
& devorabunt ad dexteram, & sini-
stram omnes populos, &c. Duces
C Juda fuerunt Apostoli primitivi, qui
dicuntur Ecclesiarum Principes, &
belli Christi triumphales duces, qui
charitatis camino succensi, quidquid
fuit in se, & in aliis ligni, stipu-
læ, vel fœni omnino annihilaverunt,
& populos credentes per fidem, &
amorem Christo incorporantes, in
igneam, & cœlestem conversationem
transtulerunt, juxta illud Levitici: Levit. 9
Egressus ignis a Domino devoravit
holocaustum, & adipes qui erant
super altare. Et in 3. Regnum: Ce- 3. Reg. 18.
cidit ignis Domini de cœlo, & vo-
ravit holocaustum, & ligna & lapi-
des pulverem quoque, & aquam,
quæ erat in aquæ ductu lambens, o-
mnia enim peccata mortalia, & ve-
nialia, carnalia, & spiritualia, ve-
lut pulverem, & ligna spiritus igni-
tæ

tæ charitatis, per Apostolorum ministerium in hominibus consumebat, & in cælestem ac igneam naturam convertebat.

Item quasi cœli siderei refulserunt in miraculorum perpetratione, quando, scilicet divino Spiritu repleti, miraculis claruerunt, & veritatem fidei, quam docebant, prodigiorum ostensione, & cœlestis virtutis approbatione, tam efficaciter affirmarunt, quod nec sapientes mundi, nec etiam tyrannorum, gladii fulgorem fidei extinguere potuerunt.
Habacuc.3 Habacuc ait. Ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ. Nam fulgore miraculorum, quasi cum hasta Petrus, & Paulus Simonem magum deiiciebant, & Neronem Romano- B rum Principem, virtuosis operibus
Judic. 5 devincebant, juxta illud Judicum: De cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine suo, &c. tot itaque sideribus refulserunt, quot miraculis, & virtuosis operibus claruerunt: ideo dicitur in Genesi,
Gen. 1 quod fecit Deus stellas, & posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent, &c. Et in eodem: Suspice cælum, & numera stellas, sic erit semen tuum. Unde dicitur in Ecclesiastico: Species cæli, est gloria stellarum.
Gen. 15 Eccli. 43

Item crystallini effecti sunt cæli in ipsorum passione, quando nulla injuria, nulla tormenti violentia potuerunt a fide Christi dividi vel C avelli, ut patet ad Romanos, ubi
Rom. 8 dicitur: Quis nos separabit a charitate Christi; Unde fidem, quam dicebant, per passionis constantiam roborabant, & ad moriendum pro fide alios animabant. Unde dicitur
Ezec. 1 in Ezechiele: Similitudo firmamenti, quasi aspectus crystalli horribilis. Crystallus primo est aqueus, & fluidus, sed perflante vento, coadunatione partium fit solidus, atque durus. Aqueus, & fluidus fuit Petrus, quando ad vocem ancillæ dum mori timuit, auctorem vitæ se noscere denegavit: sed per venti flatum, id est, per Spiritus sancti adventum, fuit ipse in firmitatem crystallinam subito induratus, quando di-
Act. 4 xit in Actibus: Non enim possumus

Aquæ audivimus, & vidimus non loqui, per Ecclesiasticum. Gelavit crystallus ex aqua. Eccli. 43.

Cæli vero empyrei facti sunt in eorum glorificatione: nam cælum empyreum totum splendidum est, nihil habens tenebrarum, quod sanctis glorificatis convenit, quorum splendor cæli splendorem superavit. Unde Tobias: Luce splendida fulgebis. Et Ecclesiasticus: Vas castorum in firmamento cæli resplendens. Et Daniel: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et Sapiens: Et fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Et Isaias: Implebit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit.
Tob. 13 Eccli. 43 Dan. 12 Sap. 3 Isa. 58

Caput III.

Cælorum nomine auctoritas Judicum, & Prælatorum designatur.

Patet itaque, quod merito S. Apostoli dicti sunt cæli, quibus assimilari debent prælati ipsorum successores, nomine enim cælorum intelligitur auctoritas judicis, & prælatorum, qui sicut in officii dignitate, sic in merito, & vitæ sanctitate cælestem Apostolorum conversationem deberent in seipsis exhibere. Auctoritas enim Apostolica in cælestibus sacramentis distribuendis, in verbi vitæ * ministeriis exponendis, in sopiendis litibus, & judiciis faciendis, ad Ecclesiarum prælatos est ex ordinatione Dominica derivata. Cælestis igitur debent esse virtutis, & naturæ, qui se, & alios debent de cælestibus expedire. In hujus rei figuram Dominus manna de cælo pluit, ut habetur in Exodo, De cælo docuit. Et alibi: Vos vidistis, quod de cælo locutus sum vobis, de cælo etiam leges, & judicia Hebræorum populo promulgavit, ut patet in Deuteronomio, & Exodo, ut sic cæli nomine nos patenter instrueret, quod officium conficiendi panem vitæ, docendi etiam, & judicandi alios, nullus sibi assumeret, qui cælestem naturam scientia, & moribus non haberet. Propter quod dicit Psalmista:
*mysteriis. Exo. 16 Exo. 20 Deut. 5 Exo. 20 Ps. 21 Ps. 22

sta: Annuntiabunt cæli iustitiam A ejus. Non enim possunt annuntiare *Psal. 49* Dei justitias homines impii, & terreni. Unde Psalmographus: Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas: Sed cæli, id est, cælestes viri, quorum conversatio in cælis est, ad cæleste officium sunt digni.

Dicuntur autem prælati cæli propter plura. Primo quia sunt luminosi, & luminis diffusivi sicut cælum: quod bonis prælatis convenit, qui sunt luminosi in se per conscientiæ puritatem, & lumen ad alios diffundunt per doctrinam, & sanctæ conversationis claritatem, quibus dicit Dominus: Vos estis lux mundi. *Matt. 5* Et ibidem: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera B *Eccl. 43* vestra bona. Et in Ecclesiastico: Species cæli, gloria stellarum mundum illuminans, &c. Sic lucidi fuerunt Apostoli, & alii patres primitivi, ut patet in Moyse, qui ex consortio Dei in monte, tantam contraxit claritatem in facie, quod ejus vultum non poterant Judæi intueri, *Exo. 34* ut patet in Exodo. Plurimi autem prælati moderni temporis hanc claritatem perdiderunt. Unde dici potest illud *Hier. 4* Hieremiæ: Aspexi cælos, *Isa. 13* & non erat lux in eis. Et Isaias: Stellæ cæli, & splendor earum non *Ezech. 32* expandent lumen suum. Et Ezechiel: Et operiam cum extinctus fuerit cælos, nigrescere faciam, & stellas ejus. Et quia prælati nec in C vita, nec in scientia sunt luminosi, ideo non est mirum si subditi fue- *Tob. 5* rint tenebrosi, sicut Tobias, qui di- *Amos 8* xit: In tenebris sedeo, & lumen cæli non video. Et Amos: Tenebrescere faciam terram in die luminis, &c.

Item secundo uniformiter sunt motivi, & in suo motu velocissimi. Cælum enim est mobile, & inquietum, cujus motus est revolubilis super medium, idest, super axem, in quo ostenditur bonorum prælatorum diligentia, & solicitudo circa curam, & salutem suorum subditorum, qui more cæli prædicando moventur, juxta illud Ecclesiastici: Ec- *Eccli. 16* ce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. Virtus enim motiva cæli rapit firmamentum ab Oriente in Occidentem, & iterum redit de Occidente ad Orientem: sic vir perfectus a quiete contemplationis procedit ad laborem prædicationis, & iterum peracto exercitio operis, procedit orando, sicut fecit Moyses, qui postquam fregerat vitulum, & corripuerat populum, ait ad populum: Pec- *Exo. 32* castis peccatum maximum, revertar ad Dominum, si quo modo quivero ipsum deprecari pro scelere isto. Re- *Ibidem.* versusque ad Dominum ait: Obsecro Domine, aut dimitte ei hanc noxam, &c. In Exodo: Sic autem obsecrantes libenter exaudit Deus: Et in Osea: In die illa ego exaudiam *Ose. 2* cælos, & cæli exaudient terram. De hoc motu circulari dicitur in Ezechiele: Ibant & revertebantur *Ezech. 1* in similitudinem fulguris, &c. Et in Job: Lustrant per circuitum quo- *Job. 37* cumque eas voluntas gubernantis duxerit. Et in Ecclesiaste: Lustrans *Eccl. 1* universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur, se movendo, se, & circumeundo, cælum semper volvitur circa axem, cui innitens medium numquam derelinquit. Axis est Christus, cui per intentionem, & amorem semper adhæret, & innuitur vir perfectus, & talis medium virtutis non deserit, qui mediatori Dei, & hominum in omnibus suis operibus se conjungit.

Item tertio cælum continuatione sui motus est principium generationis, & corruptionis effectivum, & hoc proprie convenit prælatis, qui filios gratiæ per Evangelium Domino generant, & virtutum germina in subditorum cordibus radicantes, vitium extrahunt, & extirpant, & jure doctrinæ salutaris irrigant, & fœcundant. Et Isaias: Quomodo de- *Isa. 55* scendit de cælo imber, & nix, & inebriat terram, & infundit eam & germinare facit ipsam: sic verbum quod procedit, &c. Et Zacharias: *Zach. 8* Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum. Si cæli tempore nostro essent roriflui, id est, Prælati essent dono cælestis sapientiæ repleti, tunc uti-

utique populares & subditi fructiferi A fierent & fœcundi: sed quia Prælati aridi sunt & duri, ideo non proficiunt subditi. Ideo dicitur in Deuteronomio: Sit cœlum supra te æneum, & terra quam calcas ferrea. Et sequitur: De cœlo descendat super te cinis. *Deut. 28.*

Item quarto cœlum est siderum errantium repressivum: nam violentia sui motus planetas evagantes retrahit, & motu diuturno ab Oriente in Occidentem post se rapit. Stellæ errantes, subditi sunt peccantes, ut in Canonica Judæ: Sidera sunt errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. Et in Job: Obtenebrentur stellæ caligine eius, &c. Ibi ait Gregorius: Quos serpens tortuosus durus per malitiam ad necem percutit, fuisse latentes hypocritas velut stellas caliginosas ostendit, ut quales interius fuerint latenter in prosperis, evidenter pateat in adversis. De his stellis ait Job: Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Horum siderum motum inordinatum cœli, id est, iusti Prælati cœlestis legis iudicio reprimunt, quando talium excessus corrigunt, & correctos ad frugem melioris vitæ provehunt & compellunt. Unde Paulus: Corripite inquietos. Et Psalmista: Cœli distillaverunt a facie Dei Israel, &c. Tunc cœlestes animi non furoris grandinem, sed imbris dulcedinem C stillant, quando divinam clementiam circa peccatores intuentes, non cum severitatis impetu, sed blandientis animi affectu, mentes corrigunt & castigant. Unde Psalmista: Corripiet me vir iustus in misericordia & increpabit me, &c. Et Hieremias: Corripe me, verumtamen in iudicio, & non in furore, ne forte, &c. *Juda. Job 3. Job 25. 1. Thessal. ult. Ps. 67. Ps. 140. Hier. 10.*

Item quinto cœlum est inferiorum informativum, inferiora enim sunt in superioribus tamquam in propriis formis ut dicit Philosophus, quia secundum varias corporum impressiones figurantur, & formantur species inferiores. Et hoc prælatis congruit, quorum vita vitæ subditorum debet in omnibus esse forma, sicut dicit Petrus in 1. Canonica: Forma facti gregis ex animo, &c. Et 2. ad Thessalonicenses: Ipsi scitis, qualiter oportet vos imitari nos, quoniam non inquieti fuimus, &c. Et sequitur, Non quasi non habuerimus potestatem: sed ut nos metipsos daremus vobis formam ad imitandum nos. Et ad Philippenses: Imitatores mei estote, & observate eos; qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Forma enim debent esse subditorum in doctrina veritatis. Et ad Romanos: Confidis te esse ducem cæcorum, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege. Et ad Thessalonicenses: Forma facti estis omnibus credentibus in Macedonia. *1. Pet. 5. 2. Thess. 3. Philip. Rom. 2. 1. Thess. 1.*

B Item in munditia castitatis, ut patet ad Timotheum: Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, & in castitate. *1. Tim. 4.*

Item in excellentia humilitatis, dicitur enim in Ecclesiastico: In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curvabit virtutem suam, Prima forma informat animam ex parte rationalis, secunda ex parte concupiscibilis, tertia ex parte irascibilis. Sed ne aliquid in subditis relinquatur non formatum, informandi sunt a suis superioribus ultima forma, scilicet forma perfectissimæ charitatis, de qua dicitur in Sapientia: Amator factus sum formæ illius. Istius formæ impressor fuit Paulus cum dixit: Imitatores Dei estote sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione. Ad tales informationes cœlestes in subditis imprimendas, invitavit Deus Moysen, cum dixit. Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Opera itaque prælatorum, velut quædam exemplaria cœlestia objicienda sunt oculis subditorum. Unde Psalmista: Quoniam videbo cœlos tuos, &c. *Eccli. 38. Sap. 8. Ephes. 5. Exod. 25. Psal. 8.*

Item sexto cœlum est omnium motuum inferiorum dimensivum: nam motus cœli est primum temporis subiectum, & omnium motuum inferiorum mensura. Unde qui motum corporis cœlestis non con-

considerat, in computatione temporis multum errat. Sic auctoritas & iurisdictio Prælatorum regula est & mensura subditorum: nam iuxta ordinatum motum voluntatis superiorum, moveri debent corda & voluntates inferiorum. Ipsorum enim est officium, subiectorum corda discutere, & de singulorum factis rationem & computum exigere: quia de factis subditorum reddituri sunt rationem, quando dicetur illud Hieremiæ: Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Et Ezechiel: De manu tua requiram. Et 3. Regum: Custodi virum iustum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius: Et ad Hebræos: Ipsi pervigilant, quasi reddituri rationem pro animabus vestris, ideo motus & affectiones oportet mensurare, & cognoscere merita singulorum, sicut dicit Salomon; Diligenter cognosce vultum pecoris tui, ne scilicet contingat errare in reddendo rationem. Et Job: Quis enarrabit rationem cœlorum? &c. Difficile utique est enarrare, quam districtam requiret a Prælatis de subditis rationem, quando dicet unicuique: Redde rationem villicationis tuæ. Et Isaias: Visitabit militiam cœli in excelso, & super reges qui sunt super terram.

Hier. 13. Ezech. 3. 3. Reg. 20. Heb. ult. Prov. 27. Job 38. Luc. 16. Is. 24.

Item septimo cœlum aquarum superiorum & inferiorum discretivum est, sicut dicitur in Genesi: Posuit firmamentum in medio aquarum, & divisit aquas ab aquis, & signat Prælatos Ecclesiæ, qui fidei firmitate, & fortitudinis robore, contemplativos quasi superiores aquas sursum tenent, ne labantur ad inferiora, & sæcularibus negotiis se implicent, & sæcularibus implicitos quasi aquas mobiles sub se coercent, ne tranquillitatem contemplativorum perturbent. Discernunt etiam inter bonos, qui cœlestem habent puritatem, & malos qui carnalem habent fluiditatem, spirituales, scilicet sursum tenendo per consolationem carnales deprimendo, & compellendo subire correctionem. Vita etiam prælatorum inter vitam contemplativam & activam, quasi in medio fir- A mata est, & quasi ex utraque compacta, eorum etiam diligentia se debet interponere mediam inter huius mundi divites & tyrannos, & inter pauperes ac infirmos, ne sinant violentiam divitum transire in oppressionem pauperum, nec insolentiam pauperum in fraudem & contemptum potentium, sive suorum dominorum, ideo in persona boni Prælati dicitur de Joseph in Ecclesiastico: Natus est homo princeps firmamentum gentis, stabilimentum populi, &c. Proprie igitur nomine cœlorum significatur in scripturis potestas prælatorum, qui auctoritate & potentiæ Christi Ecclesiam disponunt & gubernant, sicut B cœli inferiora mundi elementa ordinant & immutant.

Gen. 1. Eccli. 49.

Caput IV.

Cœlorum nomine religiosi & contemplativi significantur.

Cœlorum etiam nomine intelligitur sanctitas religiosorum, sive cœlestis & sublimis conversatio contemplativorum, in quorum mentibus pacificis & quietis, divina virtus tamquam in cœlis singulariter requiescit, iuxta illud Isaiæ: Cœ- Is. 66.
C lum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum, &c. De his cœlis dicit Psalmista: Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine. Hi cœli sunt claustrales & contemplativi, qui ad cœlestem vitam divina gratia elevati, in divinæ laudis confessione continue perseverant: quia sicut dicit Glossa, Ante suam conversionem ad pœnitentiam, heri fuerant vorago ebrietatis, hodie ad Deum conversi, effecti sunt ornamentum sobrietatis: heri cœnum luxuriæ, hodie decus temperantiæ, heri blasphematores, hodie Dei laudatores: heri serviebant creaturis, hodie effecti sunt servi Creatoris. Ps. 88.

Dicuntur autem tales cœli propter plura. Primo propter remotissimam ab amore terrenorum elongatio-

gationem: nam cælum æquis spatiis A a centro terræ est remotissimum: sic contemplatores cælestium ab omni cura temporali abstracti, locum sibi vendicant superiorem, Deo scilicet & Angelis propiorem, sicut dicit anima contemplativa in Ecclesiastico: Ego in altissimis habito, &c. Et in Proverbiis: Cælum sursum, & terra deorsum, sic cor regum inscrutabile, id est, imperscrutabilis est affectio illorum, qui bene se regunt. Non a carnalibus potest experiri, quid dulcedinis de Deo suo sentiunt; qui contemplationis volatu per cælestia se diffundunt: ideo via aquilæ in cælo a Salomone difficilis indicatur in Proverbiis, quia quod contemplativæ mentes in raptu contemplationis de divina dulcedine hauriunt, a mundi amatoribus ignoratur, iuxta illud Ecclesiastici: Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit. De istius cæli altitudine iam multi corruerunt, qui cælestem gratiam parvipendentes, & amorem terrenorum velut canes ad vomitum redierunt, & professionis suæ altitudinis iam obliti, mundi huius immunditiis adhæserunt. Ideo dicit Isaias: Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, &c. de hoc alias.

Eccli. 24. *Prov. 25.* *Prov. 30.* *Eccli. 17.* *Is. 14.*

Secundo propter cælestis munditiæ imitationem, nam propter subtilitatem suæ essentiæ cæli sunt purissimi, & ab omnis corruptionis immunditia alieni, sicut dicit Aristoteles, Corpus cæli non ingreditur corruptio, nec generatio, &c. Sic contemplativi cælestem puritatem æmulantur, & in omni cordis & corporis munditia puritati cælesti per confessionem continentiæ conformantur. Et ideo in castis & lucidis religiosorum mentibus specialiter requiescit, iuxta illud Psalmi: Ponam thronum eius sicut dies cæli. Et in Ezechiele: Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorum quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo Throni. Sapphirus cælestem repræsentat puritatem pariter & colorem, & significat munditiam & castitatem, cuius gratia viri spirituales thronus Dei fieri promerentur, iuxta illud Psalmi: Dominus in cælo paravit sedem suam.

Arist. lib. 1 de cælo textu 20. *Ps. 88.* *Ezech. 1.* *Ps. 102.*

Tertio propter ordinatam obedientiæ voluntariæ continuationem: nam cælum cursum suum, ordine quieto & imperturbato peragit; & ab eodem puncto in idem continue se revolvit: & hoc congruit religiosis, qui spiritu divino commoti, sine tædio & murmure, non cessant cursum iniunctæ obedientiæ pro viribus adimplere. Unde Hieremias: Si defecerint leges cæli coram me, dicit Dominus, tunc semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus, &c. Hunc motum velut stellæ erraticæ quidam retardant, & obedientiæ legibus obviantes, & B voluntatis propriæ motibus innitentes, quietam claustri conversationem dissipant, & perturbant, iuxta illud Apocalypsis: Factum est prælium magnum in cælo, & draco pugnabat, &c. Dicitur, quod quando stellæ erraticæ mutuo conveniunt in capite vel cauda draconis, vel contrarie se aspiciunt, tunc cælum perturbatur, & frequenter oriuntur tempestates, & eclipsis nunc Lunæ, nunc Solis in capite vel cauda draconis ex mutua coniunctione, vel directa oppositione procreatur. Stellæ evagantes, sunt perversi claustrales a rectitudine regularis disciplinæ per campos licentiæ deviantes, qui nunc conveniunt in dracone per fraudulentam C conspirationem, nunc ex adverso se aspiciunt, & mutuo se opponunt per mutuam defensionem, ex quorum lite & conspiratione turbationis non modicæ scandala plurima sæpius oriuntur, & ipsi religiosi qui per famam velut cæli relucere deberent, famæ suæ iacturam per talium insolentiam patiuntur. Unde dicitur in Apocalypsi: Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, & stellæ ceciderunt de cælo, &c.

Hier. 31. *Apoc. 12.* *Apoc. 6.*

Item quarto propter harmonicam circulorum cæli proportionem: nam in cælo quidam sunt circuli superiores, quidam inferiores, quidam autem dicuntur solstitiales, quidam æquinoctiales, quidam æstivales, quidam hiemales. Sic in religiosorum collegio velut in cælo, quidam

vicem gerunt prælationis, & hi sunt solstitiales, in quorum vita & conversatione sol iustitiæ debet expressius relucere, iuxta illud Ecclesiastici: In unamquamque gentem posuit rectorem, & pars Dei Israel facta est manifesta, & omnia opera illorum velut sol in conspectu Domini. Alii sunt æquinoctiales, illi, scilicet qui in statu subiectionis dies & noctes æquare & continuare in Dei laudibus non desistunt, qui scilicet in media nocte ad confitendum Domino surgunt, & in die media seu meridie laudes laudibus accumulant, & adiungunt. De quibus Isaias: Tota die & tota nocte non tacebunt. Et Psalmista: Vespere, & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, &c. Et Isaias: Clamabant. Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Et Psalmista: Tota die laudem tuam.

Eccli. 17. Is. 62. Psal. 54. Isai. 6. Psal. 34.

Circuli vero æstivales, qui polo appropinquant, & versus verticem cæli plus se elevant, sunt contemplativi, qui ab omni solicitudine temporali se elongant, & sublimitate contemplationis cælestibus se conformant. Dicitur enim in Job: Excelsior cælo est, & supra stellarum virtutem sublimatur. Sed per circulos hiemales, qui terræ sunt viciniores, significantur boni activi & officiati, qui officio administrationis intenti temporalia procurant, & ea, quæ sunt aliis necessaria officiosissime administrant. Iterum dicit Job: Præcipit hiemis pluviis & imbribus fortitudinis suæ. Et in Genesi: Æstas & hiems, nox & dies non requiescent. Prælati igitur & subditi, activi, & contemplativi, velut quidam cælestes circuli, officiorum gradibus ad invicem sunt distincti, nexu tamen indissolubilis charitatis pariter sunt coniuncti, sicut dicit Apostolus: Totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam subministrationis, &c.

Iob 22. Iob 37. Gen. 7. Ephes. 4.

Item quinto propter omnimodam contrarietatis remotionem cælo nihil est contrarium, ut dicit Philosophus, maxime quia ex contrariis partibus non componitur, & ideo non potest cælum aliqua corruptio subintrare: sic inter viros spirituales

Arist. ibid.

A & cælestes nulla contrarietas in affectu, nulla disparitas in victu, nulla singularis diversitas in vestitu debet inveniri, imo ipsorum concordia attestatur, quod tam in virtutibus, quam in moribus permanent incorrupti, iuxta illud Job: Qui facit concordiam in sublimibus suis. Et in Ecclesiastico: Concordia fratrum amor proximorum, vir & mulier bene consentientes, &c. ubi ergo rixæ & divisiones, & contrariæ partes sunt in claustris ibi summa est corruptela. Dicit enim in Osea: Divisum est cor eorum, ideo nunc interibunt. Nam contrarietas est causa corruptionis, sicut unitas sive simplicitas incorruptibilitatis. Unde

Iob 25. Eccli. 25. Ose. 10.

B dicitur in Actibus. Erat omnibus cor unum, & anima una in Domino. Et in Psalmis: Qui habitare facit unius moris in domo. Et Sophonias: Ut invocent omnes nomen Domini, & serviant ei humero uno. Et in Osea: Congregabuntur filii Israel, & filii Juda pariter, &c. Unde discipuli congregati in unum, Spiritum sanctum recipere meruerunt, ut dicitur in Actibus.

Act. 4. Ps. 67. Soph. 3. Ose. 1. Act. 2.

Item sexto propter ordinatam orbium cæli elevationem & depressionem. Dicunt enim Philosophi, quod ex ordinato orbium motu, & eorum gravi & acuto & interciso processu, incredibilis harmonia procreatur: sic viri cælestes omnia ordinate facientes suavem reddunt me-

C lodiam, quando scilicet de contemplatione ad actionem, de lectione procedunt ad orationem: quando superiores iuste & benigne præsunt sine tyrannide, & iniusta subditorum oppressione, & inferiores mansuete subsunt sine murmure & contradictione: quando qui præsunt ad subditos condescendunt per compassionem & amorem, & illi, qui subsunt ordinate exhibent suis superioribus reverentiam debitam & honorem, ex tali ordinato ascensu, & descensu, dulcis concentus generatur. Ideo dicit Job: Concentum cæli quis dormire faciet? sed hic concentus iam minus in cæli orbibus, id est, claustralibus invenitur, iuxta illud Apocalypsis: Factum est silen-

Iob 38. Apoc. 8.

silentium in cœlo, fere per dimidiam horam. Ecce in multis locis insurgunt subditi contra prælatos, & prælati contra subditos grassantur, & sic concentus cœli in talibus vel silet penitus, vel plurimum impeditur: boni tamen istud silentium tamquam periculosum & nocivum infringunt, qui scilicet ordinate & pacifice vivunt, sicut dicitur iterum *Apoc. 14.* in Apocalypsi: Audivi vocem in cœlo, sicut vocem citharœdorum citharizantium in citharis suis, & cantabant quasi canticum novum.

Item septimo propter cautissimam meritorum suorum occultationem: nam cœlum interpolate aliqua de suis contentis aspicientibus repræsentat, sed plura & nobiliora ab oculis intuentium subtrahit, & occultat, & hoc religiosis vitam cœlestem habentibus convenit, ut aliqua de suis virtutibus ostendant aliquando, ad ædificationem proximi: sed plura abscondant propter humiliationem sui, secundum doctrinam Domini *Matt. 6.* dicentis in Matthæo: Tu cum oraveris intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito, &c. *Ibidem.* Et in eodem: Faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans: sed patri tuo, qui videt *Ibidem.* in abscondito. Et in eodem: Attendite ne faciatis justitiam vestram coram hominibus, &c. Qui igitur cœlicam ducunt vitam, non omnia omnibus revelent propter ostentationem, sed quando aliqua oportet facere proximis ad exemplum, in occulto faciant quoad intentionem. Nam nobiliora in cœlo plus celantur, quam illa, quæ in firmamento sensibiliter intuentur. Ait enim Sa- *Sap. 9. d.* piens: Quæ in prospectu nostro sunt, invenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? quasi dicat nullus potest merita sanctorum occulta cognoscere, nisi ille solus, qui super omnes cœlos considerat, & lumen ejus super omnes terminos terræ, ut dicitur in Job: *Job 37.* Ille solus vota humilium respicit & approbat, qui solus cœli occultissi- *Ps. 112.* ma investigat. Et in Psalmis: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? &c. Hypocritæ vero

A qui in seipsis cœli speciem mentiuntur se habere, plura bona quam habeant, fingere non velentur. Unde dicit Nahum: Plures fecisti: quam *Nahum 3.* stellæ sint cœli, negotiationes tuas. Sed tales stellæ non sunt stellæ veræ, quia in cœli corpore non sunt fixæ, & ideo semper pereunt & cadunt in fine, sicut quasdam flammulas stellis similes, de cœlo in noctibus cadere, sæpius est videre. Ideo in Apoca- *Apo. 6. &* lypsi dicuntur stellæ de cœlo cecidisse, & in Matthæo. Nam, ut di- *Matt. 24.* cit Gregorius. Hypocritarum opera *Greg. lib. 8. Mor. c. 24. in sensu.* quamvis ad tempus inter justorum merita lucere videantur, in fine tamen quia a fructu sunt vacua, funditus annullantur. Ideo dicitur in B Job: Si ascenderit ad cœlum super- *Iob 20.* bia ejus, & caput ejus nubes tetigerit, &c. Et in Abdia: Inter side- *Abd. 1* ra posueris nidum tuum, &c. Et Isaias: In cœlum ascendam, super *Isa. 14.* astra cœli exaltabo solium meum. Et Psalmista: Posuerunt in cœlum *Ps. 72.* os suum, &c. Sed qui veri sunt cœli, in Deo abscondita sua occultat opera, & ideo stabilia permanent usque in posterum atque fixa, juxta illud Ecclesiastici: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & orabit *Eccli. 29.* pro te, & proderit tibi super aurum.

Item octavo propter continuam influentiam & virtutis diffusionem: nam virtus cœlestis per singula se C diffundit elementa, sic religiosi bona, quæ desuper receperunt, omnibus indigentibus communicant, & misericordiæ opera secundum uniuscujusque indigentiam singulis administrant, & ad imitationem Patris cœlestis, qui misericors est, & misericordes diligit, & illis specialem gratiam infundere consuevit, sicut dicit Psalmista: Domine in cœlo *Ps. 35.* misericordia tua, &c. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, dicitur in *Matt. 5.* Matthæo. Religiosi itaque pietatis opera diligentes, sunt cœli, in quibus thesauri Domini reperiuntur, qui inspiratione divina, necessitatis tempore pauperibus diffunduntur. *Deut. 28.* Unde dicitur in Deut. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum,

cœ-

cœlum: ut pluviam tribuat terræ in tempore suo.

Patet ex prædictis, quod cælorum nomine religiosi in Scripturis sæpius denotantur, qui inter ceteros electorum gradus, cælis potissime conformantur, ratione subtilitatis divinæ Scripturæ, in qua velut in cælo omnia occulta Christi, & Ecclesiæ mysteria continentur, juxta illud Isaiæ: Complicabuntur sicut liber cæli, &c. Et Ezechiel: Aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei. Et in Apocalypsi: Apertum est templum in cælo, & visa est arca testamenti in cælo. Nam sicut cælum est principium illuminationis & irradiationis totius mundi sensibilis, sic totius veritatis cognitio exordium a divinis eloquiis accipit, & scripturis, juxta illud Psalmi: Declaratio sermonum tuorum illuminat. Nam mandatum lucerna est, & lex lux, ut dicitur in Proverbiis. Unde quidquid proponitur propheticæ rationis, quidquid asseritur mundanæ sapientiæ argumentis, si veritati Theologicæ non consonat, a natura cæli discrepat, & discordat, ut dicere possit mundi sapientibus scriptura veritatis: Sicut exaltantur cæli a terra, sic viæ meæ a viis vestris.

Isa. 34. Ezech. 1. Apoc. 11. Ps. 118. Prov. 6. Isa. 55.

Item secundo virtus cæli est causa vivificationis inferiorum & sensificationis, quia nihil vivit, nec sensum percipit, ubi cæli radius non pertingit: ex quo manifeste convincitur, quod omnis mens vel conscientia moritur, ad cujus interiora verbi vitæ virtus non ingreditur, quod expertus Petrus, dixit in Joanne: Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et Psalmista: Eloquium tuum vivificabit me. Et Dominus in Joanne: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Et in Ecclesiastico: Sustulisti mortuum ab inferis, de sorte mortis in verbo Dei tui. Et ideo Scriptura divina spiritualiter intellecta, intellectum vivificat & affectum, juxta illud Joannis: Vita erat lux hominum. Et Apostolus: Tuba Dei descendet de cælo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, &c. Tuba de cælo canens est vox prædicatorum de secretis Scripturæ cælestia exprimens, resonans, & exponens. Ad tubæ sonitum resurgent mortui tui de sepulchris peccatorum, sicut dicit Joannes: Hora venit, & jam nunc est, quod omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, &c.

Joan. 6. Ps. 118. Joan. 6 Eccli. 48. Joan. 1. 1. Thes. 4. Joan. 5

A

Item tertio ratione obnubilationis, quia cælum quod in suo proprio circulo semper lucidum est & serenum, secundum nostrum aspectum propter interpositionem vaporum, sæpius apparet nubilosum: sic Scriptura divinitus aspirata, figuris & ænigmatibus est sæpius involuta, ut carnalibus & indignis Scripturarum lateant mysteria, quæ tamen piis mentibus, sapientibus ea quæ sunt spiritus, lucida sunt & aperta, juxta illud Genesis: Cum obduxero cælum nubibus, apparebit arcus meus, &c. Quandoque enim propter aliquorum imperitiam, quandoque etiam propter hæreticorum malitiam, sunt celanda quædam Scripturæ & fidei sacramenta. Et hoc faciendum est coram simplicibus & infirmis, ne subtilia & sublimia capere non valentes a recto devient, similiter coram infidelibus, ne blasphement: Non enim debemus sanctum dare canibus, neque spargere margaritas coram porcis, ne forte conculcent eas, &c. sicut dicit Dominus in Matthæo. Ideo præceptum fuit, quod nulli viderent vasa sanctuarii nuda, exceptis sacerdotibus filiis Aaron, ut dicitur in Numeris. Ideo oportuit arcam & alia tabernaculi vasa obvolvere pellibus hyacinthinis, ne forsitan alii aliqua curiositate secreta tabernaculi intuentes morerentur, sicut ibidem dicitur. Claritatem itaque cæli obvolvit nubibus, & obducit, qui Scripturarum subtilia subticens, simplicia & intellectu facilia proponit, simplicibus autem exponit. Radius enim luminis cælestis qui visum aquilæ acuit & confortat, obtundit visum noctuæ & excæcat. Unde qui debilis est visus, id est, parvi intellectus, non debet alta & insensibilia perscrutari, ne de claritate nimia

Gen. 6. Matt. 7. Num.

B C

mia obtenebretur ejus animus unde putabat illuminari. Unde dicitur in Proverbiis: Ad opes quas habere non poteris, ne erigas oculos tuos. Facient enim sibi pennas, & volabunt in cœlum. Hoc sciens Dominus, dixit Nicodemo in Joanne: Si dixi vobis terrena & non creditis: Si dixero vobis cœlestia quomodo credetis? Et in Ecclesiastico: Altiora te ne quæsieris, & in pluribus Dei operibus non fueris curiosus, &c. Et sequitur: Non est necesse quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.

Prov. 23. Ioan. 3. Eccli. 3. Ibidem.

Item quarto ratione fœcundationis. Nam calore cœlesti pariter & rore omnia procreantur, nec aliquid in terra crescendo proficit, nisi ubi calor cælestis se spargit, & humor roris aut pluviæ cælestis se diffundit. Scriptura tota ignea est illuminans per sapientiam intellectum, & ad amorem inflammans affectum. Unde dicit Psalmista: Ignitum eloquium tuum vehementer, &c. Et in Deut.: In dextera eius ignea lex: Et Hieremias: Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans clausus in ossibus meis. Et in Proverbiis: Omnis sermo Domini ignitus clypeus, &c. Clypeus est cum protegit, ignitus cum accendit. Cælum igitur igneum, divinum est Verbum, dum inflammat. Unde ait Psalmista: Eloquium Domini inflammavit eum, &c. Rorifluum autem est dum fœcundat. Inflammat enim cor ad dilectionem, fœcundat velut pluvia aut ros ad operationem. Dicitur enim in Deut.: Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat velut ros eloquium meum. Et Job: Stillabat super eos eloquium meum, expectabant me sicut pluviam & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Vi ergo talis caloris, & humoris de agro cordis, virtutis germen prorumpit in fructum operationis. Unde dicit Isaias: Quomodo descendit imber de cælo, & non revertitur, se infundit in terram & inebriat eam, & germinare eam facit, &c. Et Job: Ros in messione mea morabitur, &c. Maledicta autem terra, quæ rorifluis cæli guttis continue infunditur, & tamen sterilis

Ps. 118. Deut. 33. Hier. 30. Prov. 30. Ps. 104. Deut. 32. Iob 29. Isa. 55. Iob 29.

A invenitur. Et Paulus: Terra, quæ spinas profert & tribulos, reproba est, & maledicto proxima. Et in Deut.: De cælo descendet super te cinis, &c. Quod fit in perversis Theologis, qui rore cæli quotidie pluuntur, semper tamen remanent sine fructu.

Heb. 6. Deut. 28.

Item quinto ratione permanentiæ infinitæ durationis. Cælum enim inter omnia corpora, magis durabile est & firmum: & ideo est perpetuum, quia cum non sit compositum ex contrariis non habet in se principium dissolutionis, & hoc convenit Scripturæ veritati, quæ tantæ est firmitatis quod non potest arte vel ingenio immutari. Et ideo dicit B Psalmista: Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi, præceptum posuit & non præteribit. Et in Proverbiis: Labium veritatis firmum erit in perpetuum. Et iterum in Psalmis: Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita: Et in secunda Petri: Et habemus firmiorem propheticum sermonem. Unde omnes scientiæ quæ in firmitate istius Scripturæ non sunt fundatæ, inutiles sunt atque vanæ, juxta illud Hieremiæ: Omnes leges gentium vanæ sunt. Et Sapiens: Vani sunt omnes homines, in quibus non subest sapientia. Et Apostolus: Evanuerunt in cogitationibus suis, dicentes se esse sapientes, stulti facti C sunt. Unde sapientes hujus sæculi, qui ingenia sua fundant in sapientia hujus mundi, nihil habent cælestis penitus firmitatis: sed doctores boni, virtute divini verbi sunt firmissimi sicut cæli, juxta illud Psalmi: Verbo Domini cæli firmati sunt. Et Daniel: Fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et Job: Solidissimi sunt quasi ære fundati.

Ps. 148. Prov. 12. Ps. 88. 2. Pet. 1. Hier. 10. Sap. 13. Rom. 1. Ps. 32. Dan. 12. Iob 37.

Item sexto ratione ornatus & compositionis: nam propter varium stellarum ornatum, nihil est pulchrius quam sit cælum. Sic divina sapientia, quæ in scriptura divina sculpta est & cælata, expositionibus variis quasi quibusdam radiantibus stellis, multipliciter est ornata. Relucet enim divina veritas nunc in historia, nunc in allegoria, nunc in ea ru-

rutilat sensus tropologicus, nunc irradiat anagogicus intellectus. Unde in Ecclesiastico: Species cæli est gloria stellarum. Et in Sapientia: Dedit mihi scire anni cursus, & stellarum dispositiones, &c. Variis itaque scripturæ divinæ sententiis quasi coruscantibus cæli astris, omnium errorum & phantasmatum tenebrositas effugatur, & relucet veritas fidei, qua totius Ecclesiæ superficies decoratur, unde dicit Job: Super omnes cælos considerat, & lumen illius super omnes terminos terræ. Tempore vero Antichristi, istius cæli ornatus splendidus obfuscabitur, quando verbi prædicatio ab hæreticis & tyrannis prohibebitur, & veritas fidei latens in Scripturis variis hæreticorum figmentis, insuper & physicis argumentis multipliciter impugnabitur, sicut dicit Daniel: Magnificatum est cornu modicum usque ad fortitudinem cæli, & dejecit de stellis, & conculcavit eas, & abstulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus, &c. Et in Apocalypsi: Cælum recessit sicut liber involutus, & montes & insulæ de loco suo motæ sunt. Nam liber divinæ sapientiæ, qui modo omnibus est apertus tempore persecutionis extremæ, claudetur undique, & erit omnibus obvolutus, & tunc montes & insulæ movebuntur: quia tam prælati, quam subditi, tam contemplativi quam activi, qui voluerint esse stabiles in fide, in lege Domini permanere, iniquitatem persecutionis dæmonis, & Antichristi cum suis fugere compellentur. Quapropter dicitur in Proverbiis: Cum defecerit prophetia, dissipatur populus, qui vero custodit legem, beatus est. Patet itaque quod veritas divinæ sapientiæ, quæ in Scriptura sacra velut in cælo occultatur, congrua similitudine cælesti corpori comparatur.

Eccli.43. Sap.7. Job 37. Dan.8. Apoc.6. Prov.

CAPUT V.

Cælorum nomine Doctores sacræ Scripturæ significantur.

DOctores sacræ Scripturæ per rationes prætaxatas cæli sæpius nuncupantur, quia mundum illuminant per vitam & doctrinam. Unde dicit Daniel: Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et Paulus: Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam in die Christi, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi.

Item primo, quia mortuos in peccatis vivificant & sensificant ad vitam, eos inducendo ad pænitentiam, sicut fecit David, qui quos voluit vivificavit, & quos voluit mortificavit, ut patet in secundo Regum. Nam bonorum confessorum & doctorum consilio, qui vivunt mundo, & peccato mortificantur ut vivant Deo, mortificant carnem, sed spiritui vitam conferunt spiritualem, juxta illud Petri: Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. Et Paulus: Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo. Ad hanc vitam perducit solertia doctorum & sacerdotum, ex quorum consilio dependet vita subditorum, juxta illud Judith: Vos qui estis presbyteri in populo Dei ex vobis dependet anima illorum, ad eloquium vestrum illorum corda eriguntur. Ideo legitur Dominus dixisse discipulis ad prædicandum destinatis: Infirmos curate, mortuos suscitate, ut dicitur in Matthæo. Sicut leo qui vocis rugitu suscitat catulum mortuum, sic strenuus doctor rugitu prædicationis & correptionis revocat subditos ad vitam spiritualem: nam dicitur in Proverbiis: Virga percute eum, & animam ejus a morte liberabis, &c. Sic vivificativi tamquam cæli, & inferiorum sensificativi fuerunt doctores & sacerdotes primitivi, sed de modernis sacerdotibus potest dici illud Ezechielis: Violabant me ad populum meum, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo, &c. Et in Osea: Particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem.

Item secundo propter subditorum exemplum se humiliant, & tam in

Dan. 12. Philip. 2. 2. Reg. 2. 1. Pet. Coloss. 3. Judith. 8. Matt. 10. Prov. 23. Ezech. 13. Osee 6.

in parcitate victus, quam in humilitate habitus, corpora sua cruciant, & castigant: sicut Joannes Baptista, qui erat vestitus pilis camelorum. Sic Elias de quo dicitur: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus, & illi similes sunt cælo, cujus claritas non deficit, quamvis nebulis vel nubibus obducatur: quia asperitate pænitentiæ eorum sanctitas amplius augmentatur, juxta illud Isaiæ: *Isa. 50* Induam cælos tenebris & ponam saccum operimentum eorum quod fit, quando divina virtute sub sacco vel cilicio pænitentiæ cælestis thesaurus occultatur. Sic legitur scyphus Joseph argenteus, & ad augurandum optimus in sacco Beniamin fuisse occultatus, ut legitur in Genesi. *Gen. 4* Scyphus argenteus est sacerdos clarus scientia, mundus vita: cujus oris ministerio quasi scypho mundo, auditoribus doctrinæ salutaris eloquium præfulgebat. Talis scyphus fuit Paulus, sicut ibidem dicit Glossa, in cujus corde cælestis doctrinæ poculum propinatur, juxta illud Ezechielis. *Ezech. 16* *Eccli. 2* Tulisti tibi scyphos, & vasa aurea & argentea, &c. Et Salomon dicit: Feci mihi scyphos, & urceolos in ministerio ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Hierusalem. Urceoli sunt doctores, dum vinum cælestis sapientiæ hauriunt & recipiunt: scyphi vero quando gratiam cælitus receptam aliis tribuunt & diffundunt. Tales scyphi in sacco Beniamin, id est, filiorum dexteræ deponuntur, quia sub habitu humilitatis & pænitentiæ usque ad tempus prævisum a Patre absconduntur, sed aperto sacco, statim proditur, quam pretiosum vasculum in sacci orificio continetur? quia animæ resolutæ a corporis ergastulo evidenter solet Deus ostendere, quantum dilexit thesauros repositos in sacco. *Psal. 29* Unde Psalmista: Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

Item boni doctores comparantur cælis, quia cælesti more alios rore cælestis gratiæ infundunt, & humore devotionis ad compunctionis gratiam ipsos provocant & invitant. Nam multi omnimodo aridi & in-A devoti, accedunt ad prædicationem, vel confessionem, qui bonorum sacerdotum suffragio ante suum recessum de cælo consolatione, & lacrymarum imbre copiosius compelli recedunt, in optimo proposito fructiferi, qui prius æstimabantur penitus steriles & infæcundi, Unde dicitur in Genesi: *Gen. 27* De rore cæli & de pinguedine terræ, erit benedictio tua. Et in Canticis: *Cant. 5* Caput meum plenum est rore & cincinni mei guttis noctium. Ideo de confessoribus & de doctoribus, quos reliquit Deus ad mundi fæcundationem, dicitur in Michæa: *Mich.* Erunt reliquiæ Jacob in in medio populorum multorum sicut ros a Domino, & quasi stillæ B super herbam, quæ non expectat virum, & non præstolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Jacob in gentibus, in medio populorum multorum, quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum. Ideo dicit Isaias: *Psal. 45* Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, &c.

Item secundo fixi sunt & constantes per omnimodam patientiam, sicut cæli, qui ita sunt firmi & stabiles, quod nullius contrarii motus impetu possunt dissolvi. Sic doctores & prædicatores Christi, cum nulla corporis injuria possunt frangi. Unde Psalmista: *Psal. 91* Patientes erunt, ut annutient. Et in Proverbiis: *Prov. 19* Do-C ctrina viri, per patientiam noscitur, &c. Unde sicut cælum a superioribus aquis non deprimitur, nec ab inferioribus elevatur: sic nec justus doctor erigitur in prosperis, nec deicitur per pusillanimitatem in adversis. Aquæ enim superiores significant prospera, juxta illud Job: *Job. 12* Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si emerserit eas subvertent terram: Inferiores vero significant gravia & adversa, ut dicitur in Threnis: *Thren. 3* Aquæ inundaverunt super caput meum, & dixi, Perii. Inter has aquas stabant boni immobiles atque firmi, sicut dicitur in Josue: *Josue 3* Ingressis sacerdotibus Jordanem, steterunt aquæ superiores instar montis intumescentes: quæ autem inferiores erant in mare solitudinis descen-

deſunt, &c. Unde ſacerdotes portantes arcam, ad modum cæli inter medias aquas fuerunt tuti, juxta illud Iſaiæ: Cum tranſieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te. Sic Eliſeus diviſis aquis Jordanis tranſivit intrepidus. Eliæ pallio, qui in cælum raptus fuerat, præmunitus. Eliæ pallium de cælo derelictum, eſt Chriſti exemplum nobis datum in ſubſidium, ut nec mundi proſpera timeamus, nec aduerſa. Unde Apoſtolus: Curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpiciens, &c.

Iſa. 43
4. Reg. 2
Heb. 12

Item cæleſti decorantur ſicut cæli ornatu, quantum ad vitæ perfectionem, & virtutum decentiam, & cæleſtem in moribus diſciplinam. Unde dicit Job: Spiritus Domini ornavit cælos. Ubi dicit Gregorius. Quot ſunt dona prædicantium, tot ſunt ornamenta cælorum: Quem ornatum enumerat Apoſtolus dicens: Oportet Epiſcopum eſſe prudentem, ſobrium, pudicum, hoſpitalem, modeſtum, ornatum, &c. Hunc ornatum cæleſtem præfigurabat habitus ſacerdotis in Exodo: Fecit ſuper humerale de auro & hyacintho, purpura coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere plumario, & poſuit in rationali doctrinam, & veritatem, &c. Et in Sapientia: In veſte poderis ejus erat deſcriptus totus orbis terrarum. Cælique non ſunt, ubi tales ornatus deſunt, ſicut eſt videre in perverſis ſacerdotibus: in quorum vita non relucet ſol ferventis charitatis, nec reſplendet luna miſericordiæ & pietatis, nec refulgent ſtellæ munditiæ & caſtitatis, non comparent etiam conſtellationes duodecim ſignorum, id eſt, non relucet in eis, nec apparet veſtigium vitæ & converſationis duodecim Apoſtolorum, non hyades, non pleiades, non Oriona cum interioribus auſtri, quoniam nec virtutes interiores, ſcilicet purgati animi ad contemplativam pertinentes: nec exteriores videlicet purgatoriæ & politicæ vitam exteriorem quoad activam dirigentes, jam in Eccleſiæ doctoribus vix inveniuntur, & ideo totius Eccleſiæ ſpecies in tenebram, & deformitatem eſt mutata. Ideo

Job. 26
Gregorius l. 17 mor. c. 16 & homil. 30 in Evang.
1 Tim. 3
Exod. 28
Sap. 18

A dicit Job: Qui præcipit ſoli & non oritur, & claudit ſtellas quaſi ſub ſignaculo. Sequitur: Qui facit arcturum, Oriona, & hyadas, & interiora auſtri. Et in Hieremia: Aſpexi cælos, & lux non erat in eis, & ideo multa imminent mundo pericula: quia ubique deficiunt in doctoribus & ſacerdotibus hujus mundi cælica ornamenta, ſicut dicitur in Actibus. Neque ſole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exigua ingruente, omnis ſpes ſalutis ablata eſt.

Job. 9
Hier. 4
Act. 27

Item quarto ſicut cæli univerſaliter extenduntur, juxta illud Iſaiæ: Qui extendit cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. B nulla enim eſt cæli particula, quin æqualiter expanſa inveniatur & extenſa: ſic Chriſti ſacerdotes ad cæli ſimilitudinem, nihil retinent non extenſum. Extendunt enim linguam, cor, & manum. Cor, inquam, extendunt ad Deum per devotionem ad proximum per compaſſionem. De primo dicit Pſalmiſta: Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. De ſecundo dicitur in Job: Compatiebatur anima mea pauperi. Et Iſaias: Cum effuderis eſurienti animam tuam, &c. Linguam etiam extendunt ad Deum in oratione & continua gratiarum actione, ad proximum in doctrina & prædicatione. De primo dicitur in Eccleſiaſtico: Iteravit ora- C tionem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei. Et poſt: Rurſum oravit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra. Et Pſalmiſta: Labiis exultationis laudabit os meum. De ſecundo dicitur in Proverbiis: Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Similiter manus extendunt ad Deum per ſupplicationem, juxta illud Pſalmi: In noctibus extollite manus veſtras in ſancta. Sic Moyſes extendit manus ſuas in cælum & ceſſaverunt tonitrua, in Exodo. Ad proximum vero extendunt manus per ſubventionem, & neceſſitatis proximi ſublevationem. De hoc dicitur in Proverbiis: Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Sic Martinus tamquam cælum

Iſa. 40
Pſ. 142
Job. 30
Iſa. 58
Eccli. 50
Ibidem.
Pſal. 62
Prov. 31
Pſ. 133
Exod. 9
Prov. 31

lum fuit extensus ad Deum, quando A oculis & manibus in cælum intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Similiter ad proximum, quando etiam nec pallium sibi sine pauperis solatio retinebat, & ideo propter tantam charitatis extensionem cælum extensum potuit merito nuncupari, juxta illud
Psal. 103 Psalmi: Extendens cælum sicut pel-
Isa. 45 lem. Et Isaias: Manus meæ teten-
Hier. 10 derunt cælos, & omni malitiæ eorum demandavi. Et in Hieremia: Prudentia sua extendit cælos. Propter istas & alias suprapositas cæli proprietates & naturas, merito doctores Scripturæ cælo comparantur.

Caput VI.

Firmamenti nomine Christus significatur.

Sicut nomine cæli significantur sancti superius nominati, sic & nomine firmamenti. Idem est enim firmamentum quod & cælum, sicut
Gen. 1 dicitur in Genesi: Vocavit firmamentum cælum. Singulariter tamen potest vocari firmamentum natura nostra a Christo assumpta, & in ipso unione personæ cum dignitate uni-
2 ta, de quo Psalmista: Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi. Nam Redemptor noster super omnia Deus verus, & factus super omnia homo perfectus, secundum naturam assumptæ humanitatis firmamentum nuncupatur, sicut
Psal. 17 dicit Psalmista: Dominus firmamentum meum & refugium meum. Et
Ezech. 1 Ezechiel: Aspectus firmamenti, quasi aspectus crystalli, &c. Natura enim nostra priusquam assumeretur fuit terra, postquam autem ab auctore est assumpta & super Angelos sublevata, facta est firmamentum: & ideo similis est crystallo, quæ ex aqua congelata indissolubilem contrahit firmitatem. Quia igitur corpus Redemptoris usque ad mortem passionibus & pœnis subjacuit, aquæ fluxibilitatem in se habuit: quia nascendo, crescendo, esuriendo, sitiendo, moriendo, per momenta temporum mobiliter decurrit, cujus
cursum intuens Propheta, ait: Exul- Psal. 18
tavit ut gigas ad currendam viam, &c. sed in resurrectionis gloria virtutem incorruptionis obtinuit, & in crystallinam firmitatem natura primo mutabilis mutata fuit. Dicitur itaque Christus homo firmamentum, ratione firmæ & fixæ unionis, qua humana natura in unione personæ in Christo indissolubiliter copulatur,
juxta illud Ezechielis: In firmamen- Ezech. 10
to quod erat super caput Cherubim quasi lapis sapphirus. Lapis saphirus, est Christus Dominus qui est lapis angularis, in se Deum & hominem uniens, homines & Angelos
B quasi parietes duos associans, & conjungens sibi per fidem & amorem, infixos retinens, etiam ab ipsorum
favore & gratia non recedens. Unde Paulus. In spiritu vobiscum sum Coloss. 2
gaudens, & videns ordinem vestrum, & firmamentum ejus, quæ in Christo est, fidei vestræ. Et sequitur ibi: Superædificati, & confirmati in illo, in gratiarum actione, &c. Quia igitur ipse totius Ecclesiæ militantis & etiam triumphantis congruum est fundamentum, ideo bene vocatur firmamentum. Et quia fundamentum cæleste est & non terrenum,
ideo dicitur in Isaia: Fundabo te in Isa. 54
sapphiris. Et in Exodo: Sub pedi- Exod. 24 / 2. Tim. 2
bus ejus quasi opus lapidis sapphi- Matt. 7
C ri, &c. Et Paulus: Firmum Dei fundamentum stat. Et in Matthæo: Fundata erat supra firmam petram.

Item secundo ratione meditationis; nam sicut firmamentum est inter aquas superiores & inferiores medium collocatum, sic mediator Dei & hominum, secundum quod homo Patre minor, tamen in quantum Dei Filius omni creatura superior, ima & summa, invisibilia & sensibilia reconciliat, & in se medio recolligit & adunat, sicut dicit
Apostolus: In ipso condita sunt uni- Coloss. 1
versa in cælo & in terra, visibilia
& invisibilia. Et in Genesi: Posuit Gen. 1
firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas ab aquis, &c. Et ideo qui modo secernit & dividit inter inferiorum & superiorum, bono-

rum & malorum, spiritualium vel carnalium merita, æquo judicio dividet & discernet inter præmia aut flagella. Unde dicitur in Matthæo: Cujus ventilabrum in manu ejus, &c. Et in Proverbiis: Sicut divisiones aquarum, ita corda regum in manu Domini.

Matt. 8 & Luc. 3 *Prov. 21*

Item tertio ratione universalis conversationis inferiorum & comprehensionis: nam firmamentum infra suæ sphæræ circumferentiam, omnia sensibilia comprehendit, & per alternum generationis vel corruptionis officium, quidquid est de esse & substantia universi, custodit, nec destructionem permittit. Sic Christus ars & sapientia Dei Patris, infra sinum suæ potestatis prædestinatos continet & præscitos, nec prædestinationis filios finaliter permittit ire ad interitum, nec præscitos ex toto in nihilum. Nam filios gratiæ præservat ad gloriam, reprobationis vero filios servat ad gehennam, ut sicut in bonis immutabilis Deo gratia commendatur: ita eius inflexibilis justitia quæ videbitur in reprobis, timeatur. Unde Sapiens dicit: Tempore casus sui inveniet firmamentum. Et rursum: Justitia ejus proteget te, & in die agnitionis invenies firmamentum.

Eccl. 7 *Eccli. 27*

Item quarto ratione divinæ inhabitationis: nam cum Deus sit in omni creatura, cælum tamen sive firmamentum pro speciali sede sibi vendicat, quia ibi singulariter & excellenter operando, majestatis suæ præsentiam manifestat, ut dicit Damascenus. Sicut humanitas, quæ de Virgine est assumpta, singulare divinitatis habitaculum est effecta, quando Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Unde dicit Paulus: Complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum omnia reconciliari, &c. de præparato habitaculo suo. Et in tertio Regum: Cum oraverit in loco hoc, tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, &c. Et in Exodo: Sanctuarium tuum quod firmaverunt manus tuæ. Et in eodem: Firmissimo habitaculo quod operatus es, &c. Ideo enim divinitas Christi humanitatem

Coloss. 1 *3. Reg. 8* *Exod. 15* *Ibidem.*

A inhabitat, ut homines per hominem deprecantes audiat, & eorum postulationibus condescendat, propter quod omnes collectæ & orationes Ecclesiæ per Christum nostrum finiuntur. Unde dicit Apostolus: In quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, &c. *Coloss. 2*

Item quinto ratione circularis revolutionis, circularem enim formam habet firmamentum, & motum oblique volubilem: si enim firmamentum moveretur in directam, quoad nos, generatio rerum inferiorum non perficeretur, & talis forma quæ est perfecta & nobilissima nobilissimo corpori erat danda, quia talis figura continuo motui ejus fuit necessaria. Circularis, immo circulus perfectissimus est ipse Christus, in quo B duæ extremitates, lineæ velut in puncto uniuntur. Nam divinitas, quæ omnium rerum caput est & principium, cum natura humana quæ finis erat omnium creaturarum, & ultimo in esse producta, in ipso Christo velut in puncto in unione personæ est conjuncta, & tanta firmitate roborata. Firmatæ enim sunt duæ naturæ in una persona sic, quod una ab altera numquam poterit separari. Et ideo proprie Christus nomen obtinet firmamenti, cujus motus & operatio circularis est. De sinu enim Patris, in Virginis uterum C est ingressus: deinde per mundum & limbum progrediens iterum ad Patrem est reversus, sicut dicitur in Joanne: Exivi a Patre, & veni in mundum: & iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Et in Ecclesiaste: Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, &c. Ecce motus Christi reflexus & obliquus. Attingit enim a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter, sicut dicitur in Sapientia: Quia nunc flectitur ad Aquilonem, id est, ad peccatores in peccatis induratos, per misericordiam illorum corda ad pœnitentiam remolliendo: nunc vero ad meridiem, id est, ad bonos in fervore charitatis existentes, ipsos con-

Joan. 16 *Eccl. 1* *Sap. 8*

Eccli. 43 consolando: ideo dicitur in Ecclesiastico: In meridiano exurit terram, &c. Et in Esdra. Convertitur 3. Esd. 4 in gyro cæli, & iterum revertitur in eumdem locum in uno die.

Item sexto ratione fortissimæ impressionis, & aggregationis luminis in centro. Nam cum sit firmamentum corpus sphæricum, & luminosum, & concavum & convexum, cujus medium & centrum ex omni parte ex se emittit radium ad suum medium: unde cum terra teneat vicem centri, manifestum est, quod in terra fit radiorum maxima aggregatio, & ex influentia radiorum luminis maxima fit variarum specierum productio, & generatio. Firmamentum igitur lucidum, & connexum significat Christum Dominum, qui est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ut dicit Joannes: cujus sphærica rotunditas, id est, æternam potestas, omnia continet & sustentat, cujus luminositas omnia illustrat, cujus convexitas omnium bonorum, gratiarum, & donorum plenitudinem commensurat, juxta illud Joannis: Vidimus eum quasi unigenitum a Patre plenum gratiæ & veritatis. Ab istius igitur firmamenti convexitate, ad cor humanum, velut ad proprium centrum transfunduntur radii gratiarum. De plenitudine ejus omnes recipimus gratiam pro gratia. Plena igitur fit impressio, & coadunatio cælestis luminis in corde hominis: quoad ipsius justificationem: plenior quantum ad illustrationem sapientiæ, & veritatis inspirationem: plenissima vero quoad consummationem justitiæ, & finalem charitatis in homine perfectionem, & conservationem. Ideo ait Apostolus: Plenitudo legis est charitas. De prima dicitur in Psalmis: Plena est justitia dextera ejus. Et iterum in alio Psalmo: Flumen Dei repletum est aquis, &c. A Christo enim velut a fonte procedit flumen pœnitentiæ, qua anima a sordibus abluitur & purgatur, & ad videndum lumen desuper veniens disponitur, & habilitatur, sicut dicitur in Joanne: Abii, lavi, & vi-

(Margin notes: Joan. 1; Ibidem.; Ibidem.; Rom. 13; Ps. 47; Ps. 64; Joan. 9)

A deo. Et in Sapientia: Omnis orbis terrarum limpido replebatur lumine, &c. De secundo dicitur in Isaia: Replebitur terra scientia Domini, quasi aquæ maris operientes. De tertio dicitur in Psalmis: Dies pleni invenientur in eis. Et Job: Complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria. Et in Canticis: Resident juxta fluenta plenissima. Talibus radiis a Christo effluentibus, tamquam a firmamento nobilissimo virtutum, & meritorum species in electorum cordibus procreantur: juxta illud Ecclesiastici: Ipse est firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiei, deprecatio offensionis, adjutorium casus exaltans animam, & illuminans oculos, B dans sanitatem, vitam, & benedictionem, quasi dicat, a Christo velut a firmamento effluit virtutis perditæ restitutio, ardoris concupiscentiæ, & diabolicæ inflammationis repressio, persecutionis mitigatio, de offensis remissio, & apud Patrem pro peccatis propitiatio, ut dicitur in Joanne, & in Daniele: A ruina, & casu sublevatio. Et in Psalmis: Cum ceciderit non collidetur. Et in Proverbiis: Septies cadit justus: affectionis ad cælestia elevatio in 1. Regum. Ut sedeat cum principibus. Et in Psalmis: Exaltavi animam meam: secretorum revelatio, collatio impassibilitatis, donum immortalitatis, benedictio æternæ hæreditatis, C iterum in alio Psalmo: Illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam, &c. Ista decem bona, velut decem radii a Christo exeunt, ad perfectionem hominum emanare, & effluere undique non desistunt. Unde dicitur in Genesi: Cataractæ cœli apertæ sunt, & facta est pluvia magna, &c. Et in 4. Reg. Si fecerit Deus cataractas cœli aperire, numquid poterit esse quod loqueris, &c.

Item septimo ratione inflammationis, nam firmamentum illud inflammat, ad quod per contactum appropinquat. Hoc Christo convenit, qui sibi gratia, & favore conjunctos ad divinum amorem inflammat penitus, & accendit, ut patet in Apostolis, qui tanto ferventiori ignicu-

(Margin notes: Sap. 17; Isa. 11; Cant. 5; Eccli. 24; 1. Joan. 2; Dan. 10; Psal. 36; Prov. 24; 1. Reg. 2; Ps. 131; Psal. 132; Gen. 7; 4. Reg. 7)

lo sunt accensi; quanto magis sibi A igniantur, quos per verbum vitæ vicini, meruerunt fieri per familiaritatis gratiam propinqui, juxta illud Deut. 33. Deuteronomii: Qui appropinquant pedibus ejus, &c. Unde doctrina Christi ignea ipsos fecit fervidos penitus, & ignitos. Unde dicitur in Thren. 1. Threnis: De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me Dominus. Ezech. 1. Et Ezechiel: Vidi speciem ejus quasi speciem electri, & quasi aspectum ignis intrinsecus, &c. Loquitur de sedente in Throno super firmamentum, qui utique significat Christum, cujus humanitas significatur per electrum, quod est metallum ex auro, & argento compositum, subtili artificio conflatum. Nam in auro incorruptibili animæ Christi immortalitas, in argento B candido, & mundo, assumpti corporis puritas designatur, ex eis duobus Christus secundum hominem est formatus: qui secundum utramque naturam argento mundior, & auro obrizo pretiosior inæstimabiliter arbitratur. Istud electrum intrinsecus videtur igneum, Deut. 4. & Heb. 12. quia corpus Christi cum anima, Deo qui est ignis consumens ineffabiliter est unitum. Istius sedentis species, a medio corporis, & sursum, videbatur ardens intrinsecus, & latens, a lumbis vero deorsum, ignis splendens exterius, & apparens. Nam Christi virtus cum supernis spiritibus quantum ardeat, humana ratio non excogitat. Isai. 33. Unde dicit Isaias: Quis potest habitare cum igne devorante, & cum ardoribus sempiternis, &c. Ezech. 28. Et Ezechiel: In medio lapidum ignitorum ambulasti. A lumbis autem deorsum apparet ignis splendens, quia in quantum Apostolos, & alios gratiæ filios accenderit, per facti evidentiam omnibus est apparens. Nam in lumbis sedes est generationis, & ideo a lumbis deorsum in circuitu splendere dicitur, quia in illis, quos per gratiam gignit, ampliori gratia fervescere se ostendit. Levit. 10. Unde dicitur in Levitico: Sanctificabor in his, qui appropinquant mihi, &c. Nos siquidem latet, quantum Christi virtus accendit illos qui sunt in patria: sed per multa exempla videmus, qualiter a sua gratia

genuit hic in via. Et ideo bene firmamentum dicitur, quia mens, quæ ab eo tangitur, accenditur subito, & ignitur.

Item octavo ratione impermutabilis fixionis, quia firmamentum in sua natura immutabile permanet, & persistit: & quamvis inferiora variis impressionibus alteret, & immutet, tamen mutabilitatem inferiorum corporum in se non recipit, nec admittit. Hæc firmamenti proprietas est in Christo manifesta, cujus bonitatem humana perversitas non superat, cujus misericordiam ad ultimam pœnam creaturæ malitia non inclinat: quia ex innata sibi bonitate semper punit citra meritum, & remunerat supra dignum. Ideo dicitur Habacuc: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Habac. 3. Et Psalmista: Ps. 59. Iratus es, & misertus es nobis, immo quando exigente justitia, numquam iratus aliquos punit, in puniendo tamen irascentis passionem non sentit, sicut dicitur in Sapientia: Sap. 12. Tu dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos. Et in Psalmis: Psal. 101. Mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, &c. Et in Numeris: Num. 23. Non est Deus quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur. Et Malachias: Malach. 3. Ego sum Deus, & non mutor. Et Jacobus: Apud C quem non est transmutatio, &c. Permanens itaque veritas in Christo, fixaque bonitas: sicut est permanens fixio vel stabilitas in firmamento. Unde dicitur in Ecclesiastico: Amicus Jac. 1. si permanserit fixus, erit tibi coæqualis, quia permanet in die necessitatis.

Item nono ratione immensæ magnitudinis, & incomprehensibilis dimensionis. Nam sicut cœli altitudo vel latitudo super verticem cœli graditur, &c. Et in Esdra: Excelsum 5. Esd. 4. est cœlum, &c. Et Job: Job 11. Excelsior cœlo est: & quid facies? Et Psalmista: Psal. 112. Super cœlos est gloria ejus. Firmamentum quidem quandoque cum terra videtur coniungi, ut patet in nostro horizonte, sive in termino nostri visus, & tamen quantum distat a nostro capite, tantum vel plus distat

Baruc. 3. ſtat ab horizonte. Sic Chriſtus in terra viſus, cum hominibus converſatus, in nullo differre ab aliis mortalibus eſt putatus. Unde dixerunt: *Matth. 13.* Unde huic ſapientia? nonne hic eſt filius Joſeph, & Mariæ, &c. Falſa tamen fuit eorum opinio, ſicut falſa eſt oculi viſio, ubi putat adæquari terræ ſuperficiem firmamento. Unde Iſaias: Sicut exaltantur cœli a terra, *Iſai. 55.* ita viæ meæ a viis veſtris, &c. Et in Pſalmiſta: Elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. *Pſal. 8.* Patet igitur ex prædictis, quod humanitas aſſumpta, prædictis rationibus cœlum fuit, quod firmamentum eſt vocatum.

Caput VII.

Cœli natura, & proprietas quomodo B. Virgini Mariæ conveniant.

NEc caret natura, & proprietate cœleſti Virgo beatiſſima, ad cujus uterum ſubintrandum per Incarnationem Verbi, eſt divinitas inclinata, quando ſecundum Pſalmiſtam: *Pſal. 17.* Inclinavit cœlos, & deſcendit: ibi Verbum Dei ſe inclinavit, & carne indutum ad nos venit, ſicut ibi exponit Gloſſa. Cœli itaque puritatem in ſe habere debuit Maria, de cujus mundiſſimis particulis illa puriſſima caro Verbi cœleſtis unibilis eſt aſſumpta. Ecce cœlum, & cœli cœlorum Deitatis magnitudinem ad plenum capere non poſſunt, ſicut dicitur in 3. Regum, *3. Reg. 8.* & ad comprehendendam magnificentiam gloriæ ſanctitatis ejus, virtutes cœleſtes non ſufficiunt: & tamen Maria ipſum cum plenitudine Deitatis genuit, ad cujus ſuſceptionem totus mundus non ſufficit, nec ſuffecit, juxta illud Sapientiæ: *Sap. 11.* Tamquam momentum ſtateræ eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, &c. Et Iſaias: *Iſai. 40.* Ecce omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram te, &c. Patet igitur quod Maria Deum incomprehenſibilem totum, & plenum in ſe nullatenus ſuſcepiſſet, niſi virtute, & gratia, cæli magnitudinem tranſcendiſſet. Cælo igitur cælica Virgo comparatur, quia cælo nihil purius, nihil ſublimius, nihil pulchrius, nihil utilius, nihil communius, nihil velocius, nihil perfectius, nihil durabilius inter corpora viſibilia invenitur. Cælo igitur nihil eſt purius, & hoc propter naturæ ſuæ tranſparentiam, & diaphaneitatem: & hoc glorioſiſſimæ Virgini convenit, propter omnimodam ipſius munditiam, & caſtitatem. Nam per ſanctificationis gratiam in utero materno extitit ab omni originalis culpæ fæditate depurata, & ad ſuſceptionem Verbi vitæ antequam naſceretur diſpoſita, & præordinata, juxta illud Pſalmi: Parata eſt ſedes tua ex tunc, *Pſal. 92.* &c. Nam quæ ab æterno præelecta eſt, & prædeſtinata in Dei ſcientia, ut ad tantam gloriam aſſumeretur, in materno utero a ſpiritu ſanctificante præventa eſt, & ſanctificata, ut in tempore a Patre luminum præfixo, Mater Dei fieri mereretur, ſicut dicit in Proverbiis: Ab æterno *Prov. 8.* ordinata ſum, & antequam terra fieret. Et in Eccleſiaſtico: Ab initio, *Eccli. 24.* & ante ſæcula creata ſum, id eſt, quodam privilegiato modo creari præviſa, ut perficeret cœlum, in quo Deus novo modo reſideret, ſicut dicit Pſalmiſta: Dominus in cælo paravit ſedem ſuam. *Pſal. 102.* Et Iſaias: *Iſai. ult.* Cælum mihi ſedes eſt, &c. Hanc ſedem ſibi paravit omnium artifex, & ſapientia Chriſtus in virginali ſanctificatione, ipſam ſedem ſubintravit, & in ipſa quievit in ipſius Virginis fœcundatione. *3. Reg. 10.* Unde præfigurata eſt per Thronum Salomonis, quem fecit de ebore grandem: & per ſedile, vel ferculum, quod fecit ſibi Salomon de lignis Libani, cujus aſcenſus fuit purpureus, & reclinatorium aureum, ut dicitur in Canticis. *Cant. 3.* Hæc omnia de his ſedibus dicta, puritati conveniunt virginali: quia pura fuit in utero, purior in mundo, puriſſima hæc rutilat nunc in cælo. Prima refertur ad ortus ipſius ſanctificationem, quantum ad fœditatis originalis ablationem. Secunda ad ejus miraculoſam fœcundationem, quando non ſolum per Spiritum Sanctum ſupervenientem pronitas fomitis eſt extincta, immo etiam omnis poteſtas peccandi ab ipſa eſt ablata, & in gratia eſt totaliter confirmata.

Tertia refertur ad ejus gloriosam A in cœlo collocationem, quando penitus ablata omni infirmitate corporali, in naturam cœlestem per immortalitatis dotem est mutata. Prima itaque puritas, scilicet originalis, significatur in sede facta de lignis libani. Nam illa ligna sunt cedrina quæ habent naturam, & proprietatem imputribilitatis, & emittunt spiramen fragrantiæ, & odoris. Et hoc convenit ejus mundissimis membris, per sanctificationis gratiam a motibus fomitis alienis, juxta illud Ecclesiastici: Ego quasi libanus non incisus evaporavi, & sicut balsamus non mixtus odor meus. Libanus fuit per innocentiam non incisus per peccandi impotentiam, & ideo evaporavit odorem balsamo impermixto suaviorem. Nam tota massa in Adam corruptioni fomitis est admixta, & sic per consequens adulterata: licet Virginis corpusculum ab hac corruptela est per gratiam liberatum, & ideo effudit odorem suavissimum tamquam balsamum impermixtum, id est, Filium, cujus odor est sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus, ut dicitur in Genesi.

Eccli. 24.

Gen. 27.

Secunda puritas, scilicet virtualis, quam contraxit ex conceptione verbi, significatur in munditia Throni eburnei. Ebur enim candidissimum, & solidissimum, nihil habens in se concavum vel porosum, designat munditiam Mariæ virgineam, per C præsentiam ipsius concepti Verbi, in totius gratiæ plenitudine solidatam. Nam ipsa sola plena gratia inter mulieres est reperta, cujus intellectus repletus est apertissima fidei veritate, sicut beata dixit Elisabeth: Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Ejus etiam affectus repletus est ferventissima charitate. Eburneum vero, id est, virgineum corpus repletum est majestate, & ideo significatur per solium in quo sedere vidit Dominum Isaias: Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, & plena erat domus a majestate ejus, &c. Excelsum siquidem fuit hoc solium, quia supra conditionem naturæ corruptæ a fomite liberatum. Elevatum autem est dictum, quia supra hominem ne peccandi habeat potentiam, est per gratiæ beneficium confirmatum. Pura itaque fuit nascendo: purior Dei verbum concipiendo: purissima vero, omnes molestias corrupti corporis in sua assumptione finaliter evadendo: & ideo bene comparabilis est cœlo ratione incorruptionis, & omnimodæ puritatis.

Luc. 1.

Isai. 6.

Item sicut cœlo inter corporalia quoad se nihil sublimius, quia nihil a centro terræ remotius, & hoc forsitan propter disparem circumferentiæ, & centri qualitatem, nam centrum suo pondere petit imum: sphæræ vero circumferentia sua levitate B tendit sursum usque ad summum: sic Virgo benedicta a mole fomitis, & amore carnalis affectionis per gratiam absoluta, tota a mundano consortio differens, & recedens, vita, & moribus in cœlestibus est locata, juxta illud Ecclesiastici: Ego in altissimis habito, & quia in altissimis, & inauditis Dei consiliis semper mansit, & aliquid propter cœlestia inter mundi prospera non curavit, ideo significatur in Genesi per scalam quam vidit Jacob, cuius cacumen tangebat cœlum, & Dominus innixus scalæ, &c. Scala cœlica per quam patet ascensus ad æterna, est Maria, quæ a Jacob est visa in somnis: quia Mariæ præsentia prævisa est multipliciter a Prophetis. Latera huius scalæ sunt tribus duæ, scilicet Sacerdotalis, & regalis, ex quibus Maria contraxit originem secundum carnem. Gradus interscalares, sunt eius privilegia, & dignitates singulares, huius scalæ cacumen in Deo est, & ei coniungitur per cœlestem conversationem, sicut dicitur in Apocalypsi: Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, &c. De ista inhærentia cum cœlo dicit Bernardus: O Virgo virginum, virga sublimis, in quam sublime tuum sanctum verticem erigis, usque ad sedentem in Trono, usque ad Dominum maiestatis: nec id quidem mirum est, quia mittis in altum radices humilitatis. Per hanc scalam descendit Angelus magni consilii, ut

Eccli. 24.

Gen. 28.

Apoc. 12.

Bern. sup. Missus est serm. 2. post med.

ut noſtram aſſumeret infirmitatem, A
Ephes. 4. unde Apoſtolus: Qui deſcendit, ipſe
eſt qui aſcendit ſuper omnes cœlos,
ut impleret omnia. Per hanc etiam
ſcalam Angeli aſcendunt, ſcilicet
qui Angelicam vitam ducunt. Hie-
ronymus: In carne ſtudeamus per
Mariam aſcendere ad ipſum, qui
per ipſam ad nos deſcendit: ut per
eam ipſius inveniamus gratiam, qui
per eam ad noſtram devenit miſe-
riam. Per te habeamus aſcenſum ad
filium: o benedicta inventrix gratiæ,
genitrix vitæ, mater ſalutis, ut per
te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt
nobis. Patet itaque, quod Maria
tamquam cœlum, locum ſupremum
ſibi vendicat, & nos hæreditatis cæ-
leſtis amatores in cœleſtibus coada- B
Eccli. 24. ptat, juxta illud Eccleſiaſtici: In hæ-
reditate Domini morabor, &c.

Item cœlo nihil eſt pulchrius, ni-
hilque aſpectui eſt iucundius, & hoc
propter ordinatiſſimam contentorum
ipſius varietatem. Nam Sol, & Lu-
na, &c. Sidera fixa vel non fixa,
ornant mirabiliter firmamentum: ſic
illa glorioſa Virgo cœlo ſimillima
poſt ſuum Filium, qui eſt ſpecioſus
forma præ filiis hominum, immo
præ multis millib. Angelorum, in-
ter omnes creaturas eſt pulcherri-
ma, & ad intuendum magis grata.
Eccli. 43. Ideo dicit Eccleſiaſticus: Altitudinis
firmamentum pulchritudo eius, ſpe-
cies cæli in viſione gloriæ, &c. Stel-
larum glorioſa numeroſitas, virtu- C
tum & gratiarum ſingularium eſt
diverſitas, quibus miſericordiæ mater
inæſtimabiliter decoratur, idem rur-
Ibid. ſus: Vas caſtrorum in excelſis in
firmamento cæli reſplendens glorio-
Apoc. 12. ſa. Ideo deſcribitur in Apocalypſi,
quod mulier illa cæleſtis fuit amicta
ſole, & corona duodecim ſtellarum
in capite ipſius. Unde Angeli ad-
mirantes ipſius pulchritudinem, prout
poſſunt, ipſius gloriam per ſimilitu-
dinem corporum cæleſtium expri-
munt, & deſcribunt in Canticis:
Cant. 6. Quæ eſt iſta quæ progreditur ſicut
aurora conſurgens, pulchra ut Luna,
electa ut Sol, &c. Sole enim nihil
pulchrius eſt de die, Luna nihil
pulchrius de nocte, aurora nihil for-
moſius in confinio utriuſque. Pro-
greſſa eſt igitur ut aurora in naſcen-
do: per mundum progreſſa eſt quaſi
Luna in virtutibus concreſcendo:
egreſſa eſt de mundo, ſingularem
gloriæ dignitatem quaſi Sol præ ce-
teris obtinendo. Aurora ſiquidem fi-
nis eſt noctis, & principium diei
ſubſequentis, & indicium ſolis iam
in proximo orientis: ſic Maria in
ſuo ortu fuit quaſi finis, & conſum-
matio culpæ originalis, & evacuatio
omnis tenebræ ſpiritualis. Fuit etiam
lucis veræ præambulum indicium,
& futuræ gratiæ in mundum præve-
niens argumentum: quia ortus Vir-
ginis adventum annuntiavit in pro-
ximo Salvatoris. Unde dicitur in 2.
Reg. Sicut lux auroræ oriente ſole 2. Reg. 23.
rutilat, & ſicut herba germinat de
terra, &c. Et in Oſea: Quaſi dilu- Oſe. 6.
culum præparatus eſt egreſſus eius,
&c. Dicitur ergo Virgo eſſe quaſi
aurora conſurgens, per gratiam ipſam
ſanctificantem a corruptione ſpiritua-
lis, & corporalis culpæ ſe erigens,
quia non iacuit inclinata ex toto ob
culpam originalem, ſicut iacent non
renati: nec ſedit partim erecta, par-
tim proſtrata habens pronitatem con-
cupiſcentiæ, ſicut habent baptizati:
ſed dicitur conſurgens, id eſt, ex
toto ad cæleſtia ſe erigens, & exten-
dens, quia nullum in ipſa remanſit
inclinativum vel motivum ad pec-
candum. Bernardus: Copioſiſſima
ſanctificationis gratia deſcendit in
Mariam Dei matrem, quæ non ſo-
lum ſanctificavit eius ortum, ſed a
peccato eam cuſtodivit immunem
iuxta illud Pſalmi: Tu fabricatus es
auroram, & ſolem. Unde ſicut ve- Pſal. 73.
niente aurora abundat ros, ſic na-
ſcente Virgine, ros benedictionis,
& gratiæ incepit mundi ſuperficiem
infundere, & corda credentium ad-
implere, quod innuitur in libro Ju-
dicum: Compreſſo vellere ros re- Iud. 6.
plevit terram. Sicut manna iacuit
quaſi ros in circuitu caſtrorum, mane
vel aurora conſurgente, ut dicitur in
Exodo: Ideo etiam Jacob ſurgente
aurora, meruit accipere benedictio- Exo. 16.
nem, ut dicitur in Geneſi: Et ideo
qui benedictionibus gratiæ, & glo- Gen. 32.
riæ repleri deſiderat, accedat ad au-
roram, requirat, & Mariam. Un-
de

Job. 38 de dicit Job: Præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum. Pulchra vero fuit ut luna, quoad gratiam conceptionis, quia Luna Soli conjuncta radium solarem recipit, & accensa radium receptum ad terram transfundit. Sic Maria paternum radium Dei Verbum caro factum in se concepit, & conceptum sine virginitatis detrimento peperit, & transfudit: iuxta illud Ecclesiastici: A luna signum diei festi, &c. *Eccli. 44* Pulcherrima autem ut Sol facta est, quoad gloriam suæ assumptionis, quando omnes creaturas in luminositate dignitatis, in fervore charitatis, in magnitudine potestatis transcendere meruit, sicut Sol cætera sidera præcellit: sicut dicitur in Ecclesiastico: Sicut Sol oriens in altissimis Dei, sic bonæ mulieris species in ornamentum domus. *Eccli. 26* Sicut igitur pulchritudo firmamenti consistit in his, & aliis corporibus luminosis, sic pulchritudo Mariæ in prædictis operibus virtuosis.

Item cælo nihil utilius, quia ex virtute, & influentia cœli, mortua, & inveterata reviviscunt, & renascuntur, & quæ consumpta fuerant, renovantur, nec potest aliquid vivere, ubi virtus desuper effluens non potest pervenire: & hoc Virgini gloriosæ congruit, a cujus virtute & gratia vita uniuscuiusque oritur, & procedit iuxta illud Ecclesiastici: In *Eccli. 24* me omnis gratia vitæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Sicut ergo cœlum suos emittit radios ad vegetationem, & sensificationem inferiorum, sic Virgo cælestis radios misericordiæ transfundit ad vivificationem peccatorum, & ad conservationem electorum, dicitur *Eccli. 4* enim in Ecclesiastico: Sapientia in- *Cant. 4* spirat vitam filiis suis. Et in Canticis: Emissiones tuæ paradisus malorum, &c. Sicut enim paradisus a se emittit flumina, & fontes continue emanantes, herbas, & arbores fructificantes, & sic mater misericordiæ a se emittit rivulos, & fontes gratiarum quibus corda arida infunduntur, & imbuuntur, & fructus virtutum quibus affectiones illorum qui esuriunt justitiam, fructuosis operi-

A bus nutriuntur. Ideo signatur per *Gen. 2* paradisum voluptatis, quem plantavit Dominus a principio, in quo posuit hominem quem formavit, quia in beata Virgine est repositus in Incarnatione ille cœlestis homo, scilicet Christus, non ab homine, sed a solo Deo. Unde dicitur in Esther: Fecit Rex regum convivium in vestibulo horti, consiti ad modum densi *Esther. 1* nemoris. *Cant. 4* Hortus est Virginis uterus, in quo Rex regum nostræ mortalitatis vestibus est indutus. Unde dicitur in canticis: Hortus conclusus soror mea sponsa. Hic hortus ad modum densi nemoris est consitus, quia in ipsa omnium virtutum genera, sine mensura & numero B sunt inserta. Hæ vero plantationes non terrenæ, sed cœlestes, & spirituales sunt insertiones. Unde dicitur in Deuteronomio: De pomis cæli, & rore, de pomis fructuum Solis, & Lunæ erit benedictio tua. *Deut. 33* Et ideo qui aridos, vel etiam mortuos in peccatis se sentiunt, ad Mariam debent festinare, quia in ipsa velut in cælo, aut in Paradiso, omnia prædicta poterunt invenire, juxta illud Ecclesiastici: Adimplet quasi *Eccl. 24* Euphrates sensum, & multiplicat quasi Jordanis in tempore messis.

Item cælo nihil est communius, & hoc est propter eius immensurabilem quantitatem: quia quantum de se est, omnibus se æqualiter com- C mensurat, & luminis sui radios indesinenter omnibus administrat. Sic innata Virginis bonitas a nullo se subtrahit, sed omnibus se communicat, & diffundit, nisi illi forsitan, qui voluntarie se ab ea illuminari negligit vel contemnit. Unde dicitur in Job: Super quem non fulget lumen illius, &c. *Job. 25* Unde, & ipsa dicit in Ecclesiastico: Ego feci, ut *Eccli. 25* oriretur in cœlo lumen indeficiens, &c.

CA-

A

CAPITA OPUSCULI SEQUENTIS.

De septem donis Spiritus sancti in genere.

Cap. I. QUOD Verbum incarnatum misit nobis Spiritum sanctum, septem donorum largitorem.
Cap. II. *Quod sint septem Spiritus sancti dona, & quare in septenario numero.*
Cap. III. *Septem Spiritus sancti dona qualiter ab aliis habitibus, & donis distinguantur.*
Cap. IV. *Quae utilitas in septem Spiritus sancti donis conferatur.*
Cap. V. *Qui & quales donorum Spiritus sancti capaces efficiantur, & qualiter ea obtineantur.*
Cap. VI. *Qualiter dona ascendendo, & descendendo ordinentur.*

De eiusdem donis in specie.

De dono timoris.

Cap. I. *Quid sit timor, & qualiter secundum inordinatos amores multiplicatur, & deordinatur.*
Cap. II. *Quis timor a regno animae per charitatem perfectam expellatur, & quem secum compatiatur.*
Cap. III. *Qualiter a timore Dei in anima dies clara oriatur.*
Cap. IV. *Qualiter a dono timoris, animae convivium praeparatur.*

De dono pietatis.

Cap. I. *Quid donum pietatis dicitur, & qualiter a pietate naturali, & acquisita distinguatur.*
Cap. II. *Qualiter perdonum pietatis dies spiritualis oriatur, proficiat, & perficiatur.*
Cap. III. *Qualiter per donum pietatis menti convivium praeparetur.*

De dono scientiae.

Cap. I. *Quae scientia donum Spiritus sancti dicatur.*
Cap. II. *Qualiter per donum scientiae dies in anima oriatur.*
Cap. III. *Quo modo per donum scientiae menti convivium praeparatur.*
Cap. IV. *De mensa divinae Scripturae, sive scientiae, & de ferculis, quae in ea apponuntur.*

De dono fortitudinis.

Cap. I. *Quae fortitudo donum Spiritus sancti dicatur.*
Cap. II. *Qualiter per hoc donum dies spiritualis in anima oriatur.* B
Cap. III. *Quale convivium per hoc donum animae praeparetur.*

De dono consilii.

Cap. I. *Quid consilium sit, & quid donum consilii dicatur.*
Cap. II. *Quae sit doni consilii necessitas.*
Cap. III. *Quae sit differentia inter consilia divina & ea quae ex propria voluntate liberi arbitrii oriuntur.*
Cap. IV. *Qualiter ex dono consilii dies spiritualis in anima oriatur.*
Cap. V. *Qualiter convivium per donum consilii in anima praeparatur, & de tribus consiliariis, qui dicuntur principales inter convivantes, quae sunt tres potentiae.* C
Cap. VI. *Convivantes medii, qui sunt vigores animae naturales, sensus animae rationales, & virtutes morales quo modo a superioribus, memoria scilicet, intellectu, & voluntate, purgentur, illuminentur, & perficiantur.*
Cap. VII. *Convivantes inferiores, utpote sensus animales, & corporales tam exteriores quam interiores, quomodo a convivantibus mediis illuminentur, purgentur, & perficiantur.*

De dono intellectus.

Cap. I. *Quare donum intellectus praecedentia dona sequatur.*
Cap. II. *Quid donum intellectus sit, vel dicatur.*

Cap. III.

Cap. III. *Quæ hujus doni sit necessitas, vel quæ utilitas in eo conferatur.*

Cap. IV. *Veritates divinæ in sacra Scriptura absconditæ manifestantur per donum intellectus.*

Cap. V. *Veritates divinorum Sacramentorum dono intellectus penetrantur.*

Cap. VI. *Quo modo donum intellectus dies spiritualis in anima oriatur.*

Cap. VII. *Quo modo per donum intellectus convivium spirituale menti præparetur.*

De dono sapientiæ.

Cap. I. *Quid sit sapientia, & quid donum sapientiæ dicatur.*

Cap. II. *Quæ sit necessitas, & utilitas hujus doni.*

Cap. III. *Qua ratione donum sapientiæ a Deo petatur, & obtineatur.*

Cap. IV. *Qualiter ex dono sapientiæ dies spiritualis in anima oriatur.*

Cap. V. *Quale convivium per donum sapientiæ menti præparetur, & de primo convivio, quod in mente in corpore humano existente per donum sapientiæ Spiritus sanctus celebrat.*

Cap. VI. *De vino ad quod potandum sapientia invitat in convivio.*

Cap. VII. *Qui sint charissimi in convivio primo, & quæ sit sobria ebrietas illorum.*

Cap. VIII. *De secundo convivio, quod fit animæ a corpore separatæ per donum sapientiæ.*

Cap. IX. *De tertio convivio sapientiæ quod est regnantium.*

Cap. X. *Quæ familia, & convivantes ad regnantium convivium, invitentur, vel sint jam invitati.*

Cap. XI. *De tertii convivii, & convivantium beatitudine, juxta numerum septem donorum, septem quoque animadversione digna notantur.*

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM.

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI.

Convivia septem animæ, totidemque convivæ ferculorum quoque, & ministrorum varietas cum distinctione, & explanatione mirabili donorum, & operationum Spiritus sancti hoc opusculo demonstrantur. Quod in duas partes distributum est: in quarum prima de donis Spiritus in genere, in secunda vero de eisdem in specie agitur. De hac autem materia quamvis ser. 2. & 3. in Hexaemeron & lib. 3. Sent. d. 34. necnon supra hoc eodem tomo Breviloq. p. 5. Et Centiloq. p. 3. Sect. 45. & infra opusculo, quod Dieta salutis inscribitur titul. 6. & aliis locis sæpe auctor tractet: hic tamen de Spiritus sancti donis copiosiori manu scribit, & quæ ad hanc rem maxime pertinent ex sacræ scripturæ thesauro depromit. Sanctorum quoque Patrum & aliorum scriptorum doctrinas ad id frequenter inculcat, in quo ut in cæteris ejus libris, singularis auctoris pietas cum summa eruditione conjuncta facile cernitur.

CAPUT I.

Quod Verbum incarnatum misit nobis Spiritum sanctum septem donorum largitorem.

Jac. 1 OMNE *datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Sanctus Jacobus Apostolus a veritate paterni Verbi illuminatus, & a charitate Spiritus sancti inflammatus, in verbis istis describit nobis patrem æternum, ut est fontana, & perfecta cognitio divinarum personarum in habitudine ad creaturas: quibus communicavit datum optimum in filii datione in natura humana, ut patet in Isaia, qui dicit, Immensum parvulum datum nobis, scilicet in incarnatione: cum quo nobis omnia bona pariter venerunt. Propter Isa. 9

pter quod Apostolus non dixit simpliciter *datum optimum*, sed, *Omne donum optimum*. Omnia enim per ipsum facta sunt. Communicavit eis donum perfectum in Spiritus sancti liberali missione, ut patet in Joanne. In quo omnia dona largiuntur, ut patet apud Paulum. Propter quod Apostolus Jacobus non dixit simpliciter donum perfectum, sed, *Omne donum perfectum*. Hæc enim omnia operatur idem spiritus, ut sic per Verbi incarnati, & dati illuminationem, & Spiritus sancti spirati, & donati inflammationem, reducamur ad luminosi, & amorosi patris veram cognitionem, & fervidam dilectionem, & ex his, ad ejus perfectam unionem. Ista enim unio est finis largitionis luminum, ut per eam reducamur ad patris deificam simplicitatem, & perfectam unitatem. Unde Dionysius in principio Angelicæ Hierarchiæ assumens verbum propositum, dicit sic: Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum. Sed & omnis a patre luminis notæ apparitionis processus in nos bonitatis dono veniens, rursus, ut vivifica virtus, extensive nos adimplet, & convertit ad congregantis patris unitatem, & deificam simplicitatem. Etenim ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ut ait sacer Dionysius. Ista exponens commentator Linconiensis, ibidem dicit: Sumus enim nos primo, per varios variarum rerum amores distracti, divisi, & multiplicati, & ex ipsa distractione contracti, corrugati, & multiplicati. Ideo luminum, sive donorum divinorum apparitio in nos proveniens, velut vivifica virtus ordine converso, quo in nos venit, recedendo secum ad suam originem unde venit, ab hujusmodi contractione, corrugatione, & multiplicatione, nos extendit, dilatat, & majorat; & avertens nos a multitudine prius amatorum, convertit nos ad patris congregantis unitatem, & deificam simplicitatem. Sequitur:: Sua simplicitas autem est deifica, quia spiritum ei soli adhærentem, ut Salvator ait, jam unit sibi, &

Sap. 7
Joan. 1
Joan. 14
1 Cor. 14
Dion. de cal. Hierar. c. 1 in prin.
Ibidem.

A conformat, & deiformem efficit, & licet non substantialiter, participatione tamen ipsius, Deum facit, secundum quod ait Psalmista: Ego dixi, Dii estis. Et sic spiritus adhærens Deo puro amore fit magnus, expansus, & simplex, & unitus, quia a dispersione congregatus. Hæc ille. Verbum igitur paternum dicitur datum optimum: In quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, secundum Apostolum. Quod Verbum in natura humana nobis datum, noster frater efficitur, quem fratrem sponsa ferventer desideravit, dicens: Quis mihi det te fratrem meum, &c. Spiritus, autem sanctus donum perfectum dicitur, quia a

B patre, & filio, ut donabilis spiratur, ut dicit Aug. Qualiter Verbum datum optimum mittit nobis donum perfectum suum, ut ipse testatur, dicens: Ignem veni mittere in terram. Quod verbum Ambrosius exponens de missione Spiritus sancti, qui est ignis amorosus, illuminans intellectum, & pariter inflammans affectum, dicit: Venit Dominus ignem mittere in terram, non utique bonorum consumptorem, sed bonæ voluntatis, auctorem, scilicet Spiritum sanctum: qui aurea vasa Dominicæ domus, id est, animæ potentias, capaces divinitatis meliorat, donis & virtutibus adornando, & perficiendo: fœnum vero consumit & stipulam, id est, tam magna, quam mi-

C nora offendicula per ignem charitatis expellendo. Et Bernardus dicit: Spiritus sanctus profecto monet memoriam, docet intelligentiam, & movet voluntatem. *Et in alio sermone*: Nec minimam paleam peccati intra cordis, quod possidet habitaculum patitur residere: sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit illud spiritus suavis & dulcis. Hæc ille. Qui sol infiniti, & amorosi ardoris, scilicet Spiritus sanctus, tripliciter exurit montes, id est, elevatas mentes, scilicet memoriam, intellectum, & voluntatem. In quibus consistit imago Dei, & ideo capaces sunt Dei, ut dicit August. de Trinitate. In tantum, ut Pater in memoria audiatur, & Verbum, sive filius

Psal. 81.
Coloss. 2
Cant. 8
Aug. l. 15 de Trin. c. 17. 18. & 19 tom. 3
Luc. 12
Amb. com. in Luc. l. 2, c. 12. s. 3.
Bern. ser. 1. in festo Pente. circa med.
Idem se. 2 in eo festo, prope fin.
Eccli. 43
Aug. l. 11 de Trin. c. 11 & l. 14 c. 4. t. 3

lius in intelligentia videatur: & Spiritus sanctus, in voluntate amplexetur. Dicit enim Richardus: Sic Deus auditur per memoriam, videtur per intelligentiam, deosculatur per affectum, amplectitur per applausum. Vel si melius placet, inquit Richardus, auditur Deus per revelationem, videtur per contemplationem, sed deosculatur per devotionem, & astringitur per dulcedinis suæ infusionem, ut infra plenius patebit dono quinto, scilicet consilii. Non autem solum sol iste divinus exurit montes, ut dicitur in Ecclesiastico: sed & igneos radios exsufflat, & refulgens radiis suis excæcat oculos. Igneos radios ardentissimæ charitatis exsufflat septem, quando nobis inspirat radios suos septem donorum, qui & illuminant, & inflammant mentes humanas, quia Spiritus sanctus datur in eis: intantum ut oculos cæcorum illuminent, & oculos videntium obducant, ut patet, quando Apostoli a Spiritu sancto inspirati, septem donis ejus ita lucebant, & ardebant, ut pene totum mundum illuminarent & inflammarent signis & doctrinis, & quosdam propter nimiam refulgentiam obcæcarent, non valentes tantum fulgorem vel refulgentiam sustinere. Quare clamabant, dicentes. Isti ebrii sunt, vel musto pleni sunt.

Richar. l. 4 de contemplat. c. 13 post med.

Eccli. 43.

Act. 2

Ista septem dona, privilegiata sanctitate, dicuntur radii ignei: quia Spiritus sanctus per ea, quasi ad modum ignis amorosi humiliat alta, per donum timoris: liquefacit dura, per donum pietatis: illuminat obscura, per donum scientiæ: consolidat mollita, per donum fortitudinis: restringit fluida, vel dirigit deviantia per donum consilii: clarificat metalla, per donum intellectus: ignit frigida per donum sapientiæ. Spiritus sanctus igitur per dona sua nobis donat lumen veræ cognitionis, & fervorem sancti amoris. Quæ duo maxima dona, & bona sunt, quæ nobis hic dantur ad felicitatem æternam prægustandam, & in futura vita feliciter consummandam. De quibus duobus bonis commentator Dionysii Hugo dicit sic: Duo sunt,

Dona Spiritus sancti sunt radii ignei.

Hugo de S. Vict. in c. 7

A cognitio & amor: unum pertinet ad illuminationem, alterum vero ad refectionem. Cognitio veritatis illuminat: amor bonitatis satiat. In his beatitudo constat, cognoscere verum & amare bonum. Duo inquit Hugo prædicta apud nos sunt magna bona, & non inveniuntur apud nos majora alia his neque ad gaudium neque ad felicitatem nostram magis operantia, quam lumen & dulcedo: Nam si illuminaris, magnum bonum est, sed non plenum. Si satiaris & non illuminaris, magnum bonum est, sed non perfectum. Refectio iucundum facit, quod intus est. Illuminatio iucundum facit, & exhibet quod foris est. Videtur quidem

cæl. Hiera. l. 7 longe post med.

B refectio magis necessaria esse, utrumque tamen ad plenum gaudium exigitur. Hec ille. Sed quia hæc duo bona magna, & summe nobis necessaria, scilicet refectio & cognitio a Spiritu sancto in septem donis eius conferuntur, ut dicit Gregorius. Ideo diligenter investigandum est nobis, qualiter hæc duo in illis bonis inveniantur, & obtineantur, ut nos per ipsa mentaliter illuminemur ad cognoscendum cœlestia, & spiritualiter reficiamur ad perfecte consequendum illa. Dicit namque Gregorius ibidem exponens illud Job: Ibant filii ejus septem, & faciebant convivium per domos unusquisque in die suo: Dies, inquit, uniuscujusque filii, id est doni, sive virtutis in mente

Greg. l. 1 Mor. c. 16.

Job. 1

C a Deo concepti, est illuminatio. Qui filii per domos convivia faciunt, dum virtutes, sive dona singula, juxta donum proprium mente pascunt. Hæc ille. Igitur iuxta septem filios, sunt septem dies spirituales, sive illuminationes, & quælibet dies habet suum convivium. Igitur sicut septem sunt dies, ita & septem convivia erunt, sive septem mentis refectiones, nos præparantia, & nos habilitantia ad illud grande convivium, quod verus Assuerus septem diebus jussit præparari cunctis principibus, & pueris suis.

Esther 1.

CA-

Caput II.

Quot sint septem Spiritus sancti dona, & quare in septenario numero.

VIso quod datum optimum, scilicet verbum incarnatum, misit nobis donum perfectum, scilicet Spiriritum sanctum, qui ut sol amoroso ardore exurens montes, id est elevatas mentes, igneos radios septem donorum inspirando exsufflat: ut tamquam scintillæ igneæ in arundineto mentis discurrant, ut & in operationem foras erumpant, & proximos verbis, & exemplis tangendo, igne amoris accendant. Ideo modo videndum est de istis septem donis, sive radiis, qualiter in nobis recipiantur, & operentur. Et sunt quædam de donis istis præmittenda in generali, & postea de quolibet dicetur in speciali. Circa primum, quinque sunt videnda, propter majorem notitiam aliorum infra dicendorum. Primo videndum est, quot sint dona Spiritus sancti, vel quid dicantur. Secundo qualiter hæc dona, ab aliis habitibus distinguantur. Tertio, quæ utilitates in his donis conferantur. Quarto, qui & quales, istorum donorum capaces efficiantur, & qualiter obtineantur. Quinto, qualiter dona descendendo, & ascendendo ordinantur.

Eccl. 43. a *Sap. 4.*

Primo igitur videndum est, quot sint dona Spiritus sancti. Circa quod est sciendum, quod Linconiensis commentator Dionysii exponens verbum illud, Omne datum optimum, & omne donum perfectum: dicit esse differentiam inter dationem, & inter datum bonum, & inter donum perfectum. Nam datio est dantis actio, & quandoque sumitur pro re data quacumque, quæ potest dari. Et hæc datio bona extendit se tam ad dona, data bona, quam ad donum perfectum. Et hæc datio, vel donatio, convenit toti Trinitati, quæ est infinitæ liberalitatis, dans omnia omnibus, secundum cujuslibet capacitatem, & gradum essentiæ suæ. Si enim natura non deficit in

Dationem, datum optimum, & donum perfectum differre.

Arist. l. 1

A necessariis, ut dicitur in libro de cælo & mundo, & de anima, multo minus Dominus non deficit in necessariis. Qui enim omnia bona creavit, omnia bona regit. Sed talis datio proprie non dicitur donum, prout nunc loquimur de donis, donum tamen est. Datum vero bonum, inquit Linconiensis, dicitur, quod nos bonificat, ut omnia quæ nobis a dante conferuntur, quibus boni efficimur. Sunt autem data bona fortunæ, & omnia talia tam exteriora, quam interiora bona, & cum eis bene utimur, nos perficiunt perfectione prima. Donum autem perfectum, inquit Linconiensis, sumitur pro bonis gratuitis nos in bene B esse perficientibus. Unde in cap. 3. Angelicæ Hierarchiæ dicit sic: Licet perfecti simus, quantum ad speciem humanam, a natura tamen perfectio quantum ad bene esse, deficit nobis. Unius enim cuiusque rei creatæ plena perfectio est, non esse impeditæ operationis, propter quam creata est: nec remissæ virtutis, a qua procedit. Natura enim operans otiosa est, & intantum deficiens, inquantum ab operatione propria otiatur: Cum vero ea non impedite, nec remisse operatur, non est quod ei ultra ad plenitudinem adiiciatur. Ad talem autem perfectionis plenitudinem, homo mortalis pervenire non potest, nisi supernatu- C ralibus luminibus, sive donis adiuvetur. Unde Hugo dicit: Rationalis creatura: quæ sola ad imaginem conditoris facta legitur, data accepit optima, dum conderetur ad infima: & data accepit perfecta, dum sublimaretur ad summa. Neque enim melius alteri naturæ datum est ab eo, quod primum accepit per creationem, scilicet imaginem Dei. Neque perfectius accepit eo, quod postmodum esse meruit per gratiam, scilicet Dei templum, Dei filius ut per amoris vinculum Deo inseparabiliter colligetur, & sic fieri beatam: quod meruit per gratiam. Igitur dona perfecta gratuita, perficiunt dona optima naturalia, ut sic spiritus humanus per habitus donorum deiformium, reducatur ad plenam perfe- ctio-

De ca. tex. 42. & l. 2 tex. 50. & 59 l. 3 de ani. tex. 45

Hug. de S. Vict. l. 1 in cœl. Hierarch. non longe a prin.

ctionem, & operetur operationes non impeditas, prout possibile est in corpore corruptibili. Et sic dona ista videntur esse habitus quidam gratuiti, vel gradus quidam, & non habitus diversi luminis divini & gratuiti, secundum quosdam a Spiritu sancto mentibus humanis infusi, quibus disponantur, ut habiles fiant, & dispositi ad sequendum instinctus Spiritus sancti: qui instinctus sunt memoriæ admonitio, intellectus illuminatio, voluntatis motio. Et licet ratio, & synderesis sint quidam instinctus in homine, inclinantes eum ad aliquem sibi connaturalem finem consequendum per potentias eis: tamen quod consequantur finem ultimum supernaturalem non sufficiunt, quia in corpore corruptibili, habent operationes multipliciter impeditas. Et ideo indigent virtute superioris agentis, ad consecutionem talis finis. Unde Philosophus in libro de bona fortuna dicit: His, qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam, quia id quod intendunt, consequuntur a meliori principio, quam sit ratio humana, scilicet per instinctum divinum. Ad cujus instinctus consecutionem dona ejus nos habilitant, & præparant, quæ ab ipso liberalissime donantur: Sunt autem hæc privilegiata dona septem, quæ dicuntur privilegiata, eo quod in eis donatur Spiritus sanctus appropriate loquendo, & quod secundum Prophetam fulserunt in Christo, ut patet in Isaia qui dicit ea super florem qui ascendit de radice Jesse requievisse, ubi enumerat ea, dicens: Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. In hac autem enumeratione, descendendo procedit a summo & combinando per mediam capulam, ut simul ostendatur donorum distinctio & connexio, origo, & ordo: Sunt autem hæc dona tantum septem. Quia sicut dicit Gregorius: Per septenarium significatur universitas, ut sicut mundus septem die-

Isa. 11

Cur dona Spiritus sancti in septenario numero.

Greg. super Eze. hom. 1

A bus est perfectus, sic & minor mundus homo, septem donis Spiritus sancti perficiatur. Sunt enim septem dona propter septem expeditiones hominis, tam in vita activa, quam in vita contemplativa, necessaria. Nam Anselmus dicit, quod quinque dona inferiora respiciunt vitam activam, & duo alia, respiciunt vitam contemplativam. Superiora sunt, donum sapientiæ & intellectus, ut infra patebit. Et sic septem dona sunt septem radii spirituales, tam splendidi, quam igniti, procedentes a sole ardentissimæ charitatis: quibus sapientia ædificavit sibi domum, & manerium quasi septem columnis excisis, quibus fulcitur, & adornatur, & perficitur. In qua sapientia B dulcissima convivia spiritualia ministrat inhabitantibus. Unde dicitur: Sapientia immolavit sibi victimas, & miscuit sibi vinum, & proposuit mensam suam, cuius copiam & dulcedinem nemo scit, nisi qui accipit per experientiam, vel per revelationem, ut dicit Augustinus, vel per prædestinationem, ut ait Haymo.

Ansel. l. de simil. c. 131

Prov. 9 Ibidem. Aug. hom. 2 in Apoc. prope fin. to. 9.

Haymo in c. 2 Apoc.

Caput III.

Septem Spiritus sancti dona qualiter ab aliis habitibus, & donis distinguantur.

C Secundo videndum est, qualiter hæc septem dona Spiritus sancti, ab aliis habitibus, & donis distinguantur. De quo notandum est, quod commentator Dionysii, Hugo super principium Angelicæ Hierarchiæ dicit sic: Gratia divina illuminatio est, & ipsa dona gratiæ lumina sunt, illuminantia eos, qui se participiant: & omnis gratia ab uno fonte descendit, & omnis illuminatio ab uno lumine: & multi sunt radii, & unum lumen. Et spargit se unum lumen, ut multos illuminet, & lucent illuminati multi, & non videtur nisi unum lumen, & fiunt multi unum, in lumine uno. Hæc ille. Ex quo ap-

Hugo. de S. Vict. l. 2 in calce. Hierarc. c. 1 paul. a prin.

paret, quod gratia est lumen, multos habens radios, vel gradus, diversarum virtutum, & ornamentorum spiritualium. In ipsa enim gratia gratum faciente datur Spiritus sanctus, qui est donum perfectum perficiens animam, ut efficiatur filia Patris æterni, sponsa Christi, & templum Spiritus sancti. Ideo merito vocatur gratia gratum faciens. Sine enim ipsa nullus potest mereri, nec in bono proficere, nec ad æternam vitam pervenire. Ideo necesse est, ut per varios radios gratiæ, habeat anima varia exercitia virtutum, donorum, beatitudinum, fructuum spiritualium, & spiritualia dona sensuum, ut & vita spiritualis ex ipsis perfecta manifestetur. Gratia igitur cum sit origo, & forma omnium habituum, & gaudium virtualium, ramificatur in habitus, vel gradus virtutum moralium, quibus vires appetitivæ perficiuntur, ad obediendum rationi, qua reguntur, ut in omnibus actibus suis recte, & delectabiliter, & perfecte omnia operentur. Sunt autem quatuor virtutes morales, quæ dicuntur cardinales: quia ut ostium vertitur in cardinibus, sic vita humana vertitur, & regitur in his virtutibus, quæ sunt: Prudentia, quæ rectificat rationalem. Fortitudo, rectificat irascibilem. Temperantia, rectificat concupiscibilem. Justitia, rectificat omnes vires, quia comprehendit totius animæ rectitudinem, cum ipsa rectitudo dicatur voluntatis. Et dicit August. quod prudentia necessaria est in eligendis, fortitudo in tolerandis, temperantia in utendis, iustitia in distribuendis. Et August. dicit, quod prudentiæ succedit contemplatio, fortitudini firma adhæsio, temperantiæ, dilectionis mensura, respectu creaturarum, vel creaturæ. Quia dilectionis divinæ mensura est sine mensura, ut dicit Bernardus. Justitiæ succedit ordinatio debita ad Deum, & proximum. Ramificatur etiam gratia gratum faciens in habitus, vel gradus virtutum intellectualium, quibus ratio perficitur, quæ est virtutum moralium motiva & directiva, ne per

Gratia gratum faciens.

Quatuor virtutes Cardinales

Aug. l. 4 de Trin. c. 9 t. 3 Idem l. 6 Musicæ. c. 16 t. 1

Per. l. de dilig. Deo cir. prin.

A immoderantiam illarum impediantur virtutes intellectuales mentis contemplativæ tendentes in cognitionem divinarum veritatum, quibus mens illuminatur, vel etiam reficitur. Et sunt tres, ut dicit Philosophus. Sapientia regit affectum: Intelligentia intellectum: prudentia regit utrumque. Prudentia enim spiritus regit cogitationes, & affectiones. Sapientia regit affectum: dum ei sapere facit unumquodque prout est, cælestia ut cælestia, terrena ut terrena. Unde Bernardus: Invenisti sapientiam, si tibi singula horum sapiunt prout sunt. Igitur quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram: ait Apostolus. Intelligentia B regit intellectum, dum ipsum introducit per omnia velamina usque ad intimas quidditates rerum. Dicitur enim in libro de spiritu & anima, quod intelligentia est, qua de divinis, quantum possibile est, cognoscitur ad cælestia arcana penetranda. Prudentia vero regit utrumque quia, ut dicit Philosophus, Prudentia est recta ratio agibilis utriusque. Ramificatur etiam gratia gratum faciens, & proficit in habitus & gradus virtutum Theologicarum, quæ sunt perfectiones, & virtutes prædictæ, eo quod per virtutes Theologicas anima perfectius in Deum fertur, & ei immediatius coniungitur. Sunt autem tres virtutes Theologicæ, C scilicet fides, spes, & charitas. Fides Deum quærit, & scrutatur. Spes Deum sapit, & de tentione assecuratur. Charitas Deum tenet, & amplexatur. Unde in Canticis dicit amica: Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam, ubi dicit Bernardus: Quis te non teneat Domine Jesu, qui tenentem spe fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis, remuneratione perducis? Ramificatur etiam gratia hæc in habitus, vel gradus septem donorum Spiritus sancti, qui vires animæ disponunt ad hoc, quod bene & prompte subdantur motionibus Spiritus sancti, qui in eis donatur. Et quasi super humano modo operatur, quod tamen perfecte fieri non potest, nisi per dona ista

Arist. l. 6 Eth. c. 1. 8 & 7

Ber. ser. de eo quod scriptum est: Beatus homo qui invenit sapientiam, &c. post med. Col. 3 Auctor de spir. & ani. c. 11 apud Aug. t. 3

Arist. 6 Eth. c. 5

Virtutes Theologicæ.

Cant. 3

vires

vires mentis sanentur, & reparen- A tur. Dicit namque Hugo in tracta- [Hugo tract. de quinque sept. c. 2 Excerpt. seu allegoriarum in Matt. l. 2 c. 16 & 17] tu suo de quinque septenis circa principium sic: Sunt septem vitia capitalia, sive principalia, ex quibus universa mala oriuntur: quæ sunt fontes abyssi tenebrosæ, de quibus flumina Babylonis exeunt: quæ vastant universam naturæ integritatem, & generant quosdam animæ languores, interioris hominis quasi vastatores. Quorum quidam hominem spoliant, quidam spoliatum flagellant, quidam flagellatum eiiciunt, quidam ejectum seducunt, quidam seductum servituti subiiciunt. Superbia enim aufert homini Deum. Invidia aufert ei proximum. Ira aufert ei seipsum. Tristitia spolia- B tum flagellat. Avaritia flagellatum eiicit. Gula ejectum seducit. Luxuria seductum servituti subiicit, dum spiritum humanum fœdæ carni servire compellit, ut jam infir- [Psal. 68] mus spiritus cum Psalmista clamet: Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Ascendi in altum maris, & tempestas demersit me. Hæc ille. Sed ecce Spiritus sanctus, qui est fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam ut dicit Dominus, Septem flumina tam splen- [Joan. 4] dida veritate, quam ignea charitate, & vivida veritate effudit in orbem terrarum. Hæc autem flumina, septem sunt dona Spiritus sancti, quibus Deus totum regnum ani- C mæ purgat, & fœcundat, & omnes vires mentis sanat, ornat, & consummat, intantum ut quilibet credens, fiat fons de cujus ventre fluent aquæ vitæ, sicut dicit Scriptura, ut ait Dominus. Nam per [Joan. 7] donum timoris Domini Spiritus sanctus superbiam ab homine expellit, & Deum humiliter introducit. Per donum pietatis, invidiam turpiter conculcat, & proximum ad se dulciter invitat. Per donum scientiæ, iram totaliter sedat, & totum hominem intra se prudenter pacificat & quietat. Et per donum fortitudinis acediam velociter opprimit, & vigorem mentis, vehementer ad operandum impellit. Per Donum consilii, avaritiam potenter extinguit, & thesauros cælestes sapienter conquirit. Per donum intelligentiæ, seu intellectus, gulam violenter reprimit, & cœlestibus deliciis mentem spiritualiter reficit. Per donum sapientiæ luxuriam viriliter despicit, & totum hominem castitati, & libertati restituit. Omnia prædicta, infra in singulis donis patebunt. Et Hugo in [Hugo de S. Vict. l. proxime cit. c. 4 sen. 18] fine prædicti libri, concludit dicens. Spiritus ergo sapientiæ, cor sua dulcedine tangens, & foris concupiscentiæ ardorem temperat; & sopita concupiscentia intus spiritualem creat: quatenus dum mens tota ad internum gaudium colligitur, plene ac perfecte homo ad imaginem Dei reformetur. Sapientia namque a sapore dicitur. Cum igitur mens internæ dulcedinis gustu tacta se per desiderium intus colligit, nec foris jam enormiter in carnis voluptate dissolvitur, totum intus possidet in quo delectatur. Gustato enim spiritu desipit omnis caro. Hæc ille. Est tamen sciendum, quod sicut dicit Gregorius, Dona [Greg. l. 1 Moral. c. 13] ad perfectionem plenam non perveniunt, nisi Fide, Spe, & Charitate, fiat omne quod agunt, quia sibi invicem cooperantur. Ecce sanctissima dona nos habilitant, & disponunt ad summi boni capacitatem, familiaritatem, & fruitionem. Sed quia dicit Augustinus, pertractans [Aug. l. 15 de Trin. c. 2 t. 3] illud Psalmi: Lætetur cor quærentium Dominum, quærite fa- [Ps. 104] ciem ejus semper. Qui semper quæritur, numquam invenitur. Quo modo igitur lætabitur cor quærentium Dominum & non magis tristabitur? Et respondet Augustinus quod Dominus incomprehensibilis est: & hoc cognoscere invenire est. Bene dicit igitur, quod sine fine quærendus, qui sine fine est diligendus. Satiabimur tamen, cum apparuerit gloria ejus. Ideo gratia ejus gratum faciens, ramificare, & proficere debet, usque ad gradus & excellentias perfectionum, secundum quas homo operatur, quasi divino modo perfectissimos actus, quadam excellentia, quia vero fini magis appropinquant, recto vocabu-

lo nuncupantur, ex nomine beatitu- A dinum. Sunt autem septem beatitudines, quas Salvator enumerat. *Matt. 5* Licet secundum aliquem modum possent dici octo. Et sunt hæc, scilicet paupertas spiritus, mititas luctus, esuries, justitia, misericordia, cordis munditia, & pax. *Octo beatitudines, & earum ordo.* Numerus istarum beatitudinum, & ordo accipitur, ex integritate perfectionis hominis. Primo, ad integritatem perfectionis, necessario requiruntur] tria. Primo perfectus recessus a malo. Secundo, perfectus processus in bono. Tertio, perfectus status in optimo. Sane malum, aut procedit ex tumore superbiæ, aut ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ: sed paupertas B spiritus elongat a malo tumoris: & est prima beatitudo. Quia dicit *Gloss. in Matt. 5* Glossa: Sicut initium sapientiæ est timor Domini, sic paupertas spiritus, est principium beatitudinis. Et facit duo, scilicet rerum abdicationem, & spiritus contritionem, sive humiliationem. Mititas elongat a malo rancoris. Luctus elongat a malo libidinis, & languoris concupiscibilis. Secundo, ad processum in bono, pertinent duæ beatitudines, scilicet esuries justitiæ, & affectus misericordiæ. Tertio ad statum optimum, pertinet limpida cognitio, & tranquilla refectio. Munditia cordis, valet ad videndum. Pax ultima beatitudo mentis, valet C ad perfecte fruendum. Sunt & aliæ rationes, hujus numeri & ordinis, ut infra patebit. De hac pace dicit beatus August. sic: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, *Aug. serm. 167 de tem. in prin. t. 10* simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles armat, discordes sedat, inimicos concordat. Cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari. Hanc qui accipit teneat, qui perdit repetat, qui amiserit exquirat, quoniam qui in eadem, non fuerit, vel erit inventus, a patre abdicatur, a filio exhæredatur, & nihilominus a Spiritu sancto alienus efficitur, nec ad hæreditatem Domini pervenit, qui testamentum pacis, observare noluit. Hæc August. Hac agitur pace habita, quid sequitur nisi superabundans delectatio spiritualis, quæ consequitur opera perfecta? Dicit enim Origenes super Cantica. De natura boni operis est, quod ad ipsius multiplicationem multiplicatur delectatio, & quasi quoddam condimentum cibi spiritualis est hilaritas bene operantis. Et Gregorius in Moralibus dicit: Comedere animæ, est bonis operibus satiari. *Greg. l. 12 Mor. c. 8 statim a prin.* Bonum enim operatum, fert secum dulcedinem in gustu, & gaudium in corde. Cum igitur in beatitudinibus prædictis sint operationes perfectissimæ: necesse est, ut dulcedines dulcissimas generent, in habente illas. Ad has beatitudines igitur propter suam plenitudinem, & perfectionem, duodecim fructus spiritus, & quinque sensus spirituales, consequuntur. Qui non dicunt novos habitus, sed status delectationum, & consolationum, quibus consolantur spiritus justorum virorum. Continetur autem numerus istorum fructuum in duodenario, propter insinuandam superabundantiam delectationum. Est enim numerus duodenarius abundans, in quo insinuatur spiritualium charismatum exuberantia, quibus fruitur, & delectatur anima sancta. Fructus autem sunt hi. *Fructus spiritus qui sunt.* Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, & castitas. Qui dicunt delectationes, consequentes opera perfecta. Per sensus autem spirituales, qui dicunt perceptiones, vel experientias mentales, percipit anima spiritualia fructuum oblectamenta. Sed notandum est quod sicut dicitur in libro de spiritu, & anima: *Aust. de S. & an. c. apud A. t. 3* duo sunt sensus in homine, unus exterior, alter interior, & uterque suum bonum habet, quo reficitur. Sensus exterior reficitur contemplatione humanitatis: sed sensus interior contemplatione divinitatis. Propterea Deus factus est homo, ut totum hominem beatificaret, & tota conversio hominis,

&

& dilectio esset ad ipsum. Hoc enim totum bonum hominis erat, ut sive egrederetur, sive ingrederetur, in suo factore pascua inveniret. Constat enim homo ex carne & anima. Et in carne sunt quinque sensus, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, quos tamen non movet absque animæ societate. Ita anima simili modo habet quinque sensus spirituales. Quia spirituales res, non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt. *Et sequitur ibidem*: Unde divina vox in Deuteronomio: Videte quod ego sum Dominus solus. Ecce visus spiritualis. Et in Apocalypsi: Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiæ: Ecce auditus spiritualis. Et in Psalmo: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Ecce gustus spiritualis. Et Apostolus dicit: Bonus odor Christi sumus. Ecce odor Christi spiritualis, vel olfactus. Et in Evangelio, fide mulierem se tetigisse, magis quam corpore ostendit, dicens: Quis me tetigit? Ecce tactus spiritualis. Et sequitur: sic cum omni cautela observandum est, quid ad corporis sensus, & quid ad animæ dignitatem pertineat. Hæc ille. Hos sensus spirituales, & eorum experientiam videtur Augustinus habuisse, qui ait sic. Quid amo, cum Deum meum amo, certe non exteriora, sed amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdam cibum, & quemdam amplexum interioris hominis mei: ubi fulget animæ meæ lumen, quod non capit locus, ubi sonat verbum, quod non capit tempus, ubi olet odor, quem non spargit flatus, ubi cibus, quem non minuit edacitas, ubi hæret amplexus, quem non divellit societas. Hæc amo, cum Deum meum amo. Hæc Augustinus. Ex his aliqualiter apparet vel apparere potest distinctio & differentia prædictorum habituum, vel magis graduum & intensionum perfectionalium. De his sensibus spiritualibus plenius dicitur in tractatu de itineribus æternitatis. cap. 6.

Quinque sensus spirituales in anima.

Deut. 32.
Apoc. 2.
Ps. 33.
2 Cor. 2.
Mar. 5.
Aug. l. 10 conf. c. 6. n. 4.

CAPUT IV.

Quæ utilitas in septem Spiritus sancti donis conferatur?

TErtio videndum est, quæ utilitas in istis septem donis Spiritus sancti conferatur. Circa quod notandum est, quod Spiritus sanctus per sua dona primo sibi domum mentalem in jucundum habitaculum, & in sanctum manerium præparat. Nam donum sapientiæ, virtutibus ædificat mentis domum. Donum intellectus, mentis domum contemplatione illuminat. Donum consilii, domum mentis gubernat prudentia. Donum fortitudinis mentis domum stabilit & defensat patientia. Donum scientiæ, mentis domum multipliciter ditat, & cibat divinis veritatibus. Donum pietatis, mentis domum divino cultu perornat. Donum timoris, mentis domum mundam conservat, & omne peccatum ab ea totaliter expellit, & extirpat: quia timor Domini expellit peccatum, ut dicitur in Ecclesiastico. Hæc possunt elici ex verbis Bedæ in una homilia super Matth. cap. 12. ubi dicit. Sapientia domum ædificat. Intellectus gubernacula invenit. Consilium bona a malis discernere facit. Fortitudo in patientia animam possidet. Scientia divitiæ Dei & salutis acquiruntur. In pietate prosperitas præsentis vitæ & futuræ consistit, ad omnia enim utilis est. Timore humilitas conservatur, & omne peccatum expellitur. Et sic mens humana Deo in habitaculum sanctum præparatur. In quo habitaculo, quantam familiaritatem Dominus cum mente humana habeat, & quot consolationes ei exhibeat, infra patebit. Secundo dona Spiritus sancti, totam familiam domus mentalis, sive vires animæ ad expedite ministrandum Deo, & faciliter obediendum disponunt & habilitant, ut docet Beda super Matthæum exponens illud verbum: Mulier habuit septem viros. Spiritus sapientiæ, negligentiam, scilicet ministerii a pigro repellit. Spiritus intellectus diligentiam ministrandi ratio-

Eccli. 1.

tionabiliter quærit. Spiritus consilii providentiam divinam prudenter invenit. Spiritus fortitudinis impedimenta ministrandi fortiter retundit. Spiritus scientiæ oblivionem diu esse non sinit lubricam. Spiritus pietatis humanam fragilitatem circa ministerium clementer indulget. Spiritus timoris Dei improvidam ignorantiam ardenter decoquit, & mentem pia solicitudine ad satisfaciendum Deo impellit. Quia qui Deum timet, nihil negligit, ait sapiens. Et Gregorius dicit: Deum timere, est nulla quæ facienda sunt, præterire. Et sic tota familia mentis, serviet universorum Domino, cui servire regnare est, ait Apostolus & Gregorius. Sed necesse est scire hic, quæ sit ista familia mentis, & quæ sit dignitas, ordo, & operatio eorum. De quo notandum est, quod in libro de spiritu & anima, dicitur: quod nobilis creatura est anima. Civitas namque Dei est, de qua, secundum Psalmistam, tam gloriosa dicta sunt, quia ad imaginem & similitudinem Dei facta sit. *Sequitur*. Sed quia nulla est civitas absque populo, ideo disposuit in ea conditor noster populum triplicis gradus, id est, sapientes ad consulendum, milites ad pugnandum, artifices ad ministrandum. *Et sequitur ibidem*: Cives hujus civitatis sunt naturales, & ingeniti animæ vigores, tamquam indigenæ: quorum distincti sunt gradus, alii sunt superiores, alii medii, & alii inferiores. Superiores quidem, sunt sensus intellectuales. Medii rationales. Infimi sunt animales. Et tantum de familia hac sufficiat, quantum ad præsens propositum. Sed de ordine istius familiæ, & operatione infra require, cap. 5. secundæ partis. Tertio Spiritus sanctus per dona prædicta, totam familiam animæ, sive mentis vires erudit, & munit contra tentamenta, & defectus naturales, vel contractos, quibus secundum dispensationem divinam, quandoque exercentur: ne otiosi in delectabili tranquillitate donorum tepescant, & inde habeantur ut ingrati, & non cognoscant. Unde Gregorius dicit sic: Nonnumquam dum

Eccli. 7 Greg. l. 1 Mor. c. 3 fere in prin.

Auct. de spir. & ani. c. 37 in princ. c. 3

Psal. 86

Greg. l. 2 Mor. c. 37 ante med.

A mens nostra tanti muneris plenitudine donorum, atque ubertate fulcitur, & continua securitate in his perfruitur, unde sibi hæc sunt, obliviscitur: & quasi se putat habere, quod numquam sibi consideravit abesse. Unde fit quod eadem gratia donorum, quandoque utiliter se subtrahat, ut menti præsumenti, quantum in se infirmetur, ostendat. *Sequitur*. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus, quia a nobis servari non possunt. Et dicit ibidem quod contra singula tentamenta Spiritus sanctus erudit & munit mentem, in septem virtutibus sive donis, quæ pro eodem accipit, ut patet ibidem.

B Unde contra stultitiam humanam, vel mundanam, dat sapientiam divinam. Contra hebetudinem humanam, dat donum intellectus. Contra præcipitationem periculosam, dat donum consilii. Contra timorem, ut est passio, dat donum fortitudinis. Contra totam ignorantiam, dat donum luminosæ scientiæ, Contra cordis duritiam, dat donum benignæ pietatis. Et contra pertinacem superbiam, dat donum humilis timoris.

Et infra dicit: Mira autem hoc nobiscum agitur dispensatione, ut mens nostra culpæ nonnumquam pulsatione feriatur. Nam homo ma-

C gnarum virium se esse crederet, si nullum umquam virium suarum defectum intra mentis arcanum sentiret. Nam unde se pertimescit enormiter cadere, inde accipit fortiter stare. Et ut dicit Gregorius ibidem: Tentatio talis excitat, ut se mens in certamine cautius accingat. Quarto Spiritus sanctus per dona omnes vires mentis, & totam familiam animæ habilitat, & disponit, ut ad cœlestia per gradus ascendant, ubi est vera patria animæ. Unde Gregorius exponens illud, Septem graduum erat ascensus civitatis, ait: Sunt multi, qui jam per septem gradus id est, per spiritus septiformem gratiam, aditum vitæ cœlestis inveniunt, ut hi, Qui per timorem Dei sunt humiles. Unde dicitur in Job: Qui hu-

Idem f Exec. l ante m

Iob 2

humiliatus fuerit, erit in gloria scilicet cœlesti. Per pietatis studium, sunt misericordes, quia in Matthæo dicitur: Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur, &c. Per scientiam sunt discreti, sunt discernentes inter malum & bonum, & qualiter salventur. Quam scientiam dat Spiritus sanctus, ut dicit Anselmus. Per fortitudinem, sunt liberi vel animosi, ut nulli vitio subiiciantur: quia fortitudo & decor indumentum eius. Decor autem vitium vincit. Per consilium, sunt cauti: Unde in Ecclesiastico dicitur: Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Per intellectum, sunt providi, quia intellectus cum dono superaddito penetrat omnia velamina usque ad arcana cœlestia, de hoc infra. Per sapientiam sunt maturi, juxta illud: Quæ attingit a fine, usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Et hæc amicos Dei constituit. De hac sapientia dicit Alanus libro de planctu naturæ sic: Sapientia est fructus internæ delectationis, deliciosus animæ paradisus. Hæc cum in cœlestem terrenum, id est in mortalem cadit hominem, in Deum deificæ mutationis auctoritate convertit. Sunt & aliæ multæ utilitates, ut in singulis donis patebit.

Mat. 5 — *Anselmus Li. de similit. c. 130* — *Eccli. 32.* — *Sap. 8.* — *Alan. de insulis.*

Caput V.

Qui & quales donorum Spiritus sancti capaces efficiantur, & qualiter ea obtineantur.

QUarto videndum est, qui, & quales, & qualiter istorum septem donorum sive radiorum capaces efficiantur, quæ tam liberaliter fidelibus exhibentur. De quo notandum est, quod Dionysius de divinis nominibus, secundum commentum abbatis Vercellensis dicit sic: Cum divinitas supersubstantialiter sit bona & suam bonitatem ad universitatem extendat, cujus rei qualecumque indicium in sole corporeo ostenditur, qui non præmissa electione, sed ex principali naturæ suæ proprietate, per seipsum, quantum in se est, circumquaque cuncta illuminat luminis sui capacia, & sibi exposita, & hoc secundum singulorum illuminandorum proportionem: sic merito divina bonitas incomparabiliter super solem, non minus super obscuram imaginem, quam super claram, non minus super cæcam, quam videntem, ut alibi exemplificat, ex proprietate naturæ suæ omnibus creaturis suis proportionaliter immittit radios suæ universalis bonitatis, per quos subsistit, vivit, & operatur unaquæque creatura, prout sibi competit. Propter quod Spiritus sanctus cum sit summæ liberalitatis, radios suorum donorum omnibus exhibet liberaliter, qui ab uno lumine procedentes, exhibentur diversimode diversis, secundum cujuslibet capacitatem. Unde Bernardus, quasi admirando clamat: Vere multiplex spiritus in virtute, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore ejus, id est, radiis beatificis ejus. Si quidem conceditur hominibus ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ præsentis conceditur bonis & malis, dignis pariter & indignis, communia bona abundantissime tribuens, ita ut videatur hic discretionis limen non tenere. Ingratus est vel cæcus, qui in his beneficium Spiritus sancti non agnoscit. Ad miraculum datur in signis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur. Ipse enim antiqua miracula suscitat, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum, quæ quandoque datur sine gratia gratum faciente. Tertio infunditur ad salutem, cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Datur etiam ad consolationem, cum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Ea enim inspiratio, ad consolationem nostram est. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus nostris seu perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis ac-

Dion. l. de div. nom. c. 4 ante medium. — *Ber ser. 2 de Pentecoste.* — *Multiplicem affectum causat Spiritus sanctus in homine.*

accendit, ut non solum in spe gloriæ filiorum Dei, sed & in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. Pauci sunt, qui hoc spiritu repleantur. Hæc ille. Isti actus ita excellentes, sunt actus donorum, ut ex supradictis patere potest, excellentiæ quorum, non omnibus conveniunt. Istorum autem donorum & actuum tam excellentium, & radiorum tam splendentium, non sunt capaces mundi amatores: quia in eis datur Spiritus sanctus, quem mundus non potest accipere. Nam Dominus dicit: Spiritum veritatis, mundus non potest accipere. Cujus rationem reddit ibidem, dicens: Quia non vidit eum, neque scit eum. Quod verbum Augustinus in originali exponens dicit: Sicut injustitia justa esse non potest, ita mundus, id est amatores mundi, non possunt accipere Spiritum sanctum. Quod declarat per oppositionem, quæ est inter gratiam & peccatum. Nam peccatum quod est in amatoribus mundi, opponitur gratiæ sive charitati, quæ est in donis Spiritus sancti. Unde Joannes in Canonica dicit: Qui diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quia omne quod est in mundo, est concupiscentia oculorum, & concupiscentia carnis, & superbia vitæ, quæ donis Spiritus sancti opponuntur. Secundo probat hoc, per indispositionem intellectus mundanorum hominum ad videndum, dicens: Mundana dilectio, non habet invisibiles oculos, per quos Spiritus sanctus videri potest: quia Dominus dixit: Mundus non videt eum, scilicet Spiritum sanctum, neque scit eum. Cujus ratio est, quia animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, ut dicit Paulus: Quia oculos suos statuerunt declinare in terram, sicut dicit Propheta: Et spiritus sanctus aufert se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, ut dicit, Sapiens. Unde cæci sunt, & duces cæcorum. Tertio Gregorius idem declarat in Moralibus, ex defectu affectus mundanorum hominum, ad diligendum Deum, dicens: Spiritum sanctum mundus non potest accipere: quia ad diligendum invisibilia non assurgit. Quia sæculares mentes, quanto se foris per desideria dilatant, tanto ad receptionem Spiritus sancti sinum cordis angustant, & quandoque claudunt: quia sicut dicit Apostolus: Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt: qui vero secundum spiritum sunt, quæ spiritus sunt, sapiunt, non quæ carnis. Spiritus enim sanctus odit sordes peccati, nec habitare potest in corpore subdito peccatis, sed in mentibus puris. Ideo modo videndum est, qui sint capaces Spiritus sancti, & donorum ejus, non ex suis meritis, sed ex largitate dantis spiritus. Qui igitur econverso mundi mala odiunt, vilipendendo & contemnendo: Hierusalem ascendunt, mundum fugiendo, & se elongando: in templo cordis Spiritum sanctum quærunt fideliter orando: sedent unanimes in domo cordis, humiliter quiescendo, & paracletum desiderando: præstolantur adventum Spiritus sancti, inspirationes ejus studiose observando: hi sunt, qui capaces ejus sunt. Nam sicut dicit Bernardus: Bonum quod in nobis spiritus bonus operatur ad faciendum, profecto monet memoriam, docet rationem, & movet voluntatem. In his enim tribus, tota consistit anima nostra, ut in imagine Dei. Memoriæ suggerit bonum in cogitationibus suis, atque ignaviam nostram torporemque repellit. Sequitur: Propterea quoties hujusmodi suggestiones boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, & age reverentiam Spiritui sancto, cujus vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est, qui loquitur justitiam. Unde & Psalmista ait: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Docet & rationem: Multi siquidem, ait Bernardus, bene monentur ut bene faciant, sed minime sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuo gratia Spiritus sancti, & quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua sit in nobis gratia Dei: sed operetur prout ratio inspirat, & dictat. Sed quia scienti bonum, & non facienti peccatum est illi:

Margin notes: Joan. 14. — Aug. tract. 75 in Joan. circa fin. t. 9. — 1. Joan. 2. — 1. Cor. 2. — Ps. 16 — Sap. 1 — Greg. l. 5 Mor. c. 19 circ. fin. — Rom. 8 — Qui sint capaces Spiritus sancti, donorum ejus. — Ber. serm. de Pent. circa med. — Psal. 8 — Ber. ib. — Jac. 4

illi: propterea non solum moneri & A doceri oportet, verum & moveri, & affici ad bonum operandum necesse est. Et sequitur ibidem: *Ber. ser. 2. de Pentec. prope fin.* Operatur autem sic Spiritus sanctus in nobis remissionem peccatorum, facit sollicitum ambulare cum Deo, scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum, & intentionum cordis. Qui nec minimam paleam intra cordis quod possidet habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit spiritus dulcis & suavis, qui nostram voluntatem erigat, & dirigat ad suam, ut eam veraciter intelligere, & ferventer diligere, & efficaciter implere possimus. Hæc autem omnia operatur unus B atque idem spiritus, dividens singulis, prout vult. Unde Bernardus ibidem dicit: *Ber. ser. 3. de Pentec.* Spiritus sanctus qui a patre filioque procedit, tamquam firmissimum & indissolubile vinculum Trinitatis, & tamquam donum in quo omnia dona donantur, & de quo testatur Scriptura, quia procedit, & spirat, inhabitat, implet, atque glorificat: procedere dicitur a Patre, & Filio, ut donum ad creaturam. Unde procedendo prædestinat. Inspirando, vocat quos prædestinavit. Inhabitando, iustificat quos vocavit. Replendo, accumulat meritis quos justificavit. Et glorificando, ditat præmiis, quos accumulavit meritis. Hæc Bernardus. Igitur C capaces. Spiritus sancti, & donorum ejus sunt prædicti. Nihilominus tamen liberaliter se exhibet omnibus, ut ostendit Bernardus: dicens: *Ber. sup. Cant. ser. 57 in prin.* Venit Dominus ad nos, accelerat, appropriat, adest, respicit, alloquitur. Venit, affectu & studio miserendi. Accelerat, subveniendi zelo. Appropiat, humiliando semetipsum. Adest præsentibus. Prospicit in futuros. Loquitur, docens & suadens de regno Dei. Sed mundani & carnales, neque cognoscunt, neque sciunt eum: quia malitia eorum excæcavit eos. *Sap. 2* Boni vero cognoscunt eum, dicentes: *Sap. 12* O quam bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in nobis.

Caput VI.

Qualiter dona ascendendo, & descendendo ordinentur.

Quinto videndum est de istorum donorum ordine. In eis namque sunt quidam gradus scalares, per quos ascenditur. Necesse autem est, nos ascendere & descendere, ut dicit Bernardus in una epistola. Et Augustinus dicit: *Aug. de verb. Ap. ser. 15 in fin. t. 10* Semper ambula, semper profice, noli in via deficere, noli retroire, noli deviare. Remanet qui non proficit, retrocedit qui ad ea revolvitur, unde jam recesserat, deviat qui apostatat. *Ps. 83* Et ideo videndum est in istis donis Spiritus sancti, qualiter sit ambulandum proficiendo de virtute in virtutem: qualiter ascendendum sit, Deum contemplando: & qualiter descendendum, proximo subveniendo. *Isa. 11* Isaias enim loquens de flore Jesu, qui ascendit de radice Jesse, dicit, quod repletus fuit istis donis. Et enumerando ea, incœpit a summo dono, scilicet dono sapientiæ, & descendit per media, usque ad infimum, scilicet donum timoris Domini. Et rationem istius ordinis assignat Jacobus, *Jac. 1* cum dicit: Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. Sunt alii multi, ut *a* Augustinus de Doctrina Christiana, *b* Et Gregorius super Ezechielem, & *c* Anselmus. *a Aug. l. 2 de Doctr. Christ. c. 7 t. 3 b Greg. in Ezec. hom. 19 ante med. c Ansel. l. de simil. c. 130* Qui enumerando dona prædicta, docent incipere ab infimo dono scilicet timoris Domini, & per media ascendere usque ad summum, scilicet donum sapientiæ. Est igitur in eis quasi ascensus & descensus scalaris, ut in scala Jacob. *Gen. 28* Descensum de supremis ad media, & de mediis ad infima. Dionysius magis naturalem & rationabilem ostendit in ordinatione omnium hierarchiarum, tam Angelicarum quam Ecclesiasticarum, quam etiam mentium humanarum. Dicit enim Dionysius in Angelica Hierarchia, secundum commentum Vercellensis sic: *Dionys. l. Ang. Hier. cap. 10* Addam & hoc non inconvenienter, quod secundum seipsam una-

unaquæque mens tam cœlestis quam A humana, spirituales habet & primas, & medias, & ultimas ordinationes, & virtutes, & in his omnibus docet descendere a superioribus ad inferiora, communicando eis, quæ receperunt. Nam idem Dionysius dicit: Oportet divina prius participare, quam distribuere: quia qui præsumunt abusive docere divina, antequam recte conversentur adhuc immundi, omnino a docendi officio sunt extranei. Sicut enim solares radii, primarias & propinquiores materias capaciores, celerius illustrant & adimplent, & illas ad inferiores materias lumina deferunt: sic officium docendi divina alios, non præsumant suscipere, nisi qui habitum divinæ scientiæ & veritatis obtinuerunt, tamquam ex Dei inspiratione, & judicio, ad hoc officium assumpti. Unde sanctus Ambrosius in libro de Virginibus dicit: Cursus ad superiora est tutus, descensus ad inferiora est periculosus. Gregorius vero super Ezechielem loquens de cœlestibus gradibus donorum & ordinum dicit: Isaias loquens de cœlestibus, magis descendendo, quam ascendendo, dona numeravit, a supremo, hoc est, a dono sapientiæ incipiendo. Sed nos, inquit Gregorius, qui a terrenis ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeramus, & incipiendo ab infimo, scilicet timoris Domini, usque ad donum sapidæ sapientiæ. Rationem hujus ascensionis reddit Gregorius in Moralibus, dicens: Nemo infima deserens, repente fit summus: quia ad obtinendum perfectionis meritum, dum quotidie mens in altum ducitur, ad hoc proculdubio, velut ascensionis cujusdam gradibus pervenitur. Hæc ille. Quare ascensiones in corde nostro disponere debemus in hac valle lacrymarum, ut ad donum sapientiæ pertingamus, in quo secundum Apostolum gustatur Verbum Dei, & divitiæ sæculi venturi. Et non solum est nobis ascendendum ad Deum contemplandum, sed etiam nobis est descendendum ad proximum sublevandum, & instruendum de his, quæ sursum sunt. Unde Dionysius dicit sic: Divinis & spiritualibus viris, radius intellectualis rerum spiritualium immediate lucens, & eorum mentes spiritali suavitate perfundens, ad alios minus velut non spirituales non similiter procedit: sed ab ipsis spiritualibus sicut occulti intelligibilis contemplatoribus sub ænigmatibus cooperitur, ne ab immundis contaminetur & imperfectis, per quæ ænigmata, inferiores & infirmiores sursum aguntur, secundum singulorum capacitatem vel facultatem. Hæc ille. Est igitur nobis in hac scala ascendendum, & descendendum, ab infimo dono timoris, usque ad summum donum sapientiæ per gradus B disponentes ascensiones in corde, ut eamus de virtute in virtutem, donec videatur Dominus Deus in Sion. Primus igitur gradus ascendendi, est timoris amorosi in omnibus continuatio. Secundus pietatis viscerosæ ad Deum, & proximum, sancta liquefactio. Tertius scientiæ omnium beneficiorum Dei, grata recognitio. Quartus fortis omnium operationum bonarum executio. Quintus consulta a Deo omnium eligendorum, & tuta electio. Sextus intellectus omnium veritatum necessariarum, limpida contemplatio. Et septimus sapientialis cœlestium deliciarum prægustatio.

Nec desunt quidem Angeli in scala C hac ascendentes & descendentes. Ad cujus evidentiam notandum est, quid sit Angelus iste, de quo Richardus dicit sic: Angelus sane nuntius dicitur, & proculdubio nuntius est, non quilibet, sed divinus nuntius est, per quem divinæ voluntatis beneplacitum cognoscimus. Nuntius est, per quem ad æternorum cognitionem illuminamur, per quem ad æternorum desiderium inflammamur. *Et sequitur*: Vultis audire qualem nuntium Apostolus Joannes nobis promittat, cum dicit: Unctio, inquam, ejus docebit nos de omnibus. Sed quæ est unctio ista nisi Spiritus sanctus, scilicet divina inspiratio? Hic est ille nuntius, quem diu quærebamus. Hæc est legatio vere potens, vere sufficiens, animum hu-

Dionys. c. 4. Eccl. Hier. — *S. Ambr. l. 2. de Virg. long. post med. c. 5.* — *Greg. super Ezech. hom. 19. ante med.* — *Idem l. 22. Mor. c. 14 non longe a prin.* — *Psal. 83.* — *Heb. 6* — *Dion. de Eccl. Hier. c. 5* — *Ps. 83.* — Septem gradus ascensionis sunt septem dona Spiritus sancti. — *Ric. l. 5. d. contem. c. 14* — *1. Joan. 2.*

humanum omnem veritatem docens, A & ad omnia divinæ voluntatis beneplacita inclinans. Et ideo Richardus dicit: Summe amorosa anima sciens nuntios dilecti sui audire, clamat cum Propheta: Manda, remanda. Et postea dicit sic: Nuntius inter nos medius discurrat, qui me de singulis instruat, doceat me non solum super statu meo, sed & de statu tuo me doceat, quo modo apud te sit, & quid tibi de me placuerit. *Et sequitur*: Quotidie, ni fallor, vos qui lectioni vel meditationi insistitis, eius nuntios suscipitis, mandata cognoscitis. Quoties ex abditis scripturarum recessibus novos intellectus eruimus, quid aliud quam quosdam dilecti nostri nuntios accipimus? Huic B sane negotio subservit omnis sacra lectio, sagaxque meditatio. Alii itaque legentibus, aliique meditantibus, divinorum secretorum nuntii occurrunt, qui dilecti nostri mandata ad nos perferant, & de singulis instruant. Et sæpe fit ut in una, eademque Scriptura, dum multipliciter exponitur, multa nobis in unum loquatur, moraliter nos docens, quid dilectus noster facere nos velit: allegorice nos admonens, quid pro nobis per seipsum fecerit: anagogice proponens, quid adhuc de nobis facere disponit, & in hunc modum mandat & remandat. De hoc nota bene, dono tertio, capitulo tertio. Dum igitur quotidianis usibus novos C sensus novosque intellectus quæritant, quid aliud quam manda, remanda per affectum clamant? Hæc ille. Sed qui sunt nuntii falsi, ut carnis, mundi, vel diaboli, solerter discernendum est. Ex fructibus enim eorum, cognoscetis eos. Similiter amatrix anima, nuntios amorosos sibi inspiratos dilecto remittit, secundum dona Spiritus sancti, ut profunda suspiria, alta desideria, contemplationes limpidas, affectiones ecstaticas, orationes vel invitationes fervidas, expectationes sitibundas, & cogitationes languidas, dicens eis illud Canticorum: Nuntiate dilecto meo: quia amore langueo; ubi dicit Glossa: Præ magnitudine amoris, omnia temporalia sunt mihi fastidio. Hæc ille.

Ibid. l. 4c. 13. *Isa. 28* *Rich. ibid. c. 24* *Matt. 7* *Cant. 5*

****

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI IN SPECIALI.

De dono Timoris.

CAPUT I.

Quid sit timor, & qualiter secundum inordinatos amores multiplicatur, & deordinatur.

HIS itaque in generali præmissis, modo de singulis donis in speciali videamus. Quorum primum, scilicet infimus gradus ascendendi ad gustum sapientiæ est timor Domini. De quo Anselmus dicit sic: Horum donorum primum est timor Dei, veluti aliorum quoddam fundamentum. Hunc namque Spiritus sanctus in campo mentis supponit, aliaque dona in suo ordine, veluti in ædificationem superimponit. Prius enim metuere facit, ne pro peccatis suis a Deo separetur, & post in pœnis inferni cum diabolo torqueatur. De qua tortura Hugo in libro suo de anima dicit sic: Terreat te timor judicii terribilis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis mordes, sulphus fœtens, flamma tartarea, & tamdem omnia mala, ut tamdem clames: In æternum non peccabo. Et sic patet, quod donum timoris est primum in ascendendo.

Anselm. 1 de similitud. c. 130

Timor est fundamentum aliorum donorum.

Sed ad majorem notitiam hujus doni, scilicet timoris, sunt quatuor notanda. Primo quid sit timor, & qualiter secundum inordinatos amores multiplicatur, & deordinatur. Secundo quis timor a regno animæ per charitatem perfectam expellatur, & quem secum compatiatur. Tertio qualiter a timore Dei, in anima dies clara oriatur. Quarto qualiter a dono timoris, animæ convivium præparetur. Primo igitur videndum est quid sit timor, & qualiter secundum diversos amores multiplicatur,

tur, quia ex amore oritur. Timor A sicut dicit Augustinus de Civitate Dei, est amor fugiens quidquid ei adversatur. Et cum hoc concordat Glossa Augustini super Joannem, ubi dicit: Timor est fuga, ne perdat homo quod amat. Igitur timor oritur ex amore. Nam quandiu amorem ordinatum habuit in paradiso, tamdiu sine timore inordinato fuit in seipso. Et quam cito amorem inordinatum admisit, tam cito timor inordinatus affuit pœna peccati, quare se abscondit, dicens: Domine audivi vocem tuam & timui. Quare timuit, nisi quia per inordinatum amorem, præcepti Domini transgressor fuit? Quanto ergo homo a falso & inordinato amore recedit, & ad veram charitatem accedit, tanto inordinatum timorem evadit. Ideo notandum est, quod Hugo, & Glossa super Psalmo 18. dicunt, quod quinque sunt timores, scilicet timor naturalis, timor mundialis, timor servilis, timor initialis, & timor filialis. Timor naturalis, est passio quæ oritur ex amore naturali, in quo quilibet timet naturaliter nocumentum naturæ suæ, passionibus autem nec meremur nec demeremur, quia non subjacent libero arbitrio, nisi quando quis rationabiliter se habet circa eas. Isto timore Christus timuit mori, sed non nisi quantum voluit nobis in exemplum vel documentum. Unde si quando est malitia in timore naturali, non est nisi ex defectu rationis & voluntatis. Et licet iste timor non sit a Spiritu sancto, tamen cum ipso stare potest in homine.

Aug. 14. de Civ. Dei c. 7. Glos. in Joan 20 ex Aug. in Ps. 67 & tract. 34 in Jan.

Gen. 3

Hug. de S. Vict. l. 2 de sacram. par. 11 c. 5

Timor naturalis.

Secundus timor dicitur mundanus, quo quis timet nimis de amissione vitæ præsentis, vel rerum ad hanc vitam pertinentium. Unde qui nimis diligit mundum, vel res temporales, vel amicos, nimis timet ab eis separari. Et hic timor nascitur ex nimio inordinato amore utriusque, & semper est malus, quia ut dicit Joannes: Qui diligit mundum, inimicus Dei constituitur: quia non est charitas Patris in eo. Et ideo hic timor, quandoque est peccatum mortale, ut quando quis magis vult amittere vitam æternam, quam corporalem, vel temporalem, thesauros cœlestes, quam mundanos: & quandoque est veniale, quando isto timore facit homo quod non debet, & quandoque omittit quod facere debet, ut per hoc effugiat pœnam temporalem, sed per hoc non mutat voluntatem in bonum, ut dicit Hieronymus super Matthæum, quare hic timor non est donum Spiritus sancti, quia non mutat maliciam voluntatis, licet actu omittit propter timorem temporalem.

Timor mundanus

1 Joan. 2

Tertius timor dicitur servilis, quo quis magis timet pœnam quam culpam: qui secundum essentiam dicitur esse a Deo, non tamen sub B ratione, qua servilis est, quia principalius timet pœnam quam culpam, nec mutat voluntatem in bonum, licet criminis impendat executionem. De hoc timore dicit Augustinus exponendo illud Psalmi Confige timore tuo carnes meas: Timor legis servilis pædagogus novæ præcessit, qui ad Christum ducit, sed carnem crucifigit: ideo quia vivit peccandi voluntas, & sequeretur opus, si non sequeretur pœnalitas. Nec iste timor est donum Spiritus sancti, quia potest esse sine charitate, immo nec potest esse cum charitate gratuita.

Servilis.

Aug. in Ps. 118 enarr. 25 t. 8

Quartus timor dicitur initialis, C quia est incipientium & initium sapientiæ, & dicitur esse donum Spiritus sancti, tamen sub imperfecto esse. Non enim differt a timore filiali, nisi ut imperfecta charitas a perfecta. Unde Joannes dicit: Perfecta charitas foras mittit timorem, ubi dicit Glossa. Timorem illum emittit, qui dicitur initium sapientiæ. Illo enim timore, se cohibet homo a peccato principaliter propter Deum, secundario vero, propter pœnam æternam. De timore isto Bernardus dicit sic: Non immerito hic timor dicitur initium sapientiæ, qui sæpe se insipientiæ primus opponit. Hic enim timor, quidam ingressus est ad sapientiam. Plane domus Dei est, porta cœli, & tamquam ingressus gloriæ. *Et sequitur*:

Initialis.

1. Joan. 4

Ber. serm. 22 super Cant.

In

In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, & retinendam, & recuperandam, quam si omni tempore coram Deo invenaris non altum sapere, sed timere. *Et sequitur:* Non est enim locus, quo admittas superbiam, repletus timore Domini. Et sic de cæteris vitiis sentiendum est: quæ necesse est omnia a plenitudine timoris excludi, tunc Deum si plene, si perfecte timueris, dabit saporem charitatis. Hunc tamen timorem initialem, perfecta charitas foras mittit, vel forte, secundum quosdam, ipsum perficit, cum jam sapientiam ingressus fuerit. Quod sentit Bernardus libro de diligendo Deo, parum ante finem, ut infra patebit capite sequenti. Quintus dicitur timor filialis, & est unum de septem donis Spiritus sancti, sub esse perfecto doni: Per ipsum enim anima redditur bene mobilis ab inspirationibus Spiritus sancti, & quasi per talem timorem se Spiritui sancto omnino subiicit, & in nullo repugnat: prout possibile est in via. Unde Gilbertus Porretanus dicit: Quid timor ille filialis nisi amor esse conatur, qui jam nescit officium timoris, & pene timor esse desiit? hunc timorem sibi charitas perfecte collaterat indivisibiliter. Et sic patet, quid sit timor plenius tamen dicetur infra de hoc timore.

Filialis.

Gil. Porret. sup. Cant. ser. 19 post med.

Caput II.

Quis timor a regno animæ per charitatem perfectam expellatur, & quem secum compatiatur.

Secundo videndum est, quis timor a charitate perfecta foras expellatur, & quem timorem secum patiatur, cum in prima Joannis dicatur; quod charitas perfecta foras mittat timorem, tamquam inutilem in officio suo. Et hujus reddit rationem, dicens idem; Hæc enim charitas nihil pœnale habet, timor autem pœnam habet. Sed necesse est, primo videre quæ sit perfecta charitas, quæ non compatitur secum

1 Joan. 4

A timorem, sed foras emittit eum. De quo sciendum quod duplex est perfectio charitatis. Prima est necessitatis, & sufficientiæ. Secunda est privilegiatæ sanctitatis, & excellentiæ. Et has perfectiones tangit Prosper de vita contemplativa, dicens: Perfecti sunt illi, qui perfecte Deum diligunt, qui volendo quod vult Dominus, nullis peccatis, quibus offenditur Dominus, acquiescunt, & semper ad virtutes diligendas, & habendas se extendunt. Perfectionem necessitatis tangit cum dicit: Qui vult quod Deus: quam habent quicumque, tenent charitatem. De hac charitate dicit Dominus: Perfectus eris & absque macula coram Domino. B Absque macula scilicet criminali, dicit Glossa. Et hæc perfectio charitatis, bene compatitur secum aliquos timores, ut supra dictum est. Perfectio vero excellentiæ charitatis tangitur, cum dicitur, qui semper ad virtutes diligendas, & habendas se extendunt. Quare Bernardus in epistola quadam dicit: Indefessum studium proficiendi, & jugis conatus ad perfectionem, reputatur perfectio. Et hæc charitas foras mittit omnem timorem, qui pœnam habet, ut dicit Joannes. Sed qualiter hoc intelligendum sit, ostendit Gilbertus Porretanus super Cantica, ubi dicit. Charitas proximi caret livore, sed charitas Christi caret timore. Hæc C enim nihil pœnale habet, sed timor pœnam habet. Igitur in charitate Christi non erit timor. Quod probat sic: Quid enim timebit charitas veteres offensas: quia multitudinem peccatorum operit charitas, ut dicit Petrus. Quid infirmitatem propriæ conscientiæ timebit ne decidat, quia fortis ut mors dilectio est, ut habetur in Canticis: Quid temporales pro Christo timebit molestias finibiles? cum nec quidem etiam si æternæ fuerint, diffatigari, aut evanescere poterit dilectio consummata, id est perfecta. Non ideo amat charitas ne pereat, sed magis vult foris in æternum perire pœnaliter, quam privari usu amoris interni æternaliter. Si enim dederit homo omnem substantiam pro charitate, quasi

Duplex perfectio charitatis.

Prosper. l. 3 de vita contemp. c. 15 circa fin.

Deut. 18

1 Joan. 4

Gil. Porre. sup. Cant. ser. 19 post med.

1 Pet. 4

Cant. 8

quasi nihil despiciet eam, scilicet A substantiam. *Et sequitur infra*: Dedignatur charitas timoris commercium, cogi nesciens, quæ nescit compesci. Ideo charitas perfecta foras mittit timorem, velut inutilem & supervacuum in officio charitatis, sed non timorem illum, qui castus permanet in sæculum sæculi. Et post hæc ostendit ibidem Gilbertus, quis timor manet cum charitate, ubi dicit: Est enim timor quem foras mittit charitas, ut servilis. Et est timor quem foras mittit veritas, ut initialis. Et est timor, quem intromittit & charitas, & veritas, ut filialis. Primus est cautus. Secundus castus, sed non permanens in sæculum sæculi. Primus veretur pœnam. B Secundus offensam. Tertius totus liber, quædam humilis & secura reverentia est. Et primus quidem timet offensam, sed propter pœnam. Secundus propter offensam, sed propter ipsam. Tertius, quod metuat non habet. Quid enim metuat completa felicitas, & consummata charitas? Timor hic de plantario oritur charitatis. *Sequitur*: Non audeo dicere quod charitas est, nec tamen audeo negare. Quid enim non amor conatur, qui jam nescit affectum timoris? Quo modo non amor est, qui jam pene timor esse desiit? Quid timor ille est, nisi quædam votiva subjectio, obedientia non coacta, & ultro reverentia impensa? Aut quo C modo erit timor, qui offendere non metuit, nec valet? Timor ergo non videtur, qui nihil nec peccati nec periculi metuit. Sed econtra inquit Gilbertus ibidem: Quo modo non erit timor, qui offendere non audet? Certe timor est, qui nihil audacter & temere præsumit. Quid est igitur timor ille, nisi reverentia quædam humilis ex jure conditionis, & quasi necessitate impensa, sed necessitatis nihil passa? Est enim necessitas obsequendi jure conditionis, sed necessitatem ignorat libertas dilectionis. Quid timor ille, ubi temeritatis & negligentiæ magis privatio est, quam necessitatis coactio? *Sequitur*: Vides qualiter timor iste approximat ad charitatem, pene illa est, sed non plene est. Causis enim distant timor & amor, sed obsequio & affectu libero cognati. Primus itaque timor metuit puniri: secundus privari: & tertius neutrum. Primum perfecta charitas exterminat. Secundum ad tempus tolerat. Tertium sibi indivise tolerat. Unde charitas numquam erit sine timore casto, qui est sine omni pœna, quia manet in sæculum sæculi. Hæc ille. Quidam enim dicunt, ut Bernardus, quod timor filialis augetur augmentata charitate, & charitate perfecta perficietur, & ideo habebit in patria eumdem actum omnino quem habet modo, & illi adducunt auctoritatem Augustini de Civitate Dei, ubi dicit: Timor ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit in futuro sæculo, non erit timor exterrens a malo quod accidere potest, sed tenens se in bono quod adimi non potest, & ita alium actum habebit quam modo. Ratio hujus est, quia ubi boni adepti amor immutabilis est, profecto si dici potest, mali cavendi timor securus est. Hæc ille.

Quis timor manet cum charitate.

Ber. l. de dilig. Deo cir. fin.

Aug. l. 14 de Civ. Dei cap. 9 post med. t. 5.

CAPUT III.

Qualiter a timore Dei in anima dies clara oriatur.

TErtio videndum est, qualiter a dono timoris Domini, dies spiritualis in mente humana oriatur. Circa quod notandum est, quod Hugo dicit, quod sic ut oculus corporalis habet diem, & noctem suam, ita quoque oculus cordis habet diem suam & noctem suam. Sed alii sunt dies exteriores, & alii interiores. Nam dies exteriores transeunt, nec ad momentum stare possunt, sed continue ad mortem vel occasum tendunt. Homo enim numquam in eodem statu permanet dicit Job, & propheta dicit: Dies hominis fœnum, & tamquam flos agri, &c. Dies vero interiores in æternum permanent, si volumus, qui sunt quasi quidam gradus vitæ spiritualis, per quos homo tendit ad vitam æternam. De quibus Psalm. ait: Nuntiate de die in diem salutare ejus, do-

Hug. de S. Vict. l. de trib. dietis circa fin.

Job. 14

Psal. 102

Psal. 95

1 Cor. 2

donec per radios salutaris incarnati, A transformemur a claritate in claritatem, usque in diem æternitatis ejus: Et ideo Hugo dicit, quod interiores dies magis amare debemus, ubi lucem nullæ tenebræ sequuntur, ubi æterni solis splendore illuminantur oculi interiores mundi cordis, ut valeat homo operari opera lucis, tamquam filius lucis, quia in mundo nox sicut dies illuminabitur, per præsentiam solis æterni, qui noctem luminosam in anima facit, dum omnes species creatas sua claritate occultat, quam in diem convertit, dum radiosas veritates menti ostendit. Et ideo pluries fit, quod quando nox est corpori, dies est menti: & quando est dies corpori, pluries B est nox menti. Cujus ratio est, sicut dicitur in libro de spiritu & anima. Quia quando sensus exteriores vigilant, sensus interiores dormiunt, sicut hæc experientia docet. Hanc diem timor Domini inchoat tamquam mane, tamquam meridiem deducit, tamquam vesperam consummat. Unde Hugo dicit, quod primus dies noster interior, est timor Domini permanens in sæculum sæculi. Cujus ratio est: Quia timor Domini initium est sapientiæ, ut dicitur in Ecclesiastico. Et hic a sapientia numquam recedit, sed cum ea quotidie crescit, & proficit usque in perfectum diem. Ultimo formam timoris filialis inducit secundum C quosdam. Unde Hugo de arca Noe dicit: Sapientia Dei, in cordibus sanctorum tamquam in paradiso invisibili per timorem seminatur, per gratiam rigatur, jam mane diei spiritualis oritur, per dolorem moritur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per compunctionem oritur, per desiderium crescit, per charitatem roboratur, ut si quasi lux meridiana, lucens & fervens, per fidem viret, per circumspectionem frondet, & expandit ramos, per disciplinam floret, per virtutem fructificat, per patientiam maturescit, per mortem capitur, per contemplationem cibat, & tunc dies timoris vesperascit, quando a labore quiescitur & spiritualiter homo reficitur.

2 Cor. 3 Hug. ibid. — Ps. 138. — Aug. de spirit. & ani. c. 9 apud Aug. t. 3 — Hug. ibid. — Eccl. 1 — Hug. l. 2. de Arca Morali. c. ult.

Et iste est cibus de quo Psalmista ait: Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. In omnibus istis radiis sapientialibus timor Domini permanet in sæculum sæculi, & ut radix sapientiæ discurrit, & circuit solicite circumspiciens, ne aliquæ tenebræ peccatorum lateant, vel se istis radiosis luminibus immisceant, quæ diem mentis obscurent, vel oculis Dei displiceant, ut sunt tenebræ concupiscentiarum, quæ frequenter claritatem diei spiritualis impugnant, & obnubilant. Unde Richardus dicit: Quis in ullo umquam prælio victor extitit, ubi spiritus adversus carnem & caro adversus spiritum concupiscit? Quis umquam tam numerosum exercitum concupiscentiarum suarum debellavit, si sine timore pugnavit: quia timor Domini maxime confortat cor contra concupiscentias. Et sanctus Bernar. in sermone quodam dicit: Repletus timore Domini, non habet locum ubi admittat peccati tenebras, propter quod dies mentis, sicut lux meridiana clara permanet in sæculum sæculi: ideo vesperam non habet diem terminantem, sed consummantem: Igitur qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. Qui ambulat in die tali, scilicet timoris Domini non offendit. Et est dies primus, quia initium sapientiæ est timor Domini.

Ps. 15 — Eccli. 2 — Eccli. 1

Caput IV.

Qualiter a dono timoris, animæ convivium præparetur.

Greg. l. 1 Mor. c. 16 circa med.

Quarto, quia Gregorius in Moralibus dicit: quod donum timoris Domini in die suo convivium facit in mente humana, quia dum premit mentem ne superbiat, de futuris illam cibo spei confortat. Ideo videndum est, qualiter illud donum convivium menti præparet. De quo notandum est, quod nisi donum timoris convivium spirituale in anima facere posset, Psalmista quasi admirando non clamaret, dicens: Quam magna multitudo

Psal. 30

tudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Non quod illa multitudo dulcedinis totaliter abscondita sit a timentibus eum, sed quod ipsa est in eis abscondita a non timentibus Deum. Multa enim manifestantur bonis, quæ tamen abscönduntur a malis. Unde Greg. in Moralibus exponens illud Job: Auris verba diiudicat, & fauces comedentis saporem, dicit sic: In his verbis Job de electis & reprobis aliquid innuere videtur: quia verba sapientiæ quæ reprobi audiunt, quasi exterius, electi non solum audiunt, sed & gustant interius, ut in corde sapiat eis, quod reproborum cordibus non sapit, sed solum auribus sonat. Sequitur: Aliud namque est nominatim cibum audire solum modo, aliud vero degustare. Electi itaque cibum sapientiæ sic audiunt, ut gustent: quia hoc quod audiunt, eis per amorem medullitus sapit, reprobi vero, qualiter sapiat, ignorant. Quia aliud est aliquid scire, aliud vero quod cognoscitur faucibus intelligentiæ degustare. Hæc ille: Ex his patere potest, quod timentes Deum tamquam soliciti de voluntate Domini cognoscenda & facienda, non solum attendunt ad illud quod commune & publicum est, sed & ad illud quod intimo secreto mentis absconditum est, aspiciunt, & gustare per experientiam illud quærunt, quod per timorem Domini sapere didicerunt. Quod autem timor Domini dulcem saporem in mente causet, ostendit Bern. super Cantica, ubi dicit: Timor Domini bene dicitur initium sapientiæ, quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam ad timendum, non tantum ad sciendum instruit: quia timor sapor est. Porro sapor sapientem facit, sicut scientia scientem. Times Dei iustitiam, times potentiam, & sapit tibi iustus, & potens Deus. Sapientia enim a sapore dicitur. Igitur timor initium sapientiæ, saporem sapidum in intimo mentis secreto multipliciter immittit, & ita multipliciter reficit totam mentis familiam, sed & totum regnum animæ justificat, pacificat, & lætificat: quæ tria percipiunt convivium timoris Domini, quod non in exterioribus animæ celebratur, quia regnum Dei intra nos est, ut dicit Dominus. Et Maximus exponens illud: Appropinquabit in vos regnum Dei; dicit sic. Regnum Dei est potentia ejus in omnibus, actu vero est in his qui respuunt carnalem vitam, & respiciunt solam spiritualem: qui dicere possunt illud Apostoli: Vivo ego, jam non ego, vivit autem in me Christus. Quod verbum exponens Vercellensis in prologo super Cant. dicit: Sicut anima sobria me regit naturaliter, & disponit ad omnem actum interiorem, & exteriorem, sic virtus Christi cui actu vivo gratuite me vivificat, & ad omnia disponit. Ex quo igitur regnum Dei intra nos est, ut dicit Dominus, planum est, quod convivium quod in illo regno celebratur, non consistit in istis corporalibus, & in voluptatibus carnalibus, quibus efficimur bestiales, ut dicitur primo Ethicorum sed consistit in bonis spiritualibus nos perficientibus. Unde Apostolus: Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Ecce tria, quæ necessaria sunt in convivio spirituali. Primum est justitia, convivantes in omnibus rectificans. Secundum est pax, convivantes in omnibus concordans. Tertium est gaudium, convivantes in omnibus lætificans. Hæc tria, ex timore Domini oriuntur. Nam justitia ex timore Domini oritur, sed ex justitia pax nascitur, de pace vero gaudium generatur, quod est dulcissima mentis refectio, & spiritualis convivii perfectio. Primum igitur scilicet justitia, convivantes rectificans in convivio spirituali Dei, & animæ, ex dono timoris Domini oritur, quia sicut dicitur in Ecclesiastico: Qui sine timore est, non potest iustificari. Quo modo autem erit jucunda societas, ubi deest justitiæ æqualitas? Dicit enim August. Remota justitia, quid sunt regna nisi latrocinia: Et sicut patet in Ethicis. Sicut justitia continet omnem virtutem, ita injustitia continet omnem ma-

Greg. l. 11 Mor. c. 4 Job. 12 — Bern. in Cant. ser. 23 — Luc. 7 — Luc. 10 — Gal. 2 — Luc. 17. — Arist. 1 Eth. c. 5 — Rom. 14 — Eccl. 1 — Aug. l. 4 de Civ. Dei c. 4. — Arist. l. 5 Eth. c. 1

malitiam sive iniquitatem: ubi autem abundat iniquitas, quo modo erit vera amicitia & societas? ergo nec regni, nec convivii tranquilla jucunditas. Manebit autem justitia, quia timor Domini expellit peccatum vel injustitiam, eum ex eo oriatur justitia, ut dictum est. De talibus conviviis potest dici: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. De hac saturitate justitiæ dicit Bern. Saturabuntur, quia implebit Dominus concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam justitiam, per quam quidquid anima respuere debet, respuet: & quidquid concupiscere debet, concupiscet. Et tunc totum regnum mentis justificabitur, & incolæ ejus, & Dominus rex justitiæ regnabit in illo, & ipsi cum eo, quia justitia & judicium præparatio sedis ejus est. Secundo pax convivantes concordans, & quietans in convivio spirituali ex justitia nascitur, ut dicit Cæsarius. Nam ex justitia regum, oritur pax populorum. Et Aug. dicit: Duæ sunt amicæ, justitia & pax, ipsæ se osculantur, & si justitiam amicam pacis non amaveris, nec ipsa pax te amabit, nec ad te veniet. Nisi igitur pax adsit non erunt convivia, sed dissidia. Vera autem pax est ubi nihil repugnat, & beati pacifici sunt, qui motus animi componunt, & rationi subiiciunt, ait Glossa. Sed nota, quod Bern. in quibusdam dictis ostendit triplicem gradum pacis, dicens: Est homo pacificus bona pro nobis reddens, & quantum in se est, nemini vult nocere. Hic parvulus est, & faciliter scandalizatur: quia in eo, ut incipiente, lex carnis adhuc repugnat legi mentis. Et Glossa dicit: Quo modo pacifici aliis erimus, si nec nobis possumus esse pacifici? Pax enim a nobis incipit. Item est alius patiens, non reddens mala pro malis, sed potens est sustinere nocentem. Et hic in patientia possidet animam suam, ut ait Evangelium, ubi dicit Glos. Patientia radix & custos est omnium virtutum. Vera enim patientia, est aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum qui mala irrogat, nullo dolore moveri. Ideo animas nostras possidemus, quæ corpus possident, cum ipsas ad patiendum ratione regimus. Hæc dicit Glossa: Item est tertio pacificus bona pro malis reddens, & in promptu habet prodesse nocenti. Et sic solus veram pacem habet, & multos lucrifacit Christo. De hac pace dicit August. in libro de verbis Domini sic: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, & inimicos concordat, cunctis est placida. Et qui in eadem pace non erit inventus, a patre abdicatur, a filio exhæredatur, a Spiritu sancto alienus efficitur, &c. ut supra. Hæc August. Hanc pacem perficit timor Domini. Unde Sapiens: Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem & salutis fructum. Tertio gaudium in Spiritu sancto convivantes reficiens, & lætificans in convivio spirituali ex utroque prædictorum, scilicet ex justitia, & pace generatur. Unde Bernardus in quibusdam dictis suis dicit: Justitiam, quam Deo exhibes, & pacem, quam proximo debes, noli contemnere, sic enim procedentibus, erit gaudium spirituale non gaudium sæculare, non gaudium cujus extrema luctus occupat, sed in quod magis tristitia vertitur. Et hoc gaudium nemo tollet a te, donec intres in gaudium Domini tui. De hoc gaudio dicit Bernardus in Epistola quadam. Illud revera verum est gaudium & solum, quod non de creatura, sed de creatore nascitur & concipitur, quod cum possederis, nemo tollet a te: cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, & omnis suavitas dolor est, & omne dulce amarum, & omne decorum fœdum, & omne aliud quod delectare possit molestum. Hæc omnia Bernardus. Istud gaudiosum convivium, per Spiritum sanctum in timore Domini paulatim inchoatur, proficiendo continuatur, & beatitudine æterna consummatur, ubi anima cum Deo suo beatificatur.

Matt. 5. — Bern. sin ser. 4 De omnib. Sanctis post med. — Ps. 8 — Cesar. Arelat hom. 12 in illud Lu. 17. Regnum Dei intra vos est. — August. super Ps. 84 c. 8 — Glossa in Mat. 7 — Pacis triplex gradus — Glossa in Mat. 5 — Gloss. in Luc. 21 Ex Greg. hom. 35. in Evang. circa med. — Aug. serm. 167. de tem. in princ. c. 10 — Eccli. 1. — Bern. in flor. verbo, justitia. — Prov. 14 — Ber. ep. 114 statim a pri.

tur. Primo istud gaudiosum convivium, quod in Regno Dei, & animæ per donum timoris Domini celebratur, paulatim & sapienter initiatur, & continuatur, & feliciter consummatur. Unde in Ecclesiastico. Initium sapientiæ est timor Domini, & gloria, & gloriatio, lætitia, & corona exultationis. Ecce quatuor dulcia fercula mentalis convivii. Sed primo timor Domini, gustum mentis ad manducandum in sapientia præparat: quia sicut dicit Bernardus super Cantica, Timor Domini bene dicitur initium sapientiæ: quia tunc primum Deus animæ sapit, cum ea ad timendum afficit. Tunc enim menti maxime divina beneficia sapiunt: quia jam amaritudo peccati, ab ore mentis per timorem expulsa est. Unde tunc gloria laudabilis famæ interior valde sapit animæ, & similiter gloriatio laudabilis famæ exterior multum delectat. Similiter lætitia consolationis interioris hominis reficit, & exultatio exterioris hominis similiter afficit, & delectat. Secundo illud jucundum convivium mentis delectabiliter in perpetuum in timore Domini continuatur. Unde in Ecclesiastico dicitur: Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum, id est, in æternum: quia timor Domini, permanet in sæculum sæculi. Ecce utriusque hominis experimentalis delectationis perpetuatio. Tertio illud delectabile convivium mentis quantum ad interiorem vitam, & exteriorem, in timore Domini feliciter consummatur. Unde in Ecclesiastico: Timenti Deum, bene erit in extremis, scilicet hominis, quando perficitur, & consummatur. Et in die defunctionis benedicetur, quantum ad vitam exteriorem, quæ tunc cum benedictione terminatur. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, ait Psalmista. De perfecta consummatione istius sancti timoris dicit Joannes Cassianus de institutione monachorum sic: Principium nostræ salutis, nostræque sapientiæ, secundum scripturas, timor Domini est. De timore enim

Eccl. 1 — *Ber. sup. Can. ser. 19 post med.* — *Eccli. 1* — *Eccl. 1* — *Ps. 127* — *Cassianus de institut. monachorum l. 4. c. 43*

A Domini nascitur compunctio salutaris, de compunctione cordis procedit abrenuntiatio, id est, contemptus omnium facultatum: de abrenuntiatione humilitas procreatur: de humilitate mortificatio voluptatum generatur: de voluptatum mortificatione, extirpantur, atque marcescunt universa vitia: de vitiorum expulsione virtutes fructificant, atque succrescunt: de virtutum pullulatione puritas cordis acquiritur, per cordis puritatem Apostolicæ charitatis perfectio possidetur. Hæc fuit sententia Beati Antonii. Hæc ille. Timete ergo Dominum omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum, ait Psalmista. Hæc de B dono timoris sufficiant.

Psal. 33

****

DE DONO PIETATIS.

CAPUT I.

Qui donum pietatis dicitur, & qualiter a pietate naturali, & acquisita distinguatur.

SEcundo dicendum est de dono pietatis, quod immediate sequitur donum timoris in ascendendo, quod C ostendit Anselmus in libro de similitudinibus, ubi dicit sic: Huic denique dono timoris Spiritus sanctus superimponit pietatem, cum menti sic timenti suiipsius aspirat compassionem, pieque recolere facit, quam misera erit, si a Deo separata, in inferno, cum diabolo torta fuerit: ideo rationabiliter a dono timoris, ascendit ad donum pietatis. Cum quo & Augustinus concordat, dicens: Cor contritum & humiliatum sacrifica Deo, unde accendantur ad pietatem, ut non resistatur voluntati ejus, sed obediatur. Hunc ordinem multi tenent, ut supra patet.

Ans. l. de simil. c. 130

De hoc autem dono pietatis, sunt tria notanda. Primo quid donum pietatis dicitur, & qualiter a pietate

tate naturali, & acquisita distinguatur. Secundo qualiter per donum pietatis dies spiritualis oriatur, proficiat, & perficiatur. Tertio qualiter per donum pietatis menti convivium præparetur. Primo igitur videndum est, quid donum pietatis dicatur. De quo notandum est, quod sicut dicit Hugo in libro de claustro animæ: Pietas est ex benignæ mentis dulcedine, grata omnibus auxiliatrix affectio infusa, & divini cultus devotio religiosa. Ex quo patet, quod donum pietatis est dulcis radius a sole infinitæ pietatis mentibus inspiratus, quo mens in seipsa illuminatur, quia radius solaris in seipso afficitur, & reficitur, quia a fonte dulcedinis ad Deum ut ad patrem colendum, sursum habilitatur, & inferius ad proximo subvenien dum pie inclinatur. Et quia affectio pietatis inclinans ad aliquid est multiplex: quædam enim est innata, quædam acquisita, quædam infusa, ut ostendit Hugo, in tractatu, qui incipit, Charissime: ideo de illis aliquid dicendum est.

Donum pietatis quid dicatur.

Primo ergo sciendum est, quod pietas innata est quædam affectio inclinans ad aliquid, ut ad filios parentes, & e converso, & ad patriam, &c. hujusmodi. Et hæc est passio naturalis. Nam hæc pietas etiam in brutis invenitur. Unde Solinus in libro de mirabilibus mundi, & Isidor. in Etymologiis dicunt: Eximia ciconiæ inest pietas. Nam quantum temporis parentes impendunt fœtibus educandis, tantum temporis pulli impendunt parentibus in senectute educandis: quod & de corvis narratur. Unde hæc pietas non est donum Spiritus sancti, licet ab eo detur, quia hæc cum illis nascitur. Ista autem quæ est donum Spiritus sancti, a Deo inspiratur, ut dicit Augustinus.

Isid. Etym. lib. 12 c. 6

Item est quædam pietas acquisita, de qua dicit Gregorius in Moralibus sic: Sunt nonnulli, qui pietatis suæ viscera tendere ad incognitos nesciunt, sed solum ad eos, quos per assiduitatem notitiæ didicerunt, quorum miserentur, apud quos plus familiaritas quam natura

Greg. l. 11 Moral. c. 14 vir. fin.

A valet: dum quibusdam necessaria, non quia homines sunt, sed quia noti sunt, largiuntur. Sed ista pietas etiam non est donum Spiritus sancti, de quo modo loquimur, sed est virtus ex quadam familiari notitia contracta, unde ad extraneos & inimicos, non extenditur. Hæc autem quæ est donum Spiritus sancti a Deo datur & ad inimicos extenditur. Unde Matthæus dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt.

Mat. 5

Item est alia pietas menti a fonte pietatis infusa, de qua dicit Bernard. in Epistola quadam sic: O clementissima pietas, quæ non desinit sua largiri beneficia, non solum his,
B ubi nullum meritum invenitur, sed & his, ubi totum videtur contrarium. De hac pietate, & ejus utilitate dicit Ambrosius super Psal. Beati immaculati in via: Pietas grata est Deo, Dominum conciliat, necessarios & parentes fovet: est Dei cultura, merces parentum, filiorum stipendium. Pietas, inquam, justorum tribunal, egenorum portus, miserorum refugium, vel suffragium, indulgentia peccatorum. Hæc ille. Hæc est perfecta pietas quæ & antequam flectatur precibus, novit condescendere fatigatis, ait Cassiod. in epistola. Et hæc pietas, est donum Spiritus sancti. Quæ sicut dicit Apostolus, ad omnia utilis est, promis-
C sionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ, ubi dicit Glos. Omnis summa disciplinæ, & consummatio, consistit in pietate & misericordia. Pietas ut sæpius respicit necessitatem spiritualem. Unde quædam Glossa dicit: Exerce te ad pietatem, id est, ad fidem puram, & veritatem rectam, hæc est pietas. Misericordia vero quæ est secundus actus pietatis, respicit necessitatem spiritualem & corporalem. Unde Augustin. in libro de opere monachorum dicit: Multo misericordius operatur, erga animas infirmorum, qui bonæ famæ servorum Dei consulit, quam qui erga corpora ægrotantium sollicitus panem esurientibus tribuit. Opera hujus misericordiæ sunt quatuordecim, videlicet septem corpo-

Amb. in Ps. 118 oct. 18 v. 2

Cassiod. l. 4 epist. 26

1 Tim. 4

Aug. de opere Mon. c. 22 t. 3

Opera misericordiæ quot & quæ.

ralia, & septem spiritualia. Corporalia sunt hæc: Visitatio infirmorum, Potatio sitientium, Cibatio esurientium, Redemptio captivorum, Vestitio nudorum, Collectio peregrinorum, & Sepultura mortuorum. Prima sex sunt in Evangelio, aliud in Tobia. Opera misericordiæ spiritualia, sunt hæc. Delinquenti ignoscere, peccantem corripere, ignorantem docere, titubanti consulere, mæstum consolari, pro salute proximi orare, & injurias sustinere, ut alter mitigetur. Et sic patet, quid est pietas.

Matt. 24

CAPUT II.

Qualiter per donum pietatis dies spiritualis oriatur, proficiat, & perficiatur.

SEcundo videndum est, qualiter per donum pietatis in regno animæ dies spritualis oriatur, proficiat, & consummetur. De quo notandum est, quod sicut dicit Gregorius in Moralibus: Dies uniuscujusque doni, est sua illuminatio. Ipsa enim dona, lumina sunt. Cujus ratio est, quia ille donatur in eis, qui est Sol infiniti splendoris, & ardoris scilicet Spiritus sanctus. Cum igitur latio solis corporalis super terram faciat diem corporalem, in qua oportet operari opera corporalia corpori necessaria, cur non multo magis præsentia solis æterni, scilicet Spiritus sanctus, in mente humana causat diem spiritualem, in qua oportet operari opera spiritualia necessaria spiritui, & sicut opera pietatis etiam aliorum habituum? Omnia enim opera nostræ mortua sunt sine pietate, prout est cultus Dei. Quare Apostolus dicit, exhortando Timotheum: Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas vero ad omnia utilis est: Cujus rationem reddit Hugo de sancto Victore, dicens: Visibilis actio, est quasi quoddam corpus, devotio

Præsentia Spiritus Sancti causat diem spiritualem in anima.

1 Tim. 3

A vero quasi spiritus ejus, quia devotio charitatis actionem vivificat, sicut anima corpus. Unde omnis actio, quæ sine devotione est, mortua est. Quia sicut postea dicit, licet quod vivit, moriatur, tamen vita non moritur. Actio quidem transit, sed pietas actionis, licet fiat in tempore, non tamen finitur cum tempore. Hæc ille. Opera enim illorum sequuntur illos. Ex quo patet, quod sententia Apostoli vera est. Quia pietas omnibus prodest, quæ est ex benignæ mentis dulcedine grata auxiliatrix omnibus affectio infusa, ut dictum est.

Apoc. 14

Sed sciendum, quod sicut in die exteriori tres horæ distinguntur, B scilicet mane, quod est initium diei, meridies quæ est diei medium: & vespera, quæ facit diei, & laboris terminum. Sic in die spirituali pietatis, distinguuntur tres horæ, id est, mane, quæ est initium pietatis lucentis circa subjectum proprium. Meridies, quæ est fervor pietatis lucentis ad divinum cultum. Et vespera, quæ est inclinatio pietatis lucentis ad proximum. In qua hora completur terminus laboris, & fit initium quietis. Primo igitur donum pietatis oriens ex sole æterno, velut quoddam mane, & initium diei spiritualis, in mente diem inchoat. Quia ut dicitur in Ecclesiastico: C Pie agentibus, dabit Dominus sapientiam. Sapientia autem est lumen pietatis inextinguibile. Quanto autem pietas magis operatur, tanto lumen sapientiæ magis ei datur, quo crescit, & proficit, usque ad perfectum diem. Sic & operatio impietatis, lumen pietatis in mente minuit, & tenebras gignit. Unde in Proverbio dicitur: Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Via autem impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corruant. Hoc igitur donum pietatis, mane suæ diei inchoat, dum nova luce mentem irradians, ad suiipsius compassionem inclinat. Dicit enim Anselmus in libro de similitudinibus. Spiritus sanctus pietatem menti

In die pietatis distinguuntur tres horæ.

Mane diei pietatis. *Eccl. 43. Sap. 7*

Prov. 4

Ans. l. de simil. c. 130

ti

cti inspirat, dum eam sibi compati, pieque recolere facit, quam misera erit si a Deo separata fuerit. Ex qua inspiratione mens illuminata omnes operationes, pio desiderio in fontem pietatis intendit, & omnem impietatem excludit. Tunc pietatis donum in mente sicut lux aurorae oriente sole mane, absque nubibus rutilat. Et ad horam meridianam proficiendo properat in qua divinum cultum ferventer & perfecte exercet.

2. Reg. 23

Secundo donum pietatis, facit horam meridianam diei spiritualis in anima. Quia sicut dicit Aug. de Civitate Dei. Pietas, proprie est cultus, qui debetur soli Deo, tamquam excellentior & perfectior. Sed nota quid sit iste cultus. Ad quod respondet Augustinus in libro de verbis Domini: Colimus Deum, & Deus colit nos. Colimus Deum adorando, & ut culmen nostrum invocando. Colit nos Deus amando tamquam agricola, quia agricultura ejus in nobis est, eo quod non cessat, verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, & aperire cor nostrum, tamquam sermonis aratro plantare semina praeceptorum, & expectare pietatis fructum. Sed ad quid est pietatis fructus? Respondet ad omnia utilis est.

Aug. l. 1 de Civ. c. 1. l. 3

Idem de Verb. Dom. ser. 59 in pr. 8. 10

Sed notandum quod duplex est cultus, scilicet cultus interior, & exterior. Interior, cultus est quo quis se offert Deo tamquam principio suae creationis, & fini suae beatificationis, & hoc quantum potest secundum omnia quae ab ipso recepit. Quod recta ratio dictat, & natura ad hoc inclinat. Ratio dictat, quia inferius debet subesse superiori a quo dependet, & a quo multipliciciter deficit, ideo indiget ejus influentia; quam consequitur natura rationalis suum superius colendo, ut dictum est. Similiter natura ad hoc inclinat. Quod satis ostendit natura rationalis, cujus desiderium non quiescit plene, nisi in suo superiori. Unde August. in libro confessionum primo dicit: Domine inquietum est cor meum donec veniat ad te. Cujus ratio est, quia Dominus est animae patria, ut dicitur in libro de spiritu & anima. Simile dicit Isaac in libro de contemptu mundi in principio. Cultus exterior consistit in oblationibus, sacrificiis, adorationibus, & similibus, quae sunt signa protestantia interiorem cultum, qui soli Deo debetur. Unde Augustinus, in libro de Civitate Dei, dicit quod hic cultus soli Deo debetur, quia videmus in omni republica observari, quod rectorem suum aliquo singulari signo honorat, quem quicumque alteri exhiberet, incurreret crimen laesae majestatis. Unde lege divina poena mortis statuitur his, qui divinum honorem aliis exhibent. Qui immolat diis occidetur, praeterquam Domino soli.

Cultus duplex.

Aug. l. 1 confess. c. 1. l. 1

Isaac. Syrus De contemptu mundi. c. 1

Aug l. 1 de Civ Dei c. 4 t. 5

Exod. 23

Et tamen sciendum, quod aliquis cultus potest exhiberi aliquibus creaturis sine peccato, ut reliquiis sanctorum, sanctae Cruci, & imaginibus Christi, & hujusmodi. Unde Damas. loquens de adoratione imaginum dicit, quod in veteri testamento, non fuit assuetus usus imaginum. Cujus ratio est, quia Dominus invisibilis, incorporalis, & incircumscriptus, adhuc carnem non assumpserat, incarnato autem Christo, docuit habere imagines, primo ad rememorationem actuum Christi, & martyrum, ut simplices litteras nescientes, triumphos Christi & martyrum vitam, in picturis quasi in libris, legerent. Et Dam. ad confirmationem sui dicti adducit exemplum Christi. De quo refertur, quod Abagaro Edessenorum rege mittente pictorem, ut imaginem Domini depingeret, quo non potente, propter resplendentem claritatem faciei Christi, Dominus vestimento apposito faciei suae similitudinem propriae faciei mirabiliter impressit, & sic suam imaginem desideranti Regi transmisit. Imaginibus igitur, & reliquiis debetur aliqua reverentia sibi competens, soli autem Deo debetur latria. Quando igitur pietas quae est cultus Dei facit mentem nostram colere Dominum, ut principium nostrae creationis, & finem nostrae beatificationis, tam

Adoratio imaginum. Damas. l. 4 fi. ort. c. 12

Ibid.

tam per operationes interiores, quam per operationes exteriores, fit mens humana sicut lux meridiana clara, quando absque nubibus rutilat.

Tertio donum pietatis diem spiritualem, in anima consummat, & labores ejus terminat, dum mentem ad misericordiam proximi compatiendo inclinat. Hoc enim donum pietatis, alium diem a prædicta die timoris facit in anima, ut dicit Gregor. in Moral. & eamdem per misericordiam consummat. *Greg. l. 1 Mor. c. 16* Et quia jam donum pietatis, in homine diem spiritualem initiavit, illuminando eum per inclinationem, & veram compassionem quantum ad seipsum, & secundo lumen meridiani fervoris menti influxit, dum eam illuminat, & inflammat ad exercendum divinum cultum: ideo tertio pietatis lumen vespertinum diei spiritualis in mente terminat, dum eam clementer per misericordiam inclinat ad proximum. Dicit enim Joannes: *1 Joan. 2* Qui diligit fratrem suum in lumine est, & scandalum in eo non est, scilicet tenebrarum. Illud tamen lumen dicitur vespertinum respectu luminis meridiani. Unde Linconiensis super Angelicam Hierarchiam, cognitionem, quæ habetur, a creaturis de Deo, vocat cognitionem vespertinam, ideo quia lumen pietatis, quod inclinat ad divinum cultum purius, & melius videtur, quam quod inclinat ad proximum. Quare & Bernardus dicit: *Bern. super cant. ser. 40 circa med.* Porro in aliud tendere, quam in Dominum, licet propter Dominum, non otium Mariæ, sed negotium Marthæ est, quæ adhuc sollicita est, & turbatur erga plurima, cum unum sit necessarium. Et ideo non potest terrenorum actuum anima, vel tenui pulvere, conspergi. Sic igitur donum pietatis causat mane, meridiem, & vesperam in die sua. Factum est ergo vespere & mane dies secundus, ut habetur in Genesi. *Gen. 1*

Caput III.

Qualiter per donum pietatis menti convivium præparetur.

Tertio videndum est, qualiter per donum pietatis in regno Dei, & animæ convivium spirituale animæ, & omnibus viribus ejus præparetur. Dicit enim Greg. in Moralibus: *Greg. l. 1 Mor. c. 16* Pietas in die suo convivium facit, & menti exhibet: quia cordis viscera misericordiæ operibus replet. Opus autem bonum est cibus animæ, ut dicit Gregorius. Et Idem dicit: *Ibid l. 21 8 statim a prin.* Comedere animæ est bonis operibus satiari. Hæc ille. Primo igitur donum pietatis prudentissime a convivio suo impietatem, & omnem familiam illius expellit, quia omnia fercula mentis inficit, & insipida facit. *Pietas impietatem expellit a convivio suo.* Nam ut ait Augustinus in sermone quodam. Etiam justitia quæ est virtus specialis, & dulce ferculum piæ mentis, sine pietate crudelitas est. In crudelitate autem nulla dulcedo est, sed amaritudo impietatis in ea regnat. Quare cibaria animæ nullo igne charitatis decoquit, sed cruda & insipida relinquit. Unde Seneca in libr. de moribus dicit: Respice crudelitatem, & matrem ejus iram, cum omni familia sua. Hæc enim humanæ naturæ maxime inimica est, pietas autem amica est, ait Tullius libro tertio de officiis, ideo ipsa est dulce condimentum humanorum actuum. Quare per oleum significatur, ut ait Richardus, in tractatu de gemino Paschate. Et sic donum pietatis, impietatem a convivio suo omnino expellit. *Rich. tra. de ge. Pas. circ. med.*

Secundo donum pietatis non solum invitat omnes vires mentis, tamquam incolas regni ad suum convivium, sed exteriores, & laborantes, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matt. 11* Similiter & pia mater pietatis, omnes vires & virtutes suas, ad operationes, & ad officia dulciter inclinat, & inter se concordat, & ad concordiam morum, & ad amicitiam mutuam vehe-

hementer invitat, & ad cultum Dei, tamquam ad officium proprium maxime instigat. Quod bene ostendit Hugo, dicens sic: Invitat pietas desperatum: trahit charitas invitum: misericordia pacificat iratum: hilaritas reddit securum: affabilitas familiarem facit: familiaritas secretum aperit: apertio secreti amicitiam parit: morum concordia amicitiam custodit: humilitas Deo proximum facit. Hæc ille. Et si pietas omnes convivantes inter se concordat, & ad exteriores inclinat, & eos Deo approximat, eum colendo humiliter, & obediendo viriliter: Sola enim humilitas Dominum perfecte colit. Sunt & aliæ familiæ pietatis, quarum quædam ministrant in choro, humiliter psallendo: quædam in refectorio, dulciter ministrando: quædam in dormitorio, somnum quiete contemplationis procurando: quædam in coquina, mentis opera bona tamquam cibaria dulcia igne charitatis decoquendo: quædam in infirmaria, debiles pie reficiendo: quædam in capitulo, misericorditer, & compassive corripiendo. Et sic pietas omnes ministrantes sua dulcedine reficit & consolatur. Quod & dici potest de tota familia animæ, alioquin pietas non esset utilis ad omnia.

Hug. l. 3. de claustro animæ, c. 5

Tertio donum pietatis omnes incolas & convivantes regni Dei, & animæ, quod in nobis est, ut dicit Dominus, multiplciter, reficit, dum eis diversa fercula spiritualia apponit: Sed prænotandum est, quod sicut dicit August. Libro decimo de Civitate Dei, pietas est cultus Deo debitus principaliter. Cujus ratio est, quia homo efficitur debitor alicujus diversimode, vel secundum ejus excellentiam, vel secundum beneficia accepta: & secundum utrumque istorum, est homo debitor Dei, quia Deus primum & summum locum obtinet, quia est excellentissimus, & principium nobis essendi, causandi, conservandi, gubernandi, & beatificandi. Ideo pietas est, summæ originis pius sensus, & devotus affectus, & fidelis famulatus sive cultus per fidem, spem, & charita-

Luc. 17

Aug. l. 10 de Civ. c. 1 & 5

A tem. Istis enim colitur Deus, ut dicit August. dum per fidem, spem, & charitatem in Deum tenditur. Ad quod pietatis donum inclinat, & habilitat. Et in hoc cultu divino, pietas fercula dulcia & multifaria menti apponit, & propinat. Nam in fide tot dulcia fercula menti exhibentur, & pascua virentia ostenduntur, quot saporosæ virtutes & veritates in ea continentur, quæ sunt miræ. Unde Bernardus dicit sic: Hi scilicet cultores Dei pro fidei magnitudine digni inveniuntur, qui in omnem plenitudinem Dei inducuntur, nec est in omnibus apothecis sapientiæ aliquid omnino, a quo Deus scientiarum Dominus arcen-
B dos censeat cupidos veritatis, non conscios vanitatis. Magna enim fides, magna meretur. *Sequitur*: Istiusmodi magnis spiritibus, magnus occurrit sponsus, emittens lucem & veritatem suam, eosque adducit & deducit in montem sanctum suum, & in tabernacula sua. Regem in decore suo videbunt præeuntem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum, ad lilia convallium, ad amœna hortorum, ad irrigua fontium, ad delicias cellariorum, & odoramenta aromatum, postremo ad ipsa secreta cubilis. Ubi sunt thesauri sapientiæ, & scientiæ penes sponsum absconditi. Hæc vitæ pascua præparata sunt, in refectionem animarum
C fidelium: Beatus, vir qui implevit desiderium suum ex ipsis, hæc Bernardus. Hæc pascua, dulcissima fides menti ostendit. Quid enim non invenit fides? Fides attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ait Bernardus super Cantica. Ea Augustinus de verbis Apostoli dicit: Nullæ majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla hujusmodi substantia major est, quam fides Catholica, quæ peccatores salvat, cæcos illuminat, mortuos vivificat, &c. multa quæ ibi enumerantur, quæ omnia mentem reficiunt. Secundo pietas in cultu divino, qui fit per spem non ut est passio, sed ut est virtus Theologica, mentem ad convivium introducit.

Aug. Ench. c. 3. & 3

Ber. super Cant. ser. 32 post medium.

Psal. 125

Psal. 42

Cant. 2

Ps. 126

Bern. super Cant. ser. 28 post med. & 76 ante me.

Aug. de ver. Apost. ser. 1 vers. fin. & ser. 181 de tem. c. 21. t. 10

cit. Et ibi multa fercula sapida A ei proponit, & convivantibus, Proprium enim objectum spei, est beatitudo æterna, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, ut ait Boetius de consolatione. Sed sperare beatitudinem æternam, sive Deum, est appropinquare illi. Quia sperans propinquius se habet ad Deum, vel beatitudinem, quam desperans, ut patet. Quare magis attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum, quam fides, dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Unde & beatus August. libro de Trinitate, attribuit spei quoddam frui, ubi dicit: Quoddam est frui quod est B spei, & non rei, ex quo spes immediatius attingit Deum quam fides, & sic magis propinquat Deo. Quanto autem mens per spem magis appropinquat, tanto suaviores odores Dei sentit. Quod ostendit Bernardus, dicens: Licet Dominus suavis sit universis, maxime autem domesticis, quanto ei quis familiarius pro vitæ meritis, & puritate mentis appropriat, tanto eum recentiorum aromatum arbitror, & unctionis suavioris sentire fragrantiam. Porro huiusmodi non capit intelligentia, nisi quantum attingit experientia. Et ibidem ostendit piæ spei plures odores esse diversas virtutes, dicens: Vides ne aliquos magis ad pœnitentiam animari spe indulgentiæ, immo omnino Domine Iesu, propter mansuetudinem, quæ prædicatur in te, curremus post te in odorem unguentorum tuorum, audientes, quod non spernas pauperem, non horrescas peccatorem, nec horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Cananeam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non clamantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non crucifixores tuos. In odorem istorum unguentorum piissimorum curremus, donec regeneremur in spem vivam. Hæc spes immortalitate plena est. Et sicut dicit Greg. Spes illa in æternitatem

Obiectum spei proprium.

Boet. de conf. phil. l. 3 pr. 2 non longe a

Psal. 72

Aug. l. 10 de Trin. c. 3

Bern. super Cant. ser. 2. non longe a prin.

1. Pet. 1
Sap. 3
Greg. l. 6 Mor. c. 21

animam erigit, & idcirco nulla mala, quæ exterius tolerat, sentit. Tertio pietas in cultu divino, qui fit in charitate dulcia cibaria a fidei convivantibus iudicata, & a spe præparata jam gustare facit. Ratio huius est, quia charitas perfectius attingit Deum, quam fides vel spes. Licet enim mens Deum attingat aliqualiter in lumine fidei sub spem, vel ratione visionis ænigmaticæ, hæc tamen non est perfecta attingentia, nisi Deus qui est præsens menti per modum sic visi, fiat præsens sub ratione sperati & amati. Spes enim præsupponit fidem, quia accedentem ad Deum oportet credere, quia est. Et ideo spes aliqualiter magis attingit Deum quam fides, ut supra dictum est. Sed nec hæc attingentia, seu præsentia spei perfecta est, nisi Deus attingatur, & præsens fiat per modum amati, & amplexus, quæ debentur volitivæ potentiæ, cui proprie convenit habere, & possidere, ut patet per August. ubi dicit sic: Appetitus quo inhiatur rei cognoscendæ fit amor cognitæ, dum tenet, atque amplectitur placidam prolem, id est, notitiam gignenti contingit. Et idem August. dicit, quod quidam Deum cognoscunt, & tamen eum propter hoc non habent. Ubi præscindit cognitionem, ab habere. Multum enim differt, cibum cognoscere, habere, & gustare. Gustus autem non C est in cognitione, sed in amore. Huius ratio est, quia dicit Hugo super Angelicæ Hierarchiæ, Amor acutus est, & transit omnia: & penetrat, donec ad amatum, & in ipsum veniat, nec quiescit donec amatum teneat, & dicat. Non dimittam ipsum donec introducam eum ad omnia intima mentis meæ, ubi esurio, & sitio ipsum, ut dicitur, in Cantica. Quod exponens Bernardus dicit. Quis te non teneat Domine, qui tenentem te spe fortificas, perfectione decoras, perseverantia conducis, remuneratione perducis, ut scilicet reficias? *sequitur*: Ego autem non dimittam te, nisi benedixeris mihi, & numqaam dimittam te, quia non benedicis, nisi tenentes te. Hæc ille. Igitur tenetur

Heb. 11

Aug. l. 9 de Trin. c. 12 in fin. t. 3

Idem epist. 57 ad Dar. post med. t. 2

Hug. in Ang. Hier. c. 7. t. 6
Cant. 3

tur in cultu charitatis, quia Deus charitas est, & qui manet in chacharitate in Deo manet, & Deus in eo, in quo Dominus manet, dulci charitate reficitur. Quia sicut dicit Richardus, Amor sive charitas, est dulcedo saporis intimi, & quanto quis ardentius amat, tanto dulcius gustat, igitur in charitate est dulcior refectio. Iste gustus amorosus, totam familiam convivii mentalis primo ab impuritate mundat, virtutibus adornat, dulcedine cibat, dilectione inebriat, lumine serenat, gaudio exhilarat. Ista Rabanus in sermone quodam declarat, dicens: Amor ignis in meditatione, purificans mentem a sordibus vitiorum omnium. Est lux in oratione mentem irradians claritate. Est mel in gratiarum actione, mentem dulcorans in dilectione divinorum beneficiorum. Est vinum in contemplatione mentem inebrians jucunda dilectione. Est sol in beatitudine, mentem clarificans serenissima illuminatione. Est vita mentem exhilarans ineffabili gaudio, perenni jubilatione. Hic cultus charitatis, fidem & spem format & conformat, & totum convivium mentis & consummat & perficit. Unde Cassiodorus super Psalmos dicit: Charitas est mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, concordia mentium, societas electorum: quam fides concipit, ad quam spes currit, cui profectus omnium bonorum servit. Ad quod convivium nos conducat, qui est benedictus in æternum.

DE DONO SCIENTIÆ.

Caput I.

Quæ scientia donum Spiritus sancti dicatur.

Tertio dicendum est, de dono scientiæ, quod immediate sequitur donum pietatis: quia sicut dicit Gregorius in moralibus, nulla est scientia si utilitatem pietatis non habet. Et Anselmus dicit: Post donum pietatis, Spiritus sanctus scientiam superimponit pietati, cum mens sic timet sibi, & compatitur, ut quo valeat modo salvari, scrutatur, eique Spiritus sanctus hujus rei cognitionem largitur. Hunc etiam ordinem donorum tenet August. de Doctrina Christiana. De hoc autem dono scientiæ sunt tria notanda. Primo, quæ scientia donum Spiritus sancti dicatur. Secundo, qualiter per donum scientiæ in anima dies oriatur. Tertio, quo modo per donum scientiæ menti convivium præparetur.

Greg. l. Mor. c. 13

Ans. l. de simil. c. 138

Aug. l. 2. de Doct. Chri. c. 7. t. 3

Circa primum nota, quod Bernardus super Cantica in quodam sermone dicit: Scientia quædam est sæcularis, quæ inebriat non charitate, sed curiositate, implet sed non nutrit, inflat & non ædificat, ingurgitat, & non confortat. Et talis scientia non est, donum Spiritus sancti. Est alia scientia de qua Augustinus dicit. Est scientia quæ non est rerum vanarum, nec rerum curiosarum, sed de his, quibus fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, & hæc dicitur donum Spiritus sancti. Et hoc donum gratuitum, est lumen supernaturale. Cujus actus est bene judicare, secundum regulas legis æternæ de agibilibus per nos, quorum non est determinata via quo ad nos, qualiter fieri debeant, eo quod non semper uniformiter fienda sunt. Unde per donum scientiæ, innotescit homini rectum judicium de creaturis, quod non est in eis verum bonum, & hoc fit per lumen supernaturale, scilicet per principia fidei, quæ sunt articuli fidei. Ideo ex consequenti, ad donum scientiæ pertinet resolvere hominis actiones, ad fidei articulos ut ad principia. Et notandum est, quod donum scientiæ principaliter respicit speculationem, scilicet inquantum homo scit quid fide tenere debeat. Secundo, se extendit ad operationem, quia per scientiam credibilium, & eorum quæ ad credibilia consequuntur, dirigitur in agendis. Unde illi donum scientiæ habent, qui ex infusione gratiæ certum

Aug. l. 14. de Tri. c. 1. t. 3

tum iudicium habent circa credenda, sic quod in nullo deviant a rectitudine iustitiæ. Et hæc est scientia sanctorum, de qua dicitur: Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & dedit illi scientiam sanctorum. Ex his patet, quod donum scientiæ est habitus infusus, in quo homo habet certum iudicium circa credenda, & agenda. Igitur sicut dicit Hieronymus in prologo super Biblia, Discamus in terris, quorum scientia remanebit nobis in cœlis. Valde enim indignum esset, quod tantum laborarem circa scientiam, & virtutes, si desinerent esse in morte. Unde Hieronymus, ibidem dicit, quod sacra Scriptura, est habitaculum regni cælestis. Evacuabitur tamen imperfectio eius.

Sap. 10

Hier. epist. 103 ad Paulin. cir. fin.

A

Caput II.

Qualiter per donum scientiæ dies in anima oriatur.

Secundo videndum est, qualiter per donum scientiæ in anima dies oriatur. De quo notandum est, quod cum donum scientiæ sit habitus luminosus, a Spiritu sancto animæ infusus, qui omnia scrutatur, & omnem veritatem docet, quo habitu anima habet rectum & certum iudicium circa credenda, & agenda, ut supra dictum est, huiusmodi non possunt fieri sine lumine. Lumen autem facit diem, sicut dicit Hugo in libro de tribus dietis. Planum est, quod donum scientiæ causat diem spiritualem in anima, quæ secundum maiorem, & minorem illuminationem causat mane meridiem, & vespertinam horam. Mane huius diei, causat donum scientiæ, dum se extendit ad lumen scientiarum acquisitarum per studium & doctrinam: quæ scientiæ, licet sint quædam lumina, tamen sunt obscura. Quia sicut dicit Hugo in prologo super librum Angelicæ Hierarchiæ, Philosophis, vel sapientibus mundi datum est, veritates aliquas invenire propter nos, quibus consummatio servabatur. Unde invenerunt veritatem illam, quam opportuit suscipere filios vitæ, ad obsequium summæ veritatis. Illis labor appositus est, nobis autem fructus servabuntur. Ipsi arcana sapientiæ non noverant: quia conditorium thesaurorum, scilicet incarnatum Iesum non noverant, sed naturali documento solo utentes, lippienti acie lumen nubilum, & ambiguum adduxerunt, propterea erraverunt, & evanuerunt, cum mente transire vellent ea quæ eis concessa sola fuerant nosse. Etiam hæc scientia assimilatur auroræ, quæ est mane & initium diei. Aurora enim est lux nova tenebris permixta, ut dicit Richardus. Sic & scientiæ humanæ tenebris permixtæ sunt, donec donum scientiæ faciat nos circa eas iuste sentire, & recte iudicare.

Donum scientiæ causat diem in anima tribus horis distinctam.

Hug. l. 3. in Aug. Hier. c. 1 ante med.

Rich. l. 5 de contem. c. 6

B

Secundo donum scientiæ extendens se ad lumen sacræ Scripturæ, & ad credibilia, causat in anima horam meridianam diei spiritualis. Nam lumen horæ meridianæ clarius illuminat, & vehementius inflammat, ut patet ad sensum. Sic lumen sacræ Scripturæ, super omnes scientias mentem clarius illuminat, & vehementius inflammat. Unde Gregorius dicit sic: Quamvis omnem scientiam atque doctrinam, Scriptura sacra sine aliqua comparatione, transcendat, ut taceam quod vera prædicat, quod ad cælestem patriam vocat, quod a terrenis desideriis ad superna amplectenda cor legentis invitat, quod dictis obscurioribus exercet fortes, & parvulis humili sermone blanditur, quod nec clausa est ut pavesci debeat, nec sic patet, ut vilescat, quod usu fastidium tollit, & tanto amplius diligitur, quanto amplius meditatur, quod legentis animum humilibus verbis adiuvat, sublimibus vero sententiis levat, quod aliquo modo cum legentibus crescit, quod ab avidis lectoribus quasi recognoscitur, & cum doctis semper nova reperitur. Ut ergo de rerum pondere taceam, scientias tamen omnes atque doctrinas, ipso etiam locutionis suæ more transcendit. Hæc ille. Sic ergo donum scientiæ per lumen sacræ Scripturæ, animam illuminat & inflammat ad modum lu-

Greg. l. 20 Moral. c. 1

C

lucis meridianæ, ut dicatur de ea illud Isaiæ: Sicut lux meridiana clara est. *Isa. 18*

Tertio donum scientiæ se extendens ad lumen scientiæ moralis, & ad agibilia, facit horam vespertinam in die spirituali animæ, quæ est hora quietis, & terminus laboris: Exibit enim homo mane ad operationem suam usque ad vesperam, ait Psalmista, *Ps. 103* sic donum scientiæ notificans homini rectum judicium circa credenda, & agenda, ipsum quietat, dum eum in veritate stabilitat. Sed & laborem minuit, & quasi terminat, dum eum gaudenter operari facit, quia finis laboris quietem æternam ei pie ostendit. Unde Dionysius dicit: *Dion. de di. nom. c. 7 circ. fin.* Fides divina est stabilis collocatio credentium, collocans eos in veritate, & confirmans in transmutabili identitate: *sequitur*. Et credentem in veritate, teste Scriptura, nihil moneat, a lætitia, quæ est secundum veram fidem, sed habeat in ea permanentiam immobilis identitatis. Et parum infra dicit. Ita igitur, principes, & duces nostræ sapientiæ, scilicet Apostoli, & eorum discipuli, pro veritate quotidie lætantur, & moriuntur, testificantibus omnibus verbo & opere veritatem, sicut conveniens est: Et sic vespere, & mane dies tertius perficitur.

Caput III.

Quo modo per donum scientiæ menti convivium præparetur?

Quæ fames & quis cibus animæ sit.

Tertio videndum est, quo modo per donum scientiæ, menti humanæ convivium præparatur in die suo, & de diversitate ferculorum illius: Circa quod sciendum est, quod Augustinus in libro de vita beata dicit, *Aug. de vita bea. disput. 1 circ. i. 1* quod sicut scientia est cibus animæ, ita vitia sunt fames animæ & sterilitas. Et illa fames causat quoddam ieiunium spirituale in anima, quod donum scientiæ expellit ab anima. Unde Gregorius in moralibus dicit: *Greg. l. 1 Mor. c. 16* Scientia in die suo convivium facit, quia in ventre mentis, ignorantiæ ieiunium superat. Ex quo A patet, quod ignorantia, & vitia causant in anima ieiunium spirituale, quæ quamvis sit incorruptibilis, tamen multum debilitatur, eo quod interius nullis veritatibus cibatur, & ex consequenti nec appetitus veris bonis satiatur: quia incognita amare non possumus, ideo nec gustare possumus, ut dicit Beda super Lucam cap. 8. Igitur sicut consulit Augustinus in libro de vera religione: *Aug. l. de ver. Relig. circ. c. 1* Omissis nugis theatricis, & poeticis, divinarum scripturarum consideratione & tractatione pascamus animum atque potemus, vanæ curiositatis fame ac siti fessum, & æstuantem & inanibus phantasmatibus, tamquam pictis epulis, frustra refici, satiarique cupientem, cum talia animam non satient.

B Secundo donum scientiæ provocat animæ appetitum, per manifestationem dulcissimarum veritatum. Nam sicut dicit Augustinus super Joannem: *Aug. tract. 41 in Joan. non longe a prin. c. 6* Veritas panis est, & mentem reficit, nec tamen deficit. Et quanto donum scientiæ dulces veritates magis manifestat, tanto appetitum magis provocat. Quia quanto alimenta spiritualia plus sumuntur, tanto plus appetuntur, ait Gregorius. Alioquin, sicut dicit Hugo libro de vanitate mundi, frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinæ dilectionis flamma augescat. Sed dilectio sive charitas, est cibus dulcissime reficiens mentem. C Unde Bernardus in libro de gradibus humilitatis dicit: *Ber. tract. de 12 gra. hum. & superb. non longe a pri.* Dulcis cibus & suavis est charitas, quæ fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat, jugum denique veritatis facit suave, & onus leve in illo scilicet convivio mentali.

Tertio donum scientiæ convivantes multipliciter reficit, per ferculorum diversorum deliciosam exhibitionem, quæ in scientia sacræ Theologiæ occulta ostendit, & convivantes illuminando gustare facit. Unde Gregorius in moralibus exponens illud Job: *Greg. l. 16 Mor. c. 9 in prin.* Tunc super omnipotentem deliciis affluens, dicit: Super omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius sacræ Scripturæ epulis satiari. In quibus nimirum tot de-

delicias invenimus, quot ad profe- A ctum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus: ut modo nos nuda pascat historia: modo sub textu litteræ velata nos reficiat medullitus, allegoria: modo ad altiora suspendat contemplatio anagogiæ, in præsentis vitæ tenebris, jam de lumine æternitatis intermicans. In his verbis Greg. innuit, triplicem mensam esse sacræ Scripturæ, in quibus animæ studiosæ mediante dono scientiæ, diversimode & dulciter reficiuntur. Prima est mensa historiæ. Secunda est mensa allegoriæ. Tertia est anagogiæ. In mensa historiæ, simplices cibantur ferculis grossioribus. In mensa allegoriæ, cibantur doctores ferculis subtilioribus. In mensa anagogiæ, perfectiores cibantur ferculis dulcioribus. In mensa historiæ, simplices cibantur ferculis grossioribus, fidem roborantibus, dum simplices legunt in sacra Scriptura, quod aqua in vinum mutatur, Lazarus suscitatur, leprosus mundatur, cæcus illuminatur, & hujusmodi. Tunc turba simplicium pascitur, quando fides exemplis roboratur. Unde Alexander Nechan, super Cantica dicit: *Alex. Nech. sup. Cant. cap. 5* Ecce nobis recumbentibus ad mensam sacræ Scripturæ, proponuntur poma miræ fragrantiæ. Arbor siquidem propaginis, cuius radix erat protoplastus, decorata multitudine ramorum, qui sursum tenduntur protulit poma, id est, exempla comestibilis & commendabilis saporis, per quæ intellige bona opera, seu prophetarum vaticinia, quorum delicioso odore, sancta Mater Ecclesia quotidie recreatur. Hæc ille. In mensa secunda allegoriæ reficiuntur subtiliores, ut doctores, & similes, subtilioribus & dulcioribus ferculis, dum eis panis verus de cælo promittitur, *Joan. 6* & datur, habens in se omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. Ex cujus manducatione resurrectio nobis promittitur, vita æterna speratur, janua cælestis aperitur, mensa æternæ refectionis præparatur, corpus Christi hic vere manducatur, in quo nobis divinitas propinatur. Unde Hugo in primo cap. super librum Angelicæ Hierarchiæ dicit *Hug. in 1. c. Ang. Hier. l. 2 post inc.* carnem assumptam Jesus nobis in edulium proposuit, ut per cibum carnis, ad gustum invitaret divinitatis. Ex his autem confortatur anima, & surgit in spem vivam. De qua spe Greg. in moralibus dicit: *Greg. l. 6 Mor. c. 11 vers. fin.* Spes in æternitate animum erigit, & idcirco nulla exterius adversa, quæ toleret, sentit, quod non est modica refectio mentis. In mensa tertia, scilicet anagogiæ, spiritales & perfectiores pascuntur, ferculis dulcissimis, & sapidissimis. Cuius ratio potest esse talis: Anagogia, ut dicit Hugo, est ascensio, sive elevatio *Hug. l. 2 super Ang. Hierar.* mentis in contemplationem supernorum. Ideo ascendendo transcendit narrationem mensæ historicæ, B sed contemplando transit ultra velamina mensæ allegoricæ. Plena autem elevatio, & pura contemplatio, in mente miram, & dulcem generat delectationem, & refectionem. Unde Greg. dicit sic: *Greg. in Ezec. hom. 14. post me.* Contemplatio amabilis, & mirabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, id est, cælestia aperit, terrena autem debere esse contemptui ostendit, spiritualia oculis mentis patefacit, corporalia abscondit, ut talis contemplatrix dicat illud Cantici: Ego dormio, & cor meum vigilat. *Sequitur*: Vigilanti etenim corde dormit, per hoc quod interius contemplando proficit, & ab inquieto opere foris quiescit. *Sequitur*: Ne- *Cant. 5* C que adhuc omnipotens Deus in sua claritate conspicitur, sed quædam ab illa anima speculantur, unde refecta proficiat, & post ad visionis gloriam pertingat. Hæc ille. Quare contemplatrix anima desiderans claram dilecti visionem, & plenam refectionem, confortata petit jam trahi de istis mensis ad illam gloriosam mensam, & epulationem cælestis convivii, dicens illud: *Cant. 1* Judica mihi quem diligit, anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie. Bern. *Bern. Ser. 33 in Cant. ante med.* exponens hæc verba dicit sic: Primo adverte, quam eleganter sponsa amorem spiritus ab amore carnis discernat affectu, dum dilectum exprimere magis jam volens affectione, quam nomine, non simpliciter dicit, quem diligo, sed inquit, quem di-

diligit anima mea, spiritualem designans, amorem non carnem. Indica mihi igitur, ubi pascas, &c. Antequam adimplebis me lætitia cum vultu tuo, vultum tuum requiro: vultus autem tuus vera meridies est. Hæc ille. Hic meridies anagogiæ clarior est in splendore, & ferventior in calore. In splendore clarior, dum pater per verbum infiniti splendoris se perfecte manifestat. Et in calore ferventior dum per amorem suum spiratum, qui est infiniti ardoris sive charitatis, se ad gustandum, amplexandum, & habendum liberalissime in anagogia communicat. Sed Bern. ibidem dicit: Verumtamen quantumlibet, hic meridies viæ incalescat, & radios suos multiplicet, per omnia mortalis huius vitæ curricula, sitque nobiscum usque ad consummationem sæculi, non tamen ad lumen perveniet meridianum patriæ. Nam hic pastus, sed non ad saturitatem: nec cubare licet, sed vigilare oportet, propter timores nocturnos: nec hic clara lux nec plena refectio, nec tua mansio. Igitur indica mihi ubi pascas, ubi cubes in vera meridie, scilicet in claritate lucis, & fervore charitatis tuæ infinitæ. Hæc ille. De hac meridie dicit Bernardus ibidem, quod admirando exclamat, dicens: O vera meridies plenitudo fervoris & lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, paludum desiccatio, fœtorum depulsio. O perenne solstitium, quando iam non inclinabitur dies. O lumen meridianum. O vernalis temperies. O æstiva venustas. O autumnalis ubertas. O quies & feriatio hiemalis. Hunc locum inquit, tantæ claritatis, & pacis, & plenitudinis, indica mihi, ut ego te in lumine tuo per mentis excessum merear contemplari, pascentem uberius, quiescentem securius. Hæc est mensa veri Salomonis, in qua Regina Saba ultra non habuit spiritum humanum, tota absorpta in spiritu divino. *3 Reg. 10*

Caput IV.

De mensa divinæ Scripturæ sive scientiæ, & de ferculis, quæ in ea opponuntur.

De hac mensa divinæ Scripturæ, sive scientiæ Hugo loquens, dicit idem, sed per alia verba, quæ forte magis sapiunt: Unde dicit sic: Sicut homo exterior in refectorio materiali ad horam cibo potuque reficitur, sic homo interior in refectorio sanctæ meditationis diversorum exemplorum ferculis saginatur, & vino compunctionis potatur. *Sequitur*: In hoc ergo refectorio tres ponuntur mensæ, id est tres intellectus divinæ Scripturæ, videlicet mensa historialis, mysterialis, & moralis. Prima mensa ponitur simplicibus, secunda doctoribus, tertia utrisque communiter. In prima ponitur cibus grossior. In secunda, cibus subtilior. In tertia, cibus dulcior. Prima saporem continet exemplorum. Secunda continet dilectionem mysteriorum. Tertia dulcedinem morum. In prima Christus panem fregit. In secunda, figuris ministrat vinum. In tertia, docet verum. In prima, pascit miraculis. In secunda, figuris. In tertia, verbis. Refectio miraculorum corroborat fidem. Impletio figurarum confortat spem. Doctrina morum adauget charitatem. Cum enim mortui suscitantur, leprosi mundantur, cæci iluminantur, tunc simpliciorum turba pascitur. Sed fides inde succrescit, dum Deus hoc fecisse creditur. Dum vero resurrectio Christi creditur, tunc nostra resurrectio speratur. Dum semen seminantis quibus terris congruat, assignatur, quid aliud fit, quam quod in mentibus hominum, verbi Dei amor ordinatur? Ponuntur itaque mensæ, ponuntur & panes. Ad primam mensem Moyses offert panem conspersum, tamquam cibum grossiorem. Oleo devotionis conspersum in superficie: quia lex nullum ad perfectum duxit. Dabatur tamen populo Dei exeunti de Ægypto ille panis, ad aliqualem devotionem eius, & al-

Hug. l. 3 de claust. animæ cap. 8 in princ.

Levi. 7

le-

leviationem. Ad secundam mensam, [*Ruth. 2*] Ruth, obtulit panem intinctum in aceto Dominicæ passionis. Qui habet virtutem patienter sustinendi omnia adversa. Unde Augustinus in [*Aug. l. de confli. vit. & vitior. c. 2. in prin.*] libro de conflictu vitiorum, & virtutum dicit: Si passio Redemptoris nostri ad memoriam reducatur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur: parva enim omnia reputamus, si suæ passioni comparemus, quæ patimur. Simile dicit Isidorus de summo bono. [*Isid. l. de contemptu mundi c. de patientia in adversis.*] Ad tertiam mensam, scilicet anagogiæ: Christus dat panem supersubstantialem, [*Joan. 6. Sap. 16*] seipsum in corpore, & sanguine suo, ut sicut dicit Hugo, [*Hug. super. 2. Ang. Hie.*] per cibum carnis, invitet ad gustum divinitatis, ut homo manducet panem Angelorum omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Ideo maxime reficit. Unde Vercellensis super Cantica dicit: Nihil est, quod ita gratam mentibus præstet refectionem sicut panis supersubstantialis, id est, Eucharistiæ. Et sic convivantes in prima mensa, ad exeundum de Ægypto alleviantur. In secunda mensa, ad sustinendum patienter pericula viæ animantur. In tertia mensa, convivantes sic reficiuntur, ut in æternum non moriantur. Post appositionem panum, ponuntur diversa genera pulmentorum. Nam tres pueri afferunt legumina. [*Dan. 1*] Paulus infirmus ministrat olera. [*Rom. 14*] Moyses affert diversa ferculorum genera, mel scilicet de petra, oleumque de saxis durissimis, [*Deut. 32*] butyrum de armento, & lac de ovibus, cum adipe agnorum & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ biberent meracissimum. Post appositionem pulmentorum, ponuntur diversa fercula carnium. Nam Abel offert agnum. [*Gen. 4*] Abraham arietem. [*Gen. 22*] Josue, vaccam. [*Jos. 8*] Moyses volatilia pennata, [*Ps. 77*] & rex Evangelicus altilia occisa, [*Matt. 22*] per quæ signantur patres novi testamenti. [*Joan. ult.*] Quidam dum gratiam pinguedinis internæ dulcedinis percipiunt, a terrenis desideriis, ad sublimia contemplationis suæ penna sublevantur, ait Greg. Post appositionem carnium, ponuntur diversa fercula piscium. Nam Apostoli afferunt pisces de mari. Tobias affert pisces de fluvio. [*Tob. 6*] Pisces de stagno in Levitico ubi dicitur: [*Levit. 11*] Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari quam in fluminibus, & stagnis comedetis: ubi dicit Gregorius in Glos. [*Gloss. in Levit. 11 ex Greg. l. 5 Mor. c. 8*] Pisces, qui habent pinnulas, solent saltare super aquas, & signant animas, quæ elevantur ultra illa fluxibilia per contemplationem, & etiam aliqui sunt in activa vita, & illi sunt comedendi, & Ecclesiæ incorporandi, vel traiiciendi, quia sunt mundi. Sed Hugo dicit: Pisces de mari sunt sæculares, qui sunt adhuc in hoc mari magno. Pisces vero de B flumine, sunt doctores qui fluunt scientia ad alios inquieti, sed pisces de stagno sunt claustrales quieti, qui omnes in flumine baptismi mundati sunt, & ideo comedendi sunt, id est, in corpus Ecclesiæ traiiciendi sunt. Cum prædictis ferculis, donum scientiæ tot vina ministrat potanda, quot proposuit fercula reficientia. Et hujus ratio est, quia donum scientiæ ut est donum Spiritus sancti, illuminat ad veritates sacræ Scripturæ cognoscendas, & ad cognitas diligendas. Cognitio autem cibat, sed dilectio potat. Cognitio cibat multipliciter. Quia sicut dicit Greg. in Moral. [*Greg. l. 16 Mor. c. 9. in prin.*] In Scripturæ sacræ verbis, tot delicias invenimus, quot C ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus. Sed sicut in nobis crescit cognitio, ita in nobis debet augeri, & dilectio. Alioquin sicut Hugo dicit, in libro de vanitate mundi, frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi in nobis divinæ dilectionis flamma augescat, quæ animos inebriat, & pascit. Hic est notandum, quod sicut Greg. in Moral. [*Greg. l. 1 Mor. c. 8 circ. med.*] Scriptura sacra aliquando nobis cibus est, aliquando potus est. Cibus est in locis obscurioribus, qui quasi exponendo frangitur, & masticando glutitur. Potus vero est Scriptura in locis apertioribus, qui ita absorbetur sicut invenitur. Ex his patet, quod in isto convivio non sufficiunt vina præcipua Assueri, nec vina condita spon-

sponsæ, nec vina mera Psalmistæ, &c. sed quot erunt fercula, tot erunt in convivio illo vina. Quia sicut dicit Origenes super Cantica: Non est plena refectio, nec omnimoda refectionis delectatio, nisi cum cibo potus jungitur. Hæc ille. De ista refectione spirituali sive convivio Richardus de sancto Victore dicit. O qualis refectio, ubi dapifer est Christus, pincerna vero Spiritus sanctus. Christus enim ministrat in cibo. Unde David: Mittit Crystallum suam sicut buccellas. (Ps. 147) Spiritus sanctus ministrat in potu. Unde David ibidem dicit: Flabit spiritus ejus, & fluent aquæ vivæ, quia vivificant. Hæc ille. Ratio hujus appropriationis potest esse talis. Aug. de Trinitate dicit, quod verbum perfectum est notitia cum amore. (Aug. l. 9 de Tri. c. 10 & 3) B Cum igitur verbum æternum sit notitia manifestans patrem, & cum hoc notificet omnem veritatem, illuminat enim omnem hominem venientem in hunc mundum. Veritas autem est dulcis refectio mentium, ut dicit Aug. super Joan. (Joan. 1. Idem tra. 4. in Joan. 9) Patet, quod refectio appropriatur filio. Sed cum in notitia sit amor, qui appropriatur Spiritui sancto, & amor sit unum spirituale, potans, & reficiens, & inebrians mentem, patet quod potare vino spirituali & inebriare, appropriatur Spiritui sancto. Quod autem amor sive charitas, sit quoddam optimum vinum spirituale, ostendit Hugo de Arca Noe, ubi dicit: (Hug. l. 4. de Arca morali. c. 8) Charitas sive amor similis est vino, quia habet effectus vini. Vinum namque eos, quos inebriaverit, reddit hilares, audaces, fortes, obliviosos, & quodam modo insensibiles: sic charitas sive amor mundando conscientiam mentem exhilarat, secundum Psalmistam. (Ps. 103) Deinde audacem reddit, quando per munditiam conscientiæ fiduciam præstat. Deinde vires auget, quia sicut testatur Scriptura, Fortis est ut leo, qui confidit in Domino. (Prov. 28) Oblivionem quoque generat, quia dum totam intentionem ad desiderium æternorum trahit, omnium transeuntium memoriam ab anima funditus evellit, & insensibilem reddit; quia dum mentem per internam dulcedinem medullitus replet, quidquid exterius amari infertur, contemnit, quasi non sentiat. Hæc ille. De hac ebrietate, dono septimo cap. 7. Supra posita exempla nemo contemnat, quia donum scientiæ in omnibus sensibilibus divinos radios lucere manifestat. Unde Dionys. dicit: (D.on. in epi. ad Tim.) Non solum sensibilia signa scripturarum, sed & totus iste mundus sensibilis, secundum quamlibet sui partem, est quasi propositio signans divina invisibilia, juxta illud: Invisibilia Dei, &c. (Rom. 1) Hi autem radii non revelantur immundis, sed solum amatoribus sanctitatis, qui studendo veræ sapientiæ in sanctis signis rerum materialium, abolita omni inepta & phantastica expositione, per intelligentiam puræ veritatis, & amorem veræ bonitatis, per donum scientiæ transeunt ad contemplationem simplicis, & puræ veritatis. Ad quam nos perducat, qui est Deus benedictus in æternum. Amen. Hæc ille.

****

DE DONO FORTITUDINIS.

CAPUT I.

Quæ fortitudo donum Spiritus sancti dicatur.

C QUartum donum Spiritus sancti, est donum fortitudinis, quod immediate sequitur donum scientiæ. Quod Anselmus ostendit in libro de similitudinibus, dicens: (Ansel. l. de similit. c. 130) Spiritus sanctus donum fortitudinis superimponit dono scientiæ. Cujus ratio est: Dum enim mens pavida timens, atque donum pietatis compatiens, & jam quid agere debeat dono scientiæ sciens, oportet ut dono Spiritus sancti sit fortis, ad operandum quæ dicit, & quibus se salvari posse confidat. Quia sicut dicit Hugo super Angelicam Hierarchiam, (Hug in 7 An. Hier.) perfectum non facit agnitio, seu cognitio veritatis in mente, nisi subsequatur habitus veritatis in operatione. Et veritas dicit: (Joan. 13) Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis.

tis. Ideo fortitudinis donum sequitur donum scientiæ. Circa hoc donum fortitudinis sunt notanda tria. Primo quæ fortitudo donum Spiritus sancti dicatur. Secundo qualiter per hoc donum, dies spiritualis in anima oriatur. Tertio quale convivium, per hoc donum animæ præparetur.

Duplex est fortitudo. Arist. l. 3 Eth. c. 8. & 9.

Circa primum sciendum, quod duplex est fortitudo, una quæ est virtus, alia quæ est donum Spiritus sancti. De fortitudine quæ est virtus, multa dicit Philosoph. in Ethicis, inter quæ dicit, quod fortis est qui non timet terribilia, & sustinet ut oportet boni gratia. Et Paulinus in epistola ad Hieronym. dicit: Qui vere fortis est nec temere audet, nec inconsulte timet. Et hæc fortitudo se habet respectu ardui, & mali pœnæ, secundum dictamen naturalium principiorum. Et tali fortitudine sustinet homo pericula & læsiones propter bonum virtutis. Unde Aug. narrat, quod multi utilitatem reipublicæ, propriæ vitæ præponebant. Et Tullius de officiis dicit, quod duo erant præcepta Platonis, volentibus reipublicæ prodesse. Primum utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agunt ad eam referant, obliti commodorum suorum. Secundum præceptum fuit ut totum corpus reipublicæ curent principaliter, ne dum aliquam partem tueantur, reliquas deserant, & ideo hæc fortitudo ordinat hominem ad finem, qui est infra limites naturæ, ut patet. Est alia fortitudo, quæ est donum Spiritus sancti, quæ se habet respectu illius pœnæ secundum dictamen supernaturalium principiorum legis æternæ, sequendo Spiritus sancti specialem inspirationem, vel instinctum, quo moventur aliqui ad ultro se offerendum ad sustinentiam pœnæ prædictæ. Ex quo patet quod donum fortitudinis, est habitus existens sicut in subjecto in voluntate inquantum negotiatur circa ardua, quo voluntas habilitatur ad volendum mortem sustinere, pro defensione seu pro motione veritatis fidei vel morum, secundum dictamen legis æternæ sequendo Spiritus sancti motivam inspirationem. Ex consequenti tamen, per ipsum donum fortitudinis, bene se habet voluntas respectu cujuslibet alterius arduæ pœnæ, & melius quam per aliquam moralem veritatem. Et ideo per istam fortitudinem, sancti fecerunt opera fortitudinis super humano modo, sustinendo talia cum gaudio & exultatione, ut patet in Apostolorum actis, ubi dicitur. Ibant Apostoli gaudentes, &c. Et ista fortitudo ordinat, & disponit ad finem supernaturalem. De hac fortitudine dicit Gregorius in quadam homilia sic: Fortes facti sunt sancti, tortores domant, spiritum roborant, virtutibus coruscant, terrena despiciunt, cælestia appetunt, occidi possunt, flecti autem nequeunt: nec sustinere flagella per infirmitatem metuunt, nec læsi umquam a veritate conticescunt. Hæc etiam fortitudo, instigationes ad malum fortiter retundit, & repellit, sicut dicit Augustinus super Marcum, & Gregorius in homilia: Apostoli mundi hujus potestatibus contrarie non præsumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset, exemplificando de Petro, qui magna auctoritate respondit. Obedire oportet Deo magis, quam hominibus, jam Spiritu sancto confortatus.

Aug. l. 5. de Civ. Dei c. 17

Quæ fortitudo est donum Spiritus sancti.

Act. 5

Greg. hom. 27 in Evan. cir. med.

Idem hom. 30 in Evang. post med.

Caput II.

Qualiter per hoc donum dies spiritualis in anima oriatur.

Secundo videndum est, qualiter per donum fortitudinis dies spiritualis, in mente humana oriatur. De quo sciendum est, quod cum isto dono sicut cum aliis donis prædictis, Spiritus sanctus sit & habeatur, qui ad modum ignis illuminat, & inflammat, ut dictum est: ideo animam, quam inhabitat, illuminat, dum impetum irascibilis, & concupiscibilis, & aliarum passionum obumbrantium convivium animæ fortiter reprimit, & tenebras vitiorum viriliter expellit, & ornatum virtutum omnium custodit, & omnes partes mentis confractis vectibus divino

vino soli patenter aperit, & dicit: *Psal.* 23 Elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ, fortis, & potens in prælio. Qui illuminat omnem *Joan.* 1 hominem venientem in hunc mundum. De hac fortitudine dicit Ambr. *Ambr. l.1 de off. c.39 c.4* de officiis: Non mediocris virtus animi est fortitudo, quæ sola defendit ornamenta virtutum omnium, & iustitiam custodit, & quæ implacabili prælio adversus omnia vitia decertat. Invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, avaritiam fugat tamquam labem quamdam, quæ virtutem effœminat, & sic mentem obtenebrat. Sed necesse est videre, quæ sint portæ animæ, per quas divini radii animam ingrediuntur, & qualiter per donum fortitudinis aperiantur.

Tres animæ potentiæ sunt tres portæ mentis.

De primo notandum est, quod tres portæ mentis sunt tres potentiæ, scilicet memoria, intelligentia, & voluntas, secundum quas homo ad imaginem & similitudinem Dei creatus est, quæ potentiæ convenienter dicuntur portæ æternales, quia æternitatis sunt capaces, eo quod imago Dei in eis consistit, ut dicit *Aug. l.9 de Trin. & sent. 3* August. de Trinitate. Has portas Spiritus sanctus per donum fortitudinis aperit, dum eas per fortes conatus ad æterna convertit, iam a temporalibus aliqualiter elevatas. Unde appropriate loquendo secundum appropriationem August. de Trinitate. Primo per donum fortitudinis, porta memorialis aperitur patri æterno, dum forti conatu a temporalibus abstractam, & elevatam, & divinis beneficiis gratificatam, in patre incipit jam delectari, & gratias agere de filii consubstantialis datione, & de Spiritus sancti missione, & de omnibus aliis beneficiis, ut dicat illud Psal. Memor *Psal. 76* fui Dei, & delectatus sum. Quod *Greg. l.18 Mor. c.14* exponens Gregorius super Job dicit: Qui de temporalium amissione non lugeo, de temporalium abundantia consolari non possum, quasi de umbra: sed cum memor fui Dei, delectatus sum: quia auctor mei, quem adhuc videre non valeo, sola memoria delectat, quod sine lumine esse non poterat. *Sequitur*: Exercitatus sum, continua meditationis meæ apertione divino soli: & defecit spiritus meus scilicet superbiæ tenebrantis, & cæcantis: & divinus illuxit. Quia quanto Spiritus sancti virtus in nobis fortificatur, & proficit, tanto noster spiritus deficit. Et tunc in Deo plene proficimus, cum a nobis plene defecerimus, ait *Thren l 22 Mor. c.14* Gregorius.

Secundo per donum fortitudinis, porta intellectualis aperitur verbo æterno sive filio, dum eam forti conatu a clamore, & sollicitudine temporalium constrictam abstrahit, & ad auditionem Verbi Dei convertit, & instructionem & fidei ejus receptionem, & præceptorum ejus observationem. Quia sicut dicit August. Sapientia quæ est Filius Dei, non cessat loqui occulta inspiratione ad intellectualem creaturam, ut ad se convertatur, & sic salvetur. Et valde necesse est, ut se homo ad lumen sapientiæ convertat: quia sicut dicit August. de libero arbitrio, *Aug. super Gen. ad literam l.1 c.5. t.1 Idem l.2 de l. arb. c.16 circ. fin. t. eod. 1 Mac. 6* Avertentes se a lumine, ad umbram carnalitatis, continue obtenebrantur, intantum quod non possunt videre etiam quod summe bonum est, & malum reputant, quod etiam in se bonum est. Sicut ergo isti obtenebrantur & sunt in nocte, ita illi illuminantur & in die sunt. Quia sol refulget in clypeos aureos, id est, in puros animos, & ideo fortitudo gentium cæcarum, id est, irrationalium virium, dissipata est.

Tertio per donum fortitudinis, porta voluntatis aperitur Spiritui sancto, id est, amatori æterno: quia sicut dicit Augustinus libro de Moribus Ecclesiæ: Fortitudo est amor *Aug. de mor. Ecc. 15. t.1* omnia propter Deum facile perferens. Ille ergo fortis amor aperit voluntatem Spiritui sancto, dum eam omnem carnalitatem fortiter vincere facit, ita ut etiam seipsum contemnat, & omes delectationes hujus vitæ fortiter extinguat. Ex tunc enim nihil resistit Spiritui sancto. Unde Gregorius in Moralibus dicit *Greg. l.7 Mor. c.8. in prin.* sic: Justorum fortitudo est, carnem vincere, propriis voluptatibus contraire, delectationes vitæ præsentis extinguere, hujus mundi aspera pro æter-

æternis præmiis amare, prosperitatis blandimenta contemnere, adversitatis metum superare. Confractis igitur istis vectibus ferreis voluntatis, & amoris per donum fortitudinis, æternus sol ingrediens, & tripliciter exurens montes mentis, igneos radios exsufflat. Sol iste divinus tripliciter exurit montes, secundum tres horas diei fortitudinis, scilicet mane, meridie, & vespere: quæ accipiuntur secundum tres gradus fortitudinis. Primo enim donum fortitudinis facit mane diei spiritualis, quando se extendit ad gradum fortitudinis politicæ. Politica autem fortitudo, ut dicit Macrobius de somno Scipionis, est mentem supra metum periculi erigere, & nihil nisi turpia formidare. Quod utique perfectius facit fortitudo ut donum est, ut patet ex Actibus in Apostolis, ubi dicitur, quod gaudentes ibant a conspectu concilii. Gaudium autem causat serenitatem mentis, id est, lucem. De hoc potest exponi illud Psal. Mane astabo tibi, &c. Secundo donum fortitudinis facit meridiem diei spiritualis, quando se extendit ad gradum fortitudinis, prout est virtus purgatoria. Fortitudo autem purgatoria, ut dicit Macrobius ibidem, est animam non terreri corpore patiente. Quod utique perfectius facit fortitudo ut donum est, ut patet per sanctum Andream, qui toto corde gaudens desiderabat pœnam crucis. Et Agatha quasi ad epulas invitata, &c. Hi cum sponsa, desiderabant Christum sequi ad cubitum crucis in meridie, id est, in fervore charitatis. Tertio donum fortitudinis facit horam vespertinam diei spiritualis, quando se extendit ad gradum fortitudinis, prout est purgati animi virtus. Fortitudo autem purgati animi, ut dicit Macrobius ibidem, est passiones non vincere, sed omnino ignorare: Quod utique perfectius facit fortitudo, ut donum est, ut patet in illis, qui possunt dicere cum beato Job: Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea, quod ostendit fortitudinis consummationem. Factum est, igitur vespere & mane dies quartus.

Eccl. 43 — *Tres sunt gradus fortitudinis. Mac. l. in so. Scip. c. 8* — *Act. 5* — *Psal. 5* — *Cant. 1* — *Job. 27* — *Gen. 1*

Caput III.

Quale convivium per hoc donum animæ præparetur?

Tertio videndum est, quo modo donum fortitudinis menti humanæ in die suo convivium spirituale præparet, & convivantes disponat ad omnem veritatem. De quo notandum est, quod sicut Gregorius in Moralibus dicit, fortitudo in die suo convivium facit, dum adversa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Necessitatem hujus refectionis ostendit Glossa super Matthæum, quæ videtur accepta de libro Augustini de sermone Domini in monte, ubi dicitur: Quia nondum Dei visione fruimur, cibus in via est nobis necessarius, ut quandoque ad patriam veniamus, & ideo panem petimus, ad quem nemo pervenit sine Spiritu sancto in dono fortitudinis, quia ubi fortitudo, ibi est esuries justitiæ. Æternus enim cibus animæ plenitudo est justitiæ; & quotidianus, cum quotidie illam esurientes implemus. Hæc ille. Igitur videmus, qualiter donum fortitudinis in mentali convivio operetur, & reficiat vires convivantes. De quo sciendum est, quod sicut dicit Tullius primo libro rethoricæ, Fortitudinis, ut est virtus humana, quatuor sunt partes, scilicet fidentia, magnificentia, patientia, & perseverantia. Fidentia sive fiducia, convivantes de convivio inchoato, usque in finem, certa spe assecurat. Magnificentia vero, in convivio ut decet administrat. Perseverentia convivantes ad stabilem mansionem invitat. Patientia autem convivantes confortat & quietat.

Greg. l. 1 Mor. c. 16 — *Fortitudinis quatuor partes.*

Fidentia.

Fidentia igitur ut est virtus humana convivantes de convivio hic assecurat, hic inchoat amicabiliter, & de fine consummando, hic temporaliter, & delectabiliter assecurat: Unde Tullius ubi supra dicit: Fidentia est certa spes animi, perducendi in finem rem inchoatam. Sed fiden-

fidentia, ut est ex dono fortitudinis, quod est donum Spiritus sancti, convivantes de convivio temporaliter inchoato, assecurat de fine consummando feliciter, & possidendo æternaliter. De hac fidentia Petrus dicit: Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam, regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcessibilem, conservatam in cælis, &c. Hæc fidentia convivantes dulciter reficit, quia secura mens est quasi juge convivium. Hæc confidentia expellit a convivantibus omnem diffidentiam, Psalmus. Qui confidunt in Domino sicut mons, &c.

1 Pet. 1

Prov. 15 Ps. 124

Magnificentia.

Magnificentia vero, ut est virtus humana, & in convivio magnifice ministrat, & splendide, ut decet. Unde Tullius dicit ibidem. Magnificentia est magnarum rerum splendida administratio. Sed magnificentia, ut est ex dono fortitudinis, convivantes magnifice ditat, & consolatur, & exaltat. Unde Psalmista dicit: Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes. Gregorius in Moralibus dicit: Deus hominem magnificat, quia largitate rationis ditat, quia infusione gratiæ visitat, quia honore collatæ virtutis exaltat. Quibus anima maxime reficitur: quia magno animo & rationali nihil est magnum, nec satiat eum nisi solus Deus, qui est immensus. Unde Macrobius dicit: Nihil est magnum præter animum magnum, nec tibi magno aliquid est magnum. Hæc igitur virtus, quæ hominem sic magnificat, excludit vitium oppositum, scilicet parvificentiam, quod a magnificentia debita & recta facit deficere. Unde opes & sumptus convivii, non possunt mensurari: quod in tam excellenti, & solemni convivio fieri non licet.

Ps. 125 Greg. l. 8 Mor. c. 7

Patientia.

Patientia autem convivantes confortat, ut est virtus humana, ne propter difficultatem imminentium periculorum, hujus vitæ frangantur. Unde Tullius ibidem dicit: Patientia est causa honestatis, ac utilitatis, arduarum rerum voluntaria ac diuturna perpessio. Sed patientia ut est ex dono fortitudinis, convivantes non solum facit adversa voluntarie sufferre, sed & ut victores sine murmure gaudenter pertransire, ut Apostoli faciebant. Unde Cassiod. super Psalmos dicit: Patientia vincit adversa, non colluctando, sed sufferendo, non murmurando, sed gratias agendo. Ipsa est quæ fæces totius voluptatis abstergit, ipsa est quæ limpidas animas Deo reddit. Hæc virtus expellit vitia opposita a convivio, quæ tranquillas mentes confundunt, ut impatientiam, discordiam, rixam, seditiones, &c. talia quæ mentis convivium molestant, & perturbant. Et hæc patientia perfectius animam reficit, quia perfectum opus habet. Unde Dominus dicit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Ubi Gregorius dicit: Quid est animas possidere, nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus quasi ex arce veritatis dominari, quod utique valde animam consolatur & reficit.

Apoc. 5 Cass. in Ps. 22

Luc. 21 Greg. l. 5 Mor. c. 13 in fin.

Perseverantia.

Perseverantia ut est virtus humana, convivas fortiter & stabilitat in bono, & conservat in permanentia, usque ad convivii plenam consummationem, ut fit in via. Tullius ubi supra dicit: Perseverantia est in ratione bene constituta stabilis, & perpetua permanentia. Sed perseverantia ut est ex dono fortitudinis, convivantes in convivio non solum perseverare facit usque ad convivii temporalis terminum, sed & introducit in convivium sine termino æternum, ubi est refectio mentis excellentissima & satietas quia tunc satiabor cum apparuerit gloria tua, ait Psalmista. Unde S. Bern. in epistola dicit: Absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Ipsa enim est nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. *Sequitur:* Tolle perseverantiam, nec obsequium

Psal. 16 Ber. epi. 26

mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Sola est enim cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hæc ille. In hac perseverantia est refectio dulcissima. Nam idem verbum Domini, scilicet qui perseveraverit usque in finem, salvus erit, exponens Augustinus in libro de verbis Domini dicit: Cum perveneris ad tres panes perseverando, hoc est ad cibum & ad intelligentiam Trinitatis, habes unde vivas, & unde pascas, nec timeas, ne finias. Non enim panis ille finietur, sed omnem indigentiam tuam finiet: ergo & omnem famem affligentem a te expellet. Ex his igitur patere potest, qualiter quatuor partes fortitudinis perficiuntur, ut sunt virtutes humanæ per donum fortitudinis, quia habitus supernaturales perficiunt naturales, ut dicit Dionysius.

Matt. 10 & 24

Aug. de ver. Dom. ser. 29 ante med. t. 10

Dionys. ... hier.

DE DONO CONSILII.

CAPUT I.

Quid consilium sit, & quid donum consilii dicatur.

QUintum donum Spiritus sancti, quod facit diem spiritualem in anima & convivium, est donum consilii, quod immediate sequitur donum fortitudinis, ut Gregorius ostendit in Moralibus, ubi dicit: Valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur. Et Anselmus in libro de similitudinibus dicit: Post donum fortitudinis, Spiritus sanctus donum consilii superædificat: quia cum mens jam fortis ad operandum, quæ pie timendo scit esse facienda sui experimento, ducit ex Spiritu sancto, quid de omnibus consulere debeat. Ex quo concludit, quod post donum fortitudinis, sequitur immediate donum consilii. Ad majorem autem notitiam istius doni consilii, sunt quinque notanda.

Greg. l. 1 Mor. c. 16
Ansel. l. de simil. c. 130

A Primo quid consilium sit, & quid donum consilii dicatur. Secundo necessitas istius doni consilii declaratur. Tertio differentia inter consilia divina, & propria assignatur. Quarto qualiter dies spiritualis ex dono consilii in anima oriatur. Quinto qualiter convivium per donum consilii in anima præparetur.

Primo quid sit consilium, & quid donum consilii dicatur, videndum est. Et quia proprium rationali creaturæ est, quod per inquisitionem rationis moveatur ad aliquid agendum, vel non agendum, quæ quidem inquisitio consilium dicitur humanum. Unde Damascenus dicit: Consilium est appetitus inquisitionis a ratione B directus, de his quæ a nobis sunt facienda vel non facienda. Et Aristoteles in epistola ad Alexandrum dicit, quod Consilium est oculus & cautio futurorum. Sed quia inquisitio & ratio humana per se non sufficiunt comprehendere singularia omnia, & contingentia quæ occurrere possunt in nostris actionibus, quæ requiruntur ad consecutionem beatitudinis nostræ, quia cogitationes mortalium sunt timidæ, & incertæ, providentiæ nostræ, ut dicitur in libro Sapientiæ. Ideo indigemus inquisitione certiori, & directione nobiliori, scilicet divina. Tam inquisitio autem, quam directio nobis in dono consilii a Spiritu C sancto confertur, qui omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, ideo talis inquisitio, & directio a Spiritu sancto donata, consilium dicitur quod est donum Spiritus sancti. Sed non debet movere nos quod donum consilii est respectu ejusdem objecti, respectu cujus est donum scientiæ: quia hoc verum est materialiter, non formaliter. Utrumque enim donum est respectu agibilium per nos, sed differenter: quia actus doni scientiæ est de talibus prædictis bene judicare, secundum regulas legis æternæ: sed actus doni consilii est secundum regulas legis æternæ bene invenire, quæ ardua sunt per nos agenda, & quæ fugienda, ad obtinenda ea quæ conferunt ad vitam æternam, & non

Damasc. l. 1 fid. orth. c. 22. circ. med.

Sap. 9. Sap. 7

Quid sit donum consilii.

non præcipitanter agere. Quia sicut dicit Greg. in Moralibus: Spiritus sanctus dat contra præcipitationem consilium, cui opponitur præcipitatio. Unde sapiens dicit: Sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. Ex his igitur patere potest, quod donum consilii est habitus a Deo infusus, ex quo secundum consilium Spiritus sancti movemur ad operationes bonas, quarum non est determinata via qualiter sit agendum, eo quod non uniformiter semper fiendæ sunt. De talibus enim consiliamur, sicut dicit Philosophus in Ethicis.

Greg. l. 2 Mor. c. 27 ante med. Eccl. 32

Arist. l. 3 Eth. c. 3

Caput II.

Quæ sit doni consilii necessitas.

Secundo videndum est, quæ sit necessitas hujus doni, scilicet consilii. De hoc nota Greg. in Moralibus, ubi dicit: Qui sine consilio vivunt, se præcipitationi, & fortunæ tradunt præcipitantes vitam suam negligunt, dum transitoria inconsulte appetunt, dum æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, dum exilium & miseriam suam non cognoscunt, quia cæci: ideo nec consilium habere sciunt, & ideo merito tales in insipientia sua peribunt. Sed e contra inquit Greg. Electorum mentes dum cuncta transitoria nulla esse conspiciunt, ea ad quæ sunt conditæ exquirunt. Cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis, sive consilii exercitatione illorum cogitatione fatigata, in conditoris sui specie & contemplatione requiescere quærunt? *sequitur:* Unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit, ærumnam exilii quam tolerat, deplorat, & ad sublimem patriam incessabilibus se amoris stimulis excitat. Unde invenit salubre consilium, temporale hoc despicere quod percurrit: & quo magis crescit consilii scientia, ut peritura deserat, eo augetur dolor, quod nec dum ad mansura, sive æterna contingat. Et ideo solerti consilio infi-

Greg. l. 2 Mor. c. 11

Ibidem.

Agit mentem, & caute se in omni actione circumspiciendo considerat. Et ne ex re, quæ agitur, repentinus finis & adversus surripiat, hunc prius molliter pesito pede cogitationis palpat, & pensat: ne in his quæ agenda sunt, præcipitatio impellat, ne prava per concupiscentiam aperto bello superent, ne recta per inanem gloriam insidiando supplantent. *sequitur:* Et mens electi cujuslibet, quo magis per consilium vivere nititur, ex angusti itineris dolore fatigatur. Hæc ille. Ratio istius ultimi dicti est, quia consilia Dei sunt perfectissima: valent enim ad vitandum omne malum, & ad consequendum omne bonum perfectissime, & ideo ducunt per itinera arctissima. Arcta est enim via (*Matt. 7*) quæ ducit ad patriam, ut Christus dicit. Arctæ autem viæ, ut plurimum sunt rectiores & breviores, quam latæ. Perfecti autem viri stimulis amoris agitati vehementius amplectuntur, ut perfectius & citius inveniatur quod amatur, & creditur, & quæritur. Istis consiliis optimis anima devota fuit a Spiritu sancto inspirata & instructa, quando post inquisitionem Dei, in lectulo corporalis commodi, & non invento, dixit: Surgam circumibo civitatem (*Cant. 3*), & per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea. Origenes alloquens animam illam, ait: O te dementem & vesanam, quæ omnia moventem immota quæsivisti in lectulo, omnia illuminantem radiis immensi luminis quærebas in tenebris, quæ immensum & incomprehensibilem quæsisti ductu rationis, & invenire voluisti & tenere. Non bono consilio usa es, vide quid facias. *Sequitur:* Dixit ergo surgam, ubi dicit Origenes: Jam nunc video, quia meliori consilio usa es, quod commodum lectulis vis postponere, tenebras noctis evadere, delicta & commissa punire, & ab eis vis dividi, a quibus Deus non potest aliqualiter inveniri. *Sequitur:* Circumibo civitatem, id est, Ecclesiam militantem inquirendo a spiritualibus viris, & doctoribus de quæsito & non invento, licet gloriosa dicta sint

Ps. 86 sint de Civitate Dei testante Psalmista: Igitur quæram per plateas, id est, per præcepta, quæ sunt via omnibus credentibus communis & lata. Quæram, per vicos, Glossa, id est, in his, qui sunt viri spirituales, qui gradiendo ad cælestia, arctam viam consiliorum tenent. Unde & Bernardus dicit. In vicis ambulamus, qui corpus arctamus, qui pœnas hic luimus, qui munditiæ & continentiæ vacamus. Et Vercellensis super Cantica dicit: Optimum est consilium, surgere ad sponsum quærendum, & efficaciter inveniendum in plateis præceptorum, & in vicis spiritualibus consiliorum. Unde in eis instructa, & excitata ab Angelis invenit quem diligebat & quæsivit dicens: Inveni quem diligit anima mea. Surge igitur & ad consilium ingredere civitatem, ibi tibi dicetur, quid te oporteat facere.

Cant. 3 Act. 9

CAPUT III.

Quæ differentia inter consilia divina & ea, quæ ex propria voluntate liberi arbitrii oriuntur.

Tertio videndum est, quæ sit differentia inter consilia a Spiritu sancto inspirata per donum consilii, & inter consilia exorta ex propria voluntate liberi arbitrii. Prius autem videndum de consiliis propriis ex voluntate propria surgentibus, ut ex hoc facilius cognoscantur consilia divina ex inspiratione Spiritus sancti procedentia. Primo igitur notandum est, quod Bern. in sermone de lepra Naaman dicit sic: In corde est duplex lepra, scilicet propria voluntas, & proprium consilium. Et lepra utraque nimis est pessima. Et prius hic videndum est, quid sit propria voluntas. De hoc dicit Bern. in eodem sermone: Voluntatem propriam dico, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum & proximi, sed propter nosipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus vel proximo, sed satisfacere propriis animorum motibus, tunc propria voluntas mala est. Sic & loquens ex propriis mendax est, ait Joannes. *Et sequitur*: Huic contraria est recta fronte charitas. Quid enim odit Deus, aut quid punit præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem? Nam voluntas illa propria dicitur, cui assentimur, & cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria, & concupiscentiæ, quæ invitos tenent non voluntas, sed corruptio voluntatis est. Et idem super Cantica dicit: Grande malum propria voluntas, qua fit, ut bona tua tibi bona non sint. Etenim si in die jejunii mei, inveniatur propria voluntas mea, non tale jejunium elegit Dominus. Ex illa voluntate propria oritur proprium consilium, de quo dicit Bernardus in eodem sermone, scilicet de lepra Naaman sic: Lepra proprii consilii eo perniciosior est, quo magis occulta, quanto plus abundat, tanto quis sibi sapientior videtur esse. Hæc est illorum qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam sequentes errorem suum & obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, sibi placentes, & magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere. Et quæ major superbia, quam ut unus homo totius congregationis judicio judicium suum præferat, tamquam si ipse solus habeat spiritum Dei? Eant nunc qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum, ecce arioli & Idolatræ facti sunt. Ecce consilia propria.

Ber. de Resur. Dom. ser. 3. ante med.

Voluntas propria quid sit.

Idem super Cant. ser. 71 circa fin.

Isa. 58 Idem ser. 3 de Resur. Dom. cit.

Rom. 1

Rom. 10

Luc. 18.

Sed nunc de consiliis divinis videamus, quæ & qualia sunt. De quo primo sciendum est, quod Deus summe sapiens & summe bonus, omnibus consulentibus eum de omnibus liquide respondet, & se affabilem & amicum verum ostendit. Unde August. libro confessionum parum ultra medium dicit: Domine omnibus consulentibus te, simulque audien-

Consilia Dei quæ & qualia

Aug. l. 10 conf. c. 26 t. 1

dientibus & diversa consulentibus, tu liquide respondes, sed non liquide omnes audiunt. Omnes unde volunt, consulunt te, sed non semper quod volunt, audiunt. *Sequitur*: Optimus minister tuus est, qui non magis meretur hoc a te audire, quod ipse voluerit, sed potius hoc velle, quod a te audierit. Hæc Aug. Ratio hujus est, quia ipse solus scit, quid nobis necessarium est, & quid nobis expedit: & ideo magis debemus sequi consilia sua: quam nostra tamquam optima. Dicit enim August. contra Faustum, quod consilium Dei est super omne consilium creaturæ, & ejus consilium omnibus consiliis præferimus, sicut & fidem Evangelicam omnibus hæreticorum disputationibus anteponimus. Consilia enim divina valent ad omnia mala declinanda, & omnia bona consequenda, sicut in consiliis Evangelicis patet, & ideo sunt sollicite audienda, & studiose observanda.

Aug. contra Faust. l. 26 c. 6 post me. t. 4

Consilia divina qualiter audienda

Sed quæris, qualiter consilia divina audienda? Respondeo, quod sunt consilia a Christo dicta, sunt consilia a sanctis doctoribus scripta, & sunt consilia a Spiritu sancto inspirata. Consilia a Christo dicta, nemo potest audire, nisi sit ex Deo. Unde Dominus dicit: Qui ex Deo est, verba Dei audit: propter hoc vos non auditis, quia ex Deo non estis. Ex Deo autem sunt, qui quantum ad intellectum, sunt aliquibus luminibus divinis illuminati, & quantum ad effectum aliquibus affectionibus divinis calefacti, & a patre tracti. Consilia a sanctis doctoribus scripta, nemo potest audire, nisi cui Christus aperit sensum, scilicet interiorem. Unde in Luca dicitur: Tunc aperit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Habet enim anima sensus interiores, ut dictum est, sicut & exteriores. Et illos sensus Dominus aperit per experientiam, quæ est intelligentiæ magistra, ut dicit Hugo. Unde & Bern. exponens dictum verbum, scilicet Aperuit illis sensum, dicit sic: Cum enim scripturarum interiorem sensum, & veritatem miraculorum, & sacramentorum Dei cœpimus, non solum intelligere, sed & quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare & tractare, quod non fit nisi quodam conscientiæ sensu tunc aperuit nobis sensum, ut scripturas intelligamus. Consilia autem a Spiritu sancto inspirata, nemo audire potest, nisi habeat aures interiores. Unde Dominus dicit. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat. De hoc Greg. dicit super Ezechielem: Non aures corporis, sed mentis quærit Dominus. Et Haymo exponens illud ibidem verbum dicit: Carnis auris ad audiendum tantum consistit, cordis vero auris, auditu simul vel intellectu viget. Sed Rich. Aures audiendi habet, qui habet sensum intelligendi, & affectum diligendi, vel promerendi ea, quæ consuluntur & promittuntur, ut supra dictum est. Item consilia a Spiritu sancto inspirata sunt occulta, sed tamen suæ evidentiæ habent plura testimonia. Quod S. Bernard. ostendit in epistola ad Comitem, in qua dicit sic. Cum mors animæ peccatum sit, vita ejus sine dubio justitia fidei est, quoniam justus ex fide vivit. Justus autem quis est, nisi qui amanti se Deo vicem rependit amoris? Quod non fit, nisi revelante Spiritu sancto per fidem homini æternum Dei propositum super salute sua futura. Quæ sane revelatio non est aliud, quam infusio gratiæ spiritualis, per quam dum facta carnis mortificantur, homo ad regnum præparatur, simul accipiens in uno spiritu, & unde se præsumat amatum, & unde redamet, ne gratis amatus sit. Ecce testimonium unum. *Sequitur*: Hoc itaque est illud sacrum secretumque consilium, quod a Patre Filius in Spiritu sancto accipiens, suis, quos novit per eumdem spiritum justificandos, communicat, & communicando justificat: quando id quisque accipit in sui justificatione, ut incipiat & ipse cognoscere, sicut & cognitus est, cum videlicet datur & ipsi in testimonium præsentire aliquid de sua futura beatitudine, quemadmodum ab æterno latuit in prædestinante, & plenius appariturum in beatificante. De qua tamen per-

Joan. 8

Luc. ult.

Hug. in c. 6 Aug. Hier. Ber. l. de natura & dig. am. div. c. 10 post med.

Mat. 13 Apoc. 2 Greg. super Ezech. hom. 14 non longe a prin.

Rich. expo. in Apoc. c. 5 longe post

Bern. epist. 107 post med.

Rom. 1

cepta jam sumet ex parte notitia, A interim quidem glorietur in spe, nondum tamen in plena securitate. *Sequitur:* Quam miserandi sunt, qui ad tam jucundum consilium justorum, nullum adhuc tenent suæ vocationis testimonium: *Sequitur:* O infelices amatores sæculi male securi, quantum distat vestrum consilium a consilio justorum. Procul dubio inter consilium utrorumque magnum chaos firmatum est. Nam quomodo justus longe se facit a consilio & concilio malignantium: ita nec resurgent omnino impii in judicio, neque peccatores in consilio justorum. (Psal. 1) Hæc Bern. ibidem. His subtiliter & fideliter intelectis, apparet aliqualiter differentia inter B consilia humana & divina.

Caput IV.

Qualiter ex dono consilii dies spiritualis in anima oriatur.

Quarto videndum est, qualiter per donum consilii dies spiritualis in anima oriatur. Circa quod notandum est, quod Dionys. (Dionys. de divi. nom. c. 4) dicit, quod magnus iste Sol est evidens divinæ bonitatis imago, totus splendens, semper lucens, & omnia luminis sui capacia illuminat, quantum in se est, & mensurat dies, & horas totius nostri temporis. Sic sol divinus Spiritus sanctus, septem radiis donorum tam fulgidis quam fer- C vidis, causat diversos dies & horas spirituales in anima, ut dicit Greg. (Gre. l. 1 Mor. c. 16) in Moral. ubi dicit, quod donum consilii facit alium diem, quam alia dona. (Quæ sit dies consilii.) Et exemplificat de omnibus. Dies enim consilii est illuminatio quædam mentis, quæ convivantes faciat cautos, ne in aliquo periculo præcipitentur, & ut omnia prudenter & ordinate operentur. Unde consilium dicitur oculus & cautio futurorum, ubi supra. Qui ambulat in (Joan. 11) hac die non offendit. Mane autem hujus diei oritur ab æterno radio, & proposito divinæ voluntatis, se menti humanæ manifestantis per radios inspirationis. Ex quibus mens inspirata exurgit, ad conformandum se voluntati divinæ, secundum quod inspiratur a Spiritu sancto, & dirigitur a sapientia increata: quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponit omnia. (Sap. 8) A consilio istius mirabilis consiliarii, & voluntate numquam recedendum est. (Eccl. 6) Unde in Ecclesiast. dicitur: Filii audi, & accipe consilium meum, & ne abiicias illud. Filii, inquit sapientia, audi consilium meum quantum ad intellectum: accipe quantum ad affectum: & ne abiicias, quantum ad effectum, ut dicas cum Psalmista: (Psal. 5) Mane astabo tibi, ad consilia tua sollicite inquirenda: & videbo, veraciter intelligendo: ex his quod tibi placeat vel displiceat, fideliter exequendo. Sed quæ est voluntas Dei, cui jubemur conformare nostram voluntatem? (Quæ est voluntas Dei.) Respondet Cæsarius in epistola ad Donatum, ubi dicit sic: Voluntas Dei est, quam Christus fecit & docuit, humilitas in conversatione, stabilitas in fide, in verbis modestia, in factis justitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, injuriam facienti non nocere, & illatam tolerare posse, pacem cum omnibus tenere, crucifixo fortiter assistere, charitati ejus inseparabiliter adhærere, Christo nihil præponere, quia nec ille nobis, quidquam præposuit. Mane igitur astabo tibi, & videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Meridies autem hujus diei clara, (Meridies consilii.) & fervida, procedit ex dono consilii, prout intellectum veritate illuminat, & affectum charitate inflammat, ad inquirendum & observandum præclarissima præcepta Domini Jesu. In quibus convivantes maxime inflammantur, & illuminantur: quia præceptum Domini lucidum illuminans oculos, ait Psalmista. (Psal. 8) In istorum præceptorum & consiliorum observantia sancta Trinitas mentes (Joan. 14) tes amicabiliter visitat, & dulciter inhabitat. Unde dicit Dominus: Qui diligit me, sermones meos servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Veniet ad nos pater visitando memoriam, & excitan-

tando ad operandum: verbum patris A illuminando intellectum, seu intelligentiam, ad clare contemplandum: Spiritus sanctus voluntatem inflammando, ad dulciter amandum. Mansionem autem faciunt apud nos. Cujus rationem assignat Gregorius in Homiliis, dicens: In quorumdam corda venit Deus, & mansionem non facit: quia sic Deum recipiunt, ut tamen tempore tentationis ab eo recedant. In quorumdam vero corda venit, & mansionem facit: quia sic eos amor divinus penetrat, ut & tempore tentationis non recedant ab amore. Ille enim vere amat, cujus mentem delectatio prava ex consensu non superat. Qui autem in charitate manet, in Deo manet, & B Deus in eo. De hac mansione, in proverbiis dicitur: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Tunc in meridiano exurit terram Sol divinus.

Greg. hom. 30 in Evan. non longe a prin.

1. Joan. 4

Prov. 8
Eccl. 43

Quæ sit vespera consilii.

Vespera vero hujus diei spiritualis consummativa, donum consilii causat in anima, dum eam inclinat ad inquirendum, & servandum divina & perfecta consilia a Domino tradita in Evangelica historia. De quibus consiliis Gregorius in Moralibus, dicit: Quidam præcepta legis generalis, virtute perfectionis suæ transcendunt. Qui nequaquam hoc solum quod cunctis divina vox præcepit implere, contenti sunt, sed præstantiore desiderio, plus exhibere appetunt, quam in præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus Dominica voce dicitur: Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, &c. Tales inquit Gregorius ibidem, cum Christo regnant, & judicabunt, & non judicabuntur. *Sequitur*: Paucis enim dicitur, & non generaliter omnibus illud, quod adolescenti diviti dicebatur: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me. Paucis dicitur, quia non omnibus tanta perfectio donatur: ex quo per observationem consiliorum quasi in vespera diei spiritualis consummatur. Ratio hujus est, quia per hæc consilia

Greg. l. 26 Mor. c. 20 post med.

Matt. 19

Ibidem.

Matth. 5

perfectissima, gradatim ascenditur usque ad summos apices virtutum consummantium, ut simus perfecti, sicut & pater noster cœlestis perfectus est. Et quanto hæc consilia sunt perfectiora, tanto luminosiora, & diem spiritualem mentis magis perficientia, vel consummantia. De gradibus istorum consiliorum & perfectione eorum Chrysost. loquens, ubi Dominus tradit hæc consilia perfectissima, dicit sic: Vide quot gradus ascendit Dominus, & qualiter nos in ipsam virtutis verticem statuit, cum ostendit, quod primus gradus est, non incipere injuriam a quacumque occasione, vel contra quemcumque. Secundus est quibuslibet malis nullo modo vindicari. Tertius gradus est, non facere vexanti, quæ quis ab eo passus est. Quartus est, exponere seipsum ad patiendum mala illata. Quintus amplius se tribuere, quam ille vult, qui fecit mala. Sextus, non odio habere eum, qui talia mala infert. Septimus, diligere eum, qui hæc mala operatur. Octavus benefacere ei, qui tantis malis offendit. Nonus, orare pro illo, qui in malitia sic obstinatus est. Et ad ista principalia reducuntur alia consilia Evangelica. *Sequitur*: Et quia magnum erat consilium, præclarum præmium subdit dicens, quod tales similes erunt Deo. Unde Dominus dicit, ut sitis C filii patris vestri, & perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Et August. in libro de sermone Domini in monte dicit: Ex illa regula intelligendum est, quod hic dicitur, de qua Joannes dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri; non natura, sed præceptorum & consiliorum observantia.

Chrys. hom. 18 in Mat. c. 5 circ. med.

Aug. l. 1. de ser. Do. in Mo c. 46. in prin. c. 4
Joan. 1

Caput V.

Qualiter convivium per donum consilii in anima præparetur, & de tribus consiliariis, qui dicuntur principales inter convivantes, quæ sunt tres animæ potentiæ.

QUinto videndum est, qualiter Spiritus sanctus, per donum con-

consilii in die suo, & illuminatione sua, convivium spirituale initiet in mente, & perficiat. Circa quæ duo sunt videnda. Primo, qualiter familia mentis & convivantes secundum dignitatem suam ordinentur, & in convivio locentur. Secundo est videndum, ubi donum consilii convivium suum celebret, & quæ fercula ministrentur.

In convivio consilii qualiter familia mentis & convivantes ordinentur.

De primis, scilicet, qualiter familia mentis, & convivantes in convivio, secundum dignitatem ordinentur, & locentur, sciendum est, quod sicut dicitur in libro de spiritu & anima, ut supra dictum est: Nobilis creatura est anima. Civitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, scilicet quod ad imaginem & similitudinem Dei facta est. Et quia nulla est civitas absque populo, disposuit in ea conditor noster populum triplicis gradus, id est, sapientes ad consulendum, milites ad pugnandum, artifices ad ministrandum & operandum. *Sequitur*: Cives hujus civitatis, sunt naturales & ingeniti animæ vigores, tamquam indigenæ. Quorum distincti sunt gradus, alii superiores, alii medii, alii inferiores. Superiores, sunt intellectuales sensus, medii rationales, infimi animales. Quorum hujusmodi differentia est. Animales sive sensuales, vel sensibiles, appetunt visibilia. Rationales discernunt, & discretionis oculo aspernantur mala, & eligunt bona. Intellectuales vero, pertrahunt ea ad divina. *Sequitur*: Intellectuales ergo sensus sunt, tamquam animæ consiliarii dicentes ei: Deum time, & mandata ejus observa. Hoc enim est omnis homo, id est, totus. Rationales sunt milites, qui hostes concupiscentiarum impugnant per arma justitiæ. Animales sive sensibiles sensus, sunt tamquam rustici & artifices, qui corporalibus rudimentis insistunt, & corpori necessaria ministrant, ut infra patet. *Sequitur*: Hanc triplicem vim animæ, id est, intellectualem, rationalem, & sensualem, vocant partes animæ non integrales, sed virtuales, quia potentiæ ejus sunt. Hæc omnia prædicta sunt in libro de spiritu & anima. Inter familiam intellectualem, possunt locari & ordinari habitus infusi, ut fides, & spes, & charitas: qui multum ornant convivium mentis. Inter familiam rationalem, locantur, vel possunt locari habitus acquisiti, ut prudentia, temperantia, fortitudo, & justitia: qui viriliter repellunt vitia. Inter familiam sensualem, locantur habitus innati, vel etiam passiones aliquæ, ut amor, & odium, dolor, & gaudium, & sensus interiores, & exteriores, secundum aliquem modum: quos donum consilii mediate vel immediate modificat, ut infra patebit. Et sic patere potest ordo & dignitas hujus familiæ; sed de ministerio eorum infra dicetur.

Auct. de spir. & ani. c. 37 in prin. apud Aug. t. 3

Donum consilii ubi convivium celebret.

Secundo videndum est, ubi donum consilii convivium suum celebret, quæ fercula in illo ministrentur. De quo sciendum est, quod convivium consilii nusquam convenientius celebratur, & quietius, quam in tabernaculo fœderis, sive in secreto mentis, ubi consilia in silentio tractantur, in veritate masticantur, & in amore incorporantur, & in operis executione consummantur. Hoc satis expresse innuitur in libro Numerorum, ubi scribitur, quod Moyses in rebus dubiis ad consulendum Dominum relictis turbis crebro, revertebatur, & intrabat tabernaculum, ubi Dominum consuluit, & consilium recepit: quod postea populo proposuit, & sic fieri jussit. Hoc verbum exponens Greg. in Moralibus, dicit sic: Ad tabernaculum redire, & intrare, est postpositis exterioribus tumultibus secretum mentis intrare, Ibi enim Dominus consulitur: & quod foris agendum est publice, intellectu intus silenter auditur. Et tunc vocem Dei, quasi per occultam inspirationem, audiunt, dum in meditatione mentis se a carnalibus sensibus abstrahunt. Hæc ille. Primo igitur ingrediantur consiliarii, scilicet sensus intellectuales tamquam superiores & digniores, ut memoria, intellectus, & voluntas relictis foris turbis tumultuantibus, a Domino in silentio audiant consilia, & in veritate intelligant, & in

Num. 20

Greg. l. 23 Mor. c. 12. circa med.

& in charitate operando perficiant. Et primo memoria ab omnibus evacuata, & purgata, ingrediatur tabernaculum, id est, mentis secretum, & dicat cum Psalmista: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. De hac auditione dicit Richardus: Sic Deus auditur per revelationem, donec voce ejus paulatim invalescente, tota perstrepentium turba & tumultuatio sopiatur, solaque ipsius vox audiatur, donec omnis illa tumultuantium turba dispareat, solusque cum sola remaneat. Hæc ille. Tunc adductam in solitudinem loquitur ad cor ejus, ut dicit Oseas: Sed quid loquitur dicit Psalmista? Loquetur pacem in plebem suam. Sed quare magis pacem, quam omnia alia? Respondeo, quia ubi pax non habetur, nec dulcedo divinorum consiliorum gustatur, nec vox ejus auditur, nec convivium in mente cum Deo habetur, quia in pace factus est locus ejus, secundum Psalmistam. Unde Leo Papa in uno sermone dicit: Vera pax est a Dei voluntate non dividi, & in his quæ solius Dei sunt, delectari. Quando enim sensualitas nulla parte resistit voluntati, & voluntas nulla parte contradicit rationi, & ratio regulatur lumine fidei: tunc est serenitas mentis, & tunc est in nobis regnum Dei, ut dicit Dominus. Ideo pax rationabiliter præmittitur. Regnum autem Dei, non est esca & potus corporalis, sed justitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto, ait Apostolus. Justitia rectificans iudicia rationis, pax tranquillans imperia facultatis, gaudium adimplens desiderium voluntatis. Non est autem delectabilior refectio, quam voluntatis oblectatio. De hac refectione memoriæ, tamquam expertus dixit David in Psalmo: Memor fui Dei & delectatus sum, & sequitur: & defecit spiritus meus, id est humanus, dicit Gregor. & factus quasi divinus. Quia quanto in nobis quotidie spiritus divinus proficit, tanto noster in nobis deficit: propter quod tandem memoria nostra plena Deo deiformis fit. Secundo intelligentia ingrediatur tabernaculum mentis, & suum secretum jam ab omnibus phantasmatibus, & impedimentis abstracta, ut veritatem consiliorum discutiat, & inter consilia discernat a quo spiritu procedant. Nam Richardus dicit: Sicut Deus memoria auditur per revelationem, ita intelligentia videtur per contemplationem: ex qua visione illuminatur, ut consilia discernat a quo spiritu procedant. Nam sicut dicit Bernardus in sermone Magistri gentium. Spirituum diversa sunt genera, ideo necessaria est nobis eorum discretio, præsertim cum ab Apostolo didicerimus, non omni spiritui esse credendum. Videri enim potest, inquit Bernardus, minus eruditis, & qui habent parum exercitatos sensus, omnem cogitationem vel consilium non alterius, quam ipsius spiritus humani esse sermonem. Quod falsum esse ostendit certa fidei veritas. Quod & probatur testimonio scripturarum divinarum. Audiam, inquit propheta, non quid ego loquar, sed quid loquatur in me Dominus Deus. Similiter ait: quod immissiones fiunt per Angelos malos. Probat etiam Scriptura esse spiritum carnis, & spiritum huius mundi. *Sequitur*: Igitur quisquis ex his tribus spiritibus loquatur spiritui nostro non credamus eis, quia sanguinem sitiunt animarum & mortem, a sermonibus tamen eorum cognoscimus eos. Nam spiritus carnis suggerit mollia. Spiritus autem mundi, suggerit vana. Spiritus vero malignus, suggerit amara, ut rixas, iras & huiusmodi. Si autem spiritus suggestio sit de corpore castigando, de corde humiliando, de servanda veritate, & de exhibenda charitate, cum hæc in corde versantur, sine dubio spiritus divinus est qui loquitur & suggerit hæc. Ut igitur intelligentia, hæc consilia caute discutiat, & prudenter discernat, ingrediatur tabernaculum, sive mentis secretum, ubi Dominum consulat super omnibus dubiis, quæ oriuntur circa convivium, & convivantes, & refectionem eorum. Sollicitudo enim istorum incumbit intelligentiæ, quæ habet regere illos, & totum regnum animæ. Unde Greg. in Moralibus, di-

Marginal notes: Ps. 84; Rich. l. 4 de cont. c. 15; Osee. 2; Ps. 84; Ps. 75; Leo ser. 9. in Nat. Do cir. med.; Luc. 17; Rom. 14.; Ps. 76; Greg. l. 22 Mor. c. 14 non longe prin.; Rich. l. 4 de contem. c. 15; Ber. ser. de 7 spiritibus qui incipit Mag. Gentium ante med.; 1. Joan. 4.; Ps. 84; Ps. 77; Greg. l. 23 Mor. c. 12 cir. med.

dicit, quod boni rectores quotidie cum ſe cognoſcunt res dubias neſcire diſcernere, ad ſecretum mentis velut ad quoddam tabernaculum revertuntur, ibique lege divina perſpecta, quaſi coram poſita arca Domini conſulunt Dominum, & quod prius intus tacentes audiunt, hoc foras poſtmodum agentes innoteſcunt, ſcilicet conſilia & veritates reficientes totam familiam mentis. Quia ſicut dicit Auguſt. ſuper Joannem: Veritas panis eſt, qui mentes reficit, nec tamen deficit: ſed mentes mutat, quia verificat. Quot ergo veritates in tabernaculo ſuo, & quot conſilia intelligentia percipit a Spiritu ſancto, tot dulcia fercula convivantibus in voluntate, manducanda proponit, Tertio voluntas libera a phantaſmatibus, & diſtractionibus, & curis ſæcularibns abſtracta & abſoluta ingrediatur tabernaculum, ſive ſecretum ſuum. Quia Richardus dicit: Sicut in memoria auditur Deus per recordationem, & in intelligentia videtur per contemplationem, ſic in voluntate amplexatur per dilectionem, quæ licet ſit poſterior in ordine, eſt tamen principalior per ingenitam libertatem. Hæc voluntas affectione experimentali præcipiens divina conſilia a patre in memoria dicta, & intelligentia examinata, & verificata, & ipſi voluntati efficaciter impreſſa, clamat cum ſponſa, dicens illud Cantici: Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt. In quibus verbis, exprimit anima divinorum conſiliorum certam auditionem, quia dilectus locutus eſt: & auditorum conſiliorum efficacem impreſſionem, quia liquefacta eſt: Hanc auctoritatem exponens Origenes dicit: Divinæ conſolationis, ut audio, feliciſſimus effectus, eſt liquefactio. Liquefit enim anima dum devotione molleſcit, ut dilectus in ea ſuaviter cubet, ut nihil duri in ea inveniat, quod ejus conſiliis reſiſtat. Liquefit dum in devotione caleſcit, ut dilectus in ea divini caloris perſentiens moderamen ſine moderamine, eo ineffabilem, & delectabilem inveniat, quo caliditas hæc quamvis occultiſſima, ſuaviſſima tamen ſecundum contactum, dilectationem ſpiritualem generat. Liquefit dum amore pereffluit, ut dilectus dominium plenum habeat in ea, quo ad ipſum ſolum tunc omnis motus, omnis virtus, omnis impetus ipſius habet terminum. Siquidem humidum male terminabile eſt termino proprio. Unde fluida mens non niſi in æternitate ſiſtit. Quare Origenes dicit ibidem: Qui ſancto deſiderio intus æſtuat, eo ad quodlibet bonum habilis invenitur, quo nihil duri in corde portat, quod non fervore æſtuantis deſiderii in Deum liquefiat. Sic igitur tres iſti conſiliarii, id eſt, tres potentiæ a Trinitate ſalutaribus conſiliis inſtructi, purgati, illuminati, & perfecti, totam familiam mentis, & convivantes hierarchice purgant, illuminant, & perficiunt, & in æternitatem dirigunt, ut ſtatim patet.

Aug. tract. 42. in Joan. non longe a prin. t. 9

Rich. l. 4 de contem. c. 15

Cant. 5

Caput VI.

Convivantes medii, qui ſunt vigores animæ natarales, ſenſus animæ rationales, & virtutes morales, quomodo a ſuperioribus, memoria ſcilicet, intellectu, & voluntate purgentur, illuminentur, & perficiantur.

Poſtquam igitur dictum eſt de conſiliariis, qui dicuntur principales inter convivantes, qualiter in ſecreto tabernaculo mentis a divinis conſiliis per dona Spiritus ſancti ſunt purgati, illuminati, & perfecti. Videndum eſt modo qualiter medii, ſcilicet vigores animæ naturales, & ſenſus, animæ rationales; & milites, ſive virtutes morales viriliter expugnantes, & repellentes omnia vitia a convivio animæ, a ſuperioribus purgentur, illuminentur & perficiantur. Ille enim eſt debitus ordo, ut ſuperiores perficiant medios, & medii inferiores, ſecundum ordinem cœleſtis hierarchiæ, quem ſequitur Eccleſiaſtica, hierarchia & humana. Dicit enim Hugo ſic: Sunt ſuperiores & ſublimes, & ipſi appropinquantes divinitati immedia-

Hugo ſuper 2 Ang. Hie.

diate ab ipsa accipientes, purgationem, ut mundi sint, & illuminationem ut clari sint, & perfectionem, ut sint sancti, & ab illis rursum, secundum ordinem divinæ dispositionis, & hi qui sequuntur in ordine & subjecti sunt, purgantur, iluminantur, & perficiuntur. Hæc ille. Hi ergo consiliarii tres, id est, memoria, intellectus, & voluntas, dono consilii a Spiritu sancto purgati, illuminati, & perfecti medios inter convivantes, tamquam eis inferiores, scilicet vigores animæ naturales, id est, sensus rationales, milites, sive virtutes morales, purgant, illuminant, & perficiunt, ad similitudinem Angelicæ Hierarchiæ. Primus enim consiliarius, scilicet memoria consulit omnia, quæ sunt ad vitiorum convivantium purgationem, & virtualem exercitationem, dum per rememorationem omnia vitia commissa, ad præsentiam mentis eorum revocat, ut ea per pœnitentiam deleat, & totaliter extirpet. Nam sicut dicit Hugo: Nisi præcedat purgatio, non sequitur illuminatio: nec sequitur perfectio nisi præcedat illuminatio. Ut igitur mens cum tota familia sua purgetur, pœnitendo dicat, illud Isaiæ: Recogitabo mihi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ, donec dicere possit, quod sequitur: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Dum sic vivitur, pater notam faciet filiis veritatem suam: quia ad receptionem lucis non requiritur, nisi purgatio recipientis. Unde alius commentator, scilicet Linconiensis dicit: Necessaria est rationali creaturæ primo purgatio, quia impura non suscipiunt illuminationem, sed tenebrosa non possunt habere operis perfectionem: quia ambulant in tenebris, & nesciunt ubi corruant, aut quo vadant. Sensus igitur rationales, & milites, ut virtutes morales primo purgentur, ut postea illuminentur, & post operationis perfectionem consequantur. Secundus igitur consiliarius, scilicet intellectus in tabernaculo consilii illuminatus videns, quod illuminatio necessaria est ad operis perfectionem,

Hug. super Ang. Hie. *Isa. 38* *Linco. Ibi. c. 3*

A consulit omnibus convivantibus accedere ad illuminationem, dicens: Accedite ad Deum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur. Acceditur ad Deum similitudine, & receditur a Deo, dissimilitudine, ut dicit August. Similitudine autem facies honoratur imagine divina. Dissimilitudine vero, facies confunditur imagine pecorina. Unde Psalmista dicit: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Ecce carentes intellectu pecoribus comparantur, sed intelligentes dii appellantur. Unde Psalmista intelligentibus loquens, ait: Ego dixi: Dii estis, & filii excelsi omnes. Omnes igitur convivantes illuminat. B Quid autem est illuminari, ait Linconiensis; nisi tam per virtutes speculativas, quam operativas, in finem ultimum recte dirigi? Unde David in Psalmo dicit: Dabo tibi intellectum, quantum ad speculationem: & instruam te, quantum ad operationem, *sequitur*: In via qua gradieris, firmabo super te oculos meos, quantum ad directionem in finem. Tertius igitur consiliarius, scilicet voluntas, tamquam excellentior consulit, & jubet omnia fieri, quæ sunt necessaria ad convivantium operativam perfectionem, dicens: Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Operari cibum qui perit, est affici C sæcularibus rebus, & non operari propter permanentia, sed propter pereuntia quæcumque. Et quamvis quandoque in usu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas, ut dicit Beda super Lucam. Operamini igitur, quidquid memoria purgata, & a Deo inspirata, & a Deo illuminata faciendum dictaverit, & a voluntate charitatem impellente fieri imperatur: quia tunc a nobis, non nisi bonum procedit. Dicit namque August. super Joannem: Bonum & rectum est omne quod agimus, si nec memoriam oblivio decipiat, nec error intellectum excæcet, nec iniquitas voluntatem subvertat, ab his est omne quod agimus. Hoc consilium, & mandatum in tabernaculo mentis a Deo

Ps. 33 *Ps. 31* *Ps. 81* *Ps. 31* *Joan.*

Deo acceptum, voluntas ut alter Moses, & omnibus suo imperio subjectis indicit, & injungit, & sensibus rationalibus, militibus pugnantibus, sive virtutibus Moralibus, & omni familiæ eorum, sive speciebus, quæ multæ sunt valde. Qui iam omnes a superioribus purgati, illuminati, & quasi perfecti in suis operibus secundum legem charitatis voluntati obtemperantes viriliter operantur, omnia vitia a convivantibus extirpando fortiter virtutibus insistendo, & Deo tamquam regi suo, & patrifamilias humiliter obediendo. Et tunc & ipsi idonei sunt ad purgandum, & illuminandum, & perficiendum inferiores sibi, ut supra dictum est.

Caput VII.

Convivantes inferiores, ut pote sensus animales, & corporales tam exteriores quam interiores, quo modo a convivantibus mediis illuminentur, purgentur, & perficiantur.

Dicto de convivantibus rationalibus, qui quasi medium gradum tenent in convivio, & qualiter sint purgati, illuminati, & perfecti: videndum est, qualiter & isti sibi inferiores illuminent, purgent, & perficiant, utpote sensus animales & corporales, tam interiores, ut imaginationes, &c. quam exteriores, ut visum, auditum, &c. qui sunt tamquam artifices & rustici, necessaria corpori administrantes, ut dicitur libro de spiritu & anima. Quos rationales convivantes, milites purgant, dum in eis motus illicitos concupiscentiæ mortificant, vel exterminant, quantum potest fieri in corpore corruptibili, dicentes eis illud Apostoli: Si secundum carnem vixeritis, moriemini, id est, secundum corruptionem vestram. Si autem spiritu rationali, facta carnis mortificaveritis, vivetis. Similiter illos, quasi illuminant, dum eos a sua præcipitatione retrahunt, & impediunt, & eos dono consilii obedire compellunt, dicentes eis illud Apostoli: Debitores sumus spiritus, A non carnis, id est, debemus magis obedire spiritui, quam carni. Similiter illos, quasi perficiunt, dum eos, vitam illam, quam in futura habituri sunt, docent hic inchoare, & prælibare, & imitari. De his Bernardus libro de amore Dei dicit sic: Quidam in sanctitate vitæ, & hominis interioris glorificatione, & contemplatione, & quadam fruitione divinitatis, jam futuræ vitæ beatitudinem prælibare in hac vita videntur & imitari, ut & de corporum suorum glorificatione, quam post plene percepturi sunt, in hac vita nonnihil percipiant. *Sequitur*: Accepta enim gratia, qua habitantes in unum seipsis in Deo, & Deo B in seipsis fruuntur, ipsius carnis sic sentiunt vicisse omnes contradictiones, ut universa carnis substantia, non sit eis nisi instrumentum boni operis. Nam & si ipsius miseriis & infirmitatibus contabescunt: sed ex hoc ipso in interiori homine fortius convalescunt: quia quando infirmor, tunc fortior sum, & potens, ait Apostolus. *Sequitur*: Sensus enim quamdam novam percipiunt, & prope spiritualem gratiam. Oculi enim fiunt simplices, ut certa experientia docet, & aures obtemperantes. Aliquando in fervore orationis tanta odoris ignota quædam fragrantia conspirat: quæ sola experientia percipitur, quia ignota. Et tanta est gustus C in gustando suavitas, quæ etiam non potest nisi per experientiam sciri, id est, per mutuum contactum spiritualis charitatis: quo incentivum tantum fit, ut videantur sibi inter seipsos, spiritualis cujusdam voluptatis gerere paradisum. Vultus etiam, & totius corporis compositione vitæ, & morum & actuum, decore mutuæ etiam servitutis, & etiam devotis exhibitionibus & piis susceptionibus, sive cujusdam gratiæ beneplacito, sibi invicem conveniunt, & convivunt, ut sit vere eis cor unum, & anima una. Nimirum futuram corporum suorum gloriam jam hic initiant, ex puritate conscientiæ & mutuæ conversationis gratia perfecte eam habituri in futura & perenni vita. Hæc. Bernard.

Ecce

Margin notes: Quid sit purgare, & illuminare sensus exteriores. — Aust. de spi. & ani. c. 37 apud Aug. t. 3 — Rom. 8 — Ibidem. — Ber. l. de natura, & dignitate amoris divini, c. 14. — 2. Cor. 12 — Act. 4

Ecce donum consilii reficit convivantes supremos, scilicet consiliarios sacris contemplationibus, dum eos in tabernaculo, id est, in secreto mentis facit divina consilia audire. Item reficit convivantes medios, scilicet sensus rationales, milites & cives morales, sacris veritatibus, dum facit eos consilia divina in tabernaculo vere intelligere. Item reficit convivantes infimos, scilicet artifices, rusticos, & ministrantes, ut sensus animales, interiores, & exteriores in regno, vel in civitate animæ laborantes, deiformibus operationibus, dum eos facit divina consilia operando adimplere, quod perfectorum est. Sequimini, igitur consilium Dei, quia sicut dicit August. Consilium Dei est super omne consilium creaturæ, ut & mundanis videatur stultitia, ut ostendit Gregorius in Moralibus: Non quod sit defectus in consiliis, sed quia sunt tantæ perfectionis, quod mundus ea non potest intelligere, neque cognoscere. Quod non est mirum, cum nec ipsum consiliarium cognoscere possit, scilicet Spiritum sanctum, ut dicit Dominus.

Aug. contra Faust. l. 26. c. 7. t. 6 Greg. l. 10 Moral. c. 16 & l. 27. c. 18 Joan. 14

DE DONO INTELLECTUS.

CAPUT I.

Quare donum intellectus præcedentia dona sequatur?

SExtum donum Spiritus sancti, quod facit diem & convivium spirituale in anima, est donum intellectus. De quo sunt quinque notanda. Primum, quare donum intellectus præcedentia dona sequatur. Secundo, quid donum intellectus sit, vel quid dicatur. Tertio quæ hujus doni sit necessitas, vel quæ utilitas in eo conferatur. Quarto, qualiter ex eo dies spiritualis in anima oriatur. Quinto, qualiter convivium animæ, ex eo præparetur.

Primo igitur videndum est, qualiter donum intellectus præcedentia dona sequatur. De quo sciendum est, quod Anselmus dicit, istum ordinem esse rationabilem. Cujus rationem ibidem assignat, dicens: Quinque dona Spiritus sancti præcedentia pertinet ad vitam activam, hæc autem duo, scilicet intellectus & sapientia pertinent ad vitam contemplativam: quæ duo Spiritus sanctus prædictis quinque superimponit, ut ædificium perfecte compleatur. Sed vita activa præcedit contemplativam, tamquam disponens potentias contemplativas ad actus suos, ne in operationibus suis impediantur. Unde Greg. in Moralibus dicit: Qui arcem contemplationis ascendere desiderant, prius necesse est ut in opere actionis perfecte se exerceant. Igitur in ordine ascensionis ab infimo dono, scilicet timoris, ad summum donum, scilicet sapientiam, quinque dona prædicta præcedere debent donum intellectus & sapientiæ. Unde Anselmus ibidem dicit sic: Postquam Spiritus sanctus mentem facit paventem per donum timoris, sibique compatientem per donum pietatis, & ea, quæ sunt facienda, manifestat per donum scientiæ, & illa fortiter exequitur per donum fortitudinis, & de ipsis suo exemplo facit aliis consulere per donum consilii: post Spiritus sanctus accendit mentem ad intelligendum, cur hæc & illa fieri debeant, & ultimo a solo Deo remunerationem quærat istorum. Sed quare donum intellectus immediate sequatur donum consilii, hujus ratio est, nam cum consilium sit affectuum inquisitivum & rationis directivum, ut dictum est supra, intellectus autem sit lumen, ut dicitur in libro de spiritu & anima, & philosophus, de anima vocat intellectum agentem, lumen quod penetrat usque ad intima, scilicet ad essentias rerum & quidditates: ideo numquam est perfecta veritatis inquisitio, neque perfecta inventio, ubi non fuerit intellectualis illuminatio: Unde consilium sine intellectu, manet sine affectu. Est & alia ratio, quam Aug. ponit in libro de Doctrina Christiana, parum post principium, ubi loquens de septem donis, dicit de dono

Ans. l. de sim. c. 130

Greg. l. 6 Mor. c. 17

Ans. ubi sup. proxi.

Arist. 3 de ani. text. 18

Aug. l. 2. de Doctr. Chr. c. 7. t. 3

no

no intellectus sic: Post quintum gradum, scilicet donum consilii, per quod anima levatur ab appetitu sordium inferiorum, ascendit in sextum gradum, scilicet donum intellectus, ubi jam ipsum oculum purgat, quo videri potest Deus ab his, qui huic sæculo moriuntur, qui intantum vident, inquantum moriuntur sæculo. Ab illis enim non solum certior, sed & jucundior spiritus lucis incipit apparere, in ænigmate tamen. Quamdiu enim in hac vita sumus, peregrinamur a Domino, quamvis conversationem habeamus in cœlis. Ulterius igitur introducit ad sapientiam.

1 Cor. 5

Caput II.

Quid donum intellectus sit, vel dicatur?

Secundo videndum est, quid sit donum intellectus, & quare sic nominatur. De quo sciendum est, quod nomen intellectus, importat quamdam intimam cognitionem. Dicitur enim intelligere quasi intus legere. Et hoc patet, consideranti differentiam inter cognitionem intellectus & sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa sensibiles qualitates exteriores. Cognitio autem intellectiva, tamquam excellentior & subtilior penetrat usque ad quidditates, & rerum essentias interiores: quia objectum intellectus est quod quid est, ut dicitur de anima. Unde cognitio humana incipit a sensu tamquam ab exteriori, quæ non perficitur, nisi perveniatur ad intellectum, qui vere cognoscit, quod est res. Dicitur enim in libro de spiritu & anima, quod quicquid sensus recepit exterius, imaginatio repræsentat interius. ratio investigat, intellectus diiudicat, intelligentia comprehendit, & ad contemplationem adducit, quæ memoria conservat. Sed advertendum est, quod intellectus quandoque accipitur, ut est vis animæ naturalis. Et sic de intellectu loquitur Auctor libri de spiritu & anima, qui dicit, quod intellectus est vis animæ, qua invisibilia percipit. Cui concordare videtur Philosophus de anima, & hic intellectus ut plurimum cæcutiens est. Unde Psalmus dicit: Nescierunt neque intellexerunt. Item intellectus quandoque accipitur, ut est virtus intellectualis, sive ut est habitus principiorum naturalium, quæ subsunt lumini intellectus, ut patet in Ethicis. Sed neuter istorum est donum Spiritus sancti, licet uterque sit a Spiritu sancto. Sed quia homo ordinatur ad beatitudinem, sicut ad finem supernaturalem, ut apparet ex ejus imagine: ideo oportet ponere intellectum, sive lumen aliquod, ut est habitus supernaturalis principiorum supernaturalium, quæ sunt articuli fidei, & ex consequenti quarumdam operationum, per quæ ordinantur ad fidem; quia fides per dilectionem operatur, ut dicit Apostolus. Et hoc lumen supernaturale, & superadditum intellectui & datum homini, vocatur donum intellectus, quod nominat quamdam excellentiam cognitionis, penetrantis usque ad intimas rerum intelligendarum essentias & veritates: quæ non fit ita complete ex virtute luminis, naturalis intellectus, sicut ex virtute luminis supernaturalis superadditi intellectui naturali. De quo intellectu dicitur in libro de spiritu, & anima, quod intelligentia est vis animæ, quæ immediate supponitur Deo. Cernit siquidem ipsum summum verum & vere incommutabilem, Sic anima percipit corpora sensu: imaginatione, corporum similitudines: ratione, corporearum rerum naturas: intellectu, spiritum creatum, intelligentia, spiritum increatum. Vel sicut dicitur in eodem libro, Intellectus est ea vis animæ. qua de divinis, quantum homini possibile est, cognoscitur, ad cœlestia arcana penetranda, quæ penetrari non possunt, nisi per spiritum ejus, qui etiam profunda Dei scrutatur. Unde Apostolus dicit. Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.

Cognitionis sensitivæ & intellectivæ discrimen.

Arist. l. 3 de ani. tex 37

Aug. de sp. & ani. c. 11 apud Aug. t. 3

Ibidem.

Ps. 81

Arist. l. 6 Eth. c. 6

Gal. 6

Aug. de spi. & ani c. 11 apud Aug. t. 3

Ibid. c. 37

1. Cor. 2

CA-

Caput III.

Quæ hujus doni sit necessitas, vel quæ utilitas in eo conferatur.

Ad quid sit necessarium donum intellectus.

TErtio videndum est, quæ sit necessitas sive utilitas doni intellectus. De quo sciendum est, quod cum veritates necessariæ ad salutem, sint nobis absconditæ, & quasi velatæ, tam in rerum naturis, quam in sacris Scripturis, quam in divinis sacramentis & figuris, in tantum ut intellectus humanus sine adiutorio supernaturalis luminis, non possit ad eas apprehendendas plene pertingere: planum est, quod necesse fuit, ut Spiritus sanctus intellectui humano superadderet aliquod lumen supernaturale, quo velamina dictarum veritatum penetraret, & veritates absconditas apprehenderet & eas sic nobis manifestaret. Quod utique Spiritus sanctus facit, dum nobis donum intellectus inspirat. Hoc enim donum intellectus, primo facit nos penetrare velamina, sive tenebras mentis nostræ, donec ad notitiam propriam perveniamus, & imaginem sanctæ Trinitatis, nobis concreatam cognoscamus; cum Dominus dicat: Regnum Dei intra vos est, id est, in imagine sua. Primo igitur donum intellectus facit nos ad interiora nostra ingredi dum menti inspirat, ut seipsam primo cognoscere discat, & in hoc diligenter se exerceat, donec se videre quid sit, incipiat. Dicit enim Richardus sic: Hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur. Nihil recte æstimat, qui seipsum ignorat. Nescit quod sub pedibus ejus mundana gloria jaceat, qui conditionis suæ dignitatem non pensat. Nescit omnino quid de spiritu angelico, quid de spiritu divino sentire debeat, qui spiritum suum prius non cogitat. *Sequitur*: Si non idoneus es intrare ad teipsum, quomodo ad illa rimanda idoneus eris, quæ sunt supra teipsum? In hoc exercitio homo per donum intellectus incipit aliqualiter videre, quod factus est ad imaginem Dei, ut docet August. de Trinitate. Et auctor in libro de spiritu & anima: Tanta dignitas hominis, esse cognoscitur, ut non solum iubentis sermone, sicut alia opera sex dierum sunt facta, sed & consilio sanctæ Trinitatis, & opere divinæ maiestatis creatus sit homo: ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum deberet suo creatori, non solum propter primæ conditionis privilegium acceptum, sed & quod ad imaginem & similitudinem suam Deus creavit eum. Nam sicut dicitur in eodem libro de spiritu & anima: Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est unus Deus, non tres dii, sed tres personæ, ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non sunt tres animæ, sed una in uno corpore, & tres vires. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre & Filio procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, sed ex intellectu & voluntate procedit memoria, Multæ aliæ similitudines ponuntur ibidem. Ex eo autem, quod anima est imago Dei, est capax Dei, ut dicit Aug. de Trinitate. Item per donum intellectus potest homo cognoscere, quod est factus ad similitudinem Dei. Unde in libro de anima & spiritu dicitur sic: Creata est anima a Deo, vita a vita, simplex a simplici, immortalis ab immortali: ut non sit longe a creatore suo, cui appropinquare videtur simplicitate essentiæ. Quia creata est anima magna a magno, recta a recto. Eo magna quo capax æternorum: eo recta, quo est appetens æternorum vel supernorum: eo beata, quo Deo unita. *Sequitur*: Anima namque, quam Dei pietas respicit, humilitas subiicit, pœnitentia reducit, iustitia deducit, obedientia conducit, perseverantia perducit, devotio introducit, puritas iungit, charitas unit. Et ibidem dicitur: Quis major honor esse potuit homini, quam quod ad similitudinem sui conditoris crearetur, & eisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & conditor. De quo in Psalmo legitur: Dominus regnavit decorem indutus est, quasi

Luc. 17

Rich. l. 3 de contem. c. 6

Auct. de sp. & ani. c. 35 in pri. apud Aug. t. 3

Gen. 1

Ibid. inferius.

Aug. l. 10 de Tri. c. 8 non longe a prin. t. 3

Auct. de spi. & ani. c. 36 apud Aug. t. 3

Ibid. c. 35 post med.

Ps. 92

omnium virtutum splendore, & totius bonitatis decore ornatus. *Sequitur*: Et quod majus dedecus homini, aut infelicior miseria, quam ut hac similitudinis gloria sui conditoris amissa, ad informem & irrationalem jumentorum similitudinem dilabatur? *Sequitur*: Quapropter quisque diligentius attendat primæ suæ conditionis excellentiam: ut venerandam sanctæ Trinitatis in se ipso imaginem agnoscat, honoremque divinæ similitudinis, ad quam creatus est, nobilitate morum, & exercitatione virtutum, & dignitate meritorum habere contendat. Unde quando apparebit, similes ei erimus vel apparebimus, qui nos condidit & reformavit. Hæc ille. Similiter per donum intellectus, homo regnum Dei in se invenit, cum Dominus dicat: Regnum Dei intra vos est. Ubi dicit Glossa Gregorii: Regnum Dei nobis insitum est, dicit forsitan inditam animabus nostris lætitiam per Spiritum sanctum. Ea enim est velut imago & arrha perennis lætitiæ, qua in futuro sæculo animæ Sanctorum gaudent. De hoc require supra in cap. de dono timoris. Quærite ergo, & invenietis, & nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, ait psalmus.

1 Joan. 3 — *Luc. 17* — *Psal. 31*

Caput IV.

Veritates divinæ in sacra Scriptura absconditæ manifestantur per donum intellectus.

Post hoc Spiritus sanctus per donum intellectus, facit nos penetrare velamina sacrarum scripturarum introducens nos ad claram contemplationem puræ veritatis. Quod autem veritates Theologicæ, & divinæ quæ sunt nobis necessariæ ad salutem, sint velatæ & absconditæ in sacra Scriptura, ostendit obscuritas prophetarum, vel prophetiarum, multiplicitas figurarum, & diversitas expositionum. Quandoque enim exponuntur historice, quandoque tropologice, quandoque allegorice, quandoque anagogice, ut supra patet in capitulo de dono scientiæ.

A Sed Spiritus sanctus per donum intellectus, facit nos penetrare omnia velamina occultantia nobis veritates scripturarum, necessarias nobis ad salutem, donec intremus ad veritatis puras illuminationes, & contemplationes in scripturis absconditas. Puræ autem veritatis illuminationes, ut dicit Hugo, sunt quando veritas sine imaginibus & figuris per semetipsam percipitur. Richardus super Apocalypsi, & Haymo dicunt, quod excellentior cognitio est, cum spiritus humanus per internam inspirationem suaviter tactus, nullis rerum visibilium formis ad cœlestium contemplationem erigitur, sicut vidit David propheta. B Sed Haymo dicit ibidem. Est quædam visio intellectualis, quæ non fit per corporales res, nec per similitudines, sed ipsa veritas in mente manifestatur videntibus, quod proprie electorum est. Et notandum, quod donum intellectus quandoque intantum penetrat omnia veritatis velamina, & intantum introducit mentem ad sua interiora, ut audiat ibi verba, quæ non licet homini loqui, quia nec forte proprie poterunt dici per os carnis. Quia cum sint verba intellectualia, nihil corporale habentia, nec imaginem, nec similitudinem, ideo per os carnis non exeunt. Et ideo illa nemo scit, nisi qui accipit, ut in Apocal. C Quod exponens August. ibidem dicit, quod nemo scit, nisi qui accipit per revelationem, vel per experientiam. Cum his concordare videtur commentator super Angelicam Hierarchiam, loquens de proprietatibus seraphicis, ubi dicit sic: Ille qui hæc verba dicebat, usque ad tertium cœlum pervenerat, & intravit paradisum Dei, ubi verba omnino secreta & proxima silentio audivit, ad quæ auris humana non contigerat, quæ nemo audiret, donec sciret: intus enim audiebantur, ibique dicebantur, & non poterant exire foras, ubi erat homo, & propterea ab eo qui intus erat, & valde intus, introrsus audiri poterant. Sed his qui foris erant, dici non debuerant. Ne autem illi, qui foris erant,

Hug. in 7 c. Aug. Hier. — *2 Cor. 12* — *Apoc. 2* — *Aug. hom. in Apo. cir. fin. t. 9* — *Hug. super 7 Aug. Hierarch.*

erant, derelinquerentur, si ab eo, qui intus erat, non vocarentur; nata sunt verba de verbis, sicut verba de verbo nata fuerant. De verbis, quæ intus servari debuerunt, verba, quæ foris proferri potuerunt, de immensis magna, de occultis obscura, de impenetrabilibus profunda: quæ a nobis audita sunt in scripturis, utrum intellecta nescio. Unctio tamen spiritus docet nos de omnibus,
1 Joan. 2 dicit Joannes. Item Spiritus sanctus per donum intellectus, non solum facit nos penetrare omnia velamina veritatis incarnatæ, sed & veritatis increatæ. Velamina autem veritatis incarnatæ sunt omnes infirmitates, & defectus, quos pro nobis assumpsit natura in humana, ut defectus passibilitatis, famis, sitis, & mortalitatis, &c. Quæ donum intellectus omnia facit penetrari usque ad inventionem nudæ veritatis. Quia ipsa veritas
Ioan. 16. incarnata dicit: Cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Spiritus veritatis dicitur, quia a veritate procedit: & ideo docet omnem veritatem, quia docet eum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, Nam quia ab alio procedit, ipsum manifestat. Unde Dominus dicit
Coloss. 2 ibidem: Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur: quia de meo accipiet, ex quo docebit vos omnem veritatem necessariam, quam audivit. Docere autem, est ipsum intellectum ad suum objectum, quod est veritas, applicare ex quo sequitur veritatem cognoscere.

Sed sciendum, quod triplex veritas est. Nam est veritas cognitionis, veritas operationis, & veritas dilectionis. Per veritatem cognitionis, spiritus sanctus ostendit nobis fidem Christi, & doctrinam esse verissimam. Per veritatem operationis Christi, docet nos operationem perfectissimam. Per veritatem dilectionis, Christi ostendit nobis charitatem maximam. Ad has veritates, possunt reduci aliæ veritates necessariæ. Item Spiritus sanctus per donum intellectus, non solum facit nos penetrare omnia velamina veritatis in-

A carnatæ, sed & velamina veritatis increatæ. Unde dicit Jesus: Ille scilicet Spiritus sanctus me clarificabit. Quod verbum exponens Augustinus dicit: Spiritus sanctus clarificat filium, non ita quod de non Aug. tract. 110. in Joan. t. 9
claro faciat clarum, sed eum clarificat in nobis, quando nobis eum manifestat, ut clarum clare cognoscamus. Sed quia Spiritus sanctus procedit ab utroque scilicet patre & filio, ideo utrumque nobis revelat. Hæc autem revelatio fit, quando Spiritus sanctus per donum intellectus, mentem nostram a terrenis elevat, & purgat, & inflammat. Affectus enim terrenus, & animalis impedit intellectum, ne spiritualia in-
B telligat: quia animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, ait Apostolus. Ideo talibus non 1. Cor. 2
fiunt revelationes. Spiritus sanctus intellectum, voluntatem, memoriam, & totam familiam mentis ab inferioribus abstrahens, impellit ad Dominum quærendum, & habendum. Unde Bernardus dicit, Spiritus sanctus profecto monet memoriam, docet intelligentiam, movet voluntatem, & *ibidem*. Nec minimam paleam peccati, intra cordis quod possidet habitaculum, patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit illud spiritus dulcis & suavis. Igitur mente purgata & mundata per internam *Ber. ser. 1 de Pentecoste circa med. Idem ser. 2 in eod. festo prope fin. Ber. de Pentecos. ser. 1*
C monitionem, excitat memoriam ad paternæ allocutionis auditionem, quia Deus per memoriam auditur, ut dicit Richardus. Item dicit Bernardus ibidem, Spiritus sanctus docet intellectum, & illuminat, scilicet ad divini verbi intellectionem. Quia sicut dicit Richardus, ubi supra, Deus per intelligentiam videtur: *Rich. l. 4 de contem. c. 15*
Item dicit Bernardus ibid quod Spiritus sanctus movet voluntatem, scilicet ad sanctæ Trinitatis perfectam dilectionem. Quia dicit Richardus ubi supra: Deus per voluntatem vel affectum amplexatur, & sic habetur. Sed & filius revelat patrem. Unde 2. Cor. 3
dicit Apostolus: Usque in hodiernum diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum, quod in Christo evacuatur,

tur, dum nobis patrem revelat. Unde dicit Dominus. Ego clarificavi te pater. Quod exponens Augustinus dicit: Filius clarificavit patrem, non quod de minus claro fecerit magis clarum, cum essentialiter fuerit æternaliter clarus: sed filius in nobis clarificatus, eum in nobis clarificat, dum ipsum Verbum paternum manifestat nobis patrem. Unde dicit Verbum: Pater manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi. Quod Augustinus de Trinitate exponens dicit: Si verbum nostrum temporale & transitorium, quod nos proferimus, & se ostendit, & eum qui loquitur: quanto magis verbum Dei, per quod facta sunt omnia, se nobis ostendit, & patrem, sicuti est, quia idem cum patre est, & seipsum ostendit nobis? Unde dicit Dominus: Philippe, qui videt me, videt & patrem. Sed & pater clarificavit filium ut in miraculorum operatione, in passione, resurrectione, & in cœlum ascensione, & in multis aliis, ut filius clarificet patrem, ut supra patuit. Unde Joannes dicit. Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.

Joan. 17. Aug. tract. 105. in Joan. t. 9.

Joan. 17. Idem. l. 7 de Tri. c. 3 t. 3

Joan. 14

Ubi supra

CAPUT V.

Veritates divinorum Sacramentorum dono intellectus penetrantur.

POst hæc videndum est, qualiter Spiritus sanctus per donum intellectus, facit nos penetrare velamina veritatum divinorum sacramentorum: habent namque sacramenta velamina quædam, quibus luciformes margaritas abscondunt, ne pedibus porcorum immundæ multitudinis conculcentur, & ne derideant vel contemnant eas, sicut & Dominus dicit: Nolite ponere margaritas, &c. De istis velaminibus conqueritur sanctus Bernardus, dicens sic: Mihi apponitur veritas: sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, & nudo grano, me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis surfure, palea litteræ, fidei velamine. Et hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus, quantulumcumque accipiant condimentum, quod fit per donum intellectus. *Unde sequitur.* Denique absque spiritu sacramentum ad judicium sumitur, & caro non prodest quidquam, littera occidit, & fides mortua est: sed Spiritus sanctus est, qui vivificat, ut vivam in eis. At quantalibet sane abundantia spiritus noster pinguescat, non tamen pari jucunditate sumitur cortex sacramenti, & adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas & tempus, vultus & speculum, imago Dei & forma servi. Nempe in omnibus fides mihi est locuples, intellectus pauper. Hinc Bernardus ostendit, quod intellectus humanus est pauper & quasi cæcutiens, sine adiutorio divino, in cognitione tam absconditarum veritatum sacramentalium, sed adiutorio Spiritus sancti, qui donat veritates theologicas dirigentes, & ad plenum perficientes donum intellectus & cætera dona, fit dives & fortis ad penetrandum velamina, & ad inveniendum veritates absconditas. Unde Greg. in moralibus dicit sic: Ad perfectionem plenam dona non perveniunt, nisi fide, & spe, & charitate fiat omne quod agunt. Nam Christus est ostium, per quod intratur ad notitiam sanctæ Trinitatis. Unde August. exponens illud Joannis, Ego sum via, dicit Verbum assumens humanitatem, factum est via. Ambula per hominem, & pervenies ad Deum. Et dicit ipse Dominus: Ego sum ostium ovium, &c. hoc ostium fides aperit. Unde in Isaia dicitur. Nisi credideritis, non intelligetis. Igitur fides intellectum adiuvat. Spes autem intellectum introducit. Unde dicit Apostolus: Habemus spem firmam, & incedentem usque ad interiora velamina, scilicet puræ veritatis. Sed charitas invenit & unit, quia Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Cujus ratio est, quia sicut dicit Hugo, Amor sive charitas suo acumine omnia penetrat, donec ad dilectum veniat. Sic

Matth. 7

Ber. ser. 33. in Cant. ante med.

Greg. l. 1 Mor. c. 13

Au. s. de verb. Dom. sec. Joan. ser. 15 circa fin. t. 10

Joan. 14

Joan. 10

Isa. 7

Heb. 6

1. Joan. 4.

Hugo. sup. 7 Ang. Hierarch.

Sic igitur donum intellectus, in fide, spe, & charitate, penetrat omnia velamina sacramentalia, superius à Bernardo enumerata, ut dicat illud Canticorum: Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam eum, donec introducam eum ad certissimam veritatem, & intimam. Cant. 3

CAPUT VI.

Quo modo per donum intellectus dies spiritualis & animæ oriatur.

QUarto videndum est, qualiter per donum intellectus dies in anima spiritualis oriatur. De quo sciendum est, quod sicut absentia lucis solaris causat noctem & tenebras in terra, & sicut præsentia ejus causat diem sive lumen ut videantur sensibilia, sic absentia doni intellectus in anima causat tenebras. Unde Psalmista: Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, & ejusdem doni præsentia causat in anima diem spiritualem, qua videntur intelligibilia. Unde Gregorius in Moralibus exponens illud Job. Unusquisque in die suo, dicit sic: *Sicut ignorantiæ obscuritas, sine dubitatione nox cordis dicitur, sic intellectus dies vocatur*. Ratio hujus est, quia intellectus suo lumine penetrat omnia velamina obumbrantia veritatis radios, tam naturarum, quam scripturarum, & sacramentorum, ut supra patet, planum est quod lumen illud doni intellectus, proficit & crescit, usque in perfectum diem, quo spiritualia contemplantur, in quo die, mane, meridies, & vespera distinguuntur.

Ps. 81 Per donum intellectus oritur dies in anima.

Primo igitur mane hujus luminosæ diei in mente humana oritur, quando per donum intellectus ad nostra interiora revocati per lumen compunctionis, omnes tenebras peccatorum de lectulo conscientiæ abstergimus, ut dicamus cum Psalmista: Lavabo per singulas noctes lectum meum, scilicet conscientiæ, ut post hoc ad claritatem meridianæ horæ per contemplationem mane surgamus. De mane illius diei loquens Gregorius in Moralibus exponens illud Job, Consurgensque diluculo offerebat holocausta, dicit sic: Diluculo namque consurgimus, cum cumpunctionis luce perfusi, humanitatis nostræ noctem deserimus, & ad veri luminis radios, mentis oculos aperimus. *Sequitur*: Offerebat holocausta. Holocaustum totum incensum dicitur, quod offerre, est totam mentem igne compunctionis incendere, ut in ara amoris tota ardeat, & quasi delicta propriæ cogitationis exurat. De mane illo dicit Psalmista. Mane astabo tibi & videbo.

Mane diei doni intellectus. Ps. 6 A Greg. l. 1 Mor. c. 19 Ps. 5

B Secundo post mane hujus diei luminosæ, horæ meridianæ claritas fervida oritur in mente ex dono intellectus, quod pariter illuminat, & inflammat in sacra Scriptura, ad modum horæ meridianæ, dum eloquium Domini vehementer ignitum, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem spiritus & animæ, secundum Apostolum, manifestat. De claritate hujus meridiei & radiis hujus, Richardus dicit sic: Jucunda sane admodum plaga est meridiana a nimietate lucis & fervore diei, eo quod dulce sit valde & delectabile aspectui, contemplari beatorum spirituum ordines, hilarescentes in claritate & charitate. *Et sequitur infra*: C In meridie illa scilicet lucis & fervoris scripturæ contemplantur præmia meritorum beatorum, gaudia civium supernorum, & arcana divinorum secretorum, & cætera hujusmodi. Propter quod dicit Dominus: Scrutamini scripturas. Quod verbum Chrysostomus exponens dicit. Salvator scripturas vocat ostium. Hæ enim cognitionem Dei aperiunt, hæ oves custodiunt, hæ lupos supervenire non permittunt, hæreticis introitum præcludentes. Hæc ille. De fervore autem horæ meridianæ, scilicet Scripturæ sacræ, in qua nobiscum Deus loquitur per verbum suum proprium tamen incarnatum, quantus sit ostendit Ecclesia, quæ ex ardentissimo fervore tacendo clamat, dicens: Osculetur me osculo oris

Meridies hujus diei Heb. 4 Rich. l. 5 de contem. c. 8 Joan. 5 Cant. 1

oris sui. Hunc fervorem advertere possumus, si verba pensemus. Nam Bernardus exponens hæc verba dicit: Securus suscipio mediatorem Dei filium, quem agnosco fratrem meum. Minime mihi jam suspectus erit: frater enim & caro mea est, puto eum spernere me jam non posse, os de ossibus meis, & caro de carne mea. Igitur loquatur mihi osculo oris sui. Quid mihi hæc ora prophetarum semiverba loquuntur? Ipse potius speciosus forma præ filiis hominum me osculetur, osculo oris sui alloquendo. Nam audio jam Moysen, impeditioris linguæ est. Isaiæ labia immunda sunt. Hieremias nescit loqui, quia puer est. Non in eis jam loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris. Et Prophetæ omnes elingues sunt, sed ipse loquatur mihi, cujus gratiosa præsentia, & admiranda fluenta doctrinæ, fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Cujus utique sermo vivus & efficax, mihi osculum est, non quidem conjunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animorum, sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam & quodam modo indiscreta connexio superni luminis, & illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo, unus spiritus est. Hæc ille. Ideo sponsa in Canticis dixit: Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est, mihi spiritus fervorem tantum infundendo, vel influendo, ut tota fervida sim, ait Vercellensis ibidem. Igitur quasi lux meridiana est.

Ber. super Cant. ser. post med. Gen. 27 — Gen. 2 — Ps. 44 — Exod. 4 — Isa. 6 — Hier. 1 — Ps. 17 — Joan. 4 — 1 Cor. 6 — Cant. 5 — Isa. 58

Vespera hujus diei.

Tertio post horam claræ & fervidæ meridiei, hora vespertina succedit, in qua labor quotidianus terminatur, somnus contemplationis inchoatur, deliciæ nocturnales celebrantur. Labor quotidianus terminatur, quia sole declinante, virtus debilitatur operantium. Unde dixerunt Domino discipuli, simulanti se longius ire: Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies: quia virtus est debilitata, & ideo a labore quiescendum est. Quare & in Psalmo dicitur: Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam. Secundo in hora vespertina, per donum intellectus, somnus contemplationis inchoatur: Unde dicit anima contemplativa: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quod exponens Vercellensis dicit sic: Ego, quod sum per naturam, dormio, dormitio autem suspendit usum sensuum exteriorum, & intendit & quasi invigilat circa exercitium sensuum interiorum, quod incomparabiliter nobilius est, quam exercitium sensuum exteriorum, quod perfecte haberi non potest, nisi sensus exteriores obdormiant. Unde in libro de spiritu & anima dicitur: Cum sensus exterior carnalis suo bono utitur, interior sensus quasi obdormit. Et Gregorius dicit; Vigilanti etenim corde dormit, per hoc, quod interius contemplando proficit, & ab inquieto opere foris quiescit. Tertio in hora vespertina, deliciæ spirituales post labores diurnos a Deo ministrantur per donum intellectus, tunc ex Jacob reversa de agro ad vesperam fit Israel, quia post sudationes boni operis, pervenitur ad lucem contemplationis, ut dicit Hugo. Unde in Job dicitur: quasi meridianus fulgor, consurget tibi ad vesperam. Quod exponens Gregorius in Moralibus ait; Consurget, quia quanta sibi claritas meridiana maneat cum jam occumbere cœperit, post agnoscet, quia scriptum est: Timenti Deum bene erit in extremis. Hæc ille. Fulgor namque meridianus illuminat, & inflammat. Illuminatio pertinet ad cognitionem, inflammatio ad refectionem. Nam in charitate refectio est, quæ duo maxime faciunt ad delicias spirituales, & vespertinas, ut patet per Hugonem, ut supra dictum est. Factum est igitur vespere, & mane dies sextus, per donum intellectus.

Luc. 24 — Ps. 103 — Cant. 5 — Auct. de sp. & ani. c. 9 apud Aug. t. 3 — Greg. in Ezec. hom. 14 post med. — Hug. l. 4 de claustro animæ. c. 43 — Job. 11 — Greg. l. 10 Mora. c. 21 cir. med. — Eccl. 1 — Hug. super 7 Aug. Hie.

CA-

Caput VII.

Quo modo per donum intellectus convivium spirituale menti præparetur.

Quinto videndum est, qualiter Spiritus sanctus per donum intellectus in die sua, idest, in illuminatione sua convivium spirituale menti præparet. De quo sciendum est, quod Greg. in Moralibus dicit sic: Intellectus in die suo convivium præparat vel parat: quia in eo quod audita penetrat reficiendo cor tenebras eius illustrat. Ergo in penetratione auditorum inventa veritate mens reficitur. Et ratio hujus est, quia menti non sufficit gustare velamina veritatum, testas, vel umbram quidditatum, ut supra dictum est, sed nucleum, id est veritatem puram & quidditatem nudam. Veritas pura est, quando per seipsam videtur, non per subjectam imaginem, vel figuram, dicit Hugo. Et hic intellectus vere reficit. Unde Linconiensis super principium mysticæ Theologiæ dicit sic: Intellectum Scripturæ historicum, allegoricum & moralem habent multi, sed interior homo quærens videre Deum incircumvelate, & vere, non est his contentus, sed transcendens, ascendit cum sacris contemplativis ad summitatem anagogicorum intellectuum. In quibus tamen non videtur Deus sine symbolis, donec tandem ab omnibus absolvatur, & cum Moyse caliginem ignorantiæ ingrediatur, in qua mens summe reficitur, ut patet per Moysen jejunantem a cibo corporali quadraginta diebus, ut legitur in Exodo. Cum igitur donum intellectus secundum Gregorium penetret omnia velamina veritatis divinæ, tam in scripturis, quam in doctrina, tam in figuris, quam in sacramentis, & usque ad intimam & nudam veritatem intelligendam, & degustandam, quadam intellectuali experientia pertingat, quod perfectissimorum est, ut dicit Bernardus super Cantica, ideo donum intellectus, dulcissime mentem

Greg. l. 1 Mor. c. 16.

Hug. super 7 Ang. Hie.

A reficit. De hoc gustu experientiæ Bernardus loquens in libro de amore Dei, dicit: Gustus experientiæ scripturarum, & sacramentorum Dei, qui est in Christo, facit nobis sensum, ut intelligamus scripturas. Unde Dominus post resurrectionem aperuit discipulis sensum, ut intelligerent scripturas. *Et sequitur ibid.* Cum scripturarum interiorem sensum, & veritatem mysteriorum Dei, & sacramentorum cœperimus, non solum intelligere, sed & quadam, ut ita dicam, experientiæ manu palpare, & tractare, quod non fit, nisi quodam conscientiæ sensu, & experientiæ disciplina intelligentis, & scientis bonitatem Dei, & veritatem

B quam potenti bonitate, & quam efficaci veritatis in filiis gratiæ opus ipsius gratiæ operatur: tunc intellectus cum sapientia operatur, quod suum est, & exequitur: tunc sapientia unctione sua, docens de omnibus necessariis, sapore suo intellectui jam communicato, ut per claritatem cognitionis illuminetur, & per dulcedinem cognitionis reficiatur: utrumque enim necessarium est ad convivium spirituale, ut supra dictum est. Sed tam perfecta cognitio, quam perfecta refectio, principaliter in uno consistit, quod solum est necessarium, ut dicit Dominus: Ideo donum intellectus multa transcendendo, & penetrando, ad illud perfectum, & necessarium unum tendit, & in-

C trat. Quia sicut dicit Richardus in tractatu suo, de violenta charitate: Unum solum est, in quo mens humana requiescit, reficitur, & satiatur. Sed & Hugo idem probat, sic dicens: Multa in hoc mundo sunt & hæc omnia cor hominis satiare non possunt, ut probat experientia. Unum autem est bonum, & hoc solum cum percipitur satietas invenitur, ergo non in multitudine, sed in unico est satietas: unum ergo est necessarium bonum, quod nobis præparavit Deus. Sic ergo in mensa Dei, non nisi unum ferculum nobis apponitur. Sed noli (inquit) contemnere, satietas enim multa est. Satiabor (inquit) Propheta, cum apparuerit gloria tua. Noli igitur ti-

Bern. l. de nat. & di. gnitate amoris divi. c. 10 post med.

Luc. ult.

Luc. 10.

Rich. tract. de 4 grad. Viol. chari. ante med.

Hug. super 7 Ang. Hie.

Ps. 16.

timere cum audis unum. Unum quidem est bonum, sed in illo bono, omne bonum est. Unam refectionem, unum cibum, unum ferculum, unum panem præparavit nobis Deus. Sed ne despicias. Audi quid scriptum est: Panem (inquit) habentem omnem saporem, & omne delectamentum suavitatis. *Et Sequitur*: Ipsa vere simplex, & una dominica refectio singularis dicitur: quia cum aliena, & extranea delectatione, & dulcedine non percipitur. Dicitur domestica, quia amicis tantum & familiaribus præparatur. Dicitur & vivifica, quia unum secum efficit omnes, quibus se sumendam, & percipiendam præbet. Hæc ille. Igitur quia hæc refectio, ut dicit Dionysius, est simplex & una, & ideo in spiritu, & non in carne percipitur: ideo spiritum humanum confortat contra infirmitates spirituales. Item quia omnem delectationem extraneam excludit, ideo spiritum verificat, quia ubi est simplicitas, ibi est veritas. Item quia tantum amicis datur, ideo spiritum gratificat, quia charitas est radix amicitiæ, ut satis patet in Joanne: Item quia vivificat, ideo spiritum Deo conformat, & concordat, & ex hoc concordare facit cum seipso, & cum proximo. Unde Origenes super Canticis dicit: Concordia hic inchoat, quæ in futura gloria inter electos cœlestis patriæ semper durat. Hic enim bonis conformat, in pugna superat, consolatione inebriat, Deo associat, amorem & amicitiam augmentat, hic inchoat, quod in cœlo consummat. Hæc ille. Cum his concordat illud Psalmistæ: Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus, &c. In eo quod dicit parasti in conspectu meo mensam, & cætera, innuit in intelligentia cum perspicuitate mensam esse reficientem. In eo quod dicit, adversus eos qui tribulant me invenit quod hæc refectio convivantes confortat, & inediam sive famem spiritualem, quæ virtutes convivantium debilitat, extirpat. In eo vero quod dicit impinguasti in oleo caput meum, innuit, quod gratiosa dulcedine, & delectatione, caput animæ, id est, mentem nutrit, & decorat. Sed in eo quod dicit, calix meus inebrians, quam præclarus est, innuit spiritualem & sobriam spiritus ebrietatem, quæ mere inducit ad oblivionem sui, & ex hoc ad veram concordiam, & ad unitivam societatem, & associationem Dei. Cibat igitur sapientia mentem, pane vitæ & intellectus. Quem loco pascuæ collocavit divinarum scripturarum, ubi dicit Glossa idest in intelligentia divini sermonis, quæ meditantes saginat in intellectu divinarum scripturarum. Quarum pascuarum experientiam habuit Greg. quando dixit: Liber, qui viscera intellectualia replevit dulcedine in ore sancti, mel factus est, quia intelligentes, de Deo sciunt suaviter loqui, qui hunc didicerunt in cordis sui visceribus veraciter amare: in ejus quippe ore Scriptura dulcis est, cujus vitæ viscera mandatis illius repleantur. Quare suavis est eis ad loquendum, cui interius in intellectu impressa ad vivendum fuerat. Ex abundantia enim cordis os loquitur, ait Dominus.

Sap. 16

Dionys. de Ang. Hier. c. 7

Joan. 15

Ps. 22

Eccl. 15

Greg. hom. 10 super Exec. ante med.

Matt. 12. & Luc.

DE DONO SAPIENTIÆ.

CAPUT I.

Quid sit sapientia, & quid donum sapientiæ dicatur.

SEptimum donum Spiritus sancti, quod facit diem & convivium spirituale in anima, est donum sapientiæ, quæ est lux descendens a patre luminum, & radians in animam, facit eam deiformem, & Donum Dei. Illustrat enim intellectivam, inflammat affectivam, roborat operativam. Facit intellectivam speciosam, affectivam amœnam, operativam robustam. Hoc autem donum immediate sequitur donum intellectus. Unde Aug. de Doctrina Christiana dicit, quod a timore usque ad sapientiam, quæ septima est in do-

Jac. 5

Aug. l. 2. de Doctr. Christ. c. 7

donis & ultima, per gradus tenditur, & pervenitur. Et reddit rationem ibid. dicens: Hæc sapientia ultima, & summa est, quia hac habita, animus pacatus tranquillusque perfruitur, & delectatur in ea: ergo ultima est, in qua est consummatio. Similem rationem assignat Anselmus, dicens: Spiritus sanctus menti inspirat ad postremum sapientiam, quam aliis donis superaccumulat, ut quod recte intelligit, scilicet in dono intellectus, sibi sit sapidum, atque dulcissimum in dono sapientiæ, soloque rectitudinis amore sequatur, quo intelligit esse sequendum. Non enim perfectum facit cognitio veritatis nisi etiam sequatur gustus experimentalis, quia experientia est magistra intelligentiæ, ait Hugo. Et addit Anselmus ibidem dicens: In isto ædificio sic composito donorum Spiritus sanctus residet, totamque familiam domus interioris id est, omnes animæ sensus, regit, & ad suum obsequium disponit, scilicet ascendendo ad Dominum, & descendendo ad proximum, ut cum Psalmista dicat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me collocavit.

Anselmus Lib. de simi. c. 131

Hug. super 7 Ang. Hie.

Ps. 22

Ad hujus doni majorem notitiam, sunt quinque per ordinem notanda. Primo quid sit sapientia, & quid donum sapientiæ dicatur. Secundo, quæ sit necessitas ejus, & quæ utilitas in eo conferatur. Tertio qualiter donum sapientiæ a Deo petatur, & obtineatur. Quarto quo modo dies spiritualis ex dono isto oriatur. Quinto quale convivium menti ex eo præparetur. Primo igitur videndum est quid sit sapientia, & quid donum sapientiæ dicatur. De quo notandum, quod omissa sapientia carnis, quæ inimica est Deo, & sapientia mundi hujus quæ stultitia apud Deum, quarum utraque secundum Jacobum Apostolum in Epistola sua, est terrena, animalis, & Diabolica. Sapientia mundi stultitia est apud Deum, Ratio est, quia pejus meliori præponit. Stultus utique esset qui cuprum eligeret pro auro, sic isti faciunt. Nam bona temporalia præponunt æternis, sicut divitias, honores, favorem mundi, & laudem ejus. Unde merito diabolica vocatur hæc sapientia. Nam sicut Diabolus semper studet ad perditionem hominis, sic tales ad perditionem propriam student. Nec dicuntur sapientiæ nisi abusive, quia non sunt scientiæ sapidæ, sed stultæ & insipidæ. Nulla utique illarum est donum Spiritus sancti. Est & alia sapientia vera & increata de qua dicitur in libro Sapientiæ, quod ipsa est candor lucis æternæ, & speculum sine macula divinæ majestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit, scilicet per internam locutionem, quia sicut dicit Augustinus: Sapientia increata, quæ est filius Dei, non cessat loqui occulta inspiratione & revelatione, ad intellectualem creaturam, ut ad se convertatur, & sic formetur, cum ipsa omnia formet & innovet. Sed nec ista sapientia est donum, de quo nunc est sermo, sed largissima omnium donorum datrix est. Est alia sapientia creata, & hæc est duplex, quia quædam est per studium humanum acquisita, & est virtus intellectualis, de qua loquitur Philosophus in Metaphysica sua, quæ potest dici sapientia aliqualiter, cum in ea sapor quidam inveniatur. Habet enim Philosophia admirabiles delectationes, ut dicitur in Ethicis. Licet sapor ille non sit oleo gratiæ conditus. Potest etiam illa sapientia, per rationis inquisitionem aliqualiter rectum judicium circa aliquas res divinas habere, licet incomplete sicut ostendit Hugo, ubi dicit sic: Philosophis datum fuit, propter nos, quibus consummatio servabatur, & inchoatio parabatur, ut invenirent veritatem illam quam oportuit suscipere filios vitæ ad obsequium summæ veritatis, cujus labor ipsis appositus est, nobis autem fructus servatur. Novisti me autem Theologiam quamdam pro ratione divinorum, & scrutatione invisibilium, quasi consummaturi sapientiam addixerunt, & ibi

Rom. 8

Jac. 3

Sap. 7

Aug. l. 1 de Gen. ad lit. c. 5 t. 3

Hug. super Coel. Hie. c. 1

& ibi corruere cœperunt in menda- cia figmentorum, & ideo defecerunt & evanuerunt. Hæc ille. Unde nec illa sapientia est donum Spiritus sancti, de quo nunc loquimur quamvis ab eo detur.

Iacob. 3 Est igitur alia sapientia, quæ desursum est. Sicut dicit Jacobus Apostolus in Epistola sua. Desursum est, quia a patre luminum est creata. Et hæc est vera sapientia, quia ipse est veri splendoris, & boni saporis. Splendor dirigit intellectum ad veri cognitionem, & sapor eripit *Colos. 3* affectum ad boni saporosam dilectionem. Igitur quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram, ait Apostolus. Objectum ergo doni sapientiæ principale est Deus, non sub ratione veri absolute, sed sub ratione veri in relatione ad rationem boni, ut est excitativum voluntatis, ad ejus saporosam dilectionem. Actus autem sapientiæ est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione, cum quadam experimentali suavitate & affectu. *Aug. l. 1b de Tri. c. 7 cir. med.* Unde Augustinus dicit: Ubi nulla est dilectio, scilicet gratuita, quis illam dicet esse sapientiam? Et Ber- *Ber. ser. 85 super Can. cir. med.* nardus dicit: Nec duxerim reprehendendum, si quis sapientiam saporem boni diffinierit: quare sapientia a sapore denominatur. Unde & Isi- *Isid. l. 10 Etym. verbo sapiens.* dorus in Æthymologiis dicit: Sapiens dictus est a sapore: quia, sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapiens ad dignoscendum sapores rerum, atque causarum aptus est. Ex his igitur apparet, quod donum sapientiæ est habitus supernaturalis, animæ a Spiritu sancto infusus, ad Deum cognoscendum, & saporose diligendum.

Caput II.

Quæ sit necessitas, & utilitas hujus doni.

Secundo videndum est, quæ sit necessitas & utilitas doni sapientiæ. De quo notandum est, quod *Bern. l. de nat. & di.* dicit Bern. Sicut corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ conjungitur, vita mediante, sic anima *nitate amoris diu. c. 7 post med.* habet suos quinque sensus spirituales, quibus Deo conjungitur mediante charitate. *Sequitur*: Per sensus corporis veterascimus, & huic sæculo conformamur. Per sensum vero mentis, renovamur in agnitionem Dei in novitate vitæ, secundum voluntatem Dei, & beneplacitum Dei. Unde dicit Apostolus: *Rom. 12.* Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Et iterum Bernardus dicit: Si- *Ber ubi supra c. 10.* cut omnes sensus corporales, ut visus, auditus, olfactus, &c. sine sensu gustus infirmantur, & hebetantur in operationibus suis, sic omnes sensus spirituales infirmantur, & languescunt in operibus suis, sine gustu spirituali, vel sapientiali, qui gustabilia spiritualia sapida facit. Quod Bern. bene ostendit, dum super Cantica dicit: Hunc saporem *Idem in Can. ser. 85. cir. med.* perdidimus, ab ipso pene exordio generis nostri. Ex quo enim cordis palatum, sensu carnis prævalescente, infecit virus serpentis, antiqui, cœpit animæ non sapere bonum, ac sapor noxius subintrare, scilicet concupiscentiæ, & sensus hominis prompti facti sunt ad malum. Et ideo multa bona fiunt, quæ non sapiunt facientibus, quia sapor carna- *Quare multa bona non sapiunt facientibus.* lis, seu mali, non est totaliter exterminatus. Sed nunc assidue sapientia vincit malitiam in mentibus, quas intraverit, saporem mali quem malitia invexit, sapore meliori exterminans. Intrans enim sapientia, dum sensum carnis infirmat, & infatuat, intellectum purificat, & cordis palatum sanat, & reparat: sanato palato jam sapit bonum, sapit & ipsa sapientia, qua est in bonis nullum melius. Hæc ille. Sensu autem gustus reparato per sapientiam, omnes sensus spirituales convalescunt & vegetantur: Unde Bern. *Bern. l. de nat. & dignitate amoris div. c. 10.* dicit: Gustum autem qui fit in sapientia, quædam sequitur saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari, quæ suscipit cuncta discernit, & diiudicat, seque & omnes sensus ve-

vegetat, & confortat, scilicet interiores. Hæc ille. Hic enim gustus saporosæ sapientiæ, sensum visus interiorem clarificat, ad Deum sapide contemplandum. Unde sapiens. Est enim in sapientia spiritus intelligentiæ, omnia prospiciens, & cetera, ibi scripta. Sensum auditus excitat, ad Verbum Dei dulciter audiendum. Unde dicit Sapiens: Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie. Et infra: Qui me invenerit inveniet vitam. Sensum olfactus interiorem, incitat ad dilectum suum suaviter odorandum. Unde dicitur: In plateis sicut cynamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Sensum tactus interiorem fortificat ad dilectum inseparabiliter tenendum, ut dicit Sapiens: Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam beatus. Gustu igitur spiritualis animæ per sapientiam reformato, omnes sensus spirituales animæ reformantur, & vegetantur. Quod etiam Augustinus in confessionibus ostendit, ubi dicit, quod omnes sensus sui interiores per amorosæ sapientiæ saporem ferabantur in summum appetibile. Et exemplificat ibi, ut infra patebit. De hujusmodi sapientia dicit Jacobus. Sapientia quæ desursum est, primum quidem pudica est, quia vitat corruptelas peccati: pacifica & modesta est, in omnibus tenens medium: suadibilis est, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, judicans sine simulatione: fructus autem justitiæ in pace seminantur facientibus pacem. Igitur donum sapientiæ non solum docet, secundum rectum judicium contemplari divina, sed etiam docet regulari humanos actus, excellentiori modo, quam sapientia, quæ est virtus intellectualis. Cujus rationem assignat Augustinus de Trinitate, dicens: Superior pars rationis, sapientiæ deputatur, inferior autem scientiæ. Superior autem ratio, ut ipse in eodem libro dicit, intendit rationibus supernis, scilicet divinis, conspiciendis & consulendis. Conspiciendis

Sap. 7 · *Prov. 8* · *Eccl. 24* · *Prov. 3* · *Aug. l. 10 conf. c. 6 et 8* · *Iac. 3* · *Aug. l. 12 de Tri. c. 14 et 3 Ibidem c. 3*

A quidem, secundum quod divina in seipsis contemplatur. Consulendis autem secundum quod per divina judicat de humanis, per divinas regulas dirigens actus humanos, ut homo non solum assimiletur Deo secundum imaginem, sed etiam secundum operationes prout potest. Unde Augustinus de sermone Domini in monte dicit: Sapientia est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, & suscipiens similitudinem Dei. Pretiosior est sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, non valent huic comparari.

Idem l. 1 de ser. Do. in monte, c. 3 ante med. · *c. 4 Prov. 8*

CAPUT III.

B *Qua ratione donum sapientiæ a Deo petatur, & obtineatur.*

Tertio videndum est, qualiter iste pretiosissimus thesaurus doni sapientiæ inveniri, & obtineri possit. De hoc notandum, quod sapientia, & est quærenda, & est postulanda a Deo: quærendo invenitur, sed postulando a Deo possidetur. Invenitur per cognitionem, sed possidetur, per dilectionem: per cognitionem videtur, per dilectionem amplexatur & gustatur. Videre pertinet ad intellectum, sed amplexari & gustare, pertinet ad voluntatem & affectum. Unde Richardus dicit: C Sicut Deus per memoriam auditur, per intellectum videtur: Ita per affectum amplexatur, & gustatur, vel astringitur, & sic tenetur, & hoc utique est perfectius, quam videre solum. Quod ostendit Augustinus de Trinitate, ubi dicit, quod actus amplexandi sive tenendi est proprius actus voluntatis. Non enim sufficit voluntati illud quod est præsens intellectui per modum visi, nisi etiam fiat præsens voluntati per modum amati. Dicit enim idem Augustinus, quod quandoque fit, quod aliqui cognoscunt Deum, & eum non habent. Exemplum de medico, qui sanitatem alicujus cognoscit, non propter hoc habet. Ibi præscindit Augustinus cognoscere, ab habere. Primo igitur quæramus sapientiam, in-

Rich. l. 4 de contem. c. 5 · *Aug. l. 9 de Tri. c. 12 circa fin. t. 9* · *Aug. in Ep. 57 ad Dardanum, post med. t. 2*

investigando per cognitionem, donec tandem mereamur eam a Deo recipere per amplexum, & degustationem. Hunc pretiosum thesaurum sapientiæ docet quærere Salomon, dicens: Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam tunc intelliges timorem Domini, qui est initium sapientiæ. Quæ verba exponens Hieronymus dicit: Qui theusauros effodit, terram reiicit, foveam in altum fodit, sedulus insistit, donec inveniat quod quærit. Sic qui thesauros sapientiæ invenire desiderat, omne pondus terrenum a se reiiciat, in se fossam humilitatis faciat, nec quiescat donec inveniat. Hæc ille. Ipsa enim sapientia, faciliter videtur ab his, qui quærunt eam: & cogitare de illa, sensus est consummatus. Est igitur quærenda sapientia, quia sicut ipsa dicit: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino. Sed quo modo cognoscitur inventa sapientia, hoc docet Bern. in quibusdam dictis suis, ubi dicit sic: Invenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt, prout sunt, ut hæc quidem amara, & omnino fugienda, illa quoque velut caduca, & transitoria contemnenda ista vero ut perfecta bona totis desideriis appetenda, quæ intimo quodam animi sapore diiudices & discernas. Hæc Bern. Est igitur etiam hoc pretiosum donum sapientiæ cum habitus sit supernaturalis, & a Deo animæ infundatur a Deo fideliter postulandum, ut docet Jacobus in Epistola sua, dicens: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans. In his verbis Apostolus innuit, quod in postulante debent esse quatuor, scilicet Indulgentia. Unde dicit: Si quis vestrum indiget sapientia. Certe hac omnes indigent. Neminem diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia habitat. Impetrandi confidentia. Unde dicit, postulet a Deo. Postulare enim est filiorum, rogare autem servorum. Unde in Psalmo: Postula a me, &c. Postulati largitas. Unde dicit: Qui dat omnibus affluenter. Unde in libro Regum dicitur: Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitias & gloriam. Postulantis stabilitas. Unde dicit: Postulet autem in fide nihil hæsitans. Fides autem mentem stabilitat. Unde Dionysius dicit, quod circa veritatem vere existentem, & non errantem, versatur fides divina, quæ est stabilis collocatio credentium, collocans eos in veritate, & confirmans. Sic igitur patet, qualiter est a Deo sapientia quærenda, & invenienda, & qualiter est a Deo postulanda, & possidenda. Nobilis enim animæ possessio est.

Prov. 2 — Prov. 8 — Ber. in sent. — Iac. 1 — In postulante quatuor esse debent. — Sap. 7 — Ps. — 3. R. — Dion. l. de div. no. c. 7

Caput IV.

Qualiter ex dono sapientiæ dies spiritualis in anima oriatur.

Quarto videndum est, qualiter ex dono sapientiæ in mente humana dies spiritualis oriatur. De quo notandum est, quod cum sapientia sit quasi sol lucens ratione cognitionis, & fervens ratione dilectionis (utrumque enim horum invenitur in sapientia, ut ex prædictis patet) Ideo donum sapientiæ causat in anima diem lucentem cognitione, & ferventem dilectione. Quare Alanus de planctu naturæ dicebat: Sapientia est sol, per quem lumen mentis diescit in tenebris, cordis oculus, fructus internæ dilectionis, deliciosa animæ paradisus. Hæc in cœlestem terrenum, in immortalem caducum, hominem in Deum deificæ mutationis auctoritate convertit. Hanc luminosam sapientiam desideravit qui dicebat: Invocavi & venit in me spiritus sapientiæ, & infra: Proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius, & venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manum

Alan. de insulis — Sap.

num

num illius, Sapientia pro luce habenda merito est, quia ipsa totum regnum animæ dirigit, non solum in contemplandis, sed etiam in agendis: quia sapientiæ donum non solum est speculativum, sed etiam practicum. Unde etiam dicit: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, quoniam omnium bonorum mater est. Tullius primo de legibus dicit sic: Mater omnium bonarum rerum est sapientia, qua nihil uberius, nihil præstantius, quia bonum vitæ datum est. Hæc enim cum cæteras res omnes docuit, tum quod difficillimum est docuit, ut nos nosceremus. Hæc ille. *Sequitur*: Et venit mihi innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum, quoniam antecedebat me ista sapientia. Nam decor, & maturitas honestæ vitæ in luce sapientiæ invenitur, ab his qui in regno animæ, & convivio sapientiæ commorantur. Dicit enim Bern. in sermone quodam super Cantica sic. In sapientia est maturitas, ideo superest, decorem illius quæramus, sine quo nemo Deo placere potest, decor autem iste honestum dicitur. De honesto autem exterior conversatio interrogetur, non quod ex ea honestum procedat, sed per eam exeat foras. Nam in conscientia est habitatio ejus & origo. Siquidem claritas ejus, testimonium conscientiæ est. Nihil hac luce clarius, nihil hoc testimonio gloriosius, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt, quod in nullo conscientia erubescat præsentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem, quasi confusam, & repercussam a lumine diei. *Sequitur*. Hic plane illud decorum est, quod super omnia bona animæ divinos oblectat aspectus, hoc diffinimus honestum. *Sequitur*: Cum autem decor hujus claritatis, abundantius intima cordis repleverit, prodeat foras tanquam lucerna sub modio lucens, immo lux in tenebris lucens latere nescia. Porro hunc decorem fulgentem vel effulgentem, & veluti quibusdam radiis suis erumpentem mentis simulacrum corpus excipit, & diffundit per mem-

Bern. sup. Can. ser. 85 post med.

A bra & sensus, quatenus ibidem omnis reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, & cætera omnia hominis. Hæc Bernardus. In hac igitur die sive lumine sapientiæ, totum regnum animæ illuminatur, tota actio hominis honestatur, & omnis labor laborantium convivantium dulcoratur. Quod etiam ostendit nobis Bernardus, dicens: Cum jam in his diutius fueris exercitatus, rogat tibi dari lumen devotionis, sive sapientiæ diem serenissimum, & sabbatum mentis, in quo tamquam emeritus miles, in laboribus vivas absque labore, ut quod prius cum amaritudine & coactione tui spiritus faciebas, de cætero iam cum summa dulcedi-

Idem ser. 2 de circumcisione Dom. post med.

B ne peragas, & delectatione. Verum quidem ad hanc perfectionem pauci, ni fallor, perveniunt in hac vita. Multi enim tota vita sua ad hoc tendunt, & non pertingunt, qui tamen plene post hanc vitam recipiunt, quod hic dispensative negatum est. Abiiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus. Hæc dies septimi doni, scilicet sapientiæ, significatur per diem septimam, quæ vesperam non habet. Cuius ratio est, quia sicut dicit Anselmus in libro de similitudinibus, donum sapientiæ pertinet ad vitam contemplativam, quæ est optima pars, quam Maria elegit, quæ non auferetur ab ea.

Rom. 13

Ansel. l. de simil. c. 181

Luc. 10.

C Sed magis in patria perficietur. Unde Glossa ibidem dicit sic: Contemplativa vita hic incipit, & in cœlesti patria perficitur: qui amor est ignis qui ardere incipit, sed cum ipsum quem amat videbit, amplius in amore ignescet. Et Gregorius in Moralibus exponens illud verbum, dicit: Activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem vitæ gaudia melius ex fine convalescunt: quare non deficient, sed sine fine manebunt. Quare secundum Psalmistam: Melior est dies una in atriis tuis super millia, quia in illa die septima quietis, quæ nullam vesperam alicuius finis habebit, mens contemplativa per septiformem spiritum æternaliter requiescit, dicens cum Psalmista:

Greg. l. 6 Mor. c. 18

Ps. 83

Ps. 131 sta: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo; quoniam elegi eam.

Caput V.

Quale convivium per donum sapientiæ menti præparetur, & de primo convivio, quod in mente, in corpore humano existente, per donum sapientiæ Spiritus sanctus celebrat.

Quinto videndum est, qualiter Spiritus sanctus per donum sapientiæ in die illius, id est in illuminatione sua, convivium spirituale menti præparet, de quo notandum est, quod S. Bernardus in libro de diligendo Deo ultra medium libri dicit, quod sapientia triplex celebrat convivium, & ex mera complet charitate, gradatim tamen. Cibat in hac vita laborantes, potat post hanc vitam quiescentes, & inebriat in æterna vita regnantes, scilicet beatos. Primo enim in carne mortali, labores manuum nostrarum manducamus, cum tali quali labore masticando quod glutiendum est. Post mortem vero, in vita spirituali jam bibimus, suavissima quadam facilitate a corpore absorpti. Tandem in redivivis corporibus, in vita immortali inebriamur mira plenitudine exuberantes. Quare sponsus in Canticis dicit: Comedite amici mei ante mortem, bibite charissimi post mortem, & inebriamini charissimi post resurrectionem. Et ibid. dicit Bernardus sic: Inter istos tamen differentia est. Nam hi qui in carne gravati sunt, & adhuc vivunt, amici dicuntur, pro charitate, quam habent: qui vero soluti sunt a carnis compedibus eo sunt chariores, quo & promptiores, & expeditiores sunt ad amandum. Porro beati merito charissimi nominantur: quia & majori charitate inebriantur, & consolantur, ut infra patebit. Et dicit ibidem Bernardus: Anima fidelis comedit panem suum, sed heu in sudore vultus sui, quia manens in carne, adhuc ambulat per fidem, quæ tamen per dilectionem operatur. Porro ipsum opus cibus est, dicente Domino: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei. Nota, multi desiderant charitatem, sed nolunt laborare pro ea. Audi quid Origenes super Cantica dicit, quod ad boni operis multiplicationem, dilectio multiplicatur: multiplicatio autem dilectionis est dulcis refectio manentis.

(Marginal notes: Ber. l. de diligis. Deo cuge post mod. — Cant. 5 — Joan. 4)

De his tribus conviviis dicendum est. Primo igitur de convivio primo, quod est convivium amicorum, quod Spiritus sanctus per donum sapientiæ celebrat in mente humana, ut existit in corpore. De quo Gregorius in Moralibus dicit: Sapientia in die suo convivium facit: quia mentem de æternorum spe & certitudine reficit. Cujus ratio est, quia sicut dicit Gregorius in moralibus, Spes in æternitatem animum erigit, & ideo nulla mala quæ exterius tolerat, sentit, sed magis gaudet & hilarescit. De quo convivio est notandum, quod Richardus in tractatu suo de diversis affectibus dicit, quod amor est dulcedo saporis intimi; a quo sapore denominatur sapientia, & quanto quis ardentius amat, tanto suavius gustat. Igitur secundum gradus amoris & sapientialis saporis, possunt distingui gradus convivii spiritualis, quod Spiritus sanctus per donum sapientiæ celebrat in mentibus viventium, & in corpore laborantium. Nam inter viventes in corpore (inquit Bernardus ibidem,) quidam sunt chari, quidam chariores, quidam charissimi, quod Salomon innuit in Canticis, dicens: Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini Charissimi. Hi sunt chari, qui invitantur ad comedendum: chariores autem invitantur ad bibendum: charissimi autem invitantur ad inebriandum, Ratio hujus ordinis est, quia secundum mensuram dilectionis, etiam dispensatur & modus manifestationis, & sapidæ degustationis, ut dicit Richardus. Amici autem hic dicuntur, qui tamquam incipientes, aliquem gradum charitatis attingunt, quare dicuntur amici Dei. Amicos autem Dei oportet mundum istum sapienter odire. Nam qui mundum di-

(Marginal notes: De tribus conviviis sapientiæ — Greg. l. 1. Mor. c. 16. — Ibidem l. 6. c. 14 post med. — Bern. ubi sup. prox. — Cant. 5. — Rich. l. 4. de contem. c. 16)

diligit, inimicus Dei constituitur, A quia non est charitas patris in eo, *1 Ioan. 2* ait Joannes. Ideo tales indigent, ut a sapientia reficiantur, per aliquam degustationem spiritualis consolationis competentem eis, æstum concupiscentiæ refrigerantis, ut a mundo & delectationibus abstrahantur, & pane sapientiali confortentur. Hoc *Hug. l. 4 de Arca Noe. c. 2* ostendit Hugo de Arca Noe, ubi dicit sic: Postquam enim mens hominis quadam, ut ita dixerim, violentia, & delectatione carnali partim abstracta fuerit, necesse est, ut statim jam aliquid spiritualis gaudii prægustare incipiat, ne si omnino a delectatione aliena remanserit, quasi semen sine humore, ad germen sapientiæ convalescere nequeat. Fit B ergo divina gratia aspirante, ut cum animus perfectius a corporeis passionibus, desideriis terrenis exutus fuerit, quadam statim insolita lætitia perfundatur, ut eo amplius amarum esse cognoscat, quod deservit scilicet mundum quo magis dulce sentit esse, quod invenit scilicet sapientiam. Illas enim mentes in æternæ dulcedinis desiderium trahit, quas nullus concupiscentiæ carnalis affectus foris religavit. Hæc ille. Amici igitur dicuntur comedere, quia tamquam minus perfecti in charitate, cibum spiritualem difficilius sumunt. Unde Richardus loquens de ista com- *Rich. l. 4 de contem. c. 16 post med.* mixtione amicorum dicit: Certe qui comedunt, dum sumptum cibum C masticant, non sine mora, vel qualicumque labore, illud in quo delectantur, traiiciunt. Nonne illi tibi videntur comedere, qui cum multo studio, & multa meditatione vix possunt ad veritatis delicias pertingere. Hæc ille. Unde sapientia vocat prius ad comedendum, dicens: Ve- *Prov. 9* nite, comedite panem meum. Et quis est iste panis alius, ad quem sapientia invitat, nisi ille quem Spiritus sanctus de cœlo præparavit? Quem Spiritus sanctus sapientiæ in utero Virginis formavit, ut dicit Ambrosius. Quem omnibus suis donis adornavit, ut legitur in Isaia. *Isa. 11* Quem spiritus charitatis, in igne *Levit. 2* passionis pistavit. Hoc enim est sacrificium coctum in clibano, de simila panis absque fermento. Quem spiritus largitatis, in sacramento charitatis nobis communicavit. Quem *Luc. 11* quasi quotidianum postulamus. Quem omni delectamento, & saporis suavitate Spiritus sanctus condivit. Ha- *Sap. 16* bet enim in se panis ille, omne delectamentum. Quem nobis manducandum cum Angelis, in æterna beatitudine conservavit, de quo dicitur: Beatus qui manducat panem *Luc. 14* in regno Dei. Ubi dicit August. in *Ioan. 6* Glossa: Quis est panis regni Dei, nisi qui dicit. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: non cibus corporis, sed cordis: non figurativus, sed verus: non mortuus, sed vivus: non transiens, sed permanens: non deficiens, sed æternaliter reficiens, & dulciter satians. Hunc cibum docet comedere Origenes, exponens illud Cantici: Et fructus *Cant. 2* ejus dulcis gutturi meo. Ubi dicit sic: Da mihi Domine fructum dulcem, fructum vitæ animæ meæ. Altus est, attolle desiderium: benedictus est, sanctifica obsequium: imputribilis est, purifica affectum: suavis est, lætifica animum. Et glossa dicit ibidem. Saturata sum cœlesti dulcedine, de corpore suo. Sunt & alia fercula amicorum, de quibus habes supra in dono scientiæ, quæ *Sap. 16* ministrantur in mensa sacræ Scripturæ. Sed cum iste cibus, & fructus benedictus, habeat in se delectamentum omnis suavitatis. Ideo non solum, ut dicit Cantuariensis, est dulcis gutturi, sed & omnibus sensibus interioribus, & spiritualibus dulcis est, & eos confortat. Unde iste cibus est dulcis visui, per *Eccl. 5* contemplationem limpidam. Dulce *Ezec. 32* lumen, & delectabile est oculis videre sapientiæ solem. De quo Propheta: Solem nube tegam, idest, corpore. Dulcis est auditui, per inspirationem cælicam. Unde dicitur: Bonis amici consiliis anima dulcora- *Prov. 27* tur. Dulcis est olfactui, per suavi- *Cant. 1* tatem odoriferam, quia in odorem unguentorum tuorum currimus post eum. Dulcis est gustui, per mastica- *1. Pet. 2* tionem sapidam, ut ait Petrus. Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus Dulcis est tactui, per ten-

Can. 3 tentationem amabilissimam, de qua dixit amatrix ejus: Tenui eum, nec dimittam. De hoc fructu vel cibo dicit Alexander Nechan ibi, sic: Isto fructu cives superni recreantur, illo fructu delectantur, illo fructu satiantur. Ideo o Virgo virginum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui, ora quo & nos reficiamur, licet aliquali labore dulcis masticationis.

Caput VI.

De vino, ad quod potandum sapientia invitat in convivio primo.

Sed quia in convivio spirituali mentis, existentium in corpore non sufficit cibus sine potu, magis diligentibus & dilectis, unde clamant cum Maria: Vinum non habent. Joan. 2 Ideo sapientia post invitationem amicorum ad comedendum, secundo invitat magis dilectos, in amore exercitatos ad potandum, dicens: Et Prov. 9 bibite vinum, quod miscui vobis. Rationem hujus ordinis assignat Origenes ibidem, dicens: Non est plena refectio, nec omnimoda refectionis delectatio, nisi cum cibo potus jungatur. Et amica jam in amore exercitata, postquam dixit se a dilecto dulcibus refectam fructibus, statim subiunxit, se in cellam vinariam introductam ab eodem, dicens: Introduxit me rex in cellam vinariam. Can. 2 Ubi Origenes dicit: Sponsa hæc nequaquam gratias egisset de introductione sua in cellam vinariam, nisi ipsa cella vinaria, multiplex vinum ex multiplici collectum vinea habuisset. Diversitas enim poculi boni, melioris, & optimi, diversitatem delectationum generat. Hæc cella vinaria, sicut dicit Vercellensis, est Verbum æternum, sapientia Patris, continens omnes theorias, idest revelationes, quæ plenissime continent vinum spiritualis gaudii, & ubertim fundunt in amantes. In hac namque cella vinaria, invenitur omne genus vini mentes sanctas reficiens, & lætificans, secundum varios gradus amo-

A ris, ut ostendit Glossa super illud. Cant. 2 Introduxit me Rex in cellam vinariam, ubi dicit sic: Quam cito guttur meum dulcedinem gratiæ ejus attingit, ita me recreavit spiritu, & ab amore terrenorum in superna translatum sentio, ac si in cella vinaria novi meri odore in poculo sim refecta. In hac cella invenit vinum perspicuum, sive purum, vinum ignitum, vinum conditum, & cætera hujusmodi vina, vinum præcipuum appositum magnificentia regia dignum. Vinum quoque ut regia magnificentia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. Vinum perspicuum sive merum, distributum manu sapientifica: in Psal- Ps. 74
B mo: Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto. Vinum ignitum, incalescens humana præcordia in Esther, postquam Assuerus vino incaluerat. Psalmista: Incaluit cor Esth. 7 meum intra me. Ps. 38 Vinum conditum, seu aromaticum, redolens pigmenta Cant. 8 fragrantia in Canticis: Dabo tibi poculum ex uno condito. Sed quid hæc diversa vina significant, nisi quosdam gradus charitatis, amatrices animas potantes & reficientes, non tamen adhuc inebriantes, secundum Rich. l. 4 de contem. c. 16 Richardum, qui dicit: Attende quod ex Magnitudine divinæ dilectionis, pendet modus divinæ revelationis. Li. 5. c. 5 Quare dicit ibidem: Dilecti comedunt, chari bibunt, sed charissimi
C inebriantur. Cujus rationem infra assignat, dicens: Quamdiu hujusmodi ebrietatem & excessum in nobis non sentimus, quid aliud de nobis sentire debemus, nisi quod minus diligimur, & nisi quia minus diligimus? *Sequitur*: Si enim quisquis es plene, perfecteque diligeres, forte dilectionis tuæ nimietas, æstuantisque desiderii anxietas, in ejusmodi te raperet ebrietatem & excessus. *Sequitur*: Sane si dilectione plene dignus extitisset, si tanta dignatione idoneum exhiberes, forte tanta luminis te claritate, sive intelligentiæ oculos tuos irradiaret, tanta intimæ dulcedinis suavitate cordis tui desiderium inebriaret, quæ teipsum supra temetipsum raperet, & per mentis excessum in superna elevaret.

Igi-

A Igitur amici comedunt, qui sumptum cibum masticant, non sine mora, vel qualicumque labore illud in quo delectantur, traiiciunt. Qui vero bibunt ex divinis revelationibus, summa cum facilitate & jucunditate hauriunt, quod intima veritatis suavitate concupiscunt: Hæc ille. Sed charissimi inebriantur vino fortissimo, dulcissimæ charitatis. De quibus modo dicendum est.

CAPUT VII.

Qui sint charissimi in convivio primo, & quæ sit sobria ebrietas illorum.

B IGitur tertio videndum est, qui sint charissimi in convivio spirituali existentium in corpore, & quæ sit sobria ebrietas illorum. Primo notandum est, quod Origenes exponens illud Canticorum: Amore langueo, distinguit inter simplicem amorem, ardorem, & languorem, dicens: Amant incipientes, ardent proficientes, sed languent in amore perfecti. Languor iste, sicut dicit Vercellensis ibidem, usque ad mortem ducit. Mors autem, est plena separatio vitalis spiritus a corpore, & significat plenam separationem vitalis affectus per excessum mentis, & omnimodam unitionem ad Deum. Et Glossa ibidem dicit: Præ amoris magnitudine, omnia temporalia sunt mihi fastidio. Qui autem maxime Deum diligunt, maxime ab eo diliguntur, ideo charissimi sunt, quia dicit Dominus: Ego diligentes me diligo. Sunt charissimi Deo, qui maxime in Deo delectantur, quia maxime diligunt. Unde in Canticis dicit dilectus veræ amatrici suæ: Quam plchra es, & quam decora charissima in deliciis. Quod exponens Vercellensis dicit: Quam pulchra es fervoribus affectualibus & spiritualibus charissima propter præcipuam pulchritudinem, & fervidam dilectionem, quia nihil est menti dulcius, nec est aliquid quod mentem Deo chariorem faciat, quam si in ipso intime delectetur, quo nihil delectabilius est. Hæc ille. Cum

Qui amant qui ardent, & qui languent amore.

Prov. 8

Cant. 7

hoc concordat Glossa ibidem, quæ dicit: Charissima es Domino tuo, ex hoc quod vacas cælestibus deliciis. Cujus experientiam videtur habuisse, qui loquens de sapientia dixit: Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium, & amicitia illius, delectatio bona. *Sap. 8*

Sed nunc videndum est, quid sit illa ebrietas qua charissimi in convivio mentali sobrie inebriantur. De qua Dionysius sic dicit: In nobis siquidem ebrietas in malo, dicitur incommensurabilis adimpletio, & excessus mentis, & sensuum. Ideo autem attribuitur ebrietas in bono, quæ nihil aliud est, nisi superplena omnium bonorum immensuratio, præexistens in ipso secundum causam. *Sequitur*: Dicitur ergo Deus inebriatus, & excessum passus in eo quod his omnibus supereminet, excedendo omnem mensurationem, & est extra omnia, & super omnia. Et Vercellensis super Cantica tractans illud, inebriamini charissimi, dicit: Quæ vera & sancta ebrietas sit, colligitur ex verbis magni Dionysii ad Titum, ubi recitat eadem verba, quæ supra dicta sunt, exponens illud: Introduxit me, dicit ibi: Assidua theoriarum, idest revelationum varietas, & profectus assidui sponsæ, inducent quasi experimentaliter talem ebrietatem, ut C videatur idem repetere. Quæ supra dixit, cellaria, modo dicit, cellam vinariam, quæ quasi idem sunt. Non, inquit Vercellensis, intelligitur sponsa aliquando dicta repetere, sed assiduas illuminationes experiri, quod mentibus contemplativis, tam fortiter, quam assidue, ad radium superiorem exercitatis omnino familiare est. Dicit ergo experimentaliter introduxit me, per interiores & profundiores theorias, quam prius: quia in Hieremia dicitur: Post me ingredi non cessabis, in cellam vinariam, id est, vinum continens omnes theorias, id est revelationes. Et ibidem Vercellensis dicit: Ad hujus ebrietatis supersubstantialis qualemcumque similitudinem spiritua-

Dion. in ep. ad Titum cir. fin.

Quæ sit ebrietas spiritus.

Cant. 2

Hier. 3

tuales viri dicuntur inebriari, propter excessivam abundantiam luminum divinorum. Audi, inquit Richardus, hominem hac ebrietate madentem, & quid circa eum agatur omnino ignorantem. Sive in corpore, inquit, sive extra corpus, nescio, Deus scit. Quo modo putas inebriatus erat, quo modo mundus ei in oblivionem venerat, qui seipsum nesciebat? Hæc Richardus. Hæc autem ebrietas spiritualis, causatur ex nobilissimo vino fortissimæ charitatis. Unde Richardus dicit: Ecce charissimi inebriantur. Ebrietas autem mentis alienationem efficit, & supernæ quidem revelationis infusio eos dumtaxat, qui charissimi sunt, in mentis excessum adducit. Talem Propheta ebrietatem designare voluit, cum dixit: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. *Et sequitur*: Si igitur cupimus hac ebrietate madere, & mentis theoricos excessus frequentare, satagamus Dominum nostrum intime, & summe diligere, & omni hora in divinæ contemplationis gaudium cum summo desiderio anhelare. Nam quando mens nostra, intima illa internæ suavitatis abundantia potata, immo plene, inebriata fuerit, quid sit, quid fuerit penitus obliviscitur, & in abalienationis excessum tripudii sui nimietate traducitur, & in supermundanum quemdam affectum, sub quodam miræ fœlicitatis statu raptim transformatur. Nec mireris, quia sicut dicit Vercellensis in prologo super Cantica, Tanta est virtus veri amoris boni & pulchri, quod non solum facit homines & Angelos quasi naturam propriam egredi, ut in Deum ascendant, sed etiam Deum facit quasi naturam propriam egredi, ingressibilem tamen a se, ut ad creaturas quasi infra naturam suam procedendo condescendat. Et accepit istud verbum a Dionysio de divinis nominibus ubi dicit sic: Audendum est dicere pro vero, quia ipse Deus omnium, tam pulchro & bono amore exit per abundantiam amativæ bonitatis quasi extra seipsum sic

Rich. l. de Patriar. sive Beniamin minor. c. 37

Ric. l. 4 de cont. c. 16

Ps. 35

Dion. de divin. nom. c. 4 cir. fin.

A providet omnibus existentibus, & per bonitatem & amorem quasi trahitur, & ad illud quod est in omnibus deducitur, secundum virtutem supersubstantialem facientem ecstasim, sed a seipso ingressibilem, ut adamas ferum trahit ad se immotus manens: Ipse enim movet sicut desideratum & amatum, ut dicitur libro de cælo & mundo.

Arist. l. 1 de cælo tex. 100

Caput VIII.

De secundo convivio, quod fit animæ a corpore separatæ per donum sapientiæ.

SEd post hæc secundo videndum B est de secundo convivio, quod est animæ separatæ a corpore. Et secundum Bern. ubi supra, est convivium quiescentium, & magis dilectorum. Et in hoc convivio, Spiritus sanctus per donum sapientiæ, convivantes potat vino non puro, sed lacte mixto. Unde Bern. ibidem dicit: Animæ a carne exutæ, jam pane doloris non cibantur, sed vinum amoris post cibum plenius haurire permittuntur, non tamen purum, sed cum lacte mixtum, ut qualibet illarum possit dicere illud Canticorum: Bibi vinum cum lacte meo. Vinum enim divini amoris, miscet cum dulcedine lactis, id est naturalis affectio C nis, quæ resumere corpus suum glorificatum desiderat. *Sequitur*: Æstuat ergo anima nunc sanctæ charitatis vino, potata, sed plane nondum usque ad ebrietatem consummata: quia temperat interim ardorem divinæ charitatis permixtio humoris lactis, id est naturalis affectionis. Idem dicit Bern. ibidem. Sic ebrietas corporalis denique solet evertere mentes, atque ideo immemores reddere sui. Sed non ex toto sui oblita est, quæ adhuc & de proprio corpore cogitat resuscitando, propter quod desiderium anima perfecte beata esse non potest, sed post resumptionem corporis sui cum consummabitur. Hæc ille. Cum his concordat August. dicens sic: Animæ inest quidam appetitus

Ber. l. de dil. Deo longe post med.

Cant. 5

Aug. l. 12 de Gen. ad lit. c. 35 t. 3

cor-

corpus administrandi, quo appetitu retardatur quodam modo, ne tota intentione pergat in illud summum cælum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Non obstante tamen illo desiderio anima in patria est beata, licet non consummate, & tamen nullum dolorem sentit ex illo naturali appetitu. Sed quid de ista anima a corpore separata antequam cælum ingrediatur, numquid illa vino qualicumque potatur aliqualiter, & consolatur quandoque? Respondetur quod sic, nisi per pœnam sensus, vel damni vel utriusque impediatur. Nam anima in imagine pertransit a corpore, ut dicit Psal. sed tamen desiderium ejus corporis manet. Imago autem consistit in memoria, intellectu. & voluntate, secundum quas potentias est capax sanctæ Trinitatis, ut dicit August. de Trinitate, & per has anima exercet vitam contemplativam, quæ est optima pars Mariæ, quæ non auferetur ab ea, ut dicit Dominus. Ubi dicit Glossa: Vita contemplativa hic incipit, & in cælesti patria perficitur: quia amor est ignis qui ardere incipit hic, sed cum ipse quem amat videbit, amplius in amore ignescet. Tanto igitur anima a carne separata, vitam contemplativam perfectius exercet, quanto a corpore gravante absolvitur, & dilectum suum vehementius amat, quia sicut dicit Bern. in libro de diligendo Deo, ut supra dictum est: Animæ quæ sunt absolutæ a compedibus corporis, eo similiter chariores, quo ad amandum sunt expeditiores, & ideo vinum amoris divini plenius haurire permittuntur, non tamen purum, sed adhuc lacte mixtum. Et Avicenna 6. naturalium dicit, quod anima separata clarius videt, & intelligit, quam conjuncta corpori corruptibili. Vita autem contemplativa dulcissimas consolationes animæ contemplativæ administrat, ut supra dictum est. Igitur absolutio animæ a corpore gravante, non est formidanda, sed desideranda. Hanc enim absolutionem a corpore, & desiderabat Apostolus

Ps. 38

Aug. l. 14 de Tri. c. 8 t. 3

Luc. 10

Bern. l. de dil. Deo . . . post med.

Phil. 1

Rom 7

A cum dixit: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, & alibi: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, quo premor? Et movebatur desiderio bono, & rationabili. Quia sicut dicit Bernardus in quadam epistola: Pretiosa est mors sanctorum, pretiosa plane tamquam finis laboris, tamquam victoriæ consummatio, tamquam vitæ janua, & perfectæ saturitatis ingressus. Et quidam sanctus dicit: Mors nihil aliud est quam exitus de carcere, finis exilii, laboris consummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris gravissimi, id est, corporis depositio, de furioso equo, id est carne descen-

B sio, de domo ruinosa liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio, omnium vinculorum diruptio, debiti naturæ solutio, reditus in patriam, ingressus in gloriam. Certe evasio tantorum malorum, & adeptio tantorum bonorum, faciunt animæ bonum convivium, ut dicere possit illud Sapientiæ: Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, scilicet morte bona. Beati enim mortui qui in Domino moriuntur. Et si tales animæ amatrices, sive contemplatrices, separatæ a corporibus suis aliquid secum deferant, quare indigent purgatione: credibile est,

C quod tales facilius purgantur, & levius patiuntur, & quandoque minime pœna sensus. Cujus ratio est, quia amor pœnas alleviat, & quandoque totaliter annihilat. Unde Augustinus de morib. Ecclesiæ contra Manichæos dicit: Nihil tam durum, atque tam ferreum, quod non amoris igne vincatur. Et exemplificat in libro de sancta viduitate, ubi dicit sic: Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, & piscantium, & cæterorum talium. In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Hæc ille. Item hoc patet exemplo multorum martyrum, qui desiderabant pati pro Christo, & in ipsis passionibus gaudebant, ut Apo-

Est apud Bern. ser. in transitu Malachiæ episcopi. circa medi.

Sap. 7

Aug. l. 1 de Mor. Eccl. c. 22 t. 1

Idem l. de bo. viduitatis, c. 21 t. 4

Act. 5 stoli. Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et B. Andreas vehementer desiderabat crucem, & sustinuit gaudenter. Et virgines, ut S. Agatha dixit Quinctiano: Ego in his poenis delector, sicut qui multos thesauros invenit, & cet. Unde Bernardus in libro de diligendo Deo dicit: *Ber. l. de dilig. Deo longe post med.* Magna vis amoris, quae martyrum animas ita introrsum rapuerat, quod ita corpora sua foris exposuerant, & tormenta contemnere fecerat. Si igitur in corpore aggravante charitas potuit mitigare poenas, cur non in spiritu a nullo corpore impedita magis tamquam efficacior potuit poenas mitigare suo fervore, sicut & suffragia Ecclesiae faciunt? Credibile est enim quod sicut animae quae fuerunt in limbo, aliquas consolationes receperunt ab his, quae de novo venerant ad eas, ut angeli vel animae aliquae, ut Joannes Baptista, &c. dicentes eis de adventu Salvatoris. Sic credibile est, quod angeli visitent animas in purgatorio sibi commissas, & consolentur eas, dicentes eis terminum purgationis suae, & alia eis consolatoria: sicut haberi potest exemplis sanctorum, quae possunt sancti Doctores in libris suis, ut Gregorius in Dialogis, ubi exemplificat de illo, qui servivit in balneis sacerdoti, & de quodam alio qui dixit: Bene est mihi modo, &c. *Greg. l. 4 Dial. c. 55* & August. de Civitate Dei, & Beda in historia Anglorum, & Isidorus, & ceteri Doctores de hoc loquentes.

CAPUT IX.

De tertio convivio sapientiae, quod est regnantium.

POst hoc videndum est de tertio convivio sapientiae quod est regnantium, secundum ordinem quem tradit Bernardus de diligendo Deo, *Ber. l. de dili. Deo longe post med.* quod sequitur convivia laborantium, & quiescentium, tamquam excellentius ad quod sapientia in- *Luc. 22* carnata suos charissimos invitat, dicens: Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. Hic tria sunt notanda. Primo quis hujus convivii regalis, & mensae regiae sit rex & paterfamilias, hic est Christus filius Dei. Secundo quae familia Dei & convivantes ad istud regale convivium, & regiam mensam invitantur, quia angeli & homines. Tertio de hujus convivii, & convivantium gloria, & beatitudine dicetur.

Primo quis hujus convivii regalis, & mensae sit rex, & paterfamilias. Sed quis alius, quam ille qui dicit: Ego sum rex, cui pater constituit regnum aeternum? *Apoc. 19* Et in cujus femore scriptum est: Rex regnum & Dominus dominantium: *& 1. Tim. 6* Rex regum, quia vos constituo reges tamquam filios adoptivos, qui sum filius Patri consubstantialis. Et constituo vos dominos non servos, sed amicos, *Joan. 15.* ut supra mensam meam edatis, & bibatis in regno meo, cujus regni non erit finis, ut ubi ego sum, & vos sitis in aeternum. De isto rege August. loquens de Civitate Dei dicit sic: *Aug. l. 22 de Civ. Dei c. 30 ante med. t. 5* Ero illorum Deus, & ipsi mihi erunt populus, & ero illis unde satientur, & ego ero illis quaecumque ab hominibus honeste desiderantur, & vita, & salus, & virtus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omne bonum. *Sequitur*: Et sic recte intelligitur, quod ait Apost. ut sit Deus omnia in omnibus. *1 Cor. 15.* Ipse enim est finis nostrorum desideriorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. *Sequitur*; Hoc munus, hic affectus, hic actus procuidubio erit omnibus sicut vita aeterna communis. Haec ille. Visio illius regis facit esse beatum. Unde Bern. in epistola quadam dicit: *Bern. epist. 114 stati in prin.* Solum verum, & plenum gaudium est, quod non de creatura, sed de creatore concipitur: quod cum possederis, nemo tollet a te. Cui comparata omnis aliunde jucunditas moeror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce ama-

amarum, omne decorum fœdum, A omne postremo quodcumque aliud delectare possit, molestum est. Quare Chrysostomus de reparatione lapsi, hoc modo exclamat dicens: O si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si & ipsam gehennam parvo tempore tolerare, pro eo quod Christum possemus videre in gloria venientem, & sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne, quod triste est modo, ut tanti boni, tantæque gloriæ participes haberemur? Clamemus igitur cum Apostolo: Regi sæculorum immortali, invisibili, soli Deo, &c.

Chrys. ep. 5 ad Theod. lapsum t. 5

1 Tim. 1

Caput X.

Quæ familia, & convivantes ad regnantium convivium invitentur, vel sint jam invitati.

Qui sunt invitati ad convivium beatificum.

POst hoc secundo videndum est, quæ familia & convivantes ad istud regale convivium invitentur, vel sunt invitati jam. De quo sciendum est, quod non solum homines, sed angeli ad istud gloriosum convivium regni æterni invitantur. Unde Chrysostomus de reparatione lapsi dicit sic: Intuere cœtum non solum ex hominibus sed etiam ex angelis, thronis, & dominationibus principatibus & potestatibus convocatum. *Sequitur*: De rege autem qui horum medius residet, dicere nulla vox sufficit. Effugit enim omnem sensum humanæ mentis: excedit etiam decus illud, & illa pulchritudo, & illa gloria, & illa magnificentia, & illa majestas omnem sensum humanum. Cum his concordat Prosper de vita contemplativa, dicens: Futura vita, ubi ipsa sanctitas quæ est angelorum, & sanctorum omnium congregatione beata, meritis fulgentibus micat, æterna salus exuberat, veritas regnat: ubi nec fallit quisquam, nec fallitur, ubi nullus beatus ejicitur, ubi nullus miser admittitur, ubi est amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & unus omnium spiritus. Hæc ille. De hoc etiam Gregorius in homilia: Si consideremus, quæ & quanta nobis promittuntur in cælis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris. De hac etiam societate dicit Cyprian. in una Epistola sic: Cur non properamus, & currimus, ut patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Magnus illic charorum numerus nos expectat, & parentum, & fratrum, filiorum, & aliorum adventum copiosa turba desiderat, jam de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis erit lætitia? Hæc ille. Est B tamen sciendum, quod sicut hic est distinctio meritorum, ita illic erit distinctio dignitatum. Unde Greg. in Moral. dicit sic: Sicut in electis in hac vita est discretio operum ita quoque in alia vita proculdubio discretio erit dignitatum, ut quo hic alius alium superat, illic alius alium in retributione meritorum excedat, ut dignitas eadem non sit, una tamen omnibus vita beatitudinis erit. Et in Dialogis exponens illud Joannis, in domo Patris mei mansiones multæ sunt, dicit sic: Si dispar retributio in illa beatitudine non esset, una potius mansio, quam multæ essent. *Sequitur*: Multæ ergo mansiones sunt in qui- C bus & distincti beatorum ordines, propter meritorum consortium communiter lætentur, & tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt, qui in multis mansionibus distinguuntur, quia & una est beatitudo, quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, quam per opera diversa consequuntur. Hæc ille. Et ideo sicut differt stella a stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum, ut dicit Paulus. De multitudine istius familiæ cælestis convivii quanta sit, nemo scit sive angelorum, sive hominum, nisi solus Deus. Unde Joannes loquens de angelorum multitudine dicit: quod erant millia millium in circuitu throni, ubi dicit Haymo, quod non posuit nume-

Chrys. epist. ad Theod. 1 lapsum circ. med. t. 5

Prosper. l. 1 de vita cont. c. 2

Greg. hom. 16 in Evan. in prin.

Greg. l. 4 Mor. c. 18 ante med.

Idem l. 4 Dial. c. 35 cir. fin.

Joan. 14

1 Cor. 15

Apoc. 5

me-

merum certum cum dicit, Millia A millium: quia numerus angelorum nobis est innumerabilis, quamvis Deo sit numerabilis. Et in Job dicitur: Numquid est numerus militum ejus: Quod exponens Gregorius in Moral. dicit, quod angeli sunt milites Dei, & quod numerus eorum Deo est numerabilis, nobis autem innumerabilis demonstratur. Et idem dicit Dionisius & in Daniele dicitur: Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Et similiter familia beatorum hominum innumerabilis nobis est. Unde in Apoc. ait Joan. post enumerationem multorum. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, id est nullus homo ait Glosa. Deus enim B numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, secundum Psalmistam. Tota ista familia tam angelorum quam hominum, laudat Deum sine intermissione. Unde Hugo super Angelicam Hierarchiam dicit sic: Omnes Hierarchiæ tam angelorum, quam hominum, tam supernorum, quam inferiorum, ad laudem divinam ordinatæ sunt, & institutæ, ut ab omnibus laudetur Deus: a quo, & per quem sunt omnes, & omnibus omnia. *Et sequitur*: Qui excellentiores sunt, amplius laudant, & qui amplius laudant, sublimius remunerabuntur, ut qui sunt sublimiores in cognitione & ferventiores in C amore. Hæc ille. Sed sicut dicit Dionysius de divinis nominibus, Nullus veritatis amator, quæ est super omnem virtutem, adeo efficax est, ut possit laudare supersubstantialem divinitatem, secundum æternam & super bonam essentiam suam, quibuscumque vocabulis intelligibilibus sive ut rationem, sive ut veritatem, aut mentem, aut vitam, aut substantiam, aut alio vocabulo quantocumque sublimi: sed oportet laudare eam, sicut excellentem, & segregatam ab omni eo quod mente concipitur, & generaliter ab omnibus existentibus. *Sequitur*: Ne tamen ab ejus laude cessetur, cum ipsa sit essentia ipsius bonitatis, & sic causa omnium existentium, ideo ex omnibus affectibus laudabilis est, sicut docet Scriptura. Hæc ille.

Job 25
Greg. l. 17 Mor. c. 9
Dion. 14 Ang. Hie.
Dan. 7
Apoc. 7
Hug. super 2 Ang. Hie.
Dion. de div. nom. c. 1

Caput XL.

De tertii convivii, & convivantium beatitudine juxta numerum septem donorum, septem quoque animadversione digna notantur.

TErtio videndum est de hujus convivii & convivantium beatitudine, de quo sunt septem notanda, juxta numerum septem donorum prædictorum, quæ secundum usus & actus suos excellentissimos in hoc convivio ministrant deiformiter, quia non evacuabuntur secundum actus illos, sed manebunt in patria in beatis, ut probat Magister sententiarum per auctoritatem Ambrosii, & communiter tenetur. Primo dicendum est de hujus convivii gloria. Secundo de hujus convivii excellentia, & dignitate, & æternitate. Tertio de hujus convivii abundantia, & ubertate. Quarto de hujus convivii lege, & charitate. Quinto de hujus convivii gaudio, & jucunditate. Sexto de istius convivii mensa, & perfecta saturitate. Septimo de ejusdem convivii beata & sobria ebrietate.

Mag. l. 3 Sent. d. 34 in prin. ex Amb. l. 1 de Spir. sancto c. 20 t. 4

Primo igitur de hujus convivii æternitate sciendum est, quod necesse est, ipsum esse æternum. Cujus ratio est, quia ipsum convivium celebratur in regno æterno Christi, & in mensa æterna ejus, quare ipse rex æternus regni æterni dicit: Ego dispono vobis regnum, ut edatis super mensam meam in regno meo, cujus regni non erit finis. De hujus regni, & convivii æternitate dicit Augustinus. O vita vitalis, dulcis, & amabilis, & semper memorialis, ubi summa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda fœlicitas, fœ-

Beatitudo est æterna.
Luc. 22

fœlix æternitas, æterna beatitudo, & beata vita sine fine, & visio atque laudatio Dei. Ibi affluentia divitiarum, influentia deliciarum, confluentia bonorum. Et Anselmus dicit sic: In illo scilicet convivio cælesti est longa & salubris vita. Ibi enim est sana æternitas, quia æterna sanitas, quia justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, scilicet vita æterna.

Ansel. l. proslogion c. 25

Sap. 5

Secundo videndum est de istius convivii excellentia & dignitate. De hac dignitate dicit Bernardus. Merces sanctorum & gaudia, in illo regno & æterno convivio tam magna sunt, quod non possunt mensurari, tam multa sunt, quod non possunt numerari, tam copiosa sunt, quod non possunt finiri, tam pretiosa sunt, quod non possunt æstimari: immo tam excellentia sunt, quæ præpaavit Deus in isto convivio diligentibus se, quod ipse Dominus convivii dicit, quod talia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Unde, nec omnes Arithmetici mundi possent ea numerare, nec omnes Geometrici possent ea mensurare, nec omnes Rethorici possent ea verbis, vel sermonibus explicare, cum nec plene possint excogitari.

Excellentia beatitudinis.

1 Cor. 2

Tertio videndum est de hujus regni & convivii abundantia, & ubertate, de quibus Bernardus dicit: In illo regno, & convivio meridiano erit candor lucis æstivalis, amœnitas vernalis, abundantia autumnalis, requies hiemalis, immo Deus bonum infinitum communicat se omnibus incolis illius regni, & convivis illius mensæ, quantum quilibet capax est, unde ipse implebit sensus interiores maximis delectationibus. Erit enim Deus speculum visui, cithara auditui, mel gustui, balsamum olfactui, flos delectabilis tactui. Ibi sicut dicit Augustinus. Laudes & carmina non deerunt, præmia non deficient. Ibi nihil quod amabitur, deerit, nihil desiderabitur quod non adsit. Ibi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

Ber. ser. 333 super Can.
Ubertas beatitudinis.

Aug. l. 22 de Civ. Dei. c. 30 t. 5

A Quarto de hujus regni convivii lege & charitate, vel societate, Anselmus dicit sic: Existentes in regno illo & convivio, diligunt Deum plusquam seipsos, & invicem tamquam seipsos, & Deus diligit illos plus quam illi seipsos, quia illi illum, & se, & invicem per illum, & ille se, & illos per seipsum. Quare omnibus erit una voluntas, quasi nulla esset illis nisi Dei voluntas, ideo erit omnibus plena concordia. Et ideo sicut illi nolunt aliud, quam quod ille, ita ille volet quidquid volunt illi, & ideo filii Dei, & dii vocabuntur, & constituet eos Deus super omnia bona sua. Ibi est quidquid desideramus, & quidquid amamus. Hæc ille.

Ansel. l. proslog. c. 24

Mutua dilectio beatorum.

B Quare Augustinus libro de corporis, & animæ miseria exclamat, dicens: O anima mea & caro mea, illam vitam amplecti debuistis, ubi vita est sine morte, ubi juventus sine senectute, ubi lux sine tenebris, ubi gaudium sine tristitia, ubi pax sine discordia, ubi voluntas sine injuria, ubi regnum sine commutatione. Hæc ille. De hac lege Augustinus de spiritu & anima dicit: Lex Dei charitas est. Lex data est ut gratia quæratur, gratia data est, ut lex impleretur. Hæc ille.

Quinto de hujus regni, & convivii gaudiosa jucunditate. De hoc

C gaudio Anselmus, ubi supra loquens dicit sic: Gaudium illud, quale aut quantum est bonum? Certe quantum utique quisque diligit alium, tantum de eo gaudebit. *Sequitur:* Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum spirituum seu angelorum & hominum, ubi nullus minus diligit alium quam seipsum non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro seipso. Et infra dicit: In illa perfecta fœlicitate, unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quam seipsum, & omnes alios secum, ideo & plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei, quam de sua & omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligunt toto corde, tota mente, & tota anima,

Gaudium Beatorum. *Ans. in Proslog. c. 22*

ut tamen totum cor, tota mens & tota anima non sufficiant dignitati dilectionis, profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiant plenitudini gaudii. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes. *Sequitur:* Deus verax, peto & accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini, qui est trinus & unus Deus benedictus in sæcula. Amen. Hæc ille.

Ibid.c.16 cir. fin.

Sexto de hujus convivii mensa & satietate beata. Cum Dominus dicat: Super mensam meam comedetis, & bibetis in regno meo, ideo illud convivium tantum regnantibus & charissimis præparatum est. De quo notandum est, quod Beda ibidem in Glossa dicit sic: Mensa proposita omnibus sanctis ad fruendum, est gloria cælestis vitæ, qua qui esuriunt & sitiunt iustitiam, saturabuntur fruendo desiderato gaudio veri boni. Verum autem bonum solum est in quo ratio omnis boni est, quod solus Deus est, qui essentialiter bonus est. Et ideo in illo solo perfecta satietas est. De hac mensa beata & satietate, Hugo commentator Dionysii loquens in Angelica Hierarchia, parum ante finem, & exponens illud, divisio alimento repleta, dicit: Una est refectio, & unum alimentum. Ergo inquit Hugo, in mensa Domini non est nisi unum ferculum, quod apponitur. Sed noli contemnere, satietas multa est. Satiabor, inquit psalmista, cum apparuerit gloria tua. Unum est enim bonum quod tibi præparavit Deus, sed in illo bono omne bonum est. Unam enim refectionem, unum cibum, unum ferculum, unum panem habentem omnem saporem, & omnem dulcedinem suavitatis, præparavit nobis Deus. Igitur unum est necessarium, quod vere reficit. Quod ibidem sic probat, dicens: Multa in hoc mundo sunt, & illa omnia cor hominis satiare non possunt, ut experientia docet. Unum autem est bonum, & hoc solum cum percipitur, satietas invenitur. Non enim in multitudine, sed in unitate satietas est. Idem Verbum Augustinis de verbis Domini tractans dicit: Multa sunt diversa, quia corporalia, quia temporalia sunt, præponitur autem unum multis. Non enim a multis unum, sed multa ab uno sunt. Multa distrahunt, ut Martham, sed unum colligit, ut Mariam, quæ non dilexit multa, sed multum. Et Richardus in tractatu suo de amore violento dicit: Unum solum est, in quo mens humana quiescit, & reficitur, & satiatur. Quod declarat sic: Perfectus amor omnem alium affectum excludit, quia nihil præter unum diligit, & propter unum. Ideo unum amat, unum diligit, & unum sitit, unum concupiscit, ad unum anhelat, unum suspirat, uno inardescit, & in uno requiescit: illo uno satiatur, quia nihil sapit nisi hoc uno condiatur. Hæc ille. De istius convivii satietate Bernardus admirando exclamat, dicens sic: O felix vere & gloriosa satietas. O sanctum convivium. O desiderabiles epulæ: ubi nimirum nulla anxietas, nullum poterit esse fastidium, sed satietas summa, & cum hoc summum desiderium. Et idem dicit: Festinemus igitur ad locum tutiorem, ad agrum uberiorem, ad pastum saniorem, ubi habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. Hæc ille.

Luc. 22

Hug.in 7 c. Ang.Hie. parum ante fin.

Ps. 16

Aug. de verb.Dom. ser. 26 & 27 t. 10 Luc. 10

Rich.tract. de 4 grad. Viol.chari. ante med.

Ber.ser.1 de omnib. sanctis post med.

Idem ser. 33 in Cant. ante med.

Septimo & ultimo, quia Dominus non dixit solum, ut super mensam meam edatis, sed addidit, & bibatis. Ideo bibendum est, de huius mensæ vino dulcissimo potante, & sobrie inebriante, quod est vinum purissimæ, & perfectæ charitatis, quod tantum regnantibus & charissimis propinatur, in regno & mensa Christi. De hoc vino immixto purissimæ charitatis, dicit Bernardus in libro, de diligendo Deo, pa-

Luc. 22 Vinum beatorum est perfecta charitas.

Ber.l.de dil. Deo post med.

parum post medium sic: Cum Scriptura loquatur Deum omnia fecisse propter semetipsum erit profecto ut factura sese quandoque conformet & concordet auctori suo, & oportet proinde nos in eumdem affectum transire charitatis quandoque ut quomodo Deus omnia esse voluit propter semetipsum, sic nos quoque nec nosipsos, nec aliquid fuisse vel esse velimus nisi æque propter ipsum, ob solam ipsius voluntatem, non nostram voluptatem. *Sequitur*: Delectabit sane non tam nostra, vel sopita necessitas, vel sortita felicitas, quam quod ejus in nobis & de nobis voluntas, adimpleta videbitur, quod & quotidie in oratione postulamus. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra, &c. Illa igitur est vera & sincera charitas, & omnino de corde puro, & de conscientia bona, & fide non ficta, qua Deum sic diligimus, qua & proximi bonum, ut nostrum diligimus. Et ibidem Bernardus, hanc charitatem commendando exclamat, dicens: O amor sanctus & castus. O dulcis & suavis affectio charitatis. O pura & defæcata intentio voluntatis, eo certe defæcatior & purior, quo in ea de proprio nihil mixtum relinquitur: eo suavior, quo totum divinum est quod sentitur. *Sequitur*: Sic affici, deificari est. Quo modo stilla aquæ modica multo infusa vino puro, a se deficere tota videtur, & saporem vini induit & colorem: & quo modo ferrum candens ignitum simillimum igni fit, pristina propriaque forma exutum: & quo modo solis luce aer perfusus in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo, ut non tam illuminatus quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in sanctis humanam affectionem, quodam ineffabili modo, necesse erit a semetipsa liquefacere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Alioquin quo modo Deus erit omnia in omnibus, si in homine aliquid de homine supererit? *Sequitur*. Manet substantia, sed in alia forma, alia gloria, aliaque potentia. Et quando hoc erit, quando veniam & apparebo ante faciem Domini? *Sequitur*: Donec igitur absorpta sit mors in victoria, & undique noctis terminos lux perennis invadat, & occupet usquequaque quatenus in corporibus cælestis gloria effulgeat non possunt animæ ex toto seipsas exponere, & transire in Deum. Adepto autem corpore, jam quid impedit animam a se ipsa quodam modo abire, & totam in Deum, ire, & eo penitus sibi dissimilem fieri, quo Deo simillimam effici se conatur. Tunc demum ad cœnam sapientiæ admissa est, ad illam videlicet, de qua legitur: Et calix meus inebrians, quam præclarus est. *Et sequitur post multa*: Quid mirum si jam inebriatur ab ubertate domus Dei, cum nulla mordente culpa vel cura, de proprio secura bibit purum, & novum vinum illud cum Christo in domo patris ejus? Redivivis igitur corporibus resumptis, in vita immortali inebriantur, mira plenitudine exuberantes post resurrectionem tamquam charissimi. Et merito inebriantur, qui ad nuptias agni introduci merentur, edentes & bibentes super mensam illius in regno sapientiæ, quando sibi exhibet gloriosam Ecclesiam. Tunc prorsus inebriat charissimos suos, tunc torrente voluptatis suæ potat eos, quando in complexu illo arctissimo sponsi & sponsæ, fluminis impetus lætificat civitatem Dei, ut delectentur in lætitia in æternum. Hæc ille. Tunc sapientia suos charissimos inebriat, & in patria regnare facit, & coronat, dicens illud: Per me reges regnant. Regnantes autem coronas aureas habent in capitibus de quibus in Apocalypsi: Quod exponens Richardus dicit: Coronas habent in capitibus, ob gloriæ decorem, & regni cælestis infinitatem, unde corona illa, de qua dicitur in Apocalypsi, quod habuit duodecim stellas, id est universalem perfectionem. Nam secundum Richardum rotunditas coronæ, significat illius regni æternitatem, & præclaritas stellarum numero duodenario, signat beatorum omnium æterni regni infinitatem. Unde & Bernardus in sermo-

Marginalia: Mat. 6 — 1 Tim. 1 — Ber. Ibidem conseq. ubi sup. proxi. — 1 Corint. 15 — Ps. 41 — 1 Corint. 15 — Ps. 22 — Ps. 45 — Prov. 8 — Apoc. 4 — Rich. 1. 2 in Apoc. c. 1 — Apoc. 12

mone dicit, quod illæ stellæ duodecim, designant plenam perfectionem, quæ beatis in patria debetur. Prima enim stella, inquit Bernardus est memoria sine oblivione. Secunda stella, est ratio sine omni errore. Tertia stella est voluntas sine omni perturbatione. Quarta est impossibilitas moriendi, quia resurget corpus incorruptibile. Quinta est charitas, quia configuramur claritati Christi corporaliter. Sexta est agilitas, ut corpus sit agile secundum agilitatem mentis. Septima est subtilitas, ut corpus nostrum penetret omnia corpora. Octava est, ut quilibet diligat alium sicut seipsum. Nona est, videre quod proximus quilibet diligit ipsum sicut seipsum. Decima est Deum perfecte diligere, & plus quam seipsum. Undecima, est diligere seipsum tantummodo propter Deum. Duodecima est videre Deum diligere se, diligentem plus quam ille homo diligat seipsum. Hæc ille. Omnium autem horum bonorum mater est sapientia, ut dicit Sapiens. *Sap. 7* De hujus sapientiæ increatæ, & incarnatæ mensa, dicit Richardus de sancto Victore: O qualis refectio, ubi dapifer Christus, pincerna Spiritus sanctus. Et certe pater hospes largissimus, Christus ministrat cibum, dum semetipso convivantes reficit & satiat, ut patet in Joanne. *Joan. 6* Spiritus sanctus vero potum propinat, dum suis donis convivantes potat & inebriat, ut patet in Actis. *Act. 2* Pater vero, in utroque seipsum liberalissime exhibet, & communicat in filio, ad cognoscendum & habendum, sicut dicit Jesus Philippo. *Jo. 14* In Spiritu sancto autem ad amplexandum, & degustandum appropriate loquendo, ut patet per Richar. *Rich. l. 4 de cont. c. 14 & l. 5 c. 12* de hac mensa amorosæ sapientiæ exponens illud quod legitur Regum tertio, *3 Reg. 10* ubi dicitur: Regina Saba videns omnem sapientiam Salomonis, & domum quam ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum & ordines ministrantium, vestesque eorum, pincernasque & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiri-

A tum, dicit Richardus Regina Austri, illius calidæ regionis inhabitatrix, succensa quæ alia intelligi potest, quam illa sancta anima & beata, quæ regnum suum in pace possidet, & verum Salomonem contemplatur? Unde Gregorius in Moralibus dicit: *Greg. l. 11 Mor. c. 8* Testimonio sacræ Scripturæ, reges vocantur, qui prælati sunt cunctis motibus carnis. Et sicut dicit Isidorus de summo bono: *Isidor. de sum. bo. l. 3 c. 48 Sent. 7* Reges, a recte regendo vocati sunt, ideo recte agendo, regis nomen obtinent. Omnes igitur reges & reginæ, sunt in illa regia mensa rectitudinis convivantes, qui veterem hominem exuentes, *Ephes. 4* & novum hominem induentes, qui secundum

B Deum creatus est deiformes efficiuntur, ut dii secundum Psalmistam appellentur. *Ps. 81 Linc super 3 Ang. Hier.* Deiformitas enim, ut dicit Linconiensis, est renovatio spiritus rationalis, & conformitas ipsius ad Deum, prout possibile est. Hi sunt reges & reginæ Dei, deiformes effecti, & dii appellati, videntes in mensa sapientiam nostri regis veri Salomonis, cujus sapientiæ non est numerus, secundum Psalmistam. *Ps. 146* Videntes etiam domum quam ædificavit, id est, naturam assumptam, quam septem columnis, id est, septem donis munivit, & adornavit: In qua sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi. *Coloss. 2* Videntes & cibos mensæ ejus, qui

C sunt quasi infiniti, cum unum tantum sit ferculum, scilicet omne datum optimum, in quo est ratio omnis boni, scilicet in quo & ex quo est omne donum, ut dictum est. Videntes etiam habitacula servorum, id est, numerum, & distinctionem cælicarum mansionum, *Jac. 1* quæ multæ sunt, & quasi infinitæ in domo Patris, ut dicit Dominus. *Jo. 14* Videntes etiam ordines ministrantium, & assistentium angelorum, qui innumerabiles sunt, ut dictum est supra. Videntes etiam pincernas, & gradus eorum, id est haurientes de occulto divinitatis lumina gaudiosa, & mentes suscipientium inebriantia, quia superiores hausta communicant inferioribus, ut dicit Dionysius. *Dionys. 7 Hier. Ang. Ber. in ser. de sanct. Ang.* Et Bernardus dicit

cit

cit sic: Si Cherubim & Seraphin, immediato haustu de fonte vitæ bibentes, inferioribus ordinibus angelorum effundunt de consiliis laci, qui lætificat civitatem Dei, quanto magis gloriosa theothocos occultis filii in amplexionibus ejus degustata mysteria, & hominibus & angelis copiosius effundis, & propinas? Hæc ille. Videntes septimo & ultimo holocausta sive sacrificia. Holocaustum enim, ut Papias dicit, est sacrificium quod totaliter igne consumitur. Et signat quod omne opus sive corporale, sive spirituale quod offertur Deo, vel offerendum est Deo, igne ardentissimæ sive perfectissimæ charitatis, totaliter consummetur sive perficiatur. Quod perfecte faciunt omnes Cives cælestis patriæ, tam angeli, quam homines, ut in omnibus, & per omnia laudetur & honorificetur Deus, ut sicut dicitur in Tobia per omnes vicos cantetur alleluia. *Tob. 13* De alleluia autem specialis fit mentio, quia sicut dicit Cassiodorus: *Cassiod. super titulum Ps. 149* In hac laude alleluia totus honor est. Quod cum sit in Hebræa lingua reconditum, nullo tamen constat alio sermone translatum. Hoc Græcus, hoc Latinus, Hoc Caldæus, hoc Syrus, hoc Persa, hoc Arabs, hoc tenet cuncta terrarum natio, & quidquid est dedicatum divina dignitate, huius nominis pia devotione & laude veneratur, & in usu habere commonemur. Illis visis & auditis, regina Saba, id est anima beata, ultra non habebat spiritum, scilicet humanum sed divinum, Unde Richardus *Rich. l. 5 de contem. c. 12* exponens illud verbum, dicit sic: Cur non recte dicatur spiritus semetipsum non habere, quando incipit a semetipso omnino deficere, & a suo esse, in supermundanum quemdam, & vere plus quam humanum statum transire, & mirabili transfiguratione spiritus ille, ab humano videtur in divinum deficere, ita ut ipse iam non ipse, eo dumtaxat tempore, quo Deo incipit *1 Cor. 6* arctius inhærere: quia qui adhæret Deo unus spiritus est, & psallere potest qui eiusmodi est cum Psal. *Ps. 83* Defecit in salutare tuum anima mea. Hæc ille. Et idem potest dicere quilibet beatus.

Ad istud igitur convivium solemnissimum, & mensam omnium delitiarum plenissimam, oportet ascendere per gradus donorum, & aliorum habituum gratuitorum prædictorum. Quia sicut dicit Gregorius: *Greg. l. 22 Mor. c. 14* Nemo in summa descendens, repente fit summus, quia ad obtinendum perfectionis meritum, oportet ut mens quotidie in altum quasi quibusdam gradibus ascensionis perveniat. Unde Psal. bene dicit: Ibunt *Ps. 83* de virtute in virtutem, donec videatur Deus deorum in Sion. Quare Augustin. *Aug. l. 2 de Doct. Chr. c. 7 & 8 Job. 2* dona septem Spiritus sancti, vocat quosdam gradus ascensionis, dicens: Primo ante omnia B opus est donum timoris, quod est infimum donum, conferens ad cognoscendam Dei voluntatem, quid nobis appetendum vel fugiendum præcipiatur, & quo quasi clavatis calcibus, omnis superbiæ modus ligno crucis affigat. Deinde opus est secundus gradus, ut donum pietatis habeamus, per quod veritas fidei, & scripturæ sanæ exponatur & firmiter teneatur, & si non perfecte intelligatur. Tertius gradus est donum scientiæ, per quod docemur, quod Deus ex toto corde diligatur, & ex tota anima, & ex tota mente, proximum vero, ut nosmetipsos diligamus. Quartus gradus est do- C num fortitudinis, quo esuritur, & sititur justitia, qua a temporalibus receditur, & ad æternam veritatem, & ad æternam trinitatem convertimur, Quintus gradus est donum consilii, quo anima ab omnibus sordibus lavatur, & usque ad inimici dilectionem, jam spe confortata, & viribus integratis pervenitur. Sextus gradus est donum intellectus, quo oculus interior purgatur, & homines mundo moriuntur, & inde Deum contemplantur in ænigmate tamen. Nam intantum Deum vident, inquantum huic sæculo moriuntur. Et licet in hac vita peregrinemur, conversationem tamen habemus in cœlis. Septimus gradus est donum sapientiæ, quod ultimum, & septimum est, quo animus pacatus, & tran-

Eccl. 1 tranquillus Deo sapide perfruitur, quia initium sapientiæ timor Domini est, a quo usque ad ipsam sapientiam per hos gradus tenditur, & pervenitur. In cujus mensa beati perpetuo quiescent, & dulciter reficientur. Quam qui invenit, inve- *Prov. 3* niet vitam; & qui tenuerit eam beatus. Et quia beneficia non plene recompensari possunt sine gratiarum *Sen. de beneficiis l.3.c.1* actione, dicit Seneca, ideo cum toto corde, qui vocati sumus ad cœnam agni, dicamus Deo gratias. Qua sicut dicit Augustinus, & Hie- *Aug. in Ps. 132 c.* ronymus: Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo explicemus, quam Deo gratias? Hinc nec dici brevius, nec audiri lætius nec intelligi gratius nec agi fructuosius, aliquid potest, quam Deo gratias.

S. BO.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM.

DE RESURRECTIONE A PECCATO AD GRATIAM.

Materiam de gratia, quæ celeberrima est in Theologiæ scientia, non minus docte, quam breviter hoc Opusculo S. Bonaventura edisserit. Dividitur autem opusculum in tres partes: In quarum prima divisiones gratiæ juxta quatuor ejus considerationes proponuntur, & singula cujusque divisionis membra explicantur. In secunda vero parte, quæ est de resurrectione hominis a culpa tria scitu dignissima continentur, scilicet hominem neque a culpa resurgere, neque adversarium vincere, neque tentationibus resistere absque gratia posse. In tertia denique parte, quæ est de resurrectione hominis ad gratiam, tria itidem breviter tractantur. Primo an possit homo sufficienter se disponere ad gratiam gratum facientem absque gratia gratis data. Secundo an voluntas possit in aliquod bonum sine gratia. Tertio an sine gratia possit homo mandata Dei adimplere. De hac materia videndus est Auctor multis aliis locis, præsertim vero 2. Sent. dist. 24. 26. 27. & 29. Breviloq. 5. p. per tot. Centiloq. 3. p. sect. 35. & 36. Pharet. lib. 2. cap. 16.

1 Cor. 15 PAULUS Apostolus videtur firmiter asserere, hominem in hoc sæculo non proprie esse absque gratia, cum inquit: Gratia Dei sum, id quod sum. Ideo merito de necessitate gratiæ quantum nobis prodest, dicendum est, & primo de divisione gratiæ, secundo de resurrectione a peccato, & tertio de resurrectione hominis ad gratiam.

Pro divisione gratiæ est notandum, quod gratia est una & eadem, sed secundum diversas considerationes, ipsa

ipsa multas sortitur denominationes. Primo secundum considerationem ad principium a quo. Secundo seundum considerationem ad subjectum in quo. Tertio secundum considerationem ad oppositum suum. Quarto secundum considerationem ad effectus ad quos ordinatur. Unde secundum considerationem ad principium a quo procedit, gratia ipsa dividitur in gratiam prædestinationis, seu præparationis, qua Deus homines prædestinavit: in gratiam vocationis, quam Deus offert vocando: in gratiam justificationis, quam Deus confert: & in gratiam magnificationis, quam Deus complet. Et hæc divisio ponitur in Epistola ad Romanos, ubi dicitur: Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, & sequitur: Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit: hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & magnificavit.

Rom. 8.

Sed secundum consideratio nem vel respectum ad subiectum in quo est, dividitur in gratiam cogitationis, scilicet bonum cogitando: in gratiam voluntatis, in bono volendo: & in gratiam perfectionis, in completione operis. Unde hæc divisio fit secundum triplicem potentiam animæ, in qua est gratia, scilicet secundum intellectivam, affectivam, & operativam.

Secundum vero respectum ad suum oppositum, dividitur in gratiam protectionis, liberationis, & salvationis. Et hæc divisio sumitur, secundum quod gratia adiuvat, contra triplex malum, scilicet contra malum tentationis sive pugnæ, contra malum persecutionis seu miseriæ, & contra malum culpæ, & malum sequelæ vel pœnæ. Nam a primo protegit; a secundo liberat, a tertio extrahit & salvat. Et hæc divisio sumitur ab illo dicto Isaiæ: Protegat Dominus exercituum, Judæam, & Hierusalem, & protegens & liberans, transient & salvans.

Isa. 31

Sed secundum comparationem ad effectum ad quem ordinatur, dividitur in gratiam prævenientem seu A operantem, & in gratiam subsequentem seu cooperantem. Unde gratia præveniens sive operans dicitur, inquantum ipsam voluntatem facit bonam, & ideo prævenit, quia non est a libero arbitrio, sed infunditur ipsa a Deo. Sed gratia cooperans dicitur, inquantum adiuvat ipsam voluntatem, & liberum arbitrium, respectu boni operis eliciendi, & prosequendi.

Sed notandum est, quod secundum multiplicitatem hujus nominis gratia, potest dari alia divisio. Nam gratia potest capi uno modo largissime, & sic comprehendit & dona naturalia & gratuita, & sic dividitur in prævenientem gratiam, & B subsequentem, ita quod præveniens vocatur dona naturalia, & subsequens dona gratuita. Secundo modo accipitur gratia minus large, & sic dividitur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem, & sic dividendo, est divisio in gratiam prævenientem & subsequentem. Tertio modo capitur gratia stricte, & tunc sub se comprehendit, vel dividitur in gratiam gratum facientem & gloriam: & sic dividendo, gratia præveniens dicitur gratia gratum faciens, & gratia subsequens dicitur gloria: quia post gratiam in homine decedente in gratia, sequitur gloria æterna.

Secundo dicendum est de resurre C ctione a culpa vel a peccato, & de hoc tria consideranda sunt. Primo, quod homo non potest resurgere a culpa absque gratia. Secundo, quod non potest adversarium suum vincere absque gratia. Et tertio, quod non potest absque gratia tentationibus resistere. Primo igitur dicendum est quod homo absque divino Dei adiutorio seu gratia, non potest resurgere a peccato vel culpa, & hoc capiendo gratiam pro habitu ipsius animæ, ut scilicet est quædam qualitas spiritualis in anima existens. Nam nec gratia illa quæ dicitur gratuita Dei voluntas, qua nobis Deus condonat offensam, sufficit, nec gratia illa quæ dicitur liberalis passio Christi, qua mediante fit morbi curatio, & imaginis refor-

Homo absque auxilio Dei non potest resurgere a peccato.

ma-

matio: sed requiritur gratia gratum A
Rom. 3 faciens. Et hoc patet per illud Apostoli: Iustificati gratis per gratiam ipsius. Et ante: Ex operibus legis
Tit. 3 non iustificatur omnis caro. Et alibi: Non ex operibus iustitiæ, quas fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis Spiritus sancti, id est, per gratiam, &c. Ideo illi Pelagiani merito sunt censendi hæretici, qui dixerunt, quod ad deletionem culpæ sufficit sola gratuita Dei misericordia cum libero arbitrio, & quod per liberum arbitrium poterat homo se iustificare, & velle bonum.

Secundo dicendum est, quod homo non potest vincere adversarium B absque gratia. Pro cuius declaratione est notandum, quod differt dicere, aliquem resistere adversario, & aliquem vincere adversarium: nam plus importat victoria, quam resistentia. Resistentia enim consistit in hoc, quod quis non consentit suggestioni diabolicæ. Sed victoria, non solum consistit in non consentiendo, sed etiam in assequendo oppositum eius, quod, diabolus intendebat. Nam diabolus intendit hominem reddere inimicum Deo, & facere dignum supplicio æterno. Et tunc vincit homo diabolum, quando sic resistit tentationi, ut efficiatur magis Dei amicus quam ante, & sic faciendo, mereatur vitam æ- C ternam: sed hoc non potest facere absque Dei gratia gratum faciente: igitur concludi potest, quod homo non potest vincere adversarium, faciendo se amicum Dei absque tali gratia. Et hæc conclusio probatur per illud: Deo gratias, qui dedit
1. Cor. 15 nobis victoriam per Iesum Christum
Rom. 7 Dominum. Et alibi: Infœlix homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Et respondet. Gratia Dei per Iesum Christum Dominum no-
Ps. 26 strum. Item super illud Psalmi: Infirmati sunt, & ceciderunt, dicit Glossa: non potentes vitiis resistere per se. Sed quis posset obiicere: diabolus vincit hominem absque gratia, ergo similiter homo potest vincere hominem, vel diabolum absque gratia. Ad hoc facile respondetur, quod hæc similitudo non valet, quia victoria diaboli consistit in subiugando hominem per peccatum, quæ non requirit gratiam: sed victoria hominis respectu peccati diaboli, consistit in promerendo illud, quod diabolus amisit. Item diabolus non vincit hominem nisi volentem, sed diabolus numquam dicitur volens, ergo, &c. Unde notandum, quod hæreticus qui vincitur, seipsum deiicit, & ideo non est ibi victoria, sed magis defectio.

Pro tertio dicendum est, quod absque aliqua gratia non potest homo tentationibus resistere, quod patet per illud: Et ne nos inducas in
tentationem. Unde homo propter Mat. 6
suam infirmitatem non potest resistere. Iuxta illud: Peccatum pecca- Thren. 3
vit Hierusalem, propterea instabi- Ibidem.
lis facta est. Item Glossa super illud: Misericordiæ Domini, &c. dicit: Non potest homo diu stare contra insultus diaboli, nisi misericordia Domini adiuvetur. Nota tamen, quod per gratiam gratis datam potest homo resistere diabolo, & tentationi: ergo potest ei non consentire, sed non potest per talem consensum esse amicus Dei, absque gratia gratum faciente: ergo, &c.

Tertio dicendum est de resurrectione ad gratiam, & primo multa sunt terminanda. Primo quod homo non potest se disponere sufficienter absque gratia gratis data ad gratiam gratum facientem. Secundo qualiter, non potest voluntas absque gratia in aliquod bonum. Tertio, quo modo homo possit mandata sine gratia adimplere. Primo ergo dicendum est de præparatione hominis ad gratiam gratum facientem, an scilicet hoc possit facere absque gratia gratis data. Pro quo advertendum est quod per gratiam gratis datam, non tantum intelligimus il-
la, quæ ab Apostolo enumerantur, 1. Corin. 12
cum dicit: Alii enim datur per spiritum, &c. Sed per gratiam gratis datam intelligimus omne illud, quod superadditum est naturalibus, adiuvans, aliquo modo & præparans voluntatem ad habitum vel usum gratiæ,

tiæ, sive tale gratis datum sit habitus, vel timor servilis, sive aliqua vocatio, sive locutio vel prædicatio, mediante qua, incitatur anima ad se præparandum. Et ideo dicendum est, quod numquam absque tali gratia gratis data, potest se disponere homo ad gratiam gratum facientem, quia vix caret homo tali dono. Unde prima præparatio, quæ fit ad gratiam gratum facientem, est cogitatio, vel apprehensio & illa non potest fieri absque gratia gratis data. Et ratio hujus est, non quia gratia gratum faciens præexigat necessario dispositionem gratiæ gratis datæ: sed quia ipsa est quid divinum & res existens supra liberum arbitrium, & etiam supra naturale iudicium. Ideo numquam liberum arbitrium, vel voluntas libera assurgit ad ipsam vel petendam, vel cognoscendam, nisi aliquo modo adiuvetur desursum & excitetur, & ideo per additionem gratiæ gratis datæ, quæ tenet medium inter gratiam gratum facientem. Unde ordo liberi arbitrii & gratiæ divinæ, ponitur clare ab Augustino in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, & ponit quatuor gradus, cum dicit: Initium salutis nostræ Deo miserante habemus. Ut acquiescamus salutari inspirationi, nostræ potestatis est. Ut adipiscamur, quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris. Ut non labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostræ est, & cælestis pariter adjutorii. Ex quibus verbis potest clare cognosci, quantum potest liberum arbitrium respectu gratiæ. Nam cum sint in opere salutis ista quatuor, scilicet invitari acquiescere, adiuvari, & permanere: primum est inspirationis Dei, secundum libertatis arbitrii, tertium muneris divini, & quartum solicitudinis nostræ, & pariter divini adiutorii. Per hoc patet satis clare solutio quæstionis.

Aug. l. de Eccl. dog. c. 21. t. 3

An possit quis propriis naturæ viribus culpam detestari.

Sed oritur dubium utrum quis possit detestari culpam, virtute propria naturæ. Respondetur, quod detestari culpam, dupliciter potest intelligi. Uno modo, quia talis detestatur in quantum est offensiva majestatis, & æquitatis divinæ, & isto modo nullus potest absque gratia: quia non potest absque gratia gratis data cognoscere ipsam offensam. Alio modo potest detestari, quia est læsiva propriæ naturæ, verbi gratia, quia quis per naturam suam cognoscit, quod per fornicationem perdidit oculum, vel aliud membrum, vel incurrit aliquem alium morbum, & isto modo potest quis per liberum intellectum cognoscere, & detestari culpam propriam.

Voluntas qualiter possit in aliquod bonum.

Secundo autem videndum est, qualiter potest voluntas, in aliquod bonum. Pro quo notandum est, quod aliquod opus potest dici bonum, tripliciter. Uno modo aliquod opus dicitur bonum simpliciter, & illud dicitur quod est ordinatum in finem optimum, & tale est bonum meritorium, & in istud non potest liberum arbitrium absque gratia gratum faciente. Secundo modo aliquod opus dicitur bonum, & alio modo de congruo disponit ad bonum, & tale est bonum, quod fit extra charitatem, nihilominus tamen facit, cum recta intentione, & in tale non potest liberum arbitrium, nisi cum gratia gratis data, per quam illuminatur & dirigitur, ut velit facere, quod Deo est placitum, & hoc patet per illud: Scivi quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det. Tertio aliquod opus dicitur bonum, quia in finem est ordinabile, & habet aliquam ordinationem intra se, sicut pascere esurientem, &c. sive ex debita circumstantia, sive exigentia temporis, loci, &c. & ad istud potest liberum arbitrium absque gratia, quamvis ad hoc quod fiat faciliter, requiratur gratia aliqua divina superaddita naturalibus. Et sic patet responsio, quod liberum arbitrium absque gratia superaddita per dona naturalia, potest in aliquod bonum mortale, licet per illud consequenter non disponatur ad gratiam, nec ad gloriam, & hoc per se, licet quodam modo disponat, quia est ordinabile in ultimum finem. Hoc autem sic suadetur, nam si liberum arbitrium dimitteretur in puris naturalibus, adhuc sibi remaneret aliquod

Sap. 8

quod judicium, quo judicaretur parentes esse honorandos, & hoc patet. Quod si haberet tale naturale judicium, scilicet naturaliter parentes esse honorandos, & talem naturalem instinctum de parentibus venerandis, potest illud velle: & sic cum habeat organa exteriora, potest complere illud opus, secundum quod dictat iudicium rationis, absque munere gratiæ divinæ superaddito. Sed bene verum est, quod non potest illud facere, nec velle absque divinæ gratiæ munere, prout tale cogitatum aut velle est ordinatum ad consequendum beatitudinem. Et sic sunt intelligendæ auctoritates Sanctorum, quæ concludunt, quod absque munere divinæ misericordiæ & gratiæ, B non potest liberum arbitrium in aliquod bonum.

Sed oritur dubium. Nam secundum dona naturalia, natura ipsa appetit suam perfectionem, ergo signum est quod tendit ad acquisitionem gratiæ. Ad hoc dicitur, quod duplex est perfectio, quædam est intra limites naturæ, & istam appetit natura. Alia est, quæ est supra naturam, & de ista non oportet quod appetat, & si appetat, non tamen appetitu perfecto, qui requirit gratiam, sed magis appetitu confuso & imperfecto, qui non est ordinatus debito modo.

Pro tertio, utrum homo possit mandata Dei implere notandum est, quod communiter distinguitur, quia contingit mandata impleri dupliciter. A Uno modo quantum ad genus operis, vel secundum alios, quantum ad substantiam mandatorum. Alio modo quantum ad intentionem præcipientis, & mandantis. Si loquamur primo modo, potest homo absque gratia gratum faciente illa implere, ut patet de mandato adorationis & venerationis Sabbatorum. Sed secundo modo non potest homo implere mandata, absque gratia gratum faciente. Et hoc confirmatur per Apostolum, dicentem: Qui diligit proximum, legem implevit. Et *Rom. 13* iterum: Plenitudo legis dilectio. *Ibidem.* Item alibi: Finis præcepti est charitas de corde puro. *1. Tim. 1*

Sed oritur quæstio, cum ita sit, quod quis potest facere quod in se, est ad impletionem mandatorum, quare ille non absolvatur, quamvis sit in peccato? Ad hoc respondetur, quod facere quod in se est, potest dupliciter intelligi. Uno modo positive, vel proprie, quia scilicet talis facit circumstantias, & tantum facit quantum potest, & isto modo nullus potest facere quod in se est absque gratia gratum faciente. Alio modo potest intelligi privative vel improprie facere quod in se est, hoc est, facit quod potest, sed non quantum potest, nec aliquid ordinatum ad impletionem mandatorum, & isto modo per liberum arbitrium quis potest facere quantum in se est, sed non absolvitur ab observatione mandatorum. Et sic patet responsio ad quæstionem.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM, CUI TITULUS EST.

ITINERARIUM MENTIS IN DEUM.

HOC *opusculum S. Bonaventuræ, Joannes Gerso Cancellarius Parisiensis prima parte opusculorum suorum in epistola de laudibus hujus Sancti Doctoris, tantopere commendat, ut non opusculum sed opus immensum nominet, cujus laus superior est ore mortalium. Præterea idem Gerso parte secunda titulo de libro legis, inter alia S. Bonaventuræ opuscula, quibus & intellectus illuminatur & inflammatur affectus, breviloquium notat, & Itinerarium tanta arte compendii divinitus composita, ut supra ipsa nihil. Sed omisso Breviloquio, mirabile sane est hujus opusculi artificium, in quo nec rerum multitudo, & magnitudo prolixum facit opus; nec operis brevitas multitudinem & magnitudinem rerum premit, quominus copiose tractentur. Nam a creaturis ad creatorem per sex gradus scalares usque ad anagogicos excessus procedens, simulque docens, & movens totius naturalis & supernaturalis doctrinæ documenta non minus breviter complectitur, quam abunde explicat.*

SUMMA CAPITUM HUJUS OPUSCULI.

De gradibus ascensionis in Deum, & de speculatione ipsius per vestigia ejus universo. Cap. I.
De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo. Cap. II.
De speculatione Dei per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam. Cap. III.
De speculatione Dei in sua imagine donis gratuitis reformata. Cap. IV.
De speculatione divinæ unitatis per ejus nomen primarium quod est esse. Cap. V.
De speculatione Beatissimæ Trinitatis in ejus nomine, quod est bonum. Cap. VI.
De excessu mentali, & mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte. Cap. VII.

PRO-

PROLOGUS.

IN Principio primum principium a quo cunctæ illuminationes descendunt tamquam a patre luminum, a quo omne est datum optimum, & omne donum perfectum, Patrem scilicet æternum invoco per Filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, ut intercessione sanctissimæ Virginis Mariæ, genitricis ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi, & Beati Francisci, ducis & patris nostri, det illuminatos oculos mentis nostræ, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis illius, quæ exuperat omnem sensum: quam pacem evangelizavit, & dedit Dominus noster Jesus Christus, cujus prædicationis repetitor fuit pater noster sanctus Franciscus, in omni sua prædicatione pacem in principio & fine annuncians, in omni salutatione pacem optans, in omni contemplatione ad ecstaticam pacem suspirans, tamquam civis illius Hierusalem, de qua dicit ille vir pacis, qui cum his qui oderunt pacem erat pacificus: Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem. Sciebat enim quod thronus Salomonis non erat nisi in pace, cum scriptum sit: In pace factus est locus ejus, & habitatio ejus in Sion. Cum igitur exemplo beatissimi patris nostri Francisci, hanc pacem anhelo spiritu quærere, ego peccator, qui loco illius beatissimi post ejus transitum septimus generali fratrum ministerio, per omnia indignus succedo, contigit, ut nutu divino, anno post ipsius beati patris transitum trigesimotertio ad montem Alvernæ tamquam ad locum quietum, amore quærendi pacem spiritus declinarem, ibique existens dum mente tractarem aliquas mentales ascensiones in Deum, inter alia occurrit illud miraculum, quod in prædicto contigit loco ipsi beato Francisco, de visione videlicet Seraph alati instar crucifixi. In cujus consideratione statim visum est mihi, quod visio illa prætenderet ipsius patris nostri suspensionem in contemplando, & viam, per quam pervenitur ad

Jacob. 1

Ps. 119

Ps. 121

Ps. 75

S. Bon. septimus generalis a B. Francisco.

A eam. Nam per senas alas illas recte intelligi possunt sex illuminationum suspensiones, quibus anima quasi quibusdam gradibus & itineribus disponitur, ut transeat ad pacem, per ecstaticos excessus sapientiæ Christianæ. Via autem non est nisi per ardentissimum amorem crucifixi, qui adeo Paulum ad tertium cœlum raptum transformavit in Christum, ut diceret: Christo confixus sum cruci. Vivo ego, jam non ego; vivit autem in me Christus. Qui etiam adeo mentem Francisci absorbuit, quod mens in carne patuit, dum sacratissima passionis stigmata in corpore suo ante mortem per biennium deportavit. Effigies igitur sex alarum seraphicarum, insinuat sex illu-

2. Cor. 12

Gal. 2

B minationes scalares, quæ a creaturis incipiunt, & perducunt usque ad Deum, ad quem nemo intrat recte nisi per Crucifixum. Nam qui non intrat per ostium in ovile, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Si quis vero per ostium introierit, ingredietur & egredietur, & pascua inveniet. Propter quod dicit Joannes in Apocalypsi: Beati, qui lavant vestimenta sua in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas ingrediantur civitatem. Quasi diceret, quod per contemplationem ingredi non potest Hierusalem supernam, nisi per sanguinem agni intret tamquam per portam.

Joan. 10

Apoc. 22

C Non enim dispositus est aliquo modo ad contemplationes divinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele sit vir desideriorum. Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter, scilicet per clamorem orationis, quæ rugire facit a gemitu cordis; & per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissime & intentissime se convertit. Igitur ad gemitum orationis per Christum crucifixum, per cujus sanguinem purgamur a sordibus vitiorum, primum quidem lectorem invito, ne forte credat, quod sibi sufficiat lectio sine unctione, speculatio sine devotione, investigatio sine admiratione, circumspectio sine exultatione, industria sine pietate, scientia sine charitate, intelligen-

Dan. 9

Heb. 1

ligentia sine humilitate, studium absque divina gratia, speculum absque sapientia divinitus inspirata. Praeventis igitur divina gratia humilibus & piis, compunctis & devotis, unctis oleo divinae laetitiae, & amatoribus divinae sapientiae, & ejus desiderio inflammatis, vacare volentibus ad Deum magnificandum, amandum & etiam degustandum, speculationes subjectas propono, insinuans quod parum aut nihil est speculum exterius propositum, nisi speculum mentis nostrae tersum fuerit & politum. Exerce igitur te homo Dei prius ad stimulum conscientiae remordentem, antequam oculos eleves ad radios sapientiae in ejus speculo relucentes, ne forte ex ipsa speculatione radiorum, in graviorem incidas foveam tenebrarum. Placuit autem distinguere tractatum in septem capitula, praemittendo titulos ad faciliorem intelligentiam dicendorum. Rogo igitur, quod magis pensetur intentia scribentis quam opus; magis dictorum sensus, quam sermo incultus; magis veritas, quam sermonum venustas: magis exercitatio affectus, quam eruditio intellectus. Quod ut fiat, non est harum speculationum progressus perfunctorie transcurrendus; sed morosissime ruminandus.

Caput I.

De gradibus ascensionis in Deum, & de speculatione ipsius per vestigia ejus in universo.

Ps. 83 *Beatitudo quid.*

Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Cum beatitudo nihil aliud sit, quam summi boni fruitio, & summum bonum sit supra nos: nullus potest effici beatus, nisi supra seipsum ascendat, non ascensu corporali, sed ascensu cordiali. Sed supra nos levari non possumus, nisi per virtutem superiorem nos elevantem. Quantumcumque enim gradus interiores disponantur, nihil fit nisi divinum auxilium comitetur. Divinum autem auxilium

A comitatur eos, qui petunt ex corde humiliter & devote, & hoc est ad ipsum suspirare in hac lacrymarum valle, quod fit per ferventem orationem. Oratio igitur, mater & origo est sursum actionis in Deum. Ideo Donysius in libro de mystica Theologia, volens nos instruere ad excessus mentales, primo praemittit orationem. Oremus igitur & dicamus ad Dominum Deum nostrum: Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua. Laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum. In hac oratione orando illuminamur ad cognoscendum divinae ascensionis gradus. Cum enim secundum statum conditionis nostrae ipsa rerum *Dionys. de myst. Theo. c. 1* *Ps. 85*

B universitas sit scala ad ascendendum in Deum, & in rebus quaedam sint vestigium, quaedam imago, quaedam corporalia, quaedam spiritualia, quaedam temporalia, quaedam aeviterna ac per hoc quaedam extra nos, quaedam intra nos; ad hoc quod perveniamus ad primum principium considerandum, quod est spiritualissimum & aeternum, & supra nos, oportet nos transire per vestigium, quod est corporale & temporale & extra nos, & hoc est deduci in via Dei. Oportet etiam nos intrare ad mentem nostram, quae est imago Dei aeviterna, & spiritualis, & intra nos, & hoc est ingredi in veritatem Dei. Oportet etiam nos transcende-

C re ad aeternum spiritualissimum, & supra nos, aspiciendo ad primum principium, & hoc est laetari in Dei notitia & reverentia majestatis. Haec est igitur via trium dierum in solitudine. Haec est triplex illuminatio unius diei, & prima est sicut vespera, secunda sicut mane, tertia sicut meridies. Haec respicit triplicem rerum existentiam, scilicet in materia, in intelligentia, & in arte divina, secundum quam dictum est, fiat, fecit, & factum est. Haec etiam respicit triplicem substantiam in Christo, qui est scala nostra, scilicet corporalem, spiritualem & divinam. *Exod. 3*

Secundum hunc triplicem progressum, mens nostra tres habet aspectus principales. Unus est ad corporalia *Mens nostri vocatur animalitas, spiritus, & mens.*

ralia exteriora, secundum quem vocatur animalitas seu sensualitas. Alius intra se & in se, secundum quem dicitur spiritus. Tertius est supra se, secundum quem dicitur mens. Ex quibus omnibus disponere se debet ad conscendendum in Deum, ut ipsum diligat ex tota mente, ex toto corde, & ex tota anima, in quo consistit perfecta legis observatio, & simul cum hoc sapientia Christiana.

Quoniam autem quilibet prædictorum modorum geminatur, secundum quod contingit considerare Deum ut α, & ω: seu in quantum contingit videre Deum in unoquoque prædictorum modorum, ut per speculum, & ut in speculo, seu quia B unaquæque istarum considerationum habet commisceri alteri sibi conjunctæ, & habet considerari in sua puritate: hinc est, quod necesse est, hos tres gradus principales ascendere ad senarium, ut sicut Deus sex diebus perfecit universum mundum, & in septimo requievit, sic minor mundus sex gradibus illuminationum sibi succedentium ad quietem contemplationis ordinatissime perducatur. In cujus rei figura sex gradibus ascendebatur ad thronum Salomonis. Seraphin, quæ vidit Isaias senas alas habebant. Post sex dies vocavit Deus Moysen de medio caliginis. Et Christus post sex dies ut dicitur in Matthæo, Duxit discipulos in montem, & transfiguratus est ante eos.

3 Reg. 10
Isa. 6
Exod. 24
Matt. 17

Juxta igitur sex gradus ascensionis in Deum, sex sunt gradus potentiarum animæ, per quos ascendimus ab imis ad summa, ab exterioribus ad intima, a temporalibus ad æterna, scilicet sensus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, apex mentis, seu synderesis scintilla. Hos gradus habemus in nobis plantatos per naturam, deformatos per culpam, reformatos per gratiam, purgandos per justitiam, exercendos per scientiam, perficiendos per sapientiam. Secundum etiam primam naturæ institutionem, creatus fuit homo habilis ad contemplationis quietem, & ideo posuit eum Deus in paradiso A deliciarum. Sed avertens se a vero lumine ad commutabile bonum, incurvatus est ipse per culpam propriam, & totum genus suum per originale peccatum; quod dupliciter infecit humanam naturam, scilicet ignorantia mentem, & concupiscentia carnem: ita quod excæcatus homo & incurvatus in tenebris sedet, & cœli lumen non videt, nisi sibi succurrat gratia cum justitia contra concupiscentiam, & scientia cum sapientia contra ignorantiam, quod totum fit per Jesum Christum, qui factus est nobis a Deo sapientia & justitia, & sanctificatio & redemptio. Qui cum sit Dei virtus & sapientia, cum sit verbum incarnatum plenum gratiæ & veritatis, gratiam & veritatem fecit: gratiam, scilicet charitatis infudit, quæ cum sit de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, totam animam rectificat, secundum triplicem ipsius aspectum supradictum. Scientiam veritatis edocuit secundum triplicem modum Theologiæ, scilicet symbolicæ, propriæ, & mysticæ: ut per symbolicam recte utamur sensibilibus, per propriam recte intelligibilibus, per mysticam rapiamur ad supermentales excessus.

Gen. 2

Originale peccatum humanam naturam dupliciter infecit.

1 Cor. 1

1. Tim. 1

Quicumque ergo vult in Deum ascendere, necesse est, ut vitata culpa deformante naturam, naturales potentias supradictas exerceat, C ad gratiam reformantem, & hoc per orationem, ad justitiam purificantem, & hoc in conversatione: ad scientiam illuminantem, & hoc in meditatione: ad sapientiam perficientem, & hoc in contemplatione. Sicut igitur ad sapientiam, nemo venit nisi per gratiam, justitiam & scientiam; sic ad contemplationem nemo venit nisi per meditationem perspicuam, conversationem sanctam, & orationem devotam. Sicut igitur gratia fundamentum est rectitudinis voluntatis, & illustrationis perspicuæ rationis: sic primo orandum est nobis, deinde sancte vivendum, tertio spectaculis veritatis intendendum. & intendendo gradatim ascendendum, quousque veniatur ad montem excelsum, ubi videatur Deus Deorum in Sion. Ps. 83

Violenti ad Deum ascendere quid præstandum.

Quoniam igitur prius est ascendere, quam descendere in scala Jacob, primum gradum Ascensionis collocemus in imo, ponendo totum istum mundum sensibilem nobis tanquam speculum, per quod transeamus ad Deum opificem summum, ut simus veri Hebræi transeuntes de Ægypto ad terram patribus repromissam, simus & Christiani, cum Christo transeuntes ex hoc mundo ad patrem, simus & sapientiæ amatores, quæ vocat & dicit: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit horum creator videri. Relucet autem Creatoris summa potentia, sapientia, & benevolentia in rebus creatis, secundum quod hoc tripliciter nuntiat sensus carnis sensui interiori. Sensus enim carnis aut deservit intellectui rationabiliter investiganti, aut fideliter credenti, aut intellectualiter contemplanti. Contemplans considerat rerum existentiam actualem, credens rerum decursum habitualem, ratiocinans rerum præcellentiam potentialem.

Eccl. 24
Sap. 13

Primo modo aspectus contemplantis res in se ipsis considerans, videt in eis pondus, numerum, & mensuram. Pondus quoad situm ubi inclinantur, numerum quo distinguuntur, & mensuram qua limitantur. Ac per hoc videt in eis modum, speciem, & ordinem, nec non substantiam, virtutem, & operationem: ex quibus consurgere potest sicut ex vestigio, ad intelligendum potentiam, sapientiam & bonitatem Creatoris immensam.

Secundo modo aspectus fidelis considerans hunc mundum, attendit originem, decursum, & terminum. Nam fide credimus, aptata esse sæcula verbo vitæ. Fide credimus trium legum tempora, scilicet naturæ, scripturæ, & gratiæ sibi succedere, & ordinatissime decurrisse. Fide credimus mundum per finale judicium terminandum fore. In primo potentiam, in secundo providentiam, in tertio justitiam summi principii advertentes.

Heb. 11

A Tertio modo aspectus ratiocinantis investigans, videt quædam tantum esse, quædam tantum esse & vivere, quædam vero esse, vivere, & discernere. Et prima quidem esse minora, secunda media, tertia meliora. Videt iterum quædam tantum esse corporalia, quædam partim corporalia, partim spiritualia, ex quo advertit aliqua esse mere spiritualia tanquam utriusque meliora & digniora. Videt nihilominus quædam esse mutabilia & corruptibilia, ut terrestria, quædam mutabilia & incorruptibilia, ut cælestia, ex quo advertit quædam esse immutabilia & incorruptibilia, ut supercælestia. Ex his ergo visibilibus consurgit ad considerandum Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem, utentem, viventem, & intelligentem: mere spiritualem & incorruptibilem & intrasmutabilem. Hæc autem consideratio dilatatur secundum septiformem conditionem creaturarum, quæ est divinæ potentiæ, sapientiæ, & bonitatis, testimonium septiforme: si consideretur cunctarum rerum origo, magnitudo, multitudo, pulchritudo, plenitudo, & operatio, & ordo. Origo namque rerum secundum creationem, distinctionem, & ornatum, quantum ad opera sex dierum, divinam prædicat potentiam, cuncta de nihilo producentem, sapientia cuncta lucide distinguentem, & bonitatem cuncta largiter adornantem. Magnitudo autem rerum secundum molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, secundum excellentiam virtutis longe lateque & profunde se extendentis, sicut patet in diffusione lucis secundum efficaciam operationis intimæ, continuæ, & diffusæ, sicut patet in operatione ignis, manifeste indicat immensitatem potentiæ, sapientiæ, & bonitatis trini Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, præsentiam, & essentiam incircumscriptus existit. Multitudo vero rerum secundum diversitatem generalem, specialem, & individualem, in substantia, in forma seu figura, & efficacia ultra omnem humanam æstimationem, manifeste trium prædi-

cta-

ctarum conditionum in Deo immen- A sitatem insinuat & ostendit. Pulchritudo autem rerum secundum varietatem luminum, figurarum, & colorum, in corporibus simplicibus, mixtis, & etiam complexionatis, sicut in corporibus cælestibus, & mineralibus, sicut lapidibus & metallis, plantis, & animalibus, tria prædicta evidenter proclamat. Plenitudo autem rerum secundum quod materia est plena formis, secundum rationes seminales: forma est plena virtute, secundum activam potentiam: virtus est plena effectibus, secundum efficientiam, idipsum manifeste declarat. Operatio multiplex, secundum quod est naturalis, secundum quod est artificialis, secundum B quod est moralis, sua multiplicissima varietate ostendit immensitatem illius virtutis, artis, & bonitatis, quæ quidem est omnibus causa essendi, ratio intelligendi, & ordo vivendi. Ordo autem secundum rationem durationis, situationis, & influentiæ, scilicet per prius, & posterius, superius, & inferius, nobilius, & ignobilius, in libro creaturæ insinuat manifeste primi principii primitatem quantum ad infinitatem potentiæ. Ordo vero divinarum legum, præceptorum, & judiciorum, in libro scripturæ immensitatem sapientiæ. Ordo autem divinorum sacramentorum, beneficiorum, & retributionum in corpore Ecclesiæ C immensitatem bonitatis, ita quod ipse ordo nos in primum & summum potentissimum, & sapientissimum, & optimum evidentissime manu ducit: Qui igitur tantis rerum creatarum splendoribus non illustratur, cæcus est: qui tantis clamoribus non evigilat, surdus est: qui ex omnibus his effectibus Deum non laudat, mutus est: qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, stultus est.

Aperi ergo oculos, aures spirituales admove, labia tua solve, & cor tuum appone, ut in omnibus creaturis Deum tuum videas, audias, laudes, diligas & colas, magnifices & honores, ne forte contra te universus orbis terrarum consurgat. Nam ob hoc pugnabit orbis terrarum contra insensatos, & e contra sensatis erit materia gloriæ, qui secundum Prophetam possunt dicere: Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua. Ps. 91

CAPUT II.

De speculatione Dei in vestigiis suis in hoc sensibili mundo.

SED quoniam circa speculum sensibilium, non solum contingit contemplari DEUM per ipsa tanquam per vestigia, verum etiam in ipsis in quantum est in eis per essentiam, potentiam, & præsentiam, & hoc considerare est altius quam præcedens, ideo hujusmodi consideratio secundum tenet locum, tamquam secundus contemplationis gradus, quo debemus manu duci, ad contemplandum Deum in cunctis creaturis, quæ ad mentem nostram intrant per corporales sensus.

Notandum igitur, quod iste mundus sensibilis, qui dicitur macrocosmus, id est longus mundus, intrat ad animam nostram, quæ dicitur microcosmus, id est minor mundus, per portas quinque sensuum, secundum ipsorum sensibilium apprehensionem, oblectationem, & dijudicationem. Quod patet sic. Nam in eo quædam sunt generantia, quædam generata, & quædam regentia hæc & illa. Generantia sunt corpora simplicia, scilicet corpora cœlestia, & quatuor elementa. Nam ex elementis per virtutem lucis reconciliantis contrarietatem elementorum in mixtis, habent generari & produci quæcumque generantur, & producuntur per operationem virtutis naturalis. Generata vero, sunt corpora ex elementis composita, sicut mineralia, vegetabilia, sensibilia, & corpora humana. Regentia, hæc & illa, sunt substantiæ spirituales, sive omnino conjunctæ, ut sunt animæ brutales, sive conjunctæ separabiliter, ut

sunt animæ rationales sive omnino separatæ, ut sunt spiritus cælestes, quos Philosophi intelligentias, nos Angelos appellamus. Quibus secundum Philosophos competit movere corpora cœlestia, ac per hoc eis attribuitur administratio universi, suscipiendo a prima causa, scilicet Deo, virtutis influentiam, quam refundunt secundum opus gubernationis, quod respicit rerum consistentiam naturalem. Secundum autem Theologos, attribuitur ejusdem regimen universi, secundum imperium summi Dei, quantum ad opera reparationis, secundum quæ dicuntur administratorii spiritus, missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Heb. 1

Homo minor mundus.

Homo igitur, qui dicitur minor mundus, habet quinque sensus quasi quinque portas, per quas intrat cognitio omnium, quæ sunt in mundo sensibili in animam ipsius. Nam per visum intrant corpora sublimia & luminosa, & cætera colorata: per tactum vero corpora solida & terrestria: per tres vero sensus intermedios, intrant intermedia, ut per gustum aquea, per auditum aerea, per odoratum vaporabilia, quæ aliquid habent de natura humida, aliquid de aerea; aliquid de ignea seu calida, sicut patet in fumo ex aromatibus resoluto. Intrant igitur per has portas tam corpora simplicia, quam etiam composita ex his mixta.

Sensibilia particularia, & communia.

Quia vero sensu percipimus non solum hæc sensibilia particularia, quæ sunt, lux, sonus, odor, sapor, & quatuor primariæ qualitates, quas apprehendit tactus; verum etiam sensibilia communia, quæ sunt, numerus, magnitudo, figura, quies, & motus, & omne quod movetur, ab alio movetur, & quædam seipsis moventur & quiescunt, ut sunt animalia, dum per nos quinque sensus motus corporum apprehendimus, manu ducimur ad cognitionem motorum spiritualium, tamquam per effectum in cognitionem causarum.

Intrat igitur quantum ad tria rerum genera in animam humanam per apprehensionem totus mundus iste sensibilis. Hæc autem sensibilia exteriora sunt, quæ primo ingre-

A diuntur ad animam, per portas quinque sensuum. Intrant, inquam, non per substantias suas, sed per similitudines suas, primo generatas in medio, & de medio in organo exteriori, & de organo exteriori in interiori, & de hoc in potentia apprehensiva, & sic generatio speciei in medio, & de medio, in organo & conversio potentiæ apprehensivæ super illam facit apprehensionem omnium eorum, quæ exterius anima apprehendit.

Delectatio in re conveniente sequitur apprehensionem.

Ad hanc apprehensionem si sit rei convenientis, sequitur oblectatio. Delectatur autem sensus in objecto per similitudinem abstractam percepto vel ratione speciositatis sicut in visu,

B vel ratione suavitatis sicut in odoratu & auditu, vel ratione salubritatis, sicut in gustu & tactu appropriate loquendo. Omnis autem delectatio est ratione proportionalitatis. Sed quoniam species tenet rationem formæ, virtutis, & operationis, secundum quod habet rectum ad principium a quo manat, ad medium ad quod transit, & ad terminum in quem agit: ideo proportionalitas aut attenditur in similitudine, secundum quod tenet rationem speciei seu formæ, & sic dicitur speciositas, quia pulchritudo nihil est aliud quam æqualitas numerosa, seu quidam partium situs cum coloris suavitate. *Pulchritudo quid.* Aut attenditur pro-

C portionalitas inquantum tenet rationem potentiæ seu virtutis, & sic dicitur suavitas, cum virtus agens non improportionaliter excedit recipientem, quia sensus tristatur in extremis, & in mediis delectatur. Aut attenditur proportionalitas in quantum tenet rationem efficaciæ & impressionis, quæ tunc est proportionalis; quando agens imprimendo replet indigentiam patientis, & hoc est salvare & nutrire ipsum, quod maxime apparet in gustu & tactu. Et sic apparet, quomodo per oblectationem delectabilia exteriora, secundum triplicem rationem delectandi, per similitudinem intrant in animam.

Diiudicatio apprehensionem & delectationem sequitur.

Post hanc apprehensionem & delectationem fit diiudicatio, qua non solum diiudicatur utrum hoc sit album

bum vel nigrum, quia hoc solum pertinet ad sensum exteriorem, non solum utrum sit salubre vel nocivum, quia hoc pertinet ad sensum interiorem; verum etiam qua diiudicatur & ratio redditur, quare hoc delectat. Et in hoc actu inquiritur de ratione delectationis, quæ in sensu percipitur ab objecto. Hoc est autem cum quæritur ratio pulchri, suavis, & salubris, & invenitur, quia hæc est proportio æqualitatis. Ratio autem æqualitatis est eadem in magnis & parvis, nec extenditur dimensionibus, nec succedit seu transit cum transeuntibus, nec motibus alteratur. Abstrahit igitur a loco, tempore, & motu, at per hoc est incommutabilis, incircumscriptibilis, interminabilis, & omnino spiritualis. Diiudicatio igitur est actio, quæ speciem sensibilem sensibiliter per sensus acceptam, introire facit, depurando, & abstrahendo in potentiam intellectivam. Et sic totus iste mundus introire habet in animam humanam per portas quinque sensuum, secundum tres operationes prædictas.

Diiudicatio quid.

Hæc autem omnia sunt vestigia, in quibus speculari possumus Deum nostrum. Nam cum species apprehensa sit similitudo in medio genita, & deinde ipsi organo impressa, & per illam impressionem in suum principium, scilicet in objectum cognoscendum deducat, manifeste insinuat, quod illa lux æterna generat ex se similitudinem, seu splendorem coæqualem, consubstantialem & coæternalem. Et quod ille qui est imago & similitudo invisibilis Dei, & splendor gloriæ, & figuræ substantiæ ejus, qui ubique est per primam sui generationem, sicut objectum in toto medio suam generat similitudinem, per gratiam unionis unitur, sicut species corporali organo, individuo rationalis naturæ, ut per illam unionem nos reduceret ad Patrem, sicut ad fontale principium & objectum. Si ergo omnia cognoscibilia habent sui speciem generare, manifeste proclamant, quod in illis tamquam in speculis videri potest æterna genera-

Heb. 1

A tio Verbi, imaginis & Filii, a Deo Patre æternaliter emanantis.

Secundum hunc modum species delectans ut speciosa, suavis, & salubris insinuat, quod in illa prima specie est prima speciositas, suavitas, & salubritas, in qua est summa proportionalitas, & æqualitas ad generantem, in qua est virtus, non per phantasma, sed per veritatem apprehensionis illabens: in qua est impressio salvans, & sufficiens, & omnem apprehendentis indigentiam expellens. Si ergo delectatio est conjunctio convenientis cum conveniente, & solius Dei similitudo tenet rationem summe speciosi, suavis, & salubris, & unitur secundum B veritatem, & secundum intimitatem, & secundum plenitudinem replentem omnem capacitatem: manifeste videri potest, quod in solo Deo est fontalis, & vera delectatio, & quod ad ipsam ex omnibus delectationibus manu ducimur requirendam.

Delectatio vera in solo Deo.

Excellentiori autem modo & immediatiori, diiudicatio ducit nos in æternam veritatem certius speculandam. Si enim diiudicatio habet fieri per rationem abstrahentem a loco, tempore, & mutabilitate, ac per hoc a dimensione, successione, & transmutatione, per rationem immutabilem, & incircumscriptibilem; & interminabilem, nihil autem est C omnino immutabile, incircumscriptibile, & interminabile, nisi quod est æternum, omne autem quod est æternum, est Deus, vel in Deo. Si ergo omnia quæcumque certius diiudicamus, per hujusmodi rationem diiudicamus, patet quod ipse est ratio omnium rerum, & regula infallibilis, & lux veritatis, in qua cuncta relucent infallibiliter, indelebiliter, indubitanter, irrefragabiliter, indiiudicabiliter, incommutabiliter, incoarctabiliter, interminabiliter, indivisibiliter, & intellectualiter, & ideo leges illæ per quas judicamus certitudinaliter de omnibus sensibilibus, in nostram considerationem venientibus, cum sint infallibiles, & indubitabiles intellectui apprehendentis, sint indelebiles

a me-

a memoria recolentis tanquam semper præsentes, sint irrefragabiles & indiiudicabiles intellectui iudicantis, quia, ut dicit Augustinus, nullus de eis judicat, sed per illas necesse est, eas esse incommutabiles, & incorruptibiles tamquam necessarias, incoarctabiles, & tanquam incircumscriptas, & interminabiles, tamquam æternas, ac per hoc indivisibiles, tamquam intellectuales & incorporeas, non factas sed increatas, æternaliter existentes in arte æterna, a qua, per quam, & secundum quam formantur speciosa omnia, vel formosa, & ideo nec certitudinaliter judicari possunt, nisi per illam, quæ non tantum fuit forma cuncta producens, verumetiam cuncta conservans & distinguens, tamquam ens in omnibus formam tenens, & regula dirigens, & per quam diiudicat mens nostra, cuncta, quæ per sensus intrant in ipsam.

Aug. l. de vera relig. c. 31. t. 1.

Hæc autem speculatio dilatatur secundum considerationem septem differentiarum numerorum, quibus quasi septem gradibus conscenditur in Deum, secundum quod ostendit Augustinus in libro de vera Religione, & in sexto musicæ, ubi assignat differentias numerorum gradatim conscendentium ab his sensibilibus, usque ad opificem omnium, ut in omnibus videatur Deus. Dicit enim numeros esse in corporibus, & maxime in sonis & vocibus, & hos vocat sonantes. Numeros ab his abstractos, & in sensibus nostris receptos, & hos vocat occursores. Numeros ab anima procedentes in corpus, sicut patet in gesticulationibus & saltationibus, & hos vocat progressores. Numeros in delectationibus sensuum, & conversione intentionis super speciem receptam, & hos vocat sensuales. Numeros in memoria retentos, & hos vocat memoriales. Numeros etiam per quos de his omnibus judicamus, & hos vocat judiciales, qui, ut dictum est, necessario sunt supra mentem, tamquam infallibiles, & indiiudicabiles. Ab his autem imprimuntur mentibus nostris numeri artificiales, quos tamen inter illos gradus non enumerat Augustinus, quia connexi sunt judicialibus, & ab his manant numeri progressores, ex quibus creantur numerosæ formæ artificiatorum, ut a summis per media ordinatus fiat descensus ad infima. Ad hos etiam gradatim ascendamus a numeris sonantibus, mediantibus occursoribus, sensualibus, & memorialibus.

Cum ergo omnia sint pulchra, & quodam modo delectabilia, & pulchritudo, & delectatio non sint absque proportione, & proportio primo sit in numeris, necesse est omnia esse numerosa, ac per hoc numerus est præcipuum in animo conditoris exemplar, & in rebus præcipuum vestigium ducens in sapientiam. Quod cum sit omnibus evidentissimum, & Deo propinquissimum, propinquissime quasi per septem differentias ducit in Deum, & facit eum cognosci in cunctis corporalibus, & sensibilibus, dumque numerosa apprehendimus, numerosis proportionibus delectamur, & per numerosarum proportionum leges irrefragabiliter judicamus.

Ex his duobus gradibus primis, quibus manuducimur ad speculandum Deum in vestigiis, quasi ad modum duarum alarum descendentium circa pedes, colligere possumus, quod omnes creaturæ istius sensibilis mundi, animum contemplantis & sapientis ducunt in Deum æternum, pro eo quod illius primi principii potentissimi, sapientissimi, optimi, illius æternæ originis, lucis, & plenitudinis, illius, inquam, artis efficientis, exemplantis, & ordinantis, sunt umbræ, resonantiæ, & picturæ, sunt vestigia, simulachra, & spectacula nobis ad contuendum Deum proposita, & signa divinitus data. Quæ, inquam, sunt sicut exemplaria vel potius exempla, proposita mentibus adhuc rudibus & sensibilibus, ut per sensibilia quæ videntur, transferantur ad intelligibilia quæ non videntur, tamquam per signa ad signata. Significant autem hujusmodi creaturæ hujus mundi sensibilis invisibilia Dei, partim quia Deus est omnis creaturæ origo, exemplar, & finis, & omnis effectus est signum cau-

causæ & exemplatum exemplaris, & via finis ad quem ducit: partim ex propria repræsentatione, partim ex prophetica præfiguratione, partim ex Angelica operatione, & partim ex superaddita institutione. Omnis enim creatura ex natura, est illius æternæ sapientiæ quædam effigies, & similitudo: sed specialiter illa, quæ in libro Scripturæ per spiritum prophetiæ assumpta est ad spiritualium præfigurationem. Specialius autem illæ creaturæ, in quarum effigie Deus Angelico ministerio voluit apparere. Specialissime vero ea, quam voluit ad signandum instituere, quæ tenet non solum rationem signi secundum nomen commune, verumetiam Sacramenti. Ex quibus omnibus colligitur, quod invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: ita quod qui nolunt ista advertere, & Deum in his omnibus cognoscere, benedicere, & amare, inexcusabiles sint. dum nolunt transferri de tenebris in admirabile lumen Dei. Deo autem gratias per Jesum Christum Dominum nostrum, qui nos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, dum per hæc lumina exterius data, ad speculum mentis nostræ, in quo relucent divina, disponimur ad reintrandum.

Rom. 1

Caput III.

De speculatione Dei per suam imaginem, naturalibus potentiis insignitam.

Quoniam autem duo gradus prædicti, ducendo nos in Deum per vestigia sua, per quæ in cunctis creaturis relucet, manuduxerunt nos usque ad hoc, ut ad nos reintraremus, in mentem scilicet nostram, in qua divina relucet imago: hinc est, quod jam tertio loco ad nosmetipsos intrantes, & quasi atrium forinsecus relinquentes, in sanctis, scilicet anteriori parte tabernaculi, conari debemus per speculum videre Deum: ubi ad modum candelabri relucet lux veritatis in facie nostræ mentis, in qua scilicet resplendet imago beatissimæ Trinitatis.

A

Intra igitur ad te, & vide quoniam mens tua amat ferventissime semetipsam: nec se posset amare, nisi se nosceret: nec se nosceret, nisi sui meminisset, quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit præsens apud nostram memoriam. Et ex hoc advertis animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes & habitudines, & videre poteris Deum per te tamquam per imaginem, quod est videre per speculum, & in ænigmate. 1 Cor. 13

Memoriæ operatio.

Operatio autem memoriæ est retentio & repræsentatio, non solum præsentium, corporalium, & temporalium, verumetiam succedentium, simplicium, & sempiternalium. Retinet namque memoria præterita per recordationem, præsentia per susceptionem, futura per prævisionem. Retinet etiam simplicia, sicut principalia quantitatum continuarum & discretarum, ut punctum, instans, & unitatem, sine quibus impossibile est meminisse, aut cogitare ea, quæ principiantur per hæc. Retinet nihilominus scientiarum principia & dignitates, ut sempiternalia & sempiternaliter, quia numquam potest sic oblivisci eorum, dummodo ratione utatur, quin ea audita approbet, & eis assentiat, non tamquam de novo percipiat, sed tamquam sibi innata & familiaria recognoscat. Sicut patet si proponatur alicui. De quolibet affirmatio vel negatio: vel, Omne totum est maius sua parte, vel quæcumque alia dignitas cui non est contradicere, admittitur ratione. Ex prima igitur retentione actuali omnium temporalium, præteritorum, scilicet, præsentium, & futurorum, habet effigiem æternitatis, cujus præsens indivisibile ad omnia tempora se extendit. Ex secunda apparet, quod ipsa non solum habet ab exteriori formari per phantasmata, verumetiam a superiori suscipiendo & in se habendo simplices formas, quæ non possunt introire per portas sensuum & sensibilium phantasias.

Ex

Ex tertia habetur, quod ipsa habet lucem incommutabilem sibi præsentem, in qua meminit invariabilium veritatum. Et sic per operationes memoriæ apparet, quod ipsa anima est imago Dei & similitudo adeo sibi præsens & eum habens præsentem, quod eum actu capit, & per potentiam capax eius est, & particeps esse potest.

Intellectus operatio.

Operatio autem virtutis intellectivæ est in perceptione intellectus terminorum, propositionum, & illationum. Capit autem intellectus terminorum significata, cum comprehendit, quid est unumquodque per diffinitionem. Sed diffinitio habet fieri per superiora, & illa per superiora diffiniri habent, usquequo veniatur ad superna & generalissima, quibus ignoratis non possunt intelligi diffinitive inferiora. Nisi igitur cognoscatur quid est ens per se, non potest plene sciri diffinitio alicujus specialis substantiæ. Nec ens per se cognosci potest, nisi cognoscatur cum suis conditionibus quæ sunt unum, verum, bonum. Ens autem cum possit cogitari ut diminutum, & ut completum, ut imperfectum, & ut perfectum, ut ens in potentia, & ut ens in actu, ut ens secundum quid, & ut ens simpliciter, ut ens in parte, & ut ens totaliter, ut ens transiens, & ut ens manens, ut ens per illud, & ut ens per se, ut ens permixtum non enti, & ut ens purum, ut ens dependens, & ut ens absolutum, ut ens posterius, & ut ens prius, ut ens mutabile, & ut ens immutabile, ut ens simplex, & ut ens compositum: cum privationes & defectus nullatenus possint cognosci nisi per positiones, non venit intellectus noster ut plene resolvens intellectum alicuius entium creatorum nisi iuvetur ab intellectu entis purissimi, actualissimi, completissimi, & absoluti: quod est simpliciter & æternum ens, in quo sunt rationes omnium in sua puritate. Quomodo autem sciret intellectus hoc esse ens defectivum & incompletum, si nullam haberet cognitionem entis absque omni defectu? Et sic de aliis conditionibus prælibatis.

Ens multis modis consideratum.

A Intellectum autem propositionum, tunc intellectus noster dicitur veraciter comprehendere, cum certitudinaliter scit illas veras esse, & hoc scire est scire, quoniam non potest falli in illa comprehensione. Scit enim, quod veritas illa non potest aliter se habere. Scit igitur veritatem illam esse incommutabilem. Sed cum ipsa mens nostra sit commutabilis, illam sic incommutabiliter relucentem non potest videre, nisi per aliquam aliam lucem omnino incommutabiliter radiantem, quam impossibile est esse creaturam mutabilem. Scit igitur in illa luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quæ est lux vera, & verbum in principio apud Deum. B Intellectum autem illationis tunc veraciter percipit noster intellectus, quando videt quod conclusio necessario sequitur ex præmissis, quod non solum videt in terminis necessariis, verum etiam in contingentibus, ut si homo currit, homo movetur. Hanc autem necessariam habitudinem percipit non solum in rebus entibus: verumetiam in non entibus. Sicut enim in homine existente sequitur: Si homo currit, homo movetur, sic etiam non existente. Huiusmodi igitur illationis necessitas non venit ab existentia rei in materia, quia est contingens, nec ab existentia rei in C anima, quia tunc esset fictio, si non esset in re. Venit igitur ab exemplaritate in arte æterna, secundum quam res habent aptitudinem & habitudinem adinvicem, ad illius æternæ artis repræsentationem. Omnis igitur, ut dicit Augustinus in libro de vera Religione, vere ratiocinantis lumen accenditur ab illa veritate, & ad ipsam pervenire. Ex quo manifeste apparet, quod coniunctus sit intellectus noster ipsi æternæ veritati: dum nisi per illam docentem nihil verum potest certitudinaliter capere. Videre igitur per te potes veritatem, quæ te docet, si te concupiscentiæ & phantasmata non impediant: & se tamquam nubes inter te & veritatis radium non interponant.

Ioan. 1

Aug. l. de vera relig. c. 39. t. 1

Ope-

Electivæ virtutis operatio

Operatio autem virtutis electivæ A attenditur in consilio, judicio, & desiderio. Consilium autem est, in inquirendo quid sit melius, hoc an illud. Sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum. Accessus autem est secundum maiorem assimilationem. Nullus igitur scit, utrum hoc sit illo melius, nisi sciat illud optimo magis assimilari. Nullus autem scit, aliquid alii magis assimilari, nisi illud cognoscat. Non enim scio hunc similem esse Petro, nisi sciam vel cognoscam Petrum. Omni igitur consilianti necessario est impressa notitia summi boni. Judicium autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem. Nullus autem certitudinaliter iudicat B per legem, nisi certus sit, quod illa lex recta sit, & quod ipsam iudicare non debet. Sed mens nostra iudicat de seipsa. Cum igitur non possit iudicare de lege per quam iudicat, lex illa superior est mente nostra, & per hanc iudicat, secundum quod sibi impressa est. Nihil autem est superius mente humana, nisi solus ille qui fecit eam. Igitur in iudicando, deliberativa nostra pertingit ad divinas leges, si plena resolutione dissolvat. Desiderium autem principaliter est ipsius, quod maxime ipsum movet. Maxime autem movet, quod maxime amatur. Maxime autem amatur esse beatum. Beatum autem esse non habetur, C nisi per optimum & finem ultimum. Nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum bonum: vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius. Tanta est vis summi boni, ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari. Quæ tunc fallitur & errat, cum effigiem & simulachrum pro veritate acceptat.

Summi boni.

Vide ergo quomodo anima Deo est propinqua, & quomodo memoria in æternitatem, intelligentia in veritatem, electiva potentia ducit in bonitatem summam secundum operationes suas. Secundum autem harum potentiarum ordinem, originem, & habitudinem, ducit in ipsam beatissimam Trinitatem. Nam ex memoria oritur intelligentia, ut ipsius proles: quia tunc intelligimus cum similitudo quæ est in memoria resultat in acie intellectus, quæ nihil aliud est quam verbum. Ex memoria & intelligentia spiratur amor, tamquam nexus amborum. Hæc tria, scilicet mens generans, verbum, & amor, sunt in anima quoad memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quæ sunt substantiales, coæquales & coævæ, se invicem circumincedentes. Si igitur Deus perfectus est spiritus, habet memoriam, intelligentiam, & voluntatem, habet & verbum genitum, & amorem spiratum, qui necessario distinguuntur; cum unus ab altero producatur, non essentialiter, non accidentaliter: ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat per se tamquam per speculum, consurgit ad speculandam Trinitatem beatam, Patris, Verbi, & Amoris, trium personarum coæternarum, coæqualium, & consubstantialium, ita quod quilibet trium in quolibet est aliorum, unus tamen non est alius: sed ipsi tres sunt unus Deus.

Ad hanc speculationem quam habet anima de suo principio trino & uno, per trinitatem suarum potentiarum, per quas est imago Dei, juvatur per lumina scientiarum, quæ ipsam perficiunt & informant, & Trinitatem beatissimam tripliciter repræsentant. Nam omnis Philosophia, aut est naturalis, aut rationalis, aut moralis. Prima agit de causa essendi, & ideo ducit in potentiam Patris: secunda de ratione intelligendi, & ideo ducit in sapientiam Verbi: tertia de ordine vivendi, & ideo ducit in bonitatem Spiritus sancti. Rursus prima dividitur in Metaphysicam. Mathematicam, & Physicam. Et prima est de rerum essentiis, secunda de numeris & figuris, tertia de naturis, virtutibus, & operationibus diffusivis. Et ideo prima in primum principium Patrem, secunda in eius imaginem Filium, tertia ducit in Spiritus sancti donum. Secunda dividitur in Grammaticam, quæ facit potentes ad exprimendum: Logicam, quæ facit perspicaces ad arguendum: Rhe-

Philosophia triplex

Rhetoricam, quæ facit habiles ad persuadendum sive movendum. Et hæc similiter insinuat mysterium beatissimæ Trinitatis. Tertia dividitur in monasticam, œconomicam, & politicam. Et prima insinuat primi principii innascibilitatem, secunda Filii familiaritatem, tertia Spiritus sancti liberalitatem. Omnes autem istæ scientiæ habent regulas certas & infallibiles, tanquam lumina, & radios descendentes a lege æterna in mentem nostram. Et ideo mens nostra tantis splendoribus irradiata & superfusa, nisi sit cæca, manu duci potest per seipsam, ad contemplandam illam lucem æternam. Hujus autem lucis irradiatio & consideratio sapientes suspendit in admirationem, & e contra insipientes, qui non credunt ut intelligant, ducit in perturbationem, ut impleatur illud

Ps. 75 Propheticum: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

Caput IV.

De speculatione Dei in sua imagine, donis gratuitis reformata.

SEd quoniam non solum per nos transeundo, verumetiam in nobis contingit contemplari primum principium, & hoc majus est quam præcedens: ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cum ostensum sit, quod Deus ita propinquus sit mentibus nostris, quod tam paucorum est, in seipsis primum principium speculari. Sed ratio est in promptu, quia mens humana sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam, phantasmatibus obnubilata, non redit ad se per intelligentiam, concupiscentiis illecta, nequaquam revertitur ad seipsam per desiderium suavitatis internæ & lætitiæ spiritualis. Ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se tanquam ad Dei imaginem reintrare.

Et quoniam ubi quis ceciderit, necesse habet ibidem recumbere, nisi apponat quis & adiiciat ut resurgat, non potuit anima nostra perfecte ab his sensibilibus relevari ad contuitum sui, & æternæ veritatis in seipsa, nisi veritas, assumpta forma humana in Christo, fieret sibi scala reparans priorem scalam, quæ facta fuerat in Adam. Unde quantumcunque sit illuminatus quis lumine naturæ, & scientiæ acquisitæ, non potest intrare in se, ut in seipso delectetur in Domino, nisi mediante Christo, qui dicit: Ego sum Joan. 10
ostium. Per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet. Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsum credamus, speremus, & amemus. Necesse est igitur, si reintrare volumus ad fruitionem veritatis, tamquam ad paradisum, quod ingrediamur per fidem, spem, & charitatem mediatoris Dei & hominum Jesu Christi, qui est tan- Gen. 2
quam lignum vitæ in medio paradisi.

Tribus virtutibus Theologicis supervestienda mens nostra.

Supervestienda est igitur imago mentis nostræ tribus virtutibus Theologicis, quibus anima purificatur, illuminatur, & perficitur, & sic imago reformatur, reficitur, & conformis supernæ Hierusalem efficitur, & pars Ecclesiæ Militantis, quæ est proles, secundum Apostolum, Hierusalem cœlestis. Ait enim: Illa quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Ani- Gal. 4
ma igitur credens, sperans, & amans Jesum Christum, qui est verbum Patris incarnatum, increatum, & inspiratum, scilicet via, veritas, & vita: dum per fidem credit in Christum, tanquam in verbum increatum, quod est verbum & splendor Patris, recuperat spiritualem auditum & visum, auditum ad suscipiendum Christi sermones, visum ad considerandum ipsius lucis splendores. Dum autem spe suspirat ad suscipiendum verbum inspiratum, per desiderium & affectum recuperat spiritualem olfactum. Dum charitate complectitur verbum incarnatum, ut suscipiens ab ipso delectationem, & ut transiens in illud per ecstaticum amorem, recuperat gustum & tactum. Quibus sensibus recuperatis,

tis, dum sponsum suum videt & audit, odoratur, gustat, & amplexatur, decantare potest, tamquam sponsa, Canticum Canticorum, quod factum fuit ad exercitium contemplationis secundum hunc quartum gradum, quem nemo capit, nisi qui accipit, quia magis est in experientia affectuali, quam in consideratione rationali. In hoc namque gradu recuperatis sensibus interioribus, ad videndum summe pulchrum, ad audiendum summe harmoniacum, ad odorandum summe odoriferum, ad degustandum summe suave, ad apprehendendum summe delectabile, disponitur anima ad mentales excessus, scilicet per devotionem, admirationem, & exultationem, secundum illas tres exclamationes, quæ fiunt in Canticis Canticorum. Quarum prima fit per superabundantiam devotionis, per quam fit anima sicuti virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris. Secunda per excellentiam admirationis, per quam fit anima sicut aurora, Luna, & Sol, secundum processum illuminationum suspendentium animam ad admirandum sponsum consideratum. Tertia per superabundantiam exultationis, per quam fit anima suavissimæ delectationis deliciis affluens, innixa totaliter super dilectum suum. Quibus adeptis, efficitur spiritus noster Hierarchicus ad conscendendum sursum, secundum conformitatem ad illam Hierusalem supernam, in quam nemo intrat, nisi prius per gratiam ipsa in cor descendat, sicut vidit Joannes in Apocalypsi sua. Tunc autem in cor descendit, quando per reformationem imaginis, per virtutes Theologicas, & per oblectationes spiritualium sensuum, & suspensiones excessuum, efficitur spiritus noster Hierarchicus, scilicet purgatus, illuminatus, & perfectus. Sic etiam gradibus novem ordinum insignitur, dum ordinate in eo interius disponitur nunciatio, dictatio, ductio, ordinatio, roboratio, imperatio, susceptio, revelatio, & unitio; quæ gradatim correspondent novem ordinibus Angelorum, ita quod trium primo dictorum gradus,

Cant. 3

Cant. 8

Apoc. 21

A respiciunt in mente humana naturam, tres sequentes industriam, & tres postremi gratiam. Quibus habitis anima intrando in seipsam, intrat in supernam Hierusalem, ubi ordines Angelorum considerans, videt in eis Deum, qui habitans in eis, omnes eorum operatur operationes. Unde dicit Bernardus ad Eugenium, quod Deus in Seraphin amat ut charitas, in Cherubin novit ut veritas, in Thronis sedet ut æquitas, in Dominationibus dominabitur ut majestas, in Principatibus regit ut principium, in Potestatibus tuetur ut salus, in Virtutibus operatur ut virtus, in Archangelis revelat ut lux, in Angelis assistit ut pietas. Ex quibus omnibus videtur Deus omnia in omnibus per contemplationem ipsius, in mentibus, in quibus habitat per dona affluentissimæ charitatis.

Bern. de consid l. 5. c. 5. in fin.

B *1 Cor. 15.*

Ad hujus autem speculationis gradum, specialiter & præcipue adminiculatur consideratio sacræ Scripturæ divinitus immissæ, sicut Philosophia ad præcedentem. Sacra enim Scriptura principaliter est de operibus reparationis. Unde & ipsa præcipue agit de fide, spe, & charitate: per quas virtutes habet anima reformari, & specialissime de charitate. De qua dicit Apostolus, quod est finis præcepti, secundum quod est de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Ipsa est plenitudo legis, ut dicit idem. Et Salvator noster asserit, totam legem, Prophetasque pendere in duobus præceptis ejusdem, scilicet in dilectione Dei & proximi: quæ duo innuuntur, in uno sponso, Ecclesiæ Iesu Christo, qui simul est proximus & Deus, simul frater & Dominus, simul etiam Rex & amicus, simul verbum increatum & incarnatum, formator noster & reformator, ⁎, & ⁎. Qui etiam summus Hierarcha est, purgans, illuminans, & perficiens sponsam, scilicet totam Ecclesiam, & quamlibet animam sanctam. De hoc igitur Hierarcha & Ecclesiastica Hierarchia, est tota sacra Scriptura: per quam docemur purgari, illuminari, & perfici, & hoc

Sacræ Scripturæ consideratio.

1. Tim. 1

C

Rom. 13
Matt. 22

hoc secundum triplicem legem in A ea traditam, scilicet naturæ, Scripturæ, & gratiæ. Vel potius secundum triplicem partem ejus principalem, scilicet legem Mosaicam purgantem, revelationem propheticam illustrantem, & eruditionem Evangelicam perficientem. Vel potissimum secundum triplicem ejus intelligentiam spiritualem, scilicet tropologicam, quæ purgat ad honestatem vitæ: allegoricam, quæ illuminat ad claritatem intelligentiæ: & anagogicam, quæ perficit per excessus mentales, & sapientiæ perceptiones suavissimas: secundum tres virtutes prædictas Theologicas, & sensus spirituales reformatos, & excessus tres supradictos. & actus mentis B Hierarchicos, quibus ad interiora raregreditur mens nostra, ut ibidem speculetur Deum in splendoribus sanctorum: & in eisdem tanquam in cubilibus dormiat in pace & requiescat, sponso adiurante quod non excitetur donec de ejus voluntate procedat. *Cant. 2*

Ex his autem duobus gradibus mediis, per quos ingredimur ad contemplandum Deum intra nos, tanquam in speculis imaginum creatarum, & hoc quasi ad modum alarum expansarum ad volandum, quæ tenebant medium locum: intelligere possumus, quod in divina, manu ducimur per ipsius animæ rationalis potentias, naturaliter insitas, C quantum ad earum operationes, habitudines, & habitus scientiales: secundum quod apparet ex tertio gradu. Manu ducimur etiam per ipsius animæ potentias reformatas, & hoc gratuitis virtutibus, sensibus spiritualibus, & mentalibus excessibus: sicut patet ex quarto. Manu ducimur nihilominus per hierarchicas operationes, scilicet purgationis, illuminationis, & perfectionis, mentium humanarum: per hierarchicas revelationes sacrarum scripturarum nobis per Angelos datarum: secundum illud Apostoli, quod lex data est per Angelos in manu mediatoris. Et tandem manu ducimur per hierarchicas, & hierarchicos ordines, qui in mente nostra disponi habent in- *Gal. 3*

star supernæ Hierusalem. Quibus omnibus luminibus intellectualibus mens nostra repleta a divina sapientia, tanquam domus Dei inhabitatur, effecta Dei filia, sponsa, & amica: effecta Christi capitis membrum, soror, & coheres: effecta nihilominus Spiritus sancti templum, fundatum per fidem, elevatum per spem, & Deo dicatum per mentis & corporis sanctitatem. Quod totum facit sincerissima charitas Christi, quæ diffunditur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis, sine quo spiritu scire non possumus secreta Dei. Sicut enim quæ sunt hominis, nemo scire potest, nisi spiritus hominis qui est in illo: ita & quæ sunt Dei, nemo scit nisi spiritus Dei. In charitate igitur radicemur & fundemur, ut possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo æternitatis, quæ latitudo liberalitatis, quæ sublimitas majestatis, & quod profundum sapientiæ judicantis. *Joan. 5* *1 Cor. 2*

CAPUT V.

De speculatione divinæ unitatis, per ejus nomen primarium, quod est esse.

QUoniam autem contingit contemplari Deum, non solum extra nos, & intra nos, verum etiam supra nos: extra nos per vestigium, intra nos per imaginem, & supra nos per lumen, quod est signatum supra mentem nostram, quod est lumen veritatis æternæ, cum ipsa mens nostra immediate ab ipsa veritate formetur: qui exercitati sunt in primo modo, intraverunt jam in atrium ante tabernaculum, qui vero in secundo, intraverunt in sancta: qui autem in tertio, intrant cum summo Pontifice in sancta Sanctorum: ubi supra arcam sunt Cherubim gloriæ, obumbrantia propitiatorium, per quæ intelligimus duos modos, seu gradus contemplandi Dei invisibilia & æterna, quorum unus versatur, circa Dei essentialia, alius vero circa propria personarum. Primus modus pri- *Exod. 17* *Exod. 25*

mo & principaliter defigit aspectum in ipsum esse, dicens quod qui est, est primum nomen Dei. Secundus modus defigit aspectum in ipsum bonum, dicens, hoc esse primum nomen Dei. Primum spectat potissime ad vetus testamentum, quod maxime prædicat divinæ essentiæ unitatem. Unde dictum est Moysi: Ego sum, qui sum. Secundum ad novum quod determinat personarum pluralitatem, baptizando in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ideo magister noster Christus volens adolescentem, qui servaverat legem, ad Evangelicam levare perfectionem; nomen bonitatis Deo principaliter & præcise attribuit. Nemo, inquit, bonus; nisi solus Deus. Damascenus igitur sequens Moysen dicit, quod qui est, est primum nomen Dei. Dionysius sequens Christum dicit, quod bonum, est primum nomen Dei.

Exod. 3

Mar. 10 Dam.l.1 de fi.orth.c.12 Dion.de di. nom.c.4

Volens igitur contemplari Dei invisibilia, quoad essentiæ unitatem, primo defigat aspectum in ipsum esse: & videat ipsum esse adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse, quia ipsum est purissimum, non occurrit nisi in plena fuga non esse: sicut & nihil in plena fuga esse. Sicut igitur omnino nihil, nihil habet de esse, nec de ejus conditionibus: sic e contra, ipsum esse nihil habet de non esse, nec actu, nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum æstimationem nostram. Cum autem non esse privatio sit essendi, non cadit in intellectum nisi per esse: esse autem non cadit per aliud, quia omne quod intelligitur, aut intelligitur ut non ens, aut ut ens in potentia, aut ut ens in actu. Si igitur non ens non potest intelligi nisi per ens, & ens in potentia non nisi per ens in actu, & esse nominat ipsum purum actum entis: esse igitur est quod primo cadit in intellectu, & illud esse est quod est purus actus. Sed hoc non est esse particulare, quod est esse arctatum, quia permixtum est cum potentia, nec esse analogum, quia minime habet de actu, eo quod minime est. Restat igitur quod illud esse, est esse divinum. Mira igitur est cæcitas intellectus, qui non considerat illud quod prius videt, & sine quo nihil potest cognoscere. Sed sicuti oculus intentus in varias colorum differentias, lucem per quam videt cetera, non videt, & si videt, non tamen advertit: sic oculus mentis nostræ intentus in ista entia particularia, & universalia, ipsum esse extra omne genus, licet primo occurrat menti, & per ipsum alia tamen non advertit. Unde verissime apparet, quod sicut oculus vespertilionis se habet ad lucem: ita se habet oculus mentis nostræ ad manifestissima naturæ, Quia assuefactus ad tenebras entium & phantasmata sensibilium, cum ipsam lucem summi esse intuetur, videtur sibi nihil videre: non intelligens, quod ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio; sicut quando videt oculus puram lucem, videtur sibi nihil videre.

Arist.l.2 Meta.c.1

Vide igitur ipsum purissimum esse si potes, & occurret tibi, quod ipsum non potest cogitari, ut ab alio acceptum: ac per hoc necessario cogitatur, ut omnimode primum: quod nec de nihilo, nec ab alio potest esse. Quid enim est per se, si ipsum esse non est per se, a se: Occurret etiam tibi, ut carens omnino non esse, ac per hoc ut nunquam incipiens, nunquam desinens, sed æternum. Occurret etiam tibi, ut nullo modo in se habens nisi quod est ipsum esse, ac per hoc ut cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam, ut nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet aliquid de non esse: ac per hoc ut summe actualissimum. Occurret ut nihil habens defectibilitatis, ac per hoc ut perfectissimum. Occurret postremo, ut nihil habens diversificationis: ac per hoc ut summe unum.

Esse igitur quod est esse purum, & esse simpliciter, & esse absolutum, est esse primarium, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, & summe unum. Et sunt hæc ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum esse cogitari ho-

Esse quomodo intelligi debeat.

horum oppositum, & unum horum necessario infert aliud. Nam quia simpliciter est esse, ideo simpliciter primum: quia simpliciter primum, ideo non est ab alio factum, nec a seipso potuit, ergo æternum. Item quia primum & æternum, ideo non ex aliis, ergo simplicissimum. Item quia primum æternum, & simplicissimum, ideo nihil est in eo possibilitatis cum actu permixtum, & ideo actualissimum. Quia primum, æternum, simplicissimum, actualissimum: ideo perfectissimum. Tali omnino nihil deficit, nec aliqua potest fieri additio. Quia primum, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum: ideo summe unum. Quod enim per omnimodam superabundantiam dicitur, dicitur respectu omnium. Quod etiam simpliciter per superabundantiam dicitur, impossibile est ut conveniat nisi uni soli. Unde si Deus nominat esse primarium, æternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum, impossibile est ipsum cogitari non esse, nec esse nisi unum solum: Audi igitur Israel. Deus tuus, Deus unus est. Si hæc vides in pura mentis simplicitate, aliqualiter perfunderis æternæ lucis illustratione. Sed habes unde subleveris in admirationem. Nam ipsum esse est primum & novissimum, est æternum, & præsentissimum, est simplicissimum, & maximum, est actualissimum, & immutabilissimum, est perfectissimum, & immensum, est summe unum, & tamen omnimodum. Si hæc pura mente miraris, majore luce perfunderis, dum ulterius vides, quia ideo est novissimum, quia primum. Quia enim est primum, omnia operatur propter seipsum: & ideo necesse est, quod sit finis ultimus, initium, & consummatio, α, & ω. Ideo est præsentissimum, quia æternum. Quia enim æternum non finitur ab alio, nec deficit a seipso, nec decurrit ab uno in aliud, ergo nec habet præteritum, nec futurum, sed esse præsens tantum. Ideo maximum, quia simplicissimum. Quia enim simplicissimum in essentia, ideo maximum in virtute, quia

Deut. 6

Deus præsens est omnibus.

A virtus quanto plus est unita, tanto plus est infinita. Ideo immutabilissimum, quia actualissimum. Quia enim actualissimum est, ideo est actus purus. Et quod tale est, nihil novi acquirit, nihil habitum perdit, ac per hoc non potest mutari. Ideo immensum, quia perfectissimum. Quia enim perfectissimum, ideo nihil potest cogitari ultra ipsum melius, nobilius: nec dignius, ac per hoc nihil majus, & omne tale est immensum. Ideo omnimodum, quia summe unum. Quia enim summe unum, ideo est omnis multitudinis universale principium. Ac per hoc ipsum est universalis omnium causa efficiens, exemplans, & terminans, B sicut causa essendi, ratio intelligendi, & ordo vivendi. Est igitur omnimodum non sicut omnium essentia, sed sicut cunctarum essentiarum superexcellentissima, & universalissima, & sufficientissima causa. Cujus virtus, quia summe unita in essentia, ideo summe infinitissima, & multiplicissima in efficacia.

Deus immutabilis.

Deus causa omnium.

Rursus revertentes dicamus, quia igitur esse purissimum, & absolutum, quod est simpliciter esse, est primarium, & novissimum, ideo est omnium origo, & finis consummans. Quia æternum, & præsentissimum, ideo omnes durationes ambit, & intrat, quasi simul existens earum centrum, & circumferentia. Quia C simplicissimum & maximum, ideo totum intra omnia, & totum extra omnia, ac per hoc est sphæra intelligibilis, cujus centrum est ubique, & circumferentia nusquam. Quia actualissimum, & immutabilissimum, ideo stabile manens, moveri dat universa. Quia perfectissimum, & immensum, ideo est intra omnia, non inclusum, extra omnia, non exclusum, supra omnia, non elatum, infra omnia, non prostratum. Quia vero est summe unum, & omnimodum, ideo est omnia in omnibus: quamvis omnia sint multa, & ipsum non sit nisi unum, & hoc quia per simplicissimam unitatem, serenissimam veritatem, & sincerissimam bonitatem, est in eo omnis virtuositas, omnis exemplaritas, & omnis com-

Deus est sphæra, cujus centrum est ubique & circumferentia nusquam.

communicabilitas, ac per hoc ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et hoc quia omnipotens, omniſciens, & omnimode bonum, quod perfecte videre eſt eſſe beatum, ſicut dictum eſt Moyſi. Ego oſtendam tibi omne bonum.

Rom. 11

Exod. 33

Caput VI.

De ſpeculatione beatiſſimæ Trinitatis in ejus nomine quod eſt bonum.

Summum bonum cogitari non poteſt ſine emanatione perſonarum.

POſt conſiderationem eſſentialium, elevandus eſt oculus intelligentiæ ad contuitionem beatiſſimæ Trinitatis, ut alter Cherub juxta alterum ſtatuatur. Sicut autem viſionis eſſentialium ipſum eſſe eſt principium radicale, & nomen per quod cetera innoteſcunt: ſic contemplationis emanationem, ipſum bonum eſt principaliſſimum fundamentum. Vide igitur, & attende, quoniam optimum quod ſimpliciter eſt, quo nihil melius cogitari poteſt: & hoc tale, ſic eſt, quod non poteſt cogitari non eſſe, quia omnino melius eſt eſſe quam non eſſe, ſic eſt quod non poteſt recte cogitari, quin cogitetur trinum, & unum. Nam bonum dicitur diffuſivum ſui. Summum igitur bonum ſumme diffuſivum eſt ſui. Summa autem diffuſio non poteſt eſſe, niſi ſit actualis, & intrinſeca ſubſtantialis, & hypoſtatica, naturalis, & voluntaria, liberalis, & neceſſaria, indeficiens, & perfecta. Niſi igitur in ſummo bono æternaliter eſſet productio actualis, & conſubſtantialis, & hypoſtaticalis æque nobilis, ſicut eſt producens per modum generationis, & ſpirationis, ita quod ſit æternalis principii æternaliter comprincipiantis, ita quod eſſet dilectus, & condilectus genitus, ſcilicet, & ſpiritus, hoc eſt Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, nequaquam eſſet ſummum bonum, quia non ſumme ſe diffunderet. Nam diffuſio ex tempore in creatura, non eſt niſi centralis vel punctalis reſpectu immenſitatis bonitatis æternæ. Unde, & non poteſt aliqua diffuſio cogitari major illa, ea videlicet in A qua diffundens communicat alteri totam ſubſtantiam, & naturam. Non igitur ſummum bonum eſſet, ſi re vel intellectu illa carere poſſet. Si igitur potes mentis oculo contueri puritatem bonitatis, quæ eſt actus purus principii charitative diligentis amore gratuito, & debito, & ex utroque permixto, qui eſt diffuſio pleniſſima per modum naturæ & voluntatis, quæ eſt diffuſio per modum verbi, in quo omnia dicuntur, & per modum doni, in quo cetera dona donantur, potes videre per ſummam boni communicabilitatem, neceſſe eſſe Trinitatem Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. In quibus neceſſe eſt propter ſummam bonitatem, B eſſe ſummam communicabilitatem, & ex ſumma communicabilitate ſummam conſubſtantialitatem, & ex ſumma conſubſtantialitate ſummam conſiguralitatem, & ex his ſummam coæqualitatem, ac per hoc ſummam coæternitatem, atque ex omnibus prædictis ſummam cointimitatem, qua unus eſt in altero neceſſario per ſummam circuminceſſionem, & unus operatur cum alio, per omnimodam indiviſionem ſubſtantiæ, & virtutis, & operationis, ipſius beatiſſimæ Trinitatis.

Sed cum hæc contemplaris vide ne te exiſtimes comprehendere incomprehenſibilem, habes enim adhuc in his ſex conditionibus conſiderare, quod vehementer in C ſtuporem admirationis inducit oculum mentis noſtræ. Nam ibi eſt ſumma communicabilitas cum perſonarum proprietate, ſumma conſubſtantialitas cum hypoſtaſeon pluralitate, ſumma configuralitas cum diſcreta perſonalitate, ſumma coæqualitas cum ordine, ſumma coæternitas cum emanatione, ſumma cointimitas cum emiſſione. Quis ad tantorum mirabilium aſpectum, non conſurgat in admirationem? Sed hæc omnia certiſſime intelligimus eſſe in beatiſſima Trinitate, ſi levamus oculos ad ſuperexcellentiſſimam bonitatem. Si enim ibi eſt ſumma communicatio, & vera diffuſio, vera eſt ibi origo & vera diſtinctio. Et quia totum communicatur, non pars, idem ipſum da-

datur quod habetur, & totum. Igitur emanans, & producens, & distinguuntur proprietatibus, & sunt essentialiter unum. Quia igitur distinguuntur proprietatibus, ideo habent personarum proprietates, & hypostaseon pluralitatem, & originis emanationem, & ordinem non posterioritatis, sed originis, & emissionem non localis mutationis, sed gratuitæ inspirationis, per rationem auctoritatis producentis, quam habet mittens respectu missi. Quia vero sunt unum substantialiter, ideo oportet, quod sit unitas in essentia, & forma, & dignitate, & æternitate, & existentia, & incircumscriptibilitate. Dum ergo hæc per se sigillatim consideras, habes unde veritatem contempleris. Dum hæc adinvicem confers, habes unde in admirationem altissimam suspendaris. Et ideo ut mens tua per admirationem in admirabilem ascendat contemplationem, hæc simul sunt consideranda. Nam & Cherubim hoc designant, quæ se mutuo aspiciebant. Nec hoc vacat a mysterio, quod respiciebant se versis vultibus in propitiatorium, ut verificetur illud quod dicit Dominus in Joanne: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti JESUM-CHRISTUM. Nam admirari debemus non solum conditiones Dei essentiales, & personales in se, verumetiam per comparationem ad supermirabilem unionem Dei, & hominis in unitate personæ Christi.

Exod. 25

Joan. 17

Si enim Cherub es, essentialia Dei contemplando, & miraris quia simul est divinum esse primum, & novissimum, æternum, & præsentissimum, simplicissimum, & maximum seu incircumscriptum, totum ubique, & nusquam comprehensum, actualissimum, & nunquam motum, perfectissimum, & nihil habens superfluum, nec diminutum, & tamen immensum, & sine termino infinitum summe unum, & tamen omnimodum, ut omnia in se habens, ut omnis virtus, ut omnis veritas, ut omne bonum: respice ad propitiatorium, & mirare, quod A in ipso principium primum junctum est cum postremo, Deus cum homine sexto die formato, æternum junctum est cum homine temporali, in plenitudine temporum de Virgine nato, simplicissimum cum summo composito, actualissimum cum summe passo, & mortuo, perfectissimum, & immensum cum modico, summe unum, & omnimodum cum individuo composito, & a ceteris distincto, homine, scilicet JESU CHRISTO.

Multa mirabilia in unione duarum naturarum in Christo.

Si autem alter Cherub es, personarum propria contemplando, & miraris communicabilitatem esse cum proprietate, & consubstantialitatem cum pluralitate, configurabilitatem B cum personalitate, coæqualitatem cum ordine, æternitatem cum productione, cointimitatem cum emissione, quia Filius missus est a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque: qui tamen semper est cum eis, & nunquam recedit ab eis: respice in propitiatorium, & mirare, quia in Christo stat personalis unio cum Trinitate substantiarum, & naturarum dualitate: stat omnimoda consensio cum pluralitate voluntatum, stat Dei, & hominis comprædicatio cum pluralitate proprietatum, stat coadoratio cum pluralitate nobilitatum, stat coexaltatio super omnia cum pluralitate dignitatum, stat condominatio cum pluralitate pote- C statum. In hac autem consideratione est perfectio illuminationis mentis, dum quasi in sexta die videt hominem factum ad imaginem Dei. Si enim imago est similitudo expressiva, dum mens nostra contemplatur in Christo filio Dei (qui est imago Dei invisibilis per naturam) humanitatem nostram tam mirabiliter exaltatam, tam ineffabiliter unitam: videndo simul in unum primum, & ultimum, summum, & imum, circumferentiam, & centrum, α, & ω, causatum, & causam, Creatorem, & creaturam, librum scilicet scriptum intus, & extra jam pervenit ad quamdam rem perfectam, cum Deo ad perfectionem suarum illuminationum, in sexto gradu quasi in sexta die perveniat: nec aliquid jam am-

amplius restet nisi dies requiei, in qua per mentis excessum requiescat humanæ mentis perspicacitas, ab omni opere quod patrarat.

Caput VII.

De excessu mentali, & mystico, in quo requies datur intellectui, affectu totaliter in Deum per excessum transeunte.

3 Reg. 10 His igitur sex considerationibus excursis, tanquam sex gradibus throni veri Salomonis, quibus pervenitur ad pacem: ubi verus pacificus in mente pacifica tanquam in interiori Hierosolyma requiescit, tanquam etiam sex alis Cherub, quibus mens veri contemplativi, plena illustratione supernæ sapientiæ valeat sursum agi tanquam etiam sex diebus primis in quibus mens exercitari habet, ut tandem perveniat ad sabbatismum quietis. Postquam mens nostra contuita est Deum extra se per vestigia, & in vestigiis: intra se per imaginem, & in imagine: supra se per divinæ lucis similitudinem super nos relucentem, & in ipsa luce, secundum quod possibile est secundum statum viæ, & exercitium mentis nostræ: cum tandem in sexto gradu ad hoc pervenerit, ut speculetur in principio primo, & summo, & mediatore Dei, & hominum Jesu Christo ea, quorum similia in creaturis nullatenus reperiri possunt, & quæ omnem perspicacitatem humani intellectus excedunt: restat ut hæc speculando transcendat, & transeat, non solum mundum istum sensibilem, verumetiam semetipsam: in quo transitu Christus est via, & ostium; Christus est scala, & vehiculum, tanquam propitiatorium super arcam Dei collocatum: & sacramentum a sæculis absconditum. Ad quod propitiatorium qui aspicit, plena conversione vultus aspiciendo ad eum in cruce suspensum, per fidem, spem, & charitatem, devotionem, admirationem, exultationem, appretiationem, laudem, & jubilationem: pascha, hoc est transitum cum eo facit: ut per virgam crucis transeat mare rubrum, ab Ægypto intrans desertum: ubi gustet manna absconditum, & cum Christo requiescat in tumulo, quasi exterius mortuus, sentiens tamen quantum possibile est secundum statum viæ, quod in cruce dictum est latroni cohærenti Christo: Hodie mecum eris in paradiso. Quod etiam ostensum est B. Francisco, cum in excessu contemplationis in monte excelso (ubi hæc, quæ scripta sunt mente tractavi) apparuit Seraph, sex alarum in cruce confixus: ut ibidem a socio ejus (qui tunc cum eo fuit) ego, & plures alii audivimus, ubi in Deum transiit per contemplationis excessum: & positus est in exemplum perfectæ contemplationis, sicut prius fuerat actionis, tanquam alter Jacob mutatus in Israel, ut omnes viros vere spirituales Deus per eum invitaret ad hujusmodi transitum, & mentis excessum, magis exemplo quam verbo. In hoc autem transitu si sit perfectus, oportet quod relinquantur omnes intellectuales operationes, & apex affectus totus transferatur, & transformetur in Deum. Hoc autem est mysticum, & secretissimum, quod nemo novit nisi qui accipit: nec accipit nisi qui desiderat: nec desiderat nisi quem ignis Spiritus Sancti medullitus inflammat, quem Christus misit in terram. Et ideo dicit Apostolus, hanc mysticam sapientiam esse per Spiritum Sanctum revelatam. Quoniam igitur ad hoc nil potest natura, modicum potest industria, parum est dandum inquisitioni, & multum unctioni: parum dandum est linguæ, & plurimum internæ lætitiæ: parum dandum est verbo, & scripto, & totum Dei dono, scilicet Spiritui Sancto: parum aut nihil dandum est creaturæ, & totum creatrici essentiæ, Patri, & Filio, & Spiritui sancto, dicendo cum Dionysio ad Deum Trinitatem: Trinitas superessentialis, & superdeus, & superoptime Christianorum inspector theosophiæ, dirige nos in mysticorum eloquiorum superincognitum, & superlucentem, & supersublimissimum verticem: ubi nova, & absoluta, & in-

Margin notes: Exo. 25; Ephes. 3; Exod. 14; Apoc. 2; Luc. 23; B. Francisco in excessu contemplationis apparuit Seraph.; Gen. 35; 1 Cor. 2; Dionys. de myst. Theo. c. 1. in prin.

inconverſibilia, & incommutabilia A Theologiæ myſteria, ſecundum ſuperlucentem abſconditam occulte docentis ſilentii caliginem, in obſcuriſſimo, quod eſt ſupermanifeſtiſſimum, ſuperſplendentem, & in qua omne relucet, & inviſibilium ſuperbeatorum ſplendoribus, ſuperimplentem inviſibiles intellectus. Hoc ad Deum. Ad amicum autem cui hæc ſcribuntur, dicatur cum eodem: Tu autem o amice circa myſticas viſiones corroborato itinere, & ſenſus deſere, & intellectuales operationes & ſenſibilia, & inviſibilia: & omne non ens, & ens, & ad unitatem (ut poſſibile eſt) inſcius reſtituere ipſius, qui eſt ſuper omnem eſſentiam, & ſcientiam. Etenim te ipſo, & omnibus immenſurabili, & abſoluto puræ mentis exceſſu, ad ſuperеſſentialem divinarum tenebrarum radium, omnia deſerens, & ab omnibus abſolutus aſcendens. Si autem quæris quomodo hæc fiant? interroga gratiam, non doctrinam: deſiderium, non intellectum: gemitum orationis, non ſtudium lectionis: ſponſum, non magiſtrum; Deum, non hominem: caliginem, non claritatem, non lucem, ſed ignem totaliter inflammantem, & in Deum exceſſivis unctionibus, & ardentiſſimis affectionibus transferentem. Qui quidem ignis Deus eſt, & hujus caminus eſt in Hieruſalem, & Chriſtus homo hunc accendit in fervore ſuæ ardentiſſimæ paſſionis, quem ſolus ille vere percipit, qui dicit: Suſpendium elegit anima mea, & mortem oſſa mea. Quam mortem qui diligit, videre poteſt Deum, *Iob. 7* quia indubitanter verum eſt: Non *Exod. 33* videbit me homo, & vivet. Moriamur ergo, & B ingrediamur in caliginem, imponamus ſilentium ſollicitudinibus, concupiſcentiis, & phantaſmatibus, tranſeamus cum Chriſto crucifixo ex hoc mundo ad Patrem, ut oſtenſo nobis Patre dicamus cum Philippo: Sufficit nobis. *Joan. 14* Audiamus cum Paulo: Sufficit tibi *2 Cor. 12* gratia mea. Exultemus cum David, *Pſ. 72* dicentes: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Benedictus Dominus in æternum, & dicat omnis populus: Fiat, fiat.

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM, QUOD INSCRIBITUR.

INCENDIUM AMORIS.

MULTIS nominibus reperitur inscriptus liber hic in hactenus impressis. Nam Parvum bonum, Regimen conscientiæ, Itinerarium in seipsum, Fons vitæ, vel Incendium amoris appellari, opuscula S. Bonaventuræ Venetiis ultimo edita testantur. Trithemius autem Regimen conscientiæ, id est, parvum bonum inscribit, ejusque principium esse ait: Ecce descripsi eam tibi, *& inter Opuscula S. Bonaventuræ connumerat. Libuit autem magis in hac Vaticana editione, Incendium amoris inscribere, ne confingeretur titulus alius ab eo, quem Auctor ipse libro suo tribuit. In fine enim prologi sequentis ita ait;* istius libri titulus Incendium amoris dicatur. *Ex quibus verbis satis constat, quæ sit legitima hujus Opusculi inscriptio, Intentionem vero suam in prologo itidem Auctor manifestat. Si quis vero seipsum cognoscere, & vitam secundum Deum instituere desiderat, hunc tractatum studeat memoria retinere, & opere exercere.*

CAPITA HUJUS OPUSCULI.

De triplici modo se exercendi circa triplicem viam sapientiæ, & primo de meditatione. Cap. I.
De oratione, quomodo per eam veniatur ad sapientiam veram. Cap. II.
De contemplatione, quomodo per eam perveniendum sit ad sapientiam veram. Cap. III.

PROLOGUS.

EVigilans vero, animam meam tanquam frigiditate tenebratam calescere conor, quam in devotione desertam scio incendi, & ingenti nimirum desiderio super terrigenas elevari. Non enim in otio advenit mihi affluentia amoris æterni, neque dum corporaliter fueram nimis aggravatus, & fatigatus præ itinere ardorem ipsum spiritualem potui sentire, aut etiam immoderate occupatus solatiis, vel ut cuidam ultimæ dispositioni deditus: immo me in talibus refrigescere deprehendi, donec iterum postpositis omnibus, quibus exterius possem detineri, solummodo Salvatoris aspectibus assistere contenderem, in internisque odoribus immorare. Istum ergo librum offero intuendum non Philosophis, non mundi sapientibus, non magnis Theologis infinitis quæstionibus implicatis, sed rudibus, & indoctis, magis Deum diligere, quam multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem ea, quæ hic continentur, ab istis quæstionariis, & in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi. Unde nec eis scribere decrevi, nisi postpositis, & oblitis cunctis, quæ ad mundum pertinent, solis conditoris inardescant desideriis mancipati. Primo quidem ut omnem terrenam dignitatem fugiant, omnem ostentationem scientiæ, & vanam gloriam odiant: ac demum paupertati altissimæ se conformantes, orando, & meditando, divinæ dilectioni jugiter assistant. Si nimirum apparebit eis interius igniculus quidam virtutis increatæ, & componens cor eorum ad capiendum calorem, quo cuncta caligo consumetur: elevabit eos in ardorem amabilem, & amœnissimum, ut temporalia transcendant, & thronum teneant in termino tranquillitatis. Quo enim scientiores sunt, eo aptiores sunt, vel essent ad amandum, si vere spernerent seipsos, & ab aliis sperni gauderent. Proinde quia hic universos A excito ad amorem amorisque superfervidum ac supernaturalem affectum, utrumque ostendere conabor. Istius libri titulus Incendium amoris dicatur.

CAPUT I.

De triplici modo se exercendi circa triplicem viam sapientiæ & primo de meditatione.

ECce descripsi eam tibi tripliciter, ait Sapiens: Cum omnis scientia debeat gerere Trinitatis insigne, præcipue illa scientia, quæ in sacra Scriptura docetur, debet in se repræsentare vestigium Trinitatis. *Prov. 22.*
B Propter hoc Sapiens eam tibi tripliciter descripsisse dicit, propter triplicem ipsius intellectum spiritualem, moralem, scilicet allegoricum, & anagogicum. Hic autem triplex intellectus respondet triplici actui Hierarchico, scilicet purgationi, illuminationi, & perfectioni. Purgatio autem ad pacem ducit, illuminatio ad veritatem, perfectio ad charitatem. Quibus perfecte adeptis, anima beatificatur, & secundum hoc quod circa hæc versatur, suscipit meriti incrementum. In horum igitur trium cognitione, dependet scientia totius Theologiæ, & meritum vitæ æternæ.

*Quidam alii liber habet sic. *Sciendum igitur, quod triplex est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet meditando, orando, & contemplando.*

* Sciendum ergo est, quod triplex
C est modus exercendi se circa hanc triplicem viam, scilicet legendo, meditando, & orando: lectio est diffusior, meditatio est brevior, oratio est compendiosior. Lectio enim hujus triplicis viæ totam continet sacram Scripturam, immo fere omnem sanam doctrinam, sicut ostensum est supra, in tractatu de reductione omnium artium ad Theologiam. Primo meditationis formam breviter libeat intueri. Sciendum ergo, quod tria sunt in nobis, secundum quorum usum in hac triplici via exercemur, scilicet stimulus conscientiæ, radius intelligentiæ, & igniculus sapientiæ. Si ergo vis purgari, verte te ad conscientiæ stimulum: si illuminari, ad intelligentiæ radium: si perfici, ad sapientiæ igni-

igniculum secundum consilium B. Dionysii ad Titum: ubi eum hortatur, dicens: Verte te (inquit) ad radium, &c.

Ad stimulum conscientiæ debet homo exercere seipsum, hoc modo meditando in via purgativa, scilicet ut primo seipsum exasperet, secundo exacuat, tertio dirigat, Nam exasperandus est recordatione peccati, exacuendus circumspectione sui, & rectificandus consideratione boni.

Peccatorum recordatio quomodo fieri debeat.

Peccati autem recordatio debet esse in hunc modum, ut arguat se animus, de multiplici negligentia, & concupiscentia, & nequitia. Fere enim omnia peccata, & mala nostra, sive contracta, sive acta, reduci possunt ad hæc tria. Circa negligentiam autem attende, quod primo debet recogitare homo, si in se fuerit negligentia scilicet cordis custodiendi, temporis expendendi, & finis intendendi. Hæc enim tria sunt ab omnibus summa cum diligentia observanda, scilicet ut cor bene custodiatur, tempus utiliter expendatur, & finis debitus in omni opere præfigatur. Secundo debet homo cogitare si negligens fuerit in oratione, in lectione, & in boni operis executione. In his tribus debet unusquisque diligenter ac solicite se exercere, & excolere, ut possit fructum bonum dare in tempore suo, eo quod unum horum sine altero nequaquam sufficiat. Tertio debet cogitare solicite, si negligens fuerit ad pœnitendum, ad resistendum, & ad proficiendum. Debet enim unusquisque cum summa diligentia deflere culpam commissam, repellere tentationem diabolicam, proficere de una virtute in aliam, ut sic possit pervenire ad terram promissam.

Circa concupiscentiam autem debet cogitare homo, si in eo vivat concupiscentia voluptatis, curiositatis, & vanitatis, quæ sunt radices totius mali. Primo igitur recogitanda est concupiscentia voluptatis, quæ tunc in homine vivit, si fuerit in eo appetitus dulcium, mollium, & carnalium. Hoc est si homo quærat cibaria saporosa, vestimenta deliciosa, & oblectamenta luxuriosa. Quæ omnia non solum reprehensibile est appetere cum consensu, sed etiam debet homo respuere primo motu. Secundo recogitanda est concupiscentia curiositatis, si vivat vel vixerit in homine. Hoc autem deprehenditur, cum quis appetit scire occulta, videre pulchra, & habere chara. In omnibus his est vitium avaritiæ, & curiositatis. Multum reprehensibile est hoc in homine. Tertio recogitanda est concupiscentia vanitatis, quæ tunc vivit in homine, si in eo fuerit appetitus favoris, laudis, & honoris. Quæ omnia vana sunt, & hominem vanum redдunt: & ita fugienda sunt sicut concupiscentia mulierum. Et de omni tali debet conscientia arguere cor humanum.

Circa nequitiam autem debet cogitare homo si in se vigeat, vel aliquando viguerit iracundia, invidia, & acedia. Quæ faciunt hominem nequam. Primo cogitanda est iracundiæ nequitia, quæ consistit in animo, in signo, & in verbo, vel in corde, in facie, & in clamore, vel in affectu, affatu, & effectu. Secundo recogitanda est nequitia invidiæ, quæ in aliena prosperitate tabescit, in aliena adversitate hilarescit, & in aliena mendicitate refrigescit. Tertio recogitanda est nequitia acediæ, ex qua oriuntur suspiciones malæ, cogitationes blasphemæ, & detractiones malignæ. Omnis enim talis nequitia admodum detestanda est. Ex hac trifaria recordatione triplicata, debet exasperari stimulus conscientiæ, & amaricari anima, ut possit homo consequi salutem.

Viso qualiter exasperari debeat stimulus conscientiæ in recordatione peccati, videndum est qualiter sit exacuendus stimulus in circumspectione sui. Tria autem debet homo circa se circumspicere, scilicet diem mortis imminentem, sanguinem Christi recentem, & faciem judicis præsentem. In his tribus acuitur stimulus conscientiæ contra omnem malum. Primo namque acuitur dum considerat homo diem mortis, quia est indeterminabilis, inevitabilis, & irrevocabilis. Quem si diligenter inspiciat,

Tria sunt homini circa se consideranda.

ciat, diligentissime laborabit, ut dum tempus habet purgetur ab omni negligentia, & concupiscentia, & nequitia. Quis enim moraretur in culpa, qui non est certus de die crastina? Secundo acuitur dum considerat homo sanguinem Christi effusum pro humano corde excitando, pro eodem abluendo, & pro ipso mollificando. Vel effusum pro humana immunditia mundificanda, pro humana morte vivificanda, & pro humana ariditate fœcundanda. Quis enim tam hebes, ut permittat in se regnare culpam negligentiæ, concupiscentiæ, vel nequitiæ, qui cogitat se perfusum illo pretioso sanguine? Tertio acuitur dum considerat homo faciem judicis, quæ est infallibilis, inflexibilis, & infugibilis. Nullus enim potest aliquo modo fallere ejus sapientiam, flectere justitiam, effugere vindictam. Quia ergo nullum bonum irremuneratum, nullum malum impunitum: quis non acuetur ex hac consideratione contra omne malum?

Tria bona meditanda circa rectificationem stimuli conscientiæ.

Post hæc videndum est, quomodo stimulus conscientiæ sit rectificandus in consideratione boni. Tria autem sunt bona meditanda, in quorum acquisitione rectificatur stimulus conscientiæ, scilicet strenuitas contra negligentiam, severitas contra concupiscentiam, & benignitas contra nequitiam. His enim tribus habitis, fit conscientia bona, munda, & recta. Et hoc est quod dicitur in Michæa: Indicabo tibi homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te. Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. In quibus verbis tanguntur illa tria prædicta. Similiter, & Dominus hæc eadem tangit in Luca dicens: Sint lumbi vestri præcincti.

Mich. 6

Strenuitas quid.

Primo igitur inchoandum est a strenuitate, quæ viam præbet aliis. Licet autem eam sic describere: Strenuitas est quidam vigor animi, excutiens omnem negligentiam, & disponens animam ad faciendum bona opera, vigilanter, confidenter, & eleganter. Hæc est quæ viam præbet ad omnia bona sequentia. Se-

Severitas quid.

A cundo sequitur severitas, quæ est quidam vigor animi restringens omnem concupiscentiam, & habilitans animam, ac ferventem reddens eam ad amorem asperitatis, paupertatis, & utilitatis. Tertio sequitur benignitas, quæ est quidam dulcor animæ, excludens omnem nequitiam, & habilitans animam, ad benevolentiam, tolerantiam, & ad internam lætitiam. Et hic est terminus purgationis secundum viam meditationis. Nam omnis conscientia munda læta est, & jucunda. Qui igitur vult purgari, vertat se modo prædicto ad stimulum conscientiæ. In prædicta tamen exercitatione a quolibet præmissorum potest inchoari nostra

Benignitas quid.

B meditatio. Transeundum est etiam ab uno in aliud, & tamdiu immorandum, quousque tranquillitas, & serenitas acquiratur, & percipiatur, ex qua oritur spiritualis jucunditas. Qua adepta, promptus est animus ut sursum tendat. Incipit ergo via ista a stimulo conscientiæ, & terminatur in affectum spiritualis lætitiæ, exercetur in dolore, & consummatur in amore.

Via illuminativa.

Secundo loco post viam purgativam, sequitur illuminativa. In qua se debet homo exercere ad radium intelligentiæ hoc ordine. Nam radius intelligentiæ est primo protendendus ad mala dimissa, secundo dilatandus ad beneficia commissa, ter-

C tio reflectendus ad præmia promissa. Protenditur autem radius intelligentiæ ad mala dimissa, dum sollicite pensantur mala, quæ Dominus indulsit; quæ tot sunt, quot sunt peccata quæ commisimus, & tam magna, quantis eramus malis astricti, & quantis bonis privati. Et hæc meditatio satis patet ex præcedenti. Nec hoc solum attendendum est, quanta mala commisimus, sed etiam considerandum est, in quanta mala incidissemus, si Dominus permisisset. Et cum hæc diligenter pensantur, per radium intelligentiæ tenebræ nostræ illuminantur. Et talis illuminatio conjuncta debet esse gratitudini affectionis, alioquin non est illuminatio cœlestis, ad cujus splendorem videmus sequi calorem. Un-

de

de gratiæ hic agendæ sunt pro dimissione malorum commissorum, vel possibilium committi, infirmitate, necessitate, & voluntatis perversitate.

Secundo videndum est, qualiter iste radius intelligentiæ dilatetur in consideratione beneficiorum commissorum, quæ quidem sunt in triplici genere. Quædam enim spectant ad complementum naturæ, quædam ad adiutorium gratiæ, & quædam ad donum superabundantiæ. Ad complementum naturæ spectat, quod dedit Deus ex parte corporis, scilicet, membrorum integritatem, complexionis sanitatem, & sexus nobilitatem. Ex parte sensus, visum perspicuum dedit, auditum acutum, B & sermonem discretum. Ex parte animæ, ingenium clarum, judicium rectum, & animum bonum dedit. Ad adiutorium autem gratiæ, spectat primo, quod dedit gratiam baptismalem, qua deletur culpa, restituitur innocentia, & confertur justitia. Et per hoc dignum facit vita æterna. Secundo, quod dedit gratiam pœnitentialem quantum ad animi voluntatem, temporis opportunitatem, & Religionis sublimitatem. Tertio, quod dedit gratiam Sacerdotalem per quam fecit dispensatores doctrinæ, dispensatores indulgentiæ, & dispensatores Eucharistiæ. In quibus omnibus secundum plus, & minus dispensantur verba vitæ. Ad do- C num autem superabundantiæ spectat, quod primo dedit totum mundum, scilicet, inferiora ad obsequium, paria ad meritum, & superiora ad patrocinium. Secundo dedit Filium suum, & hoc in fratrem, & amicum, in pretium nostrum, & in cibum quotidianum. Primum in incarnatione, secundum in passione, & tertium in altaris consecratione. Tertio dedit Spiritum Sanctum: & hoc in signaculum acceptionis, in privilegium adoptionis, & in annulum desponsationis. Et per hoc fecit animam Christianam, vere suam amicam, filiam, & sponsam. Hæc omnia sunt mira, & ineffabilia: & in eorum meditatione ad modum sponsæ anima debet esse Deo grata.

A Tertio circa viam illuminativam, videndum est qualiter iste radius intelligentiæ per meditationem est reflectendus: ut ad fontem totius boni revertatur, recogitando præmia promissa. Considerandum est ergo solicite, & frequenter pensandum: quod Deus, qui non mentitur, credentibus diligentibus se promisit veraciter amotionem omnium malorum, associationem omnium Sanctorum, & impletionem omnium desideriorum in seipso, qui origo est, & finis omnium bonorum. Qui est tantum bonum, quod excedit omnem petitionem, omnem desiderii dilatationem, & omnem æstimationem. Et nos tanto bono dignos reputat, si diligimus, & appetimus eum super omnia, & propter se: & ideo cum omni desiderio, & affectu ac benevolentia, debemus in ipsum tendere.

Postremo sequitur, qualiter nos exercere debemus ad igniculum sapientiæ. Hoc autem faciendum est hoc ordine. Quia iste igniculus sapientiæ sollicite ac diligenter est primo congregandus, secundo inflammandus, & tertio sublevandus. Congregatur autem, per reductionem affectionis ab omni amore creaturæ, a cujus amore revocari debet affectio. Quoniam amor creaturæ non proficit: & si proficit, non reficit, & si reficit, non sufficit. Ideo omnis amor talis ab affectu: debet omnino elongari.

Secundo inflammandus est igniculus iste, & hoc ex conversione affectionis super amorem Sponsi. Et hoc quidem fit, vel comparando ipsum amorem ad seipsum, vel ad affectum supernorum civium, vel ad ipsum Sponsum. Tunc autem hoc fit quando attendit, quod per hunc amorem potest in nobis suppleri omnis indigentia, & quod per amorem est in beatis omnis boni abundantia, & quod per amorem habetur ipsius summi desiderabilis præsentia. Hæc enim sunt, quæ affectum inflammant.

Tertio sublevandus est igniculus iste, & hoc supra omne sensibile, imaginabile, & intelligibile, hoc or-

ordine, ut homo immediate de ipso A quem perfecte optat diligere, primo meditando discat, quod ille, quem diligit, non est visibilis, audibilis, nec odorabilis, gustabilis, tangibilis, aut sensibilis: immo totus desiderabilis. Secundo cogitet, quod ille, quem diligendo quærit, non est terminabilis, figurabilis numerabilis, circumscriptibilis, commutabilis, aut imaginabilis sed totus desiderabilis. Tertio cogitet, quod ille, quem diligit, non est demonstrabilis, diffinibilis, opinabilis, æstimabilis, investigabilis, aut intelligibilis sed totus desiderabilis.

Ex his autem liquide patet, qualiter ad sapientiam sacræ Scripturæ perveniri potest, meditando, scilicet B circa viam purgativam, illuminativam, & perfectivam. Et non solum sacræ Scripturæ continentia, immo omnis meditatio nostra debet versari circa ista. Nam omnis meditatio sapientis, aut est circa opera humana, cogitando, scilicet quid homo fecerit, & quid debeat facere, & quæ sit ratio movens: aut circa opera divina, cogitando, scilicet quanta Deus homini commiserit, quod omnia fecit propter hominem, quanta dimiserit, & quanta repromiserit, & in hoc clauduntur opera creationis, reparationis, & glorificationis; aut circa utrorumque principia, quæ scilicet sunt Deus & anima, qualiter hæc ad invicem sunt C copulanda. Et in hoc debet stare omnis meditatio nostra, quia est finis omnis cognitionis, & operationis, & est sapientia vera, in qua est cognitio per veram experientiam. In hujusmodi autem meditatione tota anima nostra debet esse intenta secundum vires suas, scilicet secundum rationem, & synderesim, conscientiam & voluntatem. Nam in hujusmodi meditatione, ratio percunctando affert propositionem, synderesis, sententiando profert diffinitionem, conscientia testificando infert conclusionem, & voluntas præeligendo defert solutionem. Verbi gratia. Si quis velit meditari circa viam purgativam, debet ratio quærere, quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violavit. Synderesis respondet, quod aut debet disperdi, aut lamentis pœnitentiæ purgari. Conscientia assumit: Tu es ille ergo vel oportet te damnari, aut stimulis pœnitentiæ affligi. Deinde voluntas præelegit, scilicet quod recusat damnationem æternam, & assumit voluntarie pœnitentiæ lamenta. Juxta hunc modum in viis incendendum est.

Caput II.

De oratione quomodo per eam veniatur ad sapientiam veram.

Postquam diximus, qualiter ad sapientiam veram pervenitur, legendo & meditando, videndum est nunc qualiter ad ipsam pervenitur orando. Sciendum autem est, quod Orationis in oratione sunt tres gradus, sive partes tres partes ipsam perficientes: quorum primus est deploratio miseriæ: secundus, imploratio misericordiæ: & tertius, exhibitio latriæ. Latriæ autem cultum Deo exhibere non possumus, nisi ab eo gratiam consequamur. Misericordiam vero Dei ad dandam gratiam non possumus inflectere, nisi per deplorationem & expositionem nostræ miseriæ & indigentiæ. Nam omnis perfecta oratio debet habere istas tres partes. Non enim sufficit una sine altera, nec perducit ad metam perfectam, & ideo hæc tria sunt semper jungenda.

Doploratio autem miseriæ circa quamcumque miseriam fit, sive pro perpetratione culpæ, sive pro amissione gratiæ, sive pro dilatione gloriæ: hæc tria debet habere scilicet, dolorem, pudorem, & timorem. Dolorem propter damnum, sive incommodum: pudorem propter opprobrium sive inhonestum: timorem, propter periculum sive reatum. Ex memoria enim præteritorum oritur dolor dum recordatur, quid omisit, quia præcepta justitiæ: quid commisit, quia prohibita culpæ: quid amisit, quia gratuita vitæ. Ex intelligentia præsentium oritur pudor, dum attendit, ubi sit, quia longe in imo,

Prov. 5 imo, quæ fuerat prope in summo; qualis sit; quia fœda in luto, quæ fuerat pulchra imago: quæ sit, quia ancilla, quæ fuerat libera. Ex providentia futurorum oritur timor, dum præcogitat, quo tendat, quin ad inferos properat gressus ejus: quod occurrat, quia judicium inevitabile, justum tamen: quid assequatur, quia stipendium mortis æternæ.

Rom. 8 Imploratio autem misericordiæ circa quamcumque gratiam invocetur, debet esse cum affluentia desiderii quod habemus a Spiritu sancto, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: cum fiducia spei, quam habemus a Christo, quia mortuus est pro nobis omnibus: cum diligentia implorandi subsidii, quod quærimus a Sanctis omnibus. Quando enim hæc tria concurrunt, tunc imploratur efficaciter divina misericordia. 1 Pet. 2 Affluentiam desiderii habemus a Spiritu sancto, quia per ipsum sumus a Patre in Filio prædestinati æternaliter: per ipsum sumus renati in baptismo spiritualiter: & quia per ipsum sumus congregati in Ecclesia unanimiter. Confidentiam spei habemus a Christo Domino, quia pro nobis obtulit se in cruce in terra, quia pro nobis offertur a matre Ecclesia in sacramento altaris, in sui memoriam: & quia pro nobis apparet vultui Patris in cœlo in gloria. Diligentiam implorandi subsidii a Sanctorum consortio, habemus ab Angelorum ministrantium patrociniis, a beatorum triumphantium suffragiis, & a justorum militantium meritis.

Exhibitio autem latriæ ex quacumque gratia Deus colatur, debet habere tria. Primo enim ob gratiam impetrandam, debet cor nostrum incurvari ad Dei reverentiam, & adorationem. Secundo debet dilatari ad benevolentiam, & gratiarum actionem. Tertio debet elevari ad complacentiam, & mutuam allocutionem, quæ est Sponsi & Sponsæ, quam docet Spiritus sanctus in Canticis. In quasi recto ordine fiat, mira est exultato & jubilatio: ita ut ducatur homo in excessum, & faciat animam

A dicere: Bonum est nos hic esse. Et hic debet oratio nostra terminari. Matt. 17 Nec ante debet homo desistere, donec ingrediatur in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei ubi in voce exultationis est sonus epulantis. Ps. 41 Ut autem incurveris ad reverentiam, admirare immensitatem divinam, & intuere modicitatem tuam. Ut dilateris ad benevolentiam attende benignitatem divinam, & vide indignitatem tuam. Ut eleveris ad complacentiam, recogita charitatem divinam, & considera tepiditatem tuam: ut ex huius collatione pervenias in excessum mentis.

Deo tripliciter exhibenda reverentia. Sciendum autem, quod reverentiam debemus exhibere Deo tripliciter. B Primo tamquam Patri, a quo formati, reformati, & educati. Secundo tamquam Domino, a quo eruti de ore inimici, redempti de carcere inferni, & conducti in vineam Domini pro munere Paradisi. Tertio debemus exhibere Deo reverentiam, tamquam judici, coram quo accusati, accusat enim clamor conscientiæ coram quo convicti, convincit enim evidentia vitæ: & coram quo confessi, confitetur enim aspectus divinæ sapientiæ, unde contra nos de jure debeat sententia proferri. Et prima quidem reverentia debet esse magna secunda major, tertia maxima. Unde prima est ad modum inclinationis, secunda ad modum genuflexionis, & tertia ad modum prostra- C tionis. In prima nos subiicimus, in secunda nos deiicimus in tertia nos abiicimus. In prima reputamus nos parvos, in secunda minimos, in tertia vero nullos.

Deo tripliciter benevolentia præstanda. Benevolentiam autem debemus simili modo Deo tripliciter exhibere: scilicet magnam, majorem & maximam. Magnam consideratione infirmitatis nostræ: majorem consideratione magnitudinis gratiæ suæ: & maximam consideratione immensitatis misericordiæ suæ. Et magnam pro commissis, majorem pro dimissis; & maximam pro promissis. Vel magnam pro complementis naturæ, majorem pro indumentis gratiæ, & maximam pro donis supererogantiæ. In prima cor extenditur, in secunda

da aperitur, ut in Canticis dicitur: Aperi mihi soror mea: & in tertia effunditur, ut in Threnis dicitur: Effunde super aquam cor tuum ante conspectum Domini.

Cant. 5
Thren. 4

Complacentia tripliciter Deo exhibenda toto corde

Complacentiam autem triplici modo debemus Deo exhibere toto corde. Primo, ut sic coaptetur complacentia nostra ad Deum, ut unicuique placeat, quod solus Deus placeat sibi. Secundo, ut ei hoc placeat, quod ipse placeat soli Deo. Tertio, ut hoc ei placeat, quod in hac complacentia ceteri communicent. In prima est magna, in secunda major, & in tertia maxima. In prima est amor gratuitus, in secunda est amor debitus, & in tertia est amor ex utroque permixtus. In prima crucifigitur mundus homini, in secunda crucifigitur homo mundo, & in tertia crucifigitur homo pro mundo, ut pro omnibus velit homo mori, ut & ipsi placeant Deo. Et hic est gradus, & status perfectæ charitatis, ante cujus assecutionem nemo debet se æstimare perfectum. Tunc autem hanc perfectionem homo assequitur, quando cor suum invenit non solum voluntarium, sed etiam avidissimum ad moriendum pro salute proximorum, secundum quod Apostolus dicebat. Libentissime impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. Ad hanc perfectam dilectionem proximi non pervenitur, nisi prius perveniatur ad perfectam dilectionem Dei, propter quem diligitur proximus, qui non est diligendus nisi propter Deum. Et propterea ad intelligendam perfectionem in dilectione Dei, sciendum est, quod sex sunt gradus, quibus paulatim & ordinate proceditur, ut ad perfectionem perveniatur. Quorum primus est suavitas, secundus aviditas, tertius saturitas, quartus ebrietas, quintus securitas, sextus tranquillitas.

2 Cor. 12

Primus itaque gradus est suavitas, ut homo addiscat gustare quam suavis est Dominus. Et hoc quidem fit vacando, & sabbatizando ei per sanctas meditationes, secundum quod dicitur in Psalmo: Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi. Quod

Ps. 75

A quidem fit, quando meditationes circa amorem Dei, suavitatem pariunt in corde.

Secundus gradus est aviditas, quando scilicet anima assuefieri cœperit circa illam suavitatem, & nascitur in ea tanta esuries, ut nihil eam possit reficere, nisi eum quem amat possederit perfecte. Quod quia non potest in præsenti attingere, quia adhuc longe est, continue excedit & egreditur extra per amorem ecstaticum, clamans & dicens illud beati Job: suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea. Et illud Psalmi: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

Job. 7
Ps. 41

B Tertius gradus est saturitas, quæ oritur ex ipsa aviditate. Qui enim vehementissime Deum desiderat, & sursum fertur, jam omne quod deorsum videt, vertitur ei in fastidium. Unde quasi saturatus non potest refectionem invenire in aliquo, citra ipsum dilectum. Et sicut saturatus si cibum sumat, incurrit potius abominationem quam refectionem, sic in hoc gradu charitas facit circa omne creatum. Unde dicit Sapiens: Anima saturata calcabit favum.

Prov. 27

Quartus gradus est ebrietas quæ oritur ex saturitate. Ebrietas autem in hoc consistit, quod quis tanto amore diligat Deum, ut jam non solum fastidiat solatium terrenum, C sed etiam delectetur, & quærat tormentum pro solatio, & amore illius, quem diligit, delectetur in pœnis, opprobriis, & flagellis cum Apostolo. Unde sicut ebrius seipsum denudat sine pudore, & sustinet plagas sine dolore; sic in isto intelligendum est. Unde: Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.

2 Cor. 12
Act. 5

Quintus gradus est securitas, quæ oritur ex ebrietate. Ex hoc enim quod anima sentit se tantum amare Deum, quod libenter sustinet, propter ipsum omne damnum, & omne opprobrium, jam foras mittitur timor, & tantum concipit anima spem de adiutorio Dei, ut nullo modo existimet se posse separari

ab

ab eo. In hoc gradu erat Apostolus, cum dicebat: Quis nos separabit a charitate? &c. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita & cetera, poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo IESU Domino nostro.

Rom. 8

Sextus gradus est vera & plena tranquillitas, per quam est tanta pax & requies in anima, ut quodam modo sit in silentio, & somno, & velut in arca Noe collocata, ut nullo modo perturbetur. Quis enim potest inquietare mentem, quam nullus cupiditatis stimulus inquietat, & nullus timoris aculeus agitat. In ista mente pax est, & status ultimus, & quies, & ibi requiescit verus Salomon: Quoniam in pace factus est locus ejus. Et ideo valde convenienter isti gradus significantur per illos sex gradus, quibus ascendebatur ad thronum Salomonis. Et propter hoc dicitur in Canticis: Ascensum purpureum media charitate constravit. Quia impossibile est ad istam tranquilitatem pertingere, nisi per charitatem. Hac autem acquisita, facillimum est homini facere omne, quod est perfectionis, sive agere, sive pati, sive vivere, sive mori. Studendum est igitur ad profectum charitatis, cum profectus ejus inducat perfectionem omnis boni, & complementum.

Ps. 75
3 Reg. 10
2 Para. 9
Cant. 3

Ut igitur sint ad manum prædictæ differentiæ, nota, quod qui ad hanc perfectionem vult proficere, debet per meditationem stimulum conscientiæ primo exasperare, exacuere, & rectificare: & sic ad radium intelligentiæ transire, ipsum protendendo, dilatando, & reflectendo: & sic ad igniculum sapientiæ transire ipsum congregando, inflammando, & sublevando; & sic per orationem primo debet deplorare miseriam suam, cum dolore propter damnum, cum pudore propter opprobrium, & cum timore propter periculum.

Secundo debet implorare divinam misericordiam, cum vehementia desiderii per Spiritum sanctum, cum fiducia spei per Christum crucifixum, & cum assistentia patrocinii per Sanctorum suffragia.

A Tertio debet exhibere latriam, exhibendo Deo reverentiam, benevolentiam, & complacentiam. Ut primo ex parte Dei procedat admiratio divina, quasi major propositio: secundo ex parte nostra sequatur consideratio, quasi assumptio: tertio fiat latriæ plena exhibitio, quasi conclusio. Qui autem sic excitaverit se continue & intente, proficiet in charitate secundum sex gradus prædictos, quibus pervenitur ad perfectionem tranquillitatis ubi est multitudo pacis, & quasi quidam finis quietis nostræ, quam Dominus reliquit Apostolis. Unde nota, quod Apostolus in qualibet salutatione optabat gratiam & pacem, gratiam tanquam B primordialem, pacem sicut complementum: ad Timotheum autem interponit misericordiam, quæ est utriusque principium.

Nota, quod in Missa cogitandum est de negligentia circa corpus Christi. Nota de sacramento, quod Dominus propter nos semper totus ibi est, & nos raro vel nunquam ibi toti sumus propter eum. Item quod ibi est pretium redemptionis nostræ, & non liberamur & hoc restat per nos. Item quod ibi vere est Deus, & non videmus eum, ad quem videndum creati sumus. Item quod ibi est paratior ad liberandum nos, quam nos a miseria liberari. Item quod ipse ad salutem nostram C instituit hoc sacramentum, & tam studiose: nos vero tepidi, imo toti frigidi hoc consecramus. Item quod ipse ibi est cum Angelorum frequentia, nos cum magna cordis irreverentia. Item quod ipse ibi ardens est pro nostra dilectione, nos ibi remissi in gratiarum actione. Item quod ipse ibi est cibus Angelorum ad nostram refectionem, & nos non gustamus eum propter nostram corruptionem. Item quod quidquid dispergimus per culpam, ipse ibi congregat per gratiam, nec tamen grati sumus. Item quod ipse se ibi offert pretium redemptionis nostræ sine tædio, nec tamen liberamur omnino.

Pulchræ & utiles meditationes infra Missarum solemnia.

Vis ergo scire, quæ & quanta, & quibus debeas? Primo Christo omnem vi-

Quantum Christo Domino debeamus.

vitam tuam ponere: quia ipse suam posuit pro tua, & cruciatus diros sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. Sed confer præmia omnis vitæ filiorum Adam & omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui fuerunt, sunt, & erunt, nihil erunt ad comparationem illius corporis, quod spectabile, & etiam stupendum est virtutibus supernis in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia, & in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum. Sicut igitur exaltantur cœli a terra, sic exaltata est vita illius a vita hominum, quæ tamen posita est pro vita nostra. Sicut enim nihil ad aliquid nullam habet comparationem, ita vita nostra ad vitæ illius proportionem. Cum illa nulla dignior sit, nostra nulla miserior potest esse. Cum ergo ei me devovero, quid quæso sum, nonne sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem? Sed non huic soli debitor sum, cui nihil retribuere possum.

Peccata præterita vitam præteritam ad pœnitentiam obligant.

Exigunt a me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam dignos fructus pœnitentiæ, & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Sed ad hoc quis idoneus? Peccavi super numerum arenæ maris, & multa sunt peccata mea, & non sum dignus aspicere cœlum, dixit Manasses in sua oratione, &c. Quid igitur sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo sufficiam, cum cogas reddere debitum usque ad novissimum quadrantem? Sed & delicta quis intelligit? Quantum pœniteam, quantumlibet me affligam & macerem propter nomen tuum, non propter pœnitentiæ meritum, propitiaberis Domine peccato meo, ait justus, multum est enim. *Ps. 24*

Cum igitur quidquid vis, quidquid sapis, quidquid habes, quidquid potes huic uni rei dedicaveris, numquid est, vel in aliquid computandum est.

Vitam nostram gloria, quam speramus, sibi vendicat.

Sed tertium debitorem ostendam tibi, qui non minus acriter, quam veraciter sibi vendicat vitam tuam.

A Puto enim quod possidere desideras gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, &c. regnum omnium sæculorum, vivere in æternum, in perpetuas æternitates. Credo quod velis æqualis esse Angelis Dei, & in plateis supernæ Hierusalem melos Angelorum audire, & videre quidquid est illud vel erit, quando Deus erit omnia in omnibus. Nonne ad hoc totum te, & quantumcumque undique trahere poteris, dare oportebit? Et cum omnia impleveris, non tamen credas condignas esse passiones hujus temporis vel corporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. *1 Cor. 2*

Creatori nostro totaliter quidquid sumus, debemus.

Quid dices, & si quarum debitorem adduxero in medium, qui sibi B jure primatus tres superiores excedere velit? Ecce in januis est, qui fecit cœlum & terram. Creator tuus, tu creatura. Tu servus, ille Dominus. Ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes: a quo totum habes. Illi præcipue Domino, qui & fecit te, & bene fecit tibi, qui & tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, jucunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis visceribus serviendum est: ne forte indignationis oculo te respiciat ac despiciat, & conterat te in æternum. Expone igitur mihi, cui horum quatuor proponis reddere quod C debes, cum unusquisque tam interius, quam exterius exactor sit, ut te singulariter possideat? Eja Domine, vim patior, responde pro me, quia horum quatuor quilibet de jure me tenere potest, & suffocare. In manus tuas commendo spiritum meum, tu persolve omnibus, tu ab omnibus me libera, quia tu es Deus & non homo, & quod apud hominem impossibile est, possibile est tibi Domine Deus noster.

CA-

Caput III.

De contemplatione, quomodo per eam perveniendum sit ad sapientiam veram.

POstquam autem diximus, qualiter ad sapientiam nos exercere debeamus per meditationem & orationem, nunc breviter tangamus, qualiter contemplando ad veram sapientiam pervenitur. Per contemplationem namque transit mens nostra ad supernam Hierusalem: ad cujus Exod. 25. instar, Ecclesia est formata, secundum illud Exodi: Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est in monte. Necesse est enim Ecclesiam militantem conformari triumphanti, & merita præmiis, & viatores beatis secundum quod possibile est. In gloria autem triplex est dos, in qua consistit perfectio præmii, scilicet summæ pacis tentio, summæ veritatis visio, & summæ charitatis fruitio. Et secundum hoc distinguitur triplex ordo in suprema Hierarchia cœlesti scilicet Thronorum, Cherubim, & Seraphim. Necesse est igitur, ut qui vult ad illam beatitudinem per merita pervenire, istorum trium similitudinem, secundum quod possibile est, in via sibi comparet, scilicet, ut habeat soporem pacis, splendorem veritatis, & dulcorem charitatis. In his enim tribus requiescit Deus, & habitat tamquam in solio proprio. Necesse est igitur, unumquodque trium prædictorum, per tres gradus ascendendi distinguere secundum triplicem viam, nempe purgativam, quæ consistit in expulsione peccati, illuminativam, quæ consistit in imitatione Christi; & unitivam, quæ consistit in susceptione Spiritus sancti. Ita quod quælibet via habet gradus suos, per quos ascenditur ab imo, & tenditur usque ad summum.

Gradus autem perveniendi ad soporem pacis, sunt isti septem.

Primo occurrit pudor in recordatione flagitii, & hoc quantum ad quatuor, scilicet quantum ad magnitudinem, multitudinem, turpitudinem, & ingratitudinem.

A Secundo occurrit timor in circumspectione judicii, & hoc quadruplicis, scilicet dissipationis operis, excæcationis rationis, obdurationis voluntatis, & condemnationis finalis.

Tertio occurrit dolor in æstimatione damni, & hoc secundum quatuor, scilicet quantum ad amissionem divinæ amicitiæ, quantum ad perditionem innocentiæ, quantum ad vulnerationem naturæ, & quantum ad dissipationem vitæ præteritæ.

Quarto occurrit clamor in imploratione subsidii quadruplicis, scilicet Dei Patris, Filii Redemptoris, Virginis Matris, Ecclesiæ triumphantis.

Quinto occurrit rigor in extinctione fomitis, sive incentivi quadruplicis, B scilicet ariditatis quæ est desidia, perversitatis quæ est malitia, voluptatis, quæ est concupiscentia, & vanitatis quæ est superbia.

Sexto occurit ardor in appetitu Martyrii, & hoc propter quatuor, scilicet propter perfectionem remissionis offensæ, purgationis maculæ, satisfactionis pœnæ, & propter perfectionem * sanctificationis concupiscentiæ. * al exactionis.

Septimo loco occurrit sopor in obumbratione Christi, ubi est status & requies, quando homo sentit se protegi sub umbra alarum divinarum, ut non utatur ardore concupiscentiæ nec timore pœnæ. Ad quod non potest perveniri, nisi per appetitum C Martyrii: nec ad appetitum Martyrii, nisi extinxerit incentivum: nec ad extinctionem incentivi, nisi imploraverit subsidium: nec ad implorationem subsidii, nisi deploret damnum: nec ad deplorationem damni, nisi timeat judicium: nec ad timorem judicii, nisi recordetur & erubescat flagitium. Qui ergo vult habere pacis soporem, procedat secundum ordinem prædictum.

Gradus autem perveniendi ad splendorem veritatis, ad quem pervenitur imitatione Christi, sunt isti septem, scilicet assensus rationis, affectus compassionis, aspectus admirationis, excessus devotionis, amictus assimulationis, amplexus crucis, & intuitus veritatis. In quibus hoc ordine progrediendum est.

Primo considera quis est, qui patitur, & ei subdere per rationis assensum, ut credas firmissime ipsum veraciter esse Dei filium, omnium rerum principium, Salvatorem hominum, & retributorem meritorum omnium.

Secundo considera qualis est, qui patitur, & ei configurare per compassionis affectum, scilicet ut compatiaris ei tamquam innocentissimo, mitissimo, nobilissimo, & amantissimo.

Tertio considera quantus est, qui patitur, & ad ipsum egredere, per admirationis aspectum: & attende, quod ipse est immensus potestate, speciositate, felicitate, & æternitate. Igitur admirare immensam potestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

Quarto considera, qua de causa patitur, & teipsum obliviscere per devotionis excessum: quia patitur, scilicet pro tua redemptione, illuminatione, sanctificatione, & glorificatione.

Quinto considera, quali forma patitur, & ipsum induere per assimulationis amictum. Passus est enim sicut verus agnus, libentissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu Patris, & prudentissime respectu adversarii. Stude igitur ad habendum habitum secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, severitatis, humilitatis, & perspicacitatis.

Sexto considera quanta sint quæ patitur, & crucem amplectere per passionis desiderium, ut sicut Christus passus est vincula, ut impotens omnipotentia: convitia, ut vilis bonitas: ludibria ut stulta sapientia, & supplicia, ut iniqua justitia. Sic & tu considera passionem crucis, hoc est, passionem plenam injuriis, in rebus, contumeliis in verbis ludibriis in signis, & suppliciis in tormentis.

Apoc. 5: Septimo considera quid ex hoc consequitur, quod patitur, & veritatis radium intuere per contemplationis oculum. Quoniam ex hoc, quod agnus passus est, septem signacula libri aperta sunt. Liber iste est universalis rerum notitia, in qua septem erant clausa homini, quæ quidem sunt per passionis Christi efficaciam reserata scilicet Deus admirabilis, spiritus intelligibilis, mundus sensibilis, paradisus desiderabilis, infernus horribilis, virtus laudabilis, reatus culpabilis.

A

Primo enim Deus admirabilis, manifestatus est nobis per crucem esse summæ, & inscrutabilis sapientiæ, summæ & irreprehensibilis justitiæ, summæ & inenarrabilis misericordiæ. Summa enim sua sapientia decepit diabolum: summa sua justitia quæsivit redemptionis pretium summa sua misericordia pro nobis tra-

B

didit Filium suum. Quæ si diligenter considerentur, Deum nobis clarissime manifestant.

Secundo spiritus intelligibilis nobis manifestatus est per crucem, secundum differentiam triplicem, scilicet quantæ sit benignitatis quantum ad Angelos, quantæ sit dignitatis quantum ad homines, & quantæ sit crudelitatis quantum ad dæmones. Nam Angeli permiserunt crucifigi Dominum suum: Dei Filius crucifixus est propter genus humanum, & hoc ad crudelem suggestionem dæmonum.

Tertio mundus sensibilis nobis manifestatus est per crucem, quoniam est locus tenebrarum plenus: in quo regnat cæcitas, quoniam lucem ve-

C

ram & summam non cognovit: regnat sterilitas, quoniam JESUM CHRISTUM tamquam infructuosum despexit: & regnat impietas, quoniam Deum, & Dominum suum, & amicum, & innocentem damnavit, & interfecit.

Quarto paradisus desiderabilis nobis manifestatus est per crucem, in quo est fastigium totius gloriæ, spectaculum omnis lætitiæ, & promptuarium omnis opulentiæ. Unde Deus propter illam habitationem nobis restituendam, factus est pro nobis homo, scilicet vilis, miser, & pauper. In quo celsitudo abjectionem induit, justitia reatum subiit, opulentia egestatem suscepit. Nam altissimus Imperator accepit servitutem abjectam, ut sublimaremur in glo-

riam

riam. Justissimus judex subiit reatum pœnalissimum, ut justificaremur a culpa. Opulentissimus Dominus suscepit egestatem extremam, ut locupletaremur in copia.

Quinto infernus horribilis manifestatus est nobis per crucem, locus utique plenus omni egestate & pœnuria, vilitate, & ignominia, & omni calamitate, & miseria. Unde si necesse fuit hæc Christum pati propter peccati deletionem, multo fortius oportet hæc pati damnatos, propter justam meritorum suorum retributionem.

Sexto manifestata est nobis per crucem virtus laudabilis, quantum scilicet sit pretiosa, speciosa, & fructuosa. Vere pretiosa, quia potius voluit Christus vitam corporalem perdere, quam virtuti contraire. Vere speciosa, quia in ipsis contumeliis relucebat. Et vere fructuosa, quia unus actus perfectæ virtutis infernum spoliavit, cœlum aperuit, & perdita restauravit.

Septimo manifestatus est nobis per crucem reatus culpabilis, quantum sit detestabilis, cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, grandi piaculo, & tam difficili medicamento. Ecce igitur habes, quomodo in cruce omnia manifestantur, si bene ad hæc septem reducantur. Omnia enim ad hæc septem reducuntur. Unde ipsa crux vere beata, est clavis, porta, via, & splendor veritatis. Quam qui devote sibi tollit, & sequitur Christum juxta modum præassignatum, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

Gradus autem perveniendi ad dulcorem charitatis, sunt isti septem, scilicet vigilantia sollicitans, confidentia confortans, concupiscentia inflammans, excedentia elevans, complacentia quietans, lætitia delectans, & adhærentia conglutinans. In quibus hoc ordine progredi debes, qui vis ad perfectionem charitatis, & amoris Spiritus sancti pertingere.

Primo ergo necesse est, ut vigilantia te sollicitet, propter Sponsi promptitudinem, adeo ut possis dicere illud Psalmi: Deus Deus meus *Psal. 62.* *Cant. 5*
ad te de luce vigilo. Et illud Sponsæ: Ego dormio: & cor meum vigilat. Et illud Isaiæ: Anima mea desideravit te in nocte, sed & Spiritu meo in præcordiis meis, de mane vigilabo ad te. *Isa. 26.*

Secundo, ut confidentia te confortet, propter Sponsi certitudinem, adeo ut vere possis dicere: In Domino confido. Et illud: In te Domine speravi. Et illud Job: Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Psal. 10.* *Psal. 30.* *Job. 13.*

Tertio, ut concupiscentia te inflammet propter Sponsi dulcedinem, adeo ut possis dicere; sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Et illud Canticorum: Fortis est ut mors dilectio. Et illud: quia amore langueo. *Psal. 41.* *Cant. 8.* *Cant. 2*

Quarto, ut excedentia te elevet, propter Sponsi celsitudinem, adeo ut possis dicere cum Psalmista: Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. Et illud Canticorum: Trahe me post te, &c. Et illud Job: Suspendium elegit anima mea. *Psal. 83.* *Cant. 1.* *Job. 7*

Quinto ut complacentia te quietet, propter Sponsi pulchritudinem, adeo ut possis dicere illud Sponsæ: Dilectus meus mihi & ego illi. Et illud: Dilectus meus candidus & rubicundus electus ex millibus. *Cant. 2* *Cant. 5*

Sexto, ut lætitia te delectet propter Sponsi plenitudinem, adeo ut possis dicere: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Et illud: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Dominæ. Et illud Apostoli: Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, &c. *Psal. 93.* *Psal. 30.* *2 Cor 7*

Septimo, ut adhærentia te conglutinet: propter amoris Sponsi fortitudinem, adeo ut possis dicere illud Psalmistæ: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Et illud Pauli: Quis nos separabit a charitate Christi? In his enim gradibus ordo est, nec status est ante ultimum, nec ad illum pervenitur, nisi per gradus intermedios, & mutuo se pariunt. Et in primo viget consideratio, in cæteris vero sequentibus dominatur affectio. Vigilantia enim considerat, quam ho- *Psal. 72.* *Rom. 8.*

nestum, quam conferens, quam delectabile sit diligere Deum. Et ex hoc quasi nata confidentia, parit concupiscentiam, & illa excedentiam, quousque perveniatur ad copulam, osculum, & amplexum dilecti, & amantissimi.

Gradus pertinentes ad purgationem, sic distinguuntur. Possunt autem dicti gradus aliter distingui, & quasi in idem redeunt, ut primo distinguantur & gradus purgationum sic: Propter flagitium erubesce, propter judicium contremisce, propter damnum ingemisce, propter remedium implora subsidium, propter adversarium extingue incendium, propter bravium anhela ad martyrium, & propter umbraculum approxima ad Christum.

Gradus pertinentes ab illuminationem sic distinguuntur. Nota quis patitur, & credens captivare: qualis qui patitur, & condolens amaricare: quantus qui patitur, & stupens admirare: qua de causa patitur, & confidens precare: quali forma patitur, & sequens assimilare: quanta quæ patitur, & ardens amplexare: & quid ad hoc consequitur? quod patitur, & intelligens contemplare.

Gradus viæ unitivæ sic distinguuntur: Te vigilantia sollicitet, propter Sponsi promptitudinem; confidentia corroboret, propter ejus certitudinem; concupiscentia inflammet, propter ejus dulcedinem: excedentia elevet, propter ejus celsitudinem: complacentia alliciat, propter ejus pulchritudinem: lætitia inebriet, propter amoris ejus plenitudinem, & adhærentia conglutinet, propter ejus fortitudinem, ut dicat semper devota anima in corde suo ad Dominum. Te quæro, in te spero, te desidero, in te consurgo, te accepto, in te exulto, & tibi finaliter adhæreo.

Nota quod gradus proficiendi possunt etiam aliter distingui, secundum triplicem differentiam triplicatam, triplici hierarchiæ consonam. Nam cuilibet proficere volenti, necessaria sunt tria, scilicet amaritudo, gratitudo, & similitudo. Et hoc post lapsum. Si enim homo non peccasset, duo sufficerent scilicet gratitudo & similitudo. Gratitudo videlicet propter gratiam, similitudo vero propter justitiam. Sed nunc etiam necessaria est amaritudo, propter medicinam. Peccata enim per delectationem perpetrata, non possunt purgari aliquo modo, aut deleri, nisi econtrario per afflictionem, & amaritudinem.

In ipsa autem amaritudine debet esse ponderatio malorum commissorum, propter proprias nequitias: perpessio dolorum, propter Christi angustias, & postulatio remediorum, propter proximi miserias.

In gratitudine autem simili modo debet esse admiratio beneficiorum, propter creationem de nihilo: accumulatio meritorum, proprer reparationem de peccato: & actio gratiarum, propter ereptionum de inferno. Fuit enim creatio ad imaginem, redemptio per proprium sanguinem, & ereptio usque ad cæli altitudinem.

B

In similitudine etiam pari modo debet esse aspectus veritatis elevatus ad superiora: affectus charitatis dilatatus ad exteriora: & actus virilitatis ordinatus ad interiora. Elevatio ad superiora debet diligenter fieri per aspectum veritatis, & hoc per contemplationem Dei intelligentia: per circumspectionem universorum scientia: & per captivationem judiciorum fide formata.

C

Item dilatatio seu extensio circa exteriora, debet fieri diligenter per affectum charitatis, & hoc per appetitum deliciarum cœlestium, sapientia: per amplexum rationabilium, amicitia: & per contemptum voluptatum carnalium, modestia.

Item ordinatio sive exercitatio circa interiora, debet fieri diligenter per actum virilitatis, & hoc per aggressum difficilium, strenuitate: per actum laudabilium, magnanimitate: & per amplexum humilium, humilitate.

Purgatio autem in amaritudine, in qua, contrito respectu sui, debet esse dolorosa per tristitiam, propter mala prementia teipsum, Christum, & proximum.

Compassio respectu Christi, debet esse amorosa per reverentiam, propter

pter

pter judicia latentia: & tamen vera, licet incerta, sicut tempus, dies & hora.

Commiseratio respectu proximi, debet esse clamorosa per confidentiam, propter patrocinia semper parata per Deum, per Christum, & per suffragia Sanctorum. Illuminatio in similitudine, in qua est aspectus veritatis primæ, qui debet esse erectus ad incomprehensibilia, extentus ad intelligibilia, & exinanitus ad credibilia. In qua etiam est affectus charitatis, qui debet esse erectus ad Deum, extentus ad proximum, & exinanitus ad mundum. In qua etiam est actus virilitatis, qui debet esse erectus ad commendabilia, extentus ad communicabilia, & exinanitus ad contemptibilia.

Sequitur perfectio in gratitudine in qua est vigilantia exurgens ad Canticum, propter beneficiorum utilitatem; lætitia exultans ad jubilum, propter donorum pretiositatem: benevolentia accedens ad amplexum, propter dantis liberalitatem. Nota quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia, & hæc sunt mysteria, summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea, & hoc dupliciter, vel per positionem, vel per ablationem. Primum ponit Augustinus secundum Dionysius.

Per positionem primo intelligimus in divinis esse quædam ut communia, quædam ut propria, quædam ut appropriata, quædam sunt media inter hæc, & illa. Intellige ergo & contemplare si potes circa Deum communia, & vide quoniam Deus est essentia prima, natura perfecta, vita beata: quæ necessariam habent consequentiam. Iterum intende, & vide si potes: quoniam Deus est æternitas præsens, simplicitas replens, & stabilitas movens: quæ similiter consequentiam habent, & connexionem naturalem. Postremo attende & vide, quoniam Deus est lux inaccessibilis, mens invariabilis, & pax incomprehensibilis: quæ non tantum essentiæ unitatem, sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem. Lux quidem tamquam parens generat splendorem, lux autem & splendor producunt calorem: ita quod calor procedit ab utroque, licet non per modum prolis. Si ergo Deus vere lux est inaccessibilis, ubi splendor, & calor est substantia, ibi hypostasis vere in Deo est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: quæ sunt propria divinarum personarum. Mens etiam tamquam principium concipit, & producit a se verbum, a quibus emanat amoris donum. Et hoc in omni mente perfecta est reperire. Si ergo Deus est mens invariabilis planum est in Deo esse principium primum, verbum æternum, & donum perfectum, quæ sunt propria divinarum personarum. Pax etiam includit nexum plurimorum. Perfecte autem necti non possunt, nisi similes. Similes autem esse non possunt, nisi ambo a tertio, vel unus ab altero. Sed in divinis non possunt ambo esse a tertio eodem modo. Necesse est ergo, quod si in divinis sit vera pax, quod ibi sit prima origo, ejus imago, & utriusque connexio.

Deinde in divinis sunt appropriata secundum triplicem differentiam. Prima appropriata sunt unitas, veritas, & bonitas. Attribuitur unitas Patri, quia origo: veritas Filio, quia imago: bonitas Spiritui sancto, quia connexio.

Secunda appropriata sunt potestas, sapientia, & voluntas. Attribuitur potestas Patri, quia est principium: sapientia filio, quia est verbum: voluntas Spiritui sancto, quia est donum.

Tertia appropriata sunt altitudo, pulchritudo, & dulcedo. Attribuitur altitudo patri, propter unitatem & potestatem. Nihil enim aliud est altitudo, quam singularis, & unica potestas. Pulchritudo Filio, propter veritatem, & sapientiam. Nam sapientia multitudinem idearum, veritas autem æqualitatem includit. Pulchritudo autem nihil aliud est, quam æqualitas numerosa. Dulcedo Spiritui sancto, propter bonitatem & voluntatem. Ubi enim summa bonitas est juncta cum voluntate, ibi est summa charitas, & summa dulcedo. Est igitur in Deo altitudo terribi-

ribilis, & hic est status erectionis, A pulchritudo mirabilis, & hic est status contemplationis: dulcedo desiderabilis, & hic est status glorificationis. Hæc est igitur erectio per viam affirmationis.

Sed alia est eminentior per viam negationis. Quoniam, ut dicit Dionysius: Affirmationes incompactæ sunt. Negationes vero, licet videantur minus dicere, plus tamen dicunt. Et hic modus erectionis est per abnegationem trium, ita quod in negationibus illis sit ordo, incipiendo ab inferioribus usque ad su- B periora. Est etiam supereminentis positionis inclusio. Ut cum dicitur, Deus non est quid sensibile, sed supersensibile, nec imaginabile, sed superimaginabile, nec intelligibile, sed superintelligibile, nec existens hoc vel hoc, sed super omne ens. Et tunc veritatis aspectus fertur in mentis caliginem, & altius elevatur, & profundius egreditur pro eo quod excedit se & omne creatum. Et hic est nobilissimus elevationis modus. Sed tamen ad hoc, quod sit perfectus, præexigit alium, sicut perfectio illuminationem, & sicut negatio affirmationem. Hic autem modus ascendendi tanto est vigorosior, quanto vis ascendens est intimior: tanto fructuosior, quanto affectio proximior. Et ideo utile valde est in illa exerceri.

Ut ergo in hac elevatione veritatis aspectus se valeat exercere, nota quod in prima hierarchia veritas est advocanda per gemitum & orationem, & hoc est Angelorum. Audienda per studium, & devotionem, & hoc Archangelorum. Annuncianda per exemplum, & prædicationem, & hoc est Principatuum.

In secunda hierarchia veritas est adeunda per refugium & commissionem, & hoc est potestatum. Apprehendenda per zelum & æmulationem, & hoc est Virtutum. Associanda per sui contemptum, & mortificationem, & hoc est Dominationum.

In tertia hierarchia veritas est adoranda per sacrificium & laudem, & hoc est Thronorum. Admiranda per excessum & contemplationem, & hoc est Cherubim: Amplexanda per osculum & dilectionem, & hoc est Seraphim. Nota diligenter prædicta, quoniam in illis est fons vitæ.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM DE PERFECTIONE VITÆ AD SORORES.

Instituit in hoc opusculo Sanctus Bonaventura sorores suas, quatenus ad vitæ perfectionem conscendere cupientes ea observent, quæ ipse hic tradit, dictorum potius in his veritate, quam sermonis venustate, perspecta.

PROLOGUS.

Psal. 93

B*Eatus homo quem tu erudieris Domine & de lege tua docueris eum*: Neminem censeri sapientem fateor, nisi eum solum, quem Spiritus sancti docuerit unctio. Ille enim, teste David Propheta, solus vere beatus est, solus vere sapiens, cujus mentem Dominus erudierit. Lex enim Domini sola est immaculata, sola irreprehensibilis, sola convertens animas ad salutem. Hujus autem legis doctrina sive eruditio, non foris tantum quærenda est in littera; sed potius devotæ mentis affectum. Est autem desideranda in spiritu, & virtute, ut ille videlicet intus doceat, qui solus novit exteriorem legis asperitatem in interiorem dulcedinem commutare. Docet autem lex Domini quid agendum, quid fugiendum, quid credendum, quid orandum, quid desiderandum, quid timendum. Docet immaculatum esse & irreprehensibilem. Docet servare promissa, deflere commissa. Docet mundana contemnere, carnalia respuere. Docet enim cor totum, animam totam, mentem totam in solum convertere Jesum Christum. Ad hujus doctrinæ comparationem, omnis mundana sapientia est stulta & fatua. Bernardus: Dicat quicumque vult, ego non dicam sapientem, dum non timebit Deum, neque diligit. Qui hujus doctrinæ auditor non obliviosus, sed factor fuerit studiosus, hic vere sapiens erit,

Divinæ legis perfectio.

Quid divina lex doceat.

& beatus. Beatus ergo homo ille quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Tu itaque Deo devota, dilecta mihi, reverenda soror rogasti me, ut de cordis mei penuria aliquid dictando scriberem, in quo tuum animum devotionis gratia valeas pro tempore erudire. Sed certe fateor pro insufficientia mea hujusmodi eruditione me potius indigere, præsertim cum apud me nec vita foris resplendeat, nec devotio intus ardeat, nec scientia suffragetur: tuæ tamen devotionis provocatus desiderio, & sicut cum humilitate suppliciter postulasti. Rogo autem beatitudinem tuam soror sanctissima, quatenus magis penses intentionis affectum, quam operis effectum, magis dictorum veritatem, quam sermonis venustatem, & ubi tuo non satisfeci desiderio propter brevitatem & occupationem ipsum mihi benigne indulgeas & ignoscas. Ut autem facilius possis invenire quod quæris, ideo singulorum capitulorum præmisi titulos: Et primo agitur de vera suiipsius cognitione. Secundo de humilitate. Tertio de perfecta paupertate. Quarto de silentio. Quinto de studio orationis. Sexto de passionis Christi memoria. Septimo de perfecta Dei charitate.

Caput I.

Quomdo homo pervenit ad cognitionem suiipsius.

Ad perfectionis vitæ fastigium sponsæ Christi conscendere cupienti, primum necesse est, ut a seipsa incipiat, ita ut omnium exteriorum oblita, ingrediatur in secretum conscientiæ suæ, ibique omnes defectus suos omnesque consuetudines, omnes affectiones omnes operationes, omnia peccata tam præsentia, quam præterita diligenti consideratione discutiat, examinet, & inspiciat; & si quod minimum peccatum apud se invenerit, statim defleat in amaritudine cordis sui. Et ut ad hanc cognitionem dilecta soror melius possis venire, scire debes: quod omnia peccata nostra & mala,

Omnia peccata trifariam committi.

A aut committimus per negligentiam, aut per concupiscentiam, aut per nequitiam. Et circa ista tria debet omnium tuorum versari recordatio: alioquin ad tuiipsius cognitionem perfectam numquam poteris pervenire. Si igitur teipsam cupis cognoscere, considera mala commissa & ea deplange. Primo debes cogitare si aliqua in te sit vel fuerit negligentia. Debes, inquam, cogitare, qualiter cor tuum custodias, quam negligenter tempus tuum expendis, quam malum finem operi tuo imponis. Hæc enim tria sunt cum summa diligentia observanda scilicet, ut cor tuum bene custodiatur: tempus utiliter expendatur, & consummatur: & finis bonus & debitus in omni opere præfigatur.

Tria cum summa sunt diligentia observanda

B Item debes cogitare quam negligens fueris in oratione, quam negligens in lectione, & in operis executione. In his enim tribus debes diligentissime teipsam exercitare & excolere, si vis fructum bonum facere & dare in tempore suo, ita ut nequaquam unum sufficiat sine aliquo istorum. Item debes cogitare, quam negligens sis vel fueris ad pœnitendum, quam negligens ad resistendum, & quam negligens ad proficiendum. Debes enim cum summa diligentia deflere mala commissa, repellere diabolica tentamenta & proficere de una virtute in aliam, ut possis pervenire ad terram promissionis. Sic debet circa negligentiam tuam versari cognitio.

Psal. 1.

C Si autem melius teipsam cupis cognoscere, debes secundo cogitare, si in te viget, vel viguerit concupiscentia voluptatis, curiositatis, aut vanitatis. Certe tunc viget concupiscentia voluptatis in religioso homine, quando appetit dulcia, videlicet saporosa, quando appetit mollia, scilicet, vestimenta deliciosa, quando appetit carnalia, videlicet oblectamenta luxuriosa. Certe tunc viget concupiscentia curiositatis in Dei famula, quando appetit scire occulta, quando appetit videre pulchra, quando appetit habere rara. Certe tunc viget concupiscentia vanitatis in Christi sponsa, quando appetit hominum favorem, quando quærit humanam lau-

Concupiscentia quando & quomodo in homine religioso vigeat.

laudem, quando desiderat humanum honorem. Ista omnia debet ancilla Jesu Christi tamquam venenum fugere, quia istæ sunt radices omnis mali.

Item si certam & perfectam vis habere notitiam debes tertio recogitare diligenter, si in te vigeant, vel viguerint nequitiæ, iracundiæ, invidiæ, & acediæ. Audi quod dico sollicite. Certe tunc in religioso homine viget iracundia, quando vel animo, vel corde, vel affectu, vel signo, vel facie, vel verbo, vel clamore quantumcumque modicam indignationem, & ex corde rancorem proximo suo ostendit. Tunc autem in homine regnat invidia, quando gaudet de proximi adversitate, & tristatur de proximi prosperitate: quando lætatur de malis proximi, & tabescit de bonis ipsius. Tunc autem acedia regnat in religioso quando fuerit tepidus, somnolentus, otiosus, tardus ad chorum, negligens in cantando, remissus in excutiendo torporem, dissolutus in colloquio, indevotus in missa, tristis in facie, & tædiosus in cella. Hæc omnia debet sponsa Christi detestari, fugere tamquam venenum mortiferum, quia in his consistit, corporis perditio & animæ. Si igitur Deo amabilis famula, ad tui ipsius perfectam vis venire notitiam, & cognitionem, redeas ad teipsam introrsus ad cor tuum, & discas scopare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, & esse debueris, quid esse poteris. Quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam, quid adhuc esse poteris per gratiam. Audi adhuc soror, audi Prophetam David, quomodo se tibi in exemplum proponat cum dicit: Meditatus sum (inquit) nocte cum corde meo, exercitabar, & scopabam spiritum meum. Meditabatur ille cum corde suo: meditare & tu cum corde tuo. Scopabat ille spiritum suum, scopa & tu spiritum tuum, exerce agrum istum. Attende ad teipsam, absque dubio insistens huic exercitio, invenies thesaurum novum & absconditum pretiosum: ex hoc enim exercitio crescit auri copia, multiplicatur scientia, augmentatur sapientia:

Iracundia quando viget.

Invidia.

Acedia.

Quid discutiendum.

Psal. 76.

A ex hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, diligentia dilatatur. Nihil recte æstimat qui seipsum ignorat, qui conditionem suæ dignitatis non pensat. Nescit omnino, nescit de spiritu, quid de Angelico, quid de divino sentire debeat, qui spiritum suum primo non cogitat. Si nondum idonea es redire ad te ipsam, si nondum digna es intrare tabernaculum primum, qua fronte præsumes ingredi tabernaculum secundum? Si cupis elevari ad secundum & tertium cœlum, sit tibi transitus per primum, id est, cor tuum, qualiter hoc possis vel debeas facere, ecce jam satis docui te superius. Audi tamen qualiter B. Bernardus: B optime te informat dicens: Integritatis tuæ esto curiosus explorator, vitam tuam assidua discussione examina, & cogita diligenter, quantum proficis, & quantum deficis, qualis sis in moribus, qualis in affectibus quam similis Deo, & quam dissimilis, quam prope, & quam longe. O quam magni periculi res est in homine religioso multa velle, scire & seipsum nescire! O quam prope ille religiosus est perditioni & interitui, qui in cognoscendis rebus est curiosus, in judicando aliorum conscientias sollicitus, seipsum autem ignorat & nescit! O Deus meus! unde in religioso est tanta cæcitas? Ecce in promptu ratio est, quia mens sol- C licitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam, quia phantasmatibus est obnubilata, non redit ad se per intelligentiam, quia concupiscentiis illicitis illecta, ad se nequaquam revertitur per desiderium suavitatis internæ, & lætitiæ spiritualis, ideo totaliter in his sensibilibus jacens, non potest ad se tamquam ad Dei imaginem intrare, & sic totus miser se ignorat, & nescit. Omnibus ergo postpositis, tuiipsius habe memoriam, & notitiam. Hoc etiam B. Bernardus orabat, dicens: Deus det mihi non aliud facere, & scire, quam ut meipsum cognoscam.

Bern. in med. c. 5 in prin.

Caput II.

De humilitate, & quibus gradibus pervenitur ad humilitatem.

VErum qui vult defectus proprios cordis oculo contemplari, necesse est vere humiliari sub potenti manu Dei. Ideo te famulam Christi admoneo, ut cognitionem tuorum defectuum adepta, valde humilies spiritum tuum, & tibiipsi vilescas. Humilitas enim virtus est, ut dicit Bernardus, qua homo verissima suiipsius cognitione, sibi ipsi vilescit. Hac vilitate viluit Pater noster Franciscus, hanc amavit, & exquisivit ab initio religionis suæ, usque ad finem, per hanc mundum reliquit. Hanc virtutem maxime a filio Dei soror Deo devota discere debes, quia ipse dicit: Discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Qui enim virtutes sine humilitate congregat, in ventum paleas mittit, ut dicit B. Gregorius. Sicut enim principium omnis peccati est superbia, sic fundamentum omnium virtutum est humilitas. Disce autem veraciter esse humilis, non fallaciter, sicut qui nequiter se humiliat, ut hypocritæ. De quibus dicit Ecclesiasticus: Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo. Verus enim humilis, ut dicit Bernardus, semper vult vilis reputari, non humilis prædicari.

Ber. de 12 grad. humilitatis non longe a prin.

Mat. 11.

Greg. hom. 7 in Ev. cir. finem.

Eccli. 19

Ber. in Cant. ser. 16 post med.

Ad humilitatem perfectam triplex via.

Isa. 26.

Si igitur soror dilectissima ad perfectam humilitatem vis pervenire, oportet te per triplicem semitam incedere. Prima semita, est consideratio Dei. Debes enim considerare Deum, ut auctorem omnium bonorum, ideo debes tibi dicere: Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et quia talis est, ideo debes, sibi omnia bona retribuere, & nihil tibi considerans quod non fortitudo tua, aut robur manuum tuarum fecit bona quæ habes, quia Dominus fecit nos, & non ipsi nos. Et talis cogitatio destruit totam superbiam eorum qui dicunt: Manus nostræ excelsæ, & non Dominus fecit hæc omnia. Hæc superbia exclusit a gloria cœli Luciferum. Non considerabat se Lucifer de nihilo factum, sed potius aspiciebat suum decorem, suam pulchritudinem, qualiter omnis lapis pretiosus operimentum ejus, & extulit, eum superbia cordis sui, & quia superbiam sequitur humilitas, ideo statim ejectus est de sede nobilitatis suæ in locum extremæ vilitatis, & qui fuerat inter Angelos excellentissimus factus est inter dæmones miserimus. O quanti sunt hodie Luciferani, & imitatores Luciferi, filii & filiæ superbiæ, quos patienter tolerat Dominus! Cum autem tolerabilior sit superbia in divite, quam in paupere, ut dicit Bernardus: oportet ergo ancillam Christi semper valde humilem inveniri, quæ debet intrare in locum Angeli repudiati, humilitas enim sola placet Deo, sive in homine, sive in Angelo. Non credamus, quod virginitas placeat Deo sine humilitate: certe nec Maria mater Dei fuisset effecta, si superbiam habuisset in se. Propterea dicit Bernardus: sine humilitate, audeo dicere, nec Maria Deo placuisset, & ideo est virtus magna, sine cujus obtentu non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit.

Psal. 99.

Deut. 32

Ezech. 28

Prov. 29

Bern. in Cant. ser. 54 post med.

Idem hom. sup Missus est cir med.

Secunda semita est rememoratio Christi. Rememorari debes, quod Christus humiliatus fuit, usque eo vituperatissimum genus mortis, & in tantum factus est humilis, ut quasi leprosus reputaretur. Unde dixit Isaias Propheta: Reputavimus eum quasi leprosum, & a Deo humiliatum, imo in tantum fuit humiliatus, ut tempore ipsius nihil vilius eo reputaretur. Unde idem Isaias dicit: In humilitate judicium ejus sublatum est. Ac si diceret: Tanta ejus humilitas fuit, tantum se dejecerat, ut nullus de eo daret rectum judicium, ut a nullo crederetur Deus esse. Si ergo ipse Dominus & magister, noster, ita vilis, & contemptibilis reputatus est, & non est servus major Domino suo, & discipulus non est super magistrum: si ancilla Christi es, si discipula, vilis, & contemptibilis esse debes, & humilis. O quam abominabilis est ille religiosus Domino, qui vestem sumit hu-

Philip. 2

Isa. 53

Mat. 10
Luc. 6
Ioan. 13.

humilem, & cor superbum! O quam inutilis est ille Christianus, qui Dominum suum videt humilem, & despectum, & ipse exaltat cor suum, & ambulat in magnis, & in mirabilibus super se! Quid amplius detestandum in sponsa Christi? quid gravius puniendum in ancilla Christi, quam quod postquam summus factus est imus, immensus parvus, homo putredo, & vermis, apponat se magnificare? De talibus dicit B. Augustinus: O pellis morticina quid extenderis? O sanies fœtida, quid inflaris? Caput humile & membrum superbum? quasi dicat: non decet.

Tertia semita per quam debes incedere, si vis ad perfectam humilitatem pervenire, circumspectio tui est. Tunc teipsam, charissima soror, circumspicis, quando cogitas unde veneris, aut quo vadi. Considera ergo unde veneris & scias, quia de massa perditionis, de pulvere, & limo terræ facta es, & in peccatis conversata, & exultes de beatitudine paradisi. Et hæc consideratio spiritum tumoris abiicit & excludit in tantum ut clamore incipias cum tribus pueris in Daniele: Sumus hodie humiles in universa terra, propter peccata nostra. (*Dan. 3.*) Considera etiam quo tendis, tendis enim ad corruptionem, & incinerationem, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. (*Gen. 3.*) Quid igitur superbis terra, & cinis? Si hodie es, cras non eris. Si hodie sanus es, cras infirmaberis forte. Si hodie sapiens, cras forte stultus eris. (*Eccl. 10.*) Si hodie dives in virtutibus: cras forte mendicus eris, & miser. Quis ergo miser ille Christianus est qui audeat superbire, cum tantis miseriis, & calamitatibus, undique se videat circumdatum? Discite igiter, o virgines sacræ, humilem habere spiritum, humilem incessum, humilem habitum. sola enim humilitas est, quæ divinam mitigat iram, quæ divinam invenit gratiam: Quanto enim magnus es, humilia te in omnibus, dicitur in Ecclesiastico. (*Eccli. 3*) & coram Deo invenies gratiam. (*Luc. 1.*) Hoc modo Maria invenit gratiam apud Dominum, sicut ipsa testatur dicens. Resspexit humilitatem ancillæ suæ.

A Nec mirum, quia humilitas charitati locum præparat, mentem a vanitate evacuat. Propter quod dicit Augustinus. Quanto sumus a tumore superbiæ inaniores, tanto sumus dilectione pleniores. Et sicut aqua confluit ad valles, sic gratia Spiritus sancti confluit ad humiles, & sicut aqua quanto fortius fluit, tanto magis descendit: sic qui toto corde humiliatus procedit, magis propinquat ad Dominum, & impetrat gratiam. Propterea dicit Ecclesiasticus: Oratio humiliantis se nubes penetrat, (*Eccli. 35. Psal. 144*) donec appropinquat ad Altissimum non consolabitur, quia Dominus timentium se faciet voluntatem, & deprecationem eorum exaudiet. B Sitis ergo o famulæ Dei ancillæ Christi humiles, ita ut numquam superbiam in cordibus vestris permittatis, quia magistrum habuistis humilem, scilicet Dominum nostrum Jesum Christum. Et quia dominam habuistis humilem, scilicet Virginem Mariam Reginam omnium. Sitis humiles, quia patrem habuistis humilem, scil. B. Franciscum. Sitis humiles, quia matrem habuistis humilem, scil. B. Claram, humilitatis exemplar. Sic tamen sitis humiles, ut testis vestræ humilitatis sit patientia. Virtus enim humilitatis per patientiam perficitur, neque enim est vera humilitas, cui non est adjuncta patientia. Et hoc bene testatur B. Augustinus C dicens. Facile est velum ante oculos ponere, vestes viles & despectas habere, demisso capite incedere: sed verum humilem probat patientia, juxta illud: In humilitate tua patientiam habe. (*Eccli. 2*) Sed, ut cum dolore loquar, multi sumus qui superbire volumus in claustro, qui certe non nisi humiles fuimus in mundo. Unde B. Bernardus dicit. (*Ber. hom. 4 super Missus est, post med.*) Video, de quo multum doleo, post spretam seculi pompam, nonnullos in schola humilitatis superbiam addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, & impatientes magis fieri in claustro, quam fuissent in sæculo, quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse

se potuerunt. Consulo ergo tibi o prædilecta soror, consulo & virginibus Deo sacratis, ut virginitatem in humilitate, & humilitatem in virginitate conservent. Est enim humilitas mixta virginitati, sicut gemma auro superaddita. Propterea dicit B. Bernardus: Pulchra permixtio virginitatis cum humilitate. Non mediocriter placet Deo ista anima, in qua humilitas commendat virginitatem, & virginitas humilitatem exornat. Audi denique consilium fratris tui, audi soror, & placebit tibi. Fuge superbas famulas, velut viperas, sperne superbas virgines, tamquam dæmones, contemne societatem superborum, velut virus mortiferum. Et quare hoc? Audi quare. Quidam sapiens describit superbiam dicens: Omnis superbus intolerabilis, habitu superfluus, in incessu pomposus: cervix erecta, facies torva, oculi truces, de loco superiori decertat, præferri se melioribus affectat, sententias, & verba, & facta jactat; reverentiam in obsequio non servat. Propterea debes famula Dei, sponsa Christi, Virgo Domini, fugere superborum consortia, ne & tu eis similis efficiaris. Dicit enim Ecclesiasticus: Qui communicat superbo, induet superbiam.

Idem hom. l. 4. sup. Missus est, cir. Med.

Eccli. 13

Caput III.

De paupertate religiosorum.

Est etiam paupertas virtus ad perfectionis integritatem necessaria, in tantum, ut nullus omnino sine ea possit esse perfectus, teste Domino, qui dicit in Evangelio: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Cum enim summa Evangelicæ perfectionis consistat in excellentia paupertatis, credat se non apprehendisse perfectionis apicem, qui nondum imitator perfectus factus est Evangelicæ paupertatis. Ait namque Hugo de Sancto Victore: Quidquid perfectionis in religiosis reperiri poterit, nec tamen æstimetur perfectionis integritas, nisi diligatur paupertas.

Mat. 19

A Sunt autem duo, quæ quemlibet religiosum hominem movere debent ad amorem paupertatis. Primum est divinum exemplum, quod est irreprehensibile. Secundum est divinum promissum, quod est inæstimabile. Primo dico, quod famulam Christi primo movere debet ad amorem paupertatis amor Domini nostri Jesu Christi. Ipse enim fuit pauper nascendo, pauper conversando, pauper moriendo. Vide quale exemplum paupertatis tibi reliquit, ut suo exemplo efficiaris amica paupertatis. Pauper fuit Dominus Jesus Christus in tantum, ut non haberet hospitium, nec vestimentum, nec alimentum: sed pro hospitio habuit stabulum, B pro vestimento vilem panniculum, pro alimento lac virgineum. Item Apostolus hanc paupertatem considerans exclamavit, dicens: Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum esset dives, pro nobis egenus factus est, ut ejus inopia divites essemus. Et Beatus Bernardus: Bonorum omnium æterna affluentia suppetebat in cœlis, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat; & superabundabat hæc species, & nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Filius Dei concupiscens, descendit ut sibi eam eligeret, nobisque sua æstimatione faceret pretiosam.

2 Cor. 8.

Præbuit etiam se nobis in exemplum C paupertatis Dominus noster Jesus Christus conversando in mundo. Audi Virgo Beata, audite omnes qui professi estis paupertatem, quam pauper filius Dei extitit, Rex Angelorum dum vixit in mundo. In tantum fuit pauper quod aliquotiens hospitium habere non potuit, sed cum suis discipulis extra civitatem, & villas dormire oportuit. Propterea dicit B. Matthæus Evangelista: Circumspectis omnibus cum jam vespera esset, exiit in Bethaniam cum duodecim. Super hoc verbo, dicit Glossa. Circumspectis, si quis eum in hospitio susciperet, quia tantæ erat paupertatis, & ita nulli adulatus, ut in tanta urbe hospitium non inveniret. Et Matthæus dicit: Vulpes foveas habent, & volucres cœli

Mat. 11

Mat. 8

li

li nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinet.

Non solum Dominus Angelorum fuit pauper nascendo, & conversando, verumetiam, ut nos ad amorem paupertatis accenderet, fuit pauperrimus moriendo. O vos omnes, qui vovistis paupertatem, attendite & videte, quam pauper ille dives Rex Angelorum & coelorum, propter nos fuerit tempore mortis suæ. Fuit enim spoliatus vestibus, quando diviserunt vestimenta sua, & super vestem suam miserunt sortem. Fuit etiam spoliatus corpore & anima, quando acerbissima mortis Passione anima ipsius de corpore ejecta fuit. Fuit etiam spoliatus divina gloria quando ipsum, non sicut Deum glorificaverunt, sed tamquam maledictum tractaverunt, sicut ipse Job conqueritur: Spoliaverunt me gloria mea. (Job. 19) De tantæ paupertatis exemplis loquitur Beatus Bernardus, dicens: Videte pauperem Christum natum sine hospitio, jacentem inter bovem, & asinum in præsepio, involutum vili panniculo, fugientem in Ægyptum, sedentem in asino, pendentem nudum in patibulo. (Ber. ser. 1 de resurre. non longe a prin.) Quis igitur miser Christianus, quis ille despectus religiosus, qui adhuc divitias amet, qui paupertatem detestetur, cum videat, & audiat Deum Deorum, & Dominum mundi, regem coeli unigenitum Dei, tantæ paupertatis sustinuisse defectum: Magna utique, ut dicit Bernardus, abusio est, & nimis magna, ut dives velit esse pauper, cum Deus Majestatis, & Dominus Deus Sabbaoth voluit pauper fieri. Quærat divitias Paganus, qui sine Deo vivit. Quærat divitias Judæus qui terrenas promissiones accepit. Sed tu Christi virgo, ancilla Domini, qua mente quæras divitias, cum paupertatem voveris, cum inter pauperes Christi vivas, cum patris pauperis Francisci velis esse filia, cum pauperis matris Claræ promiseris esse imitatrix? Supra modum soror charissima, tua ac mea confunditur avaritia, quia cum simus professores paupertatis, paupertatem in avaritiam commutamus, quæ non licet, appetentes, quæ regula prohibet, cum tamen filius Dei pro nobis egenus factus sit. Scio quod ita sit, quod quanto ferventiores professæ paupertatis fueritis amatores, quanto perfectiores Evangelicæ paupertatis fueritis imitatrices, tanto magis bonis omnibus tam temporalibus, quam spiritualibus abundabitis. Si autem vos ad contrarium converteritis, si paupertatem quam professæ estis contempseritis, omnium bonorum tam temporalium, quam spiritualium egentes eritis, illa enim pauper genitrix pauperis Jesu Maria dicit: Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. (Luc. 1) Hoc etiam testatur Propheta ille sanctissimus dicens: Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. (Psal. 33) Numquid non legistis? Numquid non audistis Dominum Jesum loquentem Apostolis suis in Evangelio, & dicentem: Nolite solliciti esse dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? (Mat. 6) Scit enim pater vester, &c. Audi igitur iterum in Evangelio Lucæ: quid dicit eis: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. (Luc. 22) Si inter Judæos duros, & crudeles pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine, quid mirum, si pascat Fratres minores, & pauperes sorores paupertatis Evangelicæ imitatores, inter populos Christianos & fideles? Omnem itaque sollicitudinem vestram proiicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. (1 Pet. 5.) Cum igitur sit tanta Dei Patris circa nos sollicitudo, tanta sit sibi cura de nobis, mirum videtur, cur istis rebus curiosis, & defectibilibus tanta occupatione sollicitamur. Certe aliam causam non invenio, nisi quia affectiones nostræ longe recesserunt a Deo salutari nostro. Alia causa non est, nisi quia fervor divinæ charitatis refriguit, & congelatus est in nobis, certe si essemus bene ferventes, nudi nudum Christum sequeremur. Nam homines cum magnum æstum habent, consueverunt se denudare & expoliare. Signum magnæ frigiditatis est in nobis, quia ita attrahimus nobis

bis ista temporalia. O Deus meus, quomodo possumus ita duri esse contra Christum, qui exivit de terra sua, id est, de cœlis, & de cognatione sua, id est, de Angelis, & de domo Patris sui, id est, de sinu Patris, & factus est pro nobis pauper, abjectus, & despectus, nos nolumus pro eo miserum & fetidum mundum derelinquere? Corpore quidem relinquimus mundum, sed heu totum cor, & tota mens, totum desiderium nostrum occupatur & absorbetur a mundo. O beata Dei famula, recordare paupertatis Domini N. Jesu Christi, imprime cordi tuo paupertatem pauperis Patris tui Francisci, memorare matris tuæ Claræ, & toto studio, toto conamine inhære paupertati, amplectere dominam paupertatem; nec sub cælo aliud pro nomine Domini velis, quam paupertatem, non honorem, non divitias, sed paupertatem sanctam quam vovisti, cura firmiter observare. *Nota.* Divitias enim habere, & amare, infructuosum est; amare & non habere periculosum est: habere autem & non amare laboriosum est. Igitur nec habere divitias nec amare, utile est, securum est, delectabile est, & actus virtutis perfectæ, & ideo tam consilium Domini de paupertate, quam exemplum omnem Christianum movere debet & accendere ad amorem paupertatis. O quam beata paupertas, quam amabilem Deo, quam securum Deo in mundo redis amatorem tuum! Qui enim (ut dicit Gregorius) nihil habet in mundo quod diligit, nihil est in mundo quod pertimescit. Unde legitur in vitis patrum, quod quidam pauper frater habebat unam mattam, de medietate cooperiebat se in nocte, & alteram medietatem submittebat corpori, & cætera.

Secundum, quod ad amorem paupertatis te accendere debet, est divinum promissum, quod est inæstimabile. O dives in omnes, o bone Domine Iesu, quis potest digne verbo exprimere, corde percipere, manu scribere, illam cœlestem gloriam, quam tuis pauperibus te daturum promisisti! Ipsi enim paupertate voluntaria mereantur gloriæ conditoris assistere, ipsi mereantur intrare in potentia Domini, in illa æterna tabernacula, in illas lucidissimas mansiones. Ipsi mereantur fieri cives illius civitatis, cujus artifex & conditor est Deus. Tu enim ore tuo benedicto promisisti eis dicens: Beati pauperes spiritu, &c. *Mat. 5* Non aliud est Domine Regnum cœlorum, nisi tu ipse, qui es Rex regum, & Dominus dominantium. *Psal. 21* Teipsum dabis eis in præmium, in mercedem, & in gaudium. Ipsi te fruentur, de te gaudebunt & satiabuntur: Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabuntur, &c.

CAPUT IV.

De silentio, & quod omnibus religiosis sit necessarium silentium.

NOn mediocriter cooperatur ad perfectionem religioso homini virtus silentii, quia sicut in multiloquio non deerit peccatum, sic breviter & raro loqui ad hoc valet, ut homo caveat sibi a peccato. *Prov. 10.* Pro nimia loquela frequenter sequitur injuria tam Dei quam proximi, sic ex silentio nutritur justitia, ex qua velut ex quadam arbore, colligitur fructus pacis. Unde cum claustralibus pax sit summe necessaria, valde necessarium est eis silentium, per quod pax eis tam cordis, quam corporis conservatur. Propterea Isaias Propheta virtutem silentii considerans: ait: *Isa. 32.* Erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium quasi diceret. Tantæ virtutis est silentium, quod in homine conservat Dei justitiam, & inter proximos pacem nutrit & custodit. Nisi homo diligentem ori suo adhibeat custodiam, & bona gratuita quæ habet cito dissipat, & etiam in multa mala corruit. Lingua quidem (ut dicit B. Jacobus in canonica sua) *Iac. 3* modicum membrum est, magna exaltat, & sequitur. Lingua nostra ignis est, universitas iniquitatis: Ubi dicit Glossa quod pene cuncta facinora concinnantur aut patrantur in ea. Vis audire, o famula Dei, vis scire quanta mala ex lingua prodeunt,

Quot mala ex lingua prodeant.

deunt, si diligenter non custodiatur, audi & dicam. Ex lingua prodeunt: blasphemiæ, murmurationes, dissensiones, perjurium, mendacium, detractationes, adulatio, maledictio, convitium, contentio, bonorum derisio, pravum consilium, rumor, jactantia, secreti revelatio, indiscreta comminatio, indiscreta promissio, multiloquium, scurrilitas. In veritate magna confusio sexui fœmineo, & maximum dedecus est sacris virginibus, non habere oris custodiam, non servare linguæ disciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur. Certe frustra audeo dicere, quod ille religiosus glorietur de possessione virtutis in corde, qui dissipat disciplinam silentii per inquietudinem multiloquii. Si quis, teste scriptura, putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. O Jesu Christi sponsæ, intuemini virtutum speculum Mariam, & discite ab ea silentii disciplinam. Quantæ maturitatis fuerit Beata Virgo, satis patet. Si enim percurras Evangelium perpauca, & cum paucis eam locutam invenimus. Cum quatuor tantum personis legimus eam habuisse sermonem, & non nisi septem verba eam locutam fuisse. Cum Angelo duo, cum filio suo duo, cum Elizabeth duo, cum ministris in nuptiis unum. In hoc confunditur nostra loquacitas, quia proni sumus ad multiplicationem verborum, cum tamen magna sit utilitas silentii. Una utilitas est, quia inducit compunctionem. Homo cum tacet, cogitat vias suas, & locum habet cogitandi, quam multiplex sit suus defectus, & ex hoc surgit compunctio. Item dicit Propheta David: Obmutui & silui a bonis, & dolor meus renovatus est. Alia utilitas silentii est, quia demonstrat hominem cœlestem esse. Argumentum quasi infallibile est, ut si sit homo in Theutonia & non loquatur Theutonice: videtur, quod non sit Theutonicus. Sic qui est in mundo & mundana non loquitur, evidenter demonstrat, se in mundo non esse. Qui enim de terra est, de terra loquitur, ut dicitur in Evangelio Joannis: Nihil autem tantum in religioso homine valet ad conservandum silentium nisi ut fugiat consortium hominum, & ducat vitam solitariam. Ille enim homo qui elevatur jam supra statum hominum non debet habere consolationem & consolatorem, nisi solum Deum, & ideo debet esse solitarius, & tacere, ex quo enim Deum habet pro socio, non debet curare de humano consortio. Propterea dicitur in Threnis: Sedebit solitarius, & tacebit, quia levabit se supra se. Sedebit solitarius, inquam, consortia hominum fugiendo, & tacebit de cœlestibus cogitando, & meditando, & levabit se supra se, cœlestem dulcedinem degustando.

Jac. 1

Luc. 1
Joan. 2

Luc. 2

Silentii utilitate.
Psal. 39

Joan. 3

Thren. 3.

B

Etsi omnibus religiosis necessarium sit silentium ad perfectionem virtutum, maxime tamen virginibus dedicatis Jesu Christo est necessarium, ut disciplinam servent silentii. Ita enim earum sermo debet esse pretiosus, & ita deberent esse verecundæ in labiis, ut numquam nisi magna necessitate loquerentur. Ideo beatus Hieronymus dicit: Sit sermo virginis modicus, & rarus, nec tam eloquentia pretiosus, quam pudore. Hoc etiam consuluit Philosophus. Ad summam perfectionem volo te esse breviloquum: & submissa voce; Audi verbosa famula, audi virgo clamorosa & garrula, certe ut possis assuescere silentio, debes facere sicut fecit Agathon Abbas, de quo legitur in vitis patrum, quod lapidem in ore suo per triennium mittebat, donec taciturnitatem addisceret. Alliga & tu lapidem ad linguam, affige linguam tuam ad palatum: pone digitum super os tuum, ut possit taciturnitatem addiscere, quia magnum dedecus est sponsæ Christi, ut cum alio quam cum sponso suo Christo Jesu velit habere sermonem. Loquere ergo raro, & pauca, & breviter, cum timore & pudore, immo in tua causa vix loquere. Tege faciem tuam velo verecundiæ, consue labia filo disciplinæ, & sermo tuus sit brevis, pretiosus, & utilis: sit modestus & humilis. Loquere famula Dei raro, & parum, quia in mul-

C

Prov. 10
Mat. 12

multiloquio non deerit peccatum: A quia de omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Verbum otiosum est, ut dicit Glossa, quod sine necessitate dicitur proferentis, aut utilitate audientis. Semper igitur melius est tacere, & utilius, quam loqui. Quia dicit sapiens, locutum me esse aliquando pœnituit, tacuisse vero numquam.

Caput V.

De studio orationis, & qualiter orandus est Deus.

Supra modum cupienti etiam proficere sponsæ Christi est necessarium, B ut assiduis orationum studiis & devotionibus animum suum exerceat: quia revera religiosus orationem non frequentans assidue, non solum est miser & inutilis, quinimmo coram Deo fert animam mortuam in vivo corpore. Cum enim tantæ efficaciæ sit devotionis virtus, ut ipsa sola hostis maligni devincat tentamenta, & versutias diaboli, qui solus famulam Dei impedit ne sursum ad cœlos ascendat: non est mirum si tentationibus succumbat frequenter miserabiliter, qui studium orationis non frequentat. Unde beatus Isidorus dicit: Hoc est remedium ejus qui vitiorum tentamentis æstuat, quoties quolibet vitio tangitur, toties se ad orationem subdat: quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Et hoc est quod Dominus dicit in Evangelio: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Est autem tantæ virtutis devota oratio, ut ad omnia valeat, & in omni tempore homo possit per eam lucrari, in hieme, in æstate, in sereno, & in tempore pluviali immo in quacumque hora lucratur homo oratione devota, plusquam valeat totus mundus: quia tali oratione acquirit homo regnum cœlorum. Ut autem cognoscas, quomodo & qualiter orare debeas, quantum mihi donaverit Deus, te informabo, licet ego in hac parte & in hoc negotio magis indigeam informari quam tu.

Isid. de sum. bon. l. 3 c. 7 sent. 1
Mat. 26
Marc. 14
Luc. 22
Orationis virtus.

Scias itaque Deo digna famula, quod ad perfectam orationem tria sunt necessaria. Primum quando in oratione constituta fueris, tunc erecto corpore & erecto corde omnibus sensibus clausis, debes sine strepitu ex amore & contrito corde de omnibus miseriis tuis cogitare, scilicet præsentibus, præteritis & futuris. Primo debes siquidem sollicite cogitare, quam magna & quam multa peccata omnibus diebus vitæ tuæ commisisti, quam magna & quam multa bona in sæculo & in ordine omisisti, quam magnam, & quam multam creatoris tui gratiam frequenter amisisti. Debes etiam cogitare, quam longe facta es a Deo per peccatum, quæ olim fueras prope: quam dissimilis facta es Deo: quæ aliquando fueras valde similis: quam pulchra aliquando fueras in anima, quæ modo valde turpis es & fœtida. Debes cogitare quo tendas per peccatum, quia ad portas inferni: quid tibi occurret, quia tremendus dies judicii: quid pro omnibus his tibi dabitur, quia æternæ mortis incendium, & statim pro his omnibus debes pectus tuum cum Publicano tundere. Cum Propheta David debes rugire a gemitu cordis tui. Et cum Maria Magdalena debes lachrymis rigare pedes Jesu. Nec debes aliquem modum habere in lacrymis, quia sine modo dilectum tuum Jesum offendisti. C Et hoc est quod ait beatus Isidorus: Quando cum Deo in oratione assistimus, gemere, & flere debemus, reminiscentes quam gravia sunt quæ commisimus, quam dura inferni supplicia, quæ timemus. Et hujusmodi lacrymosæ cogitationes meditationis debent esse principium.

Ad perfectam orationem tria requiruntur.

Luc. 18.
Psal. 37
Luc. 7

Isidor. de sum. bon. l. 3 cap. 7 sent. 5

Secundum quod sponsæ Dei in oratione necessarium est, est gratiarum actio, ut videlicet suo creatori, cum omni humilitate grates referat pro beneficiis jam ab eo receptis. Et hoc consuluit Paulus Apostolus dicens: Orationi instantes, vigilantes in ea in gratiarum actione. Nihil enim est, quod hominem ita dignum reddit divinis muneribus, sicut semper Deo gratias reddere, & agere pro receptis donis. Unde beatus

Aug. ep. 77 ad Aurel. tom. 2 tus Augustinus scribens ad Aurelium dicit. Quid melius animo gerimus, & ore pronunciamus, & calamo exprimimus, quam Deo gratias? hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest. Debes ergo in oratione posita cum gratiarum actione meditari, quia Deus te hominem fecit, quia christianam te fecit, quia innumerabilia peccata tibi indulsit, quia incidisses in multa peccata, si Dominus te non custodisset quia mori in sæculo te non permisit, quia ad altissimam & perfectissimam te religionem elegit, & quia sine labore tuo te pavit, & pascit, quia pro te homo factus est, circumcisus & baptizatus est, quia pro te pauper & nudus, humilis, & despectibilis, quia pro te ieiunavit & esurivit, laboravit & fatigatus fuit, quia propter te ploravit, sudorem sanguineum sudavit, te sanctissimo corpore suo cibavit & sanguine potavit, quia propter te colaphizatus est, consputus est, derisus & flagellatus est, vulneratus & crucifixus est, mortem turpissimam & amarissimam sustinuit, quia sepultus, resurrexit, ad cœlos ascendit, Spiritum sanctum dedit & quia tibi & omnibus electis cœlorum regnum dare promisit. Est enim gratiarum actio supra modum utilis, in oratione, nec sine ea aliqua potest valere oratio. Nam ingratitudo, ut dicit Ber. ser. 51 sup. Cant. post med. beatus Bernardus, est ventus urens, & exsiccans fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluentia gratiæ.

Tertium quod ad perfectionem orationis necessario requiritur, est ut animus tuus nihil aliud in oratione cogitet præter illud solum, quod precatur. Valde enim indecens est, ut quis cum Deo loquatur ore, & aliud meditetur corde, & dimidium cor dirigat in cælum, & dimidium maneat in terra, & talis oratio Psal. 118. numquam exauditur a Deo. Unde super illo verbo Psalmistæ: Clamavi in toto corde meo, &c. dicit glossa: Divisum cor non impetrat quod petit. Debet enim famula Dei tempore orationis, cor suum ab omnibus exterioribus curis, & mundanis desideriis, ab omnibus carnalibus amoribus revocare ad interiora, & illi soli in toto corde & tota mente intendere, ad quem suam orationem dirigit: Et hoc consuluit tibi sponsus tuus in Evangelio, dicens: Tu Mat. 6 autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, id est corde tuo, ora patrem tuum. Tunc cubiculum es ingressa, quando omnes cogitationes, omnia desideria, omnes affectiones tuas, in secreto cordis tui revocasti. Tunc clausisti ostium tuum, quando cor tuum diligenter custodis, ut per nullas cogitationes tuas phantasticas possis in devotione impediri. Oratio enim est, ut dicit beatus Augustinus, conversio mentis in Deum, per pium, & Aug. lib. de sp. & ani. c. 50 to. 3. humilem affectum. Audi o beatissima soror, audi o famula Jesu Christi, & inclina aurem tuam ad verba oris mei. Noli falli, nolli decipi, non amittas magnum orationis tuæ fructum, non perdas suavitatem, non frustreris dulcedine, quam in oratione haurire debes. Oratio enim hausorium est, quo Spiritus sancti gratia hauritur de fonte super effluentis dulcedinis illius beatissimæ Trinitatis. Et hoc expertus erat Psal. 118. ille devotissimus propheta David, qui dicebat: Os meum aperui, & attraxi spiritum. Os meum aperui dicit & hausi. Numquid jam non dixi tibi, quid sit oratio? Audi iterum: Oratio est conversio mentis in Deum. Vis scire quomodo debes mentem tuam in Deum convertere? intende. Cum stas in oratione, te totam debes in teipsam convertere, & colligere, & cum dilecto in cubiculum cordis tui ingredi, & cum eo sola morari, omnium exteriorum oblivisci, & toto corpore, tota mente, toto affectu, toto desiderio, tota devotione debes te levare supra te. Nec debes spiritum tuum ab oratione relaxare, sed tamdiu, per devotionis ardorem sursum ascendere, donec ingrediaris in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, & ibi utroque cordis oculo dilecto tuo viso, & utcumque degustato, quam suavis est Dominus, & quam magna dulcedo ejus, in amplexus ejus ruas, impressis labiis in-

timæ devotionis oscula figas, ut sic tota a te alienata, tota in cœlum rapta, tota in Christum reformata, & transformata, non valeas cohibere spiritum tuum, sed exclama cum propheta David, & dic. Renuit consolari anima mea: memor fui Dei: & delectatus sum.

Psal. 76.

Ut autem cor tuum soror charissima per devotionis orationem in sublimius elevetur, & ferventius in Deum inflammetur, nota diligenter, quod tribus de causis in mentis alienatione deducimur. Aliquando per magnitudinem devotionis. Aliquando per magnitudinem admirationis. Aliquando per magnitudinē exultationis.

Tribus de causis in mentis alienationem deducimur.

Dico, quod si aliquando per magnitudinem devotionis, ut mens seipsam non capiat, & supra seipsam elevata, in alienationem transeat, quando tota igne cœlestis desiderii succenditur, ut omne quod foris est, vertatur in amaritudinem & fastidium, & amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, quæ animam ad ceræ similitudinem liquefactam in seipsa deficere faciat, ad instar fumi aromatum, in superna elevet & ad summam patriam emittat, & tunc cum Propheta exclama & dic: Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Psal. 72

Item aliquando fit per magnitudinem admirationis, quando divino lumine mens irradiatur, & summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tunc vehementi concutitur stupore, ut a suo statu funditus excutiatur, & in modum fulgoris coruscantis, quanto profundius pro despectu sui visæ pulchritudinis respecta in ima deiicitur, tanto sublimius tantoque celerius per summorum desideriorum ardorem relevata, & super semetipsam rapta in sublime elevatur, & tunc cogitur clamare cum sanctissima Esther: Vidi te Domine quasi Angelum Dei & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.

Esther. 15

Item aliquando præ multitudine exultationis, quando intima illa internæ suavitatis abundantia potata, immo plene inebriata, quid sit, quid fuerit penitus obliviscitur, & in supermundanum quemdam affectum sub quodam miræ felicitatis statu rapta transformatur, & tunc cogitur clamare, & dicere illud Prophetæ: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Si ergo famula Dei debet exercere animum suum ex devota in Deum oratione, & ducere per frequentem ordinis versum, per mundati, & purificati cordis oculum, per insatigabilem devotionis spiritum, quatenus efficiatur idonea ad contemplanda divina, & degustandam divinæ dulcedinis suavitatem. Non enim decet animam insignitam Dei imagine, decoratam Dei similitudine, redemptam Dei sanguine, capacem beatitudinis, volutari circa ista temporalia, sed ascendere debet super Cherubin, & volare super pennas ventorum, id est, ordines angelorum, & ad contemplandam ipsam Trinitatem, & Christi humanitatem, & meditari gloriam & lætitiam supernorum civium, scilicet Angelorum & sanctorum omnium. Sed qui sunt hodie, qui hujusmodi meditationibus vacent? qui sint exploratores gaudii cœlestis? qui corde & animo conversentur in cælis? Rari sunt. Unde bene potest dici de quibusdam religiosis, illud verbum, quod beatus Bernardus dicit: quorum studium deberet esse devotione cælos penetrare, mente circuire supernas mansiones, salutare Apostolos & choros prophetarum, martyrumque admirari thriumphos, omnibus his postpositis, turpi se mancipant corporis servituti, ad obediendum carni, & ad satisfaciendum gulæ & ventri.

Psal. 83.

CAPUT VI.

De passionis Christi memoria.

Quoniam devotionis fervor per frequentem passionis Christi memoriam nutritur, & conservatur in homine, ideo est dicendum consequenter, ut semper oculis cordis sui Christum in cruce tamquam morien-

rientem videat, qui devotionem in se vult, conservare inextinguibilem.
Lev. 6 Propter hoc Dominus dicit in Levitico: Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subiiciens ligna per singulos dies. Audi soror devotissima. Altare Dei est cor tuum: in hoc Altari debet semper ardere ignis fervidæ devotionis, quem singulis diebus debes nutrire per ligna crucis Christi, & memo-
Isa. 12 riam passionis ipsius. Et hoc est quod dicit Isaias propheta: Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris. Ac si diceret: Quicumque desiderat aquas gratiarum, aquas lachrymarum, iste hauriat de fontibus Salvatoris, id est de vulneribus
Joan. 20 Jesu Christi. Accede ergo tu pedibus affectionum tuarum ad Jesum vulneratum, ad Jesum spinis coronatum, ad Jesum patibulo crucis affixum, & cum beato Thoma Apostolo non solum intuere in manibus ejus fixuras clavorum, non solum mitte manum tuam in latus ejus, sed totaliter per ostium lateris ejus ingredere usque ad cor ipsius Jesu, ubique ardentissimo amore crucifixi in Christum transformata, clavis divini amoris affixa, lancea præcordialis dilectionis transfixa, intimæ compassionis transverberata, nihil aliud quæras nihil aliud desideres, & nullo alio velis consolari, quam ut cum Christo tu possis mori in cruce. Et tunc cum Apostolo Paulo exclames, dicens: Christo confixus sum cruci. Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.
Gal. 2.

Debes autem per hunc modum passionem Christi in memoria habere, ut cogites, quoniam passio ejus fuit ignominiosissima, acerbissima, generalissima, & diuturnissima. Primum considera Deo dignissima famula, quam ignominiosissima, fuit mors Jesu Christi sponsi tui. Fuit enim
Quomodo Christi passio memoranda sit. crucifixus, tamquam fur & latro. Nulli enim in veteri lege tali morte puniebantur, nisi pessimi, & sceleratissimi, & fures & latrones. Adhuc attende majorem Christi ignominiam. Fuit enim in loco turpissimo & vilissimo crucifixus, scilicet in monte calvariæ, ubi multa ossa,
A & cadavera mortuorum jacebant. Ille siquidem locus erat morti damnatorum deputatus, & ibi decollabantur, & suspendebantur pessimi homines. Adhuc vide Christi majorem ignominiam, quia inter latrones tamquam latro suspenditur, & in medio tamquam Princeps latronum. Unde dicit Isaias: Cum sceleratis reputatus est. Isa. 53.
Adhuc intuere sponsi tui ignominiam, quia aeri deputatus est, & inter cælum & terram suspensus, ac si non esset dignus mori in terra, aut vivere. O digna indignatio & injuria! Domino orbis totus negatus est orbis, vilius in mundo nihil æstimatum est Domino mundi. Sic ergo mors filii Dei fuit igno-
B miniosissima propter genus mortis, quia in patibulo suspensus: propter socios mortis, quia cum iniquis deputatus & condemnatus: propter locum mortis, quia in monte Calvariæ fœtidissimo crucifixus. O bone Jesu, o benigne Salvator, quia non semel, sed multoties confunderis. Quanto quis pluribus locis confunditur, tanto ignominiosior efficitur mundo. Ecce tu domine Jesu, in horto ligaris, in domo Annæ alapa cæderis, in atrio Caiphæ conspueris, in ospitio Herodis illuderis, in via crucem baiulas, in Golgotha crucifigeris. Heu me ecce libertas captivorum, gloria Angelorum, vita hominum occiditur. O Judæi miseri, bene im-
C plevistis quod promisistis! Dixistis Sap. 2.
enim: Morte turpissima condemnemus eum. Beatus vero Bernardus dicit; Exinavivit semetipsum, formam servi accipiens, ut subesset: Filius erat & factus est servus, & non solum formam servi, ut subesset, accepit, sed etiam mali servi ut vapularet, ut pœnam solveret cum culpam non haberet: Et erat non solum servus servorum Dei, sed propter tria servus servorum diaboli factus serviens infirma peccata peccatorum expurgando. Nec hoc suffecit, sed mortem omni morte confusibiliorem elegit. Humiliavit enim semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, quæ ignominosior est, ut dicit glossa.
Ber. ser. de pass. Do. fer 4 heb. penosa longe post medium.
Philip. 2

Secundo considera & attende virgo

Deo devota, passio Christi quam acerbissima fuit. Crux enim illa benedicta, membra extensa contrahi in dolore mortis non permisisti, quod tamen solet esse quoddam levamen & solatium cordis anxiati, nec habuit illud caput reverendum divinum, ubi ad dimissionem animæ se inclinaret. Attende adhuc melius, quam acerba mors Christi fuerit. Quanto quis tenerior, tanto patitur gravius, numquam autem fuit corpus ita tenerum ad sustinendum passiones, sicut corpus Salvatoris. Corpus enim mulieris tenerius est quam viri corpus, caro autem Christi tota virginea fuit, & de Spiritu sancto concepta, & de virgine nata, igitur passio Christi fuit omnium passionum acerbior, quia omnium virginum tenerior. Si enim ad solam mortis recordationem, Christus in sancta anima sua præ teneritudine carnis tantum afflictus est ut sudor corporis fieret sicut sudor sanguinis decurrentis in terram, quantus superadditus est ei dolor, quanta eum afflixit pœna in degustatione acerbissimæ mortis, & passionis? Ideo dicit beatus Bernardus: Angustias corporis tui Domine Jesu Christe, certissime indicabat sudor ille sanguineus, qui orationis tempore de sanctissima carne decurrebat in terram. Quid fecisti dulcissime puer, ut ita tractareris? Quid commisisti o amantissime juvenis, ut ita judicareris? Ecce ego sum causa tui doloris, ego plaga tuæ occisionis. Adhuc vide diligentius quam amara Christi mors fuerit. Quanto quis innocentior, tanto pœna ad tolerandum gravior. Si enim Christus propter sua peccata sustinuisset, aliquantulum ei esset tolerabilior, sed ipse peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et hoc ipsum testatur Pilatus, dicens: Ego nullam causam mortis invenio in eo. Ipse enim est candor lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis & bonitatis, imago illius sicut dicitur in libro Sapientiæ. Considera adhuc plenius, quam pœnalis fuerit mors sponsi tui Jesu Christi. Quanto generalior, tanto pœna acerbior, Christus autem sponsus tuus passus

1 Pet. 2 Ioan. 18 Sap. 7

A est in omni parte corporis sui, sic quod nullum ita parvum membrum in eo esset, quin pœnam haberet: nullus ita modicus locus, quin repletus esset amaritudine. A planta enim pedis usque ad verticem non fuit in eo sanitas. Unde præ nimia doloris vehementia clamavit, dicens. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte dolorem meum. Revera Domine Jesu Christe numquam fuit dolor similis dolori tuo. Tanta enim fuit doloris tui effusio, ut totum corpus tuum sanguine aspergeretur. O bone Jesu, o dulcissime Domine, non gutta, sed unda sanguinis ita largiter per quinque partes corporis tui emanavit de

Isa. 1 Tren. 1.

B manibus & pedibus tuis in crucifixione, de capite in capitis coronatione, de toto corpore, in flagellatione, de ipso corde in lateris apertione, mirum videtur si quid sanguinis remansit in te. Dic quæso dilecte mi Domine, dic cum unica sanguinis tui gutta potuisset sufficere ad totius mundi redemptionem, cur tantum sanguinem de corpore tuo effundi permisisti? Scio Domine & vere scio, quia non propter aliud fecisti, nisi ut ostenderes quanto affectu diligeres me. Quid igitur retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Certe Domine quamdiu vixero, memor ero laborum tuorum, quos sustinuisti in prædicando,

Ber. ubi sup. prox.

C fatigationum in discurrendo, vigiliarum in oratione, lacrymarum in compassione, dolorum, convitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, clavorum, vulnerum, alioquin requiretur a me sanguis, qui effusus est super terram. Quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut possim flere die ac nocte mortem Domini mei Jesu Christi, quam non pro suis, sed pro meis peccatis sustinuit? Vulneratus est enim propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, sicut dicit Isaias propheta.

Hier. 9

Isa 53.

Ulterius considera, & attende diligenter, quia mors & passio Christi fuit diutina. A prima enim die nativitatis suæ usque ad ultimum diem mortis suæ semper fuit in passionibus

bus & doloribus, sicut ipse testatur per prophetam, dicens: Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea. Et alibi dicit: Fui flagellatus tota die, id est, toto tempore vitæ meæ.

Psal. 87. Psal. 72.

Adhuc aliter considera, quam morosa fuit passio Christi, ut pœna ejus magis duraret, ut dolor non cito finiretur, ut mors protraheretur, & sic diutius cruciaretur, & fortius vexaretur.

Ex his omnibus quæ dixi, colligere potes o virgo Christi, o famula Dei, quam probrosa, quam dolorosa, quam vilis, quam morosa fuit mors & passio dulcissimi sponsi tui Jesu Christi. Et hæc omnia sustinuit, ut ad amorem suum te accenderet, ut pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipsum diligeres. Quid enim benevolentius, quam quod Dominus propter servi salutem accipiat servi formam? Quid magis informat hominem in salutem, quam exemplum tollendi mortem propter justitiam & obedientiam divinam? Quid vero magis incitat hominem ad diligendum Deum, quam tanta benignitas, quod pro nobis filius Dei altissimus absque meritis, immo cum multis nostris demeritis, posuit animam suam? Hoc tantæ benignitatis est, ut nihil clementius, nihil benignius, nihil amicabilius cogitari possit. Hæc benignitas tanto magis ostenditur major, quanto pro nobis graviora, & abjectiora sustinuit, vel pati voluit. Deus enim qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum quomodo non cum illo omnia nobis donavit? Ex quo invitamur ad ipsum amandum, & amatum imitandum. Væ ergo illis, qui tantæ benignitatis beneficiis sunt ingrati, in quorum animabus nullum mors Christi habet effectum. Unde inquit Bernardus: Vide caput Christi inclinatum ad te deosculandum, manus perfossas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, totius corporis extensionem ad se totum impendendum. Væ iterum illis, qui suis peccatis rursum Christum in semetipsis crucifigentes, super dolorem vulnerum ipsius dolorem adiiciunt. Sed væ tertio illis, quorum corda ad planctum emolliri non possunt, neque ad benevolentiam provocari, & ad boni operis virtutem inflammare non valet tanta effusio sanguinis, effusio tanti pretii, tam ingens magnitudo. Certe isti tales inimici crucis Christi, plus Christum Dei filium hodie ad dexteram Dei patris in cœlis sedentem crucifigunt, quam olim fecerunt in crucis patibulo pendentem. Ad tales, & de talibus Dominus conquerendo per beatum Bernardum loquitur, dicens: O homo vide quid patior pro te, si est dolor sicut quo crucior, ad te clamo qui pro te morior, vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior, & cum sit tantus dolor interior & exterior, plantus est gravior, cum te sic experior. Cave tibi mater cave, ne tanto ingrata sis beneficio, ne tanto pro te dato indevota sis pretio: sed pone istum crucifixum sicut signaculum super cor tuum, ut sicut sigillum in cera molli, sic Jesum sponsum tuum imprimes cordi tuo, & dicas cum Propheta: Factum est cor meum tamquam cera liquescens. Pone eum etiam ut signaculum super brachium tuum, ut videlicet numquam desinas operari, numquam fatigeris laborare pro nomine Domini Jesu, sed cum operata omnia fueris, tunc primum incipe, quasi nihil feceris. Si autem aliquando aliquid triste, aliquid grave, aliquid tædii, aliquid amaritudinis acciderit, vel certe si forte aliquod bonum despuerit, statim recurras ad crucifixum Jesum pendentem in cruce. Ibi intuere coronam spineam, clavos fereos, lanceam lateris, ibi contemplare vulnera Christi pedum, & vulnera manuum, vulnera capitis, vulnus lateris, vulnera totius corporis: recolens quia qui sic pro te passus fuit, qui pro te tanta sustinuit quantum te amaverit. Crede mihi, quia statim tali intuitu omne triste lætum, omne grave leve, omne tædiosum amabile, omne asperum dulce & suave reperies: sicut & tu incipias exclamare cum beato Job, & dicere: Quæ prius noluit tangere anima mea, nunc propter angustias passionis

Rom. 8. Heb. 6. Psal. 61. Psal. 21. Cant. 8. Job 6.

nis Christi, cibi mei sunt, quam dulcia & delectabilia facta sunt mihi. Unde legitur quod cum quidam conversus fuisset ad religionem, in tantum factus est impatiens propter asperitatẽ ciborum, & ceterarum disciplinarum religionis, & cum ex nimia impatientia angustiatus fuisset, procidit ante imaginem crucifixi, & ibi replicare cœpit cum multis lacrymis intolerabiles angustias, & labores ordinis, insipiditatem ciborum panis, & potus, & statim ex latere imaginis cœpit sanguis emanare, & cum ille fortiter flens suas angustias replicaret, respondens imago Christi, dixit, quod quandocumque sentiret aliquam asperitatem in cibo vel in potu; ut intingeret in salsamento sanguinis Christi.

Caput VII.

De perfecta Dei charitate.

Superius te famulam Dei, prout Deus inspiravit, docui qualiter animum tuum exercere debeas, ut quasi gradatim ascendere possis, & de virtute in virtutem proficere. Nunc septimo loco restat dicendum de forma virtutum, scilicet charitate, quæ sola ducit hominem ad perfectionem: ad mortificandum enim vitia, ad proficiendum in gratia, ad consequendum omnium virtutum perfectionem summam, nihil potest dici melius, nihil excogitari utilius charitate potest. Propterea dicit Prosper in libro de vita contemplativa: Charitas est vita virtutum, mors vitiorum, & sicut fluit cera a facie ignis, sic pereunt vitia a facie charitatis. Tanta siquidem virtutis est charitas, quod ipsa claudit infernum, sola aperit cœlum, sola Deo amabilem reddit. Tantæ virtutis charitas est, quod ipsa sola inter virtutes virtus nominata est, quam qui habet, dives est, & locuples, & beatus: quam qui non habet, pauper & mendicus est, & miser. Unde super illo verbo ad Corinthios: Si charitatem non habuero, dicit glossa: Attende quanta sit charitas: quæ si desit, frustra habentur cetera, si autem adsit, habentur omnia, quam

Prosper. l. 3 de vit contempl c. 14

1 Cor. 13

A qui habere cœperit, Spiritum sanctum habebit. Et B. Augustinus dicit: Si virtus nos ad beatam Vitam sine charitate non ducit, nihil esse omnino virtutem affirmaverim; nisi tantum summum amorem Dei. Cum igitur charitas virtus tanta sit præ cunctis virtutibus, charitati est insistendum: & non cuilibet charitati, sed ei solum qua Deus diligitur super omnia, & proximus post Deum.

Qualiter autem Creatorem tuum diligere debeas, ipse tuus sponsus docet in Evangelio, dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Intende diligenter famula Jesu Christi dulcissima, quam B dilectionem dilectus tuus Jesus requirat a te. Vult certe amantissimus tuus, ut amori suo des cor tuum, totam animam tuam, totam mentem tuam, sic ut in toto corde tuo, in tota mente nullus omnino cum eo aliquam partem possideat. Quid ergo facies, ut certe Dominum Deum tum ex toto corde diligas? Quomodo ex toto corde? Audi beatum Joannem Chrysostomum dicentem: Ex toto corde diligere Deum est, ut ad nullius rei dilectionem magis sit inclinatum cor tuum, quam Dei, ut non delecteris in specie mundi amplius, quam in Deo, non in honoribus aut parentibus: si autem in aliquo istorum sit animus & amor C cordis tui, jam non ex toto corde Deum diligis. Unde Augustinus dicit: Minus te amat, qui tecum aliquid amat. Si autem aliquid amas, ex cujus dilectione in amore Dei non proficis, jam non ex toto corde Deum diligis. Et si quid diligis, pro cujus amore ea, quæ Christo teneris, negligis, jam non ex toto corde diligis. Dilige itaque Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, non solum ex toto corde, verum etiam ex tota anima diligendus est Dominus Jesus Christus. Quomodo ex tota anima? Audi beatum Augustinum docentem te. Ex tota anima, inquit, Dominum diligere, est ipsum diligere ex tota voluntate sine contrarietate. Certe tunc ex tota anima Deum diligis, quando non

quod

Mat. 22

Quomodo Deus d li gendus.

Aust. op. imper. in Mat. ho. 42 post medium.

Aug. l. 10 confess. c. 7 tom. 1

quod tu vis, non quod mundus consulit, non quod caro suggerit, sed quod Dominum Deum tuum scis velle, sine contradictione libenter facis. Certe tunc Deum ex tota anima diligis, quando pro amore Jesu Christi animam tuam si necesse fuerit, morti libenter exponis. Si autem in aliquo istorum negligens fueris, jam non ex tota anima Deum tuum diligis. Dilige ergo Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & conforma voluntatem tuam, voluntati divinæ in omnibus. Et non solum ex tota anima, sed etiam ex tota mente. Audi iterum beatum Augustinum te docentem. Ex tota, inquit, mente diligere Deum, est diligere eum ex omni memoria sine oblivione. Amen.

Caput VIII.

De finali perseverantia.

POstquam omnium virtutum adeptus est quis principium, nec tamen in conspectu Dei apparet gloriosus, nisi virtutum consummatrix adsit perseverentia, quia nullus omnino mortalis quantumcumque perfectus, est laudandus in vita, nisi prius hoc totum quod inchoavit, bono & felice exitu concludat. Unde beatus Bernardus dicit: Tolle perserverantiam, nec obsequium, nec beneficium, nec gratiam, nec laudem fortitudo præstabit. Parum enim valet, hominem fuisse religiosum, sive fuisse humilem & patientem, fuisse devotum, & continentem, Deum dilexisse, & cœlicas virtutes habuisse, nisi adesset perseverantia: cum enim omnes virtutes currant, sola perseverantia accipit bravium. Quia non ille qui incipit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Unde Joannes Chrysostomus dicit, quæ utilitas seminum florentium, & postea tabescentium? quasi diceret, penitus nulla. Si igitur Christi dilectissima, aliquas bonorum operum habens virtutes, immo quia multas habes, in his persevera, in his profice, in his usque ad mortem viriliter Christi age militiam, ut cum extrema dies finisque vitæ advenerit, pro stipendio, & mercede laboris, detur tibi corona gloriæ, & honoris. Unde Jesus Christus unice tibi dilectus, alloquitur te in Apocalypsi, dicens: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Hæc corona nihil aliud est quam præmium vitæ æternæ, ad quam addiscendam, inflammare te debet desiderium omnium Christianorum, est enim tam magna, ut nullus omnino eam æstimare possit, sicut dicit beatus, Gregorius tam multa, ut nullus eam dinumerare queat, est denique tam longa, & durabilis, ut numquam terminari possit, & finiri. Ad hanc mercedem, ad hanc coronam invitat te dilectus sponsus tuus, dilectissimus Jesus Christus in Canticis canticorum dicens: Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano coronaberis. Surge ergo amica Dei, sponsa Jesu Christi, columba sponsi æterni, veni & propera ad nuptias filii Dei, quia tota cœlestis curia expectat te, quia omnia parata sunt. Est enim paratus speciosus servus tuus, ut tibi serviat, & nobilis cibus pretiosus & delectabilis, ut te reficiat, societas dulcis, & præamicabilis, ut tibi congaudeat. Surge ergo & propera festinanter ad nuptias, quia ibi est paratus servus speciosus, ut tibi serviat, iste servus non est alter, nisi cœtus angelicus, immo ipse æternus Dei filius, qui de seipso testatur, dicens in Evangelio: Amen dico vobis quia præcinget se, & faciet illos discumbere, &c. O quam magna gloria tunc erit pauperibus abjectis, quando ministrum habebunt filium Dei, & summi regis, & totum conventum exercitus regni cœlestis! Est etiam ibi paratus cibus pretiosus, & delectabilis, ut reficiat; ipse enim Dei filius mensam propriis manibus posuit, sicut ipse de se in Evangelio testatur dicens: Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. O quam suavis, & deliciosus est cibus ille, quem præparavit in dulcedine sua pauperi Deus! O quam beatus est ille, qui in regno cœlorum panem man-

Bern. ep. 113 ad Garuens. ante med. Mat. 24 — Apoc. 2 — Cant. 4 — Luc. 12 — Luc. 22.

manducabit illum, qui in clibano virginalis uteri coctus est igne Sancti Spiritus. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Tali cibo, tali pane, cibat & reficit suos electos Rex cœlestis in mensa sua, sicut in libro Sapientiæ dicitur: Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti ei sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem, & deserviens uniuscujusque voluntati. Ecce talis est refectio divinæ mensæ. Et nihilominus parata est ibi societas dulcis, & præamabilis, ut tibi congaudeat. Illic enim erit Jesus cum Patre & Spiritu sancto. Illic Maria cum florigero exercitu virginum. Illic Apostoli, Martyres, Confessores, & omnium electorum cœlestis exercitus. Miserabilis prorsus, qui tam nobilissimæ societati non fuerit sociatus. Valde mortuum habet desiderium, qui huic societati jungi non desiderat. Sed tu o præclarissima Dei famula, scio te quidem desiderare Christum, ad hoc te niti totis viribus, quomodo regis æterni possis jungi consortiis, & amplexibus. O nunc excita cor tuum, & animam tuam, & erige totum cor tuum, & cogita quantum potes. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita mente quam bonum sit illud delectabile, quod continet jucunditatem omnium bonorum: si bona est vita creata, quam bona est vita creatoris, si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus quæ facit omnem salutem. Qui hoc bene fruetur, quid erit illi, & quid non erit? certe quidquid volet, hoc erit ibi, quidquid nolet hoc non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis intellexit. Cur ergo, famula Dei, per multa vagaris, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia, & sufficit: desidera simplex bonum, quod est omne bonum, & satis est. Ibi est quod amas mater mea, quod desideras virgo beata. Ibi est quidquid amas, quidquid desideras. Si te delectat pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol. Si te delectat longa & salubris vita, ibi est sana æternitas, quia justi in perpetuum vivunt, & salus justorum æterna. Si delectat satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus suæ. Si te delectat dulcis melodia, ibi Angelorum chori concinunt alleluia laudantes. Si te delectat amicitia, ibi sancti diligunt Deum plusquam seipsos, & Deus diligit suos plusquam se ipsi. Si concordia delectaris, omnibus illis erit una voluntas, quia nulla erit ibi, nisi Dei voluntas. Si te delectat honor & divitiæ, Deus ancillas suas, & servos bonos & fideles supra multa constituit, immo filii, & filiæ Dei vocabuntur, & erunt ibi ipsi hæreditas Dei, illi quidem hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Quale autem, vel quantum gaudium ubi tale ac tantum est bonum? Certe Domine Jesu, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita quantum amabunt te beati, & de te gaudebunt in illa beata vita. Quantumcumque enim quisque Deum amat, tantum ibi de Deo gaudebit. Ergo hic multum ama, ut multum gaudeas, crescat in te amor Dei, ut ibi plene possideas gaudium Dei. Meditetur inde mens tua, loquatur inde lingua tua, amet illud cor tuum, sermocinetur os tuum, esuriat illud anima tua, sitiat illud caro tua, desideret tota substantia tua, donec intres in gaudium Dei tui, donec venias ad amplexus dilecti tui, & donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.

Marginal notes: Joan. 6; Sap. 17; Ex Ansel. in proleg. cap. 24; 1 Cor. 2; Mat. 13; Sap 5; Psal. 35; Apoc. 19; Rom. 8; 1 Cor. 2; B; C

Æ

Æ .


& me-
rborem,
us pul-
quitur,
suavi-
? nun-
sunt ,
sidera-
dverso
taven-
rissum
Fran-

ciscum tamquam ejus religionis alumnus egregie imitatus est , ut cujus ille stigmata corpore & corde gestabat , hic saltem cordi semper impressa haberet .

PRÆFATIO.

Gal. 2. CHRISTO confixus sum Cruci . Verus Dei cultor , Christique discipulus , qui Salvatori omnium pro se crucifixo perfecte configurari desiderat , ad hoc potissimum attento mentis conatu debet intendere , ut Christi Jesu crucem circumferat jugiter tam mente , quam carne quatenus præfatum Apostoli verbum veraciter valeat in seipso sentire . Porro hujusmodi affectum , & sen-

Joan. 6
Sap. 17



Ex Ansel. in proleg. cap. 24

1 Cor. 2.

erunt bona corporis & animæ, quæ-lia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis intellexit. Cur ergo, famula Dei, per multa vagaris, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia, & sufficit; de-

m Dei tui, donec venias ad amplexus dilecti tui, & donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM QUOD INSCRIBITUR LIGNUM VITÆ.

Ut Christi Domini vita, passio, & glorificatio menti, affectui, & memoriæ Christianorum infixæ semper hæreant, S. Bonaventura arborem excogitavit: Quæ duodecim expansa ramis, frondibusque ac floribus pulchre ornata instar ligni Vitæ mysterii de quo Joannes Apoc. 22. loquitur, fructum duodenum affert omne delectamentum, & omnem saporis suavitatem in se habentem. Hinc fit, ut Opusculum hoc Lignum Vitæ nuncupetur: cujus subtilitas, utilitas, & commoditas adeo magnæ sunt, ut inter alia Auctoris Opuscula, hoc, quod in Ligni Vitæ consideratione versatur, non infimum locum teneat. Arbor vero hæc ex adverso descripta, & in præfatione declarata insigne proprium est S. Bonaventuræ. Ipse quippe B. Pauli Apostoli exemplo, confixus cruci, Christum & hunc crucifixum perpetuo meditabatur. In quo etiam Seraphicum Franciscum tamquam ejus religionis alumnus egregie imitatus est, ut cujus ille stigmata corpore & corde gestabat, hic saltem cordi semper impressa haberet.

PRÆFATIO.

Gal. 2. CHristo confixus sum Cruci. Verus Dei cultor, Christique discipulus, qui Salvatori omnium pro se crucifixo perfecte configurari desiderat, ad hoc potissimum attento mentis conatu debet intendere, ut Christi Jesu crucem circumferat jugiter tam mente, quam carne quatenus præfatum Apostoli verbum veraciter valeat in seipso sentire. Porro hujusmodi affectum, & sen-

sensum is dumtaxat apud se vivaciter experiri meretur, qui Dominicæ passionis non immemor nec ingratus, laborem, & dolorem, amoremque crucifixi Jesu, tanta memoriæ vivacitate, tanto intellectus acumine, tanta voluntatis charitate considerat, quod veraciter illud sponsæ proferre potest eloquium: Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Cant. 1

Ut igitur præfatus in nobis attendatur affectus, formetur cogitatus, imprimatur memoria, ex sacri Evangelii silva, in qua de vita, passione & glorificatione Jesu Christi diffuse tractatur, colligere studui hunc myrrhæ fasciculum, quem & paucis, & ordinatis, & correspondentibus sibi verbis compegi, propter facilitatem memoriæ; nec non simplicibus, consuetis, & rudibus propter declinandum curiositatis vitium, fovendam quoque devotionem, & ædificandam fidei pietatem. Et quoniam imaginatio juvat intelligentiam, ideo ex multis pauca collegi, & imaginaria quadam arbore sic ordinavi; atque disposui, ut in prima & infima ramorum ipsius expansione, Salvatoris origo describatur, & vita: in media passio, & glorificatio in suprema. Et in prima quidem ramorum serie quatuor altrinsecus secundum alphabeti ordinem ponentur versiculi: similiter in secunda & tertia: ex quorum quolibet instar fructus unica pullulatio pendet, ut sic sint quasi duodecim rami afferentes duodecim fructus, juxta mysterium Ligni Vitæ. Describe igitur in spiritu mentis tuæ arborem quamdam, cujus radix irrigetur fonte scaturitionis perpetuæ, qui etiam excrescat in fluvium vivum & magnum, quatuor videlicet capitum, ad irrigandum totius Ecclesiæ paradisum. Porro ex hujus arboris stipite duodecim rami frondibus, floribus, fructibusque adornati consurgant, sitque folium ejus contra omne genus morbi medicamentum efficacissimum, tam præservans, quam reparans, pro eo quod verbum crucis, virtus Dei est in salutem omni credenti. Flos autem ejus sit omnis coloris formositate decorus, omnisque odoris suavitate respersus, qui desiderantium anxia corda refocillet, & attrahat. Fructus tamdem sit duodenus, habens in se omne delectamentum, & omnem saporis suavitatem: qui sic domesticis Dei ad degustandum proponitur, ut semper eo satientur edentes, & tamen numquam fastidiant. Et hic quidem fructus est, qui de virginali utero traxit originem, & in ligno crucis ad maturitatem saporosam, per æterni Solis calorem meridianum, Christi videlicet charitatem, pervenit, & in horto paradisi cælestis, in Ecclesia videlicet Dei, desiderantibus ipsum, proponitur degustandus. Et hoc insinuat primus versiculus, quo dicitur. Rom. 1

O Crux frutex salvivificus, vivo fonte rigatus.

Cujus flos aromaticus, fructus desideratus.

Verum licet hic fructus unus sit, & indivisus; quia tamen secundum ejus multiplices status, dignitates, virtutes, & opera, multiformibus consolationibus devotas animas cibat, quæ quidem ad duodenarium numerum reducuntur, ideo fructus hic Ligni vitæ quasi sub duodecim saporibus in duodecim ramis gustandus proponitur, atque describitur. Ut in primo ramusculo mens Christo dovota saporem suavitatis percipiat, præclaram Salvatoris sui recogitando originem, & dulcem nativitatem. In secundo ramusculo dignitativæ condescensionis conversationem perhumilem. In tertio, celsitudinem perfectæ virtutis. In quarto, plenitudinem abundantissimæ, & perfectissimæ pietatis. In quinto, confidentiam, quam habuit in periculo passionis. In sexto patientiam, quam exhibuit in illatis injuriis, & contumeliis magnis. In septimo, constantiam, quam servavit in ipso cruciatu, & dolore asperrimæ crucis. In octavo, victoriam, quam assecutus est in conflictu, & transitu mortis. In nono, resurrectionis novitatem miris dotibus adornatam. In decimo, ascensionis sublimitatem, spiritualium charismatum diffusivam. In undecimo, æquitatem futuri judicii.

In duodecimo, æternitatem divini A regni.

Hos autem ideo voco fructus, quia sua maxima suavitate delectant, & virtuositate confortant animam meditantem in his, & diligentius singula pertractantem, si tamen abhorreat exemplum prævaricantis Adæ, qui Lignum scientiæ boni & mali prætulit Ligno Vitæ. Quod quidem vitare non potest, nisi rationi fidem, investigationi devotionem, curiositati simplicitatem, tamdemque carnali sensui omni, seu prudentiæ carnis sacram præferat Christi crucem, per quam sancti Spiritus charitas in cordibus devotis nutritur, & septiformi gratia diffunditur, sicut in duobus supremis, & postremis versiculis postulatur. B

Jesus ex Deo genitus.

Expergiscere proinde anima Christo devota, & singula quæ de Jesu dicuntur, diligentius discute. Attente considera, & morose pertracta, cum Jesum audis ex Deo genitum. Cave, ne mentis tuæ oculis infirmum aliquid carnalis cogitationis occurrat, quin potius columbino, & aquilino intuitu simpliciter crede, ac perspicaciter contemplare, quod ab illa æterna luce simul immensa & simplicissima, fulgentissima & summe arcana, coæternus, coæqualis, & consubstantialis splendor oritur, qui est virtus, & sapientia Patris generantis, in quo Pater omnia disposuit ab æterno, per quem fecit & sæcula, factaque gubernat, & ordinat ad gloriam suam, partim per naturam, partim per gratiam, partim per justitiam, partim per misericordiam; ut nihil in hoc mundo inordinatum relinquat. C

Jesus præfiguratus.

A Principio quidem conditionis naturæ, collocatis in paradiso parentibus primis, dehinc propter esum ligni vetiti, per divini decreti severitatem expulsis, superna misericordia non distulit, hominem errabundum revocare ad pœnitentiæ viam, spem veniæ dando per repromissum Salvatoris adventum. Et ne forte per ignorantiam, & ingratitudinem tanta Dei dignatio nostræ saluti foret inefficax, in quinque sæculi hujus ætatibus per Patriarchas, Judices, Sacerdotes, Reges, & Prophetas ab Abel justo, usque ad Joannem Baptistam, Filii sui adventum prænuntiare, promittere, ac præfigurare non destitit: ut per multa millia temporum & annorum, magnis, miris, multiplicatis oraculis, intelligentias nostras ad finem erigeret, & affectus per viva desideria inflammaret.

Jesus emissus cœlitus.

Denique postquam venit plenitudo temporis, sicut homo sexta die conditus est de terra per divinæ manus virtutem & sapientiam: sic in principio sextæ ætatis misso Archangelo Gabriele ad Virginem, & Virgine præbente illi assensum, supervenit in eam Spiritus sanctus, sicut ignis divinus mente ejus inflammans, carnemque ipsius perfectissima puritate sanctificans. Sed & virtus eam obumbravit altissimi, ut tantum ferre posset ardorem, qua operante in instanti corpus fuit formatum, anima creata, & simul utrumque divinitati in persona Filii counitum ut idem esset Deus & homo, salva utriusque proprietate naturæ. O si valeres utcumque sentire, quale, quantumque fuerit illud e cælo immissum incendium, collatum refrigerium, infusum solatium, quanta sublimatio Virginis matris, quanta nobilitatio generis, quantaque condescensio majestatis, si Virginem canentem cum jubilo posses audire, si cum Domina tua in montana conscendere, si sterilis & Virginis suavem contueri complexum, & salutationis officium, in quo servulus Dominum, præco Judicem, vox verbum cognovit, puto quod canticum illud sacrum: Magnificat anima mea Dominum, &c. cum beatissima Virgine, suavi tunc modulatione concineres, mirumque conceptum virgineum una cum Propheta

Gal. 4

Verbi divini incarnatio.

Luc. 1

ta parvulo exultans & jubilans, adorares.

Jesus Maria natus.

Luc. 2

SAne cum quietum silentium universalis pacis sub Cæsaris Augusti imperio perturbata prius sæcula serenasset, in tantum, ut per ipsius edictum describeretur universus orbis, divinæ factum est providentiæ cura, ut Joseph Virginis sponsus prægnantem puellam de regali ortam prosapia, ad Bethleemiticam duceret urbem. Et jam a conceptu excursis mensibus novem, Rex ille pacificus, tamquam sponsus de thalamo processit de utero virginali: sic absque omni corruptione in lucem editus, B sicut fuerat absque omnis libidinis contagione conceptus. Qui cum magnus esset & dives, pro nobis effectus parvus, pauper extra domum in diversorio nasci elegit, panniculis involvi, lacte virgineo pasci, & inter bovem & asinum in præsepio reclinari. Tunc illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Tunc per totum mundum melliflui facti sunt cæli. Contemplare itaque: nunc anima mea divinum illud præsepe: ut pueri pedibus labia tua figas, & oscula gemines. Deinde pastorum excubias mente pertracta. Angelorum mirare concurrentem exercitum, cælesti melodiæ tuas interpone partes, C corde & ore decantans: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Ibidem.

Jesus conformis Patribus.

Pueri Jesu circumcisio.

OCtavo namque die circumciditur puer, & vocatur Jesus, ut sanguinis sui pretium pro te non tardans effunderet, tuum se verissimum Salvatorem ostenderet, patribus repromissum tam verbo, quam signo, eisque assimilatum per omnia, præter ignorantiam & peccatum. Propter quod & circumcisionis accepit signaculum, sicut & veniens apparuit in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum, nobisque fieret salus & sempiterna justitia ab humilitate sumens initium, quæ omnium est radix, custosque virtutum. Quid igitur superbis terra & cinis? agnus innocens, qui tollit peccata mundi, non abhorret circumcisionis cauterium; & tu peccator cum sis, dum prætendis te justum, remedium refugis salutis æternæ, ad quam nullatenus pervenire potes, nisi velis subsequi humilem Salvatorem?

Rom. 8.

A Eccli. 10.

Jesus tribus Magis monstratus:

NAto Domino in Bethleem Judæ, stella tribus Magis in oriente apparuit, & usque ad domum illius humilis Regis prævia claritate perduxit. Noli jam & tu ab illius orientis, & præeuntis stellæ declinare fulgores, quin potius sacrorum Regum comes effectus, Judæorum scripturam de Christo testimonium perhibentem accepta, & fraudulenti regis Herodis declina malitiam. Cum auro, & thure, ac myrrha Christum Regem, & verum Deum & hominem venerare, & cum primitiis gentium vocandarum ad finem, humilem Deum in cunis jacentem adora, & confitere, & lauda, ut sic in somnis commonitus, ne Herodianam sequaris superbiam, post vestigia humilis Christi revertaris in regionem tuam.

Mat. 2

Magos vocat Reges.

Jesus summissus Legibus.

NOn suffecit Magistro humilitatis perfectæ, cum Patri per omnia esset æqualis, quod seipsum subderet humillimæ Mariæ Virgini, nisi & se summitteret legi: quatenus eos, qui sub lege erant, redimeret, liberaretque a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Propter quod & matrem, quamquam mundissimam, legem purificationis voluit observare, & seipsum omnium Redemptorem ut primogenitum redimi, in templo Dei offerri, & hostiam pro se dari præsentibus & exultantibus justis. Exulta igitur & tu cum illo beato sene Simeone, & Anna longæva. Procede in occursum matris, & parvuli.

Præsentatio Christi in templo.

Gal. 4.

Luc. 2

Vin-

Vincat verecundiam amor. Depellat timorem affectus. Accipias & tu infantem Jesum in ulnas tuas, dicasque cum sponsa in Canticis Canticorum; Tenui eum, nec dimittam. Tripudia cum illo venerabili sene Simeone, & concine: Nunc dimittis servum tuum Domine, &c. A

Cant. 3
Luc. 2.

Jesus Regno fugatus.

Peregrinatio in Ægyptum.

QUoniam autem humilitatem perfectam trium specialiter adornari docet commitatu virtutum, sc. paupertatis, in fugiendo divitias ut fomenta superbiæ: patientiæ vero in æquanimi perpessione contemptus: obedientiæ quoque, in alienis parendo mandatis. Ideo divina dispositione altiori permittente consilio, dum Herodes impius parvulum Regem quærit, ut perdat supernæ revelationis oraculo, in Ægyptum transfertur, ut peregrinus & pauper, simulque in coætaneis parvulis, ipsius causa occisis occiditur, & quasi in quolibet trucidatur. Tandem Herode defuncto, juxta divinum imperium reducitur in terram Juda. Ibique conversatus, & crescens ætate, & gratia cohabitabat parentib. & adeo erat subditus illis, ut numquam, vel ad momentum secederet, nisi cum duodecim jam factus annorum remansit in Hierusalem, non sine multo matris dolore quæsitus, nec sine immenso gaudio reinventus. Noli ergo & tu fugientes in Ægyptum matrem & parvulum, sine comitatu relinquere. Noli cum dilecta quærente dilectum, donec inveniasi, ab inquisitione cessare. O cum quanta copia fluerent lacrymæ, si oculis piis aspiceres tam venerabilem Dominam, gratiosissimamque puellam, cum tam tenero, & formoso puerulo peregrinam: si etiam dulcem illam increpationem amantissimæ Dei genitricis audires: Fili, quid fecisti nobis sic? tamquam si diceret: Desideratissime fili, quomodo tam dilectæ, & diligenti matri tantam potuisti materiam præstare doloris? B C

Luc. 2

Jesus Baptista cælitus.

Christus baptizatur
Luc. 3
Mat. 3.
Mar. 1
Joan. 1.

CUm autem ad tricesimum ætatis suæ annum Salvator pervenisset volens operari salutem nostram: cœpit prius facere, quam docere. Et primum inchoans a ianua Sacramentorum, & fundamento virtutum, baptizari voluit a Joanne: ut exempla monstraret perfectæ justitiæ, & vim regenerativam aquis conferret contactu mundissimæ carnis suæ. Quem & tu fideliter comitare, ut fias regeneratus in ipso, ejusque scrutare secreta, ut secus Jordanem in voce Patrem, in carne Filium, in columba videas Spiritum sanctum.

Jesus Hoste tentatus.

Mat. 4
Christi ieiunium & tentatio in deserto.

DUctus namque fuit JESUS in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo, quatenus & hostilis pugnæ humili perpessione nos humiles faceret, & victoriæ assecutione viriles. Duram quoque, ac solitariam vitam constanter assumpsit, ut fidelium mentes ad perfectionis aggressionem erigeret, & ad gravia perferenda firmaret. Eia nunc Christi discipule, cum pio magistro secreta solitudinis perquire, ut socius ferarum effectus arcani silentii, orationis devotæ, diuturni ieiunii, trinæ conflictationis cum callido hoste, imitator fias, & particeps, & in omnium tentationum discrimine ad illum discas habere recursum, pro eo, quod non habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.

Heb. 4

Jesus signis mirificus.

IPse nempe est, qui fecit mirabilia magna solus dum elementa commutat, panes multiplicat, mare calcat, fluctusque tranquillat, dæmones compescit & fugat, leprosos emundat & sanat, mortuos suscitat: qui & cæcis visum, surdis auditum, mutis eloquium, claudis gressum, paralyticis & aridis sensum restaurat & motum. Ad quem peccatrix conscien-

entia clamat, nunc more fidelis le-
Luc. 5 prosi: Domine si vis, potes me mun-
Matth. 8. dare. Nunc more Centurionis: Do-
Idem 15 mine, puer meus iacet in domo pa-
Idem 9 ralyticus, & male torquetur. Nunc more Chananææ: Miserere mei fili David. Nunc more sanguifluæ mulieris: Si tetigero inquit, fimbriam vestimenti eius, salva ero. Nunc in-
Joan. 11 star Mariæ, & Marthæ: Domine, ecce, quem diligis infirmatur.

Jesus transfiguratus.

AD confirmandum siquidem mentem humanam perspem retri-
Matth. 17 butionis æternæ, assumpsit JESUS Petrum, Jacobum, & Joannem, quibus & Trinitatis sacramentum aperuit, & passionis abiectionem prædixit, & resurrectionis futuræ gloriam in transfiguratione monstravit, contestantibus sibi lege, & Prophetis in apparitione Moysi & Eliæ: contestantibus etiam Patre & Spiritu sancto in voce & nube: ut sic anima Christo devota, & iam in veritate firmata, & ad apicem virtutis eve-
Ibidem. cta fideliter dicat cum Petro: Domine, bonum est nos hic esse, hoc est in tuæ contemplationis perfruitione serena, immissoque in eam cæ-
2. Cor. 12 lesti sopore, & ecstasi, audiat arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Jesus Pastor sollicitus.

QUanta fuerit piissimi pastoris ad perditas oves solicitudinis cura, quantaque clementia ipse, bonus pastor in parabola pastoris, &
Luc. 15 ovis centesimæ perditæ, multaque cura quæsitæ, ac tandem inventæ, & in humeris reportatæ cum gaudio, pia metaphora indicat, & sermone
Joan. 10 expresso declarat, cum dicit: Bonus pastor, animam suam dat pro ovibus suis. Et in eo vere illud propheticum perfecte impletur; Sicut pa-
Isa. 40 stor gregem suum pascet. Nam propter hoc labores, solicitudines, & medias passus inter Pharisæorum insidias & pericula multa, evangelizando regnum Dei civitates circuibat & castra, noctes ducebat in o-

A ratione pervigiles. Nec Pharisæorum veritus murmur & scandalum, pu-
blicanis reddebat se affabilem, asse- Luc. 5
rens, propter male habentes se venisse in mundum. Ad pœnitentes quoque paternum prætendebat affectum, apertum ostendens eis divinæ misericordiæ sinum. Testes horum invoco, & adduco in medio Matthæum, Zachæum, & peccatricem illam ad pedes eius prostratam, & mulierem in adulterio deprehensam. Hunc igitur pastorem piissimum more Matthæi perfecte sectare, more Zachæi hospitio suscipe, more peccatricis unguento perunge, pedesque ipsius ablue lacrymis, terge capillis, & osculis mulce: ut tandem
B cum ipsa muliere iudicio ipsius exposita, absolutionis sententiam merearis audire: Nemo te condemnavit: nec ego te condemnabo. Vade,
& jam amplius noli peccare. Joan. 8

Jesus fletu rigatus.

PRo summæ quidem pietatis referenda dulcedine fons totius misericordiæ bonus JESUS, non modo pro nobis miseris semel, sed pluries
flevit. Nam super Lazarum primo, Joan. 11
dehinc super civitatem: & tandem Luc. 19
in cruce, ex illis piissimis oculis ad Hebr. 5
omnem expiationem peccatorum lacrymarum manavere fluentia. Flevitque Salvator ubertim, nunc hu-
C manæ infirmitatis deplorando miseriam, nunc cæci cordis caliginem, nunc obduratæ malitiæ pravitatem. O cor durum, vesanum, & impium, & tamquam vera privatum vita plangendum, cur more frenetici, flente super te sapientia Patris in tantis miseriis lætaris, & rides? Considera lacrymantem medicum tuum, & luctum unigeniti fac tibi planctum ama-
rum. Deduc quasi torrentem lacry- Hier. 6
mas per diem & noctem: non des Thren. 2
requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

Jesus rex orbis agnitus.

SAne post Lazarum suscitatum, De Ingressu Christi in Hierusalem.
& post effusum alabastrum unguenti super caput JESU, odore fa-
mæ

Mtt. 21. Luc. 19 mæ eius iam resperso in populo, præsciens ipse turbam sibi obviam venturam, conscendit asellum, ut inter plausus currentium populorum cædentium ramos, & sternentium vestimenta in via, miræ præberet humilitatis exemplum. Nec suæ miserationis oblitus, cum turbæ depromerent canticum laudis, ipse lamentum assumpsit super excidium civitatis. Surge nunc Salvatoris ancilla, ut tamquam una de filiabus Hierusalem intuearis regem Salomonem
Cant. 3 in honore, quem sibi mater Synagoga in Ecclesiæ nascentis mysterium reverenter exhibuit, ut insidentem aselli tergo, cæli, terræque Dominum velut cum ramis olivarum atque palmarum, pietatis operibus, virtutumque triumphis iugiter comiteris.

Jesus panis sacratus.

De ultima cœnæ Domini. Ioan. 13. INter omnia memoralia Christi præcipua constat, recordatione esse dignissimum finale illud convivium sacratissimæ cœnæ. In quo non solum agnus paschalis ad edendum proponitur, verumetiam Agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi, sub specie panis omne habentis in se delectamentum, & omnis saporis suavitatem, præbetur in cibum. In quo quidem convivio mira Christi refulsit bonitatis dulcedo, quando cum pauperculis illis discipulis, & Juda proditore, eadem mensa, & scutella cœnavit. Mirum claruit humilitatis exemplum, dum pedes piscatorum, & etiam proditoris sui Rex gloriæ præcinctus linteo, studiosissime lavit. Mira patuit munificentiæ largitas, dum sacerdotibus illis primis, & per consequens toti Ecclesiæ & orbi terrarum, corpus suum sacratissimum & sanguinem, verum cibum dedit & potum: ut quod erat futurum in proximo sacrificium Deo placens redemptionis nostræ impretiabile pretium, esset viaticum & sustentamentum. Mirus tandem emicuit dilectionis excessus, quando in finem diligens suos, tam dulci eos exhortatione confortavit in bono, Petrum specialiter præmonens ad fidei robur, & Joanni offerens pectus ad recubitum iucundum & sacrum. O quam mira sunt hæc omnia repleta dulcedine, illi dumtaxat animæ, quæ ad tam celebre vocata convivium, tanto mentis currit ardore, ut possit illud propheticum eructare: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Psal. 41

Jesus dolo venundatus.

PAssionem dulcissimi Jesu Christi pie considerare volenti, primum occurrit perfidia proditoris, qui tantæ fuit fraudis veneno repletus, ut suum Dominum & Magistrum proderet. Tanta fuit flamma malæ cupiditatis succensus, ut optimum Deum argento venundaret, & pretiosissimum Christi sanguinem vilis mercedis pretio compensaret. Tantæ denique ingratitudinis, ut illum, qui omnia sibi commiserat, & ad honorem, & dignitatem & culmen Apostolicæ potestatis provexerat, insequeretur ad mortem. Tantæ duritiæ, ut nec familiaritate convivii, nec humanitate obsequii, nec suavitate coloquii, a concepta malitia potuerit revocari. O mira benignitas Magistri in discipulum durum, & pii Domini in servum nequissimum. Certe bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Sed quamvis inexplicabilis fuerit proditoris impietas, in immensum tamen exuperat agni Dei dulcissima mansuetudo, in exemplum data mortalibus, ut iam non dicat ab amico exasperata humanitas: Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. quia, Ecce homo unanimis, qui dux videbatur & notus, qui Christi panes edebat, & in illa sacra Cœna cum illo dulces capiebat cibos, magnificabat super eum supplantationem. Et tamen agnus ille mitissimus, os, in quo non est inventus dolus, ori, quod abundavit malitia, in ipsa proditionis hora suavi osculo applicare non renuit: ut omnia illi exhiberet, quæ pravi cordis pertinaciam emollire potuissent.

Durissima, atque iniquissima Judæ impietas. Mtt. 26 Mar. 14 Psal. 45.

Jesus

Jesus orans prostratus,

SCiens namque Jesus omnia, quæ super eum erant ventura, secundum altissimæ dispositionis arcanum, hymno dicto, exiit in montem Olivarum, more solito oraturus ad Patrem. (*Jesus factus in agon.*) Et tunc præcipue jam mortis instante agone, cum dispersione quoque ac desolatione ovium, quas pius pastor tenero complexabatur affectu, fuit horribilis in natura Christi sensibili imaginatio mortis, ut diceret? (*Mat. 26*) Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Quanta vero fuerit in spiritu Redemptoris pro diversis causis anxietas, testes sunt guttæ sudoris sanguinei, ex toto corpore decurrentis in terram. (*Luc. 22.*) Dominator Domine Jesu, unde animæ tuæ tam vehemens anxietas, & anxia supplicatio? Nonne voluntarium omnino Patri sacrificium obtulisti? Verum, ut veram in te credentes nostræ mortalitatis naturam, formemur ad fidem, & in tribulationum perpessione consimili erigeremur ad spem, & majores erga te amoris stimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem hujusmodi expressisti evidentibus signis, quibus doceremur, quod vere dolores nostros pertuleris, & non absque doloris sensu degustaveris amaritudines passionum.

Jesus turba circumdatus.

(*Ioan. 18 Mat. 26 Mar. 14 & Luc. 22*) SAne quam promptus ad passionem fuerit spiritus in Jesu; ex hoc evidenter innotuit, quod venientibus una cum proditore viris sanguinum, & quærentibus animam suam cum facibus, lanternis, & armis per noctem, ultro occurrit, & seipsum manifestavit, & obtulit. Et ut cognosceret humana præsumptio, nihil se posse adversus ipsum, nisi quantum ipse permitteret, omnipotentis virtutis suæ verbo improbos satellites terræ allisit. Sed nec tunc misericordiam suam in ira continuit, nec pietatis suæ dulcedinem favus ille distillare cessavit. Nam & multifatam a discipulo aurem servi protervi, manus suæ contactu sanavit, & de-A fensoris sui zelum ab invadentium lusione compescuit. Maledictus furor eorum, quia pertinax, dum nec majestatis miraculo, nec pietatis beneficio potuit refrænari. (*Gen. 49.*)

Jesus vinculis ligatus.

DEnique sine gemitu audire quis possit, qualiter illa hora homicidas manus in Regem gloriæ iniecerunt truculenti lictores, & innocentes mitis Jesus manus vinculis constringentes, ipsum Agnum mansuetissimum nihil obloquentem, instar latronis contumeliose traxerunt ad victimam? Quis tunc doloris aculeus discipulorum corda penetravit, B cum viderent dilectissimum Dominum, & Magistrum suum a suo discipulo proditum, ligatis post tergum manibus quasi malefactorem duci ad mortem, cum & ille, impiissimus Judas pœnitentia ductus, tanta postmodum fuerit ex hoc amaritudine repletus, ut maluerit mori, quam vivere? Væ tamen homini illi, qui nec sic ad fontem misericordiæ per spem veniæ rediit, sed proprii sceleris immanitate perterritus desperavit.

Jesus notis incognitus.

COmprehenso dehinc pastore, dispersæ sunt oves: captoque Magistro, discipuli fugerunt. (*Luc. 22.*) C Petrus tamen tamquam fidelior secutus est a longe, usque ad atrium principis sacerdotum, ubi ad vocem ancillæ, se Christum non nosse, cum iuramento firmavit, tertioque repetiit: donec, gallo cantante, respexit benignus Magister prædilectum discipulum respectu miserationis & gratiæ, quo commonitus Petrus, & foras egressus, flevit amare. O quisquis es, qui ad vocem impotentis ancillæ, carnis videlicet tuæ, Christum pro te passum negasti procaciter vel voluntate vel actu: rememorans passionem dulcissimi Magistri, foras cum Petro egredere, ut te ipsum amarissime defleas, si quando te respiciat, qui Petrum lacrymantem respexit, geminæ quoque amarica-

ficationis, compunctionis, scilicet pro te, & compassionis ad Christum: inebriaberis absinthio, ut expiatus cum Petro a reatu sceleris, replearis cum Petro Spiritu sanctitatis.

Jesus vultu velatus.

CONsilio siquidem malignantium pontificum, præsentatus Pontifex noster Jesus Christus, & veritatem confessus, se videlicet esse filium Dei, quasi blasphemus adjudicatus est morti, & innumera perpessus opprobria. Nam vultus ille venerabilis hominibus, desiderabilis Angelis, qui & omnes cælos adimplet lætitia, labii polluti sputis inquinatur: ab impiis, sacrilegis manibus cæditur: velo in derisionem obtegitur, & Dominus universæ creaturæ tamquam servus contemptibilis colaphizatur, cum ille vultu placidissimo & sermone summisso, unum ex servis pontificis dantem alapam
Joan. 18. sibi, dulciter & benigne corripuit. Si male, inquit, locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? O verax, dulcis, & pie Jesu; quænam anima tibi devota hæc videns & audiens, possit se continere a lacrymis, & intimæ passionis occultare dolorem?

Jesus Pilato traditus.

HOrrenda prorsus Judæorum impietas, quæ tantis injuriis satiari non potuit, quin potius ferali rabie fremens, impio judici tamquam rabido cani, animam justi deglutiendam exposuit. Vinctum enim Jesum ante Pilatum pontifices perduxerunt, postulantes interim supplicio crucis eum, qui non noverat
Isa. 53. omnino peccatum. Ipse vero quasi agnus coram tondente se, sic ante judicem stabat mansuetus & tacitus, cum fallaces, & impii, falsorum criminum mole objecta, tumultuosis clamationibus auctorem vitæ petunt ad mortem: & virum homicidam, seditiosumque latronem servant ad vitam, lupum agno, mortem vitæ, luci tenebras, tam stulte præferentes, quam impie. Dulcis Jesu, quis

A tam durus erit, ut clamores illos horribiles: Tolle, tolle, crucifige *Joan 19.*
eum, sine gemitu, & clamore spiritus, aure corporis valeat audire, seu mente tractare?

Jesus morti damnatus.

VErum quamvis non ignoraret Pilatus, Judaicam gentem adversus Jesum non justitiæ, sed invidiæ zelo commotam, cum patenter assereret nullam se in eo mortis causam vel modicam invenire, humano tamen timore devictus, replevit animam suam amaritudinibus, & piissimum regem crudelis tyranni Herodis videlicet judicio subdidit, quem B & ludibrio habitum, & ad se remissum, crudeli mandato nudum in conspectu derisorum astare præcepit, ut atrocissimis verberibus virgineam illam, & candidissimam carnem flagellatores truculenti divellerent, plagas plagis, livores livoribus crudeliter infligentes. Decurrit ille sanguis pretiosissimus per illa sacra latera innocentis, & amantissimi juvenis, nullo prorsus in eo reperto reatu. E tu perdite homo, totius confusionis, & contritionis hujus causa existens, quo modo non in fletum erumpis foras? Ecce innocentissimus agnus, ut te a sententia justæ damnationis eriperet, injusto propter te elegit judicio condemnari.
C Ecce, quæ non rapuit, pro te solvit. Et tu anima mea nequam & *Psal. 68.*
impia, nec devotionis exsolvis gratitudinem, nec compassionis rependis affectum.

Jesus spretus ab omnibus.

POstquam autem Pilatus adjudicaverat impiorum vota compleri: non suffecit militibus illis sacrilegis crucifigere Salvatorem, nisi prius, *Mat. 27*
& ipsi illusionibus implessent animam suam. Nam congregata in prætorium universa cohorte, exuentes eum vestibus suis, & tunica induentes coccinea, chlamydem illi circumdederunt purpuream, & corona spinea imposita capiti ejus, & arundine in dextera manu, irrisorie ge-

nuflectebant, & alapas dabant, & A expuentes in eum, sacrum illud caput percutiebant arundine. Attende nunc humani cordis superbia, quæ opprobria refugis, & ad honores aspiras, quis est iste qui ingreditur habens imaginem quasi Regis, & nihilominus servi despectissimi confusione repletus? Ipse est Rex tuus, & Deus tuus, qui quasi vir leprosus, & novissimus virorum æstimatus est, ut te ab æterna confusione eriperet, a superbiæ peste sanaret. Væ igitur semel his, & væ iterum, qui post tam clarum humilitatis speculum superbia tolluntur in altum, rursus ostentui habentes filium Dei, quem tanto amplius ab hominibus omni constat honorificentia dignum, quanto magis pro hominibus indigna sustinuit. Isa 53.

Jesus Cruci clavatus.

Satiatis jam impiis de opprobriis mansuetissimi Regis, rursum Rex noster vestibus suis induitur de novo exuendus, & baiulans sibi crucem, perducitur ad Calvariæ locum, ibique totus exutus, vili dumtaxat circumtectus ad renes sudario & super lignum crucis dire projectus, expansus, protensus, & tractus, & in pellis modum hinc inde extensus, clavorum aculeis perforatur, manibus sacris & pedibus cruci affixis, & crudelissime sauciatis, vestes quoque ipsius dantur in prædam, dividuntur in partes, tunica inconsutili indivisa per sortem transeunte ad unum. Vide nunc anima mea, quomodo ille, qui est super omnia benedictus Deus, a planta pedis usque ad verticem, totus in aquas passionis demergitur: & ut te totam de illis passionibus extraheret, intraverunt aquæ usque ad animam suam Coronatus etenim spinis sub crucis onere dorsum curvare jubetur, & suam ipsius portare ignominiam, & ad locum deductus supplicii veste nudatur, ut ex flagellorum ictibus per dorsum, & latera carnis patefactis livoribus, atque scissuris, videretur quasi leprosus, & dehinc clavis transfossus, appareret tibi dilectus tuus propter te sanandam, concisus vulnere super vulnus. Quis mihi det, ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, ut totus tam mente, quam carne transfodiar, crucisque affigar patibulo cum dilecto. Joan. 19. Psal. 68.

Jesus junctus latronibus.

Ad augmentum confusionis, ignominiæ, dedecoris, ac doloris innocens agnus extra portam in loco punitionis sceleratorum, in die solemni, hora meridiana, in medio latronum super crucem, quasi ad spectaculum elevatur, flentibus amicis, & insultantibus hostibus. Nam & Mat. 27. qui præteribant, movebant capita B sua, & qui astabant, irrogabant convitia, dicentes quod alios salvos fecisset, nunc seipsum salvare non posset. Sed & ab irrisione hujusmodi alter latronum nequaquam abstinuit, cum tamen mitissimus agnus, & pro crucifigentibus & irridentibus pietatis dulcedine interpellaret ad patrem, & confitenti ac supplicanti latroni, liberalissima charitate repromitteret paradisum. O verbum totius dulcedinis & veniæ: Pater ignosce illis. Luc. 23. O verbum totius amoris & gratiæ: Ibid. Hodie mecum eris in paradiso. Respira nunc in spem veniæ anima quantumcumque peccatrix, si tamen patientis pro te Domini Dei tui vestigia sequi non abhorres, qui in om- C nibus pressuris suis nec semel os suum aperuit, ut aut querelæ, aut excusationis, aut comminationis, aut maledictionis sermonem adversus maledictos illos canes vel leniter diceret, quin potius novæ benedictionis verbum, quale a sæculis, non est auditum, super inimicos suos effudit. Dic ergo cum multa fiducia: Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea: Psal. 56 si forte more confitentis latronis audire merearis in mortis articulo: Hodie mecum eris in paradiso.

Jesus Felle, & aceto potatus.

Postea sciens Jesus, quia consummata sunt omnia, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio: Et Joan. 19

ce-

cetoso & felleo poculo sibi propinato cum spongia, Joanne, qui præsens fuit attestante, subintulit: Consummatum est, tamquam si in gustu aceti & fellis, totius amarissimæ passionis consummata plenitudo consisteret. Nam quia per gustum ligni suavis & vetiti, totius nostræ perditionis causa extitit prævaricator Adam, opportunum fuit & congruum, per viam contrariam salutis nostræ invenire remedium. Cum etiam in singulis membris ipsius acutissimarum passionum militantes sagittæ crebrescerent, quarum indignatio ebibebat spiritum ejus, ut cibi verbique vehiculum nequaquam remaneret immune, ut verificaretur in medico nostro propheticum illud: Replevit me amaritudine, inebriavit me absinthio. Sed & ut illud compleretur in dulcissima, & amantissima matre sua virgine gloriosa. Posuit me quasi desolatam, tota die mœrore confectam. Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, desolationum tuarum pondus Virgo beata? quæ præmissis omnibus præsens assistens, & particeps per omnem modum effecta, benedictam illam & sanctissimam carnem, quam tam caste concepisti, tam dulciter aluisti, & lacte potasti, tam crebro in tuo reclinasti sinu, & labia labiis impressisti, carneo contemplata es visu, nunc ictibus flagellorum divelli, nunc spinarum perforari aculeis, nunc arundine percuti, nunc palmis pugnisque concidi, nunc clavis perfodi, & stipiti crucis affixam atque pendentem graviter laniari, nunc omni ludibrio habitam, felleque tandem & aceto potari. Sed & divinissimam illam animam oculis conspexisti mentalibus, omnis amaritudinis felle repletam, nunc spiritu frementem, nunc paventem, nunc tædentem, nunc agonizantem, nunc anxiatam, nunc turbatam, nunc omni tristitia & dolore mœstissimam, partim propter passionis corporeæ vivacissimum sensum, partim propter divini honoris per peccatum subtracti ferventissimum zelum, partim propter effusum in miseros miserationis affectum, & partim propter compassionis ad te matrem dulcissimam infixum in cordis intima telum, cum te coram se positam, & piis conspiceret oculis, & blandis alloqueretur sermonibus: Mulier inquiens: Ecce filius tuus, ut tuam consolaretur inter angustias animam, quam passionis suæ gladio, amplius quam si proprio patereris in corpore, vere sciebat esse transfixam.

Ibidem. Thren. 3 Ibidem. Ioan. 19.

Jesus Sol morte pallidus.

Denique cum agnus innocens, qui & verus justitiæ sol trium horarum spatio pependisset in cruce, & eodem tempore sol iste visibilis factori suo compatiens lucis suæ radios occultasset, jam omnibus consummatis, fons ipse vitæ hora nona siccatur, dum Deus & homo Jesus cum clamore valido, & lacrymis, ad miserationis manifestandum affectum, & divinitatis declarandam potentiã, spiritum in manus Patris commendans, expiravit. Tunc velum templi scissum est a summo usque deorsum. Et terra mota est. Et petræ scissæ sunt. Et monumenta aperta sunt. Tunc ipse Centurio Deum verum ipsum esse cognovit. Tunc qui ad spectaculum insultaturi convenerant, revertebantur percutientes pectora sua. Tunc speciosus forma præ filiis hominum, caligantibus oculis, & pollentibus genis, pro filiis hominum deformis apparuit, factus holocaustum suavissimi odoris in conspectu paternæ gloriæ, ut averteret iram suam a nobis. Respice igitur Domine sancte Pater de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo; respice, inquam in faciem Christi tui. Respice hanc sacratissimam hostiam, quam tibi offert Pontifex noster pro peccatis nostris, & esto placabilis super nequitia populi tui. Considera & tu homo redempte, quis, qualis, & quantus est ille, qui pro te pendet in cruce: cujus mors vivificat mortuos, & cujus transitum & cælum luget, & terra; & lapides duri quasi naturali compassione sciunduntur. O cor humanum omni lapidum duritia durius! si ad tanti commemorationem piaculi, nec ter-

Hebr. 5. Mat. 27. Psal. 44

terrore concuteris, nec compassione afficeris, nec compunctione scinderis, nec pietate molliris.

Jesus Trannslaceatus.

Zac. 12. & Io. 19. PORro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, & scriptura impleretur, quæ dicit: Videbunt in quem transfixerunt: divina est ordinatione indultum ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostræ salutis, quod a fonte, sc. cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiæ, ad vitam gratiæ conferendam, essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam. 1 Reg. 18 Ecce jam nunc lancea Saulis perfidia populi scilicet Judaici reprobati, casso vulnere in parietem divina miseratione perlata, foramen fecit in petra, & cavernam in maceria, tamquam habitaculum columbinum. Cant. 2. Surge igitur amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis, Psal. 83. ibi ut passer inveniens domum, vigilare non cesses, ibi tamquam turtur casti amoris pullos absconde, ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris. Isa. 12 Hic enim est fons egrediens de medio paradisi, Gen. 2 qui in quatuor divisus capita, & in corda devota diffusus, fœcundat & irrigat universam terram.

Jesus Cruore madidus.

CRuentatus enim Christus Dominus sanguine proprio; primum sanguineo sudore, secundo flagellis, dehinc spinarum aculeis, post clavis, & tandem lancea, copiose effuso, ut apud Deum esset copiosa redemptio, Isa. 63. vestem pontificalem habuit rubricatam, quatenus vere rubrum appareret indumentum ipsius, & vestimenta ejus quasi calcantium in torculari. Gen. 37 Et sic vero Joseph in veterem dimisso cisternam, tunica ipsius intincta sanguine hœdi, propter similitudinem carnis peccati, approbationis notitia discernenda mitteretur ad Patrem. Cognosce igitur, clementissime Pater, tunicam prædilecti filii tui Joseph, quem invidia fratrum secundum carnem tamquam fera pessima devoravit, & conculcavit in furore vestimentum ipsius, & omnem decorem illius reliquiis cruoris inquinavit: nam & quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc enim est Domine vestimentum quod in manu meretricis Ægyptiæ, Gen. 39 videlicet Synagogæ, innocens puer tuus sponte dimisit, magis eligens spoliatus a carnis pallio in carcerem mortis descendere, quam adulterinæ plebis acquiescendo voci, temporaliter gloriari. Nam & proposito sibi gaudio, crucem sustinuit confusione contempta. Sed & tu misericordiosissima Domina aspice illam dilecti filii tui sacratissimam vestem, de castissimis membris, & visceribus tuis Spiritus sancti artificiositate contextam, & una cum ipso confugientibus nobis ad te veniam postula, ut digni habeamur effugere ab ira ventura.

Jesus Intumulatus.

VEniens tandem nobilis Centurio, Joseph scil. ab Arimathia, & Luc. 23. accepta a Pilato licentia, corpus Christi cum Nicodemo deponens de cruce, condivit aromatibus, & involvit in syndone, & in monumento novo, quod in horto propinquo in petra sibi exciderat, cum omni reverentia sepelivit. Porro sepulto Domino, & ad custodiam sepulchri militibus deputatis devotæ illæ mulieres, & sanctæ, quæ fuerant obsecutæ viventi, ut jam mortuo pietate officiosa famulatum impenderent, emerunt aromata ad corpus Christi sacratissimum perungendum. Inter quas Maria Magdalena tanto cordis ferebatur incendio, tantæ pietatis afficiebatur dulcedine, tam validis trahebatur vinculis charitatis, ut fœmineæ infirmitatis oblita, nec tenebrarum caligine, nec persecutorum immanitate retraheretur a visitatione sepulchri, quin potius foris stans, & rigans lacrymis monumentum, recedentibus discipulis non recedebat, pro

pro eo quod divinæ dilectionis igne succensa est, & tam invalescente urebatur desiderio, & tam impatiente vulnerabatur amore, ut nihil ei saperet nisi flere, possetque illud propheticum eructare veraciter: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? Deus meus bone Jesu, concede mihi quamquam per omnem modum immerito & indigno, ut qui corpore his interesse non merui, fide tamen hæc eadem mente pertractans, illum ad te Deum meum pro me crucifixum, & mortuum compassionis affectum experiar, quem innocens mater tua, & pœnitens Magdalena in ipsa passionis tuæ hora senserunt.

Psal. 41.

Jesus thriumphans mortuus.

CONsummato jam passionis agone, cum jam draco ille cruentus, & rabidus leo æstimaret se de occiso agno victoriam assecutum, refulgere cœpit in anima descendente ad inferos divinitatis potentia, qua leo noster fortissimus de tribu Juda consurgens in fortem armatum, prædam ab ipso diripuit, portisque inferorum confractis, & alligato serpente, expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. Tunc extractus est Leviathan hamo, ipsius per Christum perforata maxilla, ut qui nihil juris habebat in capite, quod invasit illud etiam perderet, quod habere videbatur in corpore. Tunc verus Samson moriens, hostilem prostravit exercitum. Tunc agnus sine macula in sanguine testamenti sui de lacu, in quo non erat aqua, vinctos eduxit. Tunc habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis, & diu novæ lucis expectata claritas radiavit.

Coloss. 2. Job. 40. Jud. 16 Zach. 9. Isa. 9

Jesus resurgens beatus.

SAcræ siquidem quietis Domini in sepulchro, illucescente tertio die, qui in revolutione dierum est octavus & primus, Dei virtus, & Dei sapientia Christus, mortis prostrato auctore, etiam ipsam mortem devicit, æternitatisque aditum nobis aperuit, dum sese a mortuis potentia divina suscitavit, ut notas nobis faceret vias vitæ. Tunc terræ motus factus est magnus, & Angelus Domini in vestimento albo, & aspectu fulgureo descendit de cœlo, piis apparens blandus, impiisque severus. Propter quod, & protervos perterruit milites, & confortavit pavidas mulieres: quibus & ipse Dominus resurgens primum apparuit, quia hoc devotionis intensæ merebatur affectus. Deinde visus est Petro. Postea Discipulis euntibus in Emaus. Deinde Apostolis omnibus absque Thoma. Postea etiam Thomæ palpandum se præbuit, cum ille fideliter exclamavit: Dominus meus, & Deus meus. Sicque per dies quadraginta multiformiter apparens discipulis, & comedens cum eis, & bibens, & argumentis nos illuminavit ad fidem, & promissis nos erexit ad spem: ut sic tandem donis cælitus datis, nos accenderet ad amorem.

Psal. 15 Mat. 28 Luc. 24 Joan. 20

Jesus Decor præcipuus.

SAne flos ille pulcherrimus de radice Jesse, qui in Incarnatione floruit, in Passione defloruit, sic in Resurrectione floruit, ut omnium esset decor. Nam corpus illud gloriosissimum, subtile, agile, & immortale tantæ claritatis supervestitum est gloria, ut vere sic sole fulgentius, exemplarem præferens pulchritudinem suscitandorum corporum humanorum. De quibus ipse Salvator ait: Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno Patris, sc. beatitudinis sempiternæ. Quod si justus quilibet fulgebit sicut sol, quanti putas esse fulgoris ipsum solem justitiæ? Tanti, inquam, est, ut sit speciosior sole, & super omnem stellarum dispositionem, luci comparatus, & decor præcipuus non immerito judicetur. Felices illi oculi, qui viderunt: sed & tu vere beatus eris, si fuerint reliquiæ seminis tui ad videndum tam interius, quam exterius, illam desideratissimam claritatem.

Isa. 11. Mat. 13

A

Jesus Orbi prælatus.

Mat. 28 APparens quoque Dominus in Galilæa discipulis, omnem sibi potestatem tam cæli quam terræ asseruit a Patre collatam. Propter quod & discipulos misit in mundum universum, prædicare Evangelium omni creaturæ, salutem promittendo credentibus, damnationem comminando incredulis, cooperante Domino, & sequentibus signis confirmante sermonem, ut in virtute nominis Jesu Christi imperarent omnibus creaturis, & morbis, vereque constaret sæculo toti, quod magni Patris filius Jesus Christus tamquam alter Ioseph, verusque Salvator vivit & dominatur, non solum in terra Ægypti, verumetiam in omni loco dominationis regis æterni, eductus quidem ad imperium Dei cæli de carcere mortis & inferorum, & attonsus mortalitatis comam, commutavit vestem carnis in immortalitatis decorem: & tamquam verus Moyses, *Ex. 2* de aquis mortalitatis assumptus, Pharaonis subnervavit imperium. tanto sublimatus honore, ut in nomine ipsius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. *Philip. 2.*

Jesus Ductor exercitus.

QUadraginta post Resurrectionem Domini peractis diebus, non sine magni designatione mysterii, in ipso quadragesimo die convescens una cum Discipulis suis, benignus magister in montem Oliveti conscendit, & inde videntibus illis elevatis *Act. 1* manibus, ferebatur in cœlum, nubeque interposita, quæ ascendentem recepit, humanis seipsum aspectibus occultavit. Sicque ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, *Psal. 67.* & cœli aperta jam porta, pandens iter sequentibus, exules introduxit in regnum, concives illos faciens angelorum, & domesticos Dei, quatenus ruinas instauraret angelicas, & æterni Patris cumularet honorem & se triumphatorem ostenderet, & Dominum exercituum se esse probaret.

Jesus Cœlo levatus.

PSallentibus Angelis, & exultantibus Sanctis, Deus & Dominus Angelorum & hominum super cælos cælorum ascendit, & super pennas ventorum mira potestatis agilitate volavit, seditque ad dexteram Patris: tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis sortitus est nomen, ibique jugiter vultui benignissimi Patris apparet, ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, & excelsior cælis factus, qui in dextera majestatis assistens, vultus paternæ gloriæ vulnerum, quæ pro nobis pertulit, ostenderet cicatrices. Gratias tibi referat, Domine Pater, omnis lingua, super inenarrabili dono superaffluentissimæ charitatis tuæ, qui unico filio cordis tui non pepercisti, sed pro nobis omnibus tradidisti in mortem, ut tantum, tamque fidelem advocatum coram te haberemus in cœlis. *Heb. 2.* *Heb. 7* B *Rom. 8*

Jesus Largitor spiritus.

SEptem quoque septimanis dierum a Resurrectione excursis quinquagesimo die congregatis in unum Discipulis, cum mulieribus, & Maria matre Jesu, factus est repente de cælo sonus, tamquam advenientis spiritus vehementis, qui & super centum viginti hominum turbam descendit, & apparuit in linguis igneis, pro eo quod ori verbum, intellectui lucem, & affectui ministraret ardorem. Repletique sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, secundum quod ejusdem Spiritus sancti dictabat instinctus. Qui omnem eos veritatem edocuit, & ad omnem dilectionem accendit, & in omni eos virtute firmavit. Nam ipsius adjuti gratia, illustrati doctrina, & confortati potentia, cum pauci essent & simplices, partim verbis ignitis, partim perfectis exemplis, partim mirandis prodigiis, per totum mundum sanctam Ecclesiam plantaverunt. Quæ & ejusdem Spiritus *Act. 2* C

ritus

ritus sancti virtute purgata, illuminata, & perfecta, amabilis facta est sponso suo, ejusque paranymphis, ut speciosa nimis, miraque varietate circumdata, satanæ vero & angelis ejus terribilis, ut castrorum acies ordinata. Cant. 6.

Jesus laxans reatus.

IN hac siquidem sancta Ecclesia per orbem universum, Spiritu sancto mirabiliter cooperante, multiformiter distincta, & uniformiter coniuncta, unus præsidet Pontifex Christus, tamquam summus hierarcha: qui miro ordine instar civitatis supernæ in ea dispensat dignitatum officia, distribuendo charismatum dona. Nam quosdam in ea dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, & ad ædificationem corporis Christi. Qui etiam secundum gratiam Spiritus sancti septiformem, septem dedit Sacramenta, quasi septem medicamenta morborum, per quorum administrationem, & gratiam sanctificantem tribuit, & peccata dimittit, quæ numquam nisi in fide, & unitate ejusdem sanctæ matris Ecclesiæ relaxantur. Et quoniam per ignem tribulationis peccata purgantur, ideo sicut caput Ecclesiæ Christum exposuit Deus fluctibus passionum: sic & corpus ejus, scilicet Ecclesiam suam, usque in finem sæculi ad probationem, & purgationem tribulari permittit. Sic Patriarchæ, sic Prophetæ, sic Apostoli, sic Martyres, Confessores, & Virgines, & quotquot placuerunt Deo, per multas tribulationes transiere fideles. Sic & omnia membra Christi electa usque ad diem judicii pertransibunt. Eph. 4.

Jesus testis veridicus.

POrro futuri judicii tempore, quo Deus occulta cordium iudicabit, præcedet ignis ante faciem iudicis, Angeli cum tuba mittentur, congregabuntur electi a quatuor ventis cæli, omnes quoque, qui in monumentis sunt divinæ iussionis virtute resurgent, omnesque astabunt ante illud iudiciale Tribunal. Tunc illuminabuntur abscondita tenebrarum. Tunc revelabuntur consilia cordium. Tunc libri pandentur conscientiarum, & ipse liber aperietur, qui dicitur Liber vitæ. Quo fiet, ut simul, & in instanti omnium omnia secreta omnibus tanta certitudinis claritate patescant, ut contra testimonium veritatis loquentis in Christo, & conscientiæ cuiuscumque pariter contestantis, nulla prorsus inficiandi, defendendi, vel excusandi, vel subterfugiendi pateat semita, quin recipiat unusquisque secundum opera sua. Magna igitur indicta est nobis necessitas probitatis, dum omnia agimus in conspectu iudicis cuncta cernentis.

Jesus Judex iratus.

APparente si quidem omnipotentis filii Dei signo in nubibus, virtutibusque cælorum commotis: sed ad orbis conflagrationem mundialibus concurrentibus ignibus, collocatis quoque omnibus iustis ad dexteram, impiis ad sinistram: intantum iudex universorum reprobis iratus videbitur, ut dicant montibus & petris: Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni. Induet enim pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos; ut qui contra auctorem omnium procaciter pugnaverunt, iusto tunc Dei iudicio ab omnibus expugnentur. Tunc superius judex apparebit iratus, & inferius horrendum chaos patentis Inferni. A dextris peccata accusantia: a sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia: & interius mordens conscientia Peccator sic comprehensus, quo effugiet? Certe latere erit impossibile, & apparere intolerabile. Si enim vix iustus salvabitur, impius & peccator ubi apparebunt? Non ergo intres in iudicium cum servo tuo Domine.

Luc. 21. Apoc. 6. Sap. 5. 1 Pet. 4. Psal. 142.

Jesus Victor magnificus.

LAta sententia damnationis in reprobos, quod flammis exurantur æternis, colligatisque ad modum fascis omnibus inimicis Jesu Christi, omnipotens Dei virtus perpetuæ illos exponet, tam carne, quam spiritu voracitati flammarum: ut & numquam deficiant, & tamen urantur, & sentiant in æternum, & fumus tormentorum eorum ascendet in sæ-
Apoc. 14. cula sæculorum. Tunc bestia, &
Apoc. 20 pseudoprophetæ, & qui acceperant imaginem ejus, in stagnum mittentur ignis & sulphuris, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Tunc egredientur electi ad consideranda cadavera mortua: morte quidem non
Psal. 57 naturæ, sed pœnæ. Tunc lavabunt justi manus suas in sanguine peccatorum. Tunc denique victoriosissimus agnus ponet inimicos suos scabellum pedum suorum, quando in-
Psal. 109. gredientes impii in inferiora terræ,
Isai. 62. tradentur in manus gladii, partesque vulpium erunt, id est, dæmonum, qui ipsos suis fraudulentiis seduxerunt.

Jesus Sponsus ornatus.

DEnique mundi facie innovata in melius, cum lux lunæ erit sicut lux solis, & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum, civitas illa sancta Hierusalem, quæ de cœlo tamquam sponsa ornata descenderat, iam nunc præparata ad nuptias Agni, gemina quoque stola vestita, in cælestis curiæ traducetur palatium, & in gloriosum illum sacrum, arcanumque thalamum introducta, tanto illi agno cælesti copulabitur fœdere, ut unus fiant spiritus sponsus & sponsa: vestieturque Christus omni pulchritudine electorum tamquam tunica polymita, in qua omni decore ornatus refulgeat, tamquam opertus omni lapide pretioso. Tunc illud dulce resonabit epitalamium, & per omnes vicos Hierusalem Alleluia cantabitur. Tunc virgines prudentes, atque paratæ intrabunt cum sponso ad nuptias, ut ianua clausa in pacis pulchritudine sedeant, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.

Jesus Rex Regis filius.

SAne regnum Dei æternum æstimari habet, iuxta regnantis celsitudinem gloriosum & nobile, pro eo quod non rex a regno, sed a rege regnum trahit originem. Hic autem est rex, qui habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Apoc. 17.
regum, & Dominus dominantium, cuius potestas æterna, quæ non auferetur: & ideo regnum ipsius non corrumpetur. Cui omnes populi, tribus, & linguæ servient in æternum. Et hic est vere Rex pacificus, cuius vultum & cælum desiderat, & universa terra. O quam gloriosum est huiusmodi excellentissimi Regis regnum, in quo cum ipso regnant omnes Sancti: cuius lex est veritas, pax, charitas, vita, æternitas: quod nec pluralitate regnantium dividitur, nec participatione minuitur, nec numerositate confunditur, nec inæqualitate deordinatur, nec circumscribitur loco, nec variatur motibus, nec tempore mensuratur.

Jesus Liber signatus.

AD gloriam regni perfectam non solum requiritur potestas excellens, verumetiam sapientia fulgens: ut non secundum indeterminatæ voluntatis arbitrium disponantur gubernacula regni, sed secundum fulgores æternarum legum a luce sapientiæ indeceptæ manantium. Et hæc quidem sapientia scripta est in Christo Jesu, tamquam in libro vitæ in quo Deus Pater omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ recondidit. Ac per hoc unigenitus Dei filius, ut Verbum increatum, est sapientiæ liber, & lux in mente summi artificis, viventibus plena rationibus & æternis, ut Verbum inspiratum in intellectibus angelicis & beatis, & ut Verbum incarnatum in mentibus rationalibus carni unitis: ut sic multiformis sapientia Dei ex ipso, & in

in ipso per totum regnum refulgeat, tamquam in speculo decoris, sive pulchritudinis omnium specierum, & luminum contentivo, & tamquam in libro, in quo secundum profunda Dei mysteria omnia conscribuntur. O si talem librum invenire possem, cujus origo æterna, cujus incorruptibilis essentia, cujus cognitio vita, cujus scriptura indelebilis, cujus inspectus desiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius scientia dulcis, cuius profunditas imperscrutabilis, cuius verba inennarabilia, & unum tamen verbum omnia. Vere qui hunc invenit librum, invenit vitam, & haurit sibi salutem a Domino.

Jesus Fontalis radius.

IN hoc siquidem regno æterno data omnia optima & dona perfecta, a patre luminum in affluentia descendunt, & copia per illum, qui est superessentialis radius Jesus Christus. Qui cum sit unus, omnia potest, & in se permanens, omnia innovat. Est enim emanatio quædam claritatis virtutis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil inquinatum in hunc fontalem radium potest incurrere. Ad hunc fontem vitæ, & luminis curre, cum desiderio vivo, quæcumque es anima Deo devota, & cordis intima vi ad eum clama: O ineffabilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ, indeficiens vita omnem vitam vivificans, lux omne lumen illuminans, & conservans in splendore perpetuo multiformia lumina fulgentia, ante thronum divinitatis tuæ a primævo diluculo! O æternum & inaccessibile, dulce, clarum, & sapidum profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium: cuius profundum sine fundo, cuius altum sine termino, cuius amplitudo incircumscriptibilis, & cuius puritas imperturbabilis! Ex quo fluvius procedit olei lætitiæ, qui lætificat civitatem Dei, & torrens ignei vigoris: torrens, inquam, voluptatis divinæ, quo lætabunda ebrietate potati, cælestes illi convivæ hymno incessabili iubilant. Hoc nos oleo sacro perun-

Age, huiusque torrentis desiderabilis guttis, sitibundas refocilla fauces arentium cordium, ut in voce exultationis, & confessionis decantemus tibi cantica laudis, experientia teste probantes, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Psalm.*

Jesus Finis optatus.

FInem namque omnium desideriorum constat esse beatitudinem, quæ est status omnium bonorum congregatione perfectus. Ad quem quidem statum nullus pervenit, nisi per ultimam resolutionem in eum, qui est fons, & origo bonorum omnium, tam naturalium, quam gratuitorum; tam corporalium, quam spiritualium: tam temporalium, quam æternorum. Et hic est, qui de se ipso dicit: Ego sum α & ω, principium & finis. Quia sicut per Verbum æternaliter dictum omnia producuntur: sic per verbum carni unitum reparantur, promoventur, & finiuntur. Ac per hoc vere, & proprie dictus est Jesus: quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo quis possit obtinere salutem. In te igitur ut finem omnium, credens, sperans, & amans ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omni virtute ferar desiderate Jesu; quia tu solus sufficis, tu solus salvas: tu solus bonus, & suavis es requirentibus, & diligentibus nomen tuum. Tu enim, mi bone Jesu, Redemptor es perditorum, Salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, auxiliator oppressorum, anxiatorum spiritum dulce solatium, triumphantium corona, & imperiale fastigium unica merces & lætitia omnium civium supernorum, inclyta proles summi Dei, & fructus sublimis uteri virginalis: uberrimus quoque fons gratiarum omnium, de cuius plenitudine nos omnes accepimus.

Beatitudo quid. Boet. de con. ph. l. 3 prosa. 2.

Apoc. 1.

ORAMUS igitur clementissimum Patrem, per te unigenitum eius pro nobis hominem factum, crucifixum, & glorificatum, ut de thesauris suis mittat in nos spiritum gratiæ septiformis: qui super te in omni plenitudine

tudine requievit. Spiritum, inquam, A sapientiæ, quo fructum ligni vitæ, quod vere tu es, videlicet sapores vivificos degustemus. Donum etiam intellectus, quo mentis nostræ contuitus illustrentur. Donum consilii, quod post tuorum vestigia gressuum, rectarum semitarum itineribus incedamus. Donum fortitudinis, quo impugnantium hostium violentias enervare possimus. Donum scientiæ, quo sacræ doctrinæ tuæ repleamur fulgoribus, ad discretionem boni & mali. Donum pietatis, quo induamur misericordiæ viscera. Donum timoris, quo recedentes ab omni malo, æternæ maiestatis tuæ reverentiali pondere tranquillemur. Hæc enim nos in illa sacra tua, quam nos docuisti, oratione petere voluisti. Hæc & nunc per crucem tuam petimus obtinere, ad laudem sanctissimi nominis tui. Cui cum Patre, & Spiritu sancto omnis sit honor & gloria, gratiarum actio, decus & imperium, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

SOLILOQUIUM.

De quatuor mentalibus exercitiis, quod dicitur Imago vitæ: & Dialogus ejusdem Auctoris.

Hoc Ospuculum, quod minori eruditione, quam devotione plenum est, contemplationis lumen, & charitatis ignem fovere volenti copiosissimam materiam præbet. Nam animam & hominem se invicem interrogando & respondendo Auctor inducit, & plerisque Sanctorum Patrum sententiis in medium allatis (de quibus, ut idem ait, tractatum hunc compilavit) hoc ait, ut unumquemque facile doceat, quomodo per mentale exercitium oculum contemplationis in interiora sua, in exteriora, inferiora & superiora convertens, spreto commutabili bono, incommutabile & æternum toto animi affectu prosequatur. Habet vero hoc soliloquium multa desumpta ex illo Hugonis de S. Victore de arrha animæ, cui est valde simile.

SUMMA CAPITUM HUJUS OPUSCULI.

A

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat qualiter est formata per naturam, deformata per culpam, & reformata per Gratiam. Cap. I

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad exteriora, ut cognoscat quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, & quam miserabilis mundana magnificentia. Cap. II.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanæ mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis

In.

intolerabilem pœnalitatem. *Cap*. III. *Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad superiora, ut cognoscat & sapiat cœlestis gaudii inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, & interminabilem æternitatem*. *Cap*. IV.

PROLOGUS.

Ephes. 3

FLECTO genua mea ad patrem Domini nostri Jesu Christi, a quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine. Christum B per fidem habitare in cordibus vestris: in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Apostolus Paulus vas æternæ electionis, sacrarium divinæ Sanctificationis, speculum & exemplar supernæ contemplationis in verbis præmissis ostendit nobis mentalis exercitationis ortum, objectum, & fructum. Mentalis enim exercitatio, si debet esse pia & salutifera, oportet quod habeat potentiam supernaturaliter confortantem, sapientiam regulantem, C & clementiam consolantem. Flectat igitur anima devota divinæ contemplationis amore accensa, genua mentis ante thronum beatissimæ & incomprehensibilis Trinitatis: pulset humiliter, & postulet sapienter Dei patris confortatricem potentiam, ne labore depressa succumbat: Dei filii regulatricem sapientiam, ne errore seducta a veritate deviet: Dei Spiritus sancti consolatricem pietatem, & clementiam, ne tædio victa deficiat. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens a patre luminum: & Secundum Augustinum: Omne bonum nostrum aut Deus est, aut a Deo est. Unde non immerito in omni boni operis initio, ille est invocandus, a quo omne bonum originaliter progreditur, per quem omne bonum exemplariter producitur, & ad quem omne bonum finaliter reducitur. Hæc est illa ineffabilis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quam tangit Apostolus, cum dicit: *Flecto genua mea*, &c. usque ibi, *ut possitis*. Ephes. 3

Ortus exercitationis mentalis.

Jac. 1

Aug. l. de natura boni cont. Man. cap. 1 & 6 in sensu.

Objectum mentalis exercitationis.

Secundo ostendit istius salutiferæ mentalis exercitationis objectum. Objectum vero exercitationis devotæ mentis, dicuntur esse interiora, & exteriora, inferiora, & superiora. Debet enim anima devota per mentale exercitium contemplationis radium reflectere primo ad interiora sua, ut videat qualiter sit formata per naturam, deformata per culpam, reformata per gratiam. Secundo debet convertere radium contemplationis ad exteriora, ut cognoscat, quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, & quam miserabilis mundana magnificentia. Debet etiam tertio radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanæ mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem. Debet quarto convertere radium contemplationis ad superiora, ut cognoscat & sapiat cœlestis gaudii inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, & interminabilem æternitatem. Hæc est illa crux beata, quatuor finibus terminata, in qua o anima devota, cum tuo dulcissimo sponso Jesu Christo debes jugiter meditando pendere. Hic est ille currus igneus, quatuor rotis consummatus, in quo debes post tuum fidelissimum amicum assidue contemplando cœli palatium conscendere. Hæc est illa quadruplex regio Orientalis, Aquilonaris, Occidentalis, & Meridionalis, quam tu o anima quotidie debes peregrinando intrare, & tuum dilectum specialissimum in ea speculando quærere, & investigare, ut possis dicere cum sponsa: In lectulo meo quæsivi per noctem, quem diligit anima mea. Hæc quatuor tangit Apostolus cum subjungit. *Ut possitis comprehen-* 4 Reg. 2

Cant. 3

dere

dere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Fructus illius salutiferæ exercitationis si digne & laudabiliter exequatur, est felicitas æterna, quæ est quid optimum, & pulcherrimum, & per se sufficientissimum, nullo extra se indigens. In qua videbimus & amabimus, vocabimus, & laudabimus in æternum, & ultra, eum qui est benedictus in secula. Hunc fructum promittit Apostolus, quando sermonem concludit, dicens: *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hanc plenitudinem tunc inveniemus, quando Deus erit voluntati multitudo pacis, rationi plenitudo lucis, memoriæ continuatio æternitatis. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus, cum a ratione omnis error, a voluntate omnis dolor, & a memoria omnis timor recesserit, & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, divina jucunditas, æterna securitas. Hunc tractatum instigante conscientia, propter simpliciores quosque simplicibus verbis de Sanctorum dictis compilavi, per modum cujusdam dialogi: in quo anima devota veritatis æternæ discipula meditando interrogat, & homo interior mentaliter loquendo respondet. Ut autem ad inæstimabilem contemplationem istius mentalis exercitationis perveniamus, ab exordio incipiamus, & Patrem luminum humiliter invocando accedamus: genua cordis devote flectamus ante thronum æternæ Majestatis, & ante solium individuæ Trinitatis lachrymis & gemitibus incessanter clamemus, ut Deus Pater per suum benedictum Filium donet in Spiritu sancto nobis gratiam exercitandi mentaliter, ut possimus cognoscere, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum, ut per hanc pertingamus ad eum, qui est omnis desiderii finis, & complementum. Amen.

[Margin: Fructus mentalis exercitationis.]

[Margin: 1 Cor. 15]

A

CAPUT I.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis reflectere ad interiora sua, ut videat qualiter est formata per naturam, deformata per culpam, & reformata per gratiam.

ANIMA.

Dic quæso o homo, si post devotam invocationem divinæ magnificentiæ, & post humilem implorationem æternæ sapientiæ, & demum post flebilem supplicationem B supernæ pietatis & clementiæ, gratiam exercitandi mentaliter circa quadruplicem materiam videlicet longitudinis, latitudinis, sublimitatis, & profunditatis obtinerem, quo ordine inchoarem, ne meritum huius exercitationis amitterem, si indebito ordine ignoranter procederem. Ordinis enim ignorantia secundum Ambrosium perturbat formam meritorum: nec reputatur, secundum eumdem, perfecta rei cognitio in nobis existere cum scimus quid faciendum, & ignoramus quo ordine sit procedendum.

[Margin: Amb. in ps. 118 Octon. 4 ver. 3 t. 2 Ber. l. 2 de con. ad Euge. Pap. c. 3 Idem l. Meditat. c. 1]

Homo. O anima, secundum Bernardum, a te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris ad aliena, te neglecta. Idem. Multi multa C sciunt, & se ipsos nesciunt, alios inspiciunt & seipsos deserunt, Deum quærentes per exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus ad interiora redeam, & ab interioribus ad superiora conscendam: ut possim cognoscere, unde veni, aut quo vadam: unde sim, & quid sim: & ita per cognitionem mei ascendam ad cognitionem Dei. Item Chrysostomus super Matthæum dicit: Non minima pars philosophiæ est cognitio sui. Item Ambrosius in hexameron: Cognosce te o homo quantus sis, attende tibi ut consideres, quid in te intret in cogitatione, quid exeat in sermone. Vitam ergo tuam o anima quotidiana discussione examina. Attende

[Margin: Amb. l. 6 in Hexaem. 8 in med. t. 1 Ex Ber. in Meditatio cap. 5]

tende

tende diligenter quantum proficias, quantum deficias, qualis sis in moribus, qualis sis in affectionibus, quam similis sis Deo, & quam dissimilis, quam prope & quam longe. Illud semper agnosce, quam multo laudabilior & melio res, si te cognoscis, quam si te neglecto cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium cognosceres, scientiam omnium cœlestium, & terrestrium haberes. Rede ergo te tibi, & si non semper saltem interdum. Rege tuos affectus, dirige actus, corrige gressus. Igitur anima tene consilia sanctorum, & primo radium contemplationis converte ad regionem orientalem, hoc est, ad considerationem tuæ condonationis. Diligenter igitur considera, quam generose a summo artifice sis facta per naturam, quam vitiose a tua voluntate deformata sis per culpam, quam gratiose a divina bonitate sæpe reformata sis per gratiam.

Primo ergo considera, quam generose formata sis per naturam. Generositas tua naturalis consistit in hoc ut existimo, quia ibi naturaliter ad tui decorem impressa est imago Beatissimæ Trinitatis. Unde Anselmus in prosologio: Fateor Domine, & gratias ago, quia me creasti ad tuam imaginem, ut tui memor sim, te cogitem, te diligam. Bernardus: Secundum interiorem hominem tria in me invenio, per quæ Deum recolo, conspicio, & concupisco. Hæc tria sunt memoria, intelligentia, & voluntas. Cum enim Dei reminiscor, in ipso condelector. Memoria enim ejus super unum. Cum intelligentia ipsum intueor, quantum in se sit incomprehensibilis, quia principium, & finis. In Angelis desiderabilis, quia desiderant in eum prospicere. In sanctis omnibus delectabilis, in quantum in eo assidue felices lætantur. In creaturis omnibus admirabilis, quia omnia potenter creat, sapienter gubernat, benigne dispensat. Cum hæc intueor, ipsum concupisco. Cum Deum per voluntatem diligo, me in ipsum transformo. Hæc est enim virtus amoris, Aut talem te esse oporteat, quale est illud quod amas. Hæc Bernardus. Recognosce ergo o anima mea, quam mira & inæstimabilis dignitas est, esse non solum vestigium creatoris, quod est commune omnibus creaturis, sed etiam esse imaginem, quod est proprium creaturæ rationalis. Lauda igitur anima mea Dominum, lauda Deum tuum Sion. Expergiscere & lauda, exulta & gaude, quia insignita es Dei imagine, decorata similitudine, particeps rationis, capax æternæ beatitudinis. Sed quia hæc modica non immerito forte judicarentur, si morte finirentur, exulta & lauda: quia cum prædictis dedit tibi naturam immortalem, substantiam incorruptibilem, duratione interminabilem, vitam perpetuam. Imago enim æternæ Trinitatis non esses, si termino mortis præcludi posses. Augustinus de civitate Dei: O anima adverte, quod creator tuus post illud esse, dedit tibi perpetuum esse, post hoc dedit tibi vivere, sentire, discernere, sensibus te decoravit, sapientia illustravit. Tuam igitur pulchritudinem attende, ut intelligas, qualem debeas in te pulchritudinem diligere. Quod si temetipsam, ut expedit, contemplari non sufficis, cur saltem quid de te æstimare debeas, ex judicio alieno non perpendis? Sponsum habes de cujus pulchritudine, si non dubitares, scires, quod tam pulcher, tam formosus, tam unicus Dei filius, tuo aspectu captus non esset, si eum singularis decor & ultra ceteros admirandus, non traxisset. Hæc Augustinus. Sed hæc fortasse, o anima, nimis ingrata, tibi videntur modica, propterea audi tertio dignitatem admirabilem: quod tantæ es simplicitatis, quod nihil potest domum mentis tuæ inhabitare, nihil potest in ea mansionem facere, nisi simplicitas & puritas Trinitatis æternæ. Ecce quid dicit sponsus tuus: Ego, inquit, & pater ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Et alibi in Evangelio: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

Illabi

Ans. in proslog. c. 1. in Meditat. cap. 1 non longe a princ. — 1 Pet. 1. — Psal. 147. — B — C — Joan. 14. — Luc. 19

Illabi enim menti illi soli possibile est, qui eam creavit. Ipse enim est, qui intimior intimo tuo ei se perhibet, ut dicit Augustinus. Gaude igitur o felix anima quod potes esse tanti hospitis hospita. Bernardus: O felix anima, quæ quotidie cor suum mundat, ut inhabitantem Deum suscipiat, cujus hospes nullo bono indiget, quia auctorem omnium bonorum in se habet. O quam beata anima apud quam Deus sibi requiem invenit, quæ dicere potest: Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Negare si quidem ei cœli requiem non poterit, qui sibi in hac vita requiem præparavit. Hæc Bernardus. O anima nimis es avara, si non sufficit tibi tanti hospitis præsentia: quia scio, quod tam liberalis est, quod communicabit tibi de bonis suis: quod tam pius est, quod ditabit te de donis suis. Nullo enim modo deceret tantum principem, si hospitam suam permitteret indigentem. Adorna igitur thalamum tuum, & suscipe regem factorem tuum, de cujus præsentia exultabit, & lætabitur tota familia tua. O vere mira & multum admirabilis sententia! Rex cujus pulchritudinem sol & luna mirantur, cujus magnitudinem cęlum & terra reverentur, de cujus sapientia cœlestium spirituum agmina illuminantur, de cujus clementia omnium beatorum collegia satiantur, talis tuum, o anima desiderat hospitium, tuum cœnaculum, plus quam cœleste palatium appetit, & exoptat. Deliciæ enim suæ sunt esse cum filiis hominum. Sed si hæc adhuc te non movent ad laudandum creatorem tuum, converte contemplationis radium ad quartum beneficium, & cognosce, quod tantæ capacitatis est palatium tuum, quod nulla creatura sufficit satiare tuum desiderium. Hugo de S. Victore: Omnis jucunditas, omnis suavitas, omnis potentia, omnis opulentia rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest. Anselmus: Omnis creatura, quæ Deus meus non est, mihi inopia est. Et quare? Revera secundum Gregorium in moralibus: Anima humana, quæ ad

Aug. l. 3. conf. c. 6 in 1 n. tom. 1 Ber. in Meditation. c. 1 Eccl. 24

Prov. 8.

Greg. l. 26 Mor. c. 28 circ. med.

A Deum appetendum facta est, quidquid infra Deum appetit, minus est ideoque jure ei non sufficit, quod Deus non est.

Jam, ut æstimo, anima sufficienter vidisti tuam nobilitatem, quæ est valde laudabilis: converte nunc radium contemplationis ad tuam super ceteras creaturas potestatem, quam revera est admirabilis. Hugo de arrha animæ: O anima mea, quid dedit tibi sponsus tuus? Respice mundum istum: omnis natura ad hunc finem cursum suum dirigit, ut tuis utilitatibus deserviat, tuisque oblectamentis secundum distributionem temporum indesinenter occurrat. Vide jam anima mea, & diligenter
B considera, quod creator tuus sponsus & amicus, totam machinam mundialem ad tuum ordinavit ministerium. Ecce Angeli purgant & inflammant tuum affectum, illuminant & informant tuum intellectum, perficiunt, & custodiunt tuum subjectum. Magna dignitas est habere tales doctores consolatotes, & tales conservatores. O anima si videre posses, quanto gaudio, quantoque tripudio assistunt orantibus, intersunt meditantibus, quanto studio nos in bono conservant, quanto desiderio nos & salutem nostram æternam expectant! Cœlum tibi deseruit per suum motum, luminaria cœli per suum influxum, Sol causat tibi diem, luna
C illuminat tibi noctem ignis temperat aeris frigiditatem, aer tibi mitigat ignis internam caliditatem, aqua tibi mundat fœtorem, mitigat tibi sitis ardorem, & fœcundat terræ vigorem, Terra vero te sustentat sua soliditate, recreat sua fertilitate, delectat sua amœnitate. Ecce anima breviter discurristi per singula, ab inferioribus ad superiora, & invenisti, quod omnis creatura ad hunc finem ex divina ordinatione cursum suum dirigit, quatenus tuis utilitatibus deserviat, tuisque oblectamentis indesinenter occurrat. Sed cave anima mea, ne non sponsa sed adultera dicaris, si munera dantis plus quam affectum amantis diligis. Augustinus in libro confessionum; Væ tibi, si oberras in vestigiis suis, si

Hug. de S. Vict. de Arrha anima longe ante med.

nutus suos pro eo amas, & non advertis purgatæ mentis intelligentia, quid innuat lux illa beatissima, cujus nutus & vestigia sunt omnium creaturarum decus & forma. Adhuc si forte ignoras te o pulcherrima mulierum egredere, & abi post vestigia gregum, id est, irrationabilium creaturarum, quæ sunt vestigium creatoris tui, tu vero speculum Beatissimæ Trinitatis. Ego omnibus dignior & excellentior comprobaris. Et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastoris, id est, converte cogitationes tuas ad choros Angelorum, quibus quodammodo similes es in natura & concivis eris in gloria.

Cant. 1.

Ibidem.

Anima. Jam satis silui, diu tacui, jam nunc cum verecundia & rubore compellor confiteri & dicere, quod hanc dignitatem modicum adverti. Amorem meum heu ego infelix, & misera nimis indigne prostitui, factorem meum non pro his omnibus glorificavi, Deum meum propter dona sua non benedixi, & non adoravi eum toto tempore vitæ meæ, nimis indigne & irreverenter, vane & negligenter vixi. Et, ut verum fatear secundum Bernardum, quanto perfectius dignitatem meam aspicio, tanto magis vitam degenerem me duxisse confundor & erubesco. Timeo etenim, quod tanto gravior sit culpa, quanto dignior & nobilior sit natura. Formido quod tanto gravior sit offensa, quanto major est illius qui offenditur excellentia. Pertimesco quod tanto pejor est injuria, quanto majora fuerunt illius, cui injuriam irrogavi, beneficia. Heu, heu Domine Deus meus, ex dignitate substantiæ jam perpendo vilitatem malitiæ, ex speciositate naturæ cognosco deformitatem culpæ, ex recordatione beneficiorum acceptorum, intelligo ingratitudinem factorum meorum. Væ mihi miseræ jam video, jam cognosco, quod quidquid a summo datore accepi ad usum vitæ, miserabiliter inflexi ad abusum pravitatis & culpæ. Tranquillitatem humanæ pacis ad usum converti vanæ securitatis: peregrinationem terræ, pro inhabitatione dilexi patriæ: salutem & pulchritudinem corporis

A redegi in servitutem voluptatis: ubertatis abundantiam, non ad necessitatem corporis, sed ad superfluitatem expendi miseræ cupiditatis: tempora serena & blandimenta aeris, ad amorem mihi servire coegi terrenæ delectationis. Timeo heu & valde pertimesco, ut simul me ferire puniendo debeant, quæ vitiis meis male subjecta serviebant.

Homo. O anima aliqualiter jam perpendo, quod bona est tua cognitio. Ex verbis enim tuis sentio, quod non fuit frustra mea admonitio. Videtur mihi quod numine divino sis aliqualiter illustrata, & tactu veri luminis mota. Quia secundum Gregorium in Moralibus: Unusquisque dum tactu veri luminis B illustratur, sibi ipsi ostenditur, ut unde cognoscit quid est iustitia, inde erudiatur, quid est culpa, qua excæcatur. Unde sancti viri quo altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt: quia dum proximi luci fiunt, quidquid eis in se ipsis latebat, inveniunt. Hæc Gregorius. Igitur anima si luce veritatis tacta dignitatem tuam, quam hactenus non attendisti, cognoscis, si culpam qua Creatorem tuum offendisti intelligis, & vidisti, quam gratiose formata sis per naturam, vide nunc quam vitiose deformata sis per culpam. Anselmus: Reduc anima ærumnosa & misera, ad memoriam C enorme delictum, & perduc in cœlum usque rugitum, & lamentum. Cogita anima perfida Dei, adultera Christi, quid feceris. Dereliquisti in cœlo castum amorem tuum, contempsisti factorem tuum, repudiasti sponsum tuum, turbasti Deum tuum irreverenter tractasti sanctum Angelum custodem tuum. Eras templum Dei, sponsa Christi, sacrarium Spiritus sancti. Quæ est ista subita conversio & repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio satanæ? De sponsa Christi, scortum execrabile diaboli? Hæc Anselmus. Recordare o anima propter quid vendideris decorem tuum, propter quid abieceris honorem tuum, pro quo tam turpiter fœdaveris vultum tuum, quæ

Greg. l. 22 Mor. c. 1. in prin.

Anima per culpam nimis fit deformis.

quæ tanta bona pro tam vili pretio vendidisti. O anima quare te tot bonis spoliasti? quare frustra tantis te honoribus privasti? quare tot bona opera neglexisti, tot annos, tot dies, tot horas sine fructu vixisti.

Pia recognitio animæ de suo peccato.

Anima. Recognosce o homo, quod verum loqueris & non immerito me de tanta transgressione reprehendis. Bernardus: O Domine Deus meus quot tempora effluxerunt in quibus sine fructu, ut aspicio, vixi coram te, quomodo subsistam? quomodo ad te levare potero faciem meam, in illo magno & terribili examine, quando enumerari jusseris omnes dies meos, quærens fructum in eis? O Domine Deus, cur intermisi te ullo tempore versari in corde meo, te tota mente amplecti, in tua dulcedine delectari? Omnia interiora mea ubi tunc erant, quando tecum non erant, cum a te habeat omnis creatura quidquid habet desiderabile, laudabile, delectabile? Hæc Bernardus. Heu Domine, nunc intelligo, sed confiteri erubesco: species & decor creaturarum decepit oculum meum, & non adverti, quia speciosior omnibus creaturis tu es, quibus tantummodo unam guttam tuæ inæstimabilis pulchritudinis communicasti Quis enim ornavit cœlum sideribus, aerem volucribus, aquam piscibus, terram plantis & floribus: homines in corpore diversis coloribus, in mente variis virtutibus? Nonne clementissime Pater, per te illa cœlestium spirituum agmina, variis donis sunt ornata? nonne per te Seraphim ardent dilectione, Cherubim lucent cognitione, de tuis donis iudicant Throni, de tuis muneribus dominantur Dominationes inclytæ, ex tua virtute præsunt Principatus, ex tua potestate Potestates, dæmonum malitias arcent, & ex tua profunda potentia miracula faciunt Virtutes, ex tuo præcepto Archangeli magnis nunciant majora, Angeli vero minoribus significant minora? Sed quid sunt hæc omnia, nisi tuæ pulchritudinis modica scintilla? O bone Jesu fons universæ pulchritudinis, ignosce mihi animæ miseræ, quod tuam pulchritudinem tam sero cognovi,

A tam tarde amavi, propterea miserabiliter oberravi. Dulcedo etiam creaturarum decepit gustum meum, & non adverti quod melle dulcior es. Tu enim melli & omni creaturæ dulcedinem suam, immo tuam commodasti, & non est aliud in creatura dulcedo vel delectatio, nisi tuæ dulcedinis, quam abscondisti timentibus te, modica demonstratio. Unde dulcedo omnium creaturarum, si quis iuste advertat, nihil aliud facit, nisi quod ad tuam dulcedinem æternam invitat. O Jesu fons universæ dulcedinis & pietatis, ignosce mihi quod tuam inæstimabilem, & mellifluam dulcedinem in creatura non cognovi, nec internæ men- *Psal. 80*

B tis amore degustavi, propter ea miserabiliter oberravi, & animam meam usque modo siliquis porcorum saturavi. Sed heu numquam, ut timeo de pane filiorum tuorum manducavi, ideo semper in deliciis mundi, ieiuna & famelica permansi. Gregorius: Quia intus gustare nolumus paratam dulcedinem, propterea ieiuni, & famelici, amamus miseri famem nostram. O dulcissime Jesu modo video, modo agnosco, quod omnis dulcedo tibi contraria, fuit mihi afflictio & magna miseria. Augustinus in libro confessionum: Tu enim misericordissime Deus etiam in peccatis meis semper mihi aderas, piissime sustinens

Greg. hom. 36 in Ev. non longe a princ.

Aug. in sensu l. 2. conf. c. 2 cir. fin. t. 1

C omnes iniquas delectationes meas, & malas, amarissimis respergens amaritudinibus, docens per flagella, si vellem sine amaritudine delectari, non possem nisi in te Domine. Hæc Augustinus. Sed heu hanc doctrinam non intellexi, propterea oberravi, semper tamen in deliciis meis iniquis timui proditorem, timui accusatorem, timui reprehensorem, formidavi aliquotiens conscientiam, expavi multotiens infamiam, nonnumquam abhorrui gehennam, & tamen heu ego misera inter tot tormenta, non mutavi voluntatem propriam. Decepit etiam odor creaturæ olfactum meum, & ignoravi, quod odor tuus, O bone Jesu, redolet super omnia aromata. O bone Jesu fons odoris cuius suavitas fecit in- *Cant. 4.*

desinenter post te currere, & in. A fatigabiliter laborare. Ignosce mihi, quod tam sero te cognovi, tam tarde in odore unguentorum tuorum post te cucurri. Puto tamen & per hoc me non excuso, quod odor illius cœlestis apothecæ huic terreno fœtori, quo infecta eram, non miscetur. Decepit etiam sonus falsus, sive fallax creaturarum auditum meum, & nescivi nec sensi, quam dulcia faucibus electorum tuorum eloquia tua, quam suavia auribus amicorum tuorum consilia tua, quam levia manibus sanctorum tuorum mandata tua. O Jesu fons sapientiæ, auctor scientiæ, consiliator casti consilii, fac me vel saltem modo audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Cum B quanta amaritudine recogito, quod fefellit me illa vox miserrima cantantium, & dicentium: Venite, fruamur bonis quæ sunt, coronemus nos rosis antequam marcescant, & non prætereat nos flos temporis. Vino pretioso, & unguentis optimis nos impleamus, ubique relinquamus signa lætitiæ. Hanc vocem audivi, & non intellexi, nec adverti, quoniam omnia vana sunt, & risu digna. Omnia enim hæc & his similia cito pertransierunt, & velut umbra evanuerunt. Quid enim vana hæc omnia amatoribus suis contulerunt. Quem enim fructum tunc habuerunt in illis, in quibus nunc confundun- C tur & erubescunt? O Domine Deus meus, lumen cordis mei, panis animæ meæ, virtus amaricans mentem meam, non te amabam, & fornicabar abs te, & fornicanti mihi sonabant euge euge. Amicitia hujus mundi, fornicatio est abs te. O quid miserius misero non miserante super seipsum? Sed inter hæc omnia tu amantissime Deus mihi semper aderas, vocem tuam frequenter audivi inspirationem tuam salutiferam sensi, sed non consensi. O quotiens mihi illud salutiferum consilium inspirasti? Peccasti, quiesce, desine, & erubesce. Ad quæ ego misera morem secuta beati Augustini in libris confessionum verba somnolenta aliquando respondi: Domine expecta me modicum, sive paululum, modo a

Cant. 1

Psal. 118.

Sap. 2.

Rom. 6.

Ex Aug. l. 8 conf. c. 13 tom. 1

Ex Aug. l. 8 conf. c. 10 cir. fin. t. 1.

vanitate quiescam, modo de malignitate erubescam, omnia vana & mundana derelinquam. Sed heu illud modicum, & modo, non habebat modicum & modum, & paululum in longum ibat. Item, Augustinus: Ipsa segnities est res, quæ multos æternaliter occidit, & finaliter in peccatis detinet, qui se ad vocem Domini non corrigunt. Vocem quidem occultæ inspirationis audiunt, sed vitam non corrigunt, dicentes: Cras, cras, & subito ostium clauditur, remanetque peccator foras extra arcam cœlestis patriæ cum voce corvina, quia pro peccatis gemere noluit cum columba. Gregorius: Heu quam multos in peccatis pejus sua felicitas prostravit, multos diuturna pax inertes reddidit: eoque illos mox malignus hostis gravius percutit, quo longius quietis usu negligentes invenit. Item Gregorius: Quos enim Deus ut convertantur diutius tolerat, non conversos durius damnat. Sed o homo, ut tibi meæ infelicitatis historiam perfectius manifeste profiteor, quod hæc omnia meæ infelicitati non sufficiebant, sed ad cumulum damnationis heu mundana mollities tactum meum nimis miserabiliter decipiebat, & ignoravi, quod tam suavis o bone Jesu esset tuus amplexus, tam honestus attactus tuus, tam deliciosus convictus tuus.* Cum enim te amavero, munda sum, cum tetigero, casta sum, cum accepero, virgo sum. Tuus o dulcissime Jesu amplexus non maculat, sed mundat, tuus attactus non inquinat, sed sanctificat. O Jesu fons universæ dulcedinis & suavitatis, ignosce mihi, quod tam sero credidi, quantum habet deliciositatis, quantum honestatis, quantum jucunditatis, quando læva tuæ æternæ sapientiæ & cognitionis est sub capite meo, id est, ratione, & dextera tuæ divinæ clementiæ, & dilectionis amplexabitur me, id est, voluntatem. Heu me miseram, quid umquam tam dulce, tam suave, tam deliciosum, & salutiferum potest experiri, quam inter brachia tanti sponsi quiescere, inter oscula tanti Regis & amici feliciter obdormire? Hanc dulce-

Idem de ver. Domini ser. 6 post med. t. 10.

Greg. l. 31 mor. c. 17. cir. med.

Ex Amb. de S. Agn. ep. 34 non longe a prin. t. 5

Cant. 2

cedinem senserat anima devota, A quando optabat, dicens: Osculetur me osculo oris sui, &c. Numquid has delicias anima devota erat experta, quando orabat ardens, & jam pene deficiens præ dilecti sui concupiscentia, dicens in Canticis; Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? Apprehendam te, & ducam te in domum patris mei, & in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & ex musto malo granatorum meorum. Quis enarrare sufficeret, nisi qui mente gustasset, quantum habet hoc verbum dulcedinis & devotionis, quando bene ponderatur, & recte cibatur devota mente? Unde expositionem devotæ menti relinquo. Sed o Domine Deus, si hæc tam dulcia sunt cogitanti, quam dulcia esse possunt degustanti? Si tam suavia sunt legenti, quam consolatoria erunt per affectum sentienti? Augustinus: Fac me dulcissime Jesu intus gustare per amorem, quod extra gusto per cogitationem: fac me sentire per affectum, quod sentio per intellectum. Hæc Augustinus. Eia dulcissime Jesu transfige saluberrimo vulnere amoris tui, medullas animæ meæ, ut vere ardeat, langueat, & liquefiat, & solo tuo desiderio deficiat, cupiat dissolvi & esse tecum. Te solum semper esuriat panem vitæ cœlestis, qui de cœlo descendisti. Te sitiat fontem vitæ, fontem æterni luminis, torrentem veræ voluptatis. Te semper ambiat, te quærat, teque inveniat, in te dulciter requiescat. Sed quæ vesania, quæ infernalis furia, tanto tempore a me prohibuit talia, & tanta mentis meæ solatia, tam divina gaudia, & mellislua convivia? Dic quæso o homo, quæ est tanti mali causa, quæ tanti periculi ratio, quæ tanti damni occasio.

Cant. 1

Cant. 8

Hæc Ans. de meditatione redemptionis humanæ c. 7.

Homo. Video o anima, quod jam fatigata laboribus jam vexata doloribus, ultra invenire non valeas, cui tantum damnum illatum ascribas. Peto igitur, ut cum patientia audias: si tibi tanti mali causam demonstravero, si tibi tanti damni inimicum ostendero. Jam pro parte hostem tetigisti aliqualiter, tamen forte præ dolore mentis non advertisti. Habes o anima mea inimicum domesticum hostem amicum, adversarium propinquum, qui tibi malum pro bono reddidit, & sub specie amicitiæ crudelior existens inimicus, his omnibus & aliis infinitis bonis te privavit. Hic hostis, salva tua reverentia, est caro infelix & misera, multum tamen tibi dulcis & dilecta. Hanc cum pavisti, inimicum pessimum contra te erexisti. Hanc cum honorasti, hostem crudelissimum contra te armasti. Hanc B cum foris variis & pretiosis indumentis decorasti, omnibus interioribus ornamentis te spoliasti, nesciens quod dicit beatus Gregorius in homiliis: Unde, inquit, caro ad tempus suaviter vivit, inde spiritus in eternum torquebitur & ingemiscet. Et contra quo plus caro premitur, eo plus de spe cœlesti animus lætatur. Unde pro tanta iniuria nobis per te illata, continere amplius me non valeo, quin tantum malum hucusque sub silentio periculose pertransitum reprehendam. Scio, inquit Bernardus, o anima quemdam, qui per plures annos tecum vixit, ad mensam tecum sedit, cibum de manu tua sumpsit, & sinu tuo dor- C mivit, cum voluit tecum colloquium habuit, hic iure hæreditatio servus tuus est. Sed quia delicate nimis enutristi eum, & virgæ pepercisti, levavit calcaneum suum super caput tuum, & te in servitutem redegit. Et subdit: O anima miserabilis & misera, quis te liberabit de vinculo improperii hujus? Exurgat Deus & cadat armatus, & conteratur inimicus. Inimicus, inquam contemptor Dei, amicus mundi, cultor diaboli. Quid tibi videtur de illo? Si recte sentis, puto quod mecum dices: Reus est mortis, crucifigatur. Noli ergo dissimulare, noli differre, noli parcere, crucifige, crucifige eum. Sed in qua Cruce? In Cruce Domini nostri Jesu Christi, in qua est salus, vita, & resurrectio

Hostis pessimus animæ caro est.

Bernardus in meditationibus c. 17

Idem Ibid. c. 3

Dd 2 nostra

noſtra. Recole igitur o anima primordia tua, attende quod es insignita Dei imagine, decorata ejus similitudine, desponsata fide, dotata spe, prælecta charitate, redempta sanguine, particeps gratiæ, capax beatitudinis, quid tibi cum carne, unde iſta pateris? Si diligenter conditiones ejus advertis, numquam vilius ſterquilinium vidiſti. Si ejus miſerias enumerare velis, quam onuſta ſit peccatis, pruriens concupiſcentiis, occupata paſſionibus, polluta illuſionibus, confuſione plena, ignominia repleta, quid de ea habes aliud, quam cogitationes fœdas & immundas? Hæc Bernardus. Idem: O anima divina erubeſce in ſimilitudinem porci commutari, erubeſce volutari in cœno, quæ es de cœlo. Idem ſuper Cantica: O anima donec in carne es, inter ſpinas verſaris, & neceſſe eſt, ut tentationum tribulationes, & impugnationum aculeos graviter patiaris. Unde dicitur tibi in Canticis: Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. O candens lilium, o tener, & delicate flos increduli, & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Vide ergo quomodo caute ambules inter ſpinas. Caro & mundus pleni ſunt ſpinis: converſari in his, & non lædi, divinæ potentiæ eſt, & non virtutis humanæ. Hæc Bernardus.

Idem ſer. 48 ſup. can. in princ. Cant. 2.

Eſt & alius inimicus fortis, & crudelis, qui mira calliditate omnium diſcutit conſuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi ſemper quærit cauſas nocendi, ubi quemquam viderit ſtudioſus occupari. Novit enim hic hoſtis antiquus, ab initio humani generis inimicus, cui ipſe illecebras gulæ ingerat, cui virus invidiæ infundat, cui blandimenta luxuriæ obiiciat, cui vana ſuperbiæ incitamenta promittat, novit quem metu opprimat, quem gaudio fallat, quem admiratione ſeducat. Habet etiam aliquos ſibi obligatos, quorum ad alios decipiendos ingeniis utitur, & linguis. O anima fragilis ad reſiſtendum, facilis ad cadendum, difficilis ad ſurgendum, qualiter iſtius crudelis adverſarii laqueos evadere poteris, quem tantis ſubtilitatibus

2 Hoſtis crudelis animæ diabolus. *Ex Leone ſer. 7 de Nativit. cir. med.*

A præditum agnoſcis? Hæc Leo Papa.

ANIMA. Nunc video, iam primitus recognoſco, quod ſicut dicit Anſelmus, conſuetudo peccati eſt, quod non facile cognoſcitur ab eo qui ipſe premitur: ſed mox cum inceperit ſe quis ab illo alienare, tunc demum cognoſcit in quanta fœditate iacuerit. Igitur quia iam aliqualiter me ipſam a peccato alienare incipio, & per hoc me, & peccatum meum agnoſco, me amplius a planctu continere non valeo. O Domine Deus meus, tu impreſſiſti mihi amabilem imaginem tuam, & ego ſuperinduxi odibilem imaginem diabolicam. Heu, heu miſer homunco, quod dæmonis imaginem ſuperimpreſſi, ſuper

Citatur hic locus ex Anſ. de Simil. ſup. c. 6 Pha. d. 2 c. 5 tamen ibi non reperitur apud Anſ.

B imaginem Dei. Cur non odi eius imitationem, cuius abhorreo nomen? Ille ſponte cecidit, ego volens corrui. Ille nuda præcedente vindicta peccavit ſuperbiens, ego viſa eius pœna peccavi contemnens. Ille ſemel innocentia eſt inſtitutus, ego multoties ſum reſtituta. Ille ſe erexit contra eum qui ſe fecit, ego me erexi contra eum qui me refecit. Ille Deum dereliquit permittentem, ego fugi Deum perſequentem. Ille perſtat in malitia Deo reprobante, ego curro a Deo miſericorditer revocante. Et ſi ambo contra Deum, ille tamen contra non requirentem ſe, ego vero contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam,

C cum in multis me inveniam horribiliorem.

HOMO. Fuge, fuge a me o horribilis ſubſtantia, fuge te ipſam, exterrita a te ipſa. Ne igitur ſine rugitu cordis tui toleres horrorem tuum. Si toleras, non te agnoſcis: non eſt hæc fortitudo, ſed mentis hebetudo: non eſt ſanitas, ſed obdurata iniquitas.

ANIMA. Si me videro, eſt horror intolerabilis: ſi non videro, eſt mors inevitabilis. O quam infelix, qui ſibi eſt horribilis; ſed tamen multo infelicior, cui mors æterna eſt ſenſibilis Anſelmus in orationibus: O pater patientiſſime, o Rex clementiſſime, tegere non valeo, excuſare nequeo, & tamen confiteri non modicum erubeſco. Jam cauſam tantorum

Ber. medi. tat. c. 9 in fessu, ver. nennihil immutat.

torum malorum invenio, jam quod prius male latuit agnosco. Bernardus in meditationibus: Cor enim meum miserum, dum futurum non curavit gaudium, nec divinum quæ sivit consilium, a seipso fuit elongatum, & in amore terrestrium occupatum, dumque elapsum fuit ab illis, & involutum in istis, vanitas ipsum decepit, luxuria polluit, curiositas abduxit, cruciabatur invidia, torquebatur iracundia, dividebatur avaritia, anxiabatur acedia, sicque immergebatur omnibus vitiis: quia unum bonum, quod sibi sufficere potuit, dereliquit. Hæc Bernardus. Abeant ergo mitissime Deus in oblivionem coram te omnia male consumpta mea tempora, & concede, ut hoc temporis mei residuum forte nimis breve, & momentaneum, sit tibi honorificum, mihi fructuosum, & proximo ædificatorium. Jam piissime Deus propter magnitudinem damni, quod infelix, & misera miserabiliter incurri, video & recognosco, quod meipsam & peccatum meum sufficienter, ut merui deplangere non valeo, si tanta debeat esse non immerito peccati detestatio, quanta fuerit in misera voluntate delectatio.

Homo. O anima si per te, ut asseris, non potes, nec sufficis delictum tuum deplangere, necesse habes te ad aliquem Sanctorum convertere. An ignoras, quod secundum Bernardum, securum habes accessum ad Deum, ubi matrem habes ante filium, filium ante patrem? Mater pro te ostendit filio pectus, & ubera, filius patri latus & vulnera. Putas quod ulla poterit ibi esse repulsa, ubi tot sunt charitatis indicia? In periculis ergo & in angustiis ac in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat a corde tuo, non discedat ab ore tuo. Ipsam sequens, non devias: ipsam rogans non desperas, ipsa tenente, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce, non fatigaris: ipsa propitia ad veniam pervenis. Hæc Bernardus. Anselmus: Dic igitur o anima cum magna mentis fiducia: O Domina si tuus filius per te factus est frater noster, nonne tu per ipsum facta es mater nostra? Exul-

Ber. hom. 2 sup. Missus est fin.

tabo igitur & lætabor, quia quidquid judicabitur de me, pendet ex sententia matris & fratris mei. Hæc Anselmus.

Anima. Cum peccavi in filium, irritavi matrem. Matrem offendere non potui sine injuria filii. Quid ergo o homo faciam? quis reconciliabit me filio, inimica matre? quis mihi placabit matrem, irato filio?

Homo. Anselmus: O anima non dubites, & si ambo sint offensi, ambo tamen sunt clementes, ambo piissimi. Fugiat ergo reus iram justi Dei ad piam matrem, refugiat reus iram offensæ matris ad benignum filium, & dicat; Deus qui factus es filius fœminæ propter nostram miseriam, fœmina quæ facta est mater Dei propter misericordiam, aut miseremini mihi impiæ peccatrici, aut ostendite mihi maxis misericordem, ad quem ego misera confugere valeam. Hæc Anselmus.

Ans. in invocatione matris Vir. Mar. simul & filii ejus cir. fin.

Anima. O homo quam sanum consilium tuum, quam consolatorium est mihi miseræ verbum tuum! quia quando peccatum meum recte aspicio, tunc invenio, tunc agnosco, quod elementa per peccata mea pollui, cœlos inquinavi, astra cœli obfuscavi, damnatos in inferno cruciavi, Sanctos in cœlo perturbavi, Angelos mihi ad custodiam deputatos irreverenter pertractavi. Unde ab omnibus his auxilium petere pertimesco. Et quia justi juste mihi indignati sunt, ad ipsos confugere non præsumo.

Anima peccando omne creaturas post Deum offendit.

Homo. O anima nimia est trepidatio tua, quamvis placita sit humiliatio tua. An ignoras, quod multi de Sanctis peccaverunt, qui qualiter nobis peccantibus misereri debeant, in suis magnis peccatis didicerunt? Cogita Moysem Prophetam eximium, de divina potentia desperantem. Cogita David Regem sanctissimum, contra divinam legem adulterio, & homicidio peccantem. Agnosce Salomonem sapientissimum, idola vana, & pessima adorantem. Cognosce Manassem Regem iniquissimum, qui plusquam omnes Reges Israel peccaverat, qui dicebat: Peccavi super numerum arenæ maris, & non sum dignus videre altitudinem cœli præ mul-

Ex. 4. 1 2 Reg. 11.

3 Reg. 11 4 Reg. 21

In oratione Manass.

multitudine iniquitatis meæ hos semper cogita veniam impetrantes. Sed quid plura de sanctis veteris Testamenti? Cogita nunc & adverte paucos de sanctis novi Testamenti. Vide Matthæum sedentem ad telonium, peccatorem publicanum, & assumptum in discipulum. Vide Paulum lapidantem Stephanum, & electum in Apostolum. Vide Petrum, Christum abnegantem, & mox veniam impetrantem. Vide militem Christum Crucifigentem, & tamen de divina misericordia præsumentem. Vide latronem in Cruce pendentem, & veniam impetrantem. Postremo cogita o anima, quod illa famosa & immunda peccatrix Maria Magdalena facta est tam singularis & specialis Christi amatrix. Omnes enim quotquot modo cum Deo regnant, vel olim sicut nos peccaverunt, vel saltem peccasse potuissent, si eos divina clementia a peccato non præservasset. Quia cuicumque donatum est, ut peccare penitus non potuerit, non est hoc naturæ, sed cœlestis gratiæ.

Mat. 9
Act. 7 & 9
Luc. 22
Luc. 23
Luc. 7.

ANIMA. Jam nunc secure Prophetas & Reges imploro: iam nunc audacter Apostolos & Martyres invocabo: Confessores, Virgines, & Viduas, constanter interpello. Sed tamen præ omnibus his Sacratissimam Dei Genitricem Virginem Mariam confidentius adorabo. Scio enim quod tam pia, dulcis, & suavis est Maria, quod nec nominari potest quin accedat, nec cogitari quin recreet affectum diligentium se. Hæc est enim illa quæ salutem omnibus impetravit, & totius mundi reparationem obtinuit. Hæc Bernardus. Anselmus. O fœmina mirabiliter singularis, & singulariter admirabilis, per quam elementa renovantur, infirmi medicantur, homines salvantur, & Angeli reintegrantur. O fœmina gratia plena, de cuius plenitudinis abundantia respersa revivisicit omnis creatura. Bernardus: O benedicta genitrix vitæ, inventrix gratiæ, mater salutis, per te accessum habemus ad filium tuum, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua

Ber. in depræc. & laude ad Virg. Mar. post med. & ser. 4 in Assumptio ejusdem circ. fin.
Ber. de adven. Dom. ser. 2 prope fin.

A culpam corruptionis nostræ; humilitas tua Deo grata, o beatissima, veniam impetret vanitati nostræ. O benedicta, per gratiam, quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti, fac ut qui mediante te dignatus est fieri particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te intercedente nos faciat participes gloriæ suæ. Hæc Bernardus.

HOMO. Jam nunc, ut æstimo, o anima mea aliqualiter meritorie convertisti radium contemplationis ad videndum qualiter formata sis per naturam, & quomodo deformata per culpam: converte nunc radium tuum, iam ut spero per contritionem depurata, ad intuendum qualiter sis re-B formata per gratiam. Scire tamen debes, quod quanto perfectius per contritionis lavacrum, caligo mentis detergitur, tanto lucidius divinæ reparationis beneficium speculatur. Peccatum enim secundum Augustinum est tenebra, qua intellectus obtunditur, & interior homo totus obtenebratur. Unde necesse est, ut tanto sollicitius mentales oculi a peccati tenebra per compunctionis lachrymas continue expurgentur, quanto amplius per hanc, contemplationis radius obtenebratur. Hæc Augustinus, iam igitur o anima in affectionibus serenata, dirige radium contemplationis, ad intuendum quam C profunda Dei clementia; quam alta Dei sapientia, quam mira Dei potentia sis per gratiam reformata. Considera primo qualiter per beneficium redemptionis, te a peccato originali liberavit. An ignoras, quod per peccatum originale eras bonis naturalibus & spiritualibus spoliata, potestati principis tenebrarum subiugata, a patria tua repulsa & alienata? Sed secundum Bernardum: Singularis illa maiestas mori voluit, ut viveremus, servire ut regnaremus, exulare ut repatriaremus, & ad vilissima opera inclinatus est, ut nos constitueret super omnia opera sua. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere, quod peierat. Venit, inquam, ut te superbum humiliares. Gregorius in registro: Ad hoc

Ber. ser. 3 de Asc. Dom. non longe a prin.

Habetur apud Greg. l. 34 Mor. c. 18 longe post med.

hoc unigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc invisibilis non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non debere esse hominem doceret humilis Deus.

Aug. l. de Cathec. rud. c. 4.

Augustinus: Omnia bona terrena contempsit Deus, ut contemnenda nostra monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, ut sustinenda doceret, ut nec in illis quæreretur felicitas, neque in illis timeretur adversitas.

Aug. oratione contra quinque hæres. c. 6 circa med.

Venit secundo, ut te patri reconciliaret. Augustinus: Cum inimicus esses patri, ego reconciliavi te: cum longe esses, ego veni ut reducerem te: cum inter montes, & silvas errares, quæsivi te: inter lapides & ligna inveni te, in humeris meis portavi te, patri meo reddidi te, laboravi sudavi, caput meum spinis exposui, manus meas clavis obieci, lancea latus meum aperire permisi, sanguinem meum pro te fudi, totque non dicam injuriis, sed asperitatibus laceratus sum propter te, sed heu propter peccatum tuum te dividis a me. Venit tertio, ut venditum repararet. Augustinus: Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniam per Redemptoris nostri mortem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam, de corruptione ad incorruptionem, de miseria ad gloriam, de luctu ad gaudium, vocati sumus.

Greg. Naz. orat. 38

Gregorius Nazianzenus: O mira & inaudita permixtio, qui creator est fit creatura, qui immensus est, capitur, qui dives est in homines pauper efficitur. Suscepit imaginem carnis meæ, ut imaginem quam fecerat repararet, ut carnem mortalem immortalitate donaret.

Contemplatio passionis Domini.

Expergiscere nunc o anima mea, respice in faciem Christi tui. Vide faciem illam quondam splendore nimio luminosam, propter te velatam contra charitatem: decore speciosam, inflatam contra speciositatem: dulcore gratiosam, consputam contra gratiositatem: amore desiderabilem, abominabilem contra desiderabilitatem. Vide nunc o anima mea, & diligenter considera

A mira & inaudita prodigia, quæ fecit Dominus super terram. Deus illuditur, ut honoreris, innocens flagellatur ut consoleris, justus crucifigitur ut libereris, agnus immaculatus occiditur ut epuleris, sanguis & aqua de latere lanceati emittuntur ut poteris. Respice igitur in pretium redemptionis placans offensam prævaricationis; inspice exemplum informationis, præstans adminiculum sanctificationis: aspice auxilium protectionis, reserans januam incarcerationis: suscipe præmium retributionis, conferens gratiam iustificationis. Aspice o anima delicata contemplando assidue, & fac imitando perfecte secundum exemplar consum-

B matæ iustitiæ, quod tibi in monte monstratum est, hoc est, in Christi victoriosissima passione. An non consideras, quod deliciis corporalibus æstuas, & Christus Dominus tuus, Rex tuus, sponsus tuus, magister & amicus tuus, affligitur omni genere pœnarum, in omni parte sensuum, ab omni statu hominum? Rex illusit, Præses iudicavit, Discipulus vendidit, Apostoli reliquerunt, Pontifices, Scribæ & Pharisæi tradiderunt, gentiles flagellaverunt, turbæ condemnaverunt, ac milites crucifixerunt. Bernardus: Caput illud Angelicis tremendum spiritibus, densitate spinarum pungitur: facies pulchra præ filiis hominum sputis Judæorum deturpa-

C tur: oculi lucidiores sole caligant in morte: aures quæ audiunt Angelicos cantus, audiunt peccatorum insultus: os quod docet Angelos, felle & aceto potatur: pedes quorum scabellum adoratur, quoniam Sanctum est, cruci clavo affiguntur: manus quæ formaverunt cœlos, sunt in cruce extensæ & clavis affixæ: corpus verberatur, latus lancea perforatur. Et quid plura? non remansit in eo aliquid liberum nisi sola lingua, ut pro peccatoribus exoraret, & matrem discipulo commendaret. Hæc Bernardus. Et quid plura? o fidelis anima Salvator noster nullis adversantium hostium tentamentis potuit a nostræ salutis cura revocari. Sed quo magis eius ostenditur æmulatio, eo gravior nos, si hanc spernimus, sequitur damnatio.

Anima. O homo iam diu tacui; quia quæ proposuisti, cum gaudio pariter, & luctu, devota mente recepi. Gaudens igitur gaudebo in Domino, quia me tantum dilexit, quod unigenito filio suo propter me non pepercit. O inæstimabilis dilectio charitatis, ut ancillam, immo nec nomine ancillæ dignam, redimeres, filium tradidisti. O Domine Jesu Christe, qui propter me tibi non pepercisti, cor meum tuis vulneribus ita saucia, & mentem meam tuo sanguine ita inebria, ut quocumque me vertam, semper te videam crucifixum, & quidquid inspexero, mihi appareat tuo sanguine rubricatum: ut sic totus in te tendens, nil valeam præter te invenire, nil nisi tua vulnera intueri. Hæc mihi consolatio sit, tecum mi Domine crucifigi, & mihi sit intima afflictio aliquid præter te meditari. Hugo de sancto Victore: Nulla dilectio major, nulla charitas sincerior, nullus amor fortior: mortuus est pro me innocens, nihil in me inveniens quod amaret. Sed heu quoties hanc miram circa nos divinæ pietatis dignationem adverto, de nimia ingratitudine mea non modicum confundor, & erubesco.

Hugo de arrha an. 2 ꝑ med. sq. ar. fin.

Homo. Hugo de arrha animæ: O anima dereliquisti sponsum tuum, prostituisti amorem tuum, & pro tantis beneficiis gratias non egisti: quia ut relevaret te illuc unde cecideras, ipse descendere dignatus est, & pie pati quod tolerabas. Cogita ergo quantum diligat te, qui non nisi moriendo a morte voluit liberare te. Hæc Hugo. Unde anima mea, quanto beneficia Redemptionis recognoscis digniora, tanto peccata ingratitudinis sunt deteriora. Vide ergo ne sis ingrata, cui tanta beneficia sunt collata; magnum enim est peccatum ingratitudinis, quia secundum Bernardum: Ingratitudo est quasi ventus urens, exsiccans rivulos divinæ misericordiæ, fontem clementiæ & fluenta gratiæ. Attende igitur o anima mea, frequenter volve & revolve in mente illud horribile verbum, quod contra ingratos profertur; in persona Salvatoris, dicentis: O anima vide quanta pro te patior; ad te clamo qui pro te morior. Vide pœnas quibus afficior, vide clavos quibus confodior, audi improperia quibus confundor. Sed cum sit tantus dolor exterior, cruciatus tamen interior est gravior, cum tam ingratum te experior. Et alibi Bernardus contra ingratos in persona Christi invehitur dicens: Popule meus quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi, responde mihi? quid causæ est quod inimico meo magis libet servire, quam mihi? Attende quod ego sum qui creavi te: ego omnibus bonis ditavi te; si hæc modica videntur ingratis, ego pretiosissimo sanguine meo redemi te. Eia anima mea, non recedant hæc a corde tuo, non discedant ab ore, semper gratias age, numquam cessa unigenitum Dei filium pro tantis donis benedicere & magnificare. Sit tibi dilectus pro his omnibus aliquando fasciculus myrrhæ in corde tuo, aliquando jubilus in mente, laus in ore, melos in aure.

Idem Ibid. paul ante.

Ber. serm. 51 in Cant. post med.

Mich. 6

Anima. Jam diutius me continere non valeo. Dic quæso: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

Homo. O anima, sicut dicit Bernardus in meditationibus: Totam vitam tuam debes huic, non immerito, qui vitam suam pro te posuit, & cruciatus duros sustinuit, ne & tu æternos cruciatus sustineres. Quid tibi, vel durum esse poterit, cum recordatus fueris, quod ille speciosus in forma Dei pro te voluit crucifigi? O quam indebita miseratio, o quam gratuita dignatio, quam inopinata dilectio, quam stupenda dulcedo, regem gloriæ pro despectissimo vermiculo mori & crucifixi. O quam dulcis amicus, o quam fortis auxiliator, o quam prudens consiliator.

Ex Ber. ser. de quadruplici debito circ. med.

Anima. O homo fateor & vere recognosco, si essent in me omnes vitæ filiorum Adam, omnes dies sæculi, & labores omnium hominum qui sunt, fuerunt, & erunt, nihil esset ad comparationem illius, quod sponsus meus pro me sustinuit, quod pro peccatis meis filius Dei toleravit. Cum ergo donavero ei quidquid sum, & quidquid possum, nonne erit sicut stella ad solem, sicut stilla ad

De beneficia nequimus persolvere.

ad fluvium, & sicut pulvis ad montem? Hæc Bernardus.

Homo. O anima quia jam considero, quod depurato contemplationis oculo gratiam divinæ Redemptionis, qua te a peccato originali sponsus tuus liberavit, agnoscis, adhuc modicum pro Deo loqui incipiam, & tibi ad cumulum divinæ miserationis, qualiter per ipsum a peccato actuali libera sis, ostendam. Converte igitur radium contemplationis ad beneficium justificationis, & considera Domini tui gratiam, quam paterne per occultam inspirationem te a peccato revocavit, quam dulciter, & quam amicabiliter alloquendo per interiorem allocutionem revocavit, dicens: Revertere, revertere Sunamitis, id est, anima per peccatum misera effecta, vel captivata, vel mortificata. Revertere, inquit, o anima ad me, ego sum creator tuus: revertere, ego sum redemptor tuus: revertere, ego sum consolator tuus. Et si hæc modica videntur, revertere ultimo, quia ego sum tam liberalis remunerator tuus. Revertere igitur ad me, ego sum, qui te tam nobiliter creavi. Revertere, ego sum qui te tam misericorditer per mortem meam amarissimam, de morte æterna liberavi. Revertere ad me, ego sum, qui te bonis spiritualibus & corporalibus tam multipliciter ditavi. Revertere ultimo ad me o anima, ego sum qui te jam per præparatam felicitatem tam liberaliter remuneravi. Revertere, inquit, a peccato cogitationis, revertere a peccato locutionis, revertere a peccato actionis, revertere a peccato assuefactionis. Revertere ad me o anima, te sancti cum magno desiderio expectant, & ad tuum adventum Angeli exultant. Revertere, vocat te expansis in cruce manibus Jesus Christus. Revertere, tuum reditum præstolatur totius Trinitatis abyssus. O anima hæc fuit vox, si bene recolis, dilecti invitantis? Adverte nunc, quæ fuerit longanimitas expectantis. O quanto tempore tuum adventum expectavit, heu quanto tempore te in peccatis tuis toleravit. O quot & quanto ante tuam conversionem in peccatis damnavit, & te semper peccantem misericorditer expectavit. Revertere adhuc o anima, Christus in cruce te expectans habet caput inclinatum, ad te peccatricem, & immundam deosculandam, habet brachia extensa, ad amplexandam: manus apertas ad remittendum: corpus extensum, ad se totum impendendum: pedes affixos, ad tecum commanendum: latus apertum, ad te in illud intromittendum: Esto ergo o anima jam columba nidificans in foraminibus petræ, in caverna maceriæ pervola manus, pervola pedes, involа lateri, ibi tua requies, ibi secura quies. Hæc Bernardus. Hugo de Sancto Victore: O anima si digne cogitare posses, quot & quales in tui comparatione abjecti sunt, qui tibi datam gratiam consequi non meruerunt. Elegit ergo & prælegit te sponsus tuus, elegit te in omnibus, assumpsit ex omnibus, amavit præ omnibus. An ignoras, quam fœda prius fuisti, quam polluta, & dissoluta prius extitisti? Ipse te lavavit lavacro regenerationis, pavit cibo dulcissimi corporis. Ipse tibi dedit vestimenta virtutum, quibus nuditatem tuam tegeres, & te adornares. Ipse contulit aromata bonorum operum, quibus fœtorem peccati effugares: dedit speculum Scripturæ, in quo faciem tuam agnosceres: Hæc Hugo. O anima vidisti longanimitatem expectantis, jam nunc converte radium contemplationis ad benignitatem justificantis. Cogita diligenter, unde tibi post hæc omnia tam inæstimabilis gratia, ut ejus merearis esse sponsa, in quem desiderant Angeli prospicere. Bernardus: Quid ergo retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? Tribuit enim tibi per gratiam ut sis socia mensæ, socia regni, socia thalami. Vide quibus brachiis a te sit amplexandus, quibus labiis deosculandus, qui te tanti æstimavit, ut te suo sanguine mundaret, & propter te somnum mortis acciperet.

Anima. Fateor jam & recognosco, experior & intelligo, me multo plura his a Deo meo recepisse, sed pro his omnibus nihil dignum beneficiis, tantis

Mich. 6

Justificatio magnum est Dei beneficium.

Capit. 6

Ex Ber. ser. de quadruplici debito &c. med.

De beneficiis nostris resolvere.

Hug. de arrha animæ post med.

Ber. ser. de septem misericordiis, qui est secundus in Dominica 6 post Pentecost.

tantis Deo retribuisse, unde ait Bernardus: Misericordias Domini in æternum cantabo, quia septem in me misericordias factas considero, per quas suam inæstimabilem pietatem evidentissime recognosco. Primo, quod a multis peccatis me confirmavit. Secundo, quod me peccantem non statim damnavit, sed me prolongante iniquitatem, ipse prolongavit pietatem. Tertio, quod cor meum immutavit, ut fierent ei dulcia, quæ prius erant amara. Quarto, quod me pœnitentem misericorditer recepit. Quinto, quod continendi & emendandi mihi virtutem præstitit. Sexto, quod dedit mihi gratiam promerendi. Septimo, quod mihi tribuit spem obtinendi. Dic mihi jam o homo propter divinam clementiam, quid pro his omnibus Domino meo tribuam, ne fiam indigna percipiendis, si ingrata fuero inventa de perceptis? Augustinus: Quid ergo retribuam Domino, nisi quod diligam & gratias agam, confitear & laudem dicam nomini suo æterno & benedicto? Quoniam tam paratus est mihi dimittere mala, & tam inæstimabilia conferre bona. Gratiæ ejus deputo, quod peccata mea quasi glaciem solvit, gratiæ ejus deputo quæcumque mala non feci, & ideo omnia mihi reputo dimissa, quæcumque a me, ipso duce, non sunt commissa. Hæc Augustinus in libro Confessionum.

Aug conf. l. 3 c. 7 t. 1

Homo. O anima scito quod quidquid tibi dilectus tuus contulit, quidquid propter te sustinuit, totum in charitate perpetua, quæ te dilexit, consummavit. Unde, sicut æstimo, nec melius, nec decentius, quam per dilectionem retribuitur, quod ex sola dilectione condonatur.

Ex aug. l. Sol. c 13 t. 9 & l. de Dilig. Deo c. 9 t. eodem.

Anima. Eia mi Domine Deus meus, si hæc ita se habent, quantum ego infelix & misera diligere deberem Deum meum, qui me creavit cum non eram, redemit cum perieram, & de multis periculis liberavit me, quando errabam reduxit me, quando ignorabam docuit me, quando peccabam corripuit me, quando contristabar, consolatus est me, quando fleti, tenuit me, quando cecidi erexit me, quando ivi duxit me, quando veni suscepit me. Hæc & multa alia fecit mihi Deus, de quibus dulce mihi erit semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, utinam pro omnibus beneficiis suis possem eum laudare & amare. Cum enim, secundum auctorem de spiritu & anima, cunctis præsidens, singulos implens, ubique præsens cunctorum curam agens, & tam singulis quam omnibus prævidens: ita tamen totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus fuerit, & mihi solum intendere velit. Sic enim præsentem se mihi exhibet, semper se paratum offert, si me paratum invenerit, ut quocumque me verto, non me deserat, nisi ego prius deseram eum. Nec pro his omnibus quod illi retribuam habeo, nisi tantum, ut diligam. Hæc auctor de spiritu & anima. Bernardus: O bone Jesu! quoties post immensas & innumerabiles lachrymas, quoties post varios singultus & gemitus, me sauciatam & jam pene desperantem unxisti unctione misericordiæ tuæ, & omnino pene deficientem excepisti gaudentem, nec dereliquisti de venia præsumentem. Sed super hæc omnia mihi te bone Jesu amabilem non immerito reddit Calix passionis, quem bibisti, opus nostræ Redemptionis quod suscepisti. Hoc enim est, quod totum amorem meum vendicat sibi, hoc est, quod meam devotionem blandius allicit, & justius stringit, & vehementius afficit. Etenim ubi te humiliasti, ubi te naturalibus radiis exuisti, ibi charitas plus effulsit, & gratia amplius radiavit. Hæc Bernardus. Adiuro vos, inquit anima in Canticis, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo. Bernardus: Non operit anima quem diligit, quia præsentem omnibus credit, qui de corde suo non recedit. Augustinus: Amo te Domine, & impatiens est amor, nec lacrymis sedatur, donec amori detur quod amatur. Nihil ejus mœstitiam consolatur, quousque non aspicitur quod desideratur.

Auct. de Spir. & an. c. 17 apud Aug. t. 3

Cant. 5.

Aug al'qua ex his l. 2 sol c. 1 in prin. t. 1.

Anima. Sed numquid o homo ille tenetur Deum diligere, qui se gaudet talia, qualia ergo

go commisi, minime commisisse? Homo. O anima non te quisquam irrideat, ab eo ægram sanari oportet, a quo sibi præstitum est ut non ægrotaret, vel forsam ut majores labores cautius evitaret. Et ideo Deum tantumdem, immo re vera amplius diligat: quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum se videt tantis doloribus non implicari. Hæc Augustinus in libro Confessionum. Hieronymus: Sine amore charitatis quamvis quisque recte credat, ad beatitudinem tamen venire non potest: quia tanta est charitas, ut etiam prophetia & martyrium sine illa nihil esse credantur, nullum præmium charitati compensatur. Charitas enim omnium virtutum obtinet principatum. Augustinus: Da mihi te Deus meus, redde te mihi, amo te, & si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris tui, ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quod quale mihi est præter te, & omnis copia quæ Deus meus non est, mihi egestas est. Hæc Augustinus.

Aug. l. 13 conf. c. 8. t. 1

Quantum & quomodo Deus sit diligendus.

Anima. Nunc ergo o homo, quia pro his omnibus dilectum dilectorem meum, ut dixisti, diligere debeo, dic quæso quantum aut quomodo ipsum diligam, quatenus sibi vicissitudinem tantæ dilectionis rependam?

Ber. de diligen. Dei in princ.

Homo. O anima, quamvis secundum Bernardum, causa diligendi Deum, Deus sit: modus vero diligendi eum, sit sine modo diligere: possumus tamen modum aliquem ex ipsis sacræ Scripturæ locis investigare. Ipse etenim qui tibi dilectionem tribuit, modum diligendi ostendit, quando dixit: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Dilige igitur anima amore singulari Deum Patrem, qui tam te nobiliter ex nihilo creavit, Deum Filium, qui te tam inæstimabiliter pro te moriendo reformavit, Deum Spiritum Sanctum, qui te tam misericorditer & tam dulciter sæpius consolando a peccato conservavit, & in bono confortavit. Dilige igitur Deum patrem fortiter, ut nullo alieno amore periculose vincaris, dilige Deum Filium sapienter, ut nullo alieno amore dolose seducaris, dilige Deum Spiritum Sanctum dulciter, ut nullo alieno amore venenose inficiaris. Vel aliter secundum Bernardum: Disce a Christo o anima Christiana, quemadmodum debeas diligere Christum. Dilige dulciter, prudenter, & fortiter. Dulciter, ut amore illius omnis amor alius tibi vilescat, & ipse solus sit tibi mel in ore, melos in aure, jubilus in corde. Dilige prudenter, ut amor tuus in eo solo, & in nullo alio continue inardescat. Dilige fortiter, ut tua fragilitas omnia dura & aspera gaudenter pro ipso sustineat, ut dicas: Labor meus vix est unius horæ, & si amplius est, non sentio præ amore. Hæc Bernardus: Hieronymus: Ita Christianus per amorem in Christum jugiter intendat, ut omnia libenter propter ipsum sustineat, donec ad ipsum perveniat. Hæc Hieronymus: Amemus Christum, & ejus semper quæramus inhærere amplexibus, & facile videbitur omne quod est difficile. Ambrosius: O anima semper in mente tua pertracta, quam dulciter Christus te dilexit in incarnatione, quam prudenter in conversatione, & quam fortiter in passione. Hugo: Nulla dilectio major, nulla charitas sincerior, nullus amor fortior; mortuus est pro te innocens, nihil in te inveniens quod amaret. Hæc Hugo de Sancto Victore.

Mat. 22

Ber. ser. 20 sup. Cant. circ. med.

Hier. ep. 22 ad Eust. ve f. fin. t. 1

Hug. de arrha ani p. est med.

Anima. Dic quæso o homo, salva reverentia tua, non ex curiositate sed ex humilitate, non ex præsumptione sed potius ex devotione interrogo: Et quid est quod amo, cum Deum meum amo.

Homo. O anima, si tua quæstio esset præsumptuosa, tunc nimis esset vitiosa: sed quia ex devotione originatur, devotam responsionem meretur. Audi ergo quid dicit ille magnus amator Dei Augustinus in libro Confessionum. Cum Deum, inquit, amo, non amo speciem aut decus, non tempus, non candorem lucis istius

Aug. conf. l. 10 c. 6 t. 1

istius amicum oculis, non dulces melodias, non unguenta suaviter redolentia, non manna, non mella, non membra carnis amplexibus acceptabilia, non hæc amo cum Deum amo. Sed quid amo? Amo lucem quamdam, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, quemdam amplexum interioris hominis mei. Ubi fulget animæ, quod non capit locus: ubi sonat, quod non capit tempus: ubi redolet, quod non spargit flatus: ubi sapit, quod non minuit edacitas: ubi hæret, quod non divellit satietas.

Anima. Dic quæso o homo, vel paululum de charitatis virtute, qua cognita ad diligendum Deum fortius animus inardescat.

Aug. tr. de laude char. tom. 9.

Homo. Re vera o anima charitatis fructus magnus est, sed occultus. Ipsa enim, secundum Augustinum, in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus est fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate liberalissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. Ipsa est inter opprobria secura, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens, in iniquitate gemens, in veritate respirans. Hæc Augustinus de laude charitatis Bernardus: O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectuum, subtilitas intellectuum, sanctitas desideriorum, claritas operum, fœcunditas virtutum, C dignitas meritorum, sublimitas præmiorum & honorum. O dulcedo amoris, o felix amor dulcedinis, comedat te cor meum, & nectare tuo repleantur viscera animæ meæ. Hæc Bernardus. Idem: O anima quam dulcis est cibus charitatis, qui fessos allevat, debiles roborat, mœstos lætificat. Jugum namque veritatis facit suave, & onus ejus leve. Idem Fateor domine, non sustinui pondus diei & æstus, sed jugum suave & onus leve porto. Opus enim meum vix est unius horæ, & si plus est non sentio præ amore. Sed quid plura? Hugo de Sancto Victore: O anima tanta est vis amoris, ut talem te necesse sit esse, quale est illud quod amas. Et cui per affectum con- A jungeris, in ipsius similitudinem ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris. Hæc Hugo.

Ber. de 12 grad. hum. longe aliquantulum a princ. Idem ser. 24 super Cant. ante med.

CAPUT II.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad exteriora, ut cognoscat quam instabilis sit mundana opulentia, quam mutabilis mundana excellentia, & quam miserabilis mundana magnificentia.

ANIMA.

Ex Aug. l. 4 conf. c. 6 & c. 9 t. 1.

Jam video, quoniam miser est omnis animus junctus amicitia, rebus temporalibus, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. Sed Beatus est qui amat te Domine, & inimicum propter te & amicum in te: solus enim nullum charum amittit, cui omnes in te chari sunt: te vero nemo amittit, nisi qui te dimittit, qui autem te dimittit quo vadit, nisi a te placido ad iratum? Hæc Augustinus. Idem: O charitas quæ semper ardes, & numquam extingueris, Charitas Deus meus accende me. Jubes ut amem te, da quod jubes: & jube quod vis. Jubes certe quod contineam a concupiscentia carnis, a concupiscentia oculorum, & ambitione sæculi. Augustinus: Minus te domine amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. Hieronymus: O homo, amemus Christum, & ejus semper inhærere quæramus amplexibus, & facile videbitur omne difficile.

Idem l. 10 conf. c. 29 & 30r. eod Ibid. c. 29.

Hier. ep. 22 ad Eust. vers. fin. tom. 1

Ex Greg. l. 10 Mor. c. 12 circa fin.

Homo. O anima iam, ut video, recognoscis quam felix & quam beatus est, qui in solo æternitatis desiderio per amorem figitur, qui nec prosperitate extollitur, nec adversitate quassatur, & dum nihil habet in mundo quod diligat, nihil est in mundo quod pertimescat. Hæc Gregorius in moralibus. Converte igitur o anima nunc radium contemplationis ad ea, quæ sunt juxta te, hoc est mundum istum sensibilem, ut ipsum & ea quæ sunt in ipso despicias, & eo despecto amplius in amore sponsi inar-

inardescas. Minus enim eum amas, A si aliquid cum eo appetis, quod propter ipsum & in ipso non diligas. Tanto enim secundum Gregorium quis ab illo superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur, & citius ad Deum convertitur, qui non habet in hoc sæculo, unde delectetur. Et secundum glossam super Exodum, Tanto quis ab inferiorum amore disiungitur, quanto ad sola æterna amanda sublevatur. Cetera igitur creatura tibi vilescat, ut creator tuus in corde solus dulcescat, Augustinus. Volve igitur semper & revolve, non tantum ex auditis, sed etiam ex expertis, non tantum ex dictis, sed etiam ex factis, quam instabilis sit mundana opulentia, B quam mutabilis mundana excellentia, quam falsa & mirabilis mundana gloria. Omne enim secundum Gregorium, quod hic eminet, multo plus mœrore efficitur, quam honore gaudeat. Bernardus: Ecce hujus mundi amatores nundinas hujus sæculi perambulant; alii divitias, alii honores, alii gloriam quærentes. Sed quid de divitiis, dicam, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Quid de honore referam? In loco sublimi positus es; numquid non eris judicandus ab omnibus, lacerandus ab omnibus? Numquid in honore sine dolo, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate C esse quis poterit? Quid de gloria dicam? Nihil aliud est nisi quædam vana aurium inflatio. Numquid & ipsa est sine judicio? Respice quos antecedis, & cogita quia in omnibus invidiæ semina præbes. Toties angelo apostatæ similis esse volo, quoties præesse desidero. Hæc Bernardus. Hieronymus: Nihil namque sæculo rebusque sæculi fugacius est, quas, cum tenere cupimus, amittimus. Vidisti Imperatores, vidisti præfectos, vidisti exercitus, victorias, & triumphos: heri fuerunt, hodie non sunt, heri, quasi flos apparuerunt, hodie quasi fœnum aruerunt. Nihil itaque bonum est, nisi quod perpetuum est. Hæc Hieronymus.

Greg. hom. 30 in Ev. ante med.

Ber. in ser. de quinque neg. & quinque regio paulo ante med.

Anima. O homo si hæc ita se habent; quid est quod miseri homines quærunt, dum mundi vanitates appetunt? O quantum excæcati sunt, qui mundi gloriam quærunt. Gregorius: Nonnuli dum quorumdam gloriam cernunt, magnum aliquid existimant, atque ut talia mereantur, exoptant. Cum vero eos morientes aspiciunt, eorum quam vana sit gloria cum gemitu fatentur; & dicunt: Ecce quam nihil est homo. Hæc Gregorius.

Homo. O anima charissima, & quid sunt mundana omnia, nisi quædam vana somnia? Et quid profuit superbia aut divitiarum jactantia amatoribus suis. Transierunt enim omnia tamquam umbra, & tamquam navis, quæ pertransiit fluctuantem aquam, cujus non est invenire vestigium. In malignitate enim sua consumpti sunt. Heu quam plurimi etiam nullum signum reliquerunt. Ubi sunt principes gentium, & qui dominati sunt super bestias, quæ sunt super terram? Qui argentum thesaurizaverunt, & aurum congregaverunt, qui civitates & castra extruxerunt, reges & regna bellando devicerunt. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus sæculi? Ubi Salomon sapientissimus? Ubi Alexander potentissimus? ubi Samson fortissimus? ubi Absalom speciosissimus? ubi Assuerus gloriosissimus? Ubi cæsares potentissimi? ubi reges, ubi principes inclyti? Quid profuit eis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, magna familia, carnis voluptas, divitiarum falsitas, concupiscentiæ suavitas? ubi risus? ubi lætitia? ubi jactantia? ubi arrogantia? Ecce generositas sanguinis, pulchritudo corporis, forma elegans, juvenilis decor, prædia, palatia immensa, suppellex, adde & mundi sapientiam; de mundo sunt hæc omnia, & mundus quod suum est, diligit, & tamen cum mundo non diu subsistunt. Transibit enim mundus & concupiscentia eius. Bernardus: Tu ergo si recte sapis, si tecum lumen oculorum est, desine sequi quæ consequi miserum est, quæ possessa onerant, amata inquinant, & amissa cruciant. Tu ergo relinque hæc omnia

Sap. 5

1 Cor. 1.

Ber. ep. 103

nia propter eum, qui est super omnia. Hæc Bernardus: Fuge ergo: & confuge o anima ad urbem refugii, hoc est, ad vitam religiosam, ubi possis de præteritis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & feliciter præstolari futuram gloriam. Non te retardet peccatorum conscientia, quia ubi superabundavit iniquitas, superabundare consuevit & gratia. Non pœnitentiarum austeritas ipsa te deterreat. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ad præteritam culpam, quæ remittitur, ad præsentem gratiam, quæ imittitur, & ad futuram gloriam, quæ promittitur. Hæc Bernardus.

Ex Ber. ser. de conv. ad cler. c. 30.

Anima. Jam falsitatem & instabilitatem mundi agnosco, sed nescio quo vinculo detenta adhuc avertere mentem nequeo.

Homo. Certe si diligenter o anima & prudenter periculum tuum, quod de mundo incurris, adverteres, proculdubio animum a sæculi vanitatibus cohiberes. Gravis enim & nimis periculosa est mundana conversatio, quia secundum Bernardum. Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis, pietas in nogotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo. O anima debilis, & infirma, quæ tam facilis es ad decipiendum, tam prona ad cadendum, tam difficilis ad surgendum. An ignoras, quod sicut difficile est, arborem juxta viam positam fructus pulcherrimos usque ad maturitatem servare, sic difficile est hominem iuxta sæculum viventem, iustitiam immaculatam usque in finem conservare? Hæc Chrysostomus. Item Augustinus in epistola quadam: Vincula huius mundi habent asperitatem veram, iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, durum laborem, timidam quietem, plenam miseriam, nullam beatitudinem, & inanem spem. O anima, si hoc in mente portares, mundum & ea quæ in mundo sunt, contemneres. Et quid est charissima quod diligis? quid est quod appetis? quid est quod in mundo quæris? Si prælationem diligis, quid aliud facis, nisi quod vitam tuam confundis? An ignoras, quod monstruosa res est gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus & fructus nullus, vultus gravis & actus levis, ingens auctoritas & nutans instabilitas. Hæc Bernardus. Sed forte diceres, prælationem quidem appeto, sed in ipsa bene & sancte vivere intendo. Laudo, sed raro, quod laudare valeam, invenio Unde semper timeo quod dicit Gregorius in registro: Ita sibi regentium & subditorum merita connectuntur: ut sæpe ex culpa præsidentium fiat deterior vita subditorum. Et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum. Si sapientiam mundi quæris, o quanto periculo te committis. Bernardus: Heu quot & quantos mundi maledicta sapientia supplantavit, & conceptum in eis divinum extinxit spiritum, quem vehementius Dominus accendi voluit. An ignoras, quod sapientia mundi terrena est, animalis & diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ & mater cupiditatis? Hæc Bernardus. Augustinus: Qui sine Salvatore salutem vult quærere & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus, sed æger est, non prudens, sed stultus est, & in ægritudine laborat assidue. Qui enim crescit in scientia & non in bona vita, elongatur a Deo, sicut dicit Algazel. Tu ergo si sapiens esse desideras, discas in terris, quorum scientia perseveret tecum in cœlis. Hæc Hieronymus. Hic studeas, qualiter ad ipsum pervenias, quem semel vidisse est omnia didicisse. Hæc est illa æterna veritas, sine qua omne sapere desipere est, quam solam cognoscere perfectum scire est. Augustinus: Infœlix homo qui scit omnia alia, te autem nescit. Beatus autem qui te scit, etiamsi aliena nesciat. Si autem te & alia novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus. Anselmus: Sed fortasse divitias mundiales, pompas sæculares, & delicias carnales o anima mea diligis, & propter hoc mundum invite derelinquis. Sed attende quod caduca & fragilia sunt hæc.

Ber. Ibid. — *Chry. oper. imp. hom. 39 ante med. t. 2* — *Ex Ber. l. 2 de consid. ad Eugen. cap. 7.* — *Greg. Reg. l. 6. c. 17 post med. & l. 25 Mor. c. 14* — *Aug. lib. 5 conf. c. 4 t. 1*

hæc. Dic ubi reges? ubi principes? ubi omnium prædictorum dilectores? Timeo quod multi ex ipsis heu exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Quid nunc eis prodest superbia? quid divitiarum jactantia? Qui enim plus diligit mundum quam Deum, sæculum quam claustrum, gulam quam abstinentiam, luxuriam quam continentiam, sequitur diabolum, & ibit cum eo ad æternum supplicium. Augustinus: Qui florent felicitate sæculi, pereunt virtute Dei: florent ad tempus, pereunt in æternum: florent falsis bonis, pereunt veris tormentis. Idem: Si in hoc sæculo aliquid nos habere delectat. Deum qui possidet omnia expedita mente possideamus, & in ipso habebimus quidquid feliciter & sancte desideramus. Gregorius. Nec diviti obsunt opes si eis bene utatur, nec pauperem egestas commendabilem facit, si inter inopias sordes peccati non caveat. Sed adhuc o anima invenies quod obiicias dicens: Mundum despicio, sed amicos, parentes, & cognatos derelinquere non valeo. Frivola o anima est hæc objectio. Bernardus. Fidelis sermo & omni acceptione dignus. Si impium est contemnere patrem vel matrem, propter Christum piissimum est. O dirum patrem, o sævam matrem, immo non parentes, sed peremptores, qui te malunt perire cum eis, quam regnare sine eis. Hieronymus: Licet sparso crine & scissis vestibus ubera, quibus te nutrierat mater, ostendat, licet in limine pater jaceat, per contemptam matrem, per calcatum patrem perge siccis oculis, & ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in his fuisse crudelem. Chrysostomus: An ignoras o anima, quod qui habet Jesum, habet patrem, & matrem, & omnem amicum? Quid sequeris mortuos? sequere vivum, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Sap. 5

Ber. ep. 103 ad Mag. Galter. de Calvo monte in fin. Hier. ep. 1 ad Heliod. longe a pr.

Anima. Jam ex verbis tuis o homo perpendo, & ex multis experimentis cognosco, quod etiam mundus, in seipso aruit. Sed adhuc heu in multorum cordibus floret, qui amaritudines mundi diligunt, fugi-

A entem sequuntur, labentem amplectuntur, dic quæ est tantæ cæcitatis ratio.

Homo. O anima an ignoras, quod tam delicata, & tam nobilis es a sponso tuo auctore omnium condita, quod sine dilectione esse non potes: Hieronymus: Difficile est humanam animam non amare, necesse est enim, ut mens nostra ad quoscumque trahatur affectus. Unde secundum Bernardum etiam oportet, quod aut in summis aut in infimis delecteris. Igitur secundum Gregorium in moralibus. Quia sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, dum transitoria appetunt, & æterna non intelligunt, vel intellecta contemnunt, B dolorem non sentiunt, dum vulnerati sunt. Unde heu se miseri in bonis esse putant, exilium quasi patriam diligunt, & in cæcitate quasi luminis claritate exultant. E contra electorum mentes, dum cuncta transitoria quasi nulla conspiciunt, ad quid sunt conditæ, requirunt. Cumque eorum affectui nihil extra Deum sufficiat, in sola contemplatione conditoris quiescunt, supernis interesse civibus appetunt, & adhuc in mundo positi extra mundum surgunt. Hæc Gregorius. Idem super Ezechielem: Dulcedo videtur esse in rebus humanis, sed eis qui nullam de cœlestibus dulcedinem experti sunt. Quia dum mens humana minus æterna intelligit, tanto dulcius in tem- C poralibus requiescit. Sed si quis jam cordis lingua gustaverit, quæ sit illa dulcedo cœlestium præmiorum, huic quanto dulcius fit, quod intus videt tanto magis in amaritudinem vertitur omne quod foris sustinet.

Hier. ep. 22 ad Eustoch. longe ante med. Greg. l. 1 Mor. cap. 10.

Greg. hom. 10 in Ezec. longe post med.

Anima. Ne quæso o homo procrastines, mihi aliquid de mundano & cœlesti gaudio edicere, quatenus utriusque natura perfectius cognita, unum verius despiciam, & ad alterum assequendum studiosius me extendam: quia puto quod sicut bonum non amatur, nisi cognoscatur, ita malum non devitatur, nisi intelligatur.

Homo. O anima æstimo, quod mundanum gaudium (si tamen potest dici gaudium, & non potius flagellum incognitum) numquam perfecte

fecte cognoscitur, nisi cum perfecte despicitur. Unde sicut a perfectis mundi contemptoribus traditur, mundanum gaudium potissime propter quinque contemptibile est habendum. Primo, quod habet vilitatem in objecto. Quid enim est sæculi lætitia? Respondet Augustinus, impunita nequitia, id est luxuriari, inebriari, comessationibus vacare, vanitatibus intendere, & pro his in hac vita nihil mali sustinere. Putant enim mali se esse in deliciis, cum non corriguntur pro suis nequitiis. Et ignorant, quod sicut dicit Augustinus, nihil infelicius est felicitate peccantium, qua pœnalis infirmitas nutritur, & mala voluntas roboratur. Secundo habet impuritatem in subjecto. Anima enim peccatis deformata, est subjectum mundani gaudii, quæ lætatur cum male fecerit, & exultat in rebus pessimis. Unde bene dicit Beatus Hieronymus, quod ridere & gaudere cum hoc seculo, non est factum hominis sensati, sed phrenetici. Revera o anima cor mundum non cum hoc seculo immundo, sed cum Deo & in Deo lætum est & jucundum. Tertio habet brevitatem in seipso, quia gaudium hypocritæ ad instar puncti. Hypocrita est hic mundus, cujus gaudium est ad instar puncti, quod nec latum, nec longum, nec altum est, nec profundum. Augustinus super Joannem: Lætitia seculi vanitas est, cum magno desiderio speratur, ut veniat, & non potest teneri cum venerit. O anima quam brevis, quam fragilis, & quam caduca est mundana lætitia. Breves enim dies hominis sunt, ut dicit Job. Quarto habent tristitiam in termino, quia ducunt heu miseri in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Extrema enim talis gaudii luctus occupat. Immo o anima si vales discernere, tale gaudium habet semper tristitiam admixtam in actu suo, quia semper necesse est quod præsumat sæva, perturbata conscientia. An ignoras o anima, quod non diutius perdurat lætitia quæ est in comedendo & bibendo, quam durat tristitia quæ est esuriendo & sitiendo? sic est de omnibus

Aug. ser. 39 de verb Dom. post med. t. 10

Prov. 2

Job 20

Job 14
Job 21
Prov. 14

A aliis. Quinto habet miseriam magnam in affectu proprio, quia est spiritualis gaudii impedimentum. O anima agnosce quam miser est hic mundus, & quam miserrimi qui sequuntur ipsum; semper enim mundana gaudia excluserunt homines a beata vita. Bernardus: O quam vilis est, quam inutilis est mundana consolatio, & quod plus est metuendum, quia veræ ac sanctæ consolationis est impendimentum. Renuas igitur o anima mea in mundo delectari, si vis de Dei memoria consolari. Hæc Bernardus; Augustinus: Cetera creatura vilescat, ut creator in corde dulcescat.

Ber. ser. 4 in vig. Natal. Dom. statim post princ.

B Anima. Jam mundum despicio, jam falsam lætitiam, veram tristitiam, falsam dulcedinem, & veram mundi amaritudinem agnosco, & ob hoc non immerito hæc omnia secundum tuum consilium contemno. Sed quia sicut asseris, sine dilectione esse non valeo, dic quæso quid agam: quo me convertam? Ubi dilectionem convenientem inveniam.

Homo. O anima si te ipsam perfecte cognosceres, ex tui cognitione mundum & omnia quæ in mundo sunt, contemneres, & discere posses, quam consolationem in tua dilectione affectare non immerito deberes. O anima si te naturam cœlestem intelligeres, proculdubio terrenam consolationem abhorreres. Erubesce igi-C tur consolari in cœno, quæ es de cœlo. Erubesce in imis delectari, quæ non potes nisi in summo satiari. Natura es, ut puto, cœlestis, & cœlestem consolationem, sicut æstimo, naturaliter, si carnalis insania permitteret, appetis, & requiris. Bernardus: O quam dulce & delectabile esset, adjuncto divini amoris condimento, secundum naturam vivere, si carnalis insania nos permitteret, qua sanata statim naturalibus natura arridet.

Anima. Et quid est proprie secundum naturam vivere.

Homo. Propriissime secundum naturam vivere, est in terris cœlestem vitam ducere, ab exterioribus ad interiora redire, ad interioribus ad superna ascendere, & facere omnia secun-

cundum nobilissimum quod in homine præcellens, hoc est secundum intellectum. Hæc Philosophus 4. Ethic.

Anima. Potest ne aliquis in terris, & in hac lacrymarum valle cœlestem vitam ducere.

Homo. O anima si de meis verbis tamquam hominis peccatoris dubitas & miraris, audi Augustinum & Apostolum Paulum. Ecce quid dicit Augustinus: Cum æternum aliquid per cognitionem & amorem capimus mente, jam non in hoc mundo sumus. Unde est quod dicit Apostolus: Nostra conversatio in cœlis est. O anima mea puto igitur, quod verius es ubi amas, quam ubi animas, quia quidquid diligis ipsa dilectionis vi in ejus similitudinem transformaris. Si ergo cœlestia contemplaris, si cœlestia diligis, quomodo jam non in cœlis commoraris, quæ cœlestibus spiritibus in vita assimilaris.

Philip. 3

Anima, Heu, heu iam me infelicem & miseram, miserabiliter multo iam tempore excæcatam sentio, quæ tanto tempore per cognitionem in temporalibus & terrenis rebus oberravi, mundanis & vilibus me per amorem alligavi, de quibus paucam consolationem, multam vero amaritudinem & desolationem, modicam & valde exilem lætitiam, sed variam & sæpe magnam cordis tristitiam sumpsi. Dic ergo iam quæso o homo, quæ est cœlestis consolatio, & si quo modo possem ad ipsam pertingere in hac valle lacrymarum & miseriæ? Quid est quod in Deo meo invenio, cum tam libenter & tam faciliter omnia propter ipsum contemno, cum dico intra meipsum cum gaudio: Deus cordis mei, Deus pars mea in æternum? Quid est quod in illa brevissima hora in dilecto meo degusto, cum omnia dura & amara & aspera gaudenter & hilariter, propter ipsum sustinere totis viribus concupisco, & dico: Mihi adhærere Deo bonum est. Et, Quis me separabit a charitate Christi.

Psal. 72
Rom. 8.

Homo. Secundum Bernardum, o anima hæc consolatio nihil aliud est, quam gratia quædam devotionis, procedens de spe veniæ, & gustus boni licet exiguus, & suavissima quædam delectatio, qua benignus Deus afflictam recreat animam, qua anima ad Deum requirendum invitatur, & ad divinum amorem accenditur vehementer. Hugo de Sancto Victore. O anima quid putas est tam dulce & tam suave, quod in recordatione dilecti devotas animas solet tangere, & tam suaviter afficere, ut jam totaliter a seipsis alienari incipiant? Exhilaratur conscientia, & in oblivionem venit omnium dolorum memoria: Exultat animus, clarescit intellectus, cor illuminatur, affectus jucundatur. Jam nesciunt ubi se esse conspiciunt, & quasi amplexibus amoris aliquid intus tenent, & nesciunt quid sit, & tamen totis viribus tenere concupiscunt. Luctatur quodammodo delectabiliter animus, ne recedat ab eo, quasi in eo finem omnium desideriorum invenerit. Hæc Hugo. Bernardus: Nonnumquam quasi clausis oculis bone Jesu ad te inhianti, mittis mihi in os cordis, quod non licet mihi scire quid sit. Saporem quidem sentio, dulcedinem adeo confortantem, quæ si perficeretur in me nihil ultra quærerem. Nonne hic est iubilus cordis. Gregorius: Jubilus dicitur ineffabile mentis gaudium quod non abscondi, non sermonibus aperiri potest. Sed tamen quibusdam motibus, aperitur, licet nullis proprietatibus exprimatur. Unde Psalmus: Beatus populus qui scit iubilationem. Non dicit, qui loquitur, sed qui scit quia iubilus quidem sciri potest intellectu, sed dicto seu verbo exprimi non potest. Bernardus: Istum autem gustum cum accipio, nullo corporis visu, nullo animæ sensu, nullo spiritus intellectu advertere me finis quid sit, cum accepero & ruminare volo, & diudicare eius saporem, statim transit dulcor eius, deglutio quidem illud quidquid est in spe vitæ æternæ, sed operationis eius virtutem diu ruminando, omnibus animæ venis & medullis quasi vitalem quendam succum optabam infundere, ut ab omnibus aliis affectibus desiperet, & illud solum saperet, sed festinat transire.

Ber. ser. 1 in fest. omnium sanct. post med.
Bern. de amore Dei c. 9 in med.
Greg. l. 24 Mor. c. 5 longe a pr.
Psal. 88

sire, & cum de inquisitione vel acceptione ejus vel visu, formata quædam lineamenta memoriæ gestio arctius impressa committere, vel etiam memoriam labilem scripto juvare, experimento cogor dicere id Evangelicum: Nescis unde veniat, aut quo vadat. Hæc Bernardus. Quæ putas o anima est tam dulcis tamque suavis delectatio? certe hæc est consolatio divina.

Joan. 3

Anima. O homo quis mihi hoc tribuat, ut hæc tam inexperta consolatio in cor meum perveniat, ut malorum meorum obliviscar, ac mundanam consolationem despiciam, & a me ipsa feliciter alienari incipiam?

Homo. O anima, magnum est quod desideras, inæstimabilem donum est, quod exoptas. Unde, ut æstimo, humano studio non potest obtineri, humano merito vix potest promereri, sed a Deo humilibus precibus, & a digne dispositis ex sola divinæ pietatis condescendentia vix potest impetrari. Omne enim aurum in comparatione illius arena est exigua, & argentum illi comparatum tamquam nihilum reputatur.

Sap. 7

Anima. O homo dic rogo, qualis debet esse dispositio, qua ordinari debet ad impetrandum orantis affectio.

Homo. De hac materia multum posset dici ab expertis, sed quia inexpertum me esse recognosco, etiam pauca me dicere erubesco. Unde timeo, ne dicatur contra me: Quare tu enarras, quod non degustas? quare tamquam indignus laudas quod ignoras?

Anima. O homo, noli timere, cum reverentia & humilitate quæ audisti & legisti devote proponere. Multi enim de rebus magnis & arduis aliis utiliter proposuerunt, quod non de propria experientia, sed aliorum scientia didicerunt.

Homo. Jam cum aliqua audacia loquar. Nam vires quas imperitia denegat, charitas subministrat. Unde sicut sentio, sic refero. Puto, salvo meliori judicio, si vis te ad hanc cœlestem dulcedinem degustandam præparare, debes esse deparata, exercitata, & elevata. In primo hæc

A cœlestis dulcedo odoratur, in secundo degustatur, & in tertio aliquando usque ad ebrietatem sumitur & potatur. Primo dico quod debes esse depurata a peccatis, ab affectionibus inordinatis, a temporali consolatione, & a creaturarum inordinata dilectione, quia secundum Bernardum, Errat omnino si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spiritus sancti, hujus seculi illecebris misceri posse arbitratur. Sed postquam a talibus anima fuerit purgata, lacrymosis gemitibus depurata, & candidata dolosis fletibus, quia dignum est, sicut dicit Augustinus, quod mens illa semper

Ber. ser. 6 in Ascens. Dom. post med.

B in se dolores inveniat, quæ derelicto creatore semper in se & in creatura gaudia quærebat. Pulchre igitur Gregorius in moralibus super illo verbo Job: Antequam comedam suspiro dicit. Comedere animæ est, supernæ lucis contemplationibus pasci. Suspirat ergo antequam comedat, quia qui se in hoc exilio per desideriorum cœlestium lamenta non humiliat, æternæ patriæ gaudia non degustat. A veritatis enim pabulo jejuni sunt, qui in hac peregrinationis inopia lætantur. Secundo debet mens esse exercitata in bonorum perpetratione, & in malorum perpessione. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quia quos amor veritatis afficit, refectio consolationis

Greg. l. 5 Mor. c. 3 in princ.

C pascit. Bernardus: O bone Jesu: quoties post innumerabiles lacrymas & gemitus sauciatam animam meam unxisti unctione misericordiæ tuæ, & nonnumquam pene desperantem excepisti, consolatam & de venia præsumentem dereliquisti? Ecce quo modo pretium rerum honestarum in ipsis est. Unde revera quamvis in initio arcta sit via quæ ducit ad vitam, processu tamen temporis inæstimabilis dilectionis dulcedine dilatatur. O igitur quam beata consolatio, quæ divinitus infunditur laborantibus pro Christo. Tertium in quo anima inebriatur hac dulcedine, est mentis elevatio, quando feliciter animus a terrenis abstrahitur, & miro quodam modo supra seipsum,

Mat. 5.

Mat. 7.

supra

supra mundum, immo super omnem creaturam elevatur, ut jam dicere possit anima: Introduxit me rex in cellaria sua. Hæc est illa cella vinaria, in qua introducitur anima, ubi bibit de vino condito inæstimabilis deitatis, & de lacte albissimo incontaminabilis humanitatis. O anima hinc bibunt amici, sed inebriantur charissimi. O felix ebrietas, quam sequitur mentis & corporis tam casta & sancta sobrietas. Hinc efficitur anima more ebrii gaudens & lætabunda in adversis, fortis & secura in periculis, prudens & discreta in prosperis, liberalis & pia in condonandis injuriis, & tandem quieta & somnolenta recumbens in amplexibus divinis, cum læva sponsi sponsam sub capite amicabiliter sustentat, & dextera dilecti dilectam familiariter amplexatur.

Bern. ser. 1 in Ascens. Dom. pol med.

Cant. 7

Cant. 5

Anima. O homo confiteor cum humilitate & cum reverentia, quod accidit mihi aliquando, licet heu perraro, quod cum magna violentia circa conversionis meæ primordia, animum a terrenis abstraxi, & ad cœlestia contemplanda cum conatu nimio elevavi. Intravi cum tremore, circumspexi cum rubore, vidi choros Angelorum, palatia & gaudia Patriarcharum & prophetarum, Apostolorum aspexi tabernacula, & Martyrum convivia, Virginum & Confessorum solatia, eleemosynam videlicet alicujus consolationis a singulis pretii, micas decidentes de mensa dominorum desideravi, nec obtinui. Sed, quod auditu lamentabile est, mox ab omnibus ut peregrina & incognita repulsa fui. Quid ergo profuit mihi laboriosa mentis elevatio, quam nulla secuta fuit consolatio.

Gen. 11 Mat. 13 prin.

Cant. 2

Mat. 15

Homo. O anima non fuit sine causa repulsio hæc tam desolatoria. Puto quod hæc fuit causa, quia voluisti esse socia consolationis, antequam fuisti socia passionis, voluisti esse particeps remunerationis, antequam imitatrix virtutis. Satage ergo primo esse socia Angelorum per puritatem & innocentiam, socia Patriarcharum & Prophetarum per humilitatem, & fidei confidentiam, stude esse filia Apostolorum & Martyrum per charitatem & patientiam, Confessorum & Virginum per pietatem & continentiam, & tunc audacter in hoc exilio saltem cum filio prodigo, pii patris eleemosynam obtinebis.

Mat. 5

Anima. O homo jam quam vana & insipida sunt omnia transitoria agnosco, & ob hoc mundum despicio, consolationem sæculi vilipendo, mundana quoque gaudia sicut venena mortifera fugio & contemno, vitam etiam præteritam quasi mortuam plango & mentem meam miseram gemitibus & fletibus abluo, & repurgo, & si aliquando inter lacrymas & gemitus odorem divinæ suavitatis vel modicum sentio, adhuc tamen cibum Angelorum & vinum amicorum infelix & misera jejuna & sitibunda non degusto. Bernardus: Non accessit adhuc Domine Deus meus cor meum ad multitudinem dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Foris enim ejus odore utcumque sustentor, quod est mihi super odorem balsami, cunctique generis suavia odoramenta. O Domine Deus, si tam nobilis est odor, quam dulcis est tuæ dulcedinis sapor? Si tanta virtutis est modica degustatio, quantum jucunditatis habet felix inebriatio? O quis mihi det ut venias in cor meum, & inebries illud vino tuo, & amplectar te Deus meus.

Luc. 15

B

Homo. Secundum Augustinum, o anima devota, loquar salva reverentia, nimis estis avara, & utinam non præsumptuosa. Vires vestras perpendite, merita considerate, virtutes discutite, & tunc si placet, sufficiat vobis magis in odore divinorum unguentorum cum adolescentulis humiliter currere, quam præsumptuose super merita postulare.

C

Anima. O homo, quam durus & onerosus es mihi miseræ animæ consolator, quam parcus, si fas est dicere, divinæ bonitatis es dispensator. Audacter dico, tacere non valeo, mihi odor non sufficit, modicus gustus plane non reficit, sed afficit, ebrietatem affectus mens appetit & requirit. Scio qui dicit: Bibite amici, & inebriamini charissimi, si deprimit

Cant. 5

mit indignitas petentis, spem tamen erigit pietas promittentis. O homo quomodo dubitare valeo, quin paratus sit dare bona sua qui pro me non dedignatus est pati mala mea? An ignoras qui multos de Dei pietate docuisti, quod de Beato Augustino didicisti, sic dicente: Erubescat humana pigritia, plus vult Deus dare, quam audeat homo postulare? Idem de vera religione. Deus dedit nobis pignus spiritus, in quo sentiamus ejus dulcedinem, & degustemus ipsum fontem vitæ, in quo sobria ebrietate irrigemur, tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Chrysostomus: Nil omnipotentiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit eos, qui sperant in eo, nam Deo per spem innixum animum, nulla fraus, nulla illecebra, poterit vel stantem deiicere, vel durantem superare. Erubescat nunc humana desperatio, & maledicta sit pusillanimitatis trepidatio, quæ divitem & nimis liberalem in omnes qui invocat illum, æstimat illis qui spem perfectam ponunt in illum, sua posse beneficia denegare. Numquid non pater æternus, apud quem nulla est transmutatio, ex sola liberalitatis immensitate filium suum misit, in quo dedit totum quod habuit, totum quod potuit, totum quod ille fuit? Si vero sua liberalitas suam infinitam bonitatem modo diminueret, forsan non immerito nostra infirmitas trepidaret. Sed quia ex seipso non ex accidenti bono bonus est, ex suæ bonitatis communicatione non diminuitur, ex alienæ bonitatis additione non augetur.

Ps. 1. *Rom. 10.* *Luc. 1.*

Homo. Anima, magna est fides tua, valde fortis es in spe & confidentia. Et quamvis spes quæ procedit ex meritis propriis & divinæ clementiæ confidentia, meritoria sit, laudabilis & sancta, consulo tamen sane antequam ad quærendam ebrietatem supra te ascendas, prius per tui considerationem salubriter infra te descendas, ut discas tuum sponsum reverenter timere, antequam incipias tuum secretum cubiculum introire: quem non solum timere debes cum irascitur, verum etiam suavissime & delicatissime blanditur.

Caput III.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad inferiora, ut intelligat humanæ mortis inevitabilem necessitatem, judicii finalis formidabilem austeritatem, pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem.

Anima.

Dic quæso o homo breviter, quæ sint illa inferiora, ad quæ mea consideratio est convertenda? Ascendere festino, ebrietatem divinæ consolationis quæro, in inferioribus diu morari non valeo. Jam dilecta tabernacula tua Domine virtutum desidero, habitare in atriis Domini totis viribus concupisco. *Psal. 83.*

Homo. Hæc inferiora sunt o anima mea, ut te convertas, & videas mortis inevitabilem necessitatem, & ingemiscas divini judicii infallibilem æquitatem sive veritatem, & contremiscas pœnarum infernalium intolerabilem asperitatem, & expavescas. Considera igitur frequenter, volve, & revolve diligenter, quod mors non potest declinari, quod hora mortis non potest investigari, quod tempus a Deo præordinatum non potest immutari. Isidorus: In rebus humanis nihil certius morte: nihil incertius hora mortis. Non miseretur inopiæ, non reveretur potentiam, non respicit morum aut generis excellentiam, non parcit juventuti vel ætati, senibus est in januis, juvenibus in insidiis.

Mors semper meditanda.

Anima. Audio quod nostrum vivere nihil aliud est, quam ad mortem transire. Cur temporalia diliguntur, quæ tam incerto tempore possidentur? Cur tanto tempore vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus, quanto vita longior tanto culpa numerosior? Quotidie namque crescunt mala & subtrahuntur bona. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetra-

Est apud Bern. serm. de conversione ad Cleric. c. 14 & citatur ex Bern. Pha lib. 3. c. 48. super tom. 6.

tramus; & quanta bona negligimus? Gravis siquidem culpa est, cum nec bona facimus, nec bona cogitamus, sed mentem per inania & inutilia vagari permittimus.

Greg. lib. 8 Mor. cap. 6 circ. fin. Homo. Sicut dicit Gregorius: Carnales mentes o anima idcirco temporalia diligunt, quia vita carnis, quam fugitiva sit, minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperitatem modice duraturam minime amarent. Idem: *Idem Reg. lib. 6. ind. 15. c. 190.* Vita mea naviganti similis est, sive dormiam sive vigilem, semper vado festinus ad mortem. O vita præsens quam multos decipis, quæ dum fugis nihil es, dum videris umbra es, dum exaltaris fumus es, dulcis es stultis, amara sapientibus, qui te amant, non te cognoscunt, qui te fugiunt ipsi te intelligunt. Aliis te promittis longam ut decipias, aliis brevem, ut in desperationem inducas. Auctor de spiritu & anima: *Auct. de sp. & an c. 49. apud Aug. tom. 3. Bern. de Adventu Dom. ser. 9.* Jugi meditatione animum nostrum exerceamus, & miserias nostras consideremus. Cum dolore vitam istam intravimus, cum labore vivimus, cum timore exituri sumus. Bernardus: Quotquot degimus in hac regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in conflictu & in loco tentationis, si diligenter avertimus, triplici incommodo miserabiliter laboramus. Faciles enim summus ad seducendum, debiles ad resistendum, & fragiles ad operandum.

Anima. Jam video quod inutiliter in hoc tempore vivitur, nisi festinetur ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Ideo non esset curandum quamdiu esset vivendum, sed potius quam bene in hac vita operandum. *Non multum cu. randum, quamdiu, sed quam bene vivatur.* Quia & si alicui quod bene vivat, condonetur, tamen ut diu vivat certum est, quod nulli conceditur. Bernardus: *Ber. in ser. ad milites templi c. 11.* Est igitur vita secura, ubi conscientia pura, ubi mors sine formidine expectatur, cum dulcedine adesse optatur, & cum devotione acceptatur.

Homo. O anima si hæc ita se habere intelligis, audi consilium meum & in hac vita quamdiu durat, compara tibi vitam illam quæ semper Adurat. Dum vivis in carne morere mundo, ut post Deo vivere incipias. Bernardus: Intellige, quod venientem mortem nullus lætus & hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam dum viveret bonis operibus præparavit. *Sententia est S. epist. 3 post. in c.* Attende quod secundum Senecam: Insipiens, id est, peccator & criminosus, moriendo mortem incipit; sed sapiens & virtuosus moriendo mortem vincit.

Anima. O homo video quod bonorum mors est beata, mors vere peccatorum infelix & misera.

Homo. O anima secundum Bernardum, *Bern. ep. 105. ad Roman. Subdiac.* Bona est justi mors propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem. E contra mors peccatorum pessima, & bene pessima, mala in mundi amissione, pejor in carnis separatione, sed pessima in duplici vermis & ignis contritione, & quod omnium pessimum est, in divinæ contemplationis privatione.

Anima. Jam satis de morte dixisti, dic modo de statu finalis judicii.

Homo. O anima facio, quod hortaris, sed rogo audi cum patientia. *De finali judicio.* Scire debes quod quamvis de morte meditari sit horribile, de statu finalis judicii cogitare, ut æstimo, non minus est formidabile: quia nullus tunc poterit fallere sapientiam, flectere justitiam, inclinare clementiam, declinare ultionis & justæ retributionis sententiam. Bernardus: Considera igitur anima mea cum tremore, quid erit de te in die novissimo quando contra te de cogitationibus loquetur conscientia, quando te de tuis actionibus omnibus accusabunt elementa, quando contra te crux Christi portabitur in testimonium, quando verbera ipsius contra te clamabunt, vulnera ejus allegabunt, clavi loquentur, cicatrices conquerentur. O angustiæ, *Hæc ex Bern. de interiori domo. c. 38. 1. Petr. 4. d.* hinc erunt peccata accusantia, inde terrens justitia, intus urens conscientia, subtus horrendum chaos inferni, supra Judex iratus justi judicii, foris mundus ardens, intus justitia judicantis terrens. Et si justus vix tunc salvabitur, impius & peccator ubi apparebunt? in quam partem se prement? latere erit impossi-

possibile, apparere intolerabile. Anselmus in meditationibus: O anima peccatrix, lignum inutile & aridum, æternis ig ibus deputatum, quid respondebis in illa die, quando exigetur a te usque ad ictum oculi omne tempus tibi impensum, qualiter sit a te expensum? Eia, eia anima mea, quid tunc erit de cogitationibus vanis & otiosis, de verbis levibus jocosis & ridiculosis, de operibus inutilibus & infructuosis. Ambrosius super Lucam: Væ mihi si peccata mea non deflevero: Væ mihi si media nocte ad confitendum tibi non surrexero. Jam securis ad arborem posita est, faciat fructum qui potest, fructum quidem pœnitentiæ. O anima sive vigiles sive dormias, semper in auribus tuis illa horribilis tuba resonet: Surgite mortui, venite ad judicium. O anima numquam excidat a tua memoria: Ite maledicti in ignem æternum. Venite benedicti, percipite regnum. O quid potest lamentabilius & terribilius cogitari, quam; Ite? & quid delectabilius exprimi, quam, Venite? Duæ sunt voces, quarum nihil horribilius una, & nihil jucundius altera poterit audiri. O anima separa te modo a mundo, ut tunc possis manere cum Christo. Fuge modo mundum, ut sequaris Deum. Declina modo pravorum societates & consortia, ut tunc valeas sequi beatorum agmina. Post hæc omnia, converte radium contemplationis ad reproborum tormenta, vide quam sint varia quam aspera, quam intolerabilia. Bernardus ad Eugenium: Ego horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. O gehennalis regio fugienda, ubi est ignis ardens, frigus rigens, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, & mallei percutientes, umbræ palpabiles, confusio peccatorum, innodatio vinculorum, horribiles facies dæmonum. Augustinus in quodam sermone: Væ illis quibus præparabitur dolor vermium, ardor flammarum, sitis sine potu, fletus & stridor dentium, lacrymæ oculorum, ubi mors optatur, sed non dabitur, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quis putas tunc erit mœror? quæ tristitia? quis luctus? quando separabuntur iniqui a consortio justorum, & tradentur potestati dæmonum, & ibunt cum eis in supplicium æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu, planctu, & gemitu, procul a gaudiis Paradisi, numquam refrigerium suscepturi, sed per multa millia annorum cruciandi, numquam tamen heu miseri liberandi? ibi torquens & puniens non fatigabitur, ibi qui torquetur numquam morietur. Sic enim ignis ille consumet, ut vitam tamen semper servet: sic vetera tormenta patientur, ut semper innoventur: sic sine spe veniæ, & misericordiæ semper vivent, ut tamen moriantur: sic morientur, ut tamen numquam consumantur.

Ansel lib. de miseria homin. cir. med.

Amb. in Luc. lib. 2. c. 3. t. 3.

Matt. 25.

De infernali pœna.

Hæc ex Bern. serm. de quinque negotia tionis & quinque region. post med.

Hæc ex Bern. in med. c. 3.

A

B

Anima. O homo quare in inferno, ut dicis, mors quæritur & non invenitur. Et quare punitur æternaliter, quod committitur temporaliter.

Homo. Quia secundum Gregorium, *a* quibus in hoc sæculo vita offertur & nolunt accipere, in inferno quærent mortem, & non poterunt invenire. *b* Idem. Iniqui libenter voluissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo judicis justitiam pertinet, ut numquam careant supplicio, quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato. Hieronymus: O mors quam dulcis esses quibus tam amara fuisti, te solummodo desiderant, qui te tam vehementer odiebant. O anima si hæc prædicta videntur tibi terribilia, audi quæ sunt his omnibus graviora. Chrysostomus super Matthæum: Si mille gehennas mihi proponas, non tantum reputo sicut ab illius gloriosæ societatis jucunditate expelli, & exosum fieri creatori. O anima terribilis est gehenna, sed terribilior facies judicis irata; sed quod omnium vincit terrorem, est a beatissimæ & iucundissimæ Trinitatis contemplatione elongatio æterna. Chrysostomus. Excludi a bonis æternis, & alienum effici ab his quæ præparavit Deus diligentibus se, tantum generat cruciatum, ut si exterius nulla pœna torqueret, hæc sola sufficeret, & melius esset mille millia flam-

a Habentur hæc apud Aug. ser. 252. de temp. cir. med. to. 10. & ex Aug. citantur sup to. 6. Pharetra l. 3. c. 50. b Greg. lib. 4 Dial. c. 44. an med.

Carentia visionis divinæ excedit alias pœnas inferni.

C

flammarum sustinere, quam Christi faciem mansuetissimam iratam videre, & ab ipsa æternaliter discedere. O si Deus sic egit cum Angelo superbiente, quid de te erit terra & cinere. Ille superbivit in cœlesti palatio, ego autem in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam quam in paupere asserit? Væ mihi si tam dure & potenter est punita superbia in Angelo, qualiter in me misera & paupercula est iudicanda? O pie Jesu propter nomen tuum fac mecum misericordiam, & obliviscere superbum provocantem, respice miserum humiliter invocantem, & recognosce benignissime quod est tuum, absterge quod est alienum. Miserere Domine dum est tempus miserendi, ne damnes in tempore iudicandi. Verum est, quod conscientia mea meruit damnationem, pœnitentia non sufficit ad satisfactionem. Sed certum est, quod tua misericordia omnem superat offensionem. Hæc Anselmus in meditationibus. Augustinus in meditationibus: Noli Domine sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine si ego admisi, unde me damnare potes, tu non admisisti unde salvare soles. Gregorius in homilia: O si homo intelligere posset, quid admirationis habet: Ecce sponsus venit? quid dulcedinis. Quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias? quid amaritudinis: Et clausa est janua? O anima quid plura Prosper de vita contemplativa: Cogita quantum sit malum a facie Christi separari, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi, beatissima sanctorum omnium societate privari, mori vitæ æternæ, & vivere morti sempiternæ, profundo fluctuantis gehennæ immergi, edacissimis vermibus in æternum dilaniari, nec finiri tribulationes, incendii fluctuantis strepitus pati, barathri fumigantis amara caligine oculos obcæcari, non sentire quod illuminat, sed sentire quod cruciat. Hæc Prosper. Augustinus: Tanta erit in inferno vis doloris, ut se non ferat alias intentio cogitationis.

Aug. lib. Medit. c. 39. t. 9.

Greg. ho. 11. in Evang. circ. med.

Prosp. de vit. contempl. 3. c. 12 post. med.

Anima. Jam timore contremisco, A iam horrore deficio, dic quæso o homo ad quid valet tam lamentabilis meditatio.

Homo. O anima puto, quod prædictorum continua & devota meditatio est peccatorum medela, & ad quæque bona agenda & mala sustinenda salutifera excitatio. Bernardus in Epistola quadam: Vigilias times maxumque tuarum labores: sed levia sunt hæc meditanti flammas perpetuas. Recordatio tenebrarum facit non horrere solitudinem, si futuram de verbis otiosis cogitas discussionem, non displicebit silentium: fletus ille & stridor dentium ante oculos mentis sæpe reducti, pares tibi reddunt mattam & culcitram. Augustinus in B quodam sermone: Mens humana mundi huius illecebris, & concupiscentiis devicta, fugit laborem, expetit voluptates, & vix ad hoc ducitur, ut a se consuetudines vitæ prioris excludat. Sed cum cœperit cogitare futuri iudicii necessitatem. & pœnarum æternalium crudelitatem, voluntarium bellum indicit passionibus, mota vel spe præmii vel timore supplicii, vim facit pristinis desideriis, violenter vincere seipsam & contendit. Hæc Augustinus. Unde versus.

Bern. ep. 1. ad Robert. nepot. post. med.

O felix mortale genus, si semper haberet.
Æternum præ mente bonum, finemque timeret.

C

Caput IV.

Quomodo anima per mentale exercitium debet radium contemplationis convertere ad superiora, ut cognoscat & sapiat cœlestis gaudii inæstimabilem pretiositatem, ineffabilem deliciositatem, & interminabilem æternitatem.

Anima.

JAm nunc o homo me miseram in hac lacrymarum valle proiectam satis terruisti, licet non infructuose docuisti. Miserere etiam nunc mihi miseræ, & faciam sicut dudum promisisti. Propone paululum de felicitate perpetua, si forte valeam ex hoc capere aliqua mentis solatia, quia

De cœlesti gaudio.

quia alternis uti delectabile est, quia secundum Augustinum sive plectendo, sive ignoscendo, sive deterendo sive consolando semper bene agitur, ut vita hominum corrigatur. Attende homo: quam generosus est animus hominis, sæpe facilius ducitur levibus, & blandis, quam terribilibus & adversis, sæpe magis allicitur promissis & consolatoriis, quam cogatur minis & terroribus. Unde soror nostra sponsa trahi cupiebat odore cœlestium unguentorum, sapore divinorum charismatum, & sic cum sponso currere, & viam mandatorum jam non ex timore, sed amore delectabiliter adimplere.

Cant. 1.

Homo. O anima verum esse profiteor, quod loqueris, sed heu multi sunt, qui Deum nolunt imitari in prosperis. Unde necesse est eos deterreri in adversis. Multi enim sunt, qui divina charismata, vel propter cæcitatem non intelligunt, vel propter negligentiam vanis occupationibus perdunt. Unde, ut æstimo, Deus ex suæ infinitæ bonitatis immensitate semper paratus esset magis consolationibus fovere, quam asperitatibus terrere, si homines æque dispositi essent, ut suam divinam consolationem reciperent. Quæ adeo pretiosa & delicata est, quod nullo modo decet vel expedit, ut indifferenter omnibus tribuatur. Tu ergo si post hæc tibi proposita ad hanc aspiras, vide quod habeas purgatum intellectum, & bene dispositum affectum: quia, secundum Augustinum, summum bonum nonnisi purgatissimis mentibus cernitur: & puto quod multo minus, non nisi valde bene dispositis affectibus degustetur. A multis enim in hac vita valde limpide speculatur, a quibus etiam minime degustatur. Unde idem Augustinus: Fac me Domine precor degustare per affectum quod intelligo per intellectum: fac me sentire per amorem, quod sentio per agnitionem.

Habentur hec apud Anselmum de meditatione redempt. human. c. 7.

Anima. Dic quæso o homo, quæ debent dispositiones in affectu & intellectu præcedere, ut vel saltem ad modicam mentis ebrietatem valeam cœlestem dulcedinem contemplando degustare? Jam enim dudum in speculatione mentem exercitavi, & heu adhuc numquam, ut timeo, vel modicam stillam illius cœlestis dulcedinis sensi. Multa de sanctorum vita & conversatione legi multa de natura, de operationibus, & ordinibus Angelorum, nonnulla etiam legi de inæstimabilis divinitatis unitate, de incomprehensibili divinitatis Trinitate, plura de beatorum omnium inæstimabili felicitate: & quando prædictis toto studio mentem occupavi, heu adhuc jejuna & famelica permansi, & semper cum beato Augustino clamavi: Fac me, clementissime pater, gustare per affectum, quod sentio per intellectum, & tamen non profeci. Sæpius etiam longo studio fatigata, & mihimetipsi irata clamavi cum Propheta, expectando micas quæ cadunt de mensa dominorum, in aula cœlica: Usquequo Domine oblivisceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam a me? Quia & si me indignam ad manducandum filiorum panem judicavi, manducare saltem micas minutissimas decidétes cum magno desiderio expectavi. Sed heu, ut frequentius aperto ore inhians in vacuum laboravi.

Ibi ex Ansel.

Psal. 12.

Homo. O anima, prædicta, quæ lamentabiliter es conquesta, accidunt ex duplici causa. Aliquando ex valde pia & salutifera divinæ bonitatis dispensatione. Unde Gregorius in moralibus: Differre solet pater pius voces petentium ad tempus, ut desideria crescant, & eo magis exaudiantur ad meritum, quo citius non exaudiuntur ad votum. Item in homilia: Sancta desideria ex dilatione crescunt, si autem ex dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Deus enim quamvis per pietatem est clementissimus, tamen aliquando contingit, ut hoc quod libentissime tribuit, protrahat, ut discas magna multum & ardenter desiderare, & adepta solicitius cum gratiarum actione conservare. Aliquando etiam beneficium protrahit ex postulantis inordinata dispositione. Bernardus: Errat omnino si quis illam cœlestem dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum huic venenoso gaudio, charismata illa Spi-

Greg. lib. 20. Mor. c. 21. circ. fin. Idem hom 25. in Euang. longe ante med.

Ber. ser. 6 de Ascens. Dom. post med.

Spiritus sancti hujus sæculi illecebris misceri arbitratur. Sed jam o anima ne diutius te protraham, nec amplius te per expectationem affligam, purga intellectum a vanis & inutilibus phantasiis, a naturalibus & curiosis rationibus, ab extraneis & scientificis occupationibus. Purga etiam affectum a culpa, a culpæ sequela, a culpæ occasione vel causa: Erige rationem, dilata & expande affectionem, intra in gaudium Domini, quod nec oculus in hac vita perfecte vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Exardesce igitur o anima nima amore, & desiderio supernæ vitæ sanctorum, ubi est actio non operosa, requies non desidiosa, ubi vita sine defectione, laus divina sine cessatione. Hæc Augustinus. Bernardus: Gaude igitur, & exulta, ac mercedem laboris tui considera, quæ revera est tam multa, quod non potest numerari, tam magna, quod non potest mensurari, tam pretiosa quod non potest æstimari, tam copiosa quod non potest terminari.

1. Cor. 2. e Mat. 25. b.

Anima. O homo multa jam dixisti in genere, dic quæso per singula in specie, quia magis intelligimus quæ specialiter distinguuntur, quam quæ generaliter exprimuntur.

Ex Ansel. lib. de simil. c. 71.

Homo. O anima quid dicere valeo? cum futurum gaudium aspicio: Jam pene præ admiratione deficio, quia gaudium erit intus & extra, subtus & supra, circum & circa. Gaudebis igitur in omnibus, gaudebis de omnibus. Gaudium tuum, ut puto, præfiguratum est in Apocalypsi per illam mulierem beatam, quæ amicta fuit Sole, & Luna sub pedibus ejus, & corona duodecim stellarum in capite ejus. Mulier ista, ut æstimo, est anima beata, æterni regis filia, sponsa, & regina. Filia per naturæ creationem, sponsa per gratiæ adoptionem, regina per gloriæ collationem. Hæc bene dicitur amicta sole, quia decorata splendore claritatis deificæ, coronata dignitate felicitatis æternæ. In qua felicitate ob specialem decorem sunt duodecim gaudia, per duodecim stellas figurata, per quæ decoratur, & ornatur felicitas superna. Hæc gaudia debes tu o anima quotidie devota mente transcurrere, & nullam præsentis miseriæ, & incolatus consolationem quærere, & spe illius gaudii omnem tribulationem vitæ præsentis patienter, & gaudenter sustinere. Beda: O anima non turberis, si mali in hoc mundo florent, & tu pateris, ipsi gaudent, tu perturbaris: Mali heu nihil habent in cœlesti gaudio: nec cures tu, si nihil habueris in hoc sæculo. Sed spe illius gaudii quo tendis, quidquid in via adversitatis occurrit, affectus tuus gaudenter, & patienter sustineat. Hæc Beda. Bernardus: O anima si te aliquando delectant mundana gaudia, falsa hujus sæculi gloria, brevis & caduca potentia, illic mentem evoca, & omnia reputabis ut stercora. Hieronymus: Curre igitur o anima non passibus corporis, sed affectibus & desideriis, quoniam non solum Angeli & Beati, sed & Angelorum & Beatorum Dominus & Magister te expectat. Expectat te Deus pater tamquam filiam dilectissimam, Deus filius tamquam sponsam dulcissimam, Deus Spiritus sanctus tamquam amicam sibi gratissimam. Expectat te Deus pater, ut heredem universorum bonorum te constituat, Deus filius ut te fructum suæ nativitatis, & pretium sui pretiosissimi sanguinis Deo patri offerat, Deus Spiritus sanctus, ut suæ æternæ beatitudinis & dulcedinis participem te faciat. Expectat te illa beatissima omnium cœlestium spirituum æterni regis familia, ut te in suum collegium suscipiat. Tu ergo ipsorum societatem super omnia desidera. Cum magna verecundia illuc venires, si eam in hac lacrymarum valle non amasses. Quoties ergo te vana hujus sæculi delectat ambitio, quoties videris in hoc mundo aliquem gloriosum, statim ad cœlum mente transgredere, & esse incipe, quod futura es. Revera æstimo o anima si hæc cœlestia gaudia jugiter in mente teneres, de hoc exilio quodam suburbium cœlestis regni construeres, in quo illam æternam dulcedinem quotidie spiritualiter prælibando degustares. Quia cum aliquid æternum mente capimus, jam non in hoc mundo

Apoc. 12. a

Hæc habet Bern. in med. c. 6. cir. med.

sed

sed in cœlo habitamus. Augustinus: Tanta est o anima vis tuæ dilectionis, quod ibi verius habitas, ubi per contemplationem amas, quam ubi per essentiam amas. Bernardus: Hoc est charissima anima regnum Dei, quod intra nos est, quod heu miserabiliter negligimus, cum foris ad inania & vana fusi sumus. Gregorius: Fusi sumus foras, de regno Dei quod intra nos est nihil curantes, foris quærimus consolationem de rebus vanis & insaniis falsis, ita quod jam religionis antiquæ devotionem amisimus, adeo quod nec speciem ipsius retinemus. Tu ergo o anima æterni regis filia, audi mente devota, & inclina aurem tuam ad sancta, & salutifera consilia. Vide per contemplationem cœlestis regni consolationem, obliviscere per contemptum & detestationem populum tuum, & domum patris tui, hoc est mundum, diabolum, teipsam, & omnem vanam ambitionem. Vide igitur & devota mente pertracta qualiter illi divini, & cœlestes spiritus, qui præsentis vitæ & miseriæ periculum evaserunt, quamvis ab illius æterni solis splendore se numquam possint avertere, aliquando tamen radium suæ contemplationis convertunt ad inferiora, aliquando ad superiora, aliquando ad interiora, aliquando ad exteriora. Convertunt, inquam, ad inferiora, & gaudent ex triplici causa. Primo quod tam impios, horribiles & crudeles hostes per divinam potentiam superaverunt. Secundo quod omnes defectus & peccata, vel per divinam sapientiam vitaverunt, vel jam dudum commissa correxerunt. Tertio quod tam lamentabiles & interminabiles cruciatus æternos, per divinam clementiam evaserunt. O anima quanto putas gaudent quotidie, gaudio quando tot vident a carne, & mundo, & diabolo superari, tot tam diversis peccatis, de quibus numquam merentur veniam, inquinari, tot æternaliter sine fine damnari? Revera tunc puto quod de morte transisse ad vitam, vitæ duplicat gaudium. O Domine Deus si nunc tam grave periculum est in bello, quantum tunc erit gaudium de triumpho, cum post devictum triumphatumque mundum, submerso impio Pharaone & exercitu ejus in mari rubro, tenent omnes electi tympanum, cum Maria psallentes, & cantantes, laudantes & benedicentes Dominum una voce dicentes: Cantemus Domino, gloriose enim, & cetera. Tunc constituentur duo Cherubim, hoc est duo chori electorum, scilicet innocentes & pœnitentes, clamantes alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. Sanctus Deus pater, qui nos a mundo, a carne & diabolo tam potenter liberavit. Sanctus Deus filius, qui nos a pœna & a culpa tam sapienter justificavit. Sanctus Deus spiritus sanctus, qui nos tam clementer ab æternis tormentis præservavit. Plena est omnis terra gloria ejus, qui nos de mundi miseria ad cœlestis regni gaudia evocavit. O anima qualis tibi erit dies illa, cum ad hanc felicem choream fueris assumpta, & cum omne tormentum tibi, si pie vixeris, si patienter sustinueris convertetur in æternum iubilum? Tunc de omnibus his laudabis Dominum Deum tuum labiis exultationis, dicens: Misericordias Domini in æternum cantabo. Quo cantico secundum Augustinum de civitate Dei, quod cantatur in laudem gloriæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit iucundius illi civitati, & nihil dulcius. Tu ergo cum tentationibus probaris, cum persecutionibus impugnaris, cumque in hoc sæculo variis tribulationibus infestaris, tunc mente in cęlum evola, & cogita quod hoc non est aliud nisi æterni gaudii materia. Et tunc secundum Gregorium: consideratio præmii minuit vim flagelli. Gregorius: Si consideremus quæ & quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia quæ sunt in terris; & revera non tantum bona quæ delectabiliter possidemus, verum etiam mala quæ lamentabiliter sustinemus. Bernardus: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad præteritam culpam quæ dimittitur, ad præsentem gratiam quæ immittitur, & ad futuram gloriam

Hæc habentur apud Bern. in Apolog. ad Guil. em. Abb. ege post. med.

Boeti de evasione periculorum, gaudent.

Exo. 15. a

Isa. 6. b

Psal. 88. a

Aug. lib. 22. de civ Dei c. 30. a. fi.

Greg. hom. 37. in Evang. in princ.

Bern. ser. de convers. ad Cler. ca. 30.

am

am quæ promittitur; quam tu tunc o anima cum gaudio possidebis, quando perfecte intelliges, quod in mundo cum tanto periculo quo plerique opprimuntur, vixisti: quod dæmonis fallaces astutias, quibus multi decipiuntur, vicisti: quod cruciatus æternos, quibus innumerabiles affliguntur, evasisti.

Anima. O homo quam sana & salutifera est hæc tua consolatio: quia cum hæc, quæ proposuisti, adverto, consolationem ex spe non modicam recipio. Sed o Domine Deus, quid putas tunc erit, cum hoc quod modo spero veraciter possidebo?

Gaudium est beatis de his quæ juxta se sunt.

Homo. O anima modica sunt hæc, quæ audisti, imo comparative quasi nulla sunt quæ mente percepisti: sed parum per oculos mentales erige, & quanta sint gaudia quæ de his percipias, quæ iuxta te sunt devota mente frequentius volve, & revolve. Attende igitur & considera locum speciosum, quem tibi divina sapientia ædificavit. Attende & victum deliciosum, ornatum curiosum, thesaurum pretiosum, quem tibi æterna potentia congregavit. Attende etiam collegium famosum, cum quo de divina clementia mens tua æternaliter exultabit. O anima attende quam gloriosa, quam famosa, quam gaudiosa est ista domus Dei, civitas cœlestis, mansio secura, patria continens totum quod delectat. Bernardus: Attende quam clara, quam luminosa, quam splendida est civitas, quæ non indiget Sole neque Luna ut luceant in ea, sed ipse Dominus Sol justitiæ, candor lucis æternæ, lux ejus est, & lucerna eius agnus. O anima attende quam alta, & quam spatiosa, quam pulchra & speciosa, quam decora & famosa est civitas illa, quam ornat per seipsam Trinitas beatissima. O quam gloriosa dicta sunt de te civitas Dei! O Israel quam magna est Domus Dei, & ingens locus possessionis eius. O anima illic contemplare tabernacula Patriarcharum, & Prophetarum: habitacula Apostolorum, & Martyrum; Cænacula Confessorum, & Virginum: palatium cœlestium spirituum: thronum illum beatissimæ

Psal. 86 Baruch. 3

A Trinitatis speciosissimum. O anima hic licet sis corpore, illic esto mente. O anima transvola omnia, scrutare omnia, visita omnia, ingredere cuncta per ordinem ostia, quousque pervenias ad summi regis palatia, ibi sit mens, & hic erit requies. Augustinus: O anima in illa sancta civitate libenter studeas morari, libenter conversari, quia ibi est vita sine morte, iuventus sine senectute, lux sine tenebris, pax imperturbabilis. Sedebit enim populus meus in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta dicit Dominus. Secundo attende victum deliciosum, ornatum curiosum, & thesaurum pretiosum. Et quis erit ibi noster cibus, nisi ille agnus beatissimus, ille mundus & immaculatus Jesus Dei patris & Mariæ virginis filius, de quo sanctis spiritibus ministrabuntur ad omnem sufficientiam fercula nobilissima? Nobilia quidem de ipsius candidissima humanitate, sed nobilissima de ipsius superbeatissima divinitate. Tunc enim anima ingredietur ad degustandum divinitatem, egredietur ad prælibandum humanitatem, & pascua inveniet ad omnem sufficientiam, & satietatem. O quam beati sunt qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt. Ibi etiam beata vita in suo fonte bibitur. Unde huic humanæ vitæ aliquando aliquid aspergitur, unde in tentationibus fortiter, iuste temperanter, & prudenter vivatur. Ibi semper adhæret sitis atque satietas: sed miro quodam modo longe aberit a siti necessitas, longe a satietate fastidium. Inebriabuntur enim ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos secundum Prophetam.

Isa. 32.

B

C

Psal. 35.

Anima. Et quando hoc?

Homo. Æstimo, quod non prius, nisi quando ille deliciosus pincerna summi regis, splendor paternæ gloriæ, candor lucis æternæ, figura divinæ substantiæ, speculum sine macula claritatis Deificæ, in quem desiderant omnes illi cœlestes spiritus prospicere, quando talis & tantus præcinget se, & faciet illos discumbere, & personaliter transiens ministrabit illis. O anima hic devota

mente

tmente pertracta, quantum gaudium tunc illi boni spiritus concipiant ex am stupenda dignitate ministrantis, ex tam miranda charitate cuiuslibet sodalis convivantis, ex ferculorum deliciosa opulentia, ex ministrorum numerosa frequentia, ex musicorum instrumentorum, & aliorum psallentium, cantantium, & laudantium regem gloriæ, Deum Dei filium dulcisona resonantia. In hoc cœlesti magno stupendoque convivio audies Angelos iubilantes, Virgines chorizantes, Apostolos psallentes, Martyres tripudiantes, Confessores laudantes, Patriarchas & Prophetas iucundantes, omnes sanctos & electos Dei unanimiter Patrem & Filium & Spiritum sanctum collaudantes, & una voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo regnant omnes sancti, amicti stolis albis, sequuntur agnum quocumque ierit. O anima quomodo poterit ibi esse alicuius boni carentia, cum tam varia sit exultanti materia? Tunc enim aperientur omnes illi thesauri æterni Dei, ubi sunt omnes divitiæ, omnes deliciæ absconditæ, & dabuntur a Patre æterno unicuique varia, & pretiosa munera secundum sua merita. Sed si adhuc non sufficiunt ista, attende tertio iuxta te omne sanctorum collegium, quod ad beatitudinis tuæ cumulum divina clementia congregavit. Quia nullius boni sine socio iucunda est possessio, sicut dicit Seneca *. Vide igitur quæ lingua; vel quis intellectus capere sufficiat, illius supernæ civitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris semper assistere, & ab illorum beatissima societate numquam discedere, sed continue cum ipsis & de ipsorum gaudio in perpetuum exultare. Anselmus: Ibi enim a singulis omnes, ibi ab omnibus singuli cognoscentur. Nec quemquam latebit, qua patria, qua gente, qua stirpe, quis conditus sit. Ibi enim erit tam beata & perfecta charitas iustorum, quod unusquisque intantum

Isa. 6

Apoc. 7

*ex Greg. hom. 17 Ev. statim a princ.

Ans. lib. de simil. c. 19

A diliget proximum suum, quantum seipsum. Ex quo illud inæstimabile sequetur bonum, quod ita unusquisque de alterius bono vel gaudio gaudebit, sicut de merito proprio. Proinde cum inenarrabilis sit numerus electorum, quis putas narrare sufficiat gaudium beatorum? Hæc gaudia Hieronymus in fine Epistolæ ad Eustochium describens, ait. Egredere quæso o anima paulisper de papilione corporis, ut in ostio stans, videas Dei gloriam pertransire, & præsentis laboris ante oculos pinge mercedem. Qualis tibi erit dies illa, cum Maria mater Domini tibi occurret choris comitata virgineis, cum & ipse sponsus tibi cum omnibus sanB ctis occurret, dicens: Surge veni, propera amica mea, formosa mea, columba mea, iam hiems transiit, imber abiit & recessit. Tunc Angeli admirabuntur de tua gloria, dicentes: Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum, videbunt de filiæ Sion & laudabunt. Tunc illa centum quadraginta quatuor millia in conspectu throni, & seniorum tenebunt citharas, & cantabunt canticum novum. Tunc secura in amplexus sponsi evolabis, cum iubilo, dicens: Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam. Hæc Hieronymus. Tunc filii septem illius magni Job, qui est magnus suC per omnes qui morantur in illa beata orientalium regione, facient convivia singuli in die suo, & invitabunt sororem suam, te consortem suam. Et dicent tibi singuli: Bibe nunc, & accumbe cum iucunditate; quia invenisti gratiam coram summo principe. Et tu respondebis cum gaudio, dicens: Bibam & hilarior fiam, quia magnificata est hodie anima mea præ omnibus diebus vitæ meæ. O vere inaudita magnificentia, o læta & iucunda excelentia, qualis numquam in hoc sæculo est audita. Puto quod omnis huius mundi pompa, in comparatione illius esset vix modica gutta.

Hier. ep. 22 ad Eust. cir. fin.

Cant. 2.

Ibid. 8

Apoc. 14

Job. 1

Judit. 12.

Ibid.

Anima. O homo jam diu tacui, jam satis silui, quia quæ proposuisti cum delectatione & admiratione nimia

mia audivi, ne quæso procrastines: quin specialius, & perfectius mihi aliqua de hoc cœlestium spirituum convivio exponas: quia jam prius aliquid de hoc tetigisti, sed nimis cito pertransisti.

Homo. O anima malim iterum quod petis sub silentio pertransire, quam vel modicum de hoc cœlesti secreto mysterio ore polluto proferre, vel etiam mente concipere: quia qui adhuc mundialibus & supervacuis rebus heu sæpius implicor, qui adhuc heu, heu siliquis porcorum cum ceteris mundanis pascor, de tam familiaribus divinorum spirituum operationibus loqui erubesco nimium, & confundor. Quia tamen piis votis tuis contraire non valeo, B proponam breviter quod aliquando spiritu instigante, licet indignus, mente pertracto. Quamvis enim in illa cœlesti aula, ubi plenitudo omnis boni in omnibus illis perfecte est, quamvis ibi pro differentia meritorum, quædam data sint excellenter, nihil tamen ibi ex inæstimabilis divinæ pietatis immensitate secundum Gregorium, possidetur singulariter. Omnia enim sunt omnibus communia, propter eum qui in omnibus est omnia. Ibi enim Virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito, ibi vidua exultabit de castæ Virginitatis privilegio, ibi Confessor de martyris jucundabitur triumpho, ibi Martyr tripudiabit de Confessorum bravio, C ibi Propheta laudabit de Patriarcharum pia conversatione, ibi Patriarcha exultabit de Prophetarum fide & speculatione, ibi Apostoli & Angeli gaudebunt de merito omnium inferiorum, ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria, & corona superiorum. Ex illius enim sanctæ & perfectæ charitatis vinculo fiet, ut unusquisque habiturus sit in alio, quod non habet in merito proprio.

Anima: O homo nec adhuc ista sufficiunt mentem meam quietare, unde quæso ne pertranseas, mihi aliqua de dicto convivio sigillatim & distincte explicare.

Homo. O anima nosti quod balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei A resonamus. Nec mirum, quia cum simus minus idonei ad intelligendum, quomodo possumus esse sufficientes ad loquendum, cum illa quæ lippientibus oculis contemplamur, verius sint quam intelligantur, & verius intelligantur, quam exprimantur vocibus? Ne te tamen diutius protraham, audi quid imaginatur intellectus, licet adhuc modicum degustet affectus. Puto quod illi septem filii de quibus supra memoravimus, sunt omnes Sancti & electi Dei spiritus, altissimi Patris heredes & filii. Hi convivia unusquisque in die suo faciunt, quando se invicem cœlestibus gaudiis pascunt. In quo de meritis suis singuli juxta datam sibi gloriam fercula deliciosissima propinant. Primo igitur die primogenitus, hoc est ille cœlestium Angelorum numerus, qui non immerito nomine primogeniti censentur, quia priores sunt creatione & conversatione ad Deum, a quo numquam recesserunt per peccatum, sed semper immobili charitati summo Patri adhæserunt, & illam hæreditatem beatam cœlestis regni priores omnibus feliciter possederunt. Isti tibi o anima in suo convivio, diversa fercula deliciosa, & pretiosa propinant, cum unusquisque ordo de eo quod excellentius recipit in munere gaudia specialia administrat. Jam cogita o anima quale tibi ferculum propinant illi summi spiritus Seraphici ordinis, qui adeo vicini illi æterno Patri sunt, quod inter ipsos, & hunc nulli alii spiritus intersint, qui ipsum immediatius contemplentur, & suis bonis æternis perfectius perfruantur. Quale putas hi propinant gaudium de naturæ nobilitate? quale de contemplationis claritate? quale de dilectionis sinceritate? Hi ergo, hoc est illi qui Seraphim nominantur, illud convivium ornant ardore divinæ charitatis: Cherubim splendore æternæ claritatis: Throni æquitate divinæ majestatis. Hoc etiam convivium glorificant Dominationes, de dominandi super alios, excellentia: Principatus de præcipiendi inferioribus magnificentia: Potestates de auctoritate malignos spiritus

Septem ordines beatorum convivia spiritualia ad invicem in cælo faciunt unusquisque in die suo

ritus coercendi. Hoc etiam convivium honorificant Virtutes, de potestate miracula faciendi; Archangeli de dignitate superiora nunciandi: Angeli de agilitate minora divinæ scientiæ secreta revelandi. Ecce vides qualiter singuli mentes beatorum cœlestibus gaudiis pascunt, de his quæ ab illa supercœlesti aula specialius in munere receperunt. Nec est mirandum, quod hæc prædicta, & multa alia nobis adhuc occultiora illi spiritus in nostrum gaudium nobis propinant, qui tam fideliter, tam dulciter, tamque amicabiliter in hac lacrymarum valle nos custodiunt, & nos ad illam æternam beatitudinis patriam perducere totis viribus concupiscunt. Bernardus: O si quis cognosceret quemadmodum præveniunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistrarium, videret itaque qua cura, quove tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, præsunt procurantibus. O anima jejuna & famelica, si vel unam micam quæ cadit de mensa dominorum in hoc convivio, apertomentis ore, sumpsisses, puto quod hanc peregrinationem ex tunc impatienter tolerares. Puto si unam guttam de vino potus ejus degustasses omnem hujus sæculi dulcedinem fastidires. Gregorius in moralibus: Si cor semel in cœlestibus, per degustationem sabaudi, figitur, quam abjecta sint mox cernitur, quæ prius alta videbantur. O anima mea dilecta de convivio Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum qui per alios sex filios non immerito præfigurantur, quid dicam? Unusquisque enim horum tot in convivio suo proponet fercula, quot habuit in hac vita virtutum opera. Et quis enarrare sufficiat, quantum gaudium quælibet anima suscipiat de sanctorum Patriarcharum humilitate perfectissima, de Prophetarum credulitate certissima, de Apostolorum charitate ardentissima, de Martyrum stabilitate, & patientia, de Confessorum pietate, & clementia, de virginum

Ber. l. medit. c. 6 ante med.
Psal. 67.

castitate, & continentia? & idem Gregorius, in homilia super Lucam ait: Revera vox & lingua deficit: quia intellectus capere non sufficit, quantum sit gaudium, Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo metu mortis affici, de incorruptionis perpetuæ munere lætari. O quam felix tibi erit hæc dies, cum fueris ad hæreditatem patrum tuorum reversa, & quando ab his omnibus cum inæstimabili gaudio fueris assumpta, & ad thalamum summi regis feliciter introducta. Jam nunc expergiscere o anima mea, & cum illa famosa Regina Sabba, cum aromatibus virtutum, cum thesauris bonorum operum, cum magno apparatu cœlestium desideriorum, ascende in illam Hierusalem supernam, & contemplare diligenter singula, & vide quod veritas vincit famam, gloria exuperat omnem loquelam: si forte posses ex admirationis magnitudine extra humanum spiritum rapi, & miro quodam modo in divinum spiritum transformari, ut dicere inciperes cum Petro in magno cordis jubilo: Domine bonum est nos hic esse, hic pater, hic soror, hic frater, hic patria. O Domine permitte nos hic esse, & ab hinc numquam discedere. Ambrosius: Fugiamus o anima in patriam verissimam, quia illic est patria ad quam conditi sumus, pater a quo creati sumus, ibi est Hierusalem civitas superna, quæ est mater nostra. Anselmus: O anima tantus debet esse in hac vita mortali amor & desiderium perveniendi ad illud ad quod facta es, & dolor, quia nondum ibi es, & timor ne forte non pervenias, ut nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his quæ tibi, aut auxilium aut spem conferunt perveniendi.

Greg. hom. 71 in Ev. non longe a princ.
Mat. 17
Ansel. l. 1 cur Deus homo cap. 20

Anima. O homo dum hæc aliquando cogito, dum hæc tacita mente mecum pertracto, quid est quod tunc interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco, & ardesco? Augustinus Intromittor aliquando mentaliter in affectum multum

Aug. conf. l. 10 c. 40 tom. 2

rum insuetum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficeretur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recidivo onerosis ponderibus, & resorbeor solitis curis. Hic esse valeo, nec volo, illic esse volo, nec valeo, miser utrobique. Hæc Aug.

Homo. O anima puto quod hæc cœlestia sine prælibatione dulcedinis, non possunt a digne dispositis cogitari. Sed nescio quid tunc erit, cum perfecte in re sine ænigmate poterunt degustari. Unde non est mirandum si prælibatio talium tibi incutit hujus exilii tædium: quia nihil est magis amarum, quam postquam anima consuevit talium prægustatione consolari, si rursum inceperit mundialibus & transitoriis implicari. Hinc est, quod anima laborat, fatiscatur & anxiatur, illic semper esse cupit, nec sufficit: hic esse non compellitur, sed illic post hoc quod prægustatum est, ascendere conatur. Jam enim gustato spiritu, desipit omnis caro. Vidisti gaudium beatorum de his quæ sunt infra te, & de his quæ sunt juxta te, vide modo, si potes, quale gaudium futurum sit de his quæ sunt intra te. Homo enim remunerabitur in corpore & in mente, & istorum æterna & inseparabili unione. Corpus enim nostrum ex quatuor elementis est compositum, unde quatuor dotibus erit remunerandum. Terra tunc habebit æternam immortalitatem, a qua omnimodam impassibilitatem, aer maximam agilitatem, & ignis splendidissimam claritatem. Tunc fulgebunt justi sicut Sol, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Abstergent enim Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, & jam non erit amplius, neque luctus neque clamor, neque dolor sed sempiterna pax & lætitia. In sempiterna patria corda beatorum sibi invicem in claritate lucent, & puritate translucent, ibi uniuscujusque vultus aspicitur, & conscientia penetratur, ibi uniuscujusque mentem ab alterius oculis corpulentia non abscondit. Etiam mox ubicumque voluerit animus, statim aderit corpus. Augustinus: Sicut enim nunc animus perfectissime obedit Creatori, ita corpus promptissime obtemperabit suo motori. Tam potentem tunc faciet Deus animam, ut ex ejus beatitudine plenissima redundabit in corpus, ex qua redundantia habebit vigorem impassibilitatis, splendorem claritatis, aptitudinem subtilitatis, promptitudinem agilitatis. Ibi erunt omnes sensus in actibus suis. Ibi enim oculus videbit decorem speciosissimum, gustus sentiet saporem dulcissimum, olfactus odorabit odorem suavissimum, tactus amplexabitur objectum deliciosissimum, auditus immutabitur per sonum jucundissimum. Ibi enim cum mens in exultationem rapitur, lingua in canticum laudis elevatur.

Gaudium est beatis de his quæ sunt intra se.

Sap. 3

Apoc. 21

In cælo omnis sensus corporis erit in actibus suis.

B

Anima. O homo audivi jam dudum mirabilia, & cum vera sint hæc omnia, quid aliud est hæc præsens vita, nisi quædam mortis umbra.

Homo. O anima bene dixisti, quia temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis: Ergo sancti viri, quia hujus vitæ brevitatem indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes vivunt: & ideo se non mansuros sollicitius præparant, quia hæc omnia nihil esse ex fine semper pensant. Sed carnales mentes, ideo præsentia diligunt, quia vita carnis quam fugitiva sit minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus ejus aspicerent, hanc etiam prosperam minime amarent. Hæc Gregorius. Augustinus: Recedat ergo o anima amor vitæ præsentis: & accedat arbor vitæ advenientis, ubi nulla adversitas turbat, nulla necessitas angustat, nulla molestia inquietat, sed perennis lætitia regnat, & considera quanta sit felicitas futura, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus: Ibi enim nulla desidia cessabitur, nulla indigentia laborabitur, ibi esse nostrum non habebit mortem, nosse nostrum non habebit errorem: amare nostrum non habebit offensionem. Ibi aberit omnis tæditas, omnis corruptio, omnis de-

Hæc ex Greg. hom. 37 in Ev. fere in fi.

C

Ex Aug. l. 22 de Civ. Dei c. 30

for-

formitas, omnis infirmitas. Ibi cœlum novum & terra nova. Ibi similes erimus Angelis Dei, & si non ætate, certe tamen felicitate. Augustinus: O anima mea illam vitam amplecti debueras, ubi vita sine morte, juventus sine senectute, gaudium sine tristitia, pax sine discordia, voluntas sine iniuria, lux sine tenebris & regnum expers commutationis. Secundo considera quantum gaudeat animus; cum resumpserit tale corpus quale iam audisti, non tale quale cum ingenti dolore sustinuisti, & cum magno certamine devicisti, de quo sæpius tibimet impatiens patienter, & irascens clementer dixisti. Quis liberabit me de corpore mortis huius? Non certe tale, sed iam perfecte obediens & spirituale. Tale, inquam, tale quod tibi erit in contemplationis solatium, & in æternæ felicitatis augmentum.

Aug. ser. 49 ad frat. in erem. ante med. t. 10.

Rom. 7.

Anima. Mirari super omnibus his non sufficio, & præ magnitudine admirationis in inquisitione deficio. Unum tamen scire desidero, qualiter mens quæ in præsenti vita a Dei contemplatione per corpus deprimitur, illic per ipsum in contemplatione adiuvetur?

Homo. O anima scrupulosa est hæc quæstio, sed quia magis est curiosa quam devota, brevis erit responsio. Anima enim tunc virtute divina alium habebit modum intelligendi quam in via. Nec est mirandum, si pro loco & tempore mutat ordinem, & modum agendi creaturæ, qui est fabricator, & auctor universalis naturæ. In rebus enim mutabilibus, tota ratio facti est potentia facientis. Certum est quod ipsa anima numquam resumptionem corporis appeteret, si resumptum etiam quantumcumque gloriosum, divinam contemplationem impediret. Nam secundum Augustini sententiam & doctrinam, ipsæ animæ sanctæ desiderant corporis resumptionem, & expectant iteratam unionem ipsius, quia ipsarum sine eo non potest consummari felicitas, nec satiari iucunditas. Adeo enim vehementer anima corpus desiderat, quod etiam aliqualiter eius contemplationem impedit, & retardat. Bernardus: O misera caro fœtida, & fœda, unde tibi hæc gloria, quod animæ sanctæ quas Deus insignivit sua imagine, proprio redemit sanguine, te desiderant, te expectant, & ipsarum sine te non potest consummari felicitas, nec satiari iucunditas. Augustinus: Cum anima hoc corpus non animale iam, sed spirituale receperit, perfectum habebit suæ naturæ modum, obediens & imperans, vivificata & vivificans. Tunc ineffabili felicitate fiet, ut sit ei gloriæ quod fuit sarcinæ. O anima cogita qualis tibi tunc erit gloria, cum induta fueris illa stola nova & splendida, ornata omni lapide pretioso, id est, corpore glorificato. In quo tot fulgebunt gemmæ pretiosissimæ, quot sunt virtutes in mente. Tunc ut puto cantabis cum iubilo canticum novum Domino dicens: Gaudens gaudebo in Domino quia induit me vestimento salutis & indumento lætitiæ circumdedit me, & tamquam sponsam decoravit me corona. Adhuc vide tertio & diligenter considera si tantum gaudium habitura sis quasi de alieno, quid hauries de proprio? Quis enim enarrare sufficeret, quantum gaudium, quam stupendam gloriam, quam incomprehensibilem laudem & magnificentiam habitura sis a Trinitate beatissima, a sanctorum omnium societate felicissima, pro eo quod corpus tuum proprium tam viriliter per clypeum castitatis & continentiæ superasti: pro eo quod mundum tam potenter per gladium paupertatis & indigentiæ debellasti: pro eo quod diabolum pessimum tam fortiter per hastam humilitatis & obedientiæ effugasti: pro eo quod omnibus cogitationibus, omnibus affectionibus, singulis inordinatis moribus, tam viriliter restitisti? Adverte si potes, quantam laudem habitura sis ab his, quos verbo & exemplo ad meliora provocasti. Et quid plura? pro singulis cogitationibus, locutionibus, actionibus virtuosis, specialem & æternalem laudem suscipies; & id quod tibi in te defuerit, illa cœlestis & divina beatorum societas charitate mutua adimplebit. Quia unus

Aug. l. 12 de Gen. ad lit. c. 35 tom. 3

Ber. ser. 2 in festo omn. san. non longe a princ.

Aug. Ibid. supra ubi proxime.

Isa. 61.

Quod anima quando molestiis & tribulationibus in mortali vita afficitur ad cœlestes delicias erigitur.

2. Cor. 4.

unusquisque habebit ibi in proximo, quod sibi deficit in merito proprio. O anima hæc cogita, hæc mente pertracta, cum tibi pie viventi inferuntur adversa, ad hæc mente evola, cum premit corpus, cum fremit mundus, cum insidiatur diabolus ad hæc recurre, his mentem delinire. Quia id quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum & in sublimitate æternum gloriæ pondus in nobis operatur. Sed quia revera id solum & verum gaudium est, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, cui omnis comparata aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, & postremo omne quod delectari potest molestum est, secundum Bernardum. Igitur consulo o anima, quod jam per præmissa tamquam excitata, disposita & invitata, ad auctorem tuum te convertas, & quantum gaudium ab eo illi beati spiritus recipiant diligenter consideres & advertas: quia omne gaudium propositum vel est accidentale, & ob hoc non satiat, sed excitat, ut est illud quod beati spiritus de his quæ infra vel juxta ipsos sunt, accipiunt: vel est consubstantiale, & ob hoc non sufficit & afficit, ut est illud quod de his quæ intra ipsos sunt, concipiunt. Hoc vero gaudium quod de superioribus hauriunt, solum substantiale vocatur: quia per hoc solum affectus rationalis creaturæ satiatur. Hugo de sancto Victore: Omnis jucunditas, omnis suavitas, omnis dulcedo rerum creatarum afficere cor humanum potest, satiare non potest.

Gaudium substantiale beatorum in contemplatione divinæ essentiæ consistit.

Anima. Dic quæso o homo quale & quantum sit istud gaudium? quia hoc solum desidero, hoc est quod præ omnibus concupisco, quia scio quod hæc omnia etiam si habentur sine illo, non solum non sufficiunt, sed etiam animam jejunam, famelicam, & miseram derelinquunt.

Homo. Anima tu quæris quale & quantum sit istud gaudium? Interrogavi omnia intima mea, & mihi narrare non sufficiunt. Anselmus: Si enim singula quæ prædicta sunt bona sunt & jucunda, cogita mente, quantum sit illud bonum delectabile, quod continet jucunditatem omnium bonorum in se, non qualem in rebus creatis experti sumus, sed tantum differentem, quantum differt creator a creatura. Qui tanto bono fruetur quidquid volet erit, & quidquid nolet non erit. Hæc Anselmus. Cæsarius: Beatam vitam facilius est consequi quam enarrare: cujus cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, sub antiquis perpetuisque gaudiis semper nova jucunditas, & sine timore amittendi continuata felicitas. Hæc Cæsarius. Augustinus: Præmium virtutis est qui virtutem dedit, & qui seipsum, quo nihil maius aut melius esse possit, repromisit. Quid enim aliud est quod per Prophetam dicitur. Ego ero illorum Deus, nisi ego ero, unde satientur, ego ero quæcumque ab omnibus honeste desiderantur? Augustinus de civitate Dei: Ipse est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur, hoc munus, hic affectus, hic actus, profecto erit omnia in omnibus. Hæc Augustinus: Puto tamen ne diutius te protraham, quamvis revera inæstimabile sit illud gaudium & ineffabile: æstimo tamen quod de tribus proveniat, & triplex gaudium illos beatos spiritus lætificat & delectat. Gaudent enim delectabiliter in perfecta & clarissima Divinæ claritatis contemplatione: gaudent dulciter in melliflua & suavissima Divinæ bonitatis degustatione: gaudent sempiternaliter in tranquilla & securissima Divinæ maiestatis tentione. Scis enim o anima, quod tribus viribus naturalibus præemines in tua substantia: habes enim vim rationalem, quæ non perfecte illuminatur, nisi per primæ veritatis apertam cognitionem: & vim concupiscibilem, quæ non satiatur nisi per summæ bonitatis perfectam dilectionem: vim quoque irascibilem, quæ non quietatur nisi per æternæ maiestatis securam comprehensionem. De his tribus dicit beatus Bernardus, super Cantica: Qui replet in bonis desiderium tuum, ipse futurus est rationi plenitudo lucis,

Ansel. in proslogio c. 24.

Aug. lib. 22. de civ. Dei, cap. 30. to. 5. Ezech. 37. Idem ibid.

Gaudium ineffabile beatorum ex tribus provenit, scilicet ex beatitudine trium potentiarum animæ.

Ber. ser. 11 in Cant. post med.

cis, voluntati multitudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis. Quare tristis es o anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, cum omnis error a ratione, omnis dolor a voluntate, & a memoria omnis timor recesserit, & illa successerit, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, & æterna securitas. O anima quantum putas gaudent & lætantur, qui illud æternitatis speculum iugiter contemplantur, in quo omnia præterita, præsentia & futura, quæ summæ beatitudini competunt, apertissime speculantur? Augustinus: Dum ad illam supernam lucem Patris luminum venerimus, totum quod in creaturis esse potest, intelligemus. Anselmus: Tunc iusti scient cuncta quæ Deus fecit scienda. Et quid est quod nescire possunt, qui scientem omnia vident.

Anima. Et quomodo simplicitas hoc permittit?

Habetur hic locus ex Fulgent. citatus in libro de tripl.ci habitaculo c. 6 in princ. inter Aug. opera tom. 9.

Homo. Fulgentius: Sicut per speculum vitreum trina nobis visio demonstratur, quia nosipsos, ipsum speculum, quidquid præsens est videmus: sic per speculum Divinæ claritatis ipsum Deum, & quidquid præsens est, id est, nosipsos, & creaturas alias cognoscemus.

Anima. O beata veritas, iam video, quod sine te sapere, desipere est, te vero nosse perfectum scire est.

Homo. O anima quæ naturaliter scire desideras, hoc speculum videre affecta, in illo studere & legere desidera, quia hoc semel vidisse, est omnia didicisse. Ibi revera videbitur, & reputabitur stultitia. Platonis theoria, Aristotelis philosophia, Empedoclis theoremata, Hypocratis scrutinia, Ptolomæi astrologia, &c. Quia quidquid hic de veritate intelligimus, minima pars eorum est quæ ignoramus. Sed tunc o anima videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.

Anima. Et quid videbo?

Homo. Regem cœli in decore suo. Beda: Splendor æternæ pulchritudinis est tantæ suavitatis, tantæque dulcedinis, ut etiam ipsi Angeli qui

A Sole sunt incomparabiliter clariores, eo satiari non possint. Tunc ergo afflues deliciis in stupenda Divinæ claritatis cognitione, miraberis in tuiipsius deliciosa consideratione, dilataberis in omnium creaturarum perfecta speculatione. O contemplatio stupenda & admirabilis! O consideratio deliciosa & delectabilis! O speculatio gaudiosa & ineffabilis! O quam digne dictum est de te Domine Deus meus: Melior est dies una in atriis tuis, super millia. Quia secundum Augustinum. Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta est iucunditas lucis æternæ, ut etiam si non liceret amplius in ea delectari quam unus diei hora, propter hoc solum *Psal. 83.*

B innumerabiles huius vitæ dies, pleni deliciis & circumfluentia bonorum temporalium, recte meritoque despicerentur. Tam pulchra enim est, & suavis, ut ea visa nihil amplius possit desiderari, & omnem exuperat concupiscentiam.

Anima: Est ne aliquid aliud cuius visio delectet? cuius contemplatio lætificet?

Homo. O anima quamvis hæc sola sufficeret, si nulla alia adesset, est tamen adhuc una, ut de aliorum omnium pene innumerabilium iucunda visione taceam, quæ mirabiliter omnium cœlestium spirituum mentes lætificat, & miro quodam modo nescio quo inæstimabili gaudio, om-

C nem beatam creaturam inebriat: videre scilicet illius cœlestis Reginæ Deificam claritatem, & suæ beatissimæ prolis glorificatam humanitatem. Quis o anima vel cogitare sufficiat, quantum gaudium generat, illam matrem misericordiæ, Reginam pietatis & clementiæ videre, iam non recumbentem cum parvulo vagiente in præsepio, iam non lacrymantem, circumeuntem, quærentem & dicentem: Numquid quem diligit anima mea vidistis? cum perdiderat dilectissimum infantulum in triduo, sed eum nunc inspicientem in sempiterno gaudio? Jam enim non conturbabitur, confugiens in Ægyptum a facie Herodis, quia ipse ascendit in cœlum, Herodes autem in infernum. Jam non contur-

Videre beatam Virginem super choros Angelorum exaltatam, magna est beatis materia gaudii. Cant. 3

turbatur circa plurima quæ fecerunt filio suo Judæi, quia omnia subjecta sunt ei. Jam certe non evigilantem, vociferantem, clamantem & dicentem: Quis mihi det, ut ego moriar pro te fili mi Absalon? cum staret prope unigenitum filium suum pendentem & morientem in patibulo. Jam non lamentantem lacrymabiliter, cum sibi daretur discipulus pro magistro, servus pro Domino, creatura pro creatore, quasi alienus pro unigenito & dulcissimo filio. Sed hanc quondam propter nos tam miseram tantis mœroribus plenam, tunc inæstimabiliter super omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Christo in Trinitatis superbenedictæ palatio cantantem, jubilantem, & dicentem: Tenui illum nec dimittam. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et illud: Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis adimplemini. O anima mea, mente devota pertracta, quam sit plenum omni suavitate gaudium, videre hominem hominis conditorem, fœminam omnium conditoris genitricem, fratrem nostrum quondam perditum, abjectum & despectum, nunc inventum, nunc reversum, nunc regnantem, nunc omnibus imperantem. O quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te labiis devotionis, amplectar te brachiis dilectionis, & jam me nemo despiciat, cum introduxero te in cubiculum cum dulcedine suavissimæ fruitionis? Hanc fruitionem desiderabat ille devotus Anselmus in meditationibus, quando dicebat; O dulcissime puer quando te videbo? quando ante faciem tuam apparebo? quando satiabor pulchritudine tua? quando videbo vultum tuum desiderabilem in quem desiderant Angeli prospicere? Væ animæ te non amanti, te non quærenti; quæ si mundum diligit, peccatis servit, numquam est quieta, numquam secura. Nihil quæso sine te mihi placeat, nihil dulcescat, nihil speciosum, nihil præter te arrideat pretiosum. Vilescant omnia præter te. Quod

2 Reg. 18

Cant. 3
Mat. 11
Eccl. 24

Cant. 8

A tibi est adversum, mihi sit molestum: & tuum beneplacitum sit meum indeficiens desiderium. Tædeat gaudere sine te, delectet gaudere tecum, & flere tecum. O bone Jesu si tam dulce est flere de te, quam dulce est gaudere de te. Hæc Anselmus.

Anima. O homo jam amore videndi Dominum creatorem meum langueo, ardore cernendi Jesum fratrem meum, Redemptorem meum deficio. Jam desiderio intuendi illam virginem gloriosam, matrem Redemptoris mei vulnerata ingemisco. O bone Jesu quando videbo gaudium meum, quod desidero? O quando apparebit gloria ejus quam esurio? B O quando veniet consolator meus quem expecto? O si quando inebriabor ab ubertate domus ejus ad quem suspiro? Jam gravis est mihi omnis creatura ad videndum: quia nimis incomparabiliter supereminet pulchritudo, a qua processerunt hæc omnia.

Homo. O anima expecta cum patientia, ut crescant tua desideria: quia scriptum est, modicum & non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me. Joan. 16

Anima. O modicum longum, o modicum nimis prolixum, quia etsi modica sunt merita, longa tamen sunt desideria.

Homo. O anima si longa & magna C videntur tibi tua desideria, quibus æstuas ad æternam gloriam & charitatem contemplandam: quanto putas desiderio æstuare debeas ad æternam bonitatem perfecte diligendam, & ad summam majestatem æternaliter possidendam? Si enim hæc omnia summe non diligeres, quomodo de visione gauderes? Et si bene videres & intelligeres, & tamen secura mente non possideres: quomodo beata permaneres? Augustinus: Ibi igitur vacabimus & videbimus, & amabimus: amabimus, & habebimus. Ipse enim est finis desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione in æternum laudabitur. Una enim ibi & tota virtus est amare quod videas, & summa felicitas

Aug. l. 22 de civ. Dei c. 30 & 5

æternaliter habere quod amas. Ibi A beata vita in suo fonte plene perfecte bibitur, unde miro quodam modo & delectabiliter impressa sitis simul atque satietas alternatur. Sed longe a siti necessitas repellitur, longe a satietate fastidium amovetur. Hæc Augustinus. Sed ne te jam o anima diutius protraham, audi quid de prædictis omnibus cœlestibus gaudiis dicit ille devotus Anselmus in fine prosologion: Excita te, inquit, nunc o anima mea, & erige totum intellectum tuum, & quantum potes cogita attente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum. Si iucunda est vita creata, quam iucunda est creatrix essentia? Si iucunda est salus facta, quam iucunda est salus quæ fecit omnia? Si amabilis est scientia de creaturis, quam delectabilis est illa quæ de rebus increatis? *Et infra*: Cur ergo per multa vagaris, quærendo bona creata? Ama unum, in quo sunt omnia. Si delectat pulchritudo, Fulgebunt iusti sicut Sol. Si libertas aut fortitudo, Similes erunt Angelis Dei in cœlis. Si longa & salubris vita, est ibi sanitas æterna. Si satietas aut ebrietas, satiabuntur de gloria, & inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia, ibi canunt Angeli. Si societas, & amicitia, ibi est beatorum societas, & omnium una voluntas. Si honores & divitiæ: Gloria & divitiæ in domo eius. Si securitas & certitudo, ibi omnium temporum æterna longitudo. O cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint tantum gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed si homo de tanta beatitudine vix capiet gaudium proprium, quomodo capax erit tantorum gaudiorum, quantus est numerus electorum, ubi unusquique tantum diligit proximum suum quantum seipsum, & tantum de suo gaudio gaudet, quantum diligit? Ita etiam quisque plus absque æstimatione, de Dei, quam de sua & omnium electorum gaudet felicitate. Quia sicut Deum toto corde, tota anima, tota mente diligit, ita ad plenitudinem gaudii illius totum cor, tota anima, tota mens non sufficit. quia tantum gaudebunt, quantum B amabunt, tantum amabunt, quantum videbunt. *Et infra*: Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quantum te amabunt, & cognoscent sancti Dei. Oro Deus meus, cognoscam te, amem te, ut æternaliter gaudeam de te. Et si non possum ad plenum in hac vita, crescat saltem hic notitia tui & amor, ut ibi sit plenum gaudium: hic sit in spe, & ibi sit in re. Domine pater per filium tuum hic iubes, immo consulis petere, & promittis accipere, ut gaudium nostrum plenum sit. Peto Domine quod per admirabilem consiliarum tuum consulis petere, & promittis accipere, ut gaudium nostrum sit plenum, meditetur de hoc mens mea, sermocinetur os meum, loquatur inde lingua mea, esuriat anima mea, sitiat caro mea: donec intret in gaudium Dei, mei, qui est trinus & unus benedictus in secula. Amen.

Ansel. in prosol. c. 24.
Ibid. c. 25
Mat. 13
Mat. 22
Psal. 35
Psal. 111.
1 Cor. 2.
Ansel ibid. cap. 26.
Ioan. 16.

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM, QUOD INSCRIBITUR.

DE SEX ALIS SERAPHIM.

In hoc Opusculo S. Bonaventura Ecclesiæ prælatos instruit ad regimen subditorum, quibus præsunt & veluti Seraphim sex alis ornari Isaias cap. 6. vidit, quarum duabus faciem velabant, duabus pedes, duabus denique volabant: sic etiam spiritualis seraph, hoc est, Prælatus Ecclesiæ Domino sedenti super solium excelsum, & elevatum sex virtutibus quasi alis sex ornatus assistere debet; quarum duas scilicet zelum justitiæ, & pietatem sive compassionem fraternam super caput elevet, mediis duabus, patientia & vita exemplari, corpus & pedes contegat: ultimis vero duabus, circumspectione, & devotionis studio, in latum, & in altum volet. Unde his præcipue virtutibus pollere debet, qui Ecclesiæ regimini præest, zelo justitiæ, pietate, patientia, exemplo vitæ, discretione circumspecta, & devotione ad Deum. De quibus Auctor mirifice tractat in hoc Opuscolo.

CAPITA HUJUS OPUSCULI.

Quod incipientes propter multa magistro indigent. Cap. I.
Qui sunt, qui magistro non indigent. Cap. II.
Quod prima ala prælatorum esse debet zelus justitiæ. Cap. III.
Quod secunda ala prælatorum, est pietas. Cap. IV.
Quod tertia prælatorum ala, est patientia. Cap. V.
Quarta prælatorum ala est, quod sit exemplaris in vita. Cap. VI.
Quod quinta ala Prælatorum, est circumspecta discretio. Cap. VII.
Quod sexta Prælatorum ala, est devotio ad Deum. Cap. VIII.

PROLOGUS.

Prov. 9. DA occasionem sapienti, & addetur ei sapientia, ait sapiens: Cum igitur ex levi sæpe occasione, sapiens materiam sumat altioris sapientiæ, qui etiam plerumque per alterius stultitiam fit eruditior, præsens scriptum potest novis, & nondum in officio regiminis ad plenum exercitatis, ad perfectam discretionem boni & mali aliqualem dare occasionem ulterius cogitandi, & ex defectibus, quos hic considerat diligentius requirendi altiora: sive utiliora, & etiam plura, quam hic ponantur necessaria religioso ad regimen subditorum: quia legimus aliquando sapientes etiam ex naturali quadam brutorum animalium solertia, sumpsisse considerationis industriam, ad aliquas artificiales peritis excogitandas.

CAPUT I.

Quod incipientes propter multa magistro indigent.

1 Tim. 3 HÆc tibi scribo, ut scias quomodo oporteat te in domo Domini conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, ait Paulus discipulo suo Timotheo, quem præfecerat Ecclesiæ Ephesi Episcopum. Scribit duabus Epistolis, dicens, quomodo conversari debeat in officio regiminis commissi, ut qui jam ab eo didicerat sancte vivere per se, sciret etiam, qualiter deberet & aliis utiliter & meritorie præesse: Magna enim differentia est inter scire humiliter subesse, & pacifice coesse, & utiliter præesse Bernardus: Multos cernis sub magisterio quiete vivere, quo si jugo absolvas, videbis non posse quiescere, nec a qualibet re innoxios se servare. Rursum quosdam invenies, cum omnibus quantum in se est, pacifice vivere, minime quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio. Quadam siquidem bona mediocritate contenti sunt, sicut eis mensuram gratiæ partitus est. So-A cialiter enim inter fratres sciunt & pacifice vivere, super fratres vero positi, non solum inutiliter præsunt, sed & insipienter & nequiter. Utrisque ergo prioribus meliores existunt, qui superiores esse sciunt. Unde non passim quemlibet de populo docetur Moses ceteris præficere, sed eligere Exod. 18 ex omni populo viros gnaros & idoneos, qui judicent populum omni tempore. Qui enim suscipit officium, ut alios bonos faciat, oportet, ut hanc bonitatis disciplinam prius in se studiose exercendo didicerit, & ex frequenti usu in habitum verterit. Unde Dominus prius legitur fecisse, quæ post erat verbo docturus, Act. 1 juxta illud Actorum: Cœpit Jesus B facere, & docere. Incipientes indigent magistro ut doceantur, quæ ignorant scilicet, saluti suæ & professtui necessaria & utilia, quid vitare debeant, quod sapere, quid facere. quid sperare, quid timere, & inter, minus vel magis bona, vel mala discernere, dicente Paulo? Indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei. Item, ut exerceantur in operibus virtutum, quia non sufficit scire bonum nisi etiam opere exerceatur. Sicut qui au- Heb. 5 dit medicinæ scientiam, & postea practicando exercet eam, quia exercitium operis plenius imprimit menti cujuslibet disciplinæ peritiam, quam solus auditus. Et quia imperfecti se- C gniter se in virtutum studiis exercere solent, expedit, ut ab alio ad hoc aliquando compellantur. Ideo magistri solent discipulos suos, quos perfectos cupiunt fieri, in diversis virtutum exercitiis occupare, modo in operibus humilitatis, modo fraternæ charitatis, modo sobrietatis, modo devotionis, modo patientiæ, castitatis, taciturnitatis, obedientiæ, & aliarum virtutum, ut & ipsæ virtutes sic exerceantur, & usitentur, & vitia his contraria expugnentur: quia quanto magis virtus proficit, tanto plus vitium oppositum debilitatur, teste Apostolo, qui ait. E- Eph. 6 ducate illos in disciplina, &c. Item, ut custodiantur, ne aut in peccatum labantur, aut minus discrete in virtutum operibus exerceantur. Tenerae

ræ enim mentes & a peccati affectu A nondum plene detersæ, sæpe magis timore humano, quam divino a voragine peccati detinentur. Ideo talibus expedit, superiorum magisterio subiici, per quos a periculis retrahantur, sicut parvuli a matre comminante ab aquæ mersione, & luporum morsibus, defenduntur. Nam ait sapiens: Servabit te, ut eruaris de via mala, & ab hominibus qui perversa loquuntur. Item, ut corrigantur, quia peccatum trahit semper ad deterius, sicut una febris præbet sæpe incentivum alteri graviori, & vulnus aliquando generat fistulam, nisi medicorum præcaveatur solertia. Ita, qui labitur in culpam, difficulter per se corrigitur, nisi fortioris auxilio fulciatur. Propter hoc enim vult Deus minoribus majores præesse, ut si ceciderint in peccatum vel in aliquo negligentes fuerint & incauti, per eorum admonitiones, correptiones, coercitiones & castigationes emendentur: quia si arbitrio suo relinquerentur, forte nec reatum suum agnoscerent, vel torpentes diutius in cœno volutarentur, vel profundius mergerentur, juxta illud Judæ: Hos quidem arguite iudicatos, &c. Necesse ergo est, eos magistro humiliter esse subditos: quia nisi quis medico obedienter obtemperet, non poterit ab infirmitate sanari. Infirmitates in homine sunt passiones vitiorum, dicente Luca: Dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.

Prov. 2 *Jude* *Luc. 9*

CAPUT II.

Qui sunt, qui magistro non indigent.

QUi autem pro se magistro non indigent, debent ita esse scientia illuminati, quod nihil errent in his, quæ scire necessario eos oportet, & qui decipi non possint ab homine vel dæmone, vel a proprio sensu sub specie boni, donum discretionis spirituum divinitus adepti, juxta illud: Ubique & in omnibus institutus sum. Debent etiam fervore devotionis ita esse repleti, quod sine alterius impulsu, noverint seipsos ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout semper fuerit optimum, teste Paulo, qui ait: Quæ retro sum oblitus, ad ea quæ priora sunt extendens me ipsum, &c. Debent quoque amore boni sic esse affecti, ut quasi naturaliter omne malum horreant & omne scandalum studiose declinent, & sine offensa quiete cum omnibus conversentur. Sine offensione, inquit Apostolus, estote Judæis & gentibus. Debent etiam ita esse humiles in omnibus, ut nec de bonis habitis extollantur, nec malis omnino carere præsumant, ut omnes excessus cogitationis, locutionis & omissionis in B se subtiliter dijudicent, & districte castigando emendent. Et in his omnibus sint ita stabiles, quod nec levitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu, a statu suo valeant immutari. Unde Apostolus ait: Quis nos separabit a charitate Christi? &c. Quia vero tales difficile est reperiri; ideo paucis convenit vivere absque obedientiæ jugo. Ideo, & qui aliis præsunt, ut melius & cautius agant, necesse habent aliis subesse, a quibus regantur, usque ad summum omnium Pontificem, qui vice Christi caput est totius Ecclesiæ militantis. Qui ergo aliis præesse debent, utiliter oportet eos va- C riis esse præditos virtutibus, & alias habere ad se, quibus irreprehensibiliter vivant, alias ad suos superiores, quibus humiliter eis, in quibus debent, obediant & alias ad subditos quibus eos meritorie regant, & ad meliora promoveant. Licet autem omnes virtutes eminenter habere debeat, qui ex officio habet omnes virtutes docere, tamen quia numerus senarii est primus perfectus numerus sui generis perfectione, constans, ex suis partibus aliquotis: ideo bonus animarum rector, maxime religiosus, inter ceteras, debet singularibus virtutibus præfulgere, sicut Isaias scribit, dicens, Seraphim, quæ sunt præeminentiora cœlestium spiritum agmina, sex alis ornata: Et fortasse, ideo in tali similitudine,

Phil. 4 *Ibidem 3.* *1 Cor. 10* *Rom. 8* *Isa. 6*

ne, sanctissimo patri nostro Francisco in illa gloriosa visione Dominus apparuit, quando eum passionis suæ stigmatibus insignivit, ut ostenderet, sic alatos spiritualiter esse debere, qui ejus familiæ utiliter præesse deberent. Sic & quatuor animalia singula, ut dicitur in Apocalypsi, habebant alas senas. *Apoc. 4*

Caput III.

Quod prima ala Prælatorum esse debet zelus justitiæ.

Prima ala rectoris animarum est zelus justitiæ, qua non potest aliquid injustum, sine cordis murmure, in se & in aliis sustinere. Tantum enim quisque bonus æstimandus est, quanto plus & purius odit malum. Quantum enim res diligitur, tantum de ejus destructione doletur. Unde notandum, quod sunt quatuor genera hominum in religione, vel in Ecclesia, quos bonos dicere solemus. *Quatuor genera hominum dici solent boni.*

Primi sunt, qui malum non faciunt, nec tamen in bonis operibus se studiose exercent, ut qui quiete & pacifice cum aliis vivunt, nullum offendentes, nec pravo opere scandalizantes, ut habetur in primo Regum: Homines isti satis boni fuerunt, & non molesti, &c. Nam in usu habemus, tales dicere bonos esse, qui mites sunt moribus, & socialiter se cum omnibus habentes, licet alias quoad ad virtutum exercitia, aliquatenus desides videantur. Pueri etiam baptizati eodem modo boni iudicantur.

Secundi sunt meliores, qui mala nulla faciunt, insuper in bonis operibus se frequenter exercent, in sobrietate, castitate, humilitate, dilectione proximi, & orationis instantia, & similibus, quæ intelligunt esse bona. Sed hoc habent proprium, quod sicut nihil negligunt ex his, quæ possunt & sciunt, ita etiam videtur eis sufficere bonum, quod faciunt, nec ad ampliora, & perfectiora sanctitatis desideria incalescunt. Sufficit eis tantum vigilare, tantum orare, tantum pro Deo dare, vel ie-

A iunare, vel laborare & huiusmodi, & his contenti quiescunt, altiora aliis relinquentes: Unde Ecclesiastes dicit: Deprehendi nihil esse melius, quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. *Eccles. 3*

Tertii sunt adhuc his meliores, qui malum detestantur & fugiunt, & bona quæ possunt studiose exercent, & cum omnia fecerint, quæ valent, parum se fecisse reputant, respectu eorum quæ desiderant, scientes, quod corporalis exercitatio ad modicum utilis ab Apostolo perhibetur. Et ideo viri mentales, & internæ devotionis saporem, & Dei familiarem notitiam, & amoris eius experientiam suspirando desiderant, *1 Tim. 4*

B nihil se esse, vel habere iudicantes, nec aliquam consolationem de temporalibus vel spiritualibus recipientes, quamdiu pro voto prædictis virtutum exercitiis, & devotionis dulcedine non fruuntur, nec tamen contra aliorum vitia, & peccatorum pericula zelo fervoris inflammantur, cupientes omnes esse bonos, & beatos: sed ubi hoc non inveniunt, nullo doloris vulnere sauciantur, sibimet intenti & Deo. Tales ad aliorum regimen vocati, minus in hac parte sunt idonei, quia propriæ quieti curam illorum postponunt. Juxta illud Judicum: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire ut inter cetera ligna promovear. *Judic. 9*

C Quarti sunt optimi, qui cum prioribus bonis innocentiæ & virtutum, zelo iustitiæ & animarum calent, qui non recipiunt consolationem de propriæ salutis profectibus, nisi alios secum trahant ad Deum, exemplo Domini, qui cum in se plenum semper habeat gaudium, non contentus gloriam solus habere, exivit assumpta forma servi, multos filios in gloriam secum adducere opere & doctrina. Zelus enim iustitiæ quasi coccus bis tinctus duplici charitatis colore rutilat, amoris nempe Dei, & proximi. Amor Dei non tantum desiderat eius dulcedine frui, & ei adhærere, sed etiam diligit eius beneplacitum impleri, eius cultum ampliari, & honorem sublimari. Vult enim

enim eum ab omnibus agnosci, ab omnibus amari, ab omnibus ei serviri, & super omnia honorari. Amor proximi desiderat non tantum ejus corporalem sospitatem, & temporalem prosperitatem: sed magis ejus æternam salutem. Ubi ergo charitas ista perfectior, ibi ferventius desiderium ista promovendi, & instantius studium & purius gaudium, ubi hæc invenit. Charitas enim, teste Paulo, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei sunt. Quantum vero diligis Deum & quæ Dei sunt, purius desideras, tantum doles de offensa Dei, ubi vides eum non agnosci, & ideo inhonorari, ubi vides eum non amari, & ei non obediri, & ejus cultum destrui, & adversarios multiplicari, & lætificari. Et quantum diligis salutem proximi, tantum affligeris de perditione ejus & nocumento profectus ejus. Et licet hæc charitas requiratur in omnibus amicis Dei, maxime tamen in Vicariis Dei, qui secundum cor Dei moveri debent amore justitiæ, & odio iniquitatis, iuxta illud Psalmistæ: Dilexisti justitiam, &c. Justitia potest hic dici observantia omnium, quæ saluti vel profectui animarum necessaria sunt. Horum quædam procedunt a lege æterna, ut puræ virtutes, humilitas, castitas, charitas, misericordia, & similes, sine quibus nullus quocumque tempore poterit salvari, ad quæ etiam præcepta Dei in veteri, ac nova lege maxime ordinantur. Sicut Dominus dicit ad dilectionem Dei & primi totam legem & prophetas spectare, juxta illud Matthæi: In his duobus mandatis, &c. Quædam procedunt ab humana vice Dei institutione, ut quæ per Ecclesiam pro communi utilitate canonice sunt præcepta, sicut ritus sacramentorum, & aliorum ad iuris positivi præcepta pertinentium, extra Canonum statuta, ab omnibus observentur, ita, ut quilibet observet illa, quæ conveniunt suo statui & communiter omnibus imperata, laicis vel clericis. Quædam ex voto proprio proveniunt, ut ea ad quæ nemo cogitur. Sed qui ea sponte voverit, jam velut ex præcepto Dei

1 Cor. 13

Psal. 44

Mat. 22

A compellitur observare, ut continentia religiosorum & obedientia, & abdicatio proprii in monasterio, & alia quæ per regulam vel cuiusque ordinis diffinitiones eius professoribus imponuntur. Unde dicitur in Deuteronomio: Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Deus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. Quædam procedunt ex quadam habilitatione profectus spiritualis, quamvis alias non forent necessaria B saluti, ut omnis disciplina divini officii & singulorum officiorum in religione, & officiorum & temporum, in silentio, victu & habitu, labore, vigiliis & cæteris spiritualibus disciplinis, in quibus singularum religionum observantiæ variantur, sicut cuique visum fuerit expedire. Quamvis autem in his non tanta vis salutis existat, quasi sine eis non sit salus: tamen transgressio eorum deformat religionis decorem, & profectum spiritualem, & aliorum ædificationem solet impedire. Sicut enim amor iustitiæ, studiose ista in se, & in aliis promovet, & congaudet, ubi videt ista sollicite observari, ita e contrario dolet, & uritur, & accenditur C pro transgressione illorum cum psalmista, qui ait: Nonne, qui oderunt te, &c. Quodam vero intimo sapore discernit, ut magis doleat de gravioribus transgressionibus, & de levioribus minus. Sapiens enim quasque res ponderat, prout sunt, tam bonas quam malas. Insipiens autem quandoque magna pro parvis reputat, & levia, quasi maxima ponderat, trabem festucam iudicat, aliquando culicem, deglutiendo camelum. Decimatis mentam & rutam & relinquitis quæ graviora sunt, ait Salvator: Tales zelo proprio feruntur, & non spiritu Dei in hac parte aguntur. Sicut quidam pro una inclinatione in choro neglecta, plus accenduntur puniendo, quam pro longa detractione de alio religioso excitata.

Deut. 23

Psal. 138

Luc. 11

Gra-

Gravius indignantur pro verſiculo & rubricula neglecta, quam pro magna perturbatione cum ſcandalo procurata.

Principaliter igitur cavenda & dolenda eſt tranſgreſſio præceptorum Dei, deinde inviolabilium præceptorum ſanctæ Eccleſiæ, deinde illorum quæ ſub voto voluntario ſibimet quiſque fecit neceſſaria, ut regulares obſervantiæ, maxime quæ ſub præcepto ſunt ſtatutæ, deinde omnia ſcandala ſpeciem mali quamcumque habentia, nempe avaritiæ, ſuperbiæ, invidiæ, gaſtrimargiæ, iracundiæ, ſuſpectæ familiaritatis, inobedientiæ, & ſimilium vitiorum, quæ odorem famæ religioſorum quo aliis fideles debent ab eis ædificari, & ab eis diſcere quid cavere debeant & facere, fœtere faciunt, ut magis per eos inficiantur ſcandalo, quam reficiantur virtutis exemplo, dicente Apoſtolo: Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes. *Rom. 2* Facilius autem gravius peccatum occultum curatur, quam tale ſcandalum, quia illud per ſecretam poteſt ſanari pœnitentiam, ſcandalum autem vix avellitur a cordibus omnium, ad quos forte pervenit.

Deinde cavenda eſt perturbatio ſtudii devotionis, ex qua fulcitur omnis vera religio, & omne virtutis exercitium impinguatur. Arida eſt omnis religio, quæ non oleo iſto ſaginatur. Inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ devotæ orationis frequentia non compaginatur, ſicut paries lapidum ſine cæmento. In omni religione ubi devotionis fervor tepuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ, Lampades fatuarum virginum ſine oleo extinguuntur ut ait Matthæus. *Mat. 25*

Deinde cavenda eſt negligentia exterioris diſciplinæ, quæ pro decore religionis, & habilitationis profectus ſpiritualis ſtatuta eſt, cuius deſertio ſignum eſt neglectæ conſcientiæ, & interioris levitatis. Talis autem diſciplinæ obſervantia non ita mandatur, quaſi aliter non liceat vivere, ſed quia ſic magis convenit propter honeſtatis conformitatem, & uniformem fratrum converſationem, ne pro libito quiſque vivat, & faciat, unde forte alii turbentur. In talibus autem obſervantiis, quæ in ſe indifferentes ſunt, ſed propter aliud ſtatutæ, ut dictum eſt, maior eſt habenda diligentia, ut bene ſerventur, quam ſcrupuloſe timendum, ſi ex aliqua ſurreptione quandoque tranſgrediantur, niſi forte conſuetudo generaret deformitatem, & diſſimulatio negligentiam nutriret, tunc propter aliud malum conſequens præcavendum, zelus diſciplinæ dormire non debet.

Verus igitur iuſtitiæ zelator primo cavet, ne malum aliquo modo faciat, vel doceat. Secundo ne licentiet, vel concedat quacumque importunitate ſeu circumventione mollitus. Tertio ne faveat vel diligat fieri, etiam ſi eo irrequiſito fiat, vel abſente. Quarto ne diſſimulet & taceat quaſi neſciens, cum ad eum pertineat arguere, & oſtendere quantum malum ſit, & deterrere, ne ulterius audeant ſimilia attentare. Quinto ne inultum eſſe patiatur, quia aliquod bonum parit peccati caſtigatio, ſcilicet quod ipſe qui fecit, prohibetur ultra peccare, dicente Domino: Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Joan. 5* Item, quia purgatur a peccato, ne a Deo poſtea durius puniatur, ait enim ſcriptura: Tu virga percuties illum, & animam illius de inferno liberabis. *Prov. 23* Item, quia per hoc alii erudiuntur, ut caveant ſimilia perpetrare, iuxta illud: Peſtilente flagellato, ſapientior erit parvulus, id eſt, tenellus & novus cautior eſſe diſcet. *Prov. 18* Item, ipſe prælatus, vicarius ſuperni iudicis, liberat animam ſuam a peccato negligentiæ, officium ſuum ſic implendo. Quod quia Heli ſacerdos non fecit, mortis ſententiam cum filiis peccantibus excepit: ut habetur in 1. Regum. *1 Reg. 4* In hoc enim differunt laudabiles Religiones & iam dilapſæ non quod nullus peccans in laudabilibus reperiatur, ſed quod nullus impune peccare ſinatur, & peccandi aditus ſtudioſe præcludantur, & incorrigibiles & alios inficientes eliminentur, & boni foveantur

tur & diligantur, ut perserverent, & in melius semper proficiant. Nam cum in conventu Angelorum ante confirmationem, & in ordine Apostolorum sub magisterio Christi reperta sit pravitas, quis ordo bonorum in terra audeat sibi arrogare hanc prærogativam, quod peccatum in eo non sit? quia & si plurimi per Dei gratiam immunes ibi fuerint, sed non omnes. Vos mundi estis, sed non omnes: ait Dominus. Bonis enim quamdiu sunt hic in statu merendi, expedit aliquos malos secum habere, qui eis sint maioris occasio meriti, quibus compatiantur in malis suis, contra quos zelus eorum inardescat, quos corrigere laborent, quibus similes fieri pertimescant, qui eis sint tentationis materia, a quibus etiam persecutiones sustineant, & ex quorum consideratione confusi humilientur, quia tales non sunt, admoneantur gratiarum actionis ei, qui custodit eos, ne tales efficiantur. Si autem deessent bonis prædictarum virtutum occasiones, merita ipsorum tanto fierent etiam minora, dicente Paulo: Quæ enim seminaverit homo hæc & metet. Nec tamen diligendi sunt mali seu fovendi, sed tolerandi: maxime quorum occulta sunt mala, & alios non inficiunt, & est spes de correctione ipsorum. Ubi vero ista defecerint, ibi sine gravi detrimento sustineri non possunt: & ideo eliminandi sunt, ne putetur eorum pravitas bonis placere. Interim etiam dum tolerantur, puniendi sunt stimulis admonitionum, correctionum, confusionum, & castigationum, ungendi etiam fomentis exhortationum, consolationum, & orationum & promissionum, si forte convalescant de infirmitate, & fortes fiant. Præcludenda est ei via peccandi, & tentationis aditus obstruendi, quod etiam bonis expedit, ne opportunitas mali faciat eos deteriores. Prælatus enim Vicarius Dei, cui data est potestas a Domino super familiam suam, & cui debent subditi ea de causa vice Domini obedire, si non corrigit delinquentes, si permittit sub se vitia crescere, & consuetudines malas oriri, & iam exortas

Ioan. 14

Gal. 6

A roborari & dilatari, si videt regulares observantias dilabi, & transgressiones multiplicari, & pro posse non obviat tam præsentibus malis, quam imminentibus triplicem Deo reddet rationem.

Primo pro sua negligentia quando non fecit ad quod officio tenebatur, nam ait Sapiens: Cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt fiet, &c. Sap. 6

Secundo quod omnia peccata subditorum quæ poterat & debuerat correxisse & præcavisse, imputantur ei. B Unde dicitur Ezechieli: Si non fueris locutus, ut custodiat se impius a sua via, ipse in impietate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Ezec. 33

Tertio, pro abusione honoris, & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. Tollite ab eo talentum, ait Christus, & inutilem servum eiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Ostendat ergo bonus zelator, quantum diligat Deum, in eo quod beneplacitum eius in se & in aliis promoveat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, ne labore lassetur, nec consiliis flectatur, C nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ pravæ consuetudinis præscriptionem desperet, quin suum officium exequatur. Mat. 25

Caput IV.

Quod secunda ala Prælatorum, est Pietas.

Secunda ala huius Ecclesiastici Seraph est pietas, sive fraterna compassio, ut sicut eum charitas Dei ad zelum iustitiæ inflammat, ita fraterna dilectio ad pietatem informet. Nam & si vitiis debetur virga feriens, infirmitati tamen necessarius est baculus sustentans, dicente

Psal. 22 te Propheta: Virga tua & baculus A
1 Cor. 4 tuus, &c. & Paulo: In virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Sic & ille Samaritanus vulneribus illius semivivi relicti, infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis. Alia est autem infirmitas corporis, alia mentis, & utraque indiget compassione.

Infirmitas corporis triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel in acutis, vel in aliis infirmitatibus gravibus laborantes. Alii sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoque deambulantes, & tamen sæpe gravibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi & similes. Tertii determinatam infirmitatem non ha- B bentes, sed tamen corpore debiles, & viribus exhausti, ut senes, & laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, sed quandoque accidentali languore ad tempus attriti. His est triplici pietate subveniendum, scilicet remediis medicinalibus, si congrue potest fieri. Item relaxatione rigoris, in victu, vestitu vigilis est huiusmodi. Item exemptione laboris, in officiis, servitiis, discursibus, & hujusmodi, prout cuiusque necessitas exquirat: ita quod primis de primo, secundis de secundo tertiis de tertio, juxta singulorum indigentiam speciali succurratur. Omnis humanitas est infirmis & debilibus exhibenda, quia flagellati sunt C a Domino: si super hoc ab hominibus tribulantur, ipsa eorum miseria clamat ad patrem misericordiarum
Psal. 68 contra illos, qui eos tribulant conquerendo, dicente David: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt, &c. Infirmus enim, qui afflictus sibimet subvenire non valet, eo ipso amplius tribulatur, quia ab his quibus deberet non consolatur, non a labore relevatur, non subvenitur indigenti, nec habet
Psal. 68 sibi compatientem, juxta illud propheticum: In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum & miseriam. Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni. Et dederunt in escam meam fel exprobrationis, & in siti mea potaverunt me aceto obiurgationis. Fiant ergo eis, quæ sequuntur, &c. Bonus autem Prælatus agnoscit se fratrum suorum patrem, non dominum, & exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut jumenta sua, vel servos emptionis: sed ut filios hereditatis supernæ consortes: & facit eis, sicut vellet sibi fieri, similiter indigeret. Sed fortes & sani non sentiunt, quod sentit æger, ideo nesciunt eis compati, scient autem postea, cum dolebunt. Quod si obiiciant, quia sæpe fingunt se quidam debiliores, quam sint, numquid propter hoc omnes sunt hypocritæ judicandi: cum e contrario pro paucis justis, ut habe- Gen. 18
tur in Genesi, multis malis Dominus voluerit pepercisse.

Triplici autem ratione magis indigent infirmi subsidio pietatis, quam sani & robusti, primo propter sustentationem vitæ, quia seipsos non valent procurare, si tunc etiam ab aliis non procurantur, coguntur deficere, & non possunt subsistere, juxta illud: Ne penitus pereat, qui ab- 2 Reg. 14
jectus est. Secundo propter restaurationem sanitatis & virium, quas in infirmitate perdiderunt. Cum enim sanus & fortis solus indigeat sustentamento: ut quod habet, conservet, æger & debilis indiget duplici refectione, ne pereat, & perdat, quod adhuc habet, & reparet quod amisit Luc. 19
dicente Domino: Ab eo qui non habet etiam quod videtur habere, auferetur. Tertio propter consolationis relevamen, quia cum sic multipliciter affligantur, solatium est eis, cum vident alios sibi compati, & ad reparationis suæ studium fideliter cooperari: 1 Reg. 23
& dicunt cum Saul: Benedicti vos a Domino, quia doluisti vicem meam.

Sed dicunt aliqui: Illis debilibus digne subvenitur, de quibus est spes convalescentiæ, in illis vero de quibus non præsumitur, quod aliquando convalescant, inutiliter consumuntur expensæ. Hoc recte diceretur, si non propter meritum charitatis, sed propter retributionem humanæ utilitatis deberet infirmis misericordia

dia exhiberi. Qui autem propter hoc infirmo subvenit, ut cum sanatus fuerit, benefactum illud servando retribuat, merito charitatis se privat. Ubi enim major miseria, ibi clarior misericordia apparet, & purior charitas. Expedit ergo Prælatum, quandoque experiri infirmitates ceterorum, ut discat compati, juxta illud: Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, &c. *Heb. 4*

Infirmorum mente tria genera.

Infirmorum mente etiam sunt tria genera. Primi, qui ex devotionis defectu, vel tentationis impulsu, proni sunt ad scandala, & peccata, ex facili occasione vacillantes, & ad lapsum proclives, ut ait Apostolus: Inter vos multi infirmi & imbecilles, &c. *1 Cor. 11*

Secundi qui licet bonæ voluntatis sint, & devoti; tamen ex levi correptione, vel invectiva obiurgatione effecti pusillanimes, aut coincidunt in quadam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in gravem commotionis impatientiam, unde postmodum dolent, & ceteri quandoque turbantur. Unde Paulus: Debemus nos firmiores imbecillitates, &c. *Rom. 15*

Tertii sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diversis virtutum studiis sæpe vacillant, & variis passionum febribus sentiunt se interdum, etiam reluctantes, pulsari, modo elationis, modo iræ, modo acediæ, & invidiæ, concupiscentiæ, gulæ, & aliorum vitiorum tam carnalium, quam spiritualium, qui dicere debent cum Psalmista: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, &c. *Psal. 6* Remedia his infirmitatibus adhibenda sunt ut subtrahatur eis occasio scandali, opportunitas peccandi, ne videant unde infirmentur, vel audiant, & ne sæpe permittantur extra domum vagari. Dina enim, ut ait Scriptura, egressa domum corrupta est: *Gen. 34* & per exhortationes crebras exemplis patientiæ confortentur, & a duris increpationibus, donec convalescant de infirmitate, parcatur eis & aliis offensis, quibus perturbentur. Unde Apostolus: Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. *Col. 3*

A Qui enim amplius commovet satis per se commotum, quasi provocat contra se canem latrantem, ut mordeat eum. Item æquanimiter mores, & imperfectiones eorum supportentur: nam dicit Sapiens: Non omnes omnia possunt. *Eccl. 17 in sensu.* Sicut autem rudibus, & minus peritis solent doctores eorum imperite ignoscere, cum minus recte sentiant, ita & virtuosi benigne supportant aliorum defectus, scientes, quod non omnes possunt æqualiter esse perfecti, & quasi parvulis & teneris in Christo graviora, quam valeant portare, onera non imponunt, nec ab eis exigunt ea, quæ vires ipsorum excedunt. Hinc in Genesi: Nosti, quod parvulos habeam teneros, *Gen. 33* & oves & boves fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges. B Hoc est: Qui parvulos imperfectos, & aliquam bonam habentes voluntatem, quasi fœtus in utero, plus urget in exercitio virtutis, quam secundum gratiam, quam acceperunt: etiam illud quod jam habent, supra vires agitando extinguit in eis, quod prævidens Paulus ait: Facti sumus parvuli in medio vestrum, *1 Thes. 2* tamquam si nutrix foveat filios suos, quod ita humiliter & pie blanditus sum vobis, condescendens vestræ teneritudini & imperfectioni. Quo contra de duris, & non compassivis pastoribus conqueritur Dominus dicens: *Ezec. 34* C Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, & quod fractum non alligastis, & quod peierat non quæsistis: Sed cum austeritate imperastis eis, & cum potentia, &c. & Bernardus: Ut quid gravatis jugum vestrum, *Ber. ser. 23 in Cant. ante med. paucis mutatis.* cum cernitis discipulorum, quorum vos potius jugum portare debetis? Ponite onera, producite ubera, pecora lactate, quiescant. *Num. 11* Et si interdum severitate opus sit, paterna sit, non tyrannica, juxta illud: Porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, & defer in terram pro qua juravi, &c.

Caput V.

Quod tertia Prælatorum ala, est Patientia.

TErtia ala Ecclesiastici Seraph est patientia & constans longanimitas. Sicut enim tectum tabernaculi, ut interiora munda manerent & nitida, excepit in se pulveres, & imbres, & ventorum impulsus: ita superiores qui fideliter subditos suos defendunt e turbine peccati, necesse est, sæpe diversarum excipere tempestates adversitatum, sicut gallina pro pullis se obiicit milvio, ut eos defendat.

Patientia in tribus necessaria prælato.

Tria vero sunt inter alia, in quibus patientia ei necessaria maxime videtur. Primo propter multiplices labores & curas, & occupationes diversimode emergentes. Cura enim continua urget eum, tam de spiritualis providentia disciplinæ, quam de corporalis subsidii provisione. Unde & Apostoli non solum de spiritualibus, sed & de temporalibus fidelium necessitatibus, maxime pauperum, soliciti erant, juxta illud: Jacobus & Joannes & Cephas dexteras dederunt mihi & Barnabæ, societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem, scilicet Evangelii prædicationem extenderent, tantum ut pauperum Christi memores essemus, quod etiam solicitus fui, hoc ipsum facere, &c. Dominus quoque turbas, quas verbo salutis pavit, etiam pane corporali in deserto se sustinentes, cum aliunde non haberent, refecit. Occupationes quoque variæ tam ex domesticis curis, quam extraneis causis frequenter emergunt, quibus cogitur aliquatenus implicari, & quomodo se de illis expediat, anxiari. Ex his etiam labores plurimi crescent discursuum, vigiliarum, tractatuum & aliarum fatigationum, pro quibus omnibus patientia ei necessaria est ita, ut Moyses mitissimus & Deo familiarissimus, propter hoc in plures onus gubernationis populi sui partitus, quasi non valens tot negotia sustinere, sicut scriptum est: Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus ac iurgia, date e vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, & ponam vobis eos principes, &c.

Gal. 2

Mar. 6 & 8

Deut. 6

Secundo est ei patientia necessaria, pro tardo profectu illorum, in quibus continue fatigatur. Videt enim paucos eorum proficere, videt post, quia per multos conatus suos ea, quæ multo labore in modico jam emendari cœperant, ex facili iterum dilabuntur, & propter plures difficultates, & obstacula profectum spiritualem impedientia, quasi in desperationem tendere fructum laboris sui, sicut qui multa seminavit, & pauca conspicit oriri, videt etiam quandoque, quæ personaliter jubet & ordinat, negligenter impleri & servari, & sæpe sub specie boni latenter malum subintrare, ita quod non audet aperte ut malum redarguere, cum bonum in superficie appareat, & tamen in fine per hoc majus bonum destruitur, & apertioribus malis aditus aperitur, verbi gratia, ut multi salventur, plures quam opportune tenere possumus, recipimus. Sed ipsa tandem multiplicatio, erit paupertatis nostræ obfuscatio, dum plures velint pluribus gaudere, non carere: inde sequitur frequentior discursus pro acquirendo necessaria, exquiruntur viæ insolitæ in petendo, incautius agitur contra regulam; vel recipiendo, quies devotionis extinguitur, mores religiosi in dissuetudinem vertuntur, consuescunt fratres libenter evagari, & diversa carnis commoda foris venari, familiaritates, in regula prohibitas, contrahere, munera a confitentibus quærere, ædificationes animarum pro quæstu vendere, divitibus adulari, areas dilatare, sumptuosa Palatia exaltare, scandala non curare, & Dei honor, qui ex nostra sancta conversatione, & aliorum exinde ædificatione provenire debuerat, agendo his contraria, conculcatur. Idem est de præpropera promotione juvenum, & nondum probatorum ad ordines, & officia confessionis, prædicationis, & prælationis. Idem de pluribus

quæ

quæ coram hominibus sunt, alicujus apparentiæ, sed religionis puritatem interius coram Deo obscurant, & rudes in religione, qui interna non sapiunt, putantes in his exterioribus honestatibus, totam vim spiritualis conversationis constare, magno zelo eas defendunt, & de veris virtutibus, & spiritualibus non curant. Hæc & alia plurima videns spiritualis prælatus, qui omnia in veritate dijudicat, tabescit, & uritur, & non valens corrigere pro desiderio, in virtute patientiæ mirabiliter exercetur, & dicit cum Propheta: Tabescere me fecit zelus meus, zelus domus tuæ comedit me, &c. *Psal. 118 & Ps. 68*

Tertio necessaria est ei patientia, pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta solicitudine laborat, scilicet quod vix unquam eis satisfacit, quin semper conquerantur, quod aliter posset eis & melius facere si vellet, quod sæpe perplexus est, an debeat eorum importunitatibus cedere, & acquiescere in omnibus quæ cupiunt, vel rigide tenere quod credit esse magis expediens, juxta illud Pauli: Quid eligam ignoro, coarctor enim, &c. Item quod invertunt ei plurima quæ facit, & interpretantur ad deterius, & super his visitant eum & murmurant, & accusant, & detrahunt ei, & sumunt inde materiam scandali, unde putabat se Deo & ipsis obsequium præstitisse, ita, quod vix in aliquo potest inveniri remedium, in hoc quod ordinat aut quod facit, quin semper aliquibus displiceat & turbentur. Item, quod etiam in faciem quidam resistunt ei, vel litteris arguunt eum & despiciunt & concitant alios, ut se ei opponant, vel astute impediunt, ne possit perficere quæ debet. His & aliis adversis quibus diversimode impetitur, triplici patientiæ scuto studeat se opponere. *Phil. 1*

Primo ut modeste & mature & benigne ad singula respondeat, & impetum fervoris reprimat, ne in voce aut vultu seu moribus impatientiam ostendat. Tunc enim magis proficit per patientiam, & tandem devincit, quos impetuose agendo amplius provocaret. Sic Gedeon modeste respondens viris Ephraim contra se jurgantibus, conspecuit spiritum eorum, quo tumebant. Nam teste Sapiente: Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Vix enim commotio commotione sedatur, ut vitium vitio non sanatur. Impatientia enim prælati confundit, quæ promovere poterat bona. His modis alios scandalizat juxta illud: Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam, scilicet aliis pandendo. Reddit eum subditis & aliis contemptibilem, ut dicitur in Proverbiis: Qui vanus, & excors est, patebit contemptui. Facit eum exosum & horrendum, juxta illud Ecclesiastici: Terribilis est in civitate sua homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit. Provocat alios ad impatientiam, dicente scriptura: Vir iracundus provocat rixas, qui autem patiens est, mitigat suscitatas. Non audent ei subditi necessitatem suam aperire, juxta illud Job: Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies. Replet domum murmure, & rancore, ut patet in Proverbiis: Qui conturbat domum suam, possidebit ventos, scilicet conspirationum. Teneros mente fugat, & pusillanimes facit, sicut dicit Salomon: Spiritum ad irascendum facilem, quis poterit sustinere? Nemo audet eum monere de his, quæ forent emendanda, ut patet in primo Regum; Ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui. *Judic. 8* *Prov. 15* *Prov. 14* *Prov. 12* *Eccl. 9* *Prov. 15* *Job 4* *Prov. 11* *Prov. 18* *1 Reg. 25*

Secundo studeat esse pacificus, ut nec vindicet se de illatis injuriis nec in corde oderit illos, nec curam segnius agat, nec quærat eos a se removere, imo lubentius teneat eos, ut per hoc & illos & alios ædificet benefaciendo ingratis, & ut per se virtutis exercitium in eis habeat, exemplo Summi pastoris, qui ait: Eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos. Cum enim sit proprie officium pastoris docere virtutes, si vitiosos removet a se, quos docebit? Si medicus fugit ægrotos, quos curabit? Si fortis tyro declinat impetentes se, quomodo assequetur triumphum gloriæ? Si negotiator negligit merces, in quibus magna lucretur, quomodo poterit ditari? *Luc. 6*

tari? Inde est, quod inter alios tot sanctificati sunt Episcopi, & Prælati, quia tam agendo bona quam patiendo adversa, & alios ædificando, ad alta perfectionis culmina officii sui occasione pervenerunt, dicente Paulo: Qui Episcopatum desiderat, &c. 1 Timi 3

Tertio si patiens non minus sit voluntarius, & studiosus ad exequenda ea quæ officii sui solicitudo requirit, propter tædium laboris, vel tarditatem profectus, vel importunitates subditorum, vel alia gravamina; quia sic ad alta merita pervenitur, juxta illud: Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro. 2 Par. 15 Istæ manus Prælati sunt instantia in agendo, & patientia in sufferendo, quod gravat: quæ si non dissolvantur per desidiam seu intolerantiam, merces æterna ei cumulatur. Per has namque adversitates rector a peccatorum pulvere purgatur, quem contrahit ex humanæ infirmitatis surreptione. In multis enim offendimus omnes, etiam in pluribus negotiis plures negligentiæ sæpe fiunt, a quibus purgari necesse habent hic Prælati, ne illic durius puniantur, juxta illud: Si inique aliquid gesserit, corripiam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Iac. 3 2 Reg. 7

Item per has, dum deprimitur, a tumore superbiæ custoditur, quæ potentibus puriculosius insidiatur, dum & sublimitas officii, & libertatis licentia, & boni operis placentia facile mentem ejus extollerent, nisi adversitatis jugum collum præsumptionis ejus humiliaret, & sic a superbiæ voragine defensaret. Nam in Job legitur: Erudiens instruit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ fecit, & liberet eum desuper eruens animam ejus a corruptione, & vitam illius, ut non transeat in gladium. Increpat quoque per dolorem in lecto, &c. Custos enim salutis, & profectus boni rectoris est humiliatio adversitatis, sine qua, eum successus prosperitatis cito relevasset in ventum præsumptionis. Unde David secundum cor Dei electus, quando premebatur adversis, devotissimus fuit & humilis: quando autem extollebatur prosperis, incidit in culpam offensionis, ipso attestante cum dicit: Bonum mihi quia humiliasti me, &c. Iob 33 Psal. 118

Item, ut dictum est, meritum ejus exinde multiplicatur, dum non solum pro bonis, quæ in se & aliis promovet, gloriam acquirit, sed & pro adversis, quæ patitur magnifice coronatur, sicut aurum quod per ignem probatum fit pulchrius & pretiosius, sicut scriptum est: Tamquam aurum in fornace probavit, &c. Sæpe autem spiritualis profectus crescit, dum non sentitur: & roboratur, cum magis infirmari putatur, juxta illud: Sic est regnum Dei quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet, & crescat dum nescit ille, &c. Non autem mirum, si omnes conatus rectoris non proficiunt in omnibus, cum nec Dei operatio in omnibus, proficiat ad salutem ipsorum, & multi sint vocati, & pauci electi. Omnia enim quæ seminantur, non convalescunt, & qui thesauros effodiunt lubenter multam terram eruperant, ut modicum auri vel argenti reperiant. Tantus autem profectus est boni rectoris, quantum foret detrimentum si non esset, sicut lux tantum est bonum, quantum ejus absentia malum. Animare etiam debet rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minus meretur in illis, qui deficiunt, vel modicum proficiunt, quam in his qui maxime proficiunt. Non enim dicit Apostolus: Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum profectum, sed secundum suum laborem. Dei enim est incrementum dare, plus enim laborat doctor in indocili, quam in docili discipulo: & ideo apud justum æstimatorem laboris, plus meretur. In terra sterili & saxosa agricola plus laborat, & si fructus paucior, sed pretium majus. Et quæ difficilius elaborantur, sæpe carius venduntur. Sap. 3 Mar. 4 Mat. 22 1 Cor. 3

CA-

Caput VI.

Quarta Prælatorum ala est, quod sit exemplaris in vita.

QUarta ala est, ut sit exemplaris in vita. Ipse namque debet ceteris esse norma vivendi, ut quæ docet verbis, ostendat actionum figuris, sicut qui Geometriam docet, pingit in sabulo figurarum demonstrationes, ut quod dicit, melius capiatur: nam dicitur in Actis: Cœpit Jesus facere, & docere, & alibi. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, & vos ita faciatis. Gedeon ait suis: Quod me facere videritis, hoc facite. Quamvis igitur non solum in præfatis, sed in omnibus virtutum exemplis debeat rector præcedere subditos, specialiter tamen in his tribus, scilicet in communis observantiæ conformitate, in mansuetudinis humilitate, & in maturitatis honestate. Unde Apostolus: In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, & in gravitate. Communem vitam cum ceteris observet in victu, vestitu, & labore, ut non vacet conviviis & potationibus, cum alii sobrio cibo & potu utantur, nec sit eis dissimilis habitu, cum quibus est ei professio communis. Nec a labore ceterorum se subtrahat, qui illos jubet in eisdem laboribus exerceri. Pastor si se a grege segregat, oves insidiis luporum exponit. Sanus sit sanis, & infirmus infirmis, velut alter Paulus, qui dicebat: Factus sum infirmis infirmus, scilicet exemplar, ut infirmos lucrarer. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Nam si sanus debiliter vivat, facit eos exemplo suo carnales. Si vero infirmus recusat infirmorum remedia, facit eos pusillanimes: innuens, quod aut velit eos similiter facere, aut non cupiat eis, ut melius fiat illis. Alacrius certat miles in acie, si ducem suum secum cernit laborem certaminis tolerare. Unde in Actis dicitur: In omni tempore, quo intravit, & exivit inter nos Dominus Jesus incipiens a baptismate Joannis, usque ad diem, qua assumptus est a nobis, &c. hoc est, a primo tempore, quo cœpit habere discipulos post baptismum, usque quo ascendit ad Patrem, semper exemplo suo erudivit nos; intrans, familiariter cum discipulis vivendo, & exiens, utiliter cum turbis, prout congruebat, conversando.

[Margin: Act. 1 / Joan. 13 / Judic. 7 / B / Tit. 2 / C / 1 Cor. 9 / Act. 1]

Sit etiam humilis moribus, ut mores ejus ostendant eum non alta de se sentire, nec affectare prælationem, sed timere & coactum tenere, & magis desiderare subesse, & eos quibus præest, meliores se judicare, & horum potius se servum, quam magistrum vel dominum reputare. Qui major est in vobis, fiat sicut minor: Luc. 22. & qui præcessor est sicut ministrator, ait Dominus. Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat &c. Eccl. 32 Unde in Ecclesiastico dicitur: Rectorem te posuerunt, &c.

Sit etiam humilis affabilitate, ut subditi facilem accessum ad eum habeant, & fiducialiter ei loqui, de quibus indigent, audeant: & patienter eos audiat, & benigne eis satisfaciat, & studiose instruat, & alacriter exhortetur, studeat magis amari quam timeri, quia lubentius obedietur ei, qui diligitur, quam qui timetur. Obedientia dilectionis propriæ est voluntaria, timoris autem magis est coacta: Quanto ergo illa habet de voluntario, tanto sublimior est in merito, finis autem officii regiminis est commissos sibi ad vitam æternam dirigere, & ad similia virtutum merita fideliter promovere.

Sit etiam humilis in usu rerum temporalium, ut nihil habeat pomposum vel diligat, sed omnia quæ habere videtur, paupertatem voluntariam demonstret & humilitatem ostendant, scilicet vestes, libri, cella, lectulus, utensilia, mensa, pallia, & huiusmodi, ut nihil in omnibus appareat, quod notam jactantiæ vel curiositatis habeat, nec talia fieri ab aliis patiatur. Similia etenim similibus congaudent, alta sublimibus, humilia humilibus delectando. Non est autem humilis Joa. 4 cordis

cordis indicium curiosa quærere, A pretiosa affectare, & excelsa ambire. Nam scriptum est: Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.

Iob. 41

Maturitatis honestas perpenditur in tribus, scilicet, si non sit levis in moribus, videlicet in verbis, & jocis scurrilibus, & irreligiosis, quæ licet in se quandoque quasi grata putentur, minus tamen reverendum faciunt, & verendum. Gregorius enim dicit: Non facile ejus prædicatio recipitur, si levis in moribus videtur. Nam & si prælatus magis diligendus sit, expedit tamen, ut ab insolentibus timeatur. Ipse amor aliquo modo suavior sentitur cum reverentia mixtus. Quod patet in amore summi conditoris: cujus quo majestas sublimior agnoscitur, dignationis dulcedo sapidius amatur, sicut dicit Propheta: Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit, &c.

Greg. hom. 3 in Ezec. ante med.

Psal. 24

Item, si non sit levis in affectu per privatos amores notabiles, tam ad fœminas, quam ad quaslibet leves personas. Licet enim meliores in affectu præferendi sint minoribus, & omnes propter spem salutis in Christo amplectendi sint, in actu tamen exterioris exhibitionis taliter se gerat ad omnes, ut nullus se ab eo contemni propter alios suspicetur, sed quilibet se ab eo diligi præsumat, & fiducialiter ei quasi singulari amico confidat, ne alicui indignatio & invidia in aliis nutriatur, sicut fratres Joseph qui oderunt eum, pro eo quod a patre singularius amaretur, ut dicitur in Genesi.

Gen. 37

Item si non est levis in proposito, & inconstans in consilio, ut quod jam placet mox displiceat, modo velit, unum, modo contrarium, ubi rationabilis causa non apparet. Quis enim ejus judicio credat, vel eius voluntati se contemperet, quem in neutro stabilem agnoscat? Ideo eius subiecti non possunt eius revereri prudentiam, nec sciunt se parare ad voluntatis eius obedientiam, & in utroque non potest esse modicum nocumentum. Propterea dicit Paulus: Omnia probate, quod bonum est tenete, & facite sine hæsitatione, & retractationibus, quæcumque facitis. Ubi tamen causa rationabilis subest justæ necessitatis vel piæ utilitatis, ut aliter & aliter aliquid fieri expediat, non est hoc levitatis sed maturitatis: quia sicut stultum esset melius mutare in deterius, sic etiam stolida est obstinatio, tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro maiori bono, & aperto ab eis flecti non possit, iuxta illud: Nec putetis, si diversa iubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas ferre sententiam. Unde & Apostolus excusat se, cum promiserit Corinthiis se venturum, quod non levitate hoc promiserit, sed B pro eorum utilitate, cum dicit: Volui prius venire ad vos &c. & in Ecclesiastico: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius, & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.

1 Thes. 5

Esth. 16

2 Cor. 1

Eccli. 10.

Boni magistri bonos discipulos facere consueverunt ut frequentius, multi fierent meliores in religionibus, & in Ecclesia, si melioris vitæ eis exempla a suis doctoribus proponerentur. Negligentia vero huiusmodi ab illis, qui culpabiles sunt, districte in iudicio requiretur. Nam Dominus dicit: Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum. Doctrina verborum sine exemplis operum, est sicut cæmentum sine calce aridum & inva- C lidum. Ipsi liniebant parietem absque temperamento, dic eis, quod casurus sit. De correctis exemplaribus correcta scribuntur volumina, de corruptis corrupta. Tenacius inhæret doctrina operum, quam verborum. Nam cuius vita despicitur, restat ut eius prædicatio contemnatur. Rector enim præcipue ad hoc studere debet, ut sibi commissos faciat Christiformes, id est, ut formam vitæ ad Doctrinam Christi eis imprimat, ut non solum mente eum attendant, sed & moribus imitentur. Unde Apostolus ad Ephesios dicit: Estote imitatores Dei sicut filii, &c. & ad Galatas; Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed cum ex verbobo-

Ezech. 34

Ezech. 13

Ephes. 5

Gal. 4

borum doctrina minus capiant de doctrina Christi, debent etiam formam eius visibilem in se ipsis ostendere, ut eis profundius imprimatur, dicentes cum Apostolo: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, quasi dicat: Si formam Christi desideratis ad imitandum agnoscere, in meis hanc moribus considerate. Et ad Galates: Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. Vicarius enim Christi, vicem Christi debet gerere, in beneplaciti eius promotione, in potestatis eius auctoritate, & in similitudinis eius repræsentatione, scilicet ut ea quæ vult, promoveat in subditis, & eius auctoritate illa possit, quæ eis expediunt, & eum se imitabilem illis moribus, & vita demonstret, idem dicente Apostolo alibi: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum. Ille vero seipsum, & non Christum prædicat, qui gloriam propriam quærit dicendo, & qui malis exemplis, se potius quam Christum ingerit subditis imitandum. Nam dicit Apostolus: Æmulantur vos non bene, sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini, hoc est, non bono zelo præsunt vobis, qui per sua prava exempla excludunt vos ab imitatione Christi, ut mores eorum discatis, & exempla sequamini.

1 Cor. 11

Gal. 2

2 Cor. 4

Gal. 4

Caput VII.

Quod quinta ala Prælatorum, est circumspecta discretio.

Quinta ala Ecclesiastici huius Seraph, est circumspecta discretio, & provida faciendorum consideratio. Quæ quam necessaria sit rectori animarum, Salomon ostendit: qui habens a Deo postulandi, quæ vellet optionem, prætermissis omnibus, petivit sapientiam, sine qua asseruit, non posse populum bene regi. Dabis ergo Domine cor servo tuo docile, ut iudicare possit populum tuum, & discernere inter bonum, & malum, & alibi dicit: Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excedatis. Et Psalmista: Et tunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Rector enim est dux gregis sibi commissi, & si ipse erraverit, grex in dispersione confusus, interibit. Sicut oculus est lux totius corporis, ita pastor gregis commissi, iuxta illud: Vos estis lux mundi, &c. Secundum quod oculus est clarus, & obscurus, sic etiam corpus ab eo regitur directe, vel per devia.

3 Reg. 3

Sap. 6

Psal. 2

Mat. 5

Duplex ergo circumspectio rectori necessaria est, ut sciat, quid agendum sit, & qualiter. Nam nec bonum simpliciter bonum est, nisi bene fiat, id est sicut decet. Bernardus: Tolle discretionem, & virtus vitium erit. Sine ipsa zelus præcipitat, teste Apostolo, qui ait: Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Item compassio condescendit usquequaque sub specie pietatis, sicut dicitur in Proverbiis: Qui parcit virgæ, odit filium, hoc est, qui sub specie pietatis peccantem non corrigit, animam eius ad interitum mittit. Item patientia sine discretione remissum in regiminis vigore facit, cum sub specie humilitatis rebelles non reprimit. Unde scriptum est, quod Roboam erat rudis, & corde pavido, nec poterat resistere eis, scilicet qui se Domino & sibi opposuerant. Item sine discretione qualecumque bonum exemplum inefficax fit ad ædificandum alios, sicut bonus cibus non est delectabilis, sine condimento salis: ait Leviticus: In omni oblatione tua offeras sal, & Apostolus dicit: Rationabile obsequium vestrum. Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti: hoc est, bona facere non sufficit, nisi discrete, qualiter, quando, ubi, quare agendum fuerit, videatur.

Duplex circumspectio Rectoris necessaria.

Ber. super Cant. ser. 49 r. med.

Rom. 10

Prov. 13

2 Par. 13

Lev. 2

Rom. 12

Gen. 4 sec. LXX.

Quamvis autem plurima sint, circa quæ oportet rectorem esse circumspectum, quæ non possunt breviter poni, tamen quatuor videntur præcipua, in quibus debet eius providentia vigilare. Unde dicitur in Exodo: Jubetur pontifex ingrediens sanctuarium, ut ministret Domino, inter alia ornamenta semper in pectore rationale iudicium deferre, & in ipso quatuor ordines gemmarum,

Rector circa quatuor sit circumspectus.

Exod. 28

 ita

ita quod quilibet ordo tres lapides A contineat pretiosos, auro inclusos, &c. Pontifex Domino ministrans, sanctuarium ingreditur, cum prælatus curam animarum suscipit, ut in earum salvatione Deo gratissimum præstet obsequium. Nullum enim Deo gratius sacrificium, quam zelus animarum. Qui inter alia virtutum insignia, semper debet rationis iudicio quatuor ad officium suum spectantia, in pectore versari. Primum est, quomodo in statu debito commissos sibi gubernet, ut boni sui proficiant, & persistant. Secundum, quomodo lapsos, & devios corrigat, & emendet. Tertium, exteriora negotia, quæ requiruntur ab eo congrue disponat. Quartum, quomodo B se in his custodiat, & gerat. Tres lapides in singulis versibus, sunt tria ad singula eorum quatuor pertinentia. Ad statum debitum tenendum convenit, ut rector omnium subditorum, mores, conscientias & vires perspicue agnoscat, ut secundum quod unicuique expedit, onus observantia regularis imponat. Non enim omnes omnia possunt æqualiter, & unus quasi proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius vero sic. Unde in libro Numerorum dicitur: *Num. 4* Aaron, & filii eius intrabunt, ipsi quoque disponent onera singulorum, & divident quid portare quis debeat. Aaron & filii eius sunt Prælati maiores, & minores, qui debent intra- C re, id est interiora cuiusque agnoscere, & secundum quod convenit singulis onus Religiosæ conversationis imponere, & propter triplicem observantiæ qualitatem, quæ sunt tres lapides pretiosi, in primo versu quatuor ordinum prædicatorum.

Prima observantia consistit in illis, quæ sunt iuxta cuiusque professionis formam de necessitate salutis, quæ ita annexa sunt ordini & regulæ, ut eorum transgressio temeraria inducat mortale peccatum, ut est obedientia præcepti, voluntaria paupertas, castitas, & alia præceptorie imperata, in quibus locum non habet dispensatio magistri, cum & ipse sit ad ea servanda ligatus. Hæc necesse est Prælatum vigilanter agnoscere, quia tenetur ea facere, ab omnibus studiose servari, & nolentes cogere ad servandum, & pro nulla causa permittere, quantum in se fuerit, aliquem contraire, etiam si magna propter hoc sibi, & fratribus tribulatio seu dispendium immineret. Quis nos separabit a charitate Christi, ait Paulus, tribulatio, an angu- *Rom. 8* stia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? quasi dicat: Non debet. Hoc est contra illos qui dicunt. Si sic, vel sic non acquireretur, necessitas fratribus, ne possent hic aliquatenus sustentari. Cum talis forma conquirendi est contra regulam, & in scandalum, & Religionis deformitatem: melius est ibi non esse Religiosos, ubi non possunt, vel non volunt vivere ut Religiosi, quia tunc nec ipsi pereunt, nec alii de ipsis scandalizantur, dicente Domino: Qui scandali- *Mat. 18* zaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut &c. Quid ergo qui multos & magnos scandalizat? Ista consideratio prima debet esse gemma lucens in pectore Pontificis, id est præ omnibus curanda.

Secunda versatur circa illa, quæ spectant exercitium altioris perfectionis scilicet singularis, patientiæ admirandæ, humilitatis stupendæ, charitatis arduæ, sobrietatis eximiæ, paupertatis & sublimis devotionis, & similium virtutum, ad quas debet rector commissos, exhortationibus, monitis, & exemplis efficacibus afficere, & attrahere magis, quam invitos cogere. Consilia enim perfectionis suadentur, non imperantur: præter ea, quæ in voti emissione exprimuntur, ut continentia. Præcipua tamen causa monasticæ institutionis fuit, ut esset schola palæstralis, exercitii perfectionis. Palæ- *Palæstra.* stra, ut dicitur, fuit ludus nude luctantium, qui se oleo perungebant, ne a colluctantibus teneri possent, & ita ad terram deiici. Et apte similatur a Paulo luctamini Religio- *1 Cor. 9* sorum, cum dicit: Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Rector igitur & hanc gemmam ferat in pectore, ut sectatores suos doceat, & provocet, non solum

lum viam tenere, qua salventur, A sed etiam ad perfectionem tendere, per quam sublimem in cœlo gloriam assequantur.

Tertia consistit in illis, quæ nec sunt de pura necessitate salutis, nec de eminentia perfectionis, sed tamen ad utriusque acquisitionem, & conservationem a sanctis patribus apte statuta sunt, ad exercitium bonorum operum & decorem ipsius religionis, & ad ædificationem intuentium, ut sunt ieiunia, silentium, solemnitas divinorum officiorum, & exteriores corporalium exercitationum honestates, quæ iuxta Apostolum tam utiles sunt, sicut instrumenta pro artificiis quæ possent & aliter peragi a peritis, cum prius fuerint artes B quam talia instrumenta. Unde discretus Prælatus, cum necessitas exigit, vel maior utilitas requirit, dispensat in causa pro talibus pro loco, & tempore, sine difficultate, cum viderit expedire. Ubi autem maior utilitas, vel necessitas non exigit, studiose faciat ea servare. In hoc indiget Prælatus non modica discretione, ut sciat inter rigorem & remissionem medium tenere. Si autem nimis fuerit rigidus & ipse minus erit dilectus fratribus, & illi minus erunt voluntarii ad alia quæ utiliora, & necessaria forent. Rursum si fuerit plusquam convenit remissus in talibus cito maior dissolutio subsequetur. Qui spernit modica, C paulatim decidet, ait Sapiens.

1 Tim. 4

Eccl. 19

Circa lapsorum correptionem discretio Prælati similiter vigere debet. Hic est ordo secundus, tres gemmas continens, quia triplex continentia ad hoc est necessaria, sicut sunt tria genera delinquentium: Quidam enim cum deliquerunt, mox aut intus moti a spiritu, aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt. His cum clementiæ fomentis medicus spiritualis remedia satisfactionis sic temperata debet adhibere, quibus & satisfaciant Deo de offensis, & proximo de scandalo, ut ceteri peccare magis timeant, & tamen propter levitatem remedii ipsos non pœniteat, se pœnitentiæ submisisse, nam dicit Paulus: Si præ-

Gal. 6

occupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui spirituales estis, subaudi, medici, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans temetipsum, &c. id est, talem ei satisfactionem imponite, per quam cognoscat pondus reatus sui, ita tamen clementer, sicut tibimet velles alium compati, si tali peccato delinqueres. Et hæc est una gemma secundi ordinis, discretio talis. Alii cum delinquunt, tegunt, palliant, defendunt, & virus interius latet. Et licet rector ex certis indiciis deprehendat ibi saniem putridam esse collectam, tamen non ita erumpet exterius, nec per evidens testimonium, nec per voluntariam confessionem, quod possit opportune ferro aperta correctionis secare. Si corripit non proficit, & videtur magis vitiorum diffamator, quam vitiosorum correctors sed movetur & dissimulat, uritur & anxiatur tam pro anima fratris quam pro se, quia non corrigit delinquentem. Cum ergo aliud congrue facere non possit, portet, dissimulet, patientiam suam exerceat: & quod arguendo non valet, orando laboret obtinere, ut aut Deus citius demum corrigat, aut latentem eius malitiam detegat, ut aliquod remedium apponatur. Sicut Dominus Judam proditorem diu tacite toleravit, quod eum aperte non corripuit, donec in tantum eius iniquitas crevit, quod per se patenter erupit. Quæ quamdiu latuit, licet in se lethaliter ægrotaret, tamen aliis non nocuit, & ideo irreprehensibiliter potuit tacite tolerari, nam dicit Dominus in Matthæo: Sinite utraque crescere usque ad messem, id est, zizania cum tritico, & in Apocalypsi dicitur: Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Debet tamen talibus, ubi potest, caute caveri ab occasione peccandi, & in communi moneri debent, ut resipiscant, juxta illud: Væ homini illi: per quem filius hominis tradetur. Sed cum ad tam singulare facinus non potuisset Judas subito proruisse, nisi diu paulatim in deterius semper prolapsus, apparet eum a Domino in malo statu diu occulte toleratum. Ego tacens, & quasi non

Mat. 13

Apoc. ult.

Mat. 26

Isa. 57

videns. Talis ergo dissimulatio in A corde rectoris multa discretione indiget, ut in neutro deviet a justo. Et hæc est gemma secundi ordinis secunda in pectore sacerdotis. Tertii offendunt graviter aperte, & non recipiunt debitam correctionem, vel ficte recipiunt, quia non emendantur, & alii ex eis fiunt deteriores, vel scandalizantur de ipsis, vel imitari eos incipiunt, si vident eos impuner peccare, volentes sibi parci, sicut illis parcitur. Ubicumque ergo quatuor illa conveniunt, scilicet, graviter, aperte peccare, & non esse spem correctionis propter obstinationem, seu inveteratam mali consuetudinem, & alios infici per ejus exemplum, vel scandalizari, quia talia tolerantur: quid restat, nisi ut B ovis morbida abiiciatur, & membrum putridum præcidatur, ne sana inde inficiantur, & corrumpantur? Unde dicit Apostolus: Utinam & abscindantur, qui vos conturbant, & ad Corinthios: Auferte malum ex vobismetipsis. Quod si infidelis discedit, discedat. Et Lucas dicit: Succide ergo illam, scilicet, ficum infructuosam, ut quid etiam terram occupat? & Matthæus: Omnis arbor quæ non fert fructum bonum, excidetur, & in Numeris: Præcipe filiis Israel, ut eiiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo ne contaminent ea, cum habitaverint vobiscum, &c. Ad ista tamen non debent impetu ferri, sed maturo consilio prudentum, & spiritum Dei & donum consilii habentium. Omnia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis, & in Matthæo: Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris: hoc est, cujus vita in habitu religionis magis scandalizat simplices, quam ædificet, expedit, ut foris missus, solus damnetur, quam per eum sacra religio contaminetur.

Gal. 5
1 Cor. 5
2 Cor. 7
Luc. 13
Mat. 3.
Num. 5.
Eccl. 32
Mat. 18

Tertius ordo versatur circa negotia, quæ per Prælatum sunt disponenda, quorum alia expedit, ut aliis disponenda committat, alia per seipsum disponat, alia præcidat, & removeat, quantum valet. Sic Christus commisit alia discipulis procuranda, ut Judæ loculos, sibimet retinuit prædicationis & curationis officium, ut patet in Luca. Requisitus enim ut inter fratres quosdam hereditatem divideret, respondit: Homo, quis me constituit judicem aut divisorem inter vos? Exteriora & temporalia corporalis necessitatis officia, si per seipsum voluerit actu disponere, impeditur ab interiorum & meliorum provisione, quia sparsus ex se mentis oculus minus videt interiora & necessariora saluti. Unde in Exodo dicitur: Esto tu populo in his quæ sunt ad Deum, & levius feres partito in alios onere, scilicet leviorum, & in actis: Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, &c. Si alios non haberet, quibus curam exteriorum committeret, potius deberet ab alio fraudem in temporalibus pati, quam ipse Prælatus in talibus occuparetur, exemplo Christi qui sciens Judam esse furem, tamen permisit eum exteriora procurare, juxta illud: Fur erat, & loculos habebat, & ea quæ mittebantur, portabat. Hoc est contra illos, qui facilius inveniunt, quibus curam animarum committant, quam rerum suarum temporalium: cum incomparabiliter majus sit dispendium periclitari animas, quam res perire. C Spiritualia vero & quæ ad salutem necessaria sunt, & profectum virtutum, principaliter debet animarum custos & rector sibimet curanda retinere, cum hæc sint de substantia officii pastoralis, & de his maxime sit in judicio rationem Domino redditurus. Hæc sunt qualiter regula studiose servetur, & alia statuta, & ordinis disciplina. Item quod pax & dilectio sit inter fratres. Item, ad ipsum pertinet conscientias singulorum agnoscere, & de quibuslibet perplexitatibus expedire, pericula peccatorum providere & præcavere, monere fratres ut proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos, qualiter officia sibi commissa congrue administrent, quo & fratribus, prout convenit, sufficiant,

Luc. 12
Exod. 18
Act. 6
Ioan. 12

ciant, & conscientiam non offendant. A Ubi vero non potest hominibus satisfieri, nisi cum offensa Dei, ibi servetur ad Deum obedientia, & ad homines patientia, & dicamus cum Petro: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus. *Act. 5*

Prælatus vero gerit vicem capitis in corpore fraternitatis, ut cum alia membra dedita sunt actionibus sibi competentibus, caput omnibus præsidendo provideat, quasi omnium sensuum capax, & omnia regens & sensum & motum omnibus transmittens per jussiones, vel concessiones sanctæ obedientiæ, quasi quorumdam compaginatione nervorum: unde & caput singulari actione non occupatur, ut vacet omnium membrorum B provisioni. Omnibus enim proficit, pro omnibus audit, odorat, gustat, & loquitur. Sic & Prælatus sibi commissis. Ipsis enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ait Apostolus. *Heb. 13*

Superflua vero & non necessaria saluti, vel profectui animarum negotia, expedit præcidere, & tam a se, quam a fratribus quantum opportune poterit removere. Cum enim propter temporis brevitatem, & diei malitiam vix necessariis sufficimus disponendis, si supervacuis vel alienis volumus occupari negotiis, negligimus utiliora & meliora, cum distractus animus ad plura, fit minor ad singula provide peragenda. C Inde fit aliquotiens, cum Prælati & Religiosi nimis se exterioribus occupationibus implicant, ædificiorum, librorum, causarum, & aliorum, quibus fructuosius carerent, ut non solum meliora interim negligant, sed etiam conscientiam sæpius inquinent, & ex usu exteriorum tenebrescat oculus mentis ad contemplationem spiritualium & internorum, & tepescat ad desiderium supernorum. Sicut enim humores noxii affluunt, ubi fuerit in corpore læsio, nisi caute removeantur, ne fiat ibi tumor vel ulcus: ita & negotia crescunt ad extinctionem spiritus, qui se eis acquieverit occupari. Ideo discretio Prælati debet provide prospicere, quid ex quolibet eventu possit consequi, & quæ negotia admittere, vel quantum expediat ea exequi, circumspecte rimari. Ait enim Sapiens: Fili ne in multis sint actus tui. Qui sarcinam satis gravem portat, imprudens est, si adhuc onera plura sibi portanda imponit, quibus potest opportune carere. *Eccli. 11*

Super omnia vero debet semetipsum rector circumspicere, ne aliis providens seipsum negligat: ne alios salvans, seipsum in periculum demergat. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Hic est quartus ordo gemmarum triplici circumspectione, quasi pretiosorum trium lapidum ornatu complendus, ait enim Joannes: Videte vosmetipsos, ne perdatis quæ operati estis, supple, in aliis: sed ut mercedem plenam suscipiatis. *Mat. 16* *1 Ioan.*

Una circumspectio sui versatur, ut illa semper secura sit & munda. Secura sit ut nihil velit, agat, iubeat, vel permittat illicitum & indecens, professionique suæ contrarium, in quo peccatum seu scandalum deprehendatur. Munda, ut de bonis quæ fecit, vel promovet, gloriam ab hominibus non captet, nec sibimet exinde immoderate placeat, solius Dei beneplacitum in omnibus quærens, ut quæ pro eo facit, id est, vice Dei, etiam pure faciat propter eum & ipsius amorem. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, hoc est, si intuitus intentionis purus fuerit charitate, totum corpus bonæ operationis dignum erit præmio lucis æternæ, Si autem nequam fuerit, &c. Scrutetur ergo conscientiam suam, solicite dijudicans quid egerit, quod omiserit de agendis, & quo fine bona fecerit, & de malis doleat, & confiteatur, & corrigat & caveat, de bonis vero non in se, sed in Domino glorietur cum Apostolo, qui ait, Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Qui pulverem ab aliis detergit, vix potest transire, nisi & ipse pulvere respergatur, quem etiam in se detergere necesse habet, juxta illud: Medice cura teipsum. De bonis vero quæ facit sic lætetur, *Mat. 6* *1 Cor. 11* *Luc. 4*

ut inde non extollatur, æstimans A quod non propter se, sed propter alios quibus præest, Deus dederit ei benefacere vel dicere vel sentire.

Alia circumspectio sui versatur circa exteriores mores & verba, quibus oportet eum aliis magis quam sibimet deservire. Qui enim pluribus cogitur vivere ad exemplum, & satisfacere singulis & omnibus placere multa indiget discretione, ut medium valeat tenere, ne sit nimis tristis vel hilaris, nimis severus vel lenis, nimis socialis vel alienus, nimis tacitus vel verbosus: nimis dure loquens vel blande, nimis rigidus vel remissus, nimis sæpe cum hospitibus vel raro, nimis laute reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum B observans vel dissimulans, nimis fovens aliquos vel alios parvipendens, & similia. Cum ergo non possit semper teneri, quod de omnibus placeat: minus tamen deviat, si ad benignitatis partem plus declinat, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei libentius obtemperant, & audacius ad eum recurrunt, in quibus indigent, & alacrius imitantur. Ipsa enim potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis, & si huic jungitur austeritatis severitas pavidis fit mentibus onerosa. Vos *Ezech. 34* autem cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oves meæ, dicit Dominus. Et in Ecclesiastico: Noli esse quasi leo in C *Eccl. 4* domo tua, subvertens domesticos tuos. Hinc est, quod ipse summus princeps pastorum Dominus Jesus tantam nobis benignitatis charitatem exhibuit, ut se nobis faceret amabilem & ita imitabilem, ut per amorem suæ humanitatis traheret ad amorem & cognitionem suæ divinitatis, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Sic & vicarius Christi Prælatus, ad hoc maxime studeat a subditis diligi, ut sic facilius trahat eos ad amorem Christi. In omni tamen dubio semper magis inclinet se ad illud, quod secundum veritatis judicium virtuti charitatis & humilitatis, & professæ puritati magis consonat, & Evangelicæ perfectioni.

Ultimo etiam ipsa discretio, quæ cetera omnia dijudicat, circumspiciat seipsam, ne ei contingat ut oculo corporis, qui cum alia videat, non videt seipsum: videlicet ne plus sapiat quam opportet sapere, ne sibi plus credat quam expedit, ne sit sapiens in oculis suis, quia teste Beato Gregorio: sicut subditorum tentatio est reprehendere in prælatis quod in multis non recte agant, ita prælatorum tentatio est, quod se ceteris sapientiores æstimant. Unde dicitur: Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus. Stultus enim sibimet non confidens, quærit consilium a sapientibus ne decipiatur. Ille autem dum de se plus quam debet præsumit, etiam ubi errat, recte se plerumque sentire deceptus putat. Inter omnes autem tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet, proprio sensui nimis inniti. Cum enim nemo reperiatur ita perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli, qui hoc totum & solum reputat justum quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit. Ait enim Psalmista: Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Ibi enim libentius insidiatur, ubi majores meritorum divitias cernit inquiri, ut ubi innocentem inquirat & occidat, ubi se Deo magis obsequium præstare sperabat. Unde cautum est semper rectori, consilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc triplex humilitas consistit. Primo, si alii idem sentiunt quod & ipse, securior est quod non decipiatur. Secundo quidquid fecerit cum prudentium consilio, si aliquid inde evenerit contrarii minus ei poterit imputari, quam si de suo tantum sensu id fecisset. Tertio, quod sæpe in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere per se vel alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Jetro soceri sui gratum habuit & servavit. Hinc Apostolus Paulus Spiritu sancto repletus, Evangelium quod per revelationem Jesu

Greg. in past. l. 25 Mor. c. 14 cir. fin. *Prov. 26* *Psal. 9* *Exo. 18* *Gal. 2*

Jesu Christi didicerat, ipsius instin- A ctu ascendens Hierusalem, cum Petro & Joanne & Jacobo coapostolis suis contulit, ut esset securior in prædicando, cum ab eis non discordaret: & exemplum per hoc daret fidelibus prælatis consilium requirendi. Om- Eccl. 32 nia cum consilio fac, & post factum non pœnitebis, ait Scriptura. Aliqui vero cum ad officium regiminis assurgunt, ita se continuo repletos spiritu scientiæ reputant, ut omnia antecessorum suorum facta stulta judicent & perversa: alii vero e contrario cum ab eodem absolvuntur officio, quæcumque successores eorum faciunt, simili modo condemnant, non attendentes, quod sicut ipsi aliorum facta deprimunt, ita eorum fa- B cta alii possunt despicere, huic dicit Isa. 33 Isaias? Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris? Nullorum enim facta tam studiose solent ab aliis observando notari sicut illorum, qui aliorum facta severe dijudicant, si forte in quo ipsi alios arguunt reprehensibiles reprehendantur.

Sunt enim duo genera hominum, quorum consilia prudens rector non facile debet recipere, scilicet adulatores & detractores. Primi istorum seducunt eum, ut magis de se quam Isa. 3 expedit, præsumat: juxta illud: Qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant, ne de te vera sentias humilitate propriæ cognitionis. Secundi inducunt C eum ut pejus, quam habet de aliis suspicando sentiat, & sæpe innocentes condemnet, & priusquam veritatem rei plene cognoscat, dicente Esth. 16 scriptura: Aures principum simplices, & ex sui natura aliud æstimantes, callida fraude decipiuntur, & malis quorumdam suggestionibus regum studia depravantur, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt, ut omni laude sint digni, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, &c. Cum autem tribus de causis soleat requiri consilium, scilicet propter emendationem, ut discatur de quo dubitatur, propter auctoritatem ut magis habeat vigoris quod per tales consultum fuerit & propter pacem, ne habeant aliqui occasionem murmurandi: propter primam causam, consulendi sunt prudentiores, propter secundam nominatiores, & propter tertiam omnes ad quos negotium pertinere videtur. Sed quia singularia sine numero sunt, in quibus discretio est necessaria, non potest dari certa & communis regula, quæ valeat pro omnibus.

CAPUT VIII.

Quod sexta prælatorum ala est devotio ad Deum.

SExta & ultima ala, sine qua reliquæ perfici non valent, maxime est necessaria, ut sit devotus ad Deum per quem zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est unctio spiritus, docens de 1 Joan. 2 omnibus, quæ expediunt saluti. Unde dicit Joannes: Vos unctionem habetis a Spiritu sancto, & nostis omnia, & non necesse habetis, ut aliquis vos doceat: sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus. Devotio mentem illuminat ad cognoscendum quid sit melius. Unde Dominus di- Joan. 14 cit: Docebit vos omnia, & suggeret, &c. Inflammat ad appetendum bonum. Unde & in Ecclesiastico dici- Eccl. 24 tur: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, &c. Roborat ad Philip. 2 perficiendum. Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Facit horrere Psal. 118 peccata, dicente Psalmista: Iniqui- Apoc. 10 tatem odio habui, & in Apocalypsi, liber comestus dulcis gustu, amaricat ventrem. Actiones ordinat ad vir- Cant. 2 tutes: sicut dicitur in Canticis: Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Mores exterius componit & verba, sicut dicit Tobias: Numquam cum ludenti- Tob. 3 bus miscui me, neque cum iis qui in levitate ambulant: Scientiam fidei dulcem reddit. Sapientia enim secundum nomen suum est, id est, Rom. 8 sapida scientia. Spem infiduciam erigit. Ipse enim Spiritus sanctus reddit testimonium nobis quod sumus Rom. 5 filii Dei. Amorem Dei accendit, Exod. 33 nam

nam dicit: Charitas Dei diffusa est A
in cordibus nostris per Spiritum san-
ctum qui datus est nobis. Deo fa-
miliarem efficit juxta illud, loque-
batur Dominus cum Moyse, sicut
homo loqui solet ad amicum suum.
Dat fiduciam impetrandi petita, si-
1 Ioan. 3 cut habebat Joannes cum dicebat:
Fiduciam habemus ad Deum, &
quodcumque petierimus, accipiemus.
Psal. 19 Orationem impinguat. Psalmus: Ho-
Eccli. 38 locaustum tuum pingue fiat, & in
Ecclesiastico, ait enim: Impingua
oblationem. Pium & affectuosum fa-
cit, juxta illud: Suavis, humanus
& benignus est spiritus sapientiæ.
Sap. 7 Cor humiliat, ut ait Isaias: Super
Isa. 66 quem requiescet spiritus meus? nisi
super humilem? &c. Oleum spiri- B
tum premit in ola fervente. Contra
adversa constantiam præstat. Unde
Psal. 26 dicit Psalmista: Dominus illumina-
Rom. 8 tio mea, & salus mea, quem time-
Sap. 8 bo. Et Apostolus: Quis nos separa-
bit a charitate Christi: Omnia opera
bona delectabilia facit, juxta illud:
Non habet amaritudinem conversatio
illius, nec tædium, sed lætitiam &
gaudium. Mentem in superna ele-
vat: Si direxerit ad Deum cor suum,
spiritum ejus & flatum ad se trahet.
Eccle. 1 Mundum vilescere facit, dicente Ec-
clesiaste: Vidi quæ fiunt cuncta sub
sole, & ecce omnia vanitas. Deside-
Philip. 1 rare cœlestia cogit. Hinc Apostolus
dicit: Coarctor e duobus desiderium
habens dissolvi, & esse cum Chri- C
sto. Peccata delet, & pœnas peccati.
Unde ait Dominus: Remittuntur
Luc. 7 ei peccata multa, quoniam dilexit
multum. Merita sublimat, teste Sa-
Sap. 8 piente, qui ait. Si divitiæ appetun-
tur, quid sapientia locupletius, quæ
omnia operatur. Proximos maxime
ædificat. Unde dicitur. Offerte illi
incensum dignum in odorem suavi-
tatis. Et Christi bonus odor sumus.
Dæmones fugat. Nam fumus ejus
extricat omne genus dæmoniorum.
Angelos invitat & Sanctos: ait enim
Eccli. 45 Psalmista: Prævenerunt principes
2 Cor. 2 conjuncti psallentibus, & Tobias:
Tob. 6 Quando orabas cum lacrymis, &c.
Psal. 67 Hæc & multa alia devotionis gratia
Tob. 12 confert. Ideo præcipue rector anima-
rum studiosus esse debet eam habere,

per quam semper informetur quid
faciat, adjuvetur ut possit, conser-
vetur ne deviet. Non enim pro se
orare necesse habet, sed etiam pro
illis qui sibi commissi sunt, quos non
sufficit sine divino auxilio custodire.
Nam, nisi Dominus custodierit ci- Psal. 126
vitatem, &c. Est enim Prælatus me-
diator inter Deum & subditos, ut
sicut negotium Dei gerit apud illos,
docendo, corrigendo, sursum agen-
do, ita etiam negotia eorum studeat
apud Deum fideliter promovere, pla-
cando gratiam impetrando, & con- Deut. 5
servando a malo. Unde scriptum est:
Ego sequester & medius fui inter
Deum & vos.

Alia autem devotio communis, Triplex devotio.
alia specialis, alia assidua: Commu-
nis in divinis officiis, specialis in o-
rationibus, assidua in omnibus agen-
dis. Circa divina triplicem debet ha-
bere diligentiam devotionis, scilicet
ut omnia fiant ordinate, & non con-
fuse, & sine erroris hæsitatione: ut
quisque deputatum ministerium, con-
grue exequatur. Unde Paulus dicit.
Omnia honeste & secundum ordi-
nem fiant in vobis: nam dicitur in 1 Cor. 14
Paralipomenis: David & omnis ex- 1 Par. 25
ercitus segregaverunt in ministerium
Domini, qui prophetaverunt in ci-
tharis, psalteriis, & cymbalis se-
cundum numerum suum dedicato sibi
officio servientes. Item ut strenue
& non pigre seu desidiose opus Do-
mini, scilicet divini cultus officium
peragatur. Quia ait Hieremias: Ma- Hier. 48
ledictus qui facit opus Dei fraudu-
lenter, &c. Item, ut devote, & re-
verenter sine aliqua dissolutione, &
strepitu distincte & attente divina
officia persolvantur, sicut in con-
spectu Angelorum, & in præsentia
Dei, sicut dicitur in Ecclesiastico: Eccl. 39
In omni corde & ore collaudate &
benedicite nomen Domini.

Officium enim divinum in Eccle-
sia Spiritus sanctus ordinavit fieri
quinque de causis. Primo propter
imitationem cœlestis concentus, quo
Sancti & Angeli in cœlo assidue in
præsentia Dei ejus laudibus sunt in-
tenti. Unde dicit Psalmista: Beati Psal. 83
qui habitant in domo tua Domine,
in sæcula sæculorum laudabunt te,
Cum

Mat. 28 Cum enim secundum promissionem suam dicat Dominus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi, hic dignetur Christus nobiscum esse veraciter, tam sacramentaliter, quam spiritualiter: dignum est, nos ei pro modulo nostro aliqualem exhibere reverentiam honoris & laudis, iuxta exemplar similitudinis cœlestis, ut ei & si non continue, sicut illi cęli cantores, saltem interpolate pro nostra fragilitate psallendo, alacriter assistamus imitantes illam quæ sursum est, Hierus. matrem nostram, ut ait Paulus. *Gal. 4*

Secundo, ut beneficiorum Dei memores, certis horis gratias pro his laudando & orando, ei jugiter referamus, qui natus in nocte ex Maria Virgine, mane iudici passurus assistitur, diluculo resurrexit, hora tertia flagellatur, & post, Spiritum sanctum misit Apostolis, sexta crucifixus, nona in cruce pro nobis mortuus, vespere cœnans, corporis & sanguinis sui nobis sacramenta tradidit, & completorio sepultus est. Missarum autem celebratio non tantum eius nobis passionis mysterium memorandum ingerit, sed & præsentiæ suæ gratiam exhibet, & sub forma sacramenti nos seipso spiritualiter pascit. Si ergo iustum est, nos horum numquam oblivisci, ita expedit, ea semper recolere certis horis. Unde Isaias ait: Miserationum Domini recordabor, laudem eius super omnibus quæ reddidit nobis. *Isa. 63*

Tertio, ut nosmetipsos sic assidue ad devotionem excitemus, & ignem amoris Dei per hoc nobis, nec per desidiam, seu alias occupationes tepescat, continue reaccendamus, sicut iussit Dominus Moysi dicens: Ignis est iste perpetuus, qui numquam deficiet, quem nutriet sacerdos in altari, subiiciens mane ligna. Ignis est devotionis fervor, qui semper in altari cordis ardere debet, quem sacerdos devotus semper, subiiciendo ligna divinæ laudis, debet nutrire, ne aliquando extinguatur. Unde dicit Psalmista: Benedicam Dominum in omni tempore, &c. *Lev. 6* *Psal. 33*

Quarto, ut simplices fideles qui per se nesciunt certa orandi tempora A eligere, per hoc ad orationis studium assuefaciamus, ut saltem tunc ad Ecclesiam oraturi conveniant, quando ibidem divinæ laudis officia persolvuntur, & ut minus afficiantur tædio ibi persistendi, quamdiu coram se vident clericos celebrare divina. Unde in Luca dicitur: Omnis multitudo populi erat foris hora incensi. Multi enim rudes vix unquam se orationi offerrent, si foris non certis temporibus in Ecclesiam ex consuetudine, ad divinorum celebrationem, & verbi Dei recitationem, ordinarie vocarentur. *Luc. 1*

Quinto propter decorem Religionis Christianæ: quia decens est & congruum, ut si Judæi & Gentiles & B quidam hæretici quandoque conventicula sua faciunt, & sua profana ibi commercia celebrant, & ritus suæ perfidiæ observant, multo dignius qui vera & sacrosancta habent sacramentorum mysteria, ad ea celebranda, & veneranda sæpe conveniant, & debita conditori suo laudum solemnia persolvant, quibus & gratiam Dei ampliorem merentur, & vitam æternam, & quibus alliciantur simplices ad Religionis sanctæ reverentiam & amorem. Propter quod scriptum est; Dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora, &c. Inter omnes ergo exteriores observantias maior debet diligentia divino officio adhiberi, ut sicut dictum C est, ordinate fiat, strenue & devote. Alia enim tempora facimus pro Deo, in hoc autem assistimus Deo, & intendimus Deo, & alloquimur eum & nos ipse, simul & pro nostris necessitatibus eius auxilium postulamus. *Eccli. 47*

Specialis devotio consistit in orationibus privatis, in familiaribus vocalium orationum recitationibus, veluti, Psalmorum, lætaniarum, & aliarum orationum quas in secreto quisque per se extra ordinarie ruminando persolvit. Nam dicit Dominus: Cum oratis, dicite: Pater noster. Item in sacris meditationibus, cum quis ante mentis oculos recolligit peccata propria, & miserias, & futura supplicia, vel beneficia Dei generalia, seu specialia, & passionem Christi, & bonitatis eius dulcedinem, & *Mat. 6*

& præmia repromissa, ut ex his concipiat devotionis affectum, timoris, vel amoris Dei, desiderii, mœroris vel gaudii spiritualis, juxta illud: Meditatus sum nocte cum corde meo, &c. *Psal. 76* Item in piis erga Deum affectibus, & lacrymis, & suspiriis, & sanctis desideriis amoris, & aliis internis & ineffabilibus motibus cordis, in iubilis, excessibus, & raptu, & absorptione spiritus in Deum, quo adhærens Deo, unus fit spiritus cum eo *1 Cor. 6* per puræ intelligentiæ lucem, & cognitionem Dei, & amoris ejus ardorem, & glutinosam fruendi inhæsionem. *Rom. 8* Ipse enim spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Quod si prælatus præpeditur variis curarum distractionibus, speciali devotioni sæpius intendere: saltem interdum, cum opportune videlicet, quasi furtim & raptim ad orationis studium se conferat, ne omnino refrigescat, ne in dissuetudinem orandi veniat, ne Deo alienus efficiatur, ne gratia divinæ propitiationis ei quasi insensibiliter subtrahatur. Unde Moyses cum per populi negotia exterius vexaretur, crebro in tabernaculum fœderis ad Dominum recurrit, familiare ipsius colloquium ibi expetens, quo intrinsecus in spiritu reficeretur. Dominus *Luc. 6* quoque diebus prædicans turbis, noctibus in orationibus solus pernoctavit. Et licet parva detur mora prælato orandi, tamen quia pro aliis debet ex officio orare, datur ei quandoque propter alios copiosior orandi gratia, ut quibus prodest agendo, possit etiam orando prodesse, tantum non negligat quærere, nec abiiciat cum offertur, ne ex merito ingratitudinis ab eo gratia elongetur, assidua devotio semper ei debet adesse, sicut & quibuslibet proficere volentibus in Religionis virtute. Et ipsa triplex est. Una est iugis memoria Dei ante oculos cordis. Unde dicitur: Providebam Deum in conspectu meo semper, *Psal. 15* & alibi: Oculi mei semper ad Dominum. *Psal. 24* In omni loco & tempore semper debet homo studere Deo intendere, quasi sit coram eo per mentis intuitum. Unde solebant dicere Elias, & Elisæus: Vivit Dominus, in cujus conspectu sto. *3 Reg. 18* Sicut enim Angeli quocumque mittantur, tamen a divina contemplatione non recedunt: ita homo, virtutis pro suo posse, semper Dei memoriam a suo corde non removeat. Unde si aliquando contigerit, semetipsum inde redarguat. Nam dicit Bernardus: Omne tempus quo de Deo non cogitas, puta te perdidisse. *Bern. lib. Meditationum cap. 6 post. med.* Nam & si profunde non possis cogitationem tuam semper in ipsum defigere meditando, saltem memorando cordis intuitum in eum dirige, & cum datur opportunitas, ipsa memoria in meditationem seu orationem formetur, sicut qui materiam formandæ imaginis secum circumfert, ut cum habuerit opportunitatem, aliquid in ea sculpendo operetur.

Alia est continuum studium Deo placendi, in omni actione, vel locutione, ut semper quasi in ejus præsentia caveat, unde ei displiceat, & doleat si forte fecerit, & studeat in quo & qualiter ei possit magis placere; *Secunda devotio.* dicebat enim Apostolus: Contendimus sive absentes sive præsentes placere illi. *2 Cor. 5* Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi. Semper enim debet Religiosus se gerere, quasi in proximo sit tribunali summi judicis præsentandus. Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet, dicebat Dominus discipulis suis. *Luc. 12* Omnia nostra videt, quæ facimus, & sicut non obliviscitur bonorum operum ad præmiandum ex diuturnitate temporis, ita nec malorum ad puniendum, nisi per pœnitentiam diluantur. Unde peccator, contemnens animam suam, dicit, in Ecclesiastico: Nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus, *Eccl. 23* & non intelligit, quoniam omnia videt oculus ejus, &c.

Tertia est, omnia agenda oratione saltem mentali prævenire, ad omnes eventus oratione se præmunire, *Tertia devotio.* & omnia beneficia gratiarum actione prosequi, ac laude divina, agenda petat a Domino sibi salubriter inspirari, eventum dirigi ad salutis profectum,

fectum beneficia augeri, & conservari. Sicut enim nauta providens tempestatem, festinat sæpius ingredi portum securum, ita Religiosus ad orationis portum continue confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat & in omnibus agendis semper plus orationi fidat, quam propriæ industriæ, vel labori. Unde scriptum est: Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut ad te oculos nostros dirigamus, videlicet in oratione, & Psalmista: Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, &c.

2 Par. 20

Psal. 122

His igitur & aliis pennis Ecclesiasticus seraph idest prælatus spiritualis, Domino sedenti super solium excelsum & elevatum, ornatus assistat: quarum primas duas super caput elevet, mediis duabus corpus & pedes contegat, ultimis duabus in latum & altum volet: ut zelum ejus non humanæ laudis fervor deprimat, nec compassionem ejus carnalis inclinet affectus: sed sursum recta intentio sustollat, & fraternæ charitatis pietas in altum erigat, propter retributionem supernam, juxta illud Psalmistæ: Inclinavi cor meum ad faciendas, &c. Patientia vero, & vita exemplaris contegant eum a perturbationum iaculis, & a nuditate inopiæ meritorum, quibus quasi armis defendatur & quasi sacris vestibus adornetur. Unde ait Isaias, induere fortitudine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ. Circumspectione vero ubique circumvolet, videndo quid & qualiter sit agendum, & devotionis studio quæ sursum sunt, quærat, ubi Christus est in dextera Dei sedens sublimi volatu ad ipsum accedens. Licet autem omnes, qui præsunt animabus, has virtutes non possint omnes æqualiter habere, tamen omnino necessarium est eis, aliquatenus non carere tam pro fructu ædificationis illorum, quibus præsunt, quam propriæ salutis profectu. Quilibet etiam Religiosus, qui seipsum habet regere, & de suiipsius regimine rationem Deo est redditurus in extremo examine, his alis & pennis, quantum sibimet indiget, oportet adornari, & in superna sublevari, ut sit fervens in justitia, compatiens proximis propter Deum, patiens in adversis, bono exemplo alios ædificans, circumspectus in omnibus, & super omnia Deo per orationis studium familiariter adhærens, qui eum in omnibus protegat, dirigat, & promoveat, & tandem ad cœlestia evolare faciat. Quod nobis præstare dignetur JESUS CHRISTUS. Amen.

Psal. 118

Isa. 52

Colos. 3

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM, QUOD INSCRIBITUR.

LEGENDA S. FRANCISCI.

Cum hoc volumen inter cætera complectatur ea, quæ ad religiosos præcipue ad fratres Ordinis Minorum spectant, eaque primum Opuscula apponantur, quæ idem Auctor ad instructionem fratrum sui Ordinis, & ad eorumdem defensionem composuit; non abs re visum est in principio collocare Opusculum, quod Legenda S. Francisci inscribitur, ut auctor est Trithemius, in quo de vita S. Francisci per quindecim capita agitur: & postea de ejusdem Sancti miraculis, ut videre licet in Prologo ipsius S. Bonaventuræ. Hoc autem Opusculum licet antea extra tomos Opusculorum vagaretur, nunc denuo huic editioni adjunctum est quantum fieri potuit suo pristino nitori restitutum ope antiqui exemplaris. MS. ex bibliotheca Illustrissimi, & Reverendissimi D. Cardinalis Sernani ex Ordine Minorum: cui S. Bonaventuræ Operum edendorum a Sixto Quinto Pontifice Maximo cura commissa est: quique pro emittendis virorum illustrium sui Ordinis libris auctis, & illustratis, nec labori nec impensis parcit.

PROLOGUS.

APPARUIT gratia Dei Salvatoris nostri diebus istis novissimis in servo suo Francisco omnibus vere humilibus, & sanctæ paupertatis amicis, qui superaffluentem in eo Dei misericordiam venerantes, ipsius erudiuntur exemplo, impietatem, & sæcularia desideria funditus abnegare, Christo conformiter vivere, & ad beatam spem desiderio indefesso sitire. In ipsum namque ut vere pauperculum, & contritum, tanta Deus excelsus benignitatis condescensione re-

respexit, quod non solum de mundialis conversationis pulvere suscitavit egenum: verum etiam Evangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque præconem effectum, in lucem dedit credentium: ut testimonium perhibendo de lumine, viam lucis, & pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim quasi stella matutina in medio nebulæ, claris vitæ micans, & doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris, & umbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, & tamquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem, & salutem evangelizavit hominibus, existens, & ipse Angelus veræ pacis, secundum imitatoriam quoque similitudinem præcursoris destinatus a Deo, ut viam parans in deserto altissimæ paupertatis tam exemplo quam verbo pœnitentiam prædicaret: primum supernæ gratiæ præventus donis, dehinc virtutis invictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon, & angelico deputatus officio, incendioque seraphico totus ignitus, & ut vir hierarchicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitæ decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu, & virtute Eliæ. Ideoque alterius amici sponsi Apostoli, & Evangelistæ Joannis vaticinatione veridica sub similitudine Angeli ascendentis ob ortu solis signumque Dei vivi habentis astru tur non immerito designatus. Sub apertione namque sexti sigilli, Vidi, ait Joannes in Apocalypsi, alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi. Hunc Dei nuntium amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, servum Dei fuisse Franciscum, indubitabili fide colligimus: si culmen in eo eximiæ sanctitatis advertimus, quam inter homines vivens imitator fuit puritatis angelicæ, qua, & positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum, & pie, non solum inducit officium, quod habuit, vocandi & fletum, & planctum, calvicium, & singulum facA ci, signandique thau super frontes virorum gementium, & dolentium signo pœnitentialis crucis, & habitus cruci conformis: verum etiam irrefragibili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viventis, Christi videlicet crucifixi: quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem vel ingenium artis: sed potius per admirandam potentiam Spiritus Dei vivi: Ad hujus tam venerabilis viri vitam omni imitatione dignissimam describendam indignum, & insufficientem me sentiens, id nullatenus attentassem: nisi me fratrum fervens incitasset affectus, generalis quoque Capituli concors induxisset instantia, B & ea, quam ad sanctum patrem habere teneor, devotio compulisset: ut pote, qui per ipsius invocationem, & merita in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, a mortis faucibus erutus, si præconia laudis ejus tacuero, timeo sceleris argui, ut ingratus. Et hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, ut ego, qui vitam, corporis & animæ a Deo mihi conservatam recognosco per ipsum, & virtutem ejus in me ipso expertus agnovi vitæ illius virtutes, actus, & verba quasi fragmenta quædam partim neglecta, partimque dispersa, quamquam plene non possem, utcumque colligerem: ne morientibus iis, qui cum C famulo Dei convixerant, deperirent. Ut igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda certius mihi constaret & clarius, adiens locum originis, conversationis, & transitus viri sancti cum familiaribus ejus adhuc superviventibus collationem de his habui diligentem, & maxime cum quibusdam, qui sanctitatis ejus, & conscii fuerunt, & sectatores præcipui: quibus propter agnitam veritatem probatamque virtutem fides est indubitabilis adhibenda. In descriptione autem eorum, quæ per servum suum Deus dignanter effecit, curiosum styli ornatum negligendum esse putavi, cum legentis devotio plus simplici sermone, quam phalerato proficiat. Nec semper historiam secundum ordinem temporis texui propter

Ioan. 1

Apoc. 7

pter confusionem vitandam, sed potius ordinem servare studui magis aptæ juncturæ, secundum quod eodem peracta tempore diversis materiis, vel diversis patrata temporibus eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem vitæ ipsius, progressus, & consummatio quindecim distincta capitulis describuntur inferius annotatis.

Agitur enim primo de conversatione ipsius in habitu sæculari.

Secundo de perfecta conversione ejus ad Deum, & de reparatione trium Ecclesiarum.

Tertio de institutione religionis, & approbatione regulæ.

Quarto de profectu ordinis sub manu ipsius, & confirmatione regulæ prius approbatæ.

Quinto de austeritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Sexto de humilitate, & obedientia, & de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

Septimo de amore paupertatis, & mira suppletione defectuum.

Octavo de pietatis affectu, & quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum.

Nono de fervore charitatis, & desiderio martyrij.

Decimo de studio, & virtute orationis.

Undecimo de intelligentia Scripturarum, & spiritu prophetiæ.

Duodecimo de efficacia prædicandi, & gratia sanitatum.

Tertio decimo de stigmatibus sacris.

Quartodecimo de patientia ipsius, & transitu mortis.

Quintodecimo de canonizatione, & translatione ipsius.

Postremo de miraculis post transitum ejus felicem ostensis aliqua subnectuntur.

Caput I.

De conversatione ejus in habitu seculari.

VIR erat in Civitate Assisii Franciscus nomine, cujus memoria in A benedictione est pro eo quod Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benigne præveniens, & de præsentis vitæ periculis clementer eripuit, & cœlestis gratiæ donis affluenter implevit. Etenim cum inter vanos fuerit hominum filios juvenili ætate nutritus in vanis, & post aliqualem litterarum notitiam lucrativis mercationum deputatus negotiis: superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lascivos juvenes, quamvis effusus ad gaudia, post carnis petulantiam abiit: nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, speravit in pecunia, & thesauris. Inerat namque juvenis Francisci præcordiis divinitus indita quæ- B dam ad pauperes miseratio liberalis: quæ secum ab infantia crescens tanta cor ipsius benignitate repleverat, ut jam Evangelii non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maxime si divinum allegaret amorem. Cum autem semel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleemosynam præter morem solitum vacuum repulisset: statim ad cor reversus cucurrit post ipsum, & eleemosyna illi clementer impensa, promisit Domino Deo, quod numquam ex tunc, dum adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret, quod usque ad mortem indefessa pietate observans, copiosa C in Deum dilectionis, & gratiæ incrementa promeruit. Ajebat enim post cum jam perfecte Christum induerat, quod etiam existens in habitu sæculari vocem divini expressivam amoris audire vix umquam sine cordis immutatione valebat. Porro mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia, & tractabilitas supra humanum modum, munificentiæ largitas ultra suppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adolescens certis florere conspiciebatur indiciis, quædam videbantur esse præludia, quod copiosior super eum foret in posterum divinæ benedictionis abundantia diffundenda. Quidam sane vir de Assisio valde simplex, ut creditur eruditus a Deo, cum aliquando per civitatem

eunti

eunti obviaret Franciscus deponebat A pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens omni fore Franciscum reverentia dignum: utpote qui esset in proximo magna facturus, & ob hoc ab universitate fidelium magnifice honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consilium Dei, pro eo quod tam jussione patris ad exteriora distractus, quam corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cœlestia, nec assueverat degustare divina. Et quia spirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, & immutatio dexteræ excelsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligens: ut coaptaret B animam ad sancti Spiritus unctionem. Cumque resumptis corporeis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset; obvium habuit militem quemdam generosum quidem, sed pauperem, & male vestitum, cujus pauperiem pio miseratus affectu illum protinus se exuto vestivit: ut simul in uno geminum impleret pietatis officium, quo, & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam relevaret. Nocte vero sequenti cum se sopori dedisset palatium speciosum, & magnum cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitum clementia sibi divina monstravit, ut misericordiam pro summi regis amore, pauperi ex- C hibitam militi, præostenderet incomparabili compensandam esse mercede. Unde, & cum quæreret cujus essent illa omnia: sua fore militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Evigilans itaque mane cum nondum haberet exercitatum animum ad divina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam invisibilium veritatem, magnæ fore prosperitatis indicium existimabat insolitam visionem. Disposuit itaque divinæ adhuc dispositionis ignarus in Apuliam ad quemdam liberalem comitem se conferre in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, ut ostensa sibi visio prætendebat. Cumque paulo post iter aggressus ivisset usque ad proximam civitatem, audivit in nocte Dominum familiari sibi allocutione dicentem: Francisce quis potest melius facere tibi, Dominus, aut servus, dives aut pauper? cui cum Franciscus respondisset, quod tam Dominus quam dives facere melius potest, intulit statim: Cur ergo relinquis pro servo Dominum, & pro paupere homine divitem Deum? Et Franciscus: Quid me vis Domine fecere? Et Dominus ad eum: Revertere in terram tuam: quia visio quam vidisti spiritualem præfigurat effectum, non humana sed divina in te dispositione complendum. Mane itaque facto cum festinatione revertitur versus Assisium securus, & gaudens: & jam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. Ex tunc a publicæ negotiationis tumultu se subtrahens, supernam devote precabatur clementiam, ut quid sibi foret agendum ostendere dignaretur. Cum autem ex frequenti orationis usu flamma desiderii cœlestis in eo vehementer succresceret, & jam pro amore supernæ patriæ terrena omnia despiceret, quasi nihil: thesaurum sentiebat se reperisse absconditum: ac velut prudens negotiator margaritam inventam, excogitabat venditis omnibus comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat: nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quod spiritualis mercatio a mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit a sui ipsius victoria inchoanda. Quadam itaque die dum equitaret per planitiem, quæ subjacet civitati Assisii, leprosum quemdam habuit obvium, cujus inopinatus occursus ei non parvum incussit horrorem. Reccurens autem ad perfectionis mente jam conceptæ propositum, & recolens quod seipsum oporteret primum devincere, si vellet effici Christi miles, ad deosculandum eum equo lapsus occurrit. Cui cum manum quasi aliquid accepturus leprosus protenderet: pecuniam cum osculo reportavit. Statim autem equum ascendens, & se circumquaque convertens, cum campus pateret undique liber, leprosum illum minime vidit. Admiratione itaque

que repletus, & gaudio, laudes cœpit Domino decantare devote, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus: in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet: post longam precum instantiam a Domino meruit exaudiri. Dum enim una dierum sic sequestratus oraret, & præ nimietate fervoris totus esset absorptus in Deum: apparuit ei Christus JESUS veluti cruci confixus. Ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeo impressa medullitus, ut ab illa hora, cum Christi crucifixo veniret in mentem, vix posset a lacrymis & gemitibus exterius continere: sicut ipse postmodum familiariter retulit, cum appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud Evangelicum
Matt. 16. sibi dici: Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me. Induit ex tunc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, & affectum intimæ pietatis. Nam cum prius leprosum non solum consortium verum etiam longinquum contuitum vehementer horreret: iam propter Christum crucifixum, qui
Is. 53. iuxta verbum propheticum contemptibilis, ut leprosus apparuit: ut semetipsum plenum contemneret, humilitatis, & humanitatis obsequia leprosis beneficia pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorum, liberaliter eis eleemosynas erogabat, & cum multo compassionis affectu, manus eorum osculabatur, & ora. Pauperibus etiam mendicantibus non solum sua, verum etiam seipsum cupiebat impendere aliquando vestimenta exuens, aliquando, dissuens aliquando scindens ad largiendum eis, cum præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reverenter subveniebat, & pie, præcipue in ornamentis altaris: quo, & cultus divini particeps fieret, & cultorum inopiæ supplementa præberet. Cum autem religiosa devotione tunc temporis limina visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores Ecclesiæ partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, uni ex eis magis egenti proprias largitus est vestes, & semicinctis contectus illius, diem illum in medio pauperum cum insolita spiritus iucunditate transegit, ut & sæcularem gloriam sperneret, & ad perfectionem Evangelicam gradatim conscendendo perveniret. Mortificationi carnis invigilabat attentius, ut Christi crucem quam interius ferebat in corde, exterius etiam circumferret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciscus nondum habitu, vel convictu sequestratus a mundo.

CAPUT II.

De perfecta conversione ejus ad Deum, & de reparatione trium Ecclesiarum.

Quoniam autem servus Altissimi doctorem non habebat aliquem in huiusmodi nisi Christum: addidit adhuc ipsius clementia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadam egressus ad meditandum in agro deambularet iuxta Ecclesiam sancti Damiani, qui minabatur præ nimia vetustate ruinam, & in eam instigante se Spiritu causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem Crucifixi non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumque lacrymosis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem: Francisce vade, & repara domum meam, quæ, ut cernis tota destruitur. Tremefactus Franciscus, cum esset in Ecclesia solus, stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens divini virtute eloquii mentis alienatur excessu. In se tandem reversus ad obediendum se parat, & totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Ecclesia reparanda: licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus suo sanguine acquisivit: sicut eum Spiritus sanctus edocuit, & ipse postmodum fratribus revelavit. Surrexit proinde signo crucis se mu-

munieus & assumptis pannis venalibus ad civitatem, quæ Fulgineum dicitur, festinus accessit: ibique venditis quæ portaverat, equum, cui tunc insederat, felix mercator assumpto pretio dereliquit. Rediensque Assisium, Ecclesiam, de cujus reparatione mandatum acceperat, reverenter intravit: & invento illic sacerdote pauperculo, ei reverentiam decentem exhibuit, & ad reparationem Ecclesiæ & pauperum usum pecuniam obtulit: & ut secum se morari pateretur ad tempus humiliter requisivit. Acquievit sacerdos de mora ipsius: sed timore parentum pecuniam recusavit. Quam verus pecuniarum contemptor in quamdam fenestram proiiciens, abiectam velut pulverem vilipendit. Moram autem faciente servo Dei cum sacerdote prædicto, cum hoc intellexit pater ipsius perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipse quia novus Christi erat athleta, cum audiret persequentium minas, & eorum præsentiret adventum, dare locum iræ volens, in quadam occulta fovea se abscondit: in qua diebus aliquibus latitando rogabat Dominum incessanter lacrymarum imbre perfusus, ut liberaret de manibus persequentium animam suam, & pia quæ inspiraverat vota benigno favore compleret. Igitur excessiva quadam completus lætitia cœpit de pusillanimitatis ignavia semetipsum arguere: relictaque fovea, & abiecto pavore versus civitatem Assisii iter aggressus est: Quem cum cives cernerent facie squalidum, & mente mutatum ac per hoc alienatum putarent a sensu, luto platearum, & lapidibus impetebant, & tamquam insano, & dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autem Domini nulla fractus aut mutatus iniuria, ut surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem huiusmodi pater audisset, statim accurrens non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum omni miseratione subtracta pertractum domi, primo verbis deinde verberibus, & vinculis angit. Ipse autem ad exequendum Domino quod cœperat promptior ex hoc & validior reddebatur: recolens illud Evangelii

A verbum: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Mat. 5.* Post modicum vero tempus patre a patria discedente mater eius factum mariti non approbans, & inflexibilem filii constantiam emolliri posse non sperans, a vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens: ad locum in quo prius fuerat, est reversus. Rediens autem pater, & eum non inveniens domi: conviciis illatis uxori fremens cucurrit ad locum, ut si eum revocare non posset, saltem de provincia effugaret. Franciscus vero confortatus a Deo obvium ultro se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo

B ducere vincula, & verbera eius, insuper, & contestans se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Ardens itaque pater, quod eum revocare non posset, ad extorquendam pecuniam se convertit: qua tandem inventa in fenestrula quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, avaritiæ siti utcumque per haustum pecuniæ temperata. Tentabat deinde pater carnis filium gratiæ, pecunia iam nudatum ducere coram Episcopo civitatis, ut in ipsius manibus, facultatibus renuntiaret paternis, & omnia redderet, quæ habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit verus paupertatis amator: perveniensque coram Episcopo,

C nec moras patitur, nec contatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit, sed continuo depositis omnibus vestimentis restituit ea patri. Inventus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnem sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando fervore, spiritu ebrius reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad Patrem: Usque nunc vocavi te Patrem in terris: amodo autem secure dicere possum: Pater noster, qui es in cœlis, apud quem omnem thesaurum reposui, & omnem spei fiduciam collocavi. Hoc cernens Episcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei fervorem protinus exsurrexit, & inter brachia sua illum cum fletu recolligens, uti erat vir pius & bonus pallio quo erat ami-

ctus operuit, præcipiens suis, ut aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda: oblatus est autem ei mantellus pauper, & vilis cuiusdam agricolæ servientis Episcopi. Quem ipse gratanter suscipiens, cum cæmento, quod sibi occurrit ad modum crucis manu propria consignavit: operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis seminudi. Sic igitur servus Regis altissimi nudus relictus est, ut nudum sequeretur crucifixum Dominum, quem amabat, sic utique cruce munitus, ut animam suam ligno salutis committeret per quod de mundi naufragio salvus exiret. Solutus exinde mundi contemptor a vinculis mundanarum cupidinum, civitate relicta, securus, & liber secretum solitudinis petiit, ut solus, & silens supernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per silvam quamdam iter faciens, laudes Domino lingua Francorum vir Dei Franciscus decantaret cum jubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo quis esset interrogantibus, vir Dei confidentia plenus prophetica voce respondit: Præco sum magni Regis. At illi percutientes eum in defossum locum plenum nivibus projecerunt, dicentes: Jace rustice præco Dei. Ipse vero recedentibus illis exiluit de fovea, magnoque exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium personare. Et veniens ad quoddam vicinum cœnobium Eleemosynam petiit, ut mendicus: & recepit ut incognitus, & despectus. Inde vero progrediens devenit Eugubium, ubi a quodam amico pristino agnitus, & susceptus, paupere tunicula, ut Christi pauperculus est contectus. Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratque cum eis diligentissime serviens omnibus propter Deum. Lavabat ipsorum pedes, ligabat ulcera, educebat plagarum putredinem, & saniem abstergebat, osculabatur etiam ex miranda devotione ulcerosas plagas ipsorum Evangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est a Domino consecutus virtutem, ut in spiritualibus & corporalibus morbis mirabi-

A liter expurgandis mirabilem efficaciam obtineret. Referam unum de multis quod accidit viri Dei fama postmodum latius clarescente. Cum enim cuiusdam de comitatu Spoletano, os pariter & maxillam morbus quidam horribilis depascendo corroderet: nec subveniri posset eidem aliquo medicinæ remedio, contigit ut propter sanctorum exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus de peregrinatione rediens, servo Dei occurreret: cumque præ devotione vellet ipsius osculari vestigia vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes osculum oris dedit. Dum autem leprosorum servus Franciscus mirabili pietate illam plagam horri-

B bilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, subito æger ille sanitatem recuperavit optatam. Nescio quod horum magis sit merito admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo. Fundatus iam in Christi humilitate Franciscus ad memoriam reducit obedientiam sibi e cruce iniunctam de S. Damiani Ecclesia reparanda, & tanquam verus obediens Assisium rediit, ut saltem mendicando voci divinæ pareret. Depositaque omni verecundia propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus attritum ieiuniis one-

C ribus lapidum supponendo. Prædicta igitur Ecclesia iuvante se Domino & devotione civium assistente refecta: ne post laborem corpus torperet ignavia, transtulit se ad reparandam Ecclesiam quamdam B. Petri longius a civitate distantem ob devotionem specialem, quam ad Apostolorum Principem sinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem Ecclesia consummata pervenit ad locum, qui Portiuncula dicitur: in quo Ecclesia Beatissimæ Virginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat: sed deserta, tunc a nemine curabatur. Quam cum vir Dei sic derelictam conspiceret ob devotionem ferventem, quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic assidue pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem iu-

juxta nomen ipsius Ecclesiæ, quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi visitationum frequentiam pedem fixit ibidem propter reverentiam Angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir sanctus amavit præ ceteris mundi locis, hic etenim humiliter cœpit, hic virtuose profecit, hic feliciter consummavit, hunc in morte fratribus tamquam Virgini charissimum commendavit. De hoc frater quidam Deo devotus ante conversionem suam visionem viderat relatione condignam. Innumeros cernebat homines cæcitate percussos, facie in cœlum directa, & genibus flexis, in hujus Ecclesiæ stare circuitu: qui omnes protensis manibus in altum, lacrymabiliter clamabant ad Deum, misericordiam postulantes & lumen. Et ecce ingens de cœlo splendor advenit se per omnes diffundens, qui lumen unicuique tribuit & salutem desideratam concessit. Hic est locus, in quo Fratrum Minorum ordo a S. Francisco per divinæ revelationis instinctum inchoatus est. Divinæ namque providentiæ nutu, qua Christi servus dirigebatur in omnibus, tres materiales erexit Ecclesias antequam ordinem inchoans Evangelium prædicaret, ut non solum a sensibilibus ad intelligibilia, a minoribus ad majora ordinato progressu conscenderet: verumetiam ut quid esset facturus in posterum sensibili foris opere mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundum datam ad eo formam, regulam, & doctrinam, Christi triformiter renovanda erat Ecclesia, trinaque triumphatura militia salvandorum, sicut & nunc cernimus esse completum.

CAPUT III.

De institutione Religionis, & approbatione regulæ.

IN Ecclesia igitur Virginis Matris Dei moram faciente servo ipsius Francisco, & apud eam, quæ con-

A cepit Verbum plenum gratiæ & veritatis continuis insistente gemitibus, ut fieri dignaretur advocata ipsius, meritis matris misericordiæ concepit ac peperit spiritum Evangelicæ veritatis. Dum enim die quodam Missam de Apostolis devotus audiret, perlectum est Evangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Evangelicam in vivendo, ne videlicet possideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod audiens & intelligens ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis amicus indicibili mox perfu-

B sus lætitia: Hoc est, inquit, quod cupio hoc quod totis præcordiis concupisco. Solvit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram reiicit, & pecuniam execratur, unaque contentus tunicula, rejecta corrigia pro cingulo funem sumit: omnem solicitudinem cordis apponens qualiter audita perficiat, & Apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet. Cœpit ex hoc vir Dei divino instinctu Evangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pœnitentiam ceteros invitare. Erant autem ipsius eloquia non inania nec risu digna, sed virtute Spiritus Sancti plena erant, medullas cordis penetrantia, ut in vehementem stuporem audientes con-

C verterent. In omni prædicatione sua pacem annuncians, dicendo: Dominus det vobis pacem: populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem Domino revelante didicerat, sicut ipse postmodum testabatur. Unde factum est, ut juxta sermonem propheticum, & ipse prophetarum spiritu afflatus annuntiaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui discordes a Christo prius extiterant a salute longinqui. Innotescente itaque apud multos viri Dei tam Doctrinæ simplicis veritate, quam vitæ: cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem rejectis omnibus habitu, vitaque conjungi, quorum primus exti-

tit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis divinæ particeps factus, patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quam privilegio sanctitatis. Hic enim servi Christi sanctitate comperta, ipsius exemplo disponens perfecte contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, consilium requisivit. Quo audito Dei famulus pro primæ prolis conceptu Sancti Spiritus consolatione repletus: a Deo est, inquit, hoc consilium requirendum. Intraverunt proinde Ecclesiam S. Nicolai mane jam facto, & oratione præmissa cultor Trinitatis Franciscus, ter Evangeliorum librum aperuit, trino exposcens a Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit:
Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. In secunda: Nihil tuleritis
Luc. 9. *Matth. 16.* in via. In tertia vero: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est, ait vir sanctus, vita & regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint societati conjungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice, quæ audisti: Non multo post vocatis eodem spiritu quinque viris filiorum Francisci senarius numerus completus est: inter quos tertium sortitus est locum sanctus pater Ægidius, vir utique Deo plenus, & celebri memoria dignus, hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione præclarus sicut famulus Domini de ipso prædixit quamquam esset idiota & simplex ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum sursum actionibus incessanter adeo crebris in Deum rapiebatur excessibus, quemadmodum & ego ipse oculata fide conspexi, ut magis censeretur inter homines vitam Angelicam agere, quam humanam. Illo quoque tempore cuidam Sacerdoti civitatis Assisii nomine Silvestro honestæ conversationis viro, quædam a Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cum enim modum & viam Francisci, fratrumque suorum humano spiritu abhorret, ne periclitaretur pro temeritate judicii, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. Videbat namque in somnis totam Assisii civitatem a dracone magno circumdari, præ cujus magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio subjacere. Contuebatur post hæc crucem quamdam auream ex ore procedentem Francisci, cujus summitas cœlos tangebat, cujusque brachia protensa in latum usque ad mundi fines, videbantur extendi. Ad cujus etiam aspectum præfulgidum draco ille teter & horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertio monstraretur, divinum existimans esse oraculum, viro Dei & fratribus suis per ordinem enarravit; ac non multo post tempore mundum relinquens vestigiis Christi sic perfecte adhæsit, quod vita ipsius in ordine authenticam reddit eam, quam in sæculo habuerat visionem. Ex hujus visionis auditu vir Dei non in gloria est elatus humana, sed bonitatem Dei in suis beneficiis recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam & crucis Christi gloriam prædicandam. Quadam autem die dum in quodam solitario loco annos suos in amaritudine recogitans deploraret, sancti Spiritus in eum superveniente lætitia certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se & filios suos futura erant, luculenter aspexit. Post hoc reversus ad fratres: Confortamini, ait, charissimi, & gaudete in Domino, nec quia pauci estis efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas: quoniam sicut mihi a Domino in veritate ostensum est, & in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit.

Eodem quoque tempore quodam alio bono viro Religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta pervenit. Tunc pius pater omnes ad se filios convocavit & plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ

priæ voluntatis, corporisque castigatione pronuntians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes orbis aperuit. Jam enim sterilis & paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem filios, & desiderabat universitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Ite, inquit dulcis pater ad filios, annuntiantes hominibus pacem, prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graves, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum. At illi coram servo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ Pal. 34. mandatum. Ipse vero dicebat unicuique sigillatim: Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Hoc verbum dicere solitus erat quotiescumque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipse sciens se datum aliis in exemplum, ut prius faceret quam doceret, cum uno sociorum versus unam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum crucis, tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem elapso post tempore, benignus pater charæ prolis exoptans præsentiam, cum in unum eos per se convocare non posset: per eum orabat hoc fieri, qui dispersiones congregat Israelis. Sicque factum est, ut absque humana vocatione, omnes ex insperato post modicum temporis juxta ejus desiderium divina operante clementia non sine ipsorum admiratione pariter convenirent. Illis quoque diebus quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerum excreverunt.

Cernens autem famulus Christi, paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi & fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua sancti Evangelii observantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad uniformem vivendi modum necessaria videbantur. Desiderans autem per summum Pontificem approbari, A quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ sedis adire præsentiam, de sola confisus directione divina. Cujus desiderium Deus ex alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suæ consideratione perterritos ostensa viro Dei visione hujusmodi confortavit. Videbatur siquidem ei, quod per quamdam viam incederet, juxta quam stabat, arbor celsitudinis magnæ. Ad quam cum appropinquasset, & sub ea stans ipsius altitudinem miraretur, subito tantum divina virtute levabatur in altum, ut cacumen contingeret arboris, ejusque summa facillime curvaret ad ima. Hujus visionis præsagium vir Deo B plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis, exhilaratus est spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis iter cum eis aggressus est. Cum autem ad Romanam curiam pervenisset, & adduceretur ante conspectum Summi Pontificis, essetque Christi Vicarius in palatio Lateranensi, in loco, qui dicitur Speculum, deambulans, altis occupatus meditationibus, Christi famulum tamquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter, foras egresso, sequenti nocte hujusmodi revelatio facta est a Deo ipsi Summo Pontifici. Videbat namque inter pedes suos palmam paulatim succrescere, & in arborem pulcherri- C mam elevari. Et eo mirante, quid hæc visio vellet ostendere, divina lux impressit menti ipsius Christi Vicarii, quod hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandavit per suos famulos per urbem dictum pauperem quæri. Quem inventum juxta Lateranum in hospitali S. Antonii, ante conspectum suum celeriter jussit adduci. Cumque introductus esset ante conspectu Summi Pontificis, exposuit suum propositum, petens humiliter & instanter supradictam sibi vivendi regulam approbari. Videns autem Christi Vicarius Dominus Innocentius III. vir utique sapientia clarus admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem: propositi constan-

ſtantiam, ignitumque voluntatis A ſanctæ fervorem, Chriſti pauperem mentis amore complectens inclinatus eſt animo, ut pium ſupplicanti præberet aſſenſum. Diſtulit tamen perficere quod Chriſti poſtulabat pauperculus, pro eo quod aliquibus de Cardinalibus novum aliquid & ſupra vires humanas arduum videretur. Aderat autem inter Cardinales, vir venerandus D. Joannes de ſancto Paulo Epiſcopus Sabinenſis, omnis ſanctitatis amator, & adjutor pauperum Chriſti. Qui divino Spiritu inflammatus Summo Pontifici dixit, & fratribus ſuis: Si petitionem pauperis hujus, tamquam nimis arduam, novamque refellimus, cum petat confirmari ſibi formam B Evangelicæ vitæ, cavendum eſt nobis ne in Chriſti Evangelium offendamus. Nam ſi quis intra Evangelicæ perfectionis obſervantiam & votum ipſius dicat contineri aliquid novum aut irrationabile, vel impoſſibile ad obſervandum, contra Chriſtum Evangelii auctorem blaſphemare convincitur. Quibus propoſitis, ſucceſſor Apoſtoli Petri converſus ad pauperem Chriſti, dixit: Ora fili ad Chriſtum, ut ſuam nobis per te voluntatem oſtendat: qua certius cognita tuis piis deſideriis, ſecurius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum ſe conferens ad orandum precibus devotis obtinuit, & quod exterius ipſe proferret, & quod C interius Papa ſentiret. Nam cum parabolam de divite Rege cum muliere formoſa & paupere contrahente gratanter, & de prole ſuſcepta præferente generantis Regis imaginem, ac per hoc educanda de menſa ipſius ſicut a Deo acceperat, retuliſſet: ex illius interpretatione ſubjunxit: Non eſt formidandum, quod fame pereant æterni Regis filii & heredes: qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus Sancti virtutem de paupere matre nati: & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in religione paupercula generandi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus ſuis regnum promittit æternum, quanto magis illa ſubminiſtrabit, quæ communiter largitur bonis & malis? Hanc ergo parabolam & intellectum ipſius Chriſti Vicarius cum diligenter audiſſet, miratus eſt valde & indubitanter Chriſtum locutum in homine recognovit. Sed & viſionem, quam tunc temporis cælo perceperat, in hoc viro fore complendam, Spiritu divino ſuggerente firmavit. Videbat namque in ſomnis, ut retulit, Lateranenſem Baſilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam homo pauperculus modicus & deſpectus proprio dorſo ſummiſſo ne caderet ſuſtentabat. Vere, inquit, hic eſt ille, qui opere & doctrina, Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam. Inde præcipua devotione repletus petitioni ejus ſe per omnia inclinavit, ac Chriſti famulum ſpeciali ſemper amore dilexit. Proinde poſtulata conceſſit, & adhuc concedere plura promiſit. Approbavit regulam, dedit de pœnitentia prædicanda mandatum, & laicis fratribus omnibus, qui ſervum Dei fuerant comitati fecit coronas parvulas fieri, ut verbum Dei libere prædicarent.

Caput IV.

De profectu ordinis ſub manu ipſius, & confirmatione regulæ prius approbatæ.

Fretus exinde Franciſcus ſuperna gratia & auctoritate Papali cum fiducia multa verſus vallem Spoletanam iter arripuit, ut Evangelium Chriſti faceret & doceret. Dum autem in via conferret cum ſociis qualiter regulam, quam ſuſceperant ſincere ſervarent, qualiter in omni ſanctitate & juſtitia coram Deo incederent, qualiter in ſeipſis proficerent, & eſſent aliis in exemplum diutius collocatione protracta, hora pertranſiit. Et cum jam laſſati eſſent ex diuturnitate laboris eſurientes in quodam loco ſolitudinis ſubſtiterunt. Sane cum omnis via deeſſet qua poſſent ſibi de victu neceſſario providere: ſtatim affuit providentia Dei. Nam ſubito apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Chriſti dedit, ſubitoque diſparuit, in-

incognitus unde venerit, aut quo iret. A Cognoscente autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium magis dono liberalitatis divinæ, quam cibo carnis propriæ sunt refecti: insuper divina consolatione repleti, statuerunt firmiter & irrevocabiliter confirmaverunt, nullius mediæ aut tribulationis impulsu a sancto paupertatis resilire promisso. Exinde in vallem Spoletanam cum sancto proposito redeuntes tractare cœperunt, utrum inter homines conversari deberent, an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi servus Franciscus non de sua vel suorum confidens industria per orationis instantiam divinæ super hoc voluntatis beneplacitum requisivit. Supernæ igitur revelationis illustratus oraculo intellexit se ad hoc missum a Domino, ut Christo lucraretur animas, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quam sibi soli vivere prælegit: illius provocatus exemplo qui unus pro omnibus mori dignatus est. Recollegit itaque se vir Dei cum ceteris sociis in quodam tugurio derelicto juxta civitatem Assisii, in quo secundum sanctæ paupertatis formam in labore multo & inopia victitabant: magis lacrymarum, quam deliciarum panibus refici satagentes. Vacabant enim ibidem divinis precibus incessanter mentaliter potius quam vocaliter studio intendentes orationis devotæ pro eo quod nondum Ecclesiasticos libros habebant in quibus possent horas Canonicas decantare. Loco tamen illorum librum crucis Christi continuatis aspectibus diebus ac noctibus revolvebant: exemplo patris, & eloquio eruditi, qui jugiter faciebat eis de cruce Christi sermonem. [Matt. 6.] Rogantibus autem fratribus, ut eos doceret orare dixit: Cum orabitis, dicite: Pater noster, &c, Adoramus te Christe ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per crucem tuam sanctam redemisti mundum. Docuit insuper eos Dominum laudare in omnibus, & ex omnibus creaturis honorare præcipua reverentia sacerdotes, fidei quoque veritatem secundum quod sancta Romana tenet & docet Ecclesia, & firmiter credere, & simpliciter confiteri. Servabant illi Patris sancti documenta per omnia, & ad omnes Ecclesias & cruces quas e longinquo videre poterant juxta datam sibi formam orantes, se humiliter prosternebant. Contrahentibus autem fratribus moram in loco præfato, vir sanctus die quadam sabbati civitatem Assisii intravit prædicaturus mane diei Dominicæ, ut moris erat, in Ecclesia Cathedrali. Cumque in quodam tugurio sito in horto Canonicorum vir Deo devotus in oratione Dei more solito pernoctaret, corporaliter absentatus a filiis, ecce fere media B noctis hora quibusdam ex fratribus quiescentibus, quibusdam perseverantibus in orando: currus igneus mirandi splendoris per ostium domus intrans, huc atque illuc per domicilium tertio se convertit: super quem globus lucidus residebat, qui Solis habens aspectum, noctem clarere fecit. Obstupefacti sunt vigilantes excitati simul & exterriti dormientes, & non minus senserunt cordis claritatem, quam corporis, dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes videntibus invicem universis in cordibus singulorum sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu tali transfiguratum C effigie supernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatum supernali virtute in curru splendente simul & igneo sibi demonstrari a Domino, ut tamquam veri Israelitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium, ut alter Helias factus fuerat a Deo currus & auriga [4. Reg. 2.], credendum sane quod ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci, ut viderent magnalia Dei qui oculos quondam aperuerat pueri [4. Reg. 6.] ad videndum montem plenum equorum & igneorum curruum in circuitu Helisei. Regressus autem vir sanctus ad fratres cœpit conscientiarum ipsorum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, & de profectu ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret

Flu-

plurima quæ sensum transcendebant humanum, vere congnoverunt fratres, super servum suum Franciscum Spiritum Domini in tanta plenitudine quievisse, quod post ipsius doctrinam & vitam erat eis proficisci tutissimum. Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrum numerum superna gratia præeunte deduxit, ut ubi meritis Matris Domini, minorum sumpserat ordo initium, ipsius illic susciperet auxiliis incrementum. Ibi quoque factus Evangelicus præco civitates circuibat & castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi, quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus suavitatis, honoris, & honestatis uberes fructus afferre. Nam prædicationis ipsius fervore succensi quamplurimi utriusque sexus in conjugali pudicitia Domino famulantes, secundum formam a Dei viro acceptam, novis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum vivendi modum idem Christi famulus ordinem fratrum de pœnitentia nominari decrevit. Nimirum sicut in cœlum tendentibus, pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem, sic & hic status clericos & laicos, virgines & conjugatos in utroque sexu admittens, quanti sit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Convertebantur etiam virgines ad perpetuum cœlibatum, inter quas virgo Deo charissima Clara ipsarum plantula prima tanquam flos vernans & candidus odorem dedit, & tamquam stella præfulgida radiavit, hæc nunc glorificata in cœlis ab Ecclesia digne veneratur in terris, quæ filia fuit in Christo sancti patris Francisci pauperculi, & mater pauperum dominarum. Multi etiam non solum devotione compuncti, sed & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, A Francisci vestigia sequebantur, qui quotidianis succrescentes profectibus usque ad fines orbis terræ celeriter pervenerunt. Faciebat namque sancta paupertas quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiam promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant ubique, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, tamquam qui absque mentis turbatione vivebant, & sine sollicitudine diem crastinum & serotinum hospitium expectabant. Multa quidem eis in diversis partibus orbis inferebantur convitia tamquam personis despicabilibus & ignotis, verum amor B Evangelii Christi adeo ipsos patientes effecerat, ut quærerent potius ibi esse ubi persecutionem paterentur in corpore, quam ubi cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari favore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur ubertas, dum juxta consilium sapientis pro magno ipsis minimum complacebat. Sane cum ad infidelium partes, aliqui ex fratribus pervenissent, contigit, ut quidam Saracenus pietate commotus pecuniam eis offerret pro necessario victu. Illis autem recusantibus accipere admiratus est homo cernens, quod inopes essent. Intellecto tandem quod pauperes effecti amore Dei, pecuniam possidere C nolebant, tanta est eis affectione conjunctus, ut offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quamdiu facultatum sibi aliquid superesset. O inæstimabilis pretiositas paupertatis, cujus miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est immutata dulcedinem! Horrendum est proinde ac nefarium scelus, ut hanc margaritam nobilem vir Christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus.

Eo tempore religiosus quidam de ordine Cruciferorum, Moricus nomine in hospitali quodam prope Assisium languore tam gravi, tamque prolixo laborans, ut jam morti foret adjudicatus a medicis viro Dei supplex.

plex factus per nuntium postulabat instanter, ut pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus pater benigne assentiens, oratione præmissa panis micas accepit, & cum oleo accepto de lampade, quæ coram Virginis ardebat altari commiscens, quasi quoddam electuarium, per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens: Medicinam hanc fratri nostro deferre Morico, qua ipsum Christi virtus non solum plenæ sanitati restituet: verumetiam robustum bellatorem effectum, aciei nostræ perseveranter adjunget. Statim autem ut antidotum illud sancti Spiritus adinventione confectum æger homo gustavit, sanus exurgens tantum mentis & corporis a Deo vigorem obtinuit: ut paulo post viri sancti religionem ingressus, & unica tantum operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, & crudis dumtaxat cibariis, herbis videlicet, leguminibus, fructibusque contentus: per plura temporum lustra, nec panem gustaret, nec vinum: fortis tamen & incolumis perseverans. Crescentibus quoque virtutum meritis in parvulis Christi odor opinionis bonæ circumquaque diffusus, ad præsentiam sancti patris videndam plurimos e diversis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam sæcularium cantionum curiosus inventor, qui ab Imperatore propter hoc fuerat coronatus, & exinde rex versuum dictus, virum Dei contemptorem mundialium adire proposuit. Cumque apud castrum Sancti Severini eum prædicantem reperisset in Monasterio quodam, facta manu Domini super se vidit eumdem crucis Christi prædicatorem Franciscum duobus transversis ensibus valde fulgentibus in modum crucis signatum: quorum unus a capite ad pedes, alius a manu in manum per pectus transversaliter tendebatur. Non noverat facie servum Christi, sed tanto monstratum miraculo mox agnovit. Subito stupefactus ad visum, incipit meliora proponere. Tandemque verborum ipsius compunctus virtute, tamquam si esset gladio spiritus ex ejus ore procedente transfi-

A xus, sæcularibus pompis omnino contemptis, beato patri professione cohæsit. Propter quod videns ipsum vir sanctus ab inquietudine sæculi ad Christi pacem perfecte conversum, fratrem Pacificum appellavit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret minister in Francia, siquidem primus ibidem ministerii gessit officium, meruit iterato magnum Thau in fronte Francisci videre, quod colorum varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis, quas dirigebat litterulis, manu propria inscribebat, tamquam si omne ipsius studium foret signare Thau juxta dictum propheticum super frontes virorum gementium & dolentium, ad Christum Jesum veraciter conversorum. Processu quoque temporis multiplicatis jam fratribus, cœpit eos pastor sollicitus in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale capitulum convocare, ut in funiculo distributionis divinæ in terra paupertatis eorum unicuique tribueret obedientiæ portionem. Ubi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumque multitudo ultra quinque millia conveniret aliquando, divina tamen opitulante clementia, & victus sufficientia suberat: & salus comitabatur corporea & spiritualis jucunditas affluebat. Capitulis vero provincialibus, quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per sollicitam curam regiminis, instantiam precis, & efficaciam benedictionis spiritu præsens erat: quamvis aliquando mira Dei faciente virtute visibiliter appareret. Dum enim egregius prædicator, qui & nunc Christi præclarus confessor Antonius de titulo crucis Jesu Nazarenus Rex Judæorum, in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret, quidam frater probatæ virtutis Monaldus nomine, ad ostium Capituli divina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aere sublevatum extensis velut in cruce manibus, benedicentem fratres. Tanta vero & tam

B Ezec. 9.

C

tam insolita fratres omnes consolatione spiritus repletos se fuisse senserunt, ut de vera sancti patris præsentia certum eis intra se Spiritus testimonium perhiberet: licet postmodum id non solum per evidentia signa, verumetiam per ejusdem sancti Patris verba exteriori fuerit atteſtatione compertum. Credendum sane quod omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium sacrum antistitem tumulationi gloriosi concessit interesse Martini, ut pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam servum suum Franciscum prædicationi præsentavit veracis sui præconis Antonii, ut approbaret veritatis eloquia, præcipue crucis Christi, cujus erat bajulus & minister. Cum autem dilatato jam ordine, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum facere roborari hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent, vox ei desuper ait: Francisce unam de micis omnibus hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti, notabiles apparebant. Recitat mane vir sanctus hæc omnia sociis, dolens se non percipere mysterium visionis. Sequenti vero die cum vigil in oratione persisteret, hujusmodi vocem de cœlo delapsam audivit: Francisce micæ præteritæ noctis verba Evangelica sunt, hostia regula, lepra iniquitas. Volens igitur confirmandam regulam ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio monstrata redigere, in montem quemdam cum duobus sociis Spiritu sancto ducente, conscendit, ubi pane tantum contentus & aqua, jejunans, conscribi eam fecit, secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat. Quam cum de monte descendens, servandam suo Vicario commisisset, & ille paucis elapsis diebus assereret per incuriam perditam, iterato sanctus vir ad locum solitudinis rediit, eamque instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illico reparavit, & per supradictum dominum Papam Honorium octavo Pontificatus illius anno, sicut optaverat, obtinuit confirmari. Ad cujus observantiam fratres ferventer inducens, dicebat se nihil ibi posuisse secundum industriam propriam, sed omnia sic scribi fecisse, sicut sibi fuerant divinitus revelata. Quod ut certius constaret testimonio Dei, paucis admodum evolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini JESU digito Dei vivi, tamquam bulla summi Pontificis Christi ad confirmationem omnimodam regulæ, & commendationem auctoris, sicut post suarum enarrationem virtutum suo loco inferius describetur.

Caput V.

De austeritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

CUM igitur cerneret vir Dei Franciscus suo exemplo ad crucem Christi bajulandam ferventi spiritu plurimos animari, animabatur & ipse tamquam bonus Dux exercitus Christi ad palmam victoriæ per culmen invictæ pervenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum: *Gal. 5.* Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, ut crucis armaturam suo ferret in corpore: tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, ut vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parere. Propter quo cocta cibaria sanitatis tempore vix admittebat & raro, admissa vero aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ ut plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam, cum & de aqua frigida dum sitis æstuaret ar-

ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinveniebat abstinentiæ potioris, & quotidie exercitatione crescebat, licetque iam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiens semper aliquid innovabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius propter verbum Evangelii, conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborum: cum tamen ad interiora regressus districte servaret rigidam abstinentiæ parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subiectum Evangelio Christi per omnia reddens, non solum abstinendo, verumetiam manducando præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus ut frequentius lectus erat lassato cor- B pusculo, & sæpius sedens ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat, unica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino serviebat, & frigore. Interrogatus aliquando quomodo vestitu tam tenui se posset ab hiemalis algoris asperitate tueri, in spiritus fervore respondit: Si supernæ patriæ flamma per desiderium contegeremur interius, frigus istud exterius facile portaremus. Vestis horrebat mollitiem, asperitatem amabat, afferens propter hoc Joannem Baptistam ore divino fuisse laudatum. Si quando vero in data sibi tunica lenitatem sentiret, chordulis eam contexebat interius: quia non in casulis pauperum, sed in palatiis C Principum iuxta veritatis verbum vestimentorum dicebat requirendam esse mollitiem. Experientia enim certa didicerat, dæmones asperitate terreri, deliciosis autem & mollibus ad tentandum fortius animari. Unde cum nocte quadam propter infirmitatem capitis & oculorum, præter solitum morem cervical de pluma positum haberet ad caput: dæmon in illud ingressus ipsum usque ad horam matutinalem inquietatum multimode a sanctæ orationis studio perturbavit, donec vocato socio pulvinar cum dæmonio fecit extra cellulam longius exportari. Egressus autem cum pulvinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit, & usum: quousque ad vocem sancti

Matt. 11.

A patris hoc cognoscentis in spiritu vigor pristinus cordis & corporis sibi fuit plenarie restitutus. Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximam gerens de utriusque hominis puritate servanda: quapropter circa conversionis suæ primordia tempore hiemali in foveam plenam glacie seipsum plerumque mergebat, ut & domesticum sibi hostem perfecte subiiceret, & candidum vestimentum pudoris a voluptatis incendio præservaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat magnum sustinere frigus in carne, quam ardorem carnalis libidinis, vel modicum sentire in mente. Cum autem apud eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocavit eum hostis antiquus, tertio dicens: Francisce, Francisce: Cui cum quid quæreret, respondisset, fallaciter ille subiunxit: Nullus est in mundo peccator, cui, si conversus fuerit, non indulgeat Deus. Sed quicumque semetipsum pœnitentia dura necaverit, misericordiam non inveniet in æternum. Statim vir Dei per revelationem cognovit hostis fallaciam, quomodo nixus fuerit eum ad tepida revocare. Nam hoc sequens indicavit eventus. Continuo enim post hoc ad insufflationem illius, cuius alitus prunas ardere facit, gravis ipsum carnis tentatio apprehendit. Quam ut præsensit castitatis amator, deposita veste, chorda cœpit se verberare fortissime. Eia inquiens frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deservit, sanctitatis signaculum præfert, furari eam libidinoso non licet, si quo vis pergere perge. Insuper & mirando fervore spiritus animatus, aperta cella foras exivit in hortum, & in magnam demergens nivem corpusculum iam nudatum septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponens, suo sic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc maior uxor tua est, quatuor istæ, duo filii, & duæ filiæ, reliquæ duæ servus & ancilla, quos ad serviendum habere oportet. Festina igitur omnes in-

Job. 41.

induere, quoniam frigore moriuntur. Si vero eorum multiplex sollicitudo molestat, uni Domino sollicite servi. Illico tentator victus abscessit, & vir sanctus cum victoria in cellam rediit: quia dum bene pœnaliter alxit foris, ardorem interius sic extinxit libidinis, ut deinceps tale aliquid minime sentiret. Quidam autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia luna clarius incedente prospexit. Comperto vir Dei quod hoc ille nocte vidisset, referans ei tentationis processum, præcepit, ut quamdiu ipse viveret, nulli viventi rem, quam viderat, propalaret. Non solum autem mortificari debere docebat vitia carnis, & eius incentiva frænari: verumetiam exteriores sensus, per quos mors intrat ad animam, summa vigilantia custodiri. Mulierum familiaritates, colloquia & aspectus, quæ multis sunt occasio ruinæ, sollicitius evitari jubebat, asserens per hujusmodi debilem frangi, & fortem sæpe spiritum infirmari. Harum contagionem evadere conversantem cum eis, nisi probatissimum virum tam facile dixit, quam iuxta Scripturam in igne ambulare, & non comburere plantas. Siquidem ipse adeo averterat oculos suos, ne huiusmodi vanitatem viderent: quod sicut aliquando socio dixit, quasi nullam recognoscebat in facie. Non enim securum esse putabat, earum formarum introrsus haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Asserebat etiam frivolum esse mulieris colloquium excepta sola confessione vel instructione brevissima, juxta quod & saluti expedit, & congruit honestati. Quæ sunt, inquit, religioso cum muliere tractanda negotia, nisi cum sanctam pœnitentiam vel melioris vitæ consilium religiosa petitione deposcit? Ex nimia securitate minus cavetur hostis, & diabolus, si de suo capillum potest habere in homine, cito excrescere facit in trabem. Otium autem omnium malarum cogitationum sentinam docebat summopere fugiendum, exemplo demonstrans rebellem carnem & pigram disciplinis continuis, & fructuosis laboribus esse domandam. Unde corpus suum fratrem asinum appellabat, tamquam laboriosis supponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo sustentandum. Si quem vero cernebat otiosum & vagum aliorum velle manducare labores, fratrem muscam nominandum censebat: eo quod talis nihil boni faciens, sed benefacta inficiens, vilem & abominabilem se omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: Volo fratres meos laborare & exercitari. ne otio dediti, per illicita corde aut lingua vagentur. Evangelicum siquidem volebat a fratribus observari silentium, ut videlicet ab omni otioso verbo omni tempore abstinerent sollicite tanquam reddituri in die iudicii de hujusmodi rationem. Sed & si quem invenisset fratrem verbis assuetum inanibus, acriter arguebat: taciturnitatem modestam, & puri cordis affirmans custodiam, & non modicam esse virtutem, pro eo quod mors & vita fore dicuntur in manibus linguæ, non tam ratione gustus, quam ratione loquelæ. Licet autem pro viribus ad vitam austeram fratres induceret, non tamen ei placebat districtionis severitas, quæ pietatis non induit viscera, nec est discretionis sale condita. Cum enim quadam nocte unus ex fratribus præ nimietate abstinentiæ admodum fame cruciatus, nullam posset habere quietem, intelligeretque pius pastor ovi suæ imminere periculum, vocavit fratrem, apposuit panem, & ut ruborem illi tolleret, cœpit ipse prior commedere, eumque ad manducandum dulciter invitare. Deposuit frater verecundiam, sumpsit cibum gavisus quamplurimum, quod per circumspectam condescensionem pastoris, & corporis avasisset dispendium, & non modicum accepisset ædificationis exemplum. Mane facto, fratribus convocatis in unum, vir Dei referens quod acciderat nocte, provida commonitione subiunxit. Sit vobis fratres non cibus, sed charitas in exemplum. Docuit insuper eos discretionem sequi, ut aurigam virtutum, non eam, quam caro suadet, sed

Margin notes: Prov. 6. — Matt. 12. — Prov. 18. — Section letters A, B, C.

sed quam edocuit Christus, cujus sacratissimam vitam expressum constat esse perfectionis exemplar. Et quoniam agnum sine macula crucifixum non est possibile homini carnis infirmitate circumdato sic perfecte sectari: quin aliquando aliquas contrahat sordes: ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intendunt quotidianis debere se se lacrymarum emundare fluentis. Licet enim tam esset adeptus cordis & corporis puritatem mirabilem, non cessabat tamen lacrymarum imbribus jugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando jacturam. Cum enim ex continuo fletu infirmitatem oculorum incurrisset gravissimam, suadente sibi medico quod abstineret a lacrymis, si corporei visus cæcitatem vellet effugere, vir sanctus respondit. Non est frater medice ob amorem luminis quod habemus commune cum muscis, visitatio lucis æternæ repellenda vel modicum: quia non spiritus propter carnem, sed caro propter spiritum beneficium lucis accepit. Malebat siquidem corporalis visus lumen amittere, quam lacrymas, quibus oculus mundatur interior, ut Deum videre valeat repressa devotione spiritus impedire. Cum autem semel daretur consilium a medicis, & instanter suaderetur a fratribus, ut pateretur sibi per remedium subveniri cocturæ, humiliter vir Dei assensit, quia salutiferum hoc simul & asperum esse cernebat. Vocatus itaque venit chirurgus, instrumentum ferreum igni submittens ad faciendum cocturam. At Christi servus corpus jam horrore concussum confortans sicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens: Mi frater ignis præ ceteris rebus æmulandi decoris virtuosum, pulchrum, & utilem te creavit Altissimus. Esto mihi hac hora propitius, esto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creavit, ut tuum mihi calorem temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere. Oratione finita, contra igne condescens ferreum instrumentum signum crucis edidit: deinceps intrepidus persistebat. Profundatum est crepitans

A ferrum in tenera carne, & ab aure usque ad supercilium coctura protracta. Quantum irrogaverit ignis ille dolorem, vir ipse sanctus expressit. Laudate, inquit ad fratres, Altissimum: quia vere dico vobis, nec ignis ardorem sensi, nec carnis ullum dolorem. Et conversus ad medicum: Si non est, inquit, caro bene decocta, imprime iterum. Expertus medicus in invalida carne virtutem spiritus tam potentem miratus est, & divinum hoc miraculum extulit, dicens: Dico vobis fratres vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam devenerat puritatem, ut caro spiritui, & spiritus Deo harmonia mirabili concordarent, divina ordinatione fiebat, ut creatura Creatori suo

B deserviens voluntati & imperio ejus mirabiliter subjaceret. Alio enim tempore apud eremum sancti Urbani servo Dei ægritudine gravissima laborante, cum ipse naturæ defectum sentiens, vini poculum postulasset, nihilque de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, jussit aquam afferri, & allatam signo crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura, & quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetravit. Ad cujus gustum tanta protinus felicitate convaluit, ut saporis novitas, & innovatio, sanitatis gustabile, ac gustantem supernaturaliter innovantes perfectam in ipso exspoliationem veteris

C hominis, & indutionem novi, duplici attestatione firmarent. Non solum creatura servo Dei serviebat ad nutum, sed & creatoris ubique providentia condescendebat ad placitum. Cum enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concursu aggravato corpore ad jucunditatem spiritus excitandam alicujus audiendi soni harmoniei desiderium habuisset, nec id honestatis decentia per ministerium fieri pateretur humanum, affuit Angelorum obsequium ad viri sancti placitum adimplendum. Nocte etenim quadam vigilante ipso, & meditante de Domino, repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & suavissimæ melodiæ. Non videbatur aliquis; sed transitum

tum & reditum citharœdi ipsa hinc A inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo, tanta fuit in illo dulcisono carmine suavitate perfruitus, ut aliud se putaret sæculum commutasse. Hoc & fratres sibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conspiciebant indicia, eum tam excessivis & crebris consolationibus a Domino visitari, ut nec ipsas omnino occultare valeret. Alio quoque tempore viro Dei prædicationis causa inter Lombardiam, & Marchiam Tervisanam iter agente cum fratre socio iuxta Padum, tenebrosa noctis supervenit obscuritas. Cumque via esset exposita periculis magnis, & multis propter tenebras, fluvium, & paludes, dixit B socius ad virum sanctum: Ora pater, ut de instantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multa respondit: potens est Deus, si placet suæ dulcedini tenebrarum effugata caligine, beneficium nobis impendere lucis. Vix sermonem compleverat, & ecce tanta lux illico cœpit circa eos superna radiare virtute, ut nocte aliis existente obscura, ipsi luce clara viderent non solum viam, verumetiam plurima circumquaque. Cujus lucis ducatu, corporaliter directi, & spiritualiter confortati, usque ad locum hospitii per non modicum viæ spatium, cum divinis hymnis, & laudibus incolumes pervenerunt. Perpende quantæ fuerit vir C iste munditiæ, quantæque virtutis, ad cujus nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, Angelica præbet melodia solatium, & lux divina ducatum, ut sic sanctificatis viri sancti sensibus, omnis probetur mundi machina deservire.

Caput VI.

De humilitate & obedientia, & de condescensionibus divinis sibi factis ad nutum.

Omnium virtutum custos & decor humilitas copiosa virum Dei ubertate repleverat. In propria quidem reputatione nihil erat, nisi peccator, cum in veritate speculum esset, & splendor omnimodæ sanctitatis. Super hanc studuit ædificare seipsum, ut sapiens architectus fundamentum præjaciens, quod a Christo didicerat. Dicebat propter hoc Filium Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse, ut tam exemplo, quam verbo Dominus & Magister humilitatem doceret. Propter quod studebat tanquam Christi discipulus in oculis suis, & aliorum vilescere a summo dictum esse Magistro commemorans. Quod altum est apud homines, abominatio est apud Deum. Sed & verbum hoc dicere solitus erat. Quantum homo est in oculis Dei, tantum est, & non plus. Stultum proinde judicans mundanis extolli favoribus, gaudebat de opprobriis, & de laudibus tristabatur. Malebat quidem de se vituperium audire, quam laudem, sciens quod hoc ad emendandum induceret, illa impelleret ad cadendum. Et ideo sæpe cum populi merita in eo sanctitatis extollerent, præcipiebat alicui fratri, ut in contrarium verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret. Cumque frater ille licet invitus eum rusticum, & mercenarium, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente, quam facie respondebat. Benedicat tibi Dominus, fili charissime, quia tu verissima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire. Ut autem se ceteris despicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel, ut infirmitate gravatus, rigorem abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret. Viribus autem corporis utcumque resumptis, verus sui contemptor, ad propriæ carnis animatus opprobrium: Non est, inquit conveniens, ut populus abstinentem me credat, & ego e contrario carnaliter reficiar in occulto. Surrexit propterea sanctæ humilitatis spiritu inflammatus, & in platea civitatis Assisii populo convocato, solemniter cum fratribus multis, quos secum adduxerat, majorem introivit Ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum

Luc. 16.

dam cum femoralibus solis in oculis omnium se trahi præcipit usque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueverant collocari. Super quem conscendens, licet quartanarius esset, & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicavit, audientibusque cunctis asseruit se non tamquam spiritualem honorandum fore, quinimmo tamquam carnalem, & glutonem ab omnibus contemnendum. Igitur qui convenerant, tam ingenti viso spectaculo, admirati sunt, & quia ipsius austeritatem jam noverant; devotione compuncti, humilitatem hujusmodi magis admirabilem, quam imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse instar prophetalis vaticinii, quam exemplum, tamen veræ documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque iactantiæ comprimere fastum, & fraudulentæ simulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat, ut exterius tamquam vas perditum fieret, & sanctificationis spiritum interius possideret. Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe cum beatificaretur a pluribus, verbum hujusmodi proferebat: Filios, & filias adhuc habere possem, nolite laudare securum. Nemo laudandus cujus incertus est exitus. Ista quidem laudantibus, ad se autem sic: Latroni si tanta contulisset altissimus gratior te foret Francisce. Dicebat fratribus sæpe de omni eo, quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait, jejunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare: hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes, ipsi quidquid donat, ascribimus. Ut autem pluribus modis negotiator hic Evangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit, quam subesse, nec tam præcipere, quam parere. Idcir-

A co Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cujus voluntati per omnia subiaceret. Tam enim uberem afferebat sanctæ obedientiæ fructum, ut eis, qui jugo ipsius colla summitterent, nil temporis sine lucro transiret: unde, & fratri, cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consueverat, & servare. Dixit aliquando sociis: Inter alia, quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo, & discretissimo fratri. Subditus (inquit) Prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum, pro cujus est amore subjectus.

B Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Cum vero vice quadam quæreretur ab eo, quis esset verus obediens judicandus, corporis mortui similitudinem pro exemplo proposuit: Tolle (inquit) corpus exanime, & ubi placuerit, pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quod si statuatur in Cathedra, non alta, sed ima respiciet. Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moveatur, non diiudicat, ubi locetur non curat, ut transmutetur non instat, evectus ad officium, solitam tenet humilitatem, plus honoratus plus reputat se indignum.

C Dixit aliquando socio suo: Non mihi videor frater minor, nisi fuero in statu, quem tibi descripsero. Ecce Prælatus existens fratrum, vado ad Capitulum, prædico, & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me. Non convenis nobis, quia illitteratus es, elinguis, idiota, & simplex. Tandem eiicior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus: Dico tibi nisi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, frater minor nequaquam sum. Et addebat: In prælatione casus, in laude præcipitium, in humilitate subditi animi lucrum est. Cur ergo periculis plus, quam lucris attendimus, cum acceperimus tempus ad lucrum? Hac igitur de causa humilitatis forma

Franciscus Fratres suos voluit vocari Minores, & Prælatos sui ordinis dici ministros, ut, & verbis uteretur Evangelii, quod observare promiserat, & ex ipso nomine discerent discipuli eius, quod ad discendam humilitatem ad scholas humilis Christi venissent Magister siquidem humilitatis Jesus Christus, ut informaret discipulos ad humilitatem perfectam,
Mar. 10 dixit: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & quicumque voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Cum autem requireret ab eo Dominus Ostiensis, ordinis Minorum Protector, & promotor præcipuus, qui postmodum iuxta quod idem vir sanctus prædixerat, ad summum Pontificatus sublimatus honorem, Gregorius nonus est dictus, utrum sibi placeret quod fratres sui promoverentur ad Eccclesiasticas dignitates. Respondit: Domine, minores ideo vocati sunt fratres mei, ut maiores fieri non præsumant. Si vultis, ut faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, & conservate in statu vocationis eorum, & ad prælationes Ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis. Et quoniam humilitatem tam in se, quam in subditis cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipsum dignum iudicabat fastigiis, secundum quod uni fratri viro virtutis, & devotionis præcipuæ visio cœlitus ostensa monstravit. Cum enim esset in comitatu viri Dei, & una cum ipso in quadam Ecclesia deserta ferventi oraret affectu, in ecstasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes, unam præ ceteris digniorem pretiosis ornatam lapidibus & omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audivit inter hæc vocem dicentem sibi: Sedes ista unius de ruentibus fuit, & nunc humili servatur Francisco. Reversus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more secutus. Cumque incedentes per viam de Deo invicem loquerentur, frater ille visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsivit, quid de seipso sentiret. Ad quem humiliter Christi servus: Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cum frater diceret ex adverso, quod hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit: Si quantumcumque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosecutus, arbitror sane quod multo quam ego Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Evangelio sacro testante cognoscens, quod ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eiicitur, vere humilis exaltetur.

Alio quoque tempore, cum in deserta quadam oraret Ecclesia in Provincia Massæ apud montem Casalem, intellexit per spiritum sacras ibidem remansisse reliquias. Quas cum longo iam tempore defraudatas honorificentia debita, non sine mœrore conspiceret, præcepit fratribus, ut eas cum reverentia deferrent ad locum. Sed cum poscente causa discessisset ab eis, mandati patris immemores, filii obedientiæ meritum neglexerunt. Die vero quadam cum sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento summoto ossa pulcherrima, & redolentia nimis non sine admiratione reperiunt intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei virtus attulerat. Reversus paulo post vir devotus diligenter cœpit exquirere, si quod de reliquiis mandaverat, esse impletum. Verum neglectæ obedientiæ culpam fratres confitentes humiliter cum pœna veniam meruerunt Et ait vir sanctus: Benedictus Dominus Deus meus, qui per seipsum implevit, quod vos facere debuistis. Considera diligenter divinæ providentiæ curam circa pulverem nostrum, & humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cujus jussis non paruit homo, votis obedivit Deus.

Quodam tempore deveniens Imolam, civitatis Episcopum adiit, humiliterque poposcit, ut cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare. Cui Episcopus dure respondens, sufficit (inquit) frater,

ter, quod ego prædicem populo meo. A Inclinavit caput verus humilis, & foras egressus, post modicam horam regreditur intro. A quo, cum Episcopus quasi turbatus requireret, quid iterato petere vellet, humili tam corde, quam voce respondit: Domine si pater filium uno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus Episcopus, alacri vultu eum amplexus est, dicens: Tu, & omnes fratres tui de cetero in Episcopatu meo generali mea licentia prædicetis: quia illud humilitas sancta promeruit. Contigit ipsum aliquando Aretium devenire, cum tota civitas intestino bello quassata propinquum sui minabatur excidium. Hospitatus vero in suburbio vidit su- B pra civitatem exultantes dæmones, ac perturbatos cives ad cædem mutuam succedentes. Ut autem seditiosas illas effugaret aereas potestates, fratrem Silvestrum columbinæ simplicitatis virum, quasi præconem præmisit, dicens: Vade ante portam civitatis, & ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, ut exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris jussa perficere, & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam civitatis cœpit clamare valenter: Ex parte omnipotentis Dei, & iussu servi ejus Francisci procul hinc discedite dæmones universi. Redit ad pacem continuo civitas, & civilitatis in se iu- C ra cives omnes cum magna tranquillitate reformant. Expulsa quippe dæmonum furibunda superbia, quæ civitatem illam velut obsidione vallaverat, superveniens sapientia pauperis, videlicet Francisci humilitas, pacem reddidit, urbemque salvavit. Humilis enim obedientiæ ardua promerente virtute super spiritus illos rebelles atque protervos tam potestativum fuerat assecutus imperium, ut & ipsorum feroces protervias premeret, & importunas violentias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas virtutes humilium, nisi cum interdum ad humilitatis custodiam divina eos clementia colaphizari permittit, sicut, & Paulus Apostolus de seipso scribit, & Franciscus experimento probavit. Rogatus enim a Domino Leone Cardinali S. Crucis, ut secum aliquantum moraretur in urbe, acquievit humiliter ob ipsius reverentiam, & amorem. Prima igitur nocte cum post orationem vellet quiescere, supervenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgentes: quem cum diu verberassent, ac dure, ac ultimum quasi seminecem reliquerunt. Discedentibus illis, socius vocatus advenit, cui cum vir Dei rei narrasset eventum, subiungens, ait: Credo frater quod dæmones, qui nihil possunt, nisi quantum providentia superna disponit, ideo in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam spem præfert mansio mea in curia magnatorum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus esse, suspicabuntur forsitan implicari mundanis, efferri honoribus, & deliciis abundare. Ideo melius judico, eum, qui ponitur in exemplum fugere curias, & humiliter inter humiles in locis conversari humilibus, ut sustinentes penuriam, fortes efficiat similia sustinendo. Veniunt ergo mane, & humili excusatione proposita, vale faciunt Cardinali. Abhorrebat nempe vir sanctus superbiam, omnium malorum originem, & inobedientiam, ipsius pessimam prolem, sed non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel ut eidem præsentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplina iustitiæ corrigendus. Videns autem vir Dei fratrem illum per signa evidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentivum esset aliis delinquendi, iussit ablatum fratri caputium in medio flammarum proiici: ut omnes adverterent, quanta, qualique vindicta offensa sit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, præcepit ipsum flammis detrahi, reddique fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu. Extrahitur caputium de medio flammarum nullum habens adustionis vestigium. Sicque factum est, ut hoc

uno Deus miraculo, & sancti viri A virtutem, & humilitatem pœnitentiæ commendaret. Digne itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, ut Deum inclinaret ad votum, & hominis immutaret affectum, demonum protervitatem suo jussu propelleret, & flammarum voracitatem solo nutu refrenaret. Re vera hæc est, quæ possessores suos exaltans dum omnibus reverentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

Caput VII.

De amore paupertatis, & mira suppletione defectuum.

INter cetera charismatum dona, quæ a largo datore Franciscus obtinuit, prærogativa quadam speciali promeruit in divitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & jam quasi toto orbe repulsam charitate sic studuit desponsare perpetua, quod non solum pro ea patrem, matremque reliquit, verumetiam quæ habere potuit universa dispersit. Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis, nec thesauri custodiendi follicitior ullus, quam iste hujus Evangelicæ margaritæ. In hoc præcipue suus offendebatur aspectus, si quidquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia consonaret. Revera ipse a principio Religionis usque ad mortem tunica, chordula, & femoralibus dives, iis contentus fuit Christi Jesu paupertatem, & matris frequenter cum lachrymis revocabat ad mentem: inde hanc virtutum asserens esse reginam, quia in Rege regum, & in regina Matre ipsius tam præstanter effulsit. Nam, & fratribus in conclavi quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: Paupertatem noveritis fratres, specialem viam esse salutis tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia, & quæ vendi non possunt illius comparatione spernenda. Ad hujus (inquit) culmen, qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentiæ, verumetiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodo debet: ut tali expropriatus possessione introeat in potentias Domini, & nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfecte renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. Sæpe vero de paupertate sermonem faciens ingerebat fratribus Evangelicum illud: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non B habet ubi caput suum reclinet. Matth. 8. Luc. 9. Propter quod docebat fratres, ut pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non habitarent ut proprias, sed sicut peregrini, & advenæ alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat sub alieno colligi tecto, sitire, ad patriam pacifice pertransire. Mandabat dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoveri, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Evangelicæ paupertati. Hanc sui dicebat ordinis fundamentum, cui substrato primarie, sic omnis structura religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & eversione funditus evertatur. Docebat proinde, sicut revelatione didicerat, sacræ religionis ingressum ab illo fore inchoandum Evan- C gelico verbo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Ideoque nonnisi expropriatos, & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinem, tum propter verbum sancti Evangelii, tum etiam ne forent in scandalum loculi reservati. Unde in Marchia Anchonitana cuidam petenti ad ordinem recipi, verus pauperum Patriarcha respondit: Si vis Christi pauperibus jungi, pauperibus tua distribue. Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verum cum hoc illo referente, vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens, dixit: Vade-

de viam tuam, frater musca: quoniam nondum existi de domo, & cognatione tua. Consanguineis tuis tua dedisti, & defraudasti pauperes, dignus non es pauperibus sanctis. Incœpisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Rediit animalis homo ad suos, & repetiit sua, quæ pauperibus relinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit. Alio quoque tempore cum in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula tanta esset inopia, quod non posset hospitibus fratribus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri: adiit virum Dei vicarius suus allegans penuriam fratrum, & petens ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore opportuno. Ad quem vir sanctus superni consilii non ignarus: *Absit*, inquit, *a nobis frater charissime, ut pro quovis homine impie agamus in regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum, & observantiam Evangelii aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam altari suo ornato Filii sui promissum consilium prætermitti*. Transiens autem quodam tempore vir Dei cum suo socio per Apuliam juxta Barum, invenit in via bursam magnam, quasi plena esset denariis, tumescentem, quam usitato vocabulo: Fundam appellant. Monetur a socio pauper Christi, & instanter inducitur ut bursa tollatur e terra & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inventa, & fratrem non suadere rem meriti, sed peccati: aliena scilicet surripere, ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit frater vacua pietate delusus, virumDei molestans, quasi qui de relevanda pauperum penuria non curaret. Acquievit tandem vir mitis redire ad locum, non ut fratris voluntatem perficeret, sed ut detegeret diabolicam fraudem. Reversus est ergo ad fundam cum fratre, & juvene quodam, qui erat in via, oratione præmissa, jubet socio illam levare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum jam præsentiens monstrum, propter obedientiæ tamen sanctæ mandatum, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpens non modicus de bursa exiliens, simulque cum ipsa subito evanescens, diabolicam deceptionem fratri monstravit. Hostilis itaque versutiæ deprehensa fallacia, dixit vir sanctus ad socium: *Pecunia servis Dei, o frater, nihil aliud est, quam diabolus, & coluber venenosus*.

Accidit post hæc quoddam mirabile viro sancto, dum se ad civitatem Senensem, causa exigente transferret: Tres quidem mulieres pauperculæ, statura, ætate, ac facie per omnia similes in quadam ei magna planitie inter Campilium, & sanctum Quiricum occurrerunt, novum salutationis munusculum ei offerentes: *Bene veniat*, inquiunt, *domina paupertas*. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio, utpote, qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet, quam quod illæ decreverant. Subito disparentibus illis considerantes fratres socii tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursus, & disparentiæ novitatem, mysticum aliquid designari circa virum sanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sane per illas tres, ut videbatur, mulieres pauperculas sic uniformi facie occurrentes, sic salutantes insolite, sic subito disparentes, Evangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem, scilicet, obedientiam, & paupertatem satis convenienter ostenditur in viro Dei pari forma perfecte fulsisse, licet gloriari prælegerit in privilegio paupertatis, quam modo matrem, modo sponsam, modo dominam nominare solebat. In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens ex-

excitabat ad simile, tamquam si æmula paupertate concertans, vinci se timeret in illo. Accidit enim ut pauperculum quemdam obvium haberet in via, cujus cum nuditatem aspiceret, compunctus corde, lamentabili voce dixit ad socium: Magnam verecundiam intulit nobis hujus inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in isto. Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus, eleemosynis ostiatim quæsitis utebatur multo libentius, quam oblatis. Si quando enim invitatus a magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, prius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopia discumbebat. Et cum aliquando id fecisset, invitatus a Domino Hostiense, qui pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu, conquerenti Episcopo, quod suo derogasset honori, utpote qui in ejus comesturus domo pro eleemosynis isset: servus Dei respondit: Magnum, mi Domine, vobis honorem exhibui, dum majorem Dominum honoravi. Siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, & ea maxime, quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatem regalem, quam pro nobis Dominus Jesus egenus factus assumpsit, ut sua nos ditaret inopia, ac vere pauperes spiritu regni cœlorum Reges institueret, & hæredes nolo relinquere pro feudo divitiarum falsarum vobis ad horam concesso. Nonnumquam fratres ad petendum eleemosynam hortans, verbis utebatur hujusmodi. Ite, inquit, quoniam hac novissima hora fratres minores commodati sunt mundo, ut electi in eis impleant, unde a judice commendentur, illud audientes
Matth. 25. suavissimum verbum: Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Jucundum proinde dicebat sub fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione justorum Evangelicæ veritatis magister ore suo tam signanter expressit. In festis quoque præcipuis, ubi opportunitas aderat, mendicare solitus erat dicens in sanctis pauperibus

A propheticum illud impleri: Panem Angelorum manducavit homo: Illum *Ps. 77.* sane panem Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis suggerentibus Angelis pro ipsius charitate largitum sancta paupertas colligit ostiatim. Unde cum semel die sancto Paschæ moram faceret in eremitorio quodam adeo ab hominum habitatione remoto, quod commode mendicare non posset, memor *Luc. 24.* illius, qui discipulis euntibus in Emmaus ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratribus eleemosynam petiit ut peregrinus, & pauper. Quam cum accepisset humiliter sacris eos informavit eloquiis, quod transeuntes per mundi desertum tam-
B quam peregrini, & advenæ, verique Hebræi Pascha Domini hoc est transitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate spiritus continue celebrarent. Et quoniam in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate Pater pauperum Deus specialem de ipso curam gerere videbatur.

Accidit enim semel ut infirmitate gravatus Domini servus, in loco Noceriæ, reduceretur Assisium per solemnes nuntios, ad hoc Assisinatis populi devotione transmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quamdam devenerunt pauperculam, nomine Sarthianum: ubi cum fames, & hora cibum expeterent, eun-
C tes, & nihil invenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus, ideo nihil invenistis, quia plus in muscis vestris, quam in Domino confiditis. Muscas nempe denarios vocavit. Sed revertimini, ait, per domos, quas circuistis, & amorem Dei offerentis pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id æstimatione verecundum putetis aut vile, quoniam universa in eleemosyna post peccatum dignis, & indignis eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiam milites, & eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore, quam denariis emunt. Siquidem divino nutu corde compuncti pauperes incolæ, non solum sua, sed, & seipsos liberaliter obtulerunt.

Sic-

Sicque factum est, ut inopiam, quam A pecunia relevare non poterat, Francisci pauperies opulenta suppleret. Tempore, quo infirmus jacebat in eremitorio prope Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cum autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium ejus obsequium hoc novo beneficio vice pauperis compensavit. Hujus enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo, de novo construxerat, parietum patula scissione a summo usque deorsum adeo de proximo minabatur ruinam, quod non videbatur per humanę artis industriam B possibile ipsius casui obviare. Ipse vero de sancti viri meritis plene confidens, cum magnæ fidei devotione petivit a sociis ejus aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus contrectasset. Cum igitur modicum de capillis ipsius multa precum obtentum instantia posuisset de sero intra muri scissuram, mane resurgens, tanta invenit aperturam illam soliditate conclusam, ut nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigium aliquod invenire. Factumque est, ut qui ruinoso corpusculo servi Dei sedule ministrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaveret.

Alio quoque tempore vir Dei ad C quamdam heremum transferre se volens, ut ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cujusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æstivis famulum Christi sequendo vir ille montana conscenderet, asperiori, & longiori itinere fatigatus, nimioque sitis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post sanctum: En morior (inquit) siti, nisi poculi alicujus beneficio continuo refociller. Absque mora vir Dei prosilivit de asino, & fixis in terra genibus, palmas tetendit in cœlum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita: Festina, inquit viro, ad petram, & illic aquam vivam invenies, quam tibi hac ora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ servis suis tam facile se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de petra orantis virtute, & poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem ante non fuit, nec ut est diligenter quæsitum, deinceps potuit inveniri. Qualiter autem per merita sui pauperis, Christus multiplicaverit cibos in mari, cum suo sit loco inferius annotandum: hoc tantum commemorasse sufficiat, quod de eleemosyna modica sibi collata, nautas a famis, & mortis periculo per dies plurimos liberavit, ut ex hoc liquido possit adverti, quod omnipotentis Dei famulus sicut in eductione aquæ de petra conformis extitit Moysi, sic in multiplicatione victualium Elisæo. Procul igitur a pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Francisci adeo copiosæ sufficientiæ fuit, ut subvenientium sibi defectus jam mira virtute suppleret, quod nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cum pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat: multo magis illa merebitur, quæ usitato divinæ providentiæ ordine communiter conceduntur. Si inquam, petræ siccitas ad pauperis vocem abundans poculum sitienti propinavit pauperculo, nil jam inter omnia suum denegabit obsequium his, qui pro auctore omnium omnia reliquerunt.

CAPUT VIII.

De pietatis affectu, & quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici.

Pietas vera, quæ secundum Apostolum ad omnia valet, adeo cor 1. Tim. 4.
Francisci repleverat, ac penetraverat, ut totum videretur servum Dei in suum dominium vendicasse. Hæc est, quæ ipsum per devotionem sursum agebat in Deum, per compassionem transformabat in Christum, per condescensionem inclinabat ad

proximum, & per universalem conciliationem ad singula, refigurabat ad innocentiæ statum. Cumque per hanc pie moveretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Jesu sanguine pretioso redemptas cum cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, ut eas tamquam mater in Christo quotidie parturiret. Et hæc penes ipsum causa præcipua venerandi verbi Dei ministros, quod semen fratri suo defuncto Christo videlicet pro peccatoribus crucifixo per ipsorum conversionem, & pia sollicitudine suscitent, & sollicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium Patri misericordiarum omni sacrificio firmabat acceptius maxime si studio fuerit perfectæ charitatis impensum, ut ad id laboretur magis exemplo, quam verbo; magis lacrymosa prece, quam loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem tamquam vera pietate privatum, sive qui in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudem, sive qui pravitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem, & elinguem, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. Illud quoque verbum: Donec sterilis peperit plurimos, taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio plurimos: quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc judex ascribet: Quæ multos habet filios, infirmabitur: quia prædicator vanus, & loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genis gaudet, cognoscet tunc se nil proprii habere in eis. Cum igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, & fervida æmulatione zelaret, suavissimis se dicebat repleri odoribus, & quasi unguento pretioso liniri, cum sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama, multos audiret ad viam veritatis induci. Et talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulans, qui verbo, vel opere

1 Reg. 2.

A ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam qui Religionem sacram iniquis violarent operibus, maledictionis ejus gravissimam incurrebant sententiam. Ad te Domine (inquit) sanctissime, a tota cœlesti curia, & a me parvulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt, & destruunt, quod per sanctos fratres ordinis hujus ædificasti, & ædificare non cessas. Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandala pusillorum, ut deficere se putaret, nisi divinæ fuisset clementiæ consolatione suffultus. Cum autem semel malis turbatus esset exemplis, & anxio spiritu misericordem Patrem precaretur pro fi-

B liis, responsum hujusmodi reportavit a Domino: Cur tu pauper homuncio conturbaris, an ego te super religionem meam sic pastorem institui, ut me principalem nescias esse patronum? hominem simplicem ad hoc te constitui, ut quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ ascribantur. Ego vocavi, servabo, & pascam, & aliis excidentibus alios subrogabo, ita ut si nati non fuerint, faciam illos nasci, & quantiscumque fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio, salva semper meo munere permanebit. Detractionis quoque vitium inimicum fonti pietatis, & gratiæ, tamquam serpentinum abhorrebat

C morsum, & atrocissimam pestem, & piissimo Deo abominabile fore ti- mabat, pro eo quod detractor animarum sanguine pascitur, quas gladio linguæ necat. Audiens semel fratrem quemdam denigrare famam alterius, conversus ad Vicarium suum dixit: Surge, surge, discute diligenter, & si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnumquam vero eum, qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, judicabat habitu spoliandum, nec ad Dominum oculos posse levare, nisi prius quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tanto major est, ajebat, detractorum impietas, quam latronum, quanto lex Christi, quæ in observantia pietatis impletur, ma-

magis animarum, quam corporum nos astringit optare salutem. Afflictis quoque qualicumque corporali molestia mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret pii cordis dulcedine regerebat in Christum. Sane clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus ejus ad pauperes, & infirmos, & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Contigit semel ut pauperi cuidam eleemosynam importune petenti, unus e fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, ut ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragium postularet, & veniam. Quod cum ille fecisset humiliter, dulciter pater adjecit: Dum pauperem vides, o frater speculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit, considera. Cumque in pauperibus cunctis, & ipse Christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solum liberaliter conferebat: verumetiam ac si illorum propria essent judicabat esse reddenda. Accidit semel, ut eidem redeunti de Senis, pauper quidam occurreret, cum occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cujus miseria oculo clementi conspecta: Oportet, inquit ad socium, ut reddamus mantellum pauperculo isti, nam ipsius est. Mutuo enim ipsum accepimus, donec pauperiorem invenire contigeret. Socius autem pii patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne provideret alii se neglecto. At ille pro furto, ait, mihi reputo a magno eleemosynario imputandum, si hoc quod fero non dedero magis egenti. Propterea de omnibus, quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis relevandam solitus erat a dantibus licentiam petere, ut licite posset, si magis egenus occurreret erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, A nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc dum posset, ut pietatis impleret officium indigentibus largiretur. Pluries cum oneratis obviaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat.

Consideratione quoque primæ originis omnium abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet parvas, fratris vel sororis appellabat nominibus pro eo quod sciebat eas unum secum habere principium. Illas tamen viscerosius amplexabatur, & dulcius, quæ Christi mansuetudinem piam, similitudine naturali prætendunt, & Scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos, B qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice servo Dei apud monasterium sancti Verecundi de Episcopatu Eugubii, ovicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci eum morsu necavit. Hoc audito pius pater mira compassione commotus, & agni sine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens: Heu me, frater agnicule animal innocens, Christum hominibus repræsentans: maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea C comedat homo, vel bestia. Mirabile dictu. Statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exsolvens, ultricem tandem pertulit necem. Projecta autem in vallum monasterii, ibique longo tempore jacens, in modum tabulæ desiccata, nulla fuit esca famelico. Advertat igitur humana impietas quali pœna sit ferienda finaliter, si tam horrenda morte percussa est ferocitas bestialis perpendat, & fidelis devotio, quam in servo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, & copiosæ dulcedinis, ut ei applauderet suo modo etiam natura brutorum. Iter enim faciens juxta civitatem Senensem, invenit in pascuis magnum ovium gregem. Quas cum benigne, ut erat solitus, salutasset, reli-

relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, levantesque capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, ut pastores mirarentur, & fratres cernentes circa ipsum tam ovium agnos, quam ipsos arietes sic mirabiliter exultantes. Alio quoque tempore apud sanctam Mariam de Portiuncula quædam viro Dei fuit ovis oblata, quam propter innocentiæ, ac simplicitatis amorem, quas ovis natura prætendit gratanter suscepit. Monebat pius vir oviculam, ut, & laudibus divinis intenderet, & ab omni fratrum offensa caveret, ovis autem quasi viri Dei pietatem adverteret, informationem ipsius sollicite observabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipsa Ecclesiam ingrediens sine alicujus informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matri agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper, & cum elevaretur sacratissimum Christi corpus inter Missarum solemnia, flexis curvabatur poplitibus, tamquam si reverens pecus de irreverentia indevotos argueret, Christoque devotos ad Sacramenti reverentiam invitaret. Tempore quodam agniculum in urbe secum habuerat ob reverentiam illius mitissimi agni, quem nobili matronæ dominæ, scilicet Jacobæ de septem soliis in suo recessu conservandum commisit. Agnus vero quasi in spiritualibus eruditus a sancto dominæ ad Ecclesiam eunti, stanti, & revertenti societati inseparabili coherebat. Si matutinali hora domina tarderet exurgere, agnus consurgens impellebat eam cornulis, & balatibus excitabat, gestibus adhortans, & nutibus, ut ad Ecclesiam properaret. Propter quod agnus Francisci discipulus, devotionis jam magister effectus, ut mirabilis, & amabilis a domina servabatur. Alio quoque tempore apud Grecium vivus viro Dei oblatus fuit lepusculus, qui liber in terra positus cum posset quo vellet effugere, vocante se patre benigno in sinum illius propero cursu saltavit. Quem ipse pio cordis affectu circumfovens, videbatur eidem com-

A pati quasi mater, dulcique allocutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberum abire permisit. Cumque pluries in terra positus ut abscederet, semper in sinum patris rediret, tamquam si sensu quodam occulto cordis ipsius præciperet pietatem, tandem jussu patris a fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoque consimili, in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus, & viro Dei oblatus, cum ceteros fugeret, manibus ejus, & sinu de domestica securitate commisit. Per lacum Reatinum eidem ad eremum de Grecio properanti, piscator unam ex devotione fluvialem obtulit avem, quam cum libenter

B susceptam apertis invitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, erectis in cœlum oculis, diu in oratione permansit, & quasi aliunde post longam horam ad se reversus, dulciter iterato mandavit aviculæ, ut Dominum laudatura recederet. Suscepta itaque cum benedictione licentia, gestu corporis quoddam prætendens gaudium, advolavit. In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus, & vivus, quem more solito fraterno nomine vocans, in aquam reposuit juxta navem. Piscis vero coram viro Dei ludebat in aqua, & quasi amore illius allectus, nullatenus recessit a navi, nisi prius ab eodem cum benedictione

C licentia sibi data. Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, invenit maximam avium multitudinem residentium, & cantantium in virgultis. Quibus visis, dixit ad socium: Sorores aves laudant Creatorem suum, nos, itaque in medium ipsarum euntes, laudes, & horas Canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipsarum intrassent, non sunt aves motæ de loco. Et quia propter gratiarum ipsarum in dicentis horis se mutuo audire non poterant, conversus vir sanctus dixit ad aves: Sorores aves a cantu cessate, donec laudes Deo debitas persolvamus. At illæ continuo tacuerunt, tamdiu in silentio persistentes, quamdiu dictis horis spatiose, & laudibus persolu-

solu-

solutis a sancto Dei cantandi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam, statim more solito cantum suum resumpserunt. Apud S. Mariam de Portiuncula, juxta cellam viri Dei super ficum cicada desidens, & decantans, cum servum Domini, qui etiam in parvis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat, ad divinas laudes cantu suo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cœlitus super manum volavit ipsius. Cui cum dixisset: Canta soror mea cicada, & Dominum Creatorem tuo jubilo lauda: sine mora obediens canere cœpit, nec destitit, donec jussu patris ad locum proprium revolavit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo ejus jussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios: Demus jam sorori nostræ cicadæ licentiam, satis enim nos suo cantu lætificans ad laudes Dei octo dierum spatio excitavit. Et statim ab eo licentiata recessit, nec ultra ibidem apparuit, ac si mandatum ipsius non auderet aliquatenus præterire. Eidem Senis infirmo phasianus quidam de novo captus, a nobili quodam transmissus est vivus. Qui continuo ut virum sanctum audivit, & vidit, tanta ei amicabilitate cohæsit, ut nullo modo pateretur ab ipso sejungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea positus, ut abiret si vellet, rapido semper cursu redibat ad patrem tamquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex devotione servum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret a pii patris absentari conspectu escam recusavit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, statim ut conspexit eundem, quibusdam hilaritatis prætensis gestibus, avide manducavit. Cum ad eremum pervenisset Alvernæ, propter Quadragesimam celebrandam in honorem Archangeli Michaelis diversi generis aves circa ipsius cellulam volitantes, concentu sonoro, & lætitiæ gestibus, quasi de ejus adventu gaudentes patrem pium invitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viso, dixit ad socium: Cerno frater voluntatis esse divinæ, quod hic aliquandiu commoremur, tantum sorores aviculæ de nostra videntur præsentia consolari. Cum igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno se illi amicitiæ fœdere copulavit. Nam semper horam nocturno tempore, in qua vir sanctus ad divina officia surgere solitus erat, cantu suo præveniebat, & sono. Quod famulo Dei gratissimum erat, eo quod tanta sollicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret. Cum vero servus Christi infirmitate plus solito gravaretur, parcebat falco, nec tam tempestivas indicebat vigilias. Siquidem velut instructus a Deo circa diluculum suæ vocis campanam levi tactu pulsabat. Divinum certe videtur fuisse præsagium, tam in exultatione multimodi generis avium, quam in cantu falconis, cum Dei, laudator, & cultor pennis contemplationis subvectus tunc foret illic apparitione seraphica sublimandus. Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Grecii, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam, & luporum rapacium multitudo, non solum bruta, sed, & homines consumebat, & grando annua tempestate blada, & vineas devastabat. Dum igitur sic afflictis præco sacri Evangelii prædicaret, dixit ad eos: Ad honorem, & laudem Dei omnipotentis fidejubeo vobis, quod pestilentia hæc omnis abscedet, & respiciens vos Dominus, multiplicabit in temporalibus bonis, si mihi credentes misereamini vestri, ut vera confessione præmissa dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuntio vobis, quod si beneficiis ingrati ad vomitum conversi fueritis, innovabitur plaga, duplicabitur pœna, & majori in vos ira desæviet. Ab illa utique hora pœnitentiam ad exhortationem ipsius agentibus illis cessaverunt clades, perire pericula, nec molestiæ quidquam lupi intulere vel grandines. Immo, quod

majus

majus est, si quando vicinorum arva grando pervaderet, istorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam divertebat. Cessavit grando, servaverunt, & lupi pactionem servi Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conversos attentaverunt amplius desævire quamdiu juxta condictum contra piissimas Dei leges impie non egerunt. Pie igitur sentiendum est de pietate viri beati, quæ tam miræ dulcedinis, & virtutis fuit, ut domaret ferocia, domesticaret silvestria, mansueta doceret, & brutorum naturam homini jam lapso rebellem ad sui obedientiam inclinaret. Vere hæc est, quæ cunctas sibi creaturas confœderans valet ad omnia, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, futuræ.

Caput IX.

De fervore charitatis, & desiderio Martyrii.

CHaritatem ferventem, qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namque quasi quidam carbo ignitus divini amoris flamma videbatur absorptus. Subito enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ corda cordis interior tangeretur. Talem pro eleemosynis censum offerre, nobilem prodigalitatem dicebat, & eos, qui minus ipsum, quam denarios reputarent esse stultissimos, pro eo quod solius divini amoris inpretiabile pretium ad regnum cœlorum sufficiat comparandum, & ejus, qui nos multum amavit, multum sit amor amandus. Ut autem ex omnibus excitaretur ad amorem divinum, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per jucunditatis specula in vivificam consurgebat rationem, & caussam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia, prosequebatur ubique dilectum de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum, qui est desiderabilis totus. Inauditæ namque devotionis affectu, fontalem illam bonitatem in creaturis singulis, tamquam in rivulis degustabat, & quasi cœlestem concentum perciperet in consonantia virtutum, & actuum eis datorum a Deo ipsas ad laudem Domini more Prophetæ David dulciter hortabatur. Christus Jesus crucifixus intra suæ mentis ubera, ut myrrhæ fasciculus jugiter morabatur, in quem optabat per excessiui amoris incendium totaliter transformari. Prærogativa quoque peculiaris devotionis ad ipsum, ab Epiphaniæ festo usque ad continuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinans, cellaque reclusus, quanta poterat arctitudine cibi, & potus, jejuniis, & orationibus, & laudibus Dei sine intermissione vacabat. Tam fervido quidem in Christum ferebatur affectu, sed & dilectus illi tam familiarem rependebat amorem, ut videretur ipsi famulo Dei, quasi jugem præ oculis ipsius Salvatoris sentire præsentiam, sicut aliquando sociis familiariter revelavit. Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis, fervore omnium medullarum, stupore admirans permaximo, illam charissimam dignationem, & dignantissimam charitatem. Sæpe communicabat, & tam devote ut alios devotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationem suavem quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessu. Matrem Domini nostri Jesu Christi indicibili complectebatur amore, eo quod Dominum majestatis fratrem nobis effecerit, & per eam simus misericordiam consecuti. In ipsa post Christum præcipue fidens eam sui ac suorum advocatam constituit, & ad honorem ipsius, a festo Apostolorum Petri, & Pauli usque ad festum Assumptionis devotissime jejunabat. Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, & ob

Cant. 1.

& ob devotionem ipsorum, ab Assumptione Virginis gloriosæ quadraginta diebus jejunans orationi jugiter insistebat. Beato autem Michaeli Archangelo, eo quod animarum repræsentandarum haberet officium, speciali erat amore devotior, propter fervidum, quem habebat zelum ad salutem omnium salvandorum. Ex recordatione sanctorum omnium tamquam lapidum ignitorum in Deificum recalescebat incendium: Apostolos omnes, & præcipue Petrum, & Paulum propter fervidam charitatem, quam habuerunt ad Christum, summa devotione complexans. Ob quorum reverentiam & amorem. Quadragesimæ specialis jejunium Domino dedicabat. Non habebat illud Christi pauper nisi duo minuta, corpus, scilicet, & animam, quod posset liberali chatate largiri. Sed hæc per amorem Christi sic offerebat continue, ut quasi omni tempore per rigorem jejunii corpus, & per ardorem desiderii spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interius concremans thymiama. Sic autem eum charitatis excessiva devotio sursum in divina ferebat, ut ejusdem affectuosa benignitas ad naturæ consortes, & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non est, si Creatoris insignitus imagine, & sanguine redemptus auctoris germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foveret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eo maxime probans quod unigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Unde quotiens austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datum aliis in exemplum. Licet enim innocens ejus caro, quæ jam se sponte subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamen exempli causa renovabat illi pœnas, & onera, custodiens propter alios vias duras. Di-

A cebat enim: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem in meipso non habeam, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum aliis, mihi nihil. *1. Cor. 13.* Ferventi quoque charitatis incendio gloriosum sanctorum martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea, & ipse illa perfecta charitate succensus, quæ foras mittit timorem, *1. Joan. 4.* per martyrii flammam hostiam Domino se offerre viventem, ut & vicem Christo pro nobis morienti rependeret, & ad divinum amorem ceteros provocaret. Sexto namque conversionis suæ anno desiderio martyrii flagrans, ad
B prædicandam fidem Christianam & pœnitentiam Saracenis, & aliis infidelibus ad partes Syriæ transfretare disposuit. Cumque navem quamdam ut illuc tenderet, conscendisset, ventis contrariis flantibus compulsus est in Sclavoniæ partibus applicare. Cum igitur moram aliquamdiu contraxisset ibidem, nec invenire posset navem tunc temporis transfretantem, fraudatum a suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anchonam tendentes, ut amore Dei eum secum ducerent exoravit. Verum illis propter expensarum defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, navem cum socio latenter conscendit.
C Affuit quidam a Deo, ut creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quemdam timentem Deum de navi ad se vocatum sic allocutus est: Hæc pro pauperibus fratribus in navi latitantibus conserva fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. Sicque factum est, ut nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, & sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quæ cum esset modica tantum divina virtute suscepit augmentum, ut diebus pluribus in mari propter tempestatem continuam contrahentibus moram, usque ad portum Anchonæ

omnium

omnium necessitatibus plenarie subveniret. Videntes itaque nautæ per servum Dei multa se mortis evasisse discrimina, tamquam qui maris horrenda pericula senserant, & miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerunt omnipotenti Deo, qui semper in suis amicis & servis mirabilem, & amabilem se ostendit. Cum autem relicto mari, terram perambulare cœpisset, jactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verum, quia martyrii fructus adeo cor ejus allexerat, ut pretiosam pro Christo mortem super omnia virtutum merita peroptaret, versus Marrochium iter arripuit, ut Miramolino, & genti ejus Christi Evangelium prædicaret, si quo modo ad concupitam palmam valeret attingere. Tanto namque desiderio ferebatur, ut quamvis esset imbecillis corpore peregrinationis suæ præcurreret comitem, & ad exequendum propositum festinus, & tamquam spiritu ebrius advolaret. Sed cum jam usque in Hispaniam perrexisset, divina dispositione quæ ipsum reservabat ad alia gravissima ei supervenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequivit. Sentiens igitur vir Dei, quod necessaria erat adhuc proli, quam genuerat, ipsius vita in carne, quamvis mortem sibi lucrum putaret esse, rediit ad pascendum oves suæ sollicitudini commendatas. Verum charitatis ardore spiritum ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatanda, versus infideles proficisci tentavit, Tertio decimo namque conversionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis constanter exposuit: ut Soldani Babyloniæ posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellum tam implacabile erat exercituum castris hincinde in campo cominus ex adverso locatis, ut via mutui transitus sine mortis discrimine non pateret. Exierat siquidem a Soldano edictum crudele, ut quicumque caput alicujus Christiani afferret, Bizantium aureum pro mercede reciperet. At in-

A trepidus Christi miles Franciscus sperans in proximo suum adipisci posset propositum, diffinivit iter arripere, mortis pavore non territus, sed desiderio provocatus. Oratione namque præmissa, confortatus a Domino, confidenter illud propheticum decantabat: Nam & si ambulavero im medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Psal. 22.*
Assumpto igitur socio fratre, Illuminato nomine, viro utique luminis, & virtutis, cum iter cœpisset obvias habuit oviculas duas, quibus visis exhilaratus vir sanctus, dixit ad socium: Confide frater in Domino, nam in nobis Evangelium illud impletur: Ecce ego mitto vos sicut oves *Mat. 10.*
B in medio luporum. Cum autem processissent ulterius, occurrerunt ei satellites Saraceni, qui tamquam lupi celerius accurrentes ad oves, servos Dei feraliter comprehensos crudeliter, & contemptibiliter pertractarunt, afficientes convitiis, affligenter verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, & attritos ad Soldanum divina disponente providentia, juxta viri desiderium perduxerunt. Cum igitur princeps ille perquireret, a quibus, & ad quid, & qualiter missi essent, & quomodo advenissent, intrepido corde respondit Christi servus Franciscus: Non ab homine, sed a Deo altissimo se fuisse transmissum, ut
C ei & populo suo viam salutis ostenderet, & annuntiaret Evangelium veritatis. Tanta vero mentis constantia, tanta virtute animi tantoque fervore spiritus prædicto Soldano prædicavit, Deum trinum, & unum, & Salvatorem omnium JESUM Christum, ut Evangelicum illud in ipso claresceret, veraciter esse completum: Ego dabo vobis os, & *Luc. 21.*
sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. Nam, & Soldanus admirandum in viro Dei fervorem spiritus conspiciens & virtutem, libenter ipsum audiebat, & ad moram contrahendam cum eo instantius invitabat. Christi vero servus superno illustratus oraculo: Si vis inquit converti tu cum populo tuo ad Christum,

stum, ob illius amorem vobiscum libenter commorabor. Quod si hæsitas propter fidem Christi legem Mahumeti dimittere: jube ignem accendi permaximum, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, ut vel sic cognoscas, quæ fides certior, & sanctior non immerito tenenda sit. Ad quem Soldanus, non credo, quod aliquis de Sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim statim quemdam de presbyteris suis virum authenticum, & longævum, hoc audito verbo de suis conspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus: Si mihi velis promittere pro te, & populo tuo, quod ad Christi cultum si ignem illæsus exiero veniatis: ignem solus introibo. Et si combustus fuero, imputetur peccatis meis. Si autem divina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem, & sapientiam, verum Deum, & Dominum Salvatorem omnium agnoscatis. Soldanus autem optionem hanc accipere se non audere respondit, quia seditionem populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretiosa, quæ vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum avidus, sprevit omnia quasi lutum. Soldanus autem videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus, majorem erga ipsum devotionem concepit. Et quamvis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogavit tamen devote famulum Christi, ut prædicta susciperet pro salute ipsius Christianis pauperibus vel Ecclesiis eroganda. Ipse vero, quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquievit. Videns etiam se non proficere in conversione gentis illius, nec suum assequi posse propositum, ad partes fidelium divina revelatione præmonitus remeavit. Sic itaque Dei ordinante clementia, & sancti viri promerente virtute, misericorditer, & mirabiliter factum est, quod Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, & tamen nul-

A latenus inveniret, ut & merito non careret optati martyrii, & insigniendus servaretur in posterum privilegio singulari. Sic utique factum est, ut ignis ille divinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, ut post potentius evaporaret in carne. O vere beatum virum, cujus caro, etsi tyrannico ferro non cæditur: occisi tamen agni similitudine non privatur. O, inquam, vere ac plene beatum, cujus animam, etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

CAPUT X.

De studio, & virtute orationis.

B SEntiens Christi servus Franciscus corpore se peregrinum a Domino, cum jam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio contemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionum Angelorum concivis jam factus, ferventi desiderio quærebat dilectum, a quo solus eum carnis paries disjungebat. Erat & operanti præsidium, dum in omnibus, quæ agebat de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum

C jactabat. Orationis gratiam viro religioso desiderandam super omnia firmiter asserebat, nullumque credens sine ipsa in Dei prosperari servitio, modis quibus poterat fratres suos ad ejus studium excitabat. Nam ambulans, & sedens intus, & foris, laborans, & vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur non solum quidquid erat in eo cordis, & corporis, verum etiam operis, & temporis dedicasse. Solitus erat nullam visitationem spiritus, cum negligentia præterire. Siquidem, cum offerebatur, sequebatur eam, & quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cum autem intentus itineri, divini spiritus aliquos sentiret afflatus sociis præce-

cedentibus, gradum figebat, novamque inspirationem ad fruitionem convertens, gratiam non recipiebat in vacuum. Suspendebatur multotiens tanto contemplationis excessu, ut supra semetipsum raptus, & ultra humanum sensum aliquid sentiens quid ageretur circa se exterius ignoraret. Transiens namque semel per Burgum sancti Sepulchri, castrum utique populosum, pro debilitate corporis subvectus asello, obvias habuit turbas in eum præ devotione ruentes. Tractus autem, & detentus ab eis, compressus quoque ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, & velut exanime corpus, de his quæ fiebant circa ipsum nihil penitus advertebat. Unde cum jamdiu transito castro, turbisque relictis pervenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliunde rediens cœlestium contemplator, sollicite requisivit, quando propinquarent ad Burgum. Mens quidem ipsius in cœlestibus fixa splendoribus varietates non senserat locorum, nec temporum, nec occurrentium personarum. Quod ipsi accidisse frequentius, sociorum ejus experientia multiplex comprobavit. Et quia in oratione perceperat sancti Spiritus desideratam præsentiam tanto familiarius se offerre precantibus, quanto plus invenit elongatos a strepitu mundanorum, ideo loca solitaria quærens, ad solitudines, & Ecclesias derelictas oraturus nocte pergebat. Ubi dæmonum pugnas horribiles frequenter sustinuit, qui secum sensibiliter confligentes nitebantur ipsum ab orationis studio perturbare. Ipse vero armis munitus cœlestibus, quanto vehementius impetebatur ab hostibus, tanto fortior in virtute, & ferventior reddebatur in prece, fidenter dicens ad Christum: Sub umbra alarum tuarum protege me a facie impiorum qui me afflixerunt. Ad dæmones autem: Facite quidquid in me valetis maligni spiritus, & fallaces. Non enim potestis, nisi quantum vos manus superna relaxat, & ego ad perferendum omnia, quæ illa infligenda decreverit, cum omni jucunditate paratus assisto. Quam mentis constantiam superbi dæmones non ferentes abscedebant confusi. Vir autem Dei solitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca spargebat lacrymis, pectora manu tundebat, & quasi occultius secretarium nactus, confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque a fratribus ipsum pie observantibus aliquotiens auditus est clamorosis gemitibus apud divinam pro peccatoribus interpellare clementiam, deplorare etiam alta voce, quasi coram se positam Dominicam passionem. Ibi visus est nocte orans manibus ad modum crucis protensis, toto corpore sublevatus a terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, ut illustrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perlustratio testis esset. Ibi etiam sicut certis est comprobatum indiciis, incerta sibi, & occulta divinæ sapientiæ pandebantur, quamvis illa non vulgaret exterius, nisi quantum Christi urgebat charitas, & proximorum utilitas exigebat. Dicebat enim: Levi mercede rem impretiabilem contingit amitti, & illum, qui dedit ad non dandum iterum facile provocari. Quando a privatis redibat orationibus, quibus pene in virum alterum mutabatur, summopere studebat conformare se ceteris, ne forte quod foris ostenderet, aura favoris intus a mercede evacuaret. Cum in publico subito afficeretur visitatus a Domino, semper aliquid objiciebat astantibus ne sponsi familiares attactus forinsecus vulgarentur. Excreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinsecos nutus orans inter fratres devitabat omnino, sive quia diligebat secretum: sive quia ad interiora reintrans totus ferebatur in Deum, sæpe talia familiaribus dixit: Quando servus Dei orans visitatur divinitus dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori, & indigno de cœlo misisti Domine, & ego illam tuæ committo custodiæ: quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cum autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum, & pec-

Psal. 16.

& peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus. Orante autem viro Dei in loco de Portiuncula contigit Assisinatem Episcopum venire ad eum, ut erat solitus, visitandum. Qui mox, ut locum fuit ingressus ad cellam in qua Christi servus orabat plus debito fidenter accessit. Pulsoque ostiolo intraturum se ingerens, dum caput immisit, sanctumque orantem conspexit, repentino timore concussus, obrigescentibus membris etiam loquelam amisit. Subitoque voluntate divina per vim foras propulsus retrogrado pede procul abductus est. Stupefactus Episcopus ad fratres festinavit, ut potuit, Deoque sibi restituente linguam: primo verbo confessus est culpam. Contigit tempore quodam Abbatem monasterii S. Justini de Episcopatu Perusii obviare famulo Christi. Quo viso Abbas devotus celeriter de equo descendit, ut, & viro Dei reverentiam faceret, & de salute animæ aliqua cum ipso conferret. Tandem habita collatione suavi Abbas abscedens, orari pro se humiliter petiit. Cui vir Deo charus respondit: Orabo libenter. Parum itaque discedente Abbate, dixit fidelis Franciscus ad socium: Expecta frater modicum: quia debitum volo solvere, quod promisi. Orante autem illo, subito Abbas insolitum calorem, & dulcedinem hactenus inexpertam sensit in spiritu: ita quod in excessu mentis effectus: totus a seipso in Deum defecit. Parva morula substitit: & in se reversus: virtutem orationis S. Francisci cognovit: Majori proinde circa ordinem semper amore flagravit: multisque factum pro miraculo retulit. Solitus erat vir sanctus horas canonicas non minus timorate Deo persolvere, quam devote. Nam licet oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum psalleret: sed horas semper erectus, & sine caputio, non gyrovagis oculis, nec cum aliqua syncopa persolvebat. Si quando esset in itinere constitutus, figebat tunc temporis gressum, hujusmodi consuetudinem reverentem, & sacram propter pluviarum inundantiam non omittens. Dicebat enim: Si quiete comedit corpus cibum suum futurum cum ipso vermium esca; cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ? Graviter etiam se putabat offendere si quando orationi deditus, vanis phantasmatibus interius vagaretur. Cum aliquid tale accideret, non parcebat confessioni quin illud protinus expiaret. Hoc studium sic in usum converterat, ut rarissime muscas hujusmodi pateretur. Fecerat in Quadragesima quadam vasculum unum, ut minutias temporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti tertiam in memoriam veniens paululum ipsius animum distraxisset, motus fervore spiritus, vasculum igne consumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit. Psalmos cum tanta mentis ac spiritus attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet: & cum nomen Domini in eis occurreret, præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini non solum cogitatum, verum etiam prolatum, & scriptum, reverentia volens honorare præcipua, fratribus persuasit aliquando ut omnes schedulas scriptas ubicumque repertas colligerent, mundoque loco reponerent, ne forte sacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autem Jesu cum exprimeret vel audiret, jubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari: ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum. Contigit autem anno tertio ante obitum suum, ut memoriam Nativitatis pueri Jesu ad devotionem excitandam apud Castrum Grecii disponeret agere cum quanta majori solemnitate valeret. Ne vero hoc levitati posset adscribi, a Summo Pontifice petita, & obtenta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fenum, bovem, & asinum ad locum adduci. Advocantur fratres, adveniunt populi, personat sylva voces, & venerabilis illa nox lumi-

minibus copiosis, & claris, laudibusque sonoris, & consonis, splendens efficitur, & solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lacrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, levita Christi Francisco sacrum Evangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de Nativitate Regis pauperis, quem cum nominare vellet: puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus, & verax qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate conjunctus Dominus Joannes de Grecio se vidisse asseruit puerulum quemdam valde formosum in illo præsepio dormientem: quem beatus pater Franciscus ambobus complexans brachiis excitare videbatur a somno. Hanc siquidem devoti militis visionem non solum videntis sanctitas credibilem facit: sed, & designata veritas comprobat, & miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum a mundo excitativum est cordium in fide Christi torpentium: & fenum præsepii reservatum a populo, mirabiliter sanativum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsivum pestium diversarum, glorificante Deo per omnia servum suum, sanctæque orationis efficaciam evidentibus miraculorum prodigiis demonstrante.

Caput XI.

De intelligentia Scripturarum, & spiritu prophetiæ.

Ad tantam autem mentis serenitatem indefessum orationis studium cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat: ut quamvis non habuerit sacrarum litterarum peritiam per doctrinam: æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, & ubi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat

A quandoque in libris sacris, & quod animo semel injecerat, tenaciter imprimebat memoriæ: quia non frustra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ devotionis ruminabat affectu. Quærentibus aliquando fratribus, utrum sibi placeret quod litterati jam recepti ad ordinem intenderent studio sacræ Scripturæ. Respondit: Mihi quidem placet: dum tamen exemplo Christi, qui magis orasse legitur quam legisse, orationis studium non omittant, nec tamen studeant, ut sciant qualiter debeant loqui: sed ut audita faciant, & cum fecerint, aliis facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos Evangelicos

B esse: sicque in notitia veritatis proficere, quod in simplicitatis puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam a prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto conjunxit. Interrogatus Senis a quodam Religioso viro Theologiæ sacræ Doctore de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ, divinæ sapientiæ patefaciebat arcana, ut vehementer stuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret: Vere Theologia sancti Patris istius puritate, ac contemplatione tamquam alis in altum subvecta est aquila volans: nostra vero scientia ventre graditur super terram. Licet enim

C esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum, & abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si vir sanctus Scripturarum a Deo intellectum acceperat, cum per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, & per Sancti Spiritus unctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde. Adeo etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ, ut provideret futura, & cordium contueretur occulta: absentia quoque velut præsentia cerneret, & se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namque quo Damiatam Christianorum obsidebat exercitus: aderat vir Dei non armis, sed fide munitus. Cum igitur die belli, Christiani para-

rarentur ad pugnam: hoc audito Christi servus vehementer ingemuit, dixitque socio suo: Si belli fuerit attentatus ingressus ostendit mihi Dominus non prospere cedere Christianis, verum si hoc dixero, fatuus reputabor, si tacuero, conscientiam non evadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius ejus dicens: Frater pro minimo tibi sit ut ab hominibus judiceris: quia non modo incipis fatuus reputari. Exonera conscientiam tuam, & Deum magis time, quam homines. Quo audito: exiliens Christi præco salutaribus monitis Christianos aggreditur: prohibet bellum, denuntiat casum. Fit veritas in fabulam: induraverunt cor suum, & noluerunt reverti. Itur, committitur, & bellatur, totaque in fugam vertitur militia Christiana: finem belli opprobrium regerens, non triumphum. Tanta vero strage Christianorum imminutus est numerus, ut circa sex millia fuerint inter mortuos, & captivos. In quo evidenter innotuit quod spernenda non erat sapientia pauperis: cum anima viri justi annuntiet aliquando magis vera quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

Eccli. 37. Alio quoque tempore cum post reversionem ipsius de ultra mare, Celanum prædicaturus accederet, miles quidam supplici eum devotione cum instantia magna invitavit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exultavit in ingressu. Ante vero quam cibum sumerent juxta solitum morem, vir mente devotus offerens Deo preces, & laudes, oculis stabat elevatis in cœlum. Oratione completa, benignum hospitem familiariter advocatum in partem, sic allocutus est. Ecce frater hospes, tuis victus precibus ut manducarem, domum tuam intravi. Meis nunc cito monitis acquiesce: quoniam non hic, sed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem: quoniam tanta

A devotione suos pauperes suscepisti. Acquievit continuo ut ille sermonibus sancti: socioque ipsius universa peccata in confessione detegens, disposuit domum suam, & ad mortem suscipiendam, se quantum valuit, præparavit. Intraverunt tandem mensam, & incipientibus aliis manducare, hospes subito spiritum exhalavit, juxta verbum hominis Dei repentina morte sublatus. Sicque factum est hospitalitatis gratia promerente, ut juxta verbum veritatis Prophetam recipiens mercedem Prophetæ acciperet: dum per Sancti viri pronuntiationem propheticam miles ille devotus sibi contra mortis subitationem providit: quatenus armis pœnitentiæ præmunitus perpetuam damnationem evaderet, & in æterna tabernacula introiret. Matt. 10.

B

Tempore quo vir sanctus Reate jacebat infirmus: præbendarius quidam nomine Gedeon lubricus, & mundanus infirmitate gravi correptus, lectulo decubans, cum ad eum fuisset delatus, lacrymose rogabat cum simul astantibus, ut ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille: Cum vixeris olim secundum desideria carnis non veritus judicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verum propter devotas intercedentium preces, signo te crucis signabo, in nomine Domini. Tu tamen scito te graviora passurum, si ad vomitum redieris liberatus. Propter

C

enim peccatum ingratitudinis semper pejora prioribus inferuntur. Signo itaque crucis super eum facto, statim, qui contractus jacuerat, surrexit sanus: & in laudem Dei prorumpens. Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renum ejus audientibus cunctis veluti cum manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque sero quodam cœnasset in domo cujusdam Canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subito super omnes corruit tectum domus. Ceteris autem evadentibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Justo igitur Dei judicio facta sunt novissima hominis illius

illius pejora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deique contemptum: cum de accepta venia gratum esse oporteat, ut duplo displiceat flagitium iteratum.

Alio quoque tempore mulier quædam nobilis Deo devota venit ad sanctum, ut suum ei explicaret dolorem, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem adversarium patiebatur in servitio Christi. & ideo petebat a sancto quatenus oraret pro illo, ut sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clementia. Ipse vero hoc audiens, ait illi: Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo consolationem tibi de proximo affuturam. Et adjecit: Dices ei ex parte Dei, & mea quod nunc est tempus clementiæ, postmodum æquitatis. Benedictione accepta revertitur mulier, invenit virum, denuntiat verbum. Cecidit super eum Spiritus Sanctus, & novum factum de veteri, sic facit cum mansuetudine respondere: Domina serviamus Domino, & salvemus animas nostras. Suadente igitur sancta uxore pluribus annis cœlibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migraverunt. Miranda certe in viro Dei spiritus prophetici virtus, qua, & membris jam arentibus restituebat vigorem, & duris imprimebat cordibus pietatem: quamquam non minus ejusdem spiritus sit stupenda limpiditas, qua sic futurorum præcognoscebat eventum, ut etiam conscientiarum scrutaretur arcanum: quasi alter Elisæus duplicem Eliæ spiritum assecutus.

Nam cum Senis viro cuidam sibi familiari quædam superventura finaliter prædixisset, & vir ille peritus, de quo supra mentio facta est, quod de Scripturis cum eo conferebat aliquando: his auditis ab eodem sancto patre dubitando perquireret: an hæc ipse dixisset, quæ illius viri relatione cognoverat: non solum se illa dixisse asseruit: verum etiam quærenti alienum eventum proprium exitum prophetando prædixit. Quod ut certius cordi ejus imprimeret quemdam secretum conscientiæ illius scru-

A pulum quem nulli viventi vir præfatus expresserat, mirabiliter revelando explicuit, & salubriter consulendo reseravit. Ad quorum omnium firmitatem accedit, quod vir ille Religiosus sicut Christi famulus ei prædixit, sic finaliter consummavit.

Eo quoque tempore quo revertebatur de ultra mare, socium habens fratrem Leonardum de Assisio, contigit eum fatigatum, & lassum parumper asellum conscendere. Subsequens autem socius, & ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, humanum aliquid passus: Non de pari ludebant parentes ejus, & mei. En ipse equitat, & ego pedester

B asinum ejus duco. Hoc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus, & ait: Non frater convenit ut ego equitem, tu venias pedes: quia nobilior, & potentior in sæculo tu me fuisti. Obstupuit illico frater, & rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius, & lachrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit.

Frater quidam Deo devotus, & famulo Christi, frequenti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu: quem vero tamquam extraneum reputaret, extra numerum electorum reputan-

C dum a Deo. Cum igitur cogitationis hujusmodi crebrius vexatus impulsu viri Dei familiaritatem vehementer optaret, nec tamen cordis sui secretum revelaret alicui, advocans eum ad se, dulciter Pater pius sic allocutus est: Nulla te turbet cogitatio fili: quoniam te charissimum habens inter præcipue mihi charos libenter tibi munus meæ familiaritatis, & dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque devotior ex devoto, non solum in amorem crevit hominis sancti, verum etiam per Spiritus Sancti gratiæ munus, donis est majoribus cumulatus. Cum autem in monte maneret Alvernæ cella reclusus, unus e sociis magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum manu

nu ipsius breviter annotatum. Gravem enim qua vexabatur tentationem non carnis, sed spiritus ex hoc credebat evadere, vel certe levis ferre, Tali desiderio languens anxiabatur interius: quia verecundia victus reverendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, Spiritus revelavit. Portari namque sibi jussit a fratre prædicto atramentum, & chartam, laudesque Domini juxta fratris desiderium propria manu scripsit, & ultimo benedictionem ipsius, dicens: Accipe tibi chartulam istam, & usque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum, & statim omnis illa tentatio effugatur. Servatur littera: & cum in posterum miranda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit.

Frater quidam erat quantum a foris videbatur, sanctitate præclarus, conversatione insignis, tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacans, tanta districtione silentium observabat, quod consueverat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autem sanctum Patrem venire ad locum videre fratrem, & de ipso cum aliis fratribus habere sermonem: Commendantibus autem omnibus, & magnificantibus illum: respondit vir Dei: Sinite fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis, quod diabolica tentatio est, & deceptio fraudulenta. Dure acceperunt hoc fratres tamquam impossibile judicantes, quod tot perfectionis indiciis fraudis se commenta fuscarent. Verum non post multos dies eo Religionem egresso evidenter apparuit quanta luculentia interioris contuitus vir Dei cordis ejus secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum qui stare videbantur ruinam, sed, & plurium perversorum conversionem ad Christum immobili veritate prænuntians appropinquasse videbatur ad æternæ lucis speculum contemplandum: cujus fulgore mirabili absentia corporaliter tamquam si essent præsentia mentis ejus cernebat obtutus.

Quodam namque tempore Vica-A rius suus tenebat capitulum: ipse vero in cella orans, sequester erat, & medius inter fratres, & Deum. Cum igitur unus ex ipsis defensionis quodam contectus palliolo non se subderet disciplinæ: videns hoc vir sanctus in spiritu, vocavit quemdam de fratribus, & dixit ad eum: Vidi frater diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum ejus tenentem astrictum, qui tali sessore subactus, obedientiæ fræno spreto, instinctus ejus sequebatur habenas. Et cum rogarem Deum pro fratre, subito dæmon confusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, ut obedientiæ sanctæ jugo collum sine mora submittat. Monitus per internun-B tium frater, statimque conversus ad Deum, ad pedes Vicarii humiliter se projecit.

Alio quoque tempore contigit duos fratres ad Eremitorium Grecii de remotis venire, ut virum Dei cernerent, & benedictionem multo desideratam jam tempore reportarent. Venientes autem, & non invenientes, quia de publico jam ad cellam redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cum de ipsorum adventu vel recessu nihil secundum humanum sensum percipere potuisset præter solitum morem egressus e cella, clamavit post eos: & juxta quod optaverant, signo crucis facto in Christi nomine benedixit.

C Duo fratres venerunt aliquando de Terra laboris, quorum antiquior nonnulla intulit scandala juniori. Cum autem pervenissent ad Patrem, quæsivit ille a juniori qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via. Quo respondente utique satis bene, subjunxit: Cave frater, ne sub humilitatis specie mentiaris, scio enim, sed exspecta modicum, & videbis. Miratus est perplurimum frater, quomodo tam absentia per spiritum cognovisset. Igitur non post multos dies contempta Religione, foras egreditur qui scandalum fecerat fratri, & a Patre non petierat veniam, nec correctionis debitam receperat disciplinam. Simulque duo in una illius claruere ruina: æquitas, scilicet divinæ justitiæ, & perspicacitas spi-

spiritus prophetiæ. Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit divina faciente virtute, evidenter ex superioribus innotescit, si revocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo fratribus transfiguratus apparuit, & quomodo se Arelatensi Capitulo in crucis effigie præsentavit. Quod factum esse divina dispositione credendum est, ut ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patenter claresceret, quam præsens, & pervius spiritus ejus luci sapientiæ foret æternæ, quæ omnibus mobilibus mobilior est: & ubique attingens propter sui munditiam per nationes in animas sanctas se transfert, & Dei amicos, & Prophetas constituit. Simplicibus, & parvulis sua solet pandere mysteria doctor excelsus. Sicut prius apparuit in David Prophetarum eximio, & post in Apostolorum principe Petro, & tandem in paupercuIo Christi Francisco. Hi enim cum essent litterarum imperitia simplices, facti sunt Sancti Spiritus eruditione illustres. Is quidem pastor ut gregem pasceret Synagogæ de Ægypto eductum: iste piscator ut sagenam repleret Ecclesiæ multiformitate credentium: hic autem negotiator, ut margaritam emeret Evangelicæ vitæ, venditis, & dispersis omnibus propter Christum.

Sap. 7.

Caput XII.

De efficacia prædicandi, & gratia sanitatum.

Fidelis re vera famulus, & minister Christi Franciscus ut cuncta fideliter, & perfecte perageret, illis potissime virtutum exercitiis intendebat, quæ sacro dictante Spiritu, Deo suo magis placere cognoverat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cujusdam agoniam incidere: quam multis diebus ab oratione rediens terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres consulitis, quid laudatis? an quod orationi vacem, an quod prædicando discurram? Si quidem ego parvulus simplex, & imperitus sermone, majorem orandi A accepi gratiam, quam loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum, in prædicatione distributio quædam donorum cœlitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & unitio ad unum verum, & summum bonum cum vigoratione virtutis. In prædicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur, & audimus, & quasi Angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur. In prædicatione multa oportet condescensione uti ad homines, & humane inter eos vivendo, humana cogitare, videre, dicere, & audire. B Sed unum est in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quod videlicet unigenitus Dei Filius, qui est sapientia summa, propter animarum salutem de sinu Patris descendit, ut suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis, & pretio rediimeret, & emundaret lavacro, & poculo sustentaret, nihil sibi omnino reservans quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundum exemplar eorum, quæ videmus in ipso tamquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum, quod intermissa quiete foras egrediar ad laborem. C Cumque per multos dies verba hujusmodi ruminaret cum fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum sibi foret, ut Christo vere acceptius eligendum. Cum enim miranda nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem dissolvere non valebat ad liquidum, Deo melius providente, ut prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, & servi Christi humilitas servaretur. Non erubescebat a minoribus parva quærere verus minor, qui magna didicerat a magistro supremo. Studio namque præcipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo posset secundum ipsius beneplacitum perfectius deservire. Hæc summa ejus Philosophia, hoc summum ejus desiderium

rium extitit quoad vixit, ut quæreret a sapientibus, & simplicibus, perfectis, & imperfectis, parvulis, & grandævis qualiter ad perfectionis culmen virtuosius pervenire valeret. Assumens itaque duos ex fratribus misit ad fratrem Silvestrum qui crucem egredientem viderat de ore ipsius: & tunc in montem supra Assisium jugiter orationi vacabat, ut divinum super dubitatione hujusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum demandavit sacræ virgini Claræ, ut per aliquam puriorem, & simpliciorem de Virginibus sub ipsius disciplina degentibus, & ipsa cum sororibus aliis orans, super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordaverunt autem mirabiliter in idipsum superno eis revelante Spiritu venerabilis Sacerdos, & virgo Deo dicata, beneplaciti scilicet esse divini, quod Christi præco ad prædicandum exiret. Revertentibus itaque fratribus, & Dei juxta quod acceperant indicantibus voluntatem, exurgens continuo succinxit se, & nulla prorsus contracta mora, iter aggressus est. Ibat autem cum tanto fervore, ut divinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac si facta manu Dei super eum novam induisset e cœlo virtutem. Cum igitur appropinquaret Bevanium ad quemdam locum devenit, in quo diversi generis avium maxima multitudo convenerat. Quas cum sanctus Dei vidisset, alacriter cucurrit ad locum, & eas velut rationis participes salutavit. Omnibus vero expectantibus, & convertentibus se ad eum, ita ut quæ in arbustis erant, inclinatis capitibus cum appropinquaret ad eas insolito modo in ipsum intenderent, usque ad eas accessit, & omnes ut verbum Domini audirent, sollicite admonuit, dicens: Fratres mei volucres, multum debetis laudare Creatorem vestrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aeris, & sine vestra sollicitudine vos gubernat. Cum autem eis hæc, & his similia loqueretur, aviculæ modo mirabili gestientes cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire rostra, & in illum attente respicere. Ipse vero cum spiritus fervore mirando per medium ipsarum transiens, tunica contingebat easdem, nec tamen de loco aliqua mota est, donec signo Crucis facto, & licentia data cum benedictione viri Dei, omnes simul advolarunt. Hæc omnia contuebantur socii expectantes in via. Ad quos reversus vir simplex, & purus, pro eo quod non hactenus avibus prædicaverat, cœpit se de negligentia inculpare. Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Alvianum, ubi congregato populo, & indicto silentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisque garritibus perstrepentes audiri vix poterat. Quas vir Dei omnibus audientibus allocutus est, dicens: Sorores meæ hirundines jam tempus est, ut loquar & ego, quia vos usque modo satis dixistis. Audite verbum Dei tenentes silentium, donec sermo Dei compleatur. At illæ tamquam intellectus capaces subito tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio consummata. Omnes igitur qui viderunt, stupore repleti glorificaverunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad sancti reverentiam, & fidei devotionem accendit.

In civitate namque Parisiensi scholaris quidam indolis bonæ cum sociis aliis studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cujusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios: Hæc hirundo una de illis est, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando donec silentium eis imponeret, molestabant, & conversus ad hirundinem fiducialiter ait: In nomine servi Dei Francisci præcipio tibi, ut ad me veniens continuo conticescas. At illa Francisci audito nomine, quasi viri Dei disciplinis edocta, & statim conticuit, & ipsius manibus tamquam tutæ custodiæ se commisit. Stupefactus scholaris, statim eam libertati restituit, & ejus garritum amplius non audivit.

Alio quoque tempore; cum famulus Dei Caietæ semel prædicaret in littore maris, turbis præ devotione ruentibus, ut eum contingerent: horrens Christi servus tantum populorum applausum in unam hærentem littori naviculam prosilivit solus. Illa vero tamquam si rationis particeps motore moveretur intrinseco sine aliquo remige, cernentibus, & mirantibus cunctis, se longius a terra protraxit. Cum autem aliquanto spatio in maris altitudinem secessisset, stetit inter fluctus immobilis quamdiu vir sanctus turbis expectantibus in littore prædicavit. Cumque audito sermone, & viso miraculo, ac benedictione accepta multitudo recederet, ne ipsum amplius molestaret, navicula proprio ductu ad terram reversa est. Quis igitur obstinatæ mentis esset, & impiæ, qui prædicationem Francisci contemneret, cujus miranda fiebat virtute ut non solum carentia ratione, disciplinam susciperent, verumetiam inanimata corpora tamquam animata prædicanti servirent.

Aderat equidem servo suo Francisco, ad quæcumque pergeret is qui eum unxerat, & miserat Spiritus Domini, & ipse Dei virtus, & sapientia Chistus, ut sanæ doctrinæ verbis afflueret, & magnæ potentiæ miraculis coruscaret. Erat enim verbum ejus, velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cum non humanæ inventionis ornatum prætenderet, sed divinæ revelationis afflatum redoleret. Nam cum semel prædicaturus coram Papa, & Cardinalibus ad suggestionem Domini Ostiensis, sermonem quemdam studiose compositum commendasset memoriæ, stetissetque in medio ut ædificationis verba proponeret: sic oblivioni tradidit omnia, ut effari aliquid omnino nesciret. Verum cum hæc veridica humilitate narrasset, conferens se ad Spiritus Sancti gratiam invocandam, tam efficacibus subito cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum sublimium ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur. Et quoniam primo sibi suaserat opere, quod aliis suadebat sermone, reprehensorem non timens veritatem fidentissime prædicabat. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere, nec vitam fovere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur, & parvis, eademque spiritus jucunditate paucis loquebatur, & multis. Omnis ætas, omnisque sexus, properabat virum novum mundo cœlitus datum, & cernere, & audire. Ipse vero per diversas regiones progrediens evangelizabat ardenter, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. *Matt. 16.* In virtute namque nominis ejus veritatis præco Franciscus eiiciebat dæmonia, sanabat infirmos, & quod majus est, sui sermonis efficacia obstinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, simulque sanitatem corporibus reddebat, & cordibus, sicut aliqua comprobant operum ejus, exempli gratia inferius annotanda.

In civitate Tuscanella a milite quodam hospitio devote susceptus, filium ejus unicum a nativitate contractum ad multam ipsius instantiam, manu allevans, sic subito incolumem reddidit, ut videntibus cunctis, protinus consolidarentur omnia corporis membra, & puer sanus effectus, & fortis confestim exurgeret ambulans, & exiliens, & laudans Deum.

In civitate Narniensi cum paralyticum quemdam membrorum omnium destitutum officio, signo crucis a capite usque ad pedes ad instantiam signasset Episcopi, perfecte restituit sanitati.

In Episcopatu Reatino puer quidam sic turgidus a quatuor annis, ut nullo modo propria crura cernere posset, a matre cum lacrymis præsentatus eidem, statim ut vir sanctus tetigit eum manibus sacris incolumis est effectus.

Apud civitatem Ortensem puer unus ita conglomeratus, ut caput pedibus portaret applicitum, & haberet ossa nonnulla confracta, signo crucis ad parentum lacrymabiles preces ab eodem suscepto, subito

bito extensus extitit, & illico liberatus.

Mulier quædam civitatis Eugubii ambas contractas, & aridas habens manus, adeo ut nihil per illas operari valeret, signo crucis ab eodem in nomine Domini sibi facto, tam perfectam obtinuit sospitatem, quod statim rediens domum, cibos in ministerium ejus, & pauperum quasi altera socrus Simonis propriis manibus præpararet.

Puellæ cuidam in castro Bevanii, oculorum privatæ luminibus, cum in Trinitatis nomine sputo suo ter ipsius oculos linivisset, lumen concupitum restituit.

Mulier quædam civitatis Narnii, oculorum cæcitate percussa, signum crucis ab eodem suscipiens, lucem recuperavit optatam.

Bononiæ puer quidam unum oculorum macula adeo habens obtectum, ut nihil prorsus videre posset, nec aliquo juvari remedio, post signum crucis a capite usque ad pedes per servum Domini sibi factum, visum recuperavit tam limpidum, ut postmodum Fratrum Minorum ordinem ingressus, se longe clarius videre assereret de oculo prius infirmo, quam de oculo semper sano.

In castro sancti Gemini servus Dei a quodam devoto viro susceptus hospitio, cujus uxor a dæmonio vexabatur post orationem factam in virtute obedientiæ imperavit dæmoni ut exiret, eumque potestate divina tam subito effugavit, ut vere claresceret quod obedientiæ sanctæ virtuti pervicacia dæmonum non obsistat.

In civitate de Castello, quidam furibundus, & nequam spiritus quamdam obsidens mulierem, a viro sancto obedientiæ accepto mandato, indignabundus discessit, mente simul & corpore liberam obsessam prius fœminam derelinquens.

Frater quidam infirmitate tam horribili gravabatur, ut magis esse vexatio dæmonis, quam naturalis infirmitas a pluribus firmaretur. Nam totus sæpe allidebatur, & volutabatur spumans, membris corporis nunc contractis, nunc extensis, nunc plicatis nunc tortis, nunc rigidis effectis & duris. Quandoque totus extensus & rigidus, pedibus æquatis capiti levabatur in altum, horribiliter illico relapsurus. Hunc sic miserabiliter & irremediabiliter ægrotantem plenus misericordia Christi servus commiserans, bucellam sibi panis, de quo edebat, transmisit. Tantam vero gustatus panis contulit ægro virtutem, ut deinceps hujus infirmitatis molestiam non sentiret.

In comitatu Aretii cum diebus pluribus mulier quædam laborasset in partu, essetque jam proxima morti, nullum omnino desperanti de vita supererat remedium nisi Dei. Cum autem equo vectus propter corporis infirmitatem Christi famulus per partes illas transitum habuisset, contigit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines vero loci, viso equo, cui vir sanctus insederat, extraverunt frænum ut superponerent mulieri: ad cujus contactum mirificum omni remoto periculo, mulier illico peperit cum salute.

Vir quidam de Castro plebis, Religiosus ac timens Deum, chordam apud se, qua cinctus fuerat, sanctus pater habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in castro illo variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, & intincta chorda in aqua dabat bibere patientibus, sicque per hunc modum plurimi sanabantur. Sed & de panibus a viro Dei contactis gustantes ægroti, divina operante virtute consequebantur celeriter remedia sanitatum. Cum his & aliis multis miraculorum prodigiis præco Christi prædicans coruscaret, attendebatur his, quæ dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogativa virtutum, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cœlitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio ejus a Spiritu Sancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas a Sum-

Summmo Pontifice non sine revelatione concessa, insuper & regula, in qua forma prædicandi exprimitur ab eodem Christi Vicario confirmata, summi quoque Regis signacula per modum sigilli corpori ejus impressa, tamquam testimonia decem, toti sæculo indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum & venerandum officio, & doctrina authenticum, & admirabilem sanctitate, ac per hoc tamquam vere Dei nuntium Christi Evangelium prædicasse.

Caput XIII.

De stigmatibus sacris.

Gen. 28. MOS erat Angelico viro Francisco numquam otiari a bono, quin potius instar supernorum spirituum in scala Jacob, aut ascendebat in Deum, aut descendebat ad proximum. Nam tempus sibi concessum ad meritum dividere sic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laboriosis impenderet, aliud contemplationis tranquillis excessibus dedicaret. Unde cum secundum exigentiam locorum & temporum alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumque quietis quo liberius Deo vacans, extergeret si quid pulveris sibi ex conversatione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cœlo, divina providentia duce, post labores multimodos perductus est in locum excelsum seorsum, qui dicitur Mons Avernæ. Cum igitur juxta solitum morem, Quadragesimam ibidem ad honorem sancti Archangeli Michaelis jejunare cœpisset, supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cœlestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cu-
Prov. 25. mulatius dona sentire. Ferebatur quidem in altum, non ut curiosus majestatis perscrutator opprimendus a gloria, sed tamquam servus fidelis & prudens investigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimode

A summo peroptabat ardore. Immissum est igitur menti ejus per divinum oraculum quod in apertione libri Evangelici revelaretur ei a Christo, quid Deo in ipso, & de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multa devotione præmissa, sacrum Evangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum & sanctum. Sane cum in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo tran-
B siret. Et licet propter multam austeritatem vitæ præteritæ, crucisque Dominicæ bajulationem continuam, imbecillis jam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrii sustinentiam vigorosius animatus. Excreverat, quidem in eo insuperabile amoris incendium boni Jesu in Cant. 8. lampades ignis atque flammarum, ut aquæ multæ charitatem ejus tam validam extinguere non valerent. Cum igitur seraphicis desideriorum ardoribus, sursum ageretur in Deum, & compassiva dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festum Exaltationis sanctæ Crucis dum oraret in latere montis, vidit
C Seraph unum sex alas habentem tam ignitas, quam splendidas de cœlorum sublimitate descendere. Cumque volatu celerrimo pervenisset ad aeris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alias effigies hominis crucifixi in modum crucis manus & pedes extensos habentis & cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius elevabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ vero totum velabant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor ejus incurrit. Lætabatur quidem in gratioso aspectu, quo a Christo sub specie Seraph cernebat se conspici, sed crucis affixio compassivi doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quamplurimum in tam inscrutabilis visionis aspe-

aspectu, sciens quod passionis infirmitas cum immortalitate spiritus seraphici nullatenus conveniret. Intellexit tandem ex hoc Domino revelante, quod ideo hujusmodi visio sic divina providentia suis fuerat præsentata conspectibus, ut amicus Christi prænosceret se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. Disparens igitur visio, mirabilem in corde ipsius reliquit ardorem, sed & in carne non minus mirabilem signorum impressit effigiem. Statim namque in manibus ejus & pedibus apparere cœperunt signa clavorum, quemadmodum paulo ante in effigie illa viri crucifixi conspexerat. Manus enim & pedes in ipso medio clavis confixæ videbantur, clavorum capitibus in interiori parte manuum & superiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex adverso. Erantque clavorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipsa vero acumina oblonga retorta, & quasi repercussa, quæ de ipsa carne surgentia carnem reliquam excedebant. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat, quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam & femoralia respergebat. Cernens autem Christi servus, quod stigmata carni tam luculenter impressa socios familiares latere non possent: timens nihilominus publicare Domini Sacramentum, in magno positus fuit dubitationis agone, utrum videlicet quod viderat, diceret, vel taceret. Vocavit proinde aliquos ex fratribus, & generalibus verbis loquens, dubium coram eis proposuit, & consilium requisivit. Quidam vero ex fratribus gratia illuminatus, & nomine intelligens quod aliqua miranda vidisset, pro eo quod videbatur admodum stupefactus, dixit ad virum sanctum: Frater non solum propter te, sed etiam propter alios, scias tibi ostendi aliquando sacramenta divina. Timendum propterea jure videtur ne si quod pluribus profuturum accepisti, celaveris, pro talento abscondito reprehensibilis ju-

A diceris. Ad cujus verbum motus vir sanctus, licet alias dicere solitus esset, Secretum meum mihi: tunc tamen cum multo timore seriem retulit visionis præfatæ, addens quod is, qui sibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ numquam dum viveret alicui hominum aperiret. Credendum sane tam arcana illa fuisse sacri illius Seraph in cruce mirabiliter apparentis eloquia quod forte non liceret hominibus ea loqui. Postquam igitur verus Christi amor in eamdem imaginem transformavit amantem quadraginta dierum numero juxta quod decreverat in solitudine consummato, superveniente quoque solemnitate Archangeli Michaelis, descendit

B Angelicus vir Franciscus de monte secum ferens crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis manu figuratam artificis, sed in carneis membris descriptam digito Dei vivi. Et quoniam sacramentum Regis abscondere bonum est: ideo secreti regalis vir conscius signacula illa sacra pro viribus occultabat. Verum, quia Dei est ad gloriam suam magna revelare quæ facit Dominus, ipse, qui signacula illa secrete impresserat, miracula quædam aperte per ipsa monstravit, ut illorum occulta & mira vis stigmatum, manifesta pateret claritate signorum. *Tob. 12.*

In Provincia namque Reatina pestis invaluerat valde gravis, quæ oves

C & boves omnes sic consumebat crudeliter, quod nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per visionem commonitus, ut ad eremitorium fratrum festinanter accederet, & loturam manuum ac pedum famuli Dei Francisci, qui tunc temporis morabatur ibidem acceptam, super animalia cuncta respergeret. Mane itaque surgens venit ad locum, loturaque hujusmodi per socios sancti viri latenter obtenta, oves & boves languentes ex ea respersit. Mirabile dictu. Statim ut aspersio animalia languida, & in terra jacentia quantumcumque paululum attingebat, pristino recuperato vigore surgebant continuo, & tamquam nihil mali sensissent, ad pascua festinabant.

bant. Sicque factum est, ut per virtutem mirandam aquæ illius, quæ sacras plagas contigerat, omnis prorsus plaga cessaret, pestilensque morbus a gregibus fugaretur. Circa præfatum montem Alvernæ antequam vir sanctus ibi contraheret moram, nube ex ipso monte surgente, grandinis violenta tempestas fructus terræ consuetudinarie devastabat. Sed post illam apparitionem felicem non sine incolarum admiratione grando vicessavit, ut cœlestis illius visionis excellentiam & stigmatum ibidem impressorum virtutem serenati præter morem ipsa cœli facies declararet. Contigit quoque cum tempore hiemali propter debilitatem corporis, & asperitatem viarum hominis unius pauperis subvectum asello sub rupis cujusdam prominentis pernoctaret crepidine, ut nivis & noctis supervenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus, ad hospitii locum non valuerat pervenire. Cum autem vir sanctus hominem illum querulosis submurmurantem gemitibus hinc inde seipsum jactare sensisset, tamquam qui tenui operimento contectus quiescere præ frigoris acerbitate nequibat, divini amoris fervore succensus, manu illum protensa palpavit. Mirabile certe! Repente illius sacræ manus contactum quæ seraphici calculi gerebat incendium omni fugato frigore tantus in virum intus & extra calor advenit, ac si quædam in eum vis flammea ex fornacis spiraculo processisset. Nam illico & mente & corpore confortatus, suavius inter saxa, & nives usque mane dormivit, quam umquam in proprio lecto pausaverat, sicut ipse postmodum asserebat. Certis itaque constat indiciis, sacra illa signacula illius impressa fuisse virtute, qui operatione seraphica purgat, illuminat, & inflammat, cum ipsa forinsecus expurgando a peste salutem, serenitatem, & calorem corporibus efficacia mira conferrent, sicut & post mortem evidentioribus est demonstratum prodigiis suo loco posterius annotandis. Ipse vero licet thesaurum inventum in agro multa diligentia studeret abscondere: latere tamen non potuit, quin aliqui stigmata manuum viderent & pedum, quamquam manus, quasi semper portaret contectas & pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt enim dum viveret, fratres plurimi, qui licet essent propter sanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni: tamen ad omne dubium amovendum, sic esse ac se vidisse tactis sacrosanctis juramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro sancto habebant aliqui Cardinales, laudes sacrorum stigmatum, prosis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipsius ediderunt honorem veraciter inserentes, qui tam verbo, quam scripto perhibuerunt testimonium veritati. Summus etiam Pontifex dominus Alexander cum populo prædicaret coram multis fratribus, & meipso, affirmavit se dum sanctus viveret stigmata illa sacra suis oculis conspexisse. Viderunt in morte plusquam quinquaginta fratres, virgoque Deo devotissima Clara cum ceteris sororibus suis & sæculares innumeri, ex quibus quemadmodum suo loco dicetur, quamplurimi & osculati sunt ex devotionis affectu, & contrectaverunt manibus ad testimonii firmitatem. Vulnus autem lateris tam sollicite occultavit, ut illud nemo posset, nisi furtim contueri dum viveret. Unus etenim frater, qui ei sedule ministrare solitus erat, cum pia eum cautela, ut ad excutiendum extraheret tunicam induxisset, attente respiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam visu, quam tactu vulneris quantitatem agnovit. Consimili cautela vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat Vicarius ejus. Fratervero socius mirandæ simplicitatis dum infirmitatis causa languentes scapulas contrectaret, manu per caputium missa, & casualiter vulneri sacro illapsa, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, ut usque ad ascellas pertingerent ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque qui illa lavabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inveniebant ea sanguine

ru-

rubricata indubitanter per evidens signum in cognitionem sacri vulneris pervenerunt, quod postmodum in morte revelata facie, & ipsi cum aliis plurimis contemplati simul & venerati sunt. Eja nunc strenuissime miles Christi ipsius fer arma invictissimi Ducis, quibus munitus, & insignitus, omnes adversarios superabis. Fer vexillum Regis altissimi, ad cujus intuitum omnes pugnatores divini exercitus animentur. Fer nihilominus sigillum summi Pontificis Christi, quo verba & facta tua tamquam irreprehensibilia & authentica, merito ab omnibus acceptentur. Jam enim propter stigmata Domini JESU, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi esse molestus, quin potius quilibet Christi servus omni esse tenetur affectione devotus. Jam per hæc signa certissima, non duobus aut tribus testibus ad sufficientiam, sed quamplurimis ad superabundantiam comprobata testimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis omne tollunt infidelibus velamen excusationis, dum credentes in fide stabiliunt, spei fiduciam sursum agunt, & igne charitatis accendunt. Jam vere impleta est prima visio quam vidisti, videlicet quod dux in militia Christi futurus armis deberes cælestibus, signoque crucis insignibus decorari. Jam in principio tuæ conversionis crucifixi visio compassivi doloris gladio mentaliter te transfigens, sed & auditus vocis de cruce tamquam de throno Christi sublimi & secreto propitiatorio procedentis juxta quod tuo sacro firmasti eloquio, vera indubitanter fuisse creduntur. Jam in tuæ conversionis progressu, & crucem quam vidit frater Silvester ex ore tuo mirabiliter procedentem, & gladios in crucis modum tua viscera transfigentes, quos sacer vidit Pacificus, teque secundum crucis figuram in aere sublevatum, cum de crucis titulo sanctus prædicabat Antonius, juxta quod prospexit Angelicus vir Monaldus non phantastica visione, sed revelatione fuisse cœlica conspecta vere creditur & firmatur, Jam denique circa finem quod simul tibi ostenditur, & sublimis similitudo Seraph & humilis effigies Crucifixi interius te incendens, & exterius te consignans, tamquam alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis, qui signum in te habeas Dei vivi, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accipit testimonium veritatis. Ecce jam septem apparitionibus crucis Christi in te, & circa te secundum ordinem temporum mirabiliter exhibitis & monstratis, quasi sex gradibus ad istam septimam, in qua finaliter requiescis, pervenisti. Christi namque crux in tuæ conversionis primordio tam proposita, quam absumpta, & dehinc in conversationis progressu per vitam probatissimam bajulata in teipso continue, & in exemplum aliis demonstrata tanta certitudinis claritate ostendit, Evangelicæ perfectionis apicem te finaliter conclusisse, ut demonstrationem hanc Christianæ sapientiæ in tuæ carnis pulvere exaratam, nullus vere devotus abiiciat, nullus vere fidelis impugnet, nullus vere humilis parvipendat, cum sit vere divinitus expressa, & omni acceptione condigna.

CAPUT XIV.

De patientia ipsius, & transitu mortis.

CHristo jam igitur cruci confixus, Franciscus tam carne, quam spiritu, non solum seraphico amore ardebat in Deum: verum etiam sitiebat cum Christo crucifixo multitudinem salvandorum. Faciebat proinde quoniam propter excrescentes in pedibus clavos ambulare non poterat, corpus emortuum per civitates & castra circumvehi, ut ad crucem Christi ferendam ceteros animaret. Fratribus quoque dicebat: Incipiamus fratres servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis sicut a principio ministraret, corpusque jam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat Christo Duce se facturum ingentia, & fatiscentibus

bus membris, spiritu fortis & fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum. Neque enim languor vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritum, erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quod cum ille ad omnem niteretur sanctitatem pertingere, ipsa non solum non repugnaret, sed præcurrere niteretur. Ut autem viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia vere in patientia consummantur cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam graviter, ut vix in eo membrum aliquod remaneret absque ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas ac continuas ægritudines deductus est, ut consumptis jam carnibus quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarum censebat nomine, sed sororum. Cum autem semel gravius solito dolorum urgeretur aculeis: quidam frater simplex dixit ad eum. Frater ora Dominum, ut mitius tecum agat, manum enim suam plus debito super te gravare videtur. Quo audito, vir sanctus cum ejulatu exclamans, ait: Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex tunc abhorrerem consortium, qui ausus fueris circa me divina judicia reprehensibilia judicare. Et licet totus esset attritus gravis prolixitate langoris proiiciens se in terram, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculans humum, Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus de omnibus his doloribus meis, teque mi Domine rogo, ut centuplum, si tibi placuerit, addas: quia hoc erit mihi acceptissimum, ut affligens me dolore non parcas, cum tuæ sanctæ voluntatis adimpletio sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quod quasi alterum Job viderent, cui cum languor cresceret carnis, crescebat simul & vigor mentis. Ipse autem obitum suum longe ante præscivit, dieque transitus imminente, dixit fratribus sui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum sibi fuerat re-

A velatum a Christo. Cum itaque per biennium ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet a sua conversione vigesimo, multis fuisset angustiantium infirmitatum probativis tunsionibus conquadratus tamquam lapis in supernæ Hierusalem ædificio collocandus & tamquam ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus: ad sanctam Mariam de Portiuncula se portare poposcit: quatenus ubi acceperat spiritum gratiæ, ibi redderet spiritum vitæ. Quo cum fuisset perductus, ut veritatis exemplo monstraret, quod nihil erat illi commune cum mundo in illa infirmitate tam gravi, quæ omni languori con-

B clusit, super nudam humum se totum nudatum in spiritus fervore prostravit: quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra saccina veste deposita, faciem solito more levavit in cœlum, & intendens illi gloriæ totus, manu sinistra dextri lateris vulnus ne videretur, obtexit: & ait ad fratres: Ego quod meum est, feci: quod vestrum est, Christus edoceat: Illacrymantibus autem sociis sancti, qui miro fuerant compassionis telo percussi: unus ex eis quem vir Dei Guardianum suum esse dicebat, votum ipsius divina inspiratione cognoscens, festinus surrexit, & acceptam

C cum chorda & femoralibus tunicam pauperculo Christi obtulit, dicens: Hæc tibi tamquam pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus, & jubilat præ lætitia cordis: quoniam fidem tenuisse dominæ paupertati usque in finem se vidit: palmasque levans ad cœlum, Christum suum magnificat, pro eo quod exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, ut nec habitum quidem vellet habere, nisi ab alio commodatum. Voluit certe per omnia Christo crucifixo esse conformis: qui pauper, & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod, & in principio conversionis suæ nudus remansit coram Antistite, & in

con-

consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire: fratribusque sibi assistentibus in obedientia charitatis injunxit, ut cum viderent eum jam esse defunctum per tam longum spatium nudum super humum jacere permitterent, quod unius milliarii tractum suaviter quis perficere posset. O vere Christianissimum virum, qui & vivens Christum viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione conformis, & expressa promeruit similitudine decorari. Hora denique sui transitus propinquante fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, & eos consolatoriis verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad divinum est hortatus amorem. De patientia, & paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide servandis sermonem protraxit, ceteris institutis sanctum Evangelium anteponens. Circumsedentibus vero omnibus fratribus, extendit super eos manus in modum crucis brachiis cancellatis pro eo, quod hoc signum semper amabat: & omnibus fratribus tam præsentibus quam absentibus in crucifixi virtute ac nomine benedixit. Insuper, & adiecit. Valete filii omnes in timore Domini, & permanete in eo semper. Et quoniam futura tentatio, & tribulatio appropinquat, felices qui perseverabunt in his, quæ cœperunt. Ego vero ad Deum propero: cujus gratiæ vos omnes commendo. Suavi hujusmodi admonitione completa, jussit, Deo vir Charissimus Evangeliorum sibi codicem apportari, & Evangelium secundum Joannem, quod incipit eo loco: Ante diem festum paschæ sibi legi poposcit. Ipse vero prout potuit in hujus psalmi vocem erupit: Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus sum. & ad finem usque complevit. Me, inquit expectant justi: donec retribuas mihi. Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa sanctissima carne soluta, & in abyssum divinæ claritatis absorpta, beatus vir obdormivit in Domino: Unus autem ex fratribus, & discipulis ejus vidit animam illam beatam sub specie stellæ præfulgidæ a candida subvectam nubecula, super aquas multas in cœlum recto tramite sursum ferri, tamquam sublimis sanctitatis candore prænitidam, & cœlestis sapientiæ simul, & gratiæ ubertate repletam: quibus vir sanctus promeruit locum introire lucis, & pacis, ubi cum Christo sine fine quiescit: Minister quoque fratrum in Terra laboris tunc erat frater Augustinus vir utique sanctus, & justus, qui in hora ultima positus, cum jam diu perdidisset loquelam, audientibus qui astabant, subito clamavit, & dixit: Expecta me pater, expecta ecce jam venio tecum. Quærentibus fratribus, & admirantibus multum, cui sic loqueretur, audacter respondit: Nonne videtis patrem nostrum Franciscum, qui vadit ad cœlum? Et statim sancta ipsius anima migrans a carne, patrem est secuta sanctissimum. Episcopus Assisinas ad oratorium sancti Michaelis in monte Gargano, tunc temporis peregrinationis causa perrexerat, cui beatus Franciscus apparens nocte transitus sui dixit: Ecce relinquo mundum, & vado ad cœlum. Mane igitur surgens Episcopus sociis narravit quæ vidit: & Assisium rediens, cum sollicite perquisisset, certitudinaliter comperit, quod ea hora qua sibi per visionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migravit. Alaudæ aves lucis amicæ, & crepusculorum tenebras horrescentes, hora transitus sancti viri cum jam esset noctis secuturæ crepusculum, venerunt in multitudine magna super tectum domus, & diu cum insolita quadam jubilatione rotantes, gloriæ sancti, qui eas ad divinas laudes invitare solitus erat, tam jucundum quam evidens testimonium perhibebant.

(Margin: A; B; C; *Joan.* 13.; *Ps.* 76.)

Caput XV.

De canonizatione, & translatione ipsius.

FRanciscus igitur servus, & amicus Altissimi Ordinis Minorum Fratrum institutor & dux, paupertatis professor, pœnitentiæ forma, ve-

veritatis præco, sanctitatis speculum, & totius Evangelicæ perfectionis exemplar, superna præventus gratia, ordinato progressu ab infimis pervenit ad summa. Hunc virum mirabilem utpote paupertate prædivitem, humilitate sublimem, mortificatione vividum, simplicitate prudentem, omnique morum honestate conspicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante a sæculo, spiritus ille sacer domum æternitatis ingrediens, fontisque vitæ haustu plenario gloriosus effectus, expressa quædam in corpore futuræ gloriæ signa reliquit, ut caro illa sanctissima, quæ crucifixa cum vitiis in novam jam creaturam transierat, & passionis Christi effigiem privilegii singularitate præferret, & novitate miraculi Resurrectionis speciem præmonstraret. Cernebantur quidem in membris illis felicibus clavi ex ejus carne virtute divina mirifice fabrefacti, sicque carni eidem innati, quod dum a parte qualibet premerentur, protinus quasi nervi continui, & duri ad partem oppositam resultabant. Inventa quoque fuit patentius in ipsius corpore non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, instar vulnerati lateris Salvatoris, quod redemptionis, & regenerationis humanæ in ipso Redemptore nostro protulit sacramentum. Erat autem similitudo clavorum nigra quasi ferrum: vulnus autem lateris rubeum, & ad orbicularitatem quamdam carnis contractione reductum, rosa quædam pulcherrima videbatur. Caro vero ipsius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate, quam ex natura ad nigredinem declinabat: candore nimio renitescens illius secundæ stolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipsius adeo mollia, & tractabilia se præbebant palpantibus, ut conversa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, & quibusdam cernerentur evidentibus signis innocentiæ decorata. Cum igitur in candidissima carne, nigrescerent: plaga vero lateralis, ut vernans roseus flos ruberet: mirandum non est si tam formosa, & miraculosa varietas jucunditatem, & admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filii pro subtractione tam amabilis patris, sed & non modica perfundebantur lætitia, dum deosculabantur in eo signacula summi Regis. Miraculi novitas planctum vertebat in jubilum, & intellectus rapiebat indaginem in stuporem. Erat quippe tam insolitum, tamque insigne spectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris, audientibus vero admirationis materia, & excitatio desiderii ad videndum. Audito siquidem transitu patris, & fama diffusa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, ut id cerneret oculis, quod a ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularet. Admissi sunt igitur Assisinates cives quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, & labiis osculanda. Unus autem ex eis miles quidem litteratus, & prudens Hieronymus nomine vir utique famosus, & celeber, cum de hujusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus quasi Thomas, ferventius, & audacius coram fratribus, & aliis civibus movebat clavos, sanctique manus & pedes, & latus manibus propriis contrectabat, ut dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui, & omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod & ipse inter alios hujus veritatis tam certitudinaliter agnitæ testis constans postmodum effectus est, & tactis sacrosanctis juramento firmavit. Fratres autem, & filii, qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum noctem illam in qua almus Christi confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defunctorum exequiæ, sed Angelorum excubiæ viderentur. Mane autem facto, turbæ quæ convenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis sacrum corpus ad civitatem Assisii detulerunt. Transeuntes vero per Ecclesiam Sancti Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara, nunc glo-

gloriosa in cœlis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes sacrum corpus margaritis cœlestibus insignitum, videndum, & osculandum sacris illis virginibus obtulerunt. Pervenientes denique ad civitatem cum jubilo, pretiosum thesaurum quem portabant in Ecclesia sancti Georgii cum omni reverentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus litteras didicit, ibique postmodum primitus prædicavit: postremo ibidem locum primum quietis accepit. Transiit autem venerabilis pater ex hujus mundi naufragio anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo vigesimosexto, quarto nonas Octobris die Sabbati in sero: sepultus in die Dominico. Cœpit autem vir beatus continuo divinæ faciei superirradiante respectu, magnis, & multis coruscare miraculis, ut sublimitas sanctitatis ejus, quæ ipso vivente in carne ad morum directionem per exempla perfectæ justitiæ innotuerat mundo: illo jam regnante cum Christo, ad omnem fidei firmitatem per miracula divinæ potentiæ comprobaretur e cœlo. Cumque in diversis orbis partibus gloriosa ejus miracula, largaque per ipsum impetrata beneficia plurimos ad Christi devotionem accenderent, & ad ipsius sancti reverentiam incitarent: acclamantibus tam linguis sermonum, quam operum, ad aures summi Pontificis domini Gregorii noni, quæ per servum suum Franciscum Deus operabatur, magnalia pervenerunt. Sane cum idem Pastor Ecclesiæ non solum ex miraculis auditis post mortem, verumetiam experimentis in vita ipsius oculis visis, & manibus contrectatis, sanctitatem ejus mirabilem plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in cœlis glorificatum a Domino nullatenus dubitaret: ut Christo cujus erat Vicarius concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tamquam omni veneratione dignissimum pia consideratione disposuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum, de glorificatione viri sanctissimi, inventa miracula, & conscripta, & testibus ido-

A neis approbata examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales favorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, & ab omnibus approbatis, de fratrum suorum, & omnium prælatorum qui tunc erant in curia, concordi consilio, & assensu canonizandum decrevit: veniensque personaliter ad civitatem Assisii anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII. 17. Kalendas Augusti die Dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare solemniis, beatum patrem catalogo sanctorum adscripsit. Anno vero Domini millesimo ducentesimo trigesimo convenientibus fratribus ad Capitulum generale Assisii celebratum ad basilicam in honore ipsius constructam, corpus illud Domino dedicatum 8. Kalendas Junii translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus bulla Regis Altissimi consignatus: miracula plurima ille cujus effigiem præferebat, operari dignatus est, ut per ardorem ipsius salvificum affectus traheretur fidelium ad currendum post Christum. Erat re vera condignum, ut quem Deus in vita sibi placentem, & dilectum effectum, in paradisum per contemplationis gratiam transtulerat, ut Enoch, & ad cœlum curru igneo per charitatis zelum rapuerat, ut Heliam, ejus jam vernantis inter flores illos cælicos plantationis æternæ ossa illa felicia, de loco suo pullulatione mirifica redolerent. Porro sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic a die transitus sui usque in præsens, per diversas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis divina se potentia glorificante, coruscat. Nam cæcis, & surdis, mutis, & claudis, hydropicis, & paralyticis, dæmoniacis, & leprosis, naufragis, & captivis, ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusque morbis, necessitatibus, & periculis subvenitur. Sed & multis mortuis per ipsum mirifice suscitatis, innotescit fidelibus mirificans sanctum suum magnificentia virtutis Altissimi, cui est honor, & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

INCIPIUNT QUÆDAM

De miraculis ipsius post mortem ostensis.

Et primo, De virtute sacrorum Stigmatum.

AD omnipotentis Dei honorem, & gloriam beati patris Francisci. Post glorificationem ipsius in cœlis aliqua ex approbatis Scripturis miracula, ab illo præcipue censui sumendum fore initium, in quo crucis Jesu virtus ostenditur, & gloria innovatur. Novus igitur homo Franciscus novo, & stupendo miraculo claruit, cum singulari privilegio retroactis sæculis non concesso insignitus apparuit: sacris videlicet stigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis hujus, corpori Crucifixi. De quo quidquid humana lingua dicatur, minus erit laude condigna. Totum quidem viri Dei studium tam publicum quam privatum circa crucem Domini versabatur. Et ut crucis signaculo cordi ejus a principio suæ conversionis impresso corpus consignaret exterius in ipsa se cruce recludens, habitum pœnitentiæ sumpsit: crucis imaginem præferentem, quatenus sicut mens ejus intus Dominum crucifixum induerat, sic & corpus ejus indueret arma crucis: & in quo signo Deus potestates aereas debellarat, in eodem suus exercitus Domino militaret. Sed & a principio temporis quo crucifixo militare cœperat, diversa circa eum crucis perfulsere mysteria, sicut vitæ ipsius consideranti decursum clarius innotescit: qualiter apparitione crucis Dominicæ septiformi, tam cogitatu quam affectu, & actu, totus fuit in crucifixi effigiem per ipsius eestaticum transformatus amorem. Digne igitur summi Regis clementia suis amatoribus ultra omnem æstimationem hominum condescendens suæ crucis vexillum ipsius corpori deferendum impressit, ut A qui mirando fuerat crucis amore præventus, mirando etiam fieret crucis honore mirificus. Ad hujus stupendi miraculi irrefragabilem firmitatem, non solum videntium, & palpantium testimonia per omnem modum credibilia: verumetiam apparitiones mirabiles, & virtutes post ipsius obitum coruscantes ad omne mentis effugandum nubilum suffragantur. Felicis namque recordationis Dominus Gregorius Papa IX. de quo vir sanctus prophetando prædixerat, quod ad dignitatem foret Apostolicam sublimandus: antequam crucis signiferum catalogo sanctorum adscriberet, scrupulum quemdam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. B Nocte vero quadam, sicut ipse felix Antistes referebat cum lachrymis, beatus ei Franciscus quadam faciei prætensa duritia in somnis apparuit, & hæsitationem cordis ipsius redarguens, elevavit brachium dextrum, detexit vulnus, phialamque poposcit ab ipso, ut scaturientem reciperet sanguinem, qui ex latere defluebat. Obtulit in visione Summus Pontifex phialam postulatam, quæ usque ad summum sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit devotione affici, & æmulatione fervere, ut nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa superba C præsumeret impugnatione fuscare, quin eum severa increpatione feriret.

Frater quidam ordine Minor, officio prædicator virtutis, & famæ prærogativa præpollens, cui firmiter erat de sancti stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi hujus apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cujusdam scrupulo titillari. Cum igitur per dies plurimos sensualitate sumente vigorem, luctamen hujusmodi pateretur: nocte dormienti S. Franciscus pedibus lutulentis apparuit, humiliter durus, & patienter iratus. Et quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina, quæ dubitationum sordes? Vide manus meas, & pedes meos. Cumque ille videret manus confi-

xas lutulentorum pedum stigmata non videbat. Remove, inquit, lutum a pedibus meis, & cognosce loca clavorum. Quos cum ille apprehendisset devote, lutum sibi videbatur abstergere, locaque clavorum manibus contrectare. Continuo, ut vigilat, lacrymis irrigatur, & priores affectus quodammodo lutulentos tam lacrymarum profluvio, quam publica confessione detersit.

In urbe Roma matrona quædam morum claritate, ac parentum gloria nobilis, S. Franciscum in suum elegerat advocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, ubi Patrem in abscondito exorabat. Die vero quadam dum orationi vacaret, considerans imaginem sancti sacra illa signa stigmatum non habentem, dolere cœpit non modicum, & mirari. Sed non mirum si in pictura non erat quod pictor omiserat. Cumque per plures dies, quid causæ foret defectus hujusmodi mente sollicita pertractaret: ecce subito die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in aliis ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa filiam suam Deo devotam advocavit protinus, requirens si absque stigmatibus usque tunc imago fuisset. Affirmat illa, & jurat olim sine illis sacris stigmatibus extitisse, & nunc vere cum stigmatibus apparere. Verum quia mens humana semetipsam frequenter impellit, ut cadat, & in dubium revocat veritatem: subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne forte sic fuisset imago a principio consignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addit & secundum. Continuo namque disparentibus signis illis, nudata privilegiis imago remansit, ut per sequens signum fieret probatio præcedentis.

In Catalonia quoque apud Illerdam accidit virum quemdam nomine Joannem Beato Francisco devotum quodam sero per quamdam incedere viam, in qua pro inferenda morte latitabant insidiæ: non quidem ipsi, qui inimicitias non habebat, sed alteri cuidam, qui videbatur similis ejus, & tunc erat, in comita-

A tu ipsius. Exurgens autem quidam de insidiis, cum hostem suum hunc esse putaret, tam lethaliter eum plagis plurimis gladiavit, ut nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis. Siquidem primo inflicta percussio humerum cum brachio pene totum absciderat, & ictus alius sub mammilla, tantam reliquerat aperturam, ut flatus inde procedens circa sex candelas simul junctas extingueret. Cum igitur consilio medicorum ipsius impossibilis esset curatio, pro eo quod putrescentibus plagis, ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret, ut etiam ipsa ejus uxor vehementer horreret, nullisque jam humanis juvari posset remediis: con- B vertit se ad Beati Patris Francisci patrocinium, quanta poterat devotione poscendum, quem inter ipsos ictus una cum Beata Virgine fidentissime invocaret. Et ecce misero in lectulo calamitatis solitario decubanti (cum Francisci nomen vigilans, & ejulans frequentius replicaret) astitit quidam in habitu fratris minoris, per fenestram, ut ei videbatur, ingressus. Qui vocans eum ex nomine, dixit: Quia fiduciam habuisti in me; ecce Dominus liberabit te. A quo cum æger quis esset, requireret, Franciscum ille se esse respondit. Et statim appropians vulnerum illius ligaturas resolvit, & eum unguento per omnes plagas, C ut videbatur, perunxit. Statim autem, ut sensit illarum sacrarum manuum, stigmatum Salvatoris virtute sanare valentium suavem contactum, expulsa putredine, restituta carne, & vulneribus solidatis, restitutus est integre pristinæ sospitati. Quo facto beatus Pater abscessit. Et ipse sentiens se sanatum, & in vocem divinæ laudis, & B. Francisci lætanter erumpens, vocavit uxorem. At illa celerius currens, & stare jam videns quem sepeliendum credebat in crastino, cum esset stupore vehementi perterrita, viciniam totam clamore complevit. Accurrentes autem sui cum illum niterentur tamquam freneticum in lecto reponere, & ille e contra renitens assereret, & ostenderet se sanatum, tanto

to sunt stupore attoniti, ut quasi sine mente omnes effecti, phantasticum esse crederent quod videbant, quia quem paulo ante conspexerant plagis atrocissimis laniatum, & totum jam marcidum, plena cernebant incolumitate jocundum. Ad quos ille, qui factus fuerat sanus: Nolite timere, inquit, nolite credere inane, quod cernitis, quia S. Franciscus modo a loco recessit, & illarum sacrarum manuum tactu me integre ab omni plaga curavit. Crebrescente tandem hujus fama miraculi, accelerat populus omnis, & videntes in tam aperto prodigio stigmatum. B. Francisci virtutem admiratione simul, & gaudio replebantur, Christique signiferum magnis laudum B præconiis extollebant. Digne quidem beatus pater carne jam mortuus, & vivens cum Christo, præsentiæ suæ ostensione mirabili, & manuum sacrarum palpatione suavi, vulnerato lethaliter viro sanitatem concessit, cum illius etiam in se stigmata tulerit, qui misericorditer moriens, & mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum, & semivivum relictum, plagarum suarum virtute sanavit.

Apud Potentiam Apuliæ civitatem, erat quidam clericus Rogerius nomine, vir honorabilis, & Ecclesiæ majoris Canonicus. Hic cum infirmitate quassatus, die quadam Ecclesiam oraturus intrasset, in qua C erat imago B. Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans, cœpit de illius sublimitate miraculi tamquam de re omnino insolita & impossibili dubitare. Subito igitur dum mente plagatus interius cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca graviter se sensit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cum spiculum prosilit de balista, moxque tam vulnere sauciatus, quam sonitu stupefactus chirothecam de manu traxit, ut visu dignosceret, quod tactu perceperat & auditu. Cumque nulla fuisset prius in palma percussio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam: ex qua tanta vis procedebat ardoris, ut videretur ex illo A deficere. Mirabile dictu. Nullum in chirotheca vestigium apparebat, ut latenti plagæ cordis, latenter inflicta pœna vulneris responderet. Clamat exinde per duos dies & rugit, dolore gravissimo stimulatus, & increduli cordis velamen explicat universis. Credere se veraciter sacra stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur & jurat, contestans omnis dubitationis abscessisse phantasmata. Orat suppliciter sanctum Dei per sacra sibi stigmata subvenire, & multas cordis preces multo impinguat profluvio lacrymarum. Mirum certe: Incredulitate projecta, sanationem mentis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ, sicque factum est, ut latens mentis infirmitas per patens carnis cauterium superna providente clementia curaretur, menteque sanata, & ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis Deo devotus, sancto & fratrum ordini perpetua familiaritate subjectus. Hujus rei tam solemne miraculum juramentis firmatum fuit, & litteris sigilli Episcopi munimine roboratis, ipsius ad nos notitia delata pervenit. De sacris ergo stigmatibus nullus sit ambiguitati locus, nullius in hoc, quia Deus bonus est, nequam sit oculus, quasi hujusmodi doni largitio sempiternæ bonitati non congruat. Si enim illo amore seraphico multa membra capiti cohærerent Christo, ut & in bello simili armatura invenirentur condigna, & in regno ad similem forent gloriam subvehenda, nullus hoc sanæ mentis, nisi ad Christi gloriam diceret pertinere.

De mortuis suscitatis.

IN Castro montis Marani prope Beneventum, mulier quædam S. Francisco peculiari devotione cohærens, viam universæ carnis intravit. Convenientibus autem Clericis nocte ad exequias & vigilias cum Psalteriis decantandas, subito cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, & unum de astantibus Sacerdotem, patrinum videlicet suum advocavit, dicens: Volo confiteri pater.

ter. Ego enim mortua duro jam carceri mancipanda, quoniam peccatum quod tibi pandam, necdum confessa fueram. Sed orante, inquit, pro me S. Francisco, cui dum viverem, devota mente servivi: redire nunc ad corpus indultum est mihi, ut illo revelato peccato, sempiternam promerear vitam. Et ecce vobis videntibus postquam illud detexero, ad promissam requiem properabo. Trementer ergo Sacerdoti trementi confessa, post absolutionem receptam, quiete se in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormivit.

In Castro Permaco in montanis Apuliæ posito, patri & matri unica erat filia in tenera ætate tenere prædilecta. Qua infirmitate gravi ad mortem perducta, parentes ejus successionem aliam non sperantes, se in illa quasi mortuos reputabant. Convenientibus ergo consanguineis & amicis ad flebile nimis funus, jacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus, & absorpta suprema tristitia, de his quæ fiebant nihil penitus advertebat. Interim S. Franciscus uno tantum socio comitatus apparens desolatam visitare dignatus est fœminam, quam sibi senserat esse devotam, & piis eam affatus alloquiis: Noli flere, inquit, nam lucernæ tuæ lumen quod deploras extinctum, mea tibi est intercessione reddendum. Surrexit continuo mulier, & quæ sibi dixerat sanctus omnibus manifestans, non permisit extinctum corpus efferri, sed cum magna fide, S. Francisci nomen invocans, & mortuam filiam apprehendens, vivam & incolumem cunctis videntibus & mirantibus allevavit.

Cum fratres de Noceria peterent quoddam plaustrum a quodam viro Petro nomine, quo aliquantulum indigebant, stulte respondit eis, pro petito subsidio irrogando convitium, & pro eleemosyna ad honorem sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam jaculando. Pœnituit hominem statim insipientiæ suæ, divino super eum irruente pavore, ne forte ultio Domini seque-

A retur, sicut & fuit protinus subsecuta. Nam infirmatus continuo primogenitus ejus, parvo elapso spatio spiritum exhalavit. Volutabatur per humum pater infelix, & sanctum Dei Franciscum vocare non cessans cum lacrymis exclamabat: Ego sum qui peccavi, ego qui inique locutus sum, me in persona propria flagellare debuisti. Redde sancte jam pœnitenti, quod abstulisti impie blasphemanti. Tibi me reddo: tuis me obsequiis semper expono: nam & devotum sacrificium laudis pro tui honore nominis semper offeram Christo. Mira res! Ad hæc verba surrexit puer, & planctum prohibens, se morientem eductum de corpore, per B B. Franciscum deductum asseruit & reductum.

Cujusdam urbis Romæ notarii puerulus vix septennis matrem ad Ecclesiam Sancti Marci euntem puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur a matre, per fenestram palatii se projecit, & ultima quassatione collisus, continuo spiravit. Mater vero quæ nondum longe discesserat, ad sonitum corruentis præcipitium pignoris suspicata celeriter rediit, filiumque reperiens tam miserabili casu repente subtractum, protinus sibi ipsi manus injecit ultrices, ac dolorosis clamoribus totam excitavit viciniam ad lamentum. Frater vero quidam, no- C mine Raho de ordine Minorum illuc se ad prædicandum conferens, propinquavit ad puerum, & fide plenus ait ad patrem: Credis ne sanctum Dei Franciscum posse filium tuum a mortuis suscitare, propter amorem, quem semper ad Christum habuit pro reddenda vita hominibus crucifixum? Quo respondente se firmiter credere, & fideliter confiteri servum sancti in perpetuum se esse futurum, si tantum a Deo munus per ipsius merita recipere mereretur: prostravit se frater ille cum fratre socio in oratione, ceteros, qui aderant, excitans ad orandum. Quo facto, cœpit puer aliquantulum oscitare, & apertis oculis, brachiisque elevatis, seipsum erexit, & statim coram omnibus ambulavit incolumis,

per mirandam sancti virtutem vitæ simul redditus & saluti.

In civitate Capuæ dum puer quidam super ripam Vulturni fluminis cum pluribus jocaretur, incautus cecidit in profundum, quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepelivit: proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illuc multitudo convenit. Cumque universus populus suppliciter & devote beati Francisci merita invocaret, ut devotorum sibi parentum fidem aspiciens prolem a mortis periculo dignaretur eripere, natator quidam procul astans clamoribus auditis, accessit. Et post diutinam inquisitionem, invocato tandem beati Francisci subsidio, locum invenit, in quo limus in modum sepulchri pueri cadaver obtexerat. Quem effodiens, & extra deportans, dolens defunctum inspexit. Licet autem populus, qui astabat, videret juvenem mortuum: nihilominus tamen flens, & ejulans proclamabat: Sancte Francisce redde puerum patri suo. Sed, & Judæi, qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant: Sancte Francisce redde puerum patri suo. Subito puer lætantibus, & mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci se ad Ecclesiam beati Francisci suppliciter postulavit, ut gratias illi devotus exolveret, cujus se noverat virtute mirabiliter suscitatum.

In civitate Suessa in vico, qui ad columnas dicitur: repente quædam corruens domus unum absorbuit juvenem, & subito interemit. Viri autem, & mulieres ruinæ sonitu excitati, undique accurrentes, elevaverunt hinc inde ligna, & lapides, & miseræ matri mortuum filium reddiderunt. Illa vero amarissimis repleta singultibus, sicut poterat dolorosis vocibus exclamabat: Sancte Francisce, sancte Francisce redde mihi filium meum: non solum autem illa, sed & omnes, qui aderant, beati patris præsidium flagitabant. Sed cum non esset, neque vox, neque sensus, cadaver posuerunt in lectulo ad sepeliendum ipsum diem crastinum expectantes. Mater vero fiduciam habens in Domino per merita sancti eis, votum emisit, nova se sindone beati Francisci operturam altare, si filium suum revocaret ad vitam. Et ecce circa horam noctis mediam cœpit invenis oscitare, & calescentibus membris vivus exurgens; & sanus in laudis verba prorumpit. Sed & clerum, qui convenerat, & populum universum excitavit ad laudes, & gratias Deo, & beato Francisco cum mentis lætitia persolvendas.

Juvenis quidam Gerlandinus nomine, de Ragusia oriundus vindemiarum tempore ad vineas exiens cum in vase vinario, ut utres impleret, sub torculari se mitteret, repente prægrandes lapides motis in se lignorum struibus, caput ipsius lethali percussione quassarunt. Festinavit continuo pater ad filium, & desperans obrutum non adjuvit, sed eum sub onere sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores magni clamoris vocem lugubrem audientes, multoque cum patre pueri dolore completi, extraxerunt juvenem jam mortuum a ruina. Pater vero ipsius JESU pedibus provolutus, humiliter precabatur, ut filium suum unicum per sancti Francisci merita, cujus tunc imminebat solemnitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vovebat officia pietatis, & sancti viri corpus se visitaturum cum filio si suscitaretur a mortuis, repromisit. Mirum certe. Continuo puer, qui toto fuerat corpore conquassatus restitutus vitæ, & integræ sospitati: gaudens coram omnibus exsurrexit, plangentes objurgans, & sancti Francisci suffragiis vitæ se redditum asseverans.

Quemdam alium mortuum in Alemania suscitavit, de quo Dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius sancti fratres omnes, qui ad translationem, & Capitulum convenerant, per Apostolicas litteras certos reddidit, & gaudentes. Miraculi hujus seriem, quia ignoravi non scripsi: credens Papale testimonium omnis assertionis excellere instrumentum.

De

De his quos a mortis periculo liberavit.

IN confinibus urbis vir quidam nobilis Rodulphus nomine, cum Deo devota uxore, fratres minores suo recepit hospitio, tam hospitalitatis gratia, quam beati Francisci reverentia, & amore. Nocte vero illa in summitate turris dormiens custos castri, cum jam jaceret super struem lignorum in ipsa muri positorum crepidine, ipsorum soluta compage in tectum palatii corruit, & exinde super terram. Excitata ad sonitum casus tota familia, & custodis intellecta ruina, dominus castri, & domina cum fratribus accurrerunt. Is B vero qui ab alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sapore, ut nec ad casum evigilaret iteratæ ruinæ, nec ad strepitum accurrentis familiæ cum clamore. Trahentium tandem, & impellentium manibus excitatus conqueri cœpit, quod dulci fuisset quiete privatus, inter beati Francisci brachia suaviter asserens se dormisse. Cum vero de casu proprio doceretur ab aliis, & in imo se videret, qui in alto jacuerat, stupens esse factum quod fieri non perceperat, pœnitentiam se facturum ob reverentiam Dei, & beati Francisci coram omnibus repromisit.

In Castro Pophis, quod in Campania positum est, sacerdos quidam C Thomas nomine accessit ad reparandum ecclesiæ molendinum. Deambulans autem incaute secus extrema canalis quo gurges profundus copioso defluebat influxu, subito casu cavilloso ligno intrusus est, cujus impulsu volvitur molendinum. Cum igitur confertus jaceret in ligno, & super os ipsius, quia supinus erat aquarum impetus inundaret, corde tamen quia lingua non poterat sanctum Franciscum flebiliter invocabat. Per magnum vero spatium sic illo jacente, ac de vita ipsius jam penitus sociis desperatis in contrariam partem molam cum violentia revolverunt, & sic ejectus sacerdos palpitans volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidam frater Minor

A indutus tunica candida, & fune succinctus cum magna suavitate arreptum per brachium extra flumen eduxit, dicens: Ego sum Franciscus, quem invocasti. Ille vero sic liberatus nimis obstupuit volensque pedum ipsius osculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quærens a sociis, Ubi est ille? quo abiit sanctus? qua via discessit? Viri autem illi tremefacti proni ceciderunt in terram sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia, & virtuosa merita humilis servi ejus.

Juvenis quidam de Burgo Celani, pro metendis herbis exierat ad campestria quædam, in quibus vetus latebat puteus, herbis in summo ore virentibus obumbratus, qui quasi per passus quatuor aquarum altitudinem continebat Segregatim igitur per campum discurrentibus pueris, unus ex improviso decurrit in puteum. Absorbente autem profunda fovea corpus, spiritus mentis sursum recurrebat ad beati Francisci suffragium, clamans in ipso lapsu fideliter, & fidenter: sancte Francisce adiuva me. Ceteri huc atque illuc se vertentes, dum puer alius non compareret, clamore, circuitu, & lacrymis requirebant eumdem. Comperto tamdem quod in puteum cecidisset, festinantes cum gemitibus redierunt ad Burgum: indicantes eventum, exposcentes auxilium. Redeuntibus autem illis cum multa hominum turba, demissus unus per funem in puteum, puerum respexit in aquarum superficie residentem, nihil passum penitus læsionis. Extractus vero de puteo puer dixit omnibus qui astabant: Quando subito cecidi beati Francisci patrocinium invocavi, qui corruenti mihi statim præsentialiter affuit, & manum porrigens leviter apprehendit, nec umquam deseruit, donec una vobiscum de puteo me eduxit.

In Ecclesia beati Francisci apud Assisium, dum præsente Romana Curia prædicaret dominus Episcopus Ostiensis, qui postmodum summus Pontifex extitit Alexander, quidam lapis ponderosus, & magnus incaute super pulpitum excelsum, & la-

pideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus super caput cujusdam cecidit mulieris. Existimantes igitur circumstantes, perfecte ipsam jam mortuam, & caput ejus totaliter conquassatum, cooperuerunt eam pallio, quo erat amicta, ut sermone finito educeretur extra Ecclesiam lugubre funus. Ipsa vero se beato Francisco, ante cujus jacebat altare, fideliter commendavit: Et ecce prædicatione finita, mulier coram omnibus adeo surrexit incolumis, ut nullius in ea læsionis vestigium appareret. Sed & quod est amplius admirandum cum per longa tempora usque ad horam illam dolorem capitis quasi continuum habuisset, plene fuit ex tunc ab omnis morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Apud Cornetum cum in loco fratrum ad fusionem campanæ, viri quidam convenissent devoti, puerulus quidam octennis Bartholomæus nomine xenium quoddam fratribus laborantibus apportavit. Et ecce subito ventus vehemens concussa domo, ostium portæ grave quidem & magnum super ipsum puerulum ita valido projecit impulsu, ut quem tam ingens pondus oppresserat, lethali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter jacebat tumulatus sub pondere, ut nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes qui aderant, beati Francisci virtuosam dexteram invocantes. Sed & pater ipsius, qui rigescentibus membris se movere non poterat præ dolore, votis, & voce sancto Francisco filium offerebat. Levatum est denique funestum pondus desuper puerum, & ecce quem credebant mortuum, quasi suscitatus a somno lætus apparuit, nullam in se prorsus præferens læsionem. Igitur cum quatuordecim esset annorum, factus est frater minor, vir postea litteratus & famosus in Ordine prædicator.

Homines de Lentino lapidem prægrandem absciderunt de monte, qui supponendus erat altari cujusdam Ecclesiæ beati Francisci in proximo consecrandæ. Cum autem fere quadraginta homines lapidem illum su-

A perponere vehiculo niterentur repetitis sæpius viribus, super quemdam hominem lapis ille cecidit, & in modum sepulchri obtexit. Sed cum mente confusi quid facerent, ignorarent, major pars hominum desperata discessit. Porro viri decem, qui remanserant lugubri voce sanctum invocantes Franciscum, ne in suo servitio sic horrende mori hominem pateretur, resumpto tandem corde, tanta facilitate lapidem amoverunt, ut nullus dubitaret virtutem affuisse Francisci. Surrexit homo incolumis in omnibus membris, insuper & lumen recuperavit limpidum oculorum, quod habuerat obscuratum, ut omnibus daretur in-
B telligi, quam in rebus desperatis, beati Francisci merita validæ sint virtutis.

Simile quoddam accidit apud Sanctum Severinum in Marchia de Anchona. Dum enim lapis prægrandis de Constantinopoli apportatus ad basilicam beati Francisci multorum viribus traheretur, rapido lapsu est super quemdam trahentium devolutus. Cumque ille non solum crederetur defunctus, sed etiam totaliter comminutus, assistente sibi beato Francisco, & lapidem sublevante absque omni læsione sanus & incolumis lapidis projecto pondere prosilivit.

Bartholomæus Cajetanus civis,
C cum ad constructionem cujusdam Ecclesiæ beati Francisci non modicum desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita, ejusque opprimente cervicem, fuit graviter conquassatus. Ipse vero mortem sibi sentiens imminentem, uti erat vir fidelis & pius, a quodam fratre viaticum postulavit. Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subito credebatur, beati Augustini verba protulit, dicens ei: Crede & manducasti. Sequenti vero nocte beatus Franciscus cum undecim fratribus illi apparuit, & inter ubera portans agniculum, ad lectum ejus accessit, vocavitque illum ex nomine, dicens, Bartholomæe noli timere, quia non prævalebit adversum te inimicus, qui te in meo servitio

Aug. tract. 25 in Joan. post med. t. 9.

vitio voluit impedire. Hic est agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonum desiderium suscepisti, cujus etiam virtute consequeris utriusque hominis sospitatem. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane consurgens, & iis, qui eum seminecem reliquerant incolumis & lætus apparens admirationem intulit, & stuporem. Sed & ipsorum mentes ad beati Patris reverentiam & amorem, tam exemplo sui, quam sancti miraculo excitavit.

Quidam de Castro Ceperani nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam. Qui crudelitate ferali vulneribus eum super vulnera concidentes usque adeo super miserum sævierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamaverat autem Nicolaus prædictus cum primos ictus exciperet alta voce: Sancte Francisce succurre mihi. Sancte Francisce adiuva me. Hanc vocem a remotis audierunt quamplurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat se mortem ex illis vulneribus non visurum, nec etiam se tunc sentire dolores, quoniam sanctus Franciscus sibi succurrerat, & ut pœnitentiam ageret, a Domino impetravit. Quod & sequens confirmavit eventus. Nam lotus a sanguine, continuo contra humanam spem extitit liberatus.

Filius cujusdam nobilis in Castro sancti Geminiani valido languore detentus, omnique ulterius desperatus salute, ad extremum usque perductus est. Rivus etenim sanguinis ab oculis ejus emanabat, sicut ex vena brachii assolet ebullire, ceterisque propinquæ mortis veris indiciis in reliquo corpore apparentibus, judicabatur pro mortuo, sed & pro debilitate spiritus & virtutis, sensus, & motus, usu privatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus & amicis, ac de sola agentibus sepul-
A tura, pater ipsius fiduciam habens in Domino, concito gressu ad Ecclesiam cucurrit beati Francisci, quæ in eodem erat Castro constructa, & cingulo suspenso ad guttur, cum omni humilitate se prostravit in terram. Sicque vota vovens, & multiplicans preces, suspiriis & gemitibus meruit apud Christum, sanctum Franciscum habere, patronum. Reversus itaque statim pater ad filium, & sanitati restitutum inveniens, luctum in gaudium commutavit.

Simile quiddam meritis sancti operatus est Dominus circa puellam quamdam in Catalonia de villa nomine Tamarit, & circa aliam de
B Anchona, quæ cum essent præ nimietate ægritudinis in ultimo spiritu constitutæ, beatus Franciscus fideliter a parentibus invocatus, perfectæ continuo restituit sanitati.

Clericus quidam de Vico Albo nomine Matthæus, veneno mortifero bibito intantum fuit gravatus, quod loqui aliquo modo non valens, solum finalem exitum expectabat. Sacerdos quidam ut sibi confiteretur, admonuit, & verbum unum ab eo extorquere non valuit. Ipse vero in corde suo humiliter Christum orabat, ut per beati Francisci merita a mortis eum faucibus eripere dignaretur. Moxque ut confortatus a Domino beati Francisci nomen fide-
C li devotione deprompsit testibus qui aderant, veneno evomito liberatori suo gratias egit.

De liberatis a naufragio.

IN magno maris periculo positi quidam nautæ, cum per milliaria decem a portu Barulitano distarent, ingravascente nimium tempestate, jam de vita dubii anchoras submiserunt. Verum spiritu procellarum mari ferventius tumescente, fractis funibus, & relictis anchoris incerto & inæquali cursu per æquora vagabantur. Tandem nutu divino mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se cona-

mine paraverunt. Cumque id perficere propriis viribus non valerent plurimorum sanctorum invocato subsidio, multisque jam sudoribus liquescentes, nec unam per totam diem resumere potuerunt. Aderat autem nauta quidam Perfectus nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios: Ecce sanctorum omnium invocastis auxilium, & ut videtis, nullus est, qui succurrat. Invocemus istum Franciscum, qui novellus est sanctus, si quo modo in mare se emergat, & anchoras perditas reddat. Consenserunt ceteri, non irrisorie, sed veraciter suasioni Perfecti, & ipsius objurgantes irrisorium verbum, firmaverunt cum sancto spontaneum votum, statimque in momento sine aliquo adminiculo nataverunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura versa foret in ligneam levitatem.

Peregrinus quidam invalidus corpore propter febris peracutæ symptomata, quam fuerat ante perpessus, navi quadam subvectus de ultramarinis partibus veniebat. Ferebatur autem & ipse ad beatum Franciscum præcipuo devotionis affectu, & cum sibi apud cœlestem Regem elegerat advocatum. Cum igitur necdum perfecte liber a morbo, sitis angustiaretur ardoribus, deficiente jam aqua, cœpit alta voce clamare: Ite fidenter, haurite poculum mihi, quia beatus Franciscus vasculum meum aqua replevit. Mirum certe, invenerunt vas aqua repletum, quod fuerat ante vacuum derelictum. Alio vero die cum tempestate suborta operiretur navis fluctibus, & procellis quateretur pervalidis, ita ut jam naufragium timerent, cœpit idem infirmus subito clamore vociferari per navem: Surgite omnes, inquit, & beato Francisco venienti occurrite. Ecce ad salvandum nos adest. Sicque cum voce magna, & lacrymis in faciem procidens adoravit. Statim ad sancti visionem omnem sospitatem resumpsit infirmus, & maris fuit tranquillitas subsecuta.

Frater Jacobus Reatinus cum in navicula parva fluvium quemdam cum aliis fratribus pertransiret, sociis primo super ripa positis, postremo se ad exitum præparabat. Sed modico illo ligno per infortunium revoluto, rectore natante frater mersus est in profundum. Invocabant fratres extra positi affectuosis precibus beatum Franciscum, & ut filio succurreret lacrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater de ventre gurgitis nimis immensi cum ore non posset, corde clamabat, ut poterat, implorans pii patris subsidium. E. Ecce auxiliante sibi beati patris præsentia, per profundum sicut per aridam ambulabat, & demersam naviculam capiens, cum ea pervenit ad littus. Mirabile dictu. Vestimenta ejus madidata non sunt, nec aquæ gutta proximavit ad tunicam.

Frater Bonaventura nomine cum duobus viris per lacum quemdam navigans, confracta ex parte navicula propter aquæ influentis impetum, demersus est cum navi, & sociis in profundum. Cum autem de lacu miseriæ misericordem patrem Franciscum invocarent, cum multa fiducia, supernatavit subito aqua plena navicula, & cum eis sancto præbente ducatum, salubriter pervenit ad portum. Sic & quidam frater de Esculo submersus in flumine, sancti Francisci meritis extitit liberatus. Sed & in lacu Reatino cum quidam viri & mulieres in consimili essent periculo constituti, ad invocationem nominis sancti Francisci de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter evaserunt.

Quidam nautæ Anchonitani periculosa tempestate jactati, submersionis periculum jam videbant. Cumque sic desperati de vita sanctum Franciscum suppliciter invocarent, lumen in mari magnum apparuit, & cum ipso lumine tranquillitas concessa divinitus, ac si beatus vir sua miranda virtute & ventis imperare posset & mari. Quantis autem miraculorum prodigiis, beatus hic pater in mari claruerit, & clarescat, quotiens ibidem opem tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum, si jam regnanti in cœlis collatum est imperium super aquas, cui & in hac

mor-

mortalitate degenti omnis corporea creatura ad suam refigurata originem mirabiliter serviebat.

De liberatis a vinculis & carceribus.

IN Romania Græcum quemdam cujusdam domini servientem, contigit de furto fallaciter accusari, quem dominus terræ in arcto carcere mandavit includi, & graviter vinculari. Domina vero domus miserta servi, quem indubitanter credebat a culpa sibi imposita innocentem, pro liberatione ipsius apud virum precibus insistebat devotis. Verum non acquiescente viri sui duritia obstinata, recurrit domina supplex ad sanctum Franciscum, & ejus pietati voto commendavit insontem. Protinus affuit miserorum adjutor, & virum in carcere positum misericorditer visitavit. Solvit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehensum foras eduxit, & ait: Ego sum ille, cui domina tua te devote commisit. Cumque ille timore magno corriperetur, & pro descensu altissimæ rupis voraginem circuiret, subito liberatoris sui virtute inveniens se in plano, rediit ad dominam suam, relataque per ordinem miraculi veritate devotam dominam ad Christi amorem, & reverentiam servi ejus Francisci ferventius inflammavit.

In Massa sancti Petri cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam. Cumque præ inopia facultas non suppeteret persolvendi, captus debitor a milite repetente, misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quærens amore beati Francisci. Sprevit superbus miles preces oblatas, & sancti amorem veluti inane quid innaniter vilipendit. Nam cervicose respondens, Tali te, ait, loco recludam, & tali retrudam carcere, quod nec Franciscus, nec aliquis te poterit adjuvare. Tentavit quod dixit. Carcerem adjuvenit obscurum, in quo hominem vinculatum conjecit. Paulo post adfuit beatus Franciscus, & confracto carcere, ruptisque compedibus, illæsum hominem reduxit ad

A propria. Sic fortitudo Francisci militem prædata superbum, captivum, qui se sibi subjecerat, liberavit a malo, militemque protervum admirando miraculo in mansuetudinem commutavit.

Albertus de Aretio cum in vinculis atrocissimis teneretur pro debitis injuste ab eo petitis suam innocentiam sancto Francisco humiliter commendavit. Ordinem quidem Fratrum Minorum plurimum diligebat, & sanctum Franciscum inter sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quod nec Franciscus, nec Deus posset eum de suis manibus liberare. Factum est itaque in vigilia sancti

B Francisci cum vinctus ille nihil comedisset, sed ob sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno, nocte veniente apparuit ei vigilanti sanctus Franciscus, ad cujus ingressum vincula de pedibus, & catenæ de manibus ceciderunt. Sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulæ de solatio, & liber abscessit homo, ad propria rediens. Implevit ex tunc votum, jejunans vigiliam beati Francisci, & cereo quem annuatim consuevit offerre in accrescentis devotionis indicium, annuatim unicam unciam superaddens.

Residente in Sede B. Petri domino Gregorio Nono, quidam Petrus nomine de civitate Alisia, de hæ-

C resi accusatus, Romæ captus est, & de mandato ejusdem Pontificis ad custodiendum traditus Episcopo Tiburtino. Quem sub pœna Episcopatus accipiens, compedibus alligavit, obscuroque ipsum carcere ne posset effugere, fecit includi, panem ei præbens in pondere, & poculum in mensura. Cœpit autem homo ille beatum Franciscum ad sui miserendum multis precibus & fletibus invocare, eo quod audierat solemnitatis ejus jam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicaverat hæreticæ pravitatis errorem, totaque cordis devotione adhæserat fidelissimo Christi servo Francisco intercedentibus ipsius meritis a Domino meruit exaudiri. Instante enim jam nocte suæ festivitatis, circa crepus-

pusculum beatus Franciscus in carcerem miseratus descendit, & illum suo nomine vocans, ut cito surgeret, imperavit. Qui timore perterritus, quisnam esset interrogans, beatum Franciscum adesse audivit. Cumque virtute præsentiæ viri sancti, vincula pedum suorum confracta conspiceret cecidisse, & tabulas carceris clavis ultro prosilientibus aperiri, & apertum iter sibi ad exeundum præberi: solutus tamen, & obstupefactus fugere nesciebat, sed ad januam clamans, custodes omnes perterruit. Qui cum eum liberatum a vinculis Episcopo nuntiassent post intellectum ordinem rei, ad carcerem Pontifex devotus accessit, & manifeste Dei virtutem cognoscens, Dominum adoravit ibidem. Vincula quoque coram domino Papa, & Cardinalibus delata fuerunt, qui videntes quod factum fuerat admirati plurimum benedixerunt Deum.

Guidolottus de sancto Geminiano falso accusatus fuit, quod veneno interemerat quemdam virum, & quod eodem genere mortis, filium ejusdem viri, & universam ejus familiam proposuerat enecare. Captus proinde a potestate terræ gravissimis vinculis aggravatus, in turri quadam reclusus est. Ipse vero fiduciam habens in Domino, pro sua innocentia quam sciebat, causam commisit beati Francisci patrocinio defendendam. Excogitante igitur potestate qualiter criminis objecti confessionem eliceret per tormenta, qualibuscumque pœnis confessum faceret interire: nocte illa cum mane ad cruciatus deberet adduci, sancti Francisci præsentia extitit visitatus, & immenso luminis fulgore usque mane circumdatus, repletusque gaudio, & fiducia multa securitatem evasionis accepit. Advenerunt mane tortores, & eductum de carcere eculeo suspenderunt, aggravantes super eum multa pondera ferri. Depositus est pluries, & iterum elevatus ut pœna pœnæ succedente citius ad confessionem, criminis arceretur. Sed spiritu innocentiæ lætabatur in vultu nullam mœstitiam prætendens in pœnis. Deinde accensus est ignis sub ipso non modicus: nec propterea capillus est læsus, cum tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute patroni cui se commiserat defensandum hæc omnia superavit, & sic dimissus liber salvus abscessit.

De liberatis a periculo partus.

Quædam Comitissa in Sclavonia, sicut nobilitate illustris, sic & æmula probitatis erga sanctum Franciscum devotione flagrabat, erga fratres vero sedula pietate. Tempore vero partus duros perpessa dolores, tanta fuit angustia molestata, ut prolis futurus ortus præsens videretur matris occasus. Non videbatur infantem eniti posse ad vitam, nisi expiraret e vita, nec tali nixu parere, sed perire. Subvenit cordi ejus sancti Francisci fama, virtus, & gloria, excitatur fides, inflammatur devotio. Convertit se ad auxilium efficax, ad fidum amicum, ad devotorum solatium, refugium afflictorum: Sancte Francisce, inquit, pietati tuæ supplicant omnia ossa mea, & mente voveo quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis. Finis dicendi, finis fuit dolendi, parturiendi meta, pariendi principium. Statim enim omni cessante pressura partum edidit cum salute. Non fuit immemor voti, non propositi refuga, Ecclesiam quamdam pulchram construi fecit, & constructam ad sancti honorem fratribus assignavit.

In partibus Romanis mulier quædam Beatrix nomine vicina partui, cum per dies quatuor fœtum in ventre portaret extinctum, multis infelix agitabatur angustiis, & exitialibus doloribus urgebatur. Mortuus fœtus matrem cogebat ad mortem: & nondum in lucem productum abortivum, publicum matri periculum pariebat. Tentabat medicorum auxilium, sed omne humanum remedium laborabat in vanum. Sic de primis maledictionibus Evæ copiosius aliquid declinarat in miseram, ut sepulchrum facta conceptus, sepulchrum pro certo proximum expectaret.

ret. Fratribus tandem Minoribus per internuntios tota se devotione committens, suppliciter aliquid de sancti Francisci reliquiis fide plena poposcit. Contigit nutu divino aliquantulum inveniri de chorda, qua fuerat sanctus quandoque præcinctus. Mox, ut super dolentem posita chorda fuit, omnis facillime solutus est dolor, mortis causa mortuus fœtus emissus, pristina sanitas restituta.

Cujusdam de Narnio nobilis viri uxor Juliana nomine, pro filiorum morte annos trahebat lugubres, & continue infelices deplorabat eventus, pro eo quod omnes quos cum pressura portaverat filios, modico interjecto tempore cum vehementiori dolore sepulturæ tradiderat. Cum igitur quatuor mensium conceptum haberet in utero, magisque propter eventus præteritos de conceptæ prolis sollicitaretur obitu, quam de ortu, beatum Patrem Franciscum pro vita nondum nati fœtus fideliter precabatur. Ecce autem nocte quadam dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumque lætissime offerebat eidem. Cum vero illa recipere recusaret, quem statim formidabat amittere, mulier illa subjunxit. *Secure suscipias, quia quem tuo mœrori compatiens sacer mittit Franciscus, vita vivet, & sospitate gaudebit.* Statim evigilans mulier, intellexit per ostensam sibi cœlitus visionem beati Francisci sibi adesse suffragium: ex tunc abundantiori completa lætitia, pro suscipienda prole juxta promissum multiplicavit preces, & vota promisit. Impletum est denique tempus pariendi, & peperit fœmina masculum, qui juvenilis robore florens ætatis, tamquam per beati Francisci merita fomentum susciperet vitæ, incitamentum parientibus præbuit ad Christum, & sanctum ejus devotioris affectus. Simile quiddam huic in Tiburis civitate sanctus Pater effecit. Cum enim mulier quædam filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud sanctum Franciscum preces ingeminavit, & vota. Concepit igitur ejus meritis mulier illa, & geminos ei parere dedit, qui pro uno fuerat exoratus.

A

Apud Viterbium partui propinqua mulier, morti propinquior censebatur, visceralibus tormentata doloribus, & tota calamitosa in infortuniis mulierum, cumque naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis industria, invocato beati Francisci nomine, liberata confestim mulier, partum salubriter terminavit: sed assecuta quod voluit, & oblita beneficii quod accepit honorem sancto non deferens, die natalis ipsius ad opera servilia manus extendit. Et ecce subito dextrum

B

brachium ad laborem extensum inflexibile remansit, & aridum. Quod cum studeret ad se revocare cum altero, ultione consimili, & illud exaruit. Timore igitur divino correpta mulier, reintegravit votum usumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat, & contemptum, per misericordis, & humilis sancti merita, cui se iterato devovit, recuperare promeruit.

Mulier quædam de partibus Aretinis, cum per septem dies partus discrimina sustineret, & jam in nigredinem versa desperata esset ab omnibus, votum fecit beato Francisco, & ejus cœpit moriens auxilium invocare. Emisso autem voto,

C

celeriter obdormivit, viditque in somnis beatum Franciscum se dulciter alloquentem, ac requirentem utrum faciem ipsius agnosceret & an antiphonam illam Virginis gloriosæ, Salve Regina misericordiæ, sciret, ad honorem hujus Virginis recitare. Qua respondente se habere notitiam de utrisque. Incipe, ait Sanctus, Antiphonam sacram, & antequam compleas, paries cum salute. Ad hanc vocem evigilavit mulier, & cum timore cœpit dicere: Salve Regina misericordiæ. Cumque illos misericordes oculos precaretur, fructumque commemoraret uteri Virginalis, continuo cunctis liberata pressuris infantem peperit speciosum, gratias agens Reginæ misericordiæ, quæ per beati Francisci

sci merita ipsius fuerat dignata misereri.

De cæcis illuminatis.

IN conventu fratrum Minorum Neapoli, cum quidam frater Robertus nomine, cæcus annis plurimis extitisset, crevit in oculis ejus caro superflua, motum & usum impediens palpebrarum. Cum igitur frater forenses ad diversas mundi partes tendentes, ibidem plurimi convenissent, beatus pater Franciscus speculum obedientiæ sanctæ, ut eos miraculi novitate hortaretur ad iter, prædictum fratrem ipsis præsentibus tali modo curavit. Jacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortem, jamque sibi fuerat anima commendata, & ecce astitit ei beatus Pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet sancto Antonio, fratre Augustino, & fratre Jacobo de Assisio, qui sicut eum perfecte fuerant secuti dum viverent, ita & ipsum alacriter comitabantur post mortem. Accipiens cultellum sanctus Franciscus carnem superfluam resecavit, lumen restituit pristinum, & a mortis eum fauce reduxit, dixitque illi: Fili Roberte, gratia quam tecum feci signum est fratribus ad remotas nationes euntibus, quod ego præcedam eos, & ipsorum dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, & injunctam obedientiam alacri animo exequantur.

Apud Thebas in Romania, mulier cæca vigiliam sancti Francisci in pane tantum, & aqua jejunans, ad Ecclesiam fratrum Minorum summo mane festivitatis a viro suo perducta est. Quæ dum Missa celebraretur, in elevatione corporis Christi oculos aperuit, clare vidit, devotissime adoravit. In ipsa vero adoratione voce magna proclamans: Gratias, inquit, Deo, & sancto ejus, quia video corpus Christi, omnibus qui aderant in voce exultationis conversis. Post sacrorum expletionem reversa est mulier in domum suam cum gaudio spiritus, & lumine oculorum. Exultabat quidem mulier non solum quia lucis corporeæ recuperarat aspectum: verum etiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum, verum & vivum respectu primario per beati Francisci merita fidei suffragante virtute meruerat intueri.

In Campania puer quidam quatuordecim annorum de castro Pophis subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas sic de loco suo propulit oculum, quod per octo dies extra nervo relaxato longitudine digiti unius ad maxillas dependens, pene aridus est effectus. Sed cum sola superesset abscissio, & a medentibus foret penitus desperatus, pater ejus ad auxilium beati Francisci tota se mente convertit. Non defuit ille indefessus miserorum adjutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum mirabili virtute in locum suum, pristinumque vigorem restituit, & lucis optatæ radiis illustravit.

In eadem provincia apud castrum magni ponderis lignum ex alto proruit & cujusdam sacerdotis caput gravissime quassans, sinistrum oculum excæcavit. Qui humi dejectus cœpit alta voce sanctum Franciscum luctuose clamare, dicens: Succurre Pater sanctissime, ut ad festum tuum ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi, (erat enim vigilia sancti) qui statim exurgens, perceptime liberatus in vocem prorupit laudis & gaudii, & circumstantes omnes, qui ejus miseriæ condolebant, in stuporem convertit, & jubilum. Ivit ad festum, narrans omnibus, quam in se expertus fuerat clementiam, & virtutem.

Vir quidam de Monte Gargano dum in vinea sua laborans, lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, & sic divisit per medium, ut quasi media pars ipsius exterius penderet. Cumque in tam desperato periculo desperaret sibi posse per hominem subveniri, jejunaturum se in festo sancti Francisci, si ei succurreret, repromisit. Statim in loco debito viri oculum sanctus Dei restituit, sicque divisum rejunxit, & lumine pristino decoravit, ut nullius læsionis vestigia remanerent.

Fi-

Filius cujusdam nobilis viri a nativitate cæcus, meritis sancti Francisci lumen accepit optatum. Qui nomen ab eventu sortitus, Illuminatus vocatus est. Assumpsit postea cum in ætate esset Ordinem beati Francisci, accepti beneficii non ingratus, tantumque profecit in lumine gratiæ & virtutis, ut veræ lucis filius videretur. Tandem beati Patris promerentibus meritis, sanctum initium fine sanctiori conclusit.

In Zachanto quod est castrum juxta Ananiam. Miles quidam Girardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem, ut duo fratres Minores ab exteris partibus venientes ad domum ipsius hospitaturi diverterent. Suscepti itaque devote propter reverentiam sancti Francisci familia tota, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo, & hospiti, ad locum Fratrum devenere vicinum. Nocte igitur quadam beatus Franciscus uni fratrum illorum in somnis apparuit, dicens: Surge, festina cum socio ad domum hospitis nostri, qui Christum, & me suscepit in vobis. Volo enim beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit confessione purgare. Disparente quoque patre, frater festinus surrexit, ut mandatum cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum, cuncta quæ viderat alter per ordinem, narraverunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & universa quæ dicebantur vera esse confirmans, compunctus ad lacrymas, confessus est libens. Tandem correctione promissa, interiorique homine taliter renovato, exteriorem continuo recuperavit aspectum. Hujus miraculi fama circumquaque diffusa, non solum ad reverentiam sancti: verum etiam ad confessionem humilem peccatorum, & hospitalitatis gratiam plurimos incitavit.

De liberatis a diversis infirmitatibus.

Apud Castrum Plebis, juvenis quidam mendicus surdus erat, & mutus a nativitate sua, qui linguam adeo curtam habebat ac tenuem, quod multotiens exquisita a pluribus præcisa penitus videretur. Vir quidam Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio: qui cum sibi benefacere sentiens, cœpit cum ipso assiduus demorari. Sero quodam cum prædictus vir cœnaret cum conjuge, astante puero coram eis, dixit uxori: Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet, & loquelam. Et adjecit: Voveo Deo quod si hoc sanctus Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferam, donec vivet. Mirum certe. Subito lingua crevit, & locutus est, dicens: Gloria Deo, & sancto Francisco, qui mihi loquelam præbuit, & auditum.

Frater Jacobus de Iseo, cum puerulus esset in domo paterna, rupturam incurrit corporis valde gravem. Superno vero afflatus Spiritu, licet esset juvenis, & infirmus ordinem sancti Francisci devotus intravit: nulli tamen qua urgebatur infirmitate detexit. Factum est autem, cum corpus sancti Francisci transferretur ad locum, ubi pretiosus sacrorum ossium, ejus nunc thesaurus est conditus: affuit, & tunc dictus frater translationis gaudiis, ut glorificati jam Patris corpori honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ devotione spiritus sacrum tumulum complexatus, subito miro modo ad loca debita partibus revocatis sanum se sensit, succinctorium deposuit, & ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili, frater Barthol̃us de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus sacerdos de Stichano, Joannes de Fora, vir quidam de Pisis, & alius de Castro Cisternæ, Petrus quoque de Sicilia, & homo quidam de Castro Spelli juxta Assisium, & quamplures alii, per Dei misericordiam, & beati Francisci merita extiterunt mirabiliter liberati.

In Maritima mulier quædam mentis

tis alienationem per quinquennium A passa, visu & auditu privata est, indumenta dilaniabat dentibus, ignis & aquæ periculum timebat, & caduci morbi ad summum incurrerat horribilem passionem. Nocte vero quadam cum disponeret sibi divina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata divinitus, vidit beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata, sanitatem suppliciter exposcebat. Illo vero nondum favente precibus firmavit mulier votum, promittens pro Dei amore ac sancti petentibus, donec haberet eleemosynam non negare. Illico sanctus pactum recognovit, quod olim cum Domino fecerat simile, & signans B eam crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A consimili passione puellam quamdam de Nursia, & filium cujusdam nobilis viri, & alios quosdam, relatione veridica compertum est sanctum Dei Franciscum misericorditer liberasse.

Petrus de Fulgineo ad visitandum limina beati Michaelis quodam tempore pergens, dum minus reverenter peregrinationem peregit, fontis cujusdam aquam degustans, a dæmonibus est invasus. Et exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessima loquens & horrenda prætendens, habens aliquando lucida intervalla, beati virtutem quam efficacem audierat ad effugandas aereas potestates humiliter requisivit; & ad sepulchrum pii Patris accedens, mox ut illud contigit manu, a dæmonibus crudeliter eum discerpentibus mirifice liberatus fuit. Simili etiam modo, mulieri cuidam de Narnio habenti dæmonium, misericordia Francisci subvenit, & aliis pluribus quarum vexationum angustias, & curationum modos, longum esset per singula enarrare.

Vir quidam nomine Bonus, homo de civitate Fani, paralyticus & leprosus ad Ecclesiam beati Francisci, a parentibus deportatus, utriusque morbi plenam consecutus est sanitatem. Sed & alius juvenis quidam Acto nomine de sancto Severino totus leprosus, voto emisso, & ad sepulchrum Sancti delatus, meritis ipsius a lepra mundatus est. Habuit quidem Sanctus supra hujusmodi morbo curando præcellentem virtutem, pro eo quod humanitatis & pietatis amore leprosorum obsequiis semetipsum humiliter deputarat.

Nobilis quædam mulier Rogata nomine, in episcopatu Sorano per viginti tres annos fluxu sanguinis fatigata, sed a quampluribus medicis quamplurima mala perpessa: præ nimietate quidem languoris sæpius videbatur mulier expirare: sed si quando fluxus hujusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quemdam puerum Romano sermone canentem miracula, quæ Deus per beatum Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota, tota prorupit in lacrymas, sicque intra se fide accensa dicere cœpit: O beate Pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac ægritudine liberare, magna tibi accrescet gloria, quoniam adhuc tantum miraculum non fecisti. Quid plura? his dictis, sensit se beati Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius Marcum nomine, qui brachium habebat contractum, sanctus Franciscus voto ad ipsum emisso, sanavit. Fœminam etiam quamdam de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam, beatus Christi signifer salvam fecit.

C In urbe Romana Praxedis quædam nomine religiositate famosa, quæ a tenella ætate propter æterni Sponsi amorem arcto se carcere per quadraginta jam fere annos abdiderat, apud beatum Franciscum gratiam promeruit spiritualem. Nam cum die quadam pro rebus opportunis solarium suæ cellulæ conscendisset, & impulsione phantastica corruens, cum fractum haberet pedem cum crure, & humerum a positione debita sequestratum, apparuit ei benignissimus pater vestimentis gloriæ candidatus, & dulcibus affatibus alloqui cœpit eamdem: Surge, inquit, filia benedicta, surge ne timeas, & apprehensa manu ipsius allevans eam, disparuit. Ipsa vero per cellulam suam huc, atque illuc se con-

convertens, putabat se visum videre usquequo ad clamorem ipsius apportato jam lumine, perfecte se sentiens per servum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta quæ acciderant, per ordinem narravit.

De non observantibus festum, & non honorantibus sanctum.

IN Pictaviæ partibus in villa, quæ Simo dicitur, sacerdos quidam Reginaldus nomine, beato Francisco devotus, festum ipsius parochianis suis indixerat solemniter celebrandum. Unus autem de populo ignorans sancti virtutem, sui parvipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, ut ligna succideret, cum se præparasset ad opus, vocem audivit hujusmodi ter dicentem: Festum est: operari non licet. Verum cum nec imperio sacerdotis, nec supernæ vocis oraculo servilis temeritas frenaretur, addidit divina virtus ad gloriam sancti sui sine mora miraculum & flagellum. Mox enim ut furcam una manu jam tenens, alteram cum ferreo instrumento levavit ad opus, sic divina virtute utraque manus, utrique instrumento cohæsit, ut ad neutrius dimissionem digitos aliquatenus relaxare valeret. Et quo stupefactus nimis, & quid ageret nesciens ad Ecclesiam multis undique ad videndum prodigium occurrentibus properavit. Ubi mente compunctus ante altare, quodam ex assistentibus sacerdote monente, plures quippe ad festum vocati convenerant sacerdotes, beato Francisco humiliter se devovit, tria sicut ter vocem audierat vota vovens, quod scilicet festum ipsius coleret, quod ad illam, in qua tunc erat, Ecclesiam in festo veniret, & quod sancti corpus personaliter visitaret. Mirum certe relatu. Uno emisso voto, unus digitus factus est liber, ad secundi emissionem solutus est alius, sed tertio facto voto laxatus est tertius, & postmodum tota manus, necnon & altera subsequenter populo, qui jam multus advenerat, sancti clementiam devotissime implorante. Sic homo pristinæ redditus libertati, per seipsum instrumenta deposuit cunctis laudantibus Deum, virtutemque sancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat & sanare. Ipsa vero instrumenta usque hodie coram altari ad honorem beati Francisci fabricato ibidem in memoriam sancti dependent. Plura quoque illic & in locis vicinis patrata miracula, & sanctum in cœlis ostendunt eximium, & festum ipsius in terris venerabiliter excolendum.

In civitate quoque Cenomanensi, dum in solemnitate sancti Francisci, mulier quædam manus ad colum extenderet, & digitis apprehenderet fusum, obrigescentibus manibus, B cœperunt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœna docente sancti recognoscens virtutem, corde compuncta cucurrit ad fratres. Cumque pro salute ipsius devoti filii sancti Patris clementiam precarentur, incolumis effecta est statim, nec aliquid læsionis remansit in manibus, nisi ad facti memoriam solum vestigium combusturæ. Simili etiam modo in Campania majori mulier quædam, & in villa Oletti mulier altera, & in Castro Pilei tertia, dum beati Patris festum celebrare contemnerent, prævaricantes primum mirabiliter sunt punitæ, sed postmodum pœnitentes per sancti Francisci merita mirabilius liberatæ.

C Miles quidam de Burgo in provincia Massæ beati Francisci operibus, & miraculorum signis impudentissime detrahebat. Inferebat multa opprobria peregrinis ad ipsius memoriam venientibus, & contra fratres publica garriebat insania. Cum autem semel sancti Dei gloriam impugnaret, addidit super peccata sua blasphemiam detestantem. Si verum est, inquit, quod Franciscus iste sit sanctus, gladio cadat hodie corpus meum. Si vero sanctus non est, evadam incolumis. Non distulit ira Dei condignum inferre supplicium, cum jam facta fuisset oratio in peccatum. Mora enim modica interjecta, dum blasphemus nepoti suo inferret injuriam, accepit ille gladium, & patrui visceribus cruentavit.

Eodem die mortuus est sceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarum, ut ceteri discerent miranda Francisci opera non blasphematoriis verbis impetere, sed devotis laudibus honorare.

Judex quidam nomine Alexander, dum a B. Francisci devotione quos poterat venenata lingua retraheret, divino judicio lingua privatus, per sex annos obmutuit. Qui cum in eo quod peccaverat, torqueretur, alta pœnitudine revocatus dolebat se contra sancti miracula oblatrasse. Itaque non perstitit misericordis indignatio sancti, sed pœnitentem ac se humiliter invocantem restituta loquela recepit ad gratiam. Ex tunc linguam blasphemam consecravit laudibus sancti, devotionem simul, & disciplinam recipiens per flagellum.

De quibusdam aliis miraculis diversorum generum.

IN Castro Galiani Valvensis diœcesis, mulier quædam erat nomine Maria, quæ Christo Jesu, & B. Francisco famulatu devoto subjecta, una dierum æstivo tempore exiit, ut manibus conquireret propriis necessarium victum. Cum igitur fervente nimium æstu, sitis deficere cœpisset ardoribus, omni privata beneficio poculi pro eo, quod in monte arido sola esset, quasi exanimis humi prostrata, patronum suum S. Franciscum invocabat pio mentis affectu. Dum autem perseveraret mulier in affectuosa, & humili prece, labore, siti, & æstu fatigata quamplurimum, paululum obdormivit. Et ecce S. Franciscus adveniens, & eam vocans ex nomine: Surge (inquit) & bibe aquam, quæ divino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad hujus vocis auditum surrexit mulier a somno, non modicum confortata, & accipiens silicem, quæ juxta se erat, radicitus evulsit a terra, effodiensque ligno parvulo circumquaque, viventem reperit aquam, quæ cum primo videretur parvula stilla, subito divina virtute crevit in fontem. Bibit itaque mulier, & satiata oculos lavit, quos cum longa prius haberet ægritudine obumbratos, nova ex tunc sensit luce perfusos. Festinavit ad domum mulier tam stupendum miraculum ad gloriam S. Francisci denuntians universis. Concurrerunt undique multi ad miraculi famam, experientia magistra discentes mirabilem illius aquæ virtutem, dum ad ipsius contactum confessione præmissa, a variis morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseverat usque hodie fons ibi perspicuus, & in honorem B. Francisci ibidem oratorium est constructum.

In Hispania apud sanctum Facundum, viri cujusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum, & fructuum contra spem mirabiliter revocavit. Incolas quoque terræ apud Vilesios, a vermium peste corrodentium vineas circumquaque miraculoso suffragio liberavit. Sacerdotis cujusdam juxta Palentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentariis repleri quolibet anno solitum fuerat, si fideliter commendatum penitus expurgavit. Terram quoque Domini cujusdam de Petramala in regno Apuliæ sibi suppliciter commendatam, ab odiosa peste bruchorum penitus servavit indemnem: cum tamen in circuitu omnia essent prædicta pestilentia devorata.

Vir quidam Martinus nomine, cum longe a Castro suo boves minasset ad pascua, crus unius bovis casu quodam sic fuit desperate confractum, ut nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret sollicitus, & instrumentum, cum quo id faceret non haberet, domum reversus B. Francisco bovis curam reliquit, ipsumque fideli sanctæ custodiæ fiducialiter commendavit, ne ante suum reditum devoraretur a lupis. Summo itaque mane ad bovem in silva relictum cum excoriatore reversus, pascentem ipsum ita reinvenit incolumem, quod nequaquam crus fractum ab altero discernebat. Gratias egit bono pastori, qui diligentem de bove suo curam habuit, & medelam donavit. Succurrere novit humilis sanctus omnibus invocantibus ipsum, nec quantumcumque parvas necessitates

tates hominum dedignatur. Nam viro cuidam de Amiterno jumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum novum in multas partes casu divisum integre reparavit. Viro etiam cuidam de Monte Ulmi in Marchia consolidavit vomerem in frusta confractum.

In Sabinensi diœcesi vetula quædam octogenaria erat, cujus filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cum igitur anus paupercula plena esset inopia, & vacua lacte, nullaque esset mulier, quæ sitienti parvulo lactis stillicidium, juxta quod exigebat necessitas erogaret, quo se verteret vetula ignorabat. Debilitato vero infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad beati Patris Francisci auxilium implorandum, lacrymarum imbre perfusa, tota se mente convertit. Affuit statim innocentis amator ætatis: Ego, inquiens, sum Franciscus o mulier, quem cum tantis lacrymis invocasti. Pone, ait, mammas tuas in ore pueruli, quoniam abundanter tibi lac Dominus dabit. Implevit anus sancti mandatum, & statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile sancti donum, multis tam viris, quam mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabantur oculi lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in sancti sui virtute mirabili, & amabili pietate.

Apud Spoletum vir, & uxor unicum habentes filium, quotidie illum velut hæreditarium opprobrium deplorabat. Brachiis siquidem collo connexis, junctisque genibus pectori, & pedibus naribus alligatis, non hominis proles, sed monstrum quoddam potius videbatur. Vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Christum S. Francisci auxilium invocando, ut infelici sibi, & in tali opprobrio constitutæ succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam cum propter hujusmodi tristitiam tristis eam somnus arriperet. Apparuit ei S. Franciscus piis eam affatibus mulcens, insuper,

A & suadens quod ad locum propinquum suo nomini dedicatum deferret puerum, ut ex aqua putei loci illius in nomine Domini superfusus, plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illa sancti adimplere mandatum: secundo replicavit id ipsum. Tertio quoque apparens, mulierem cum puero usque ad januam dicti loci præambulo ducatu perduxit. Supervenientes autem nobiles quædam matronæ devotionis causa ad prædictum locum eis a muliere præfata diligenter exposita visione, una cum ipsa puerum fratribus præsentarunt, & haurientes aquam de puteo, earum nobilior propriis manibus lavit infantem. Sta-

B tim puer omnibus membris ad sua loca perductis, sanus apparuit, & magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit.

In Castro Chore Ostiensis diœcesis vir quidam sic crus ex toto perdiderat, ut nullo modo progredi vel movere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, & auxilio desperatus humano, cœpit nocte quadam ac si præsentem cerneret B. Franciscum talem coram eo assumere materiam querelandi. Adjuva me S. Francisce recolens meum servitium, & devotionem tibi impensam. Nam in asino meo te portavi, sanctos pedes tuos, & sanctas manus tuas osculatus fui, semper tibi devo-

C tus, semper tibi benevolus extiti, & ecce morior doloris hujus durissimo cruciatu. His pulsatus querelis, statim affuit beneficiorum memor, & devotionis gratus, & vigilanti viro cum uno fratre apparuit. Ad vocationem ejus se venisse dixit, & tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo parvulo, qui figuram thau in se habebat, & fracto mox apostemate, perfectam tribuit sanitatem. Et, quod mirabilius est, sacrum signum thau impressum super locum sanati ulceris ad miraculi memoriam dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat litteras quotiens charitatis causa scriptum aliquod dirigebat. Sed ecce dum per diversa miracula gloriosi Patris Francisci mens narrationis

nis varietate distracta decurrit, promerente ipso crucis glorioso signifero in signum salutis thau non sine divina directione pervenit, ut ex hoc possimus advertere, quod sicut crux militanti post Christum fuit sublimitas meriti ad salutem, sic, & triumphanti cum Christo facta est firmitas testimonii ad honorem. Hoc quippe crucis mysterium magnum, & mirum: in quo charismata gratiarum, & merita virtutum, & thesauri sapientiæ, & scientiæ tam alta profunditate velantur, ut a mundi sapientibus, & prudentibus sit occulta, tam plene fuit Christi parvulo revelatum, ut omnis vita ipsius non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam prædicaret. Vere namque in suæ conversionis principio dicere cum Apostolo potuit: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. (*Ibid.*) Non minus etiam vere in conversationis progressu addere valuit: Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia. (*Gal. 6.*) A Verissime autem in consummatione potuit subinferre: Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. (*Gal. ult.*) Sed, & illud nos quotidie desideramus ab ipso audire: Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro fratres. Amen.

Gloriare igitur jam secure in crucis gloria Christi signifer gloriose, quoniam a cruce incipiens secundum crucis regulam processisti, & tandem in cruce perficiens per crucis testimonium quantæ gloriæ sis in cœlo cunctis fidelibus innotescis. Secure jam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto, quia per baculum crucis Christi mari diviso deserta transibunt in repromissam viventium terram, Jordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri. Quo nos introducat verus populi ductor, & Salvator Christus Jesus crucifixus per merita servi sui Francisci. Ad laudem, & gloriam unius Dei, & trini, qui vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM

DE PAUPERTATE CHRISTI, CONTRA MAGISTRUM GUILELMUM.

Tractatus iste de paupertate Christi duas quæstiones continet, alteram de paupertate in duos articulos divisam: alteram de pauperibus validis, præcipue regularibus an ad opera manualia sint astricti. Quas quidem quæstiones ita determinat, ut Magistrum Guilelmum adversarium convincat, & veritatem aperte demonstret. Nam paupertatem tam quoad abrenuntiationem, quam quoad mendicitatem ad perfectionem pertinere docte & erudite ostendit. Est autem hoc Opusculum inter cetera S. Bonaventuræ a Trithemio connumeratum, eodem, quo hic inscribitur, titulo.

QUÆSTIO est de paupertate. Et quæruntur duo. Primo, quæritur de paupertate, quantum ad abrenunciationem. Secundo, quantum ad mendicationem.

A

ARTICULUS I.

De paupertate quantum ad abrenunciationem.

CIrca primum sic proceditur, & quæritur, utrum Christianæ perfectionis sit abrenunciare omnibus, tam in communi, quam in privato. Et quod sic videtur in Matthæ, ubi dicitur Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni se- *Matth. 19.*

quere me. Glossa: Ecce contemplativa quæ ad Evangelium pertinet; constat quod Dominus istum ad divitias non vocabat, & tamen renunciare omnibus consulebat; nec ad opera manualia, immo ad contemplativam, sicut dicit Glossa: Ergo, &c.

Matth. 19. Item ibidem dicitur: Ecce nos reliquimus omnia: ubi dicit Glossa: Tanta a sequentibus missa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt, ergo perfecta imitatio totaliter extinguit appetitum divitiarum; sed hæc extinctio potissime est in eo, qui abrenuntiat omnibus: Ergo, &c.

Matth. 19. Item Salvator ait: Vade, & vende omnia quæ habes. Glossa: Non partem, sicut Ananias, sed qui totum dat, nihil sibi reservans, ipse potissime facit quod Dominus consulit, nihil sibi reservans, nec in communi, nec in speciali; & qui hoc facit, perfectissime facit: Ergo, &c.

Mar. 12. Item dixit Dominus de vidua: Amen dico vobis, quod hæc vidua pauper plus, quam omnes misit. Nam omnes ex eo, quod abundabat eis, miserunt: hæc autem de penuria sua omnia quæ habuit, misit totum victum suum; sed in hoc laudatur vidua paupercula: ergo qui hoc faciunt quanto perfectius agunt, tanto magis laudabiles sunt: Ergo, &c.

Luc. 12. Item ait Dominus: Respicite corvos. Glossa: Sancti merito avibus comparantur, qui nihil in mundo agentes, nec laborantes, sola æterna appetunt, jam similes Angelis; sed quanto magis hæc dimittit quis, tanto magis Angelis assimilatur: Ergo, &c.

Luc. 14. Item in Luca dicitur: Nisi quis renunciaverit omnibus quæ possidet. Glossa: Hoc distat inter renunciare omnibus, & relinquere omnia; quia renunciare convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis, quæ possident, ut tamen mente tendant ad æterna; relinquere autem est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt, & solis æternis inhiant. Sed qui prorsus omnibus renuntiat in communi, & in privato, ille maxime omnia postponit: ergo, &c.

Matth. 8. Item hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo dicitur: Vulpes foveas habent, &c. Chrysostomus *(Chrys. homil. 18. in Matth. an. med. t. 2)* Quid pecunias expectas sequens me congregare? Non vides, quia diversorium mihi neque tantum quantum avibus: ergo Christus prorsus nihil habuit; ergo, &c.

Mat. 17. Item super illud Matthæi: Vade ad mare, Glossa: Dominus tantæ paupertatis fuit, ut unde tributa solveret non haberet, habebat quidem Judas communia in loculis, sed res pauperum in usus suos assumere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Si ergo Christus tantæ paupertatis fuit, quod non potuit solvere denarium, manifestum est, quod fuit in summa paupertate.

B

Luc. 9. Item, ubi præmissum est: Vulpes foveas habent, ait Glossa: Ego tantæ paupertatis sum, ut nec hospitium quidem habeam, nec meo utar tecto; ergo, &c.

Joan. 14. Item scriptum est: Venit princeps mundi hujus &c. Glossa: Noluit Dominus habere quid perderet, pauper venit, ne haberet diabolus quod auferret; ergo si omnia temporalia possunt perdi, nihil habuit temporale.

2. Cor. 8. Item Apostolus ait: Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia, &c. ergo qui sic abrenuntiat, ut egeat, magis se Christo conformat.

C

Item super illud quod sequitur: In hoc consilium do. Augustinus in originali: Factus est egenus intantum, ut non haberet quod habent vulpes, & in hoc consilium do, subauditur, ut ejus paupertatem imitemini; Sed qui abrenuntiat omnibus, ejus paupertatem imitatur; ergo, &c.

Jacob. 2. Item illud Jacobi: Nonne Deus elegit pauperes. Glossa: Pauperes elegit parentes, quorum educaretur officio. Sed parentum Christi magna fuit indigentia, secundum illud *(Luc. 2.)* Lucæ: Pannis eum involuit, &c. Ergo Christus non tantum in seipso paupertatem dilexit, verum etiam in aliis.

1. Petr. 2. Item Christus maxime fuit imitabilis secundum statum quem habuit in cruce, secundum illud: Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum,

plum, ut sequamini vestigia ejus. Sed in cruce fuit omnino nudus. Unde Hieronymus ad Hedibiam: Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Salvatorem, & nudam, solamque crucem virtute nuda sequaris, & sola: ergo, &c.

Hieron. ad Hedib. epist. 150, q. 1.

Item hoc ipsum videtur Sanctorum testimoniis. Ambrosius super Lucam: Qualis debeat esse qui Evangelizat Regnum Dei, præceptis Evangelicis designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, sine pane, sine pecunia, hoc est subsidii sæcularis adminicula non requirens, fideque tutus putet sibi quominus ea requirat, magis posse suppetere. Si igitur hoc attestatur perfectioni prædicatoris Evangelicæ perfectionis, ut nullum prorsus quærant adminiculum seculare, & hoc est esse in altissima paupertate, patet; ergo, &c.

Ambr. com. in Luc. l. 6. c. 9 t. 8

Item Hieronymus ait: Nolo pristinarum necessitatum recorderis, nudos amat eremus; nolo te antiquæ peregrinationis terreat difficultas. Qui in Christum credis, & ejus crede sermonibus. Quærite primum Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Non pera tibi sumenda est, non virga; dives est qui cum Christo pauper est: omnia igitur relinqui possent, spe posita in solo Christo.

Hieron. ep. 1 ad Heliodorum non longe a princ. Mat. 6

Item Ambrosius in lib. de offic. Nullum adminiculum præstant divitiæ ad vitam beatam, quod evidenter Dominus demonstravit in Evangelio, dicens: Beati pauperes spiritu, &c. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ mala putantur non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed etiam adjumento, evidentissime pronuntiatum est. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt. Sed quę non sunt adminiculo, sed dispendio, perfectum est relinquere, ergo, &c.

Amb. l. 2 de offic. t. 4 in fin. Matt. 5

Item * Hieronymus super illud Matthæi: Nonne anima plus est quam esca: In promissis veritatis nemo dubitet, sit homo quod esse debet, A & mox adduntur ei omnia, propter quem facta sunt omnia; ergo qui omnia relinquit propter Christum confidens in promisso Christi, agit secundum perfectam fidem ipsius. Hoc autem potissime facit, qui omnino nihil sibi reservat, nec in communi, nec in speciali, ergo, &c. Unde Augustinus tractans illud Matthæi: Respicite volatilia cæli: Sancti merito avibus comparantur, quia cœlum petunt, qui jam ita remoti sunt a mundo, ut jam in terris nihil agant, nihil laborent, sed sola contemplatione jam in cœlo degant. Si ergo hæc vita altissima est; ergo spretis omnibus totam spem vitæ suæ in Deo constituere est virtutis perfectæ.

*Matt. 6 * Gloss. ib.*

Matt. 6

B Item Augustinus de bono conjugali: Bene faciebant, qui de sua substantia Christo, ac discipulis ejus necessaria ministrabant; sed melius, qui omnem substantiam suam dimiserunt, ut expeditiores eumdem Dominum sequerentur; sed quanto quis magis dimittit, tanto expeditior; ergo tanto laudabilior.

Aug. de bono conjug. c. 8 in fine, t. 6

Item in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare; melius pro intentione sequendi Dominum insimul donare, & absolutum a solicitudine cum Christo egere. Ergo qui magis eget, & a solicitudinibus mundi absolvitur, perfectius Christum sequitur: ergo, &c.

Idem l. de Eccle. dog. c. 71 t. 3

C Item Gregorius ait: Cum quis suum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, sacrificium est; cum vero omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, holocaustum est. Qui enim sibimetipsis nihil reservant, sed sensum, vitam, linguam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant, quid isti nisi holocaustum offerunt? Unde paulo ante dixit, quod ille holocaustum offert, qui ea quæ possidet, apud semetipsum decrevit indigentibus cuncta tribuere, nihil sibi reservare, vitam soli supernæ gubernationi committere; sed hoc potissime facit qui sic distribuit, quod nihil sibi reservat, nec

Greg. super Ezech. ho. 20 post med.

in communi, nec in speciali, ergo, &c.

Item Joannes Chrysostomus in lib. quod nemo læditur, nisi a seipso. Quid Apostolos penuria rerum corporalium læsit? Nonne in fame & siti, & nuditate degebant, & pro his clari magis, & magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciam quæsierunt apud Deum? Ergo paupertas illa laudabilior, in qua major est penuria rerum.

Bern. epist. 42 ad Henricum Senonem Archiep. ante med.

Item Bernardus ait: Felix qui nihil sibi retentat ex omnibus, non habet foveam ut vulpes, non tamquam volucres nidum, non loculos, quomodo Judas, non domos, sicut nec Maria locum in diversorio, imitatus profecto illum qui non habebat ubi reclinaret caput; sed qui omnia prorsus dimittit, nihil sibi omnino nec in communi, nec in speciali retinendo, hoc potissime facit: ergo, &c.

Prosper de vita cont. l. 2. c. 9

Item Prosper laudat Paulinum, & Hilarium de hoc, quod facultates suas omnes pauperibus erogaverunt, licet ratione Episcopalis officii, Ecclesiastica bona postmodum dispensaverunt, sicut habetur 12. quæst. 1. Expedit, ubi ait sic: Denique sanctus Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, pauperibus erogavit. Et infra: Quid sanctus Hilarius? Nonne & ipse omnia sua, aut pauperibus reliquit, aut vendita omnia pauperibus erogavit? Laudantur hi, & laudabiles sunt, quia omnia sua propter Deum contempserunt. Sed hoc potissime faciunt, qui nec in communi, nec in speciali sibi aliquid retinent; ergo tales maxime accedunt ad culmen perfectionis Evangelicæ.

Item hoc ipsum ostenditur ratione. Duplex est civitas, scilicet Dei & diaboli, Hierusalem, & Babylon, quæ oppositionem habent, & in seipsis & in suis fundamentis; sed fundamentum civitatis Babylonis, ut dicit Augustinus, est cupiditas; ergo quanto magis quis recedit a cupiditate, tanto magis recedit de diaboli civitate. Sed paupertas in qua quis in communi, & in speciali prorsus omnibus abrenuntiat tam effectu, quam affectu, ipsa est quæ maxime elongat ab avaritia: Ergo, &c.

Item, divitiæ sunt incendium cupiditatis, quia difficile est habere, & non amare. Sed quanto quis magis se elongat ab incentivo peccati, tanto perfectius agit: hoc autem facit, qui in communi & in speciali omnibus abrenuntiat: Ergo, &c.

Item triplex est consilium, paupertatis, obedientiæ, & castitatis; sed quanto quis generalius obedit, & universalius, tanto perfectius agit, similiter & de consilio castitatis: ergo pari ratione verum erit, & de consilio paupertatis.

Item, si dicas quod non est simile, quia divitiæ sunt de necessitate vitæ; hoc nihil est, cum multi qui nihil prorsus habent proprietatis, vivere possunt.

Item perfectior est paupertas, quam perfectior concomitatur obedientia. Sed qui habent proprium in communi, ab illo per obedientiam non possunt excludi, nisi ratione peccati: qui autem nihil prorsus habent, obedire tenentur ubique terrarum. Si ergo perfectio Evangelica maxime consistit in perfectione obedientiæ, universaliter omnibus abrenunciare nihil prorsus reservando, ad culmen facit perfectionis Evangelicæ.

Item: Contemptus præsentis sæculi est laudabilis: hæc est per se vera. Ergo major contemptus magis laudabilis, & maximus contemptus maxime laudabilis, sed maxime contemnit præsens sæculum, qui abrenuntiat omnibus in communi, & in speciali: ergo talis perfectissime agit.

Item paupertas alta est laudabilis, hæc est per se vera, ergo altior, laudabilior, & altissima, laudabilissima; sed hujusmodi est, quæ nec in communi, nec in proprio aliquam proprietatem sibi reservat: Ergo, &c.

Item tanto via rectior, quanto ejus medium conformius est extremis: sed summa paupertas est, tam in principio vitæ, quam in termino, ergo si in medio omnia abdicentur, via rectissima proceditur. Sed quanto via re-

rectior, tanto perfectior est: ergo A via, & vita pauperrima perfectissima est.

Eccli. 27. Arg. I. in contrarium Sed contra in Ecclesiastico dicitur. Propter inopiam multi deliquerunt, sed nihil quod est ducens ad culpam, spectat ad perfectionem Evangelicam: Ergo, &c.

Eccli. 7. Item in Ecclesiastico dicitur: Utilior est sapientia cum divitiis. Glossa; quam sola; sed divitiæ non faciunt hominem perfectum, ergo minus paupertas, & indigentia. Item Prov. 30. in Proverbiis: Divitias & mendicitatem ne dederis mihi. Et post: Ne egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei, sed nihil facit, ad perfectionem Evangelicam, quod sapiens sapienter recusat: Ergo, &c. B

Luc. 6. II. Item Christus dicit: Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Sed Christus loculos habuit, sicut Joan. 12. patet in Joanne, ubi dicitur, quod Judas loculos ferebat: ergo propter proprietatem nolle in communi habere, non videtur esse perfectio, sed potius superstitio, in qua discipulus videtur se velle præferre magistro. Si dicat, quod loculos non habuit. c. 2. q. 1. Contra August. dicit: Habebat Dominus loculos a fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat.

1. Tim. 6. III. Item super illud: Habentes alimenta, &c. Glossa: Et si nihil intulerimus in hunc mundum, non C tamen prorsus abiicienda sunt hæc temporalia: ergo qui totum abiicit, male facit.

IV. 2. Cor. 8. Item 2. ad Corinth. 8. Si voluntas prompta est secundum id, quod habet. Glossa: Necessaria retineant, non ultra vires dando: ergo male facit qui sic dispensat, quod nihil sibi prorsus reservat.

V. Item: Qui tentat Deum, peccat mortaliter: sed qui habet humanum refugium, & illo prætermisso quærit divinum, tentat Deum: hoc autem facit qui habet unde sustentetur, & illo dimisso expectat diutius sustentari: ergo talis facit contra Evangelium.

VI. Item virtus circa medium consistit, sed omnino omnia dimittere est ad extremum declinare: ergo hoc magis est vitii, quam virtutis seu perfectionis Evangelicæ.

VII. Item sicut omnia tenere semper, est avaritia, sic omnia dare semper est prodigalitas; sed omnia tenere semper est vitium: ergo similiter & omnia dare.

VIII. Item: Qui subtrahit alii necessaria, peccat mortaliter, sed tantum tenetur quis sibi providere sicut alii: ergo qui omnia dimittit, & nihil sibi reservat, peccat mortaliter: quia facit contra perfectionem Evangelicam.

IX. Item: Qui exponit se periculo interfectionis, peccat mortaliter: ergo similiter qui exponit se periculo famis, sed talis est, qui omnia dimittit, & nihil sibi reservat: Ergo, &c.

X. Item nullus debet reiicere omnino, quod quotidie petit a Deo, sed omni die petimus in oratione Dominica, Panem nostrum quotidianum: ergo male facit, qui deserit totum?

Responsio: Dicendum, quod abrenunciare omnibus tam in privato, quam in communi est Christianæ perfectionis, non solum sufficientis, sed etiam abundantis, tamquam perfectionis Evangelicæ consilium principale, & principium fundamentale, fundamentum sublime. Primum suadet natura, secundum Scriptura, tertium gratia. Primum inquam, est consilium principale, quia viam præbet ad alia. Nam abundans paupertas disponit ad carnis mortificationem, & ad voluntatis propriæ perfectam abnegationem, cum nihil sibi detineat, nec domum, nec tectum, nec aliquam rem. Ad ipsam autem specialiter viam facit ipsa natura, sive instituta, sive lapsa. Nam homo nudus formatus est, & si in statu illo stetisset, nihil sibi prorsus appropriasset: homo vero lapsus nudus nascitur, nudus moritur. Et ideo hæc rectissima via est, ut ab extremis non declinans, quantum potest natura pati, pauper & nudus incedat, & hoc est quod dicitur: Nihil intulimus in hunc mundum, 1. Tim. 6. haud dubium, quia nec auferre quid pos-

possumus. Et ex hoc concludit: Habentes alimenta, & quibus tegamur, &c. Hoc autem nihil arctius vel pauperius, quam simplici victu & operimento esse contentum, quod ex naturæ documento persuadet Apostolus, tamquam bonum & perfectum. Est etiam principium fundamentale. Lex enim vetus differt a nova in hoc, quod illa timorem, hæc amorem, illa temporalia promittit, hæc temporalia contemnere docet. Si igitur fundamentum perfectionis civitatis Dei principaliter consistit in charitate, & illa potissime est perfecta, quando omnis excluditur cupiditas, quia venenum charitatis est cupiditas: hanc autem cupiditatem omnino foras mittit, quia omnia omnino, & re, & voluntate relinquit: sicut radix omnium malorum est cupiditas, sic radix & principium perfectionis est altissima paupertas. Unde Augustinus in l. 83. quæst. Charitatis venenum est spes adipiscendorum ac retinendorum temporalium, nutrimentum ejus imminutio cupiditatis, perfectio ejus nulla cupiditas. Signum profectus ejus imminutio timoris, signum perfectionis ejus nullus timor: quia radix omnium malorum est cupiditas, & perfecta charitas foras mittit timorem. Illa igitur paupertas est perfectissima, quæ omnino cupiditatem exterminat. Est nihilominus fundamentum sublime, quia cum duplex sit vita ad quam disponit gratia, scilicet activa & contemplativa: activa deorsum ordinat, sed contemplativa sursum in cœlum erigit. Nullus autem spiritus magis idoneus ad hoc quam ille, qui penitus est exoneratus ab onere temporalium, & qui thesaurum suum totum habet in cœlo, & cujus regnum non est de hoc mundo, qui non habet hic manentem civitatem, sed futuram inquirit. Talis autem est, qui omnibus terrenis perfecte abrenuntiat: & ideo talis jam fundamentum sui ædificii collocatum habet in excelsis. Unde Augustinus in libro de agone Christiano. Cum cognitio & actio beatum hominem faciant: sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia. Errat autem si quis putat se veritatem posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat: nequitia autem est mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur, & transeunt pro magno habere, & concupiscere, & pro his laborare ut acquirantur, & lætari cum abundaverint, & timere ne pereant, & contristari cum pereunt. Ille igitur potissime est idoneus ad contuitionem sublimium, & ibi sublimiter fundatus, qui est perfectissimus contemptor omnium istorum, talis est qui totum cogitatum suum jactat in Domino, & omnem sollicitudinem, qui nullam prorsus habet possessionem. Est igitur perfectionis Christianæ pro Christo nihil in mundo possidere, nec in communi, nec in proprio. Idem Dominus expressissime consulit: Idem exemplum in semetipso ostendit: Idem Spiritus sanctus in Sanctis hoc multipliciter persuasit. Nam hujusmodi arduissimam paupertatem, sicut ostensum est, persuadet natura, Scriptura, & gratia. Persuadet Dominus Jesus Christus, instruendo, conversando, inspirando. Quis enim Spiritus, nisi Dei, facit hominem contemnere præsentia, & amare cœlestia? Nam hoc non facit spiritus diaboli, nec mundanus, nec proprius, cum semper inclinent ad bonum privatum, facit igitur Spiritus sanctus. Et hinc est, quod Spiritu sancto dictante, istum modum vivendi summus Pontifex approbavit, sicut dicit Decretalis de excess. prælat. Nimis prava, quod Ordinem & regulam fratrum Prædicatorum, & Minorum sedes Apostolica noscitur approbasse: Unde huic contrarium, nulli prorsus licet sentire. Quare tales videntur stulte agere, periculis se exponere, & Deum tentare. Nam contra tales dicitur in regula B. Francisci, in qua paupertas hujusmodi confirmatur: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, &c. Contra tales etiam dicit Augustinus in tractatu de eleemosyna: Elias in solitudine corvis ministrantibus pascitur, & Danieli in lacu ad leonum prædam, jussu regis

Aug. l. 83. quæst q. 36. in prin. c. 4.

Aug. l. de ago. Christi c. 13. t. 3.

A B C

gis

gis incluso, prandium divinitus apportatur, & tu metuis ne operanti, etiam apud Dominum promerenti desit alimentum? cum ipse in Evangelio ad exprobrationem eorum, quorum mens dubia, & fides parva est, contestetur, & dicat: Aspicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis? Volucres Deus pascit, & volucribus alimenta diurna præstantur, & quibus nullus divinæ rei sensus est, eis nec cibus, nec potus deest; & tu Christiano, tu Dei servo, tu bonis operibus dedito, tu Domino suo charo, aliquid existimas defuturum? An eis terrena deerunt, quibus cœlestia & divina tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio? unde impia, & sacrilega ista meditatio? Quid faciet in domo Dei perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit, appellatur, & dicitur Christianus? Pharisæi tibi magis congruit nomen. Nam cum in Evangelio de eleemosynis disputaret, & ut nobis amicos de terrenis lucris provida operatione faceremus, qui nos postmodum in æterna tabernacula susciperent, fideliter & salubriter præmoneret, addit post hoc Scriptura, dicens: Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum. Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorum præclusæ aures, & corda cæcata, nullum de spiritualibus ac salutaribus monitis lumen admittunt. De quibus mirari non debemus; quod contemnant in talibus servos, quando a talibus ipsum Dominum videamus esse contemptum.

Matt. 6 *Luc. 16.*

Ex hoc apparet evidenter, quod omnino omnibus abrenunciare, universaliter pro Christo culpandum non est, sed potius laudandum, tamquam culmen Evangelicæ perfectionis. Unde rationes, exempla & auctoritates concedendæ sunt ad istam partem, ad quam sufficientissime astruendam una sola authoritas expressa ex ore Christi consulentis dimittere omnia, esset sufficientissima etiam si multa glossarum expositarum, & Sanctorum dicta viderentur esse contraria. Ait enim Augustinus ad Paulinum de videndo Deo, sic: Attende quæ credis, & in eis ipsis quibus non visis accomodas fidem, ipsa testium pondera discernenda sunt. Nec enim mihi sic credis, quemadmodum Ambrosio, aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum, numquid ullo modo Evangelio comparabis? An scripturam nostram scriptis canonicis coæquabis? Profecto si recte in judicando sapis, longe nos infra vides ab illa auctoritate distare, & me quidem longius. Sed utrique nostrum quantumlibet credas, utrumque illi excellentiæ nequaquam comparas. Igitur quoniam divina auctoritas sic expresse dicit omnia dimittenda ei, qui ad perfectionem conscendere cupit Evangelicam, manifestum est, quod verum certitudinaliter debet teneri, quod ei non possit sine periculo fidei obviari.

Ad argumenta in contrarium. *Ad I.*

Ad illud vero, quod primo obiicitur in contrarium, quod pertrahit ad peccatum, & de egestate quæ facit perjurare, dicendum, quod duplex est inopia, quædam voluntaria, & quædam involuntaria. Inopia involuntaria inducit defectum mentis, & pronitatem, & occasionem inducit ad peccandum. Inopia autem, seu paupertas voluntaria hæc habet adjunctam sufficientiam, juxta illud: Tamquam nihil habentes, &c. Et hæc disponit ad justitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonum idoneam, sicut e contra radix omnium malorum est avaritia. Et est quod dicit Chrysostomus: Si volueris videre amantis aurum animam, quemadmodum vestimentum a decem millibus corrosum vermibus, & nihil habens sanum, ita invenies perforatam eam undique a sollicitudinibus, & a peccatis putrefactam, & ærugine plenam. Sed non anima inopis voluntarii talis est, sed fulget quidem velut aurum, splendet autem velut margarita, florescit autem velut rosa. Non est illic tinea, non est illic fur, non est illic sollicitudo vitæ hujus negotiorum, sed sicut Angelus ita conversatur. Non subjacet

2. Cor. 6. *Chrysost. in Matt. hom. 47.*

cet dæmonibus, non assistit regi, sed assistit Deo; non militat cum hominibus, sed cum Angelis; non habet thesaurum, terram, sed cœlum; non indiget servis, magis autem habet servos, possessiones, & cogitationes, quæ rebus dominantur. Quid igitur paupere hoc melius est umquam? Pavimentum denique habet cœlum. Si autem pavimentum tale est, excogita tectum. Sed non habet equos & currum. Quid autem ei opus est, qui super nube vehi debet, & esse cum Christo? Ex his apparet, quod in voluntaria paupertate magna est sufficientia, magna est nobilitas, quæ facit transcendere cuncta terrena.

Vel potest dici aliter, quod illa dicta sunt tempore legis scriptæ, quæ temporalia promittebat, non æterna, in qua paupertas contemnebatur. Unde Chrysostomus tractans prædictum verbum, Divitias, & mendicitatem, &c. dicit: Hæc dicebantur in veteri testamento, ubi multa ratio divitiarum habebatur, ubi paupertatis plurimus erat contemptus. ubi hoc quidem maledictum, scilicet paupertas, illud autem benedictum, scilicet divitiæ. Sed nunc nequaquam ita. Sed si vis audire paupertatis prædicatum, ipsam professus est Christus, & dixit: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet. Et iterum discipulis dicebat: Nolite possidere aurum. Ex quo apparet, quod auctoritas non est contraria assumentibus voluntariam paupertatem, cum illud dictum sit tempore legis scriptæ, istud autem tempore legis gratiæ. Nec illud dictum est in persona viri perfecti, sed potius infirmi, ut ex verbo Chrysostomi patet. Et per hoc patet responsio ad tres auctoritates primas.

Chrys. homil. 18. super epist. ad Hebr.

Luc. 9. Matt. 10.

Ad II. Ad illud quod obiicitur, quod Christus habuit loculos. Dicendum, quod Christus habuit loculos, tribus de causis. Habuit enim loculos pro pauperibus aliis, secundum quod dicit Hieronymus in auctoritate supra posita: Christus tantæ paupertatis fuit, &c. & hoc non tollit paupertatem summam. Habuit etiam loculos compatiendo infirmis. Sicut dicitur in A Glossa super illud Psalmi: Producens fœnum jumentis. Dominus loculos habebat, vel habuit in usus eorum, qui cum eo erant, & suos, & religiosas mulieres in comitatu, quæ ministrabant ei de substantia sua, in his infirmorum magis personam suscipiens. Prævidit enim multos infirmos futuros, & ista quæsituros, & ibi eorumdem personam suscepit, ubi dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et de his duobus supra illud Joannis; Ea quæ mittebantur, &c. Glossa: Cui Angeli ministrabant, loculos habet in sumptus pauperum condescendens infirmis. Habuit etiam loculos in articulo necessitatis, utpote quando B transibat per Samaritanos. In quo etiam articulo, discipulis loculos habere permisit, secundum illud: quando misi vos sine sacculo, & pera, &c. Glossa: Non eadem regula vivendi persecutionis, qua pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via præcepit ordinans, scilicet ut qui Evangelium nuntiat, de Evangelio vivat. Instante vero mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tempori illi regulam decrevit, permittens ut tollerent necessaria victui, donec sopita persecutorum insania, tempus evangelizandi redeat. Ex his enim C Glossis, manifeste apparet, quod modus habendi loculos in Domino in nullo minuit paupertatem. Sic enim Dominus condescendit infirmitati & necessitati, ut tamen salva esset forma paupertatis, & exemplum quod præcipue monstrare venerat hominibus. Juxta quod dicit Apostolus; Factus est pro nobis egenus, ut illius inopia divites essemus, paupertatem scilicet altissimam voluntarie imitando.

Psal. 101.

Matt. 14.

Luc. 22.

2. Cor. 8.

Ad III. Ad illud quod obiicitur, de Glossa: Habentes alimenta. Ubi dicitur, quod non sunt abiicienda omnino temporalia; dicendum quod intelligit de abjectione temporalium quantum ad usum, non quantum ad dominium. Nam usus temporalium necessarius est vitæ humanæ, qui

1. Tim. 6.

qui tamen haberi potest absque dominio, & proprietate. Sic patet in pauperibus qui nihil proprietatis habent. Et quod iste sit intellectus, patet per illud quod sequitur in Glossa immediate ubi subditur: Sed habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, qui ultra tendit, malum invenit. Esse igitur contentum usu tegumenti, & alimenti, est modus perfectæ virtutis. Et sic Glossa debet intelligi, nec hoc repugnat altissimæ paupertati. Qui autem sic vellet temporalia abiicere, ut nec vellet alimenta suscipere, nec operimentum habere, non operaretur perfecte, sed stulte. Et hoc vult Glossa illa insinuare.

2. Cor. 8. Ad IV. Ad illud quod obiicitur de Glossa: Si voluntas prompta est. Glossa, ut necessaria remaneant: Dicendum quod Glossa illa truncata est, quia statim sequitur. Non hoc dicitur quin melius esset, scilicet totum dare, sed infirmis timet, quos sic dare monet, ut egestatem non patiantur. Ex quo apparet, quod Glossa illa potius facit ad contrarium, quam ad propositum, si sano oculo, & recto inspiciatur.

Ad V. Ad illud quod obiicitur, quod qui sic universaliter omnibus abrenunciat, tentat Deum, dicendum quod falsum est, tum propter divina promissa, tum propter plurima remedia, quæ haberi possunt, tum propter exempla quibus manifeste videmus quod tales pauperes sustentantur. Ex quo manifeste colligitur, si obdurati non sumus, quod talis modus abrenunciandi divinitus inspiratur, nec facit tentare Deum, si sic abrenuntians divinis promissionibus innititur, quin potius ille Deum tentat, qui de divinis promissionibus

Matt. 6 dubitat. Propter quod Hieronymus super illud: Nonne anima plus est quam esca? In promissis veritatis nemo dubitet, sit homo quod esse debet, & mox adduntur ei omnia. Qui igitur de hoc dubitat sicut filii Israel,

Psal. 77. Deum tentat; qui dicebant. Numquid poterit Deus parare mensam in deserto; His autem non debent viri perfecti conformari, sed potius

A Apostolis: de quibus dicitur: Apo- 2. Cor. 4.
riamur, sed non destituimur, id est, pauperes sumus a Deo, ut necessaria desint: sed non destituimur a Deo omnino; quia Deus pascit nos. Et quod illud extendatur non solum ad Apostolos, verum etiam ad Heb. ult.
eorum imitatores, apparet, per illud quod dicitur: Sint mores sine avaritia contenti præsentibus. Ipse enim dixit: Non te deseram, neque derelinquam. Ibi Glossa: Ipse Do- Josue 1.
minus omnipotens ad Jesum Nave, Non te deseram, quin dem necessaria, neque derelinquam, derelinqueretur ille, qui fame periret. Sed quia hoc non est, non sit homo cupidus. Hoc post mortem Moysi dixit

B Josue, hoc etiam dicit omni speranti in se sicut Josue: hæc enim nobis promittit, ut in illo spem nostram ponamus. Non tenacibus, non cupidis, sed sperantibus in eum fit ista promissio. Etiam quia poterat illis videri, quod hæc promissio ad Josue tantum pertineret. Ad hoc Apostolus respondet, dicens quod nos juvabit, sicut juvit illum, quasi dicat: Non est dubitandum de promissione, quia Jesus Christus qui heri, id est, in præterito adjuvit Josue, & ipse hodie, id est, in præsenti adjuvat nos, & alios fideles, & adjuvabit in futuro, in sæcula, id est, sine fine.

Ad illud quod obiicitur, quod vir- Ad VI.
C tus consistit circa medium, dicendum quod illud est verum, quantum ad ea, quæ sunt necessitatis, sicut est largitas; sed fallit in his quæ sunt supererogationis, sicut est consilium paupertatis, & castitatis. Talium enim perfectio potius attenditur secundum perfectam considerationem ad Christum, & divinæ dilectionis modum, qui est, ut Deus super omnia diligatur, quam secundum superfluum, & diminutum circa exterius objectum. Et quod illud sit verum, patet per Ambrosium in libro de officiis, ubi dicit: Officium omne, aut est medium, aut perfectum est, quod Scripturarum auctoritate probare possumus. Habemus enim in Evangelio: Si vis ad vitam Mat. 19.
ingredi, serva mandata. Non homici-

cidium facies, &c. Hæc sunt media officia, quibus aliquid deest. *Mat. 19.* Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, ubi diligendos inimicos, & orandum dicit pro calumniantibus, & persequentibus nos, si volumus perfecti esse. Hoc est igitur perfectum officium, quod catorthoma dixerunt Græci, quo corrigantur omnia, quæ ad aliquos potuerunt lapsus habere. Largitas igitur, quæ attenditur secundum officium medium, in largiendo servat modum. Paupertas vero spiritus, quæ attenditur secundum officium perfectum, tribuit totum. Unde eodem libro in tractatu de liberalitate, dicit: Liquet debere esse modum liberalitatis, ne fiat inutilis largitas, cujus sobrietas est tenenda. De quo modo subjungit: Modus liberalitatis tenendus est, ut quod bene facis, id continue facere possis, ne subtrahas necessitati, quod indulseris effusioni. Potuit enim donare Joseph totas Ægypti opes, effundere thesauros regios, noluit tamen de alieno effusus videri. Maluit frumenta vendere, quam donare esurientibus, quia si paucis donasset, pluribus defuisset. Sed hoc spectat ad officium medium secundum quod ipse alibi dicit, tractans in eodem libro illud Apostoli. *2. Cor. 8.* Non ut aliis refectio, vobis autem angustia. Advertimus quemadmodum benevolentia, & liberalitas, & modum comprehendit, & fructum atque personas. Ideo modum, quia imperfectis dabat consilium. Non enim patimur, nisi perfecti. Verum quia perfectioni non repugnat modum tenere, si quis dispenset bona Ecclesiæ, ideo subjungit. Sed si quis nolens Ecclesiam gravare, in sacerdotio constitutus aliquo, aut ministerio, non totum quod habet, conferat, sed operetur cum honestate, quæ officio sat est, non mihi imperfectus videtur. Ex dictis igitur colligitur, quod licet virtutis secundum statum communem, & officium medium, sit tenere medium, perfectionis tamen Evangelicæ est relinquere totum. Si tamen in communi aliquid habeatur, ut dispensetur, hoc non facit imperfectum. nec totum universaliter relinquere dicit excessum, quia hoc spectat ad perfectum officium, ut patet ex his quæ dicta sunt, & ex hoc quod Ambrosius præmittit in præcedenti capitulo, ubi sic ait: Ceterum Dominus non simul vult effundi opes, sed dispensari, nisi forte ut Elisæus *3. Reg. 19* boves suos occidit, & pavit pauperes ex eo quod habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus in disciplinam se propheticam daret. Si ergo pro disciplina prophetica sunt omnia relinquenda multo fortius pro perfectione Evangelica.

Ad VII. Ad illud quod obiicitur, quod omnia dispergere est prodigalitas, dicendum quod tunc est prodigalitas, quando omnia disperguntur pro vanitate, non autem quando dantur pro utilitate, & sic est de Evangelica paupertate: quia Dominus centuplum restituet in præsenti cum tribulatione, & in futuro vitam æternam. *Mat. 19.* Secus autem est de universali retentione omnium. Illa enim non fit pro spirituali utilitate, sed magis pro terrena cupiditate, ideo non est simile hinc & inde.

Ad VIII Ad illud quod obiicitur, & qui alii subtrahit necessaria, &c. dicendum quod non est simile, quia qui subtrahit alii necessaria, violentiam facit, & inducit eum in paupertatem involuntariam. Qui autem subtrahit sibi, voluntarie facit, & in paupertatem voluntariam se inducit. Ac per hoc sicut argumentum illud non valet. Paupertas involuntaria non est laudanda, ergo nec voluntaria; sic non cogit ratio prædicta. Alius etiam est defectus in argumento prædicto, quia procedit per falsi suppositionem, pro eo quod omnibus universaliter abrenuntians, necessaria sibi omnia non subtrahit, quia divinæ providentiæ regimini se committit, & multos vivendi modos, & quærendi necessaria sibi relinquit.

Ad IX. Ad illud quod obiicitur, quod se exponit periculo famis, dicendum quod falsum est, sicut omnino apparet ex prædictis, & manifeste colligitur ex omnibus temporibus retroactis. Nusquam, & numquam legitur,

tur, quod aliquis volens in paupertate Deo servire, pro defectu cibi fame perierit. Et hoc est quod dicit August. in tract. quodam de Oratione Dominica. Neque enim deesse quotidianus cibus potest justo, cum scriptum sit: Non occidet Dominus
Prov. 10. fame animam justi. Et iterum: Ju-
Ps. 36. nior fui, etenim senui, & non vidi
Luc. 12. justum derelictum. Et iterum: Quærentibus regnum Dei, & justitiam ejus, omnia promittit apponi, & jam cum sint Dei omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non desit. Sic Daniel in leonum lacu jussu regis incluso, prandium divinitus procuratur, & inter feras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, corvis ministrantibus, & volucribus cibum apportantibus, in persecutione nutritur. O humanæ malitiæ detestanda crudelitas! feræ parent, & aves pascunt, & homines insidiantur, & sæviunt. Ex his manifeste colligitur, quod non est periculum, sed refugium, spretis omnibus totaliter se dedicare ad Deum colendum.

Ad X. Ad illud quod obiicitur, quod in oratione Dominica petimus panem nostrum quotidianum, dicendum quod hoc potius facit ad oppositum, quam ad propositum. Ex quo enim quotidie petimus victum diurnum, nec petimus quod habemus, manifestum est, quod Evangelicæ perfectionis est, quotidiano victu esse contentum. Quod quia non potest videri perfectio in cordibus avarorum, Dominus non solum ad hoc induxit consiliis sapientiæ, verumetiam exemplis naturæ, & oraculis gratiæ, ut sic saltem per illud triplex testimonium, paupertatis consilium firmiter comprobetur, sicut totius perfectionis Evangelicæ altissimum, & stabile fundamentum.

Articulus II.

De paupertate quantum ad mendicitatem.

Quæritur de mendicatione: Utrum mendicare pro Christo sit Christianæ perfectionis? & voco mendicare, eleemosynam quærere, seu de quotidianis eleemosynis vivere.

Et quod non, videtur primo auctoritate Psalmi: Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum: ergo non stant simul inopem, & timere Deum. Ps. 33. I. Arg. partis negativæ.

Item Psalmus: Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem; ergo qui panem quærit non est justus, nec semen justi. Ps. 36. II.

Item Psalmus: Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, sed nihil quod Psalmista in Dei spiritu loquens imprecatur, spectat ad perfectionem Evangelicam, seu ad perfectam justitiam, mendicare est hujusmodi: Ergo, &c. [B] Ps. 108. III.

Item Ecclesiasticus: Fili mi in vita tua ne indigeas, melius est enim mori, quam indigere, ergo melius est mortuum esse, quam mendicum. Eccl. 40. IV.

Item in Apostolorum Actis, dicitur: Beatius est magis dare, quam accipere, sed dare eleemosynam non facit hominem pervenire ad perfectionem Evangelicam: ergo multo magis nec accipere. Act. 20. V.

Item Salvator ait: Vendite quæ possidetis, ubi Glossa, ut omnibus simul pro Deo spretis, postea labore manuum operemini, unde vivatis, vel eleemosynam faciatis, unicuique igitur de proprio labore vivere, & eleemosynam facere spectat [C] ad Evangelicam perfectionem: ergo oppositum ejus, scilicet mendicare, & de alieno labore vivere, est contrarium perfectioni Evangelicæ. Luc. 12. VI.

Item Apostolus dicit: Nullius aliquid desideretis, ubi Glossa, nedum rogetis, vel tollatis. Si ergo plus est rogare vel petere, quam appetere, & primum tamquam illicitum ab Apostolo prohibetur, scilicet desiderare, vel appetere, quod est alterius, ergo multo fortius petere. 1. Thess. 4 VII.

Item dicit: Rogamus vos, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino. Ubi Glossa: Sicut divitiæ negligentiam pariunt saluti; sic egestas, dum saturari cupit, a justitia declinat. Sed quod facit declinare a justitia non per- 1. Thess. 5 VIII.

pertinet ad perfectionem Evangelicam: Ergo, &c.

2. Thess. 3 IX. Item dicit Apostolus: Si quis non vult operari, non manducet: ergo vult Apostolus servos Dei corporaliter operari, ut habeant unde vivant, & non compellantur egestate necessaria petere; sed hoc est mendicantium, ergo servorum Dei non est mendicare, secundum Apostolum.

V. Item eodem capitulo super illud, ut formam daremus vobis, ubi Glossa: Qui frequenter ad alienam mensam convenit, otio deditus, necesse est ut aduletur pascenti se; sed adulari est contrarium veritati, & perfectioni: Ergo, &c.

XI. 12. q. 1. Videntes. Item dicit Urbanus Papa, quod Episcopi omnibus communi vita vivere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent prout melius poterunt, ut nemo in eis egens inveniatur. Et post: Si quis extiterit modernis, aut futuris temporibus, qui hoc avellere nitatur, jam dicta damnatione feriatur. Ergo contra Canonicas sanctiones est, quod aliqui vivant via communi in Ecclesia, egendo & mendicando in ea.

XII. Item de conse. dist. 1. Inhibetur ne Ecclesia consecretur, nisi prius dotetur: ergo si Ecclesia non debet consecrari, nisi habeant unde sustententur, qui in ea ministrant multo fortius, nec aliqua Religio institui debet sine possessione sustentativa.

XIII. Item in Jure Civili inhibetur, quod validi non mendicent, lege de mendicantibus validis, sed magis debet esse ordinata Ecclesia, quam Respublica: Si ergo quod validi mendicent, est contra rectam gubernationem Reipublicæ, multo magis contra perfectionis sublimitatem Evangelicæ.

XIV. Item hoc ipsum ostenditur ratione: Mendicare est opus indifferens, sed indifferens non fit opus perfectionis per additionem finis, sicut apparet manifeste in aliis operibus, ut ire ad Ecclesiam, & facere eleemosynam: Ergo, &c.

XV. Item perfectionis est, gratis, & liberaliter servire, & obligationes peccatorum refugere; sed qui eleemosynam recipit, obligat se ad interveniendum pro peccatis alienis. Si ergo obligatio hujusmodi perfectioni non consonat: Ergo, &c.

XVI. Item hujusmodi qui mendicant, ex professione, aut hoc faciunt quia pauperes, aut quia Prædicatores: Si quia pauperes, ergo omnes pauperes, qui mendicant perfecti sunt, quod est contra August. in l. De opere Monachorum, qui reprehendit Monachos mendicantes, & nihil operari volentes. Si quia prædicatores, ergo nullus mendicare debet inter eos, qui non prædicat, cujus contrarium videmus tota die.

XVII. 4. Reg. 5. Item prædicare est quid spirituale, sed qui spirituale dat, & temporale accipit, similis est Giezi, qui pecuniam accepit a Naaman, obtentu beneficii spiritualis prius sibi exhibiti: hoc autem est damnabile, ergo damnabile est prædicatori mendicare, non ergo perfectionis Evangelicæ.

XVIII. Item perfectorum est abstinere a mala specie, sed hoc est mala species, quod prædicantes temporalia petant, quia in hoc sunt similes Pseudoprædicatoribus: Ergo, &c.

XIX. Item hujusmodi aut habent auctoritatem in prædicando, aut non habent. Si non habent, ergo male faciunt in prædicando, ergo nil merentur si habent; sed qui habent possunt petere potestative: ergo tales prædicando injuriantur auctoritati prædicationis Evangelii, ergo in hoc non sunt perfecti, sed impii.

XX. Item tutius, & perfectius est sequi viros perfectiores, & probatiores, & sapientiores, sed viri probatissimi, & sapientissimi in Religionibus fuerunt Basilius, Benedictus, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Hilarius, & Paulinus: & tales sic sua reliquerunt, quod communia possederunt, nec mendicasse leguntur: ergo modus ita mendicandi de novo introductus per Dominicum, & Franciscum judicatur superstitiosus, & vanus, cum stultum videatur sensum, & spiritum duorum pauperum hominum præponere tantæ sapientiæ, & sublimitati Sanctorum præcedentium, & Doctorum.

SED

SED CONTRA hoc, videtur dictum illud Matthæi: Nolite possidere aurum, vel argentum, neque pecuniam in zonis vestris, neque peram in via, neque duas tunicas, nec calceamenta, ubi Glossa: Nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant; nihil præter indumentum, quo quis contentus esse potest. In hoc traditur forma Apostolis, & quod perfectionis est, perfectum est imitari; ergo taliter per mundum ire spectat ad perfectionem Evangelicam; sed hoc est mendicare, & vivere de eleemosyna, igitur hoc spectat ad Evangelicam perfectionem. *Matth. 10*

Item: Præcepit eis ne quid tollerent in via, neque panem, neque in zonis æs. Aut igitur præcepit tamquam Prælatis, aut tamquam perfectis. Si tamquam Prælatis, ergo ad illud ad quod adhuc essent astricti, quod manifeste falsum est. Præcepit igitur eis tamquam viris perfectis. Sed perfectio proponitur communiter omnibus imitanda, quia dicit: Qui potest capere, capiat, ergo sic vivere spectat ad perfectionem Evangelicam. *Mar. 6* *Matt. 19*

Item Salvator dicit: Nihil tuleritis in via neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, ubi Glossa: Virgam non ferre, est non esse sollicitum de his quæ necessaria sunt humanæ sustentationi, quia hæc debentur Prædicatoribus. Si ergo excludere sollicitudinem de necessaria sustentatione, Dominus persuasit Apostolis quos etiam ad prædicandum inter infideles misit; multo fortius cum prædicatur Evangelium fidelibus, perfectionis est de hujusmodi non esse sollicitum, sed victu & vestitu sibi dato esse contentum. *Luc. 9*

Item ait: Quicumque susceperit puerum in nomine meo, ibi Glossa interlinearis, pauperem. Et alia Glossa: Qui imitatorem Christi recipit, Christum recipit. Ergo cum suscipitur pauper imitans Christum, suscipitur Christus. Si ergo perfectionis Evangelicæ est esse pauperem, & Christi imitatorem; perfectionis Evangelicæ est in tali paupere pro Christo suscipi. Qui ergo mendicando petit, a perfectione Evangelica non recedit. *Ibid.* *Matt. 18*

A

Item dicit: Nolite portare sacculum, neque peram: ubi Glossa: Tanta debet Prædicatori esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus etsi non prævideat; sibi tamen non defecturos certissime sciat, ne dum occupatur mens ad temporalia, minus prædicet æterna. Ad expeditiorem igitur prædicationem veritatis facit, quod quis temporalia non prævideat sibi, sed expectet sibi ab aliis dari cum necesse habuerit. Ergo talis modus vivendi consonat veritati, & Evangelicæ perfectioni. *Luc. 10*

Item alibi dicit: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, ubi Glossa. Non quoslibet pauperes, sed eos, qui possunt in æterna tabernacula recipere; sed tales sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum. Ergo secundum divinum consilium est, quod eleemosynæ talibus pauperibus dentur, & quod ab eis suscipiantur. Sed quod divino consilio consonat, perfectioni Evangelicæ non repugnat: Ergo, &c. *Luc. 16* *Matth. 5*

B

Item Hieronymus adversus Vigilantium tractans præmissum verbum, dicit: Num isti pauperes, inter quorum sordes, & illuviem corporis flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur. De quibus scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intellectu, sed eleemosyna opus est; in sanctis pauperibus beatitudo est intelligentiæ, ut ei tribuat qui erubescit accipere, & dum acceperit, dolet, metens carnalia, & seminans spiritualia. Hæc Hieronymus. *Hier. adverf. Vigilant. longe post med.* *Ps. 40*

C

Item Apostolus ait: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia, vestræ inopiæ sit supplementum. Glossa: Vestra abundantia terrenorum, suppleat illorum inopiam, ut e converso *2 Cor. 8*

so abundantia illorum spiritualium, A qui divinis vacant, vestræ sit inopiæ supplementum. Si ergo hoc spectat ad perfectionem Dominici corporis, quod membra sibi communicent ratione dati, & accepti; ad perfectionem Ecclesiæ, & Evangelii facit quod pauperes justi sustentationem petant & accipiant a divitibus mundanis & imperfectis. Si dicas, quod possunt accipere, sed non petere, hoc nihil est, quia divites mundani possunt petere orationes virorum spiritualium ad relevandum inopiam meritorum suorum; ergo versa vice possunt pauperes spirituales petere eleemosynam corporalem ad sustentationem corporum.

Ps. 39 Item hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo Psalmista: Ego autem mendicus sum & pauper. B Glossa: Hoc dicit Christus de se. Ego mendicus sum in forma servi. Mendicus est, qui ab alio petit, pauper est, qui sibi non sufficit. Sed constat, quod hoc non intelligitur de Christo quantum ad dona, sive bona spiritualia, quia comprehensor & omnis gratiæ plenus erat, ergo intelligitur quantum ad dona temporalia, igitur quantum ad illa mendicus erat; & ab alio petebat.

Ps. 108 Item Psalmista: Persecutus est hominem inopem, & mendicum. Glossa, scilicet Christum. Pauperes persequi sola sævitia est. Alii vero pro divitiis & honoribus interdum hujusmodi patiuntur. C Aut ergo dicitur Christus mendicus, quia mendicabat a Patre, aut quia mendicabat ab homine. Si quia mendicabat a Patre, ergo omnes homines sunt mendici, tam divites, quam pauperes, ergo Christum persequi non fuisset summa sævitia. Si quia mendicabat ab hominibus habemus propositum.

Mar. 11 Item Dominus circumspectis omnibus exiit in Bethaniam, ubi Glossa: Si quis eum hospitio susciperet, tantæ enim paupertatis fuit, ut ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hospitium inveniret, & constat, si voluisset hospitium conducere, invenisset ad conducendum; ergo circumspiciebat tamquam pauperculus, & mendicus.

Item ait: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Luc. 19 Glossa: Non invitatus invitat, sed invitare alium ad hoc, quod eum recipiat hospitio, nihil aliud est, quam mendicare & petere: Ergo, &c.

Item dicit: * Da mihi bibere, ubi August. In omni re quam Christus gessit ut homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum. Et post: Petit bibere, & promittit bibere; eget quasi accepturus, & promittit quasi satiaturus. Sed constat, quod potu spirituali non egebat: ergo corporali potu egebat, & illum postulabat. Sed obiicies Glossam quasi contrariam, quæ dicit: Licet Jesus post fatigationem sitire posset, tamen hunc potum non exigit, sed hoc intelligitur, quod principaliter hunc potum non petebat, ne Glossa facto contradicat.

* Joan. 4 Aug. tr. 15 in Joan. non longe a prin. & ibi. inf. ante med.

Item Hieronymus ad Rusticum: Quid Samaritana vilius? ipsa tamen non solum credit Messiam, quem cognoscit ad fontem, sed & discipulis ementibus, esurientem reficit, lassumque sustentat; ergo videtur quod Christus ab illa fuerit sustentatus corporaliter.

Hier. epist. 4 ad Rust. non longe a princ.

Item sicut Evangelica narrat historia, Christus invitatus a Pharisæis comedebat cum eis, aut ergo sicut Dominus, aut sicut pauper. Si tamquam Dominus, ergo non dedit exemplum paupertatis. Si tamquam puer, sed hoc est mendicare: Ergo, &c.

Item ad hoc est exemplum Sanctorum. Nam dicitur in laude Sanctorum: Circumierunt in melotis in pellibus egentes, &c. sed taliter circumire est mendicare: Ergo, &c. Hebr. 11

Item est exemplum de Elia, de quo Augustinus in quodam sermone: Numquid Deus deseruerat servum suum Eliam? Nonne illi, cui deerant homines, ministrabant aves? Ostendit ergo Deus, quia unde voluit, & quando voluit pascere servos suos potuit, & tamen ut posset eum Religiosa vidua pascere, fecit eum egere. 3. Reg. 17

Item ad hoc est exemplum, discipulo-

pulorum Joannis Evangelistæ, de quibus in ejus legenda dicitur, quod vendentes omnia, quæ habere potuerunt, dederunt egenis, & post subditur, quod tentati sunt, quod se in uno pallio viderent egentes, servos autem suos divites, atque fulgentes.

Item exemplum discipulorum Pauli: Unde Chrysostomus de laudibus Pauli: Paulus pecunias non possedit, nam & ipse hoc testatur: Usque ad hanc, inquit, horam, & esurimus, & sitimus, nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus. Et quid dico pecuniam, cum ille quidem necessarium sæpe non haberet cibum, nec quo circumdaret indumentum, & sequitur: Discipulorum quamplurimi pauperes imperiti, ac totius eruditionis extranei, in fame & egestate viventes, ignobiles, &c. Ergo discipuli Pauli fuerunt mendici. *1 Cor. 4*

Item ad hoc est exemplum de B. Benedicto, de quo legitur in 2. dialogorum, quod per triennium fuit in specu, nihil omnino operans, sed Romanus quidam Monachus sibi panem ministrabat, & constat quod Benedictus in hoc non peccabat. *Greg. l. 2 Dial. c. 1*

Item, exemplum de S. Alexio, qui fuit vir miræ sanctitatis, in cujus legenda legitur, quod cum esset filius ditissimi Romani, contempto patrimonio, ivit mendicando per mundum.

Item, exemplum de S. Dominico, qui in morte sua imprecatus est omnibus maledictionem, qui in Ordinem suum possessiones conarentur inducere: ergo volebat, quod de eleemosynis viverent, juxta quod ipse vixit.

Item ad hoc est exemplum de B. Francisco, qui non solum mendicavit & mendicare consuluit, sed etiam mendicationem suam miraculis confirmavit, sicut patuit in nautis, quos ciborum suorum reliquiis satiavit, & satiatos liberavit, & per regulam quam a Summo Pontifice approbatam confirmari fecit, in qua dicit, quod fratres in paupertate, & humilitate Deo famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter, &c.

A Item Gregorius in Moralibus super illud: Noctes laboriosas enumeravi mihi: Electi Conditori rerum serviunt, & sæpe rerum inopia coangustantur; per amorem Deo inhærent, & tamen subsidiis præsentis vitæ egent. Egere ergo subsidiis præsentis vitæ competit Sanctorum perfectioni. *Job 7 Greg. l. 8 Moral. c. 5 ante med.*

Item Hieronymus in epistola ad quemdam virum hospitalem. Multus a te per insulas Dalmatiæ Sanctorum numerus sustentatur: sed melius faceres, si & ipse Sanctus inter Sanctos viveres. Ergo melius est eleemosynis vivere quam eleemosynas dare. *Hier. ad Julianum epist. 34 post med.*

Item, hoc ipsum ostenditur ratione: Qualis est habitus, talis est B actus; sed omnino pauperis secundum quod pauper, actus est egere, & mendicare. Ergo si esse pauperem bonum est, mendicare pro Christo laudabile est & perfectum.

Item, mendicare non prohibetur lege naturæ, nec lege Scripturæ, nec lege gratiæ; sed quod non est prohibitum, per obedientiam impositum, efficitur laudabile & meritorium, maxime si sit difficile, & onerosum; ergo si aliqui ex professione habeant mendicare, cum hoc ex obedientia faciant, erit eis laudabile & perfectum.

Item, Ecclesia imponit in pœna satisfactionis mendicationem temporalem, vel etiam perpetuam. Sed C hoc non imponeret, nisi esset satisfactorium: sed qui ad opus satisfactorium voluntarie se astringit, perfecte agit; ergo qui pro Christo semper devovit mendicare, hic agit perfecte & laudabiliter.

Item, contemptus sui est perfectionis, & major contemptus majoris perfectionis. Sed qui pro Christo mendicat, maxime seipsum contemnit & abiicit: ergo talis perfectissime agit. Item plus placet Deo paupertas voluntaria, quam involuntaria; ergo & mendicatio ex illa paupertate procedens magis est Deo placita: sed prima potest esse laudabilis & meritoria, ergo multo magis secunda.

Item qui servit alicui Domino,

meretur sustentari ab illo. Sed qui omnibus abrenuntiat & consilia implet, maximo Domino servit. Ergo talis maxime meretur a Domino sustentari. Ergo & a servis Domini. Si ergo pauper voluntarius est, hoc ipso quod talis, si eleemosynam petit, juste petit.

Item, qui dat majora, potest recipere minora; sed pauper orans impendit misericordiam spiritualem: ergo multo fortius potest recipere eleemosynam corporalem.

Item, prædicans ex auctoritate potest recipere sumptus potestative; ergo prædicans ex subauctoritate, & commissione, seu demandatione, petere potest supplicanter.

Item, qui servit alteri, juste sustentatur ab illo; ergo qui universali Ecclesiæ deserviunt, juste sustentantur ab universali mundo; ergo si qui sunt qui verbo & exemplo per mundum discurrendo deserviunt populo Christiano, merito sustentationem petere possunt ab ipso.

Item, si licet recipere majus, multo fortius licet recipere minus. Sed pauperibus Religiosis, qui propriis renunciaverunt, licet recipere amplissimas possessiones; ergo multo fortius licet recipere diurnas sustentationes. Alioquin monstruosum videtur dicere, quod liceat recipere centum marcas auri, & non liceat recipere centum frusta panis. Si dicas, quod licet accipere, sed non licet petere, hoc nihil prorsus est, quia petere ordinatur ad accipere, & propter illud est; & sicut plus est dare, quam promittere, sic plus est recipere quam petere. Sed constans est, quod quidquid licet dare, licet promittere; ergo quidquid licet accipere, licet petere.

Item, si amicus petit ab amico suo donum, contra nullam legem agit, nec iste petendo, nec ille dando, nec iste rursus accipiendo: sed lex charitatis, & amoris divini est magis communicativa, quam lex socialis; ergo si quis petat sibi aliquid dari amore Dei, in nullo offendit, nec in aliquo a perfectione recedit.

Item indubitanter licet petere aliquid, in cujus donatione potior sit conditio dantis, sed qui dat aliquid pro Deo, fœneratur Domino, & temporale commutat pro æterno, & ad opus virtutis nobilissimæ se exercet, scilicet pietatis. Ergo si hæc omnia eveniunt ei ratione postulantis, pauper qui eleemosynam petit potissime facit, secundum legem charitatis, ergo a perfectione in nullo recedit.

RESP. Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod tripliciter contingit, mendicare. Et primus modus est ex necessitate naturæ, & hic modus est, cum quis mendicat non solum quia pauper, verum etiam quia habet infirmitatem, vel debilitatem, vel utrumque. Hic autem modus miserabilis est, & tolerabilis, & per patientiam bonam fit meritorius, & laudabilis. Sicut legitur de Lazaro, quia erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam divitis ulceribus plenus. Et post subditur, quia mortuus est mendicus, & perlatus est ab Angelis in sinum Abrahæ. De divite autem dicitur, quod sepultus est in inferno. Ex quo colligitur, quod mendicitas etiam ex necessitate veniens, occasio ductiva est in viam salutis æternæ. Juxta quod dicit Gregorius, quod mala quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. *Triplex modus mendicitatis* *Luc. 16.*

Secundus modus mendicandi est ex vitiositate culpæ, & hic est cum quis mendicat, vel pro otio fovendo, vel pro lucro cumulando, vel utroque modo. Et hic inquam modus vituperabilis est in omnibus taliter mendicantibus: De quibus dicit Ambrosius in lib. de officiis. Petitionis causa veniunt validi nullam causam nisi vagandi habentes, & volunt subsidia evacuare pauperum, exinanire sumptum, nec exiguo contenti, majora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, & natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. Licet autem in omnibus merito debeat reprehendi, reprehendendum est tamen potissime in eis, qui habent speciem pietatis & sanctitatis. De quibus dicit Augustinus in lib. De opere Monachorum: Nullo modo decet, ut in *Amb. l. 2 de offi. c. 16 statu a prin.* *Aug. l. de oper. Mon. c. 25 in fi. t. 3*

in ea vita, ubi Senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quo veniunt relictis divitiis suis, qui fuerant prædiorum Domini, ibi fiant rustici delicati. Et post ad reprehendendum eorum otium, & quæstum subjungit: *Ibid. c. 28* Callidissimus hostis tamen multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes Provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes, alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant, alii fimbrias, & phylacteria sua magnificant, alii parentes suos, vel consanguineos, illa, vel illa regione se audisse vivere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. Contra tales multum invehitur B. Augustinus in lib. De opere Monachorum, pro eo quod pigritiam non tantum in se ipsis mendicando fovebant, verumetiam prædicando aliis suadebant, male intelligentes Evangelium, ubi videtur insinuare quod non sit ab hominibus, sicut nec ab avibus laborandum, & pejus exponentes Apostolum, ubi persuadet fratribus operari, dicentes esse intelligendum illud de labore spirituali, & non corporali. Et quia in hoc seipsos decipiebant, & alios, ideo reprehendit eos Augustinus, & multipliciter ostendit contrarium per totum librum de opere Monachorum, qui totus est contra illos, qui approbant hunc secundum mendicandi modum. Unde in talibus dicit: *Aug. ibid. c. 22 & 23* Qui tamquam conservatricem Evangelii prædicantes erant pigritiam, tamquam prævaricatricem accusantes misericordiam. Utinam isti qui vacare volunt manibus, omnino vacarent & linguis. Neque enim tam multos ad imitationem invitarent, si eis etiam non tantum pigra verumetiam muta proponerent. Nunc autem contra Apostolum Christi recitant Evangelium Christi. Ita enim mirabilia sunt opera pigrorum, ut impedire velint Evangelium.

Mendicitas supererogationis Tertius autem modus mendicandi est ex supererogatione justitiæ, &

A hoc est cum quis mendicat pro Christo imitando, vel pro evangelizando, vel utroque modo. *laudabilis est.* Pro Christo, inquam, imitando quantum ad contemptum sui, affectum proximi, & cultum Dei. Nam in his tribus potissime debemus Christum imitari. Quod quidem facit, qui voluntarie mendicat pro nomine Christi, ut seipsum vilificet, & humiliet, ut proximum suum ædificet, & provocet ad pietatem, & ut vacet Deo libera mente deposita omni sæculi sollicitudine. Et de talibus Augustinus in quodam sermone Quadragesimali: *Aug. l. 50 homil. 18 non longe a prin.* In isto tempore, ut noverimus, quantum commendat Deus opera misericordiæ ipsos sanctos suos egere fecit: B ut cum fuerint facti amici Dei de mammona iniquitatis recipiant & ipsi amicos suos in æterna tabernacula: id est ut cum servi Dei pii, dum jugiter Deo vacant, aliquoties indigent, illi qui habent mundi divitias, eleemosynas largiantur. Et quomodo illos participes faciunt in terrena substantia, sic cum illis partem habere merebuntur in vita æterna. Ex quo apparet, quod talis mendicatio laudabilis est, quæ fit pro Christo imitando. Similiter & ea quæ fit pro Christo evangelizando, quia viam præbet Evangelio, ratione ejus quod prædicatur, quia prædicamus mundi contemptum, quod efficacius suadetur verbo, & exemplo quam solo verbo. C A pluribus prædicatur, si prædicantes vivunt de Evangelio, quam si compellerentur vivere de sumptu, aut labore proprio. A pluribus etiam efficacius suscipientibus documenta largiuntur beneficia sustentantia. Hoc est quod dicit Joannes Chrysostomus: *Chrys. ho. 33 in Mat. post med.* Manifestum est, quoniam discipulos ab eis quibus prædicabant cibari oportebat, ut neque ipsi magna sapiant adversus eos, qui docebant, ut omnia præbentes, & nihil accipientes ab eis, nec illi rursus abscindantur despecti ab eis. Deinde ut non dicant mendicantes, igitur jubes nos vivere, & verecundentur, in hoc monstrat hoc debitum existere, & operatores eos vocans, & quod datur mercedem nominans. Ne enim quia in sermonibus est operatio, existi-

ment parvum beneficium quod est a nobis. Etenim labores habet hic multos, & quidquid dederint qui docentur, non largientes præbent, sed retributionem reddentes. Quando igitur quis mendicat pro Christo imitando, & Evangelizando, secundum formam præscriptam; non solum non peccat, verumetiam implet perfectam justitiam. Primum quia multum debetur sustentatio pauperi Christum imitanti. Secundo, quia magis debetur tamquam pauperi Evangelico Christum Evangelizanti. Tertio, quia maxime debetur pauperi grato debitum pro gratia humiliter accipienti, & humiliter supplicanti, quippe cum sit liber ex omnibus, facit se omnium servum. Et hoc est quod dicit Augustinus super illud Psalmistæ: Producens fœnum jumenti, &c. Producens inquit, fœnum, id est temporalia, jumentis, id est Prædicatoribus, ut de Evangelio vivant, qui Evangelium annuntiant, & herbam, id est temporalia, servituti hominum, id est prædicatoribus servis hominum pro Christo. Unde Apostolus: Cum essem liber ex omnibus, omnium me servum feci; quæ servitus est ex charitate, quæ facit humiles, qui pro Christo servi hominum fiunt, utilitati fratrum attendentes. Hæc sunt jumenta quibus debetur herba, & merces, quia serviunt. De quibus dicitur: Non alligabis os bovis triturantis. Et: dignus est operarius mercede sua. Debentur enim prædicatoribus temporalia, quia largiuntur spiritualia. Unde Apostolus si seminavimus vobis spiritualia, non magnum est si vestra carnalia metamus. Pro quibus dicitur: Beatus qui præoccupat vocem perituri, id est, qui intelligit super egenum & pauperem. Non enim ita debes agere bovi trituranti, ut mendico transeunti. Illi enim, id est mendico, das quod legitur; Omni petenti da, huic etiam non petenti dare debes. Vide ergo ne si indigeat miles Christi, ut petat, te judicet, id est, damnabilem ostendat. Sicut enim dicitur de illo, qui te quærit: Da omni petenti; sic de eo Prædicatore, quem tu quæ-

Aug. enarr. in Ps. 103 conc.

1. Cor. 9

1 Cor. 9.
Luc. 10

1 Cor. 9

Luc. 6

A rere debes dicitur: Desudet eleemosyna in manu tua donec invenias justum cui des. Omni petenti, ergo quicumque sit, da, agnoscens in eo cui des, sed multo magis da servo Dei, militi Christi, etiam non petenti. Ex his igitur manifeste apparet, quod in Christi Prædicatore, & Evangelizatore mendicare non est vitii, nec culpæ, sed magis perfectionis Evangelicæ. Unde rationes, & auctoritates, & exempla concedenda sunt, quæ ad hanc partem inducuntur. Nam si quis impugnare, & improbare velit omnem mendicandi modum in servis Christi, impugnare videtur non tantum ordinem pauperum, verumetiam ipsum
B Summum Pontificem, qui approbavit hunc vivendi modum. Nec etiam tantum ipsum, verumetiam hunc magnum cœtum sanctorum, qui mendicaverunt, videlicet Franciscum, Dominicum, Alexium, Benedictum, & ipsum cuneum Apostolorum, & Prophetarum, necnon, & ipsum Dominum Jesum Christum, quem Scriptura non veretur dicere pauperem, & mendicum: cum majora de ipso dicat, & sentiat fides nostra, scilicet quod pro nobis, non tantum pauper, & mendicus fuit propter nostrum exemplum, sed etiam nudatus, & vilificatus usque ad abjectionis genus extremum, ut exemplum daret perfecte contemnendi mundum.
C Postremo super hæc omnia mala subverti videtur universus Ecclesiæ status. Si enim illicitum est per eleemosynarum acceptionem pauperibus Christi accipere amplitudinem, & multitudinem possessionum, & magnorum redituum, quis enim ita absurdus est, qui dicat licere alicui accipere talentum auri, & non frustum panis? Quod si hoc verum est, cum universarum Ecclesiarum possessiones, tam in religiosis proprietatem habentibus quam in clericis sæcularibus habeantur per acceptionem eleemosynarum voluntarie, & gratis datarum; videbitur ex hoc subverti status universarum Ecclesiarum si eleemosynas accipere, vel de eleemosynis vivere, seu in parva quantitate, seu in magna, illicitum judi-

judicetur; nisi forte quis dicat, quod licitum est accipere, sed non est licitum petere. Sed hoc mirum videtur quod aliquis possit in illud quod majus est, & non possit in illud quod minus est. Quod aliquod monasterium possit recipere centum marcas auri in reditibus ab aliquo principe, & unum pauperculum non posse suæ indigentiæ relevationem suppliciter implorare. Quod aliquis possit ex amicitia petere ab amico, & Christianus non possit charitate petere a Christiano. Et quod aliquis possit petere aliqua expedientia ad alicujus divitis monasterii securitatem, & abundantiam; & pauper voluntarius, non possit petere vitæ sustentamentum. Et quod aliquis scholaris possit licite mendicare pro amore proficiendi in cognitione scientiæ, quæ inflat, ut tandem perveniat ad temporales divitias; & pauper religiosus non possit petere pro amore proficiendi in charitate & humilitate, quæ ædificat, ut tandem perveniat ad vitam æternam, & cætera consimilia quæ valde videntur absurda. Si ergo hæc omnia non parva; sed magna inconvenientia sunt, tenendum est, quod liceat pauperibus sustentari de eleemosynis aliorum, saltem secundum tertium mendicandi modum superius explicatum.

Ad argumenta partis negativæ. Ad I. Ad illud quod primo obiicitur in contrarium, quod non est inopia timentibus Deum, dicendum quod duplex est inopia, scilicet corporalis & spiritualis. Verbum autem illud intelligitur de inopia non quacumque, sed spirituali. Et quod illud sit verum, apparet per illud quod immediate sequitur: Divites eguerunt, & esurierunt, constat quod illud non intelligitur de egestate divitiarum materialium, restat igitur, quod de inopia spiritualium, quæ licet sit in divitibus, non tamen est in timentibus Deum, quia timor est initium Sapientiæ, de qua dicitur. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Sap. 7.*

Ps. 36 Ad II. Ad illud quod obiicitur de psalmo: non vidi justum derelictum, dicendum, quod duplex est panis, scilicet corporalis & spiritualis. Verbum autem illud non intelligitur de pane corporali, sed de pane spirituali. Et quod illud sit verum, apparet per Glossam ibidem: Nec semen ejus quærens panem spiritualem, id est indigere pane verbi Dei, quia verbum Dei semper cum eo est. Potest etiam littera sic construi, ut intelligatur: Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem vidi derelictum; quia secundum quod dicitur super illud Pauli Apostoli: Non te deseram, neque derelinquam. Glossa: Derelinqueretur ille, qui fame periret. Vult ergo dicere Propheta, quod nec justum, nec semen ejus vidit fame mortuum, & hoc a paupertate non revocat, sed potius invitat.

Ad III. Ad illud quod obiicitur quod mendicatio est malum, quod imprecatur psalmista in spiritu Dei loquens, dicendum, quod est mendicatio voluntaria, & mendicatio coacta, quæ est cum murmure, & impatientia. Prima est meritoria, secunda est demeritoria, & afflictiva. Et Psalmus intelligitur de secunda, non de prima. Et quod illud sit verum, apparet per textum, quia dicitur: Nutantes transferantur, & eiiciantur, & hæc omnia in coactionem, & violentiam sonare videntur.

Eccli. 40 Ad IV. Ad illud quod obiicitur de Ecclesiastico, Fili in vita tua ne indigeas; dicendum est, quod juxta distinctionem præhabitam, verbum illud intelligendum est de indigentia spirituali respectu gratiæ, non de temporali respectu sustentationis naturæ. Et quod sit verum, apparet per Glossam: Ne indigeas, inquit Glossa, virtutibus vel bonis moribus.

Act. 20 Ad V. Ad illud quod obiicitur, quod beatius est magis dare, quam accipere, dicendum quod illud est verum, quando acceptio eleemosynæ venit ex necessitate naturæ, non autem quando venit ex supererogatione justitiæ, juxta distinctionem factam in principali solutione. Et quod illud sit verum, apparet per illud quod dicitur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus: bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius est pro intentione sequendi Dominum in *Aug. l. de Eccl. dog. c. 71. & 3.*

 simul

simul donare, & absolutum a sollici- A tudine cum Christo egere. Hoc ipsum dicit Augustinus in libro De bono conjugali, sicut in praecedenti quaestione allegatum fuit.

De bo. con. c. 8 in fin. c. 6.
Luc. 12

Ad VI. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod omnibus pro Deo spretis, debent labore manuum operari, dicendum quod illud est consilium, quantum ad primum, quod dicitur: Vendite quae possidetis: quantum ad secundum autem est solum de bene esse consilii, quod non astringit etiam viros perfectos, illos potissime qui possunt circa majora bona occupari. Et quod illud sit verum, apparet per eamdem Glossam, cum subditur: Unde vivatis, vel eleemosynas faciatis. Certum est enim, quod illi B qui omnia simul pro Deo dederunt, ad ulteriores eleemosynas faciendas minime astringantur, & ideo illa glossa non exprimit quod est de essentia, & substantia consilii, sed magis secundum bene esse, secundum statum, & conditionem aliquarum personarum, quae magis sunt idoneae ad manualiter operandum, quam ad aliquid magis arduum faciendum. Nam si aliter diceretur, quod illud esset de essentia perfectionis consilii, tunc nulli illud consilium implevissent, nisi qui operati fuerunt manualiter, at per hoc Apostoli alii a Paulo, & Barnaba, & alii plurimi Sanctorum perfectissimorum, quos non legimus fuisse manualiter opera- C tos, non judicaremus fuisse perfectos. Verum est utique, quod perfectioni Evangelicae consonat operatio manualis, si tamen non impediat majora bona. Unde Glossa super illud: Vado piscari. Sciendum est, non fuisse prohibitos arte sua licita victum quaerere, Apostolatus integritate servata, cum unde viverent non haberent, & sic illis laborantibus adiicit Deus necessaria, quae promisit. Sed quod hic labor competat non occupatis circa majora, manifestum est, quia tunc Apostoli praedicationi minime vacabant. Unde Chrysostomus: Venit Simon piscari, quia neque Chistus continue cum eis erat, neque spiritus datus erat, neque quid commissum erat, tunc neque quid habentes agere, tunc artem tractarunt, & ex hoc non habetur, quod perfecte teneantur operari manualiter, nisi forte cum non habent spiritualem & meliorem exercitationem. Praeterea esto, quod vir perfectus tenetur manibus suis operari, ex hoc tamen non potest inferri, quin pro sui humiliatione & aliorum aedificatione posset eleemosynas humiliter petere pro loco, & tempore.

Ad VII. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod nullatenus aliquid desiderandum nec petendum, dicendum, quod dupliciter potest quis petere ab aliquo vel propter desiderium alienae rei, vel propter desiderium alienae salutis. Primum prohibet Apostolus tamquam malum, & in lege prohibitum, qua dicitur: Non concupisces rem proximi tui. Secundum autem non prohibet, quia lex charitatis hoc non prohibet, quae mutuis habet beneficiis consoveri, & onus alterius facit ab altero supportari. Quid enim tam absurdum est, quam ut credamus Apostolum denegasse, quod nullus ab altero petat nec beneficium, nec auxilium, nec solatium, ex pietatis, & charitatis fine? Et quod per illud sit verum, apparet per illud quod dicit Apostolus de seipso, regratians eis de beneficio collato. Non quaero datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Secundum enim quod exponit Augustinus lib. 13. confessionum: Datum quaerit, qui delectatur praecipue in re accepta; fructum requirit, qui delectatur in salute aliena. Haec est verborum Augustini sententia, licet verba sint mutata.

1 Thes. 4.
Phil. ult.

Ad VIII. Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod egestas facit a justitia declinare, dicendum, quod sicut divitiae non sunt in culpa, sed cupiditas divitiarum; sic egestas in culpa non est, sed impatientia egestatis, quam qui habet a justitia declinat, dum fugiendo egestatem, vadit post pecuniam, quam qui sequitur de facili, declinat a justitia. Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & desideria multa & nociva. Et sicut talis egestas est mala, sic & mendicatio ex tali egestate

state proveniens culpanda. Cum autem plus placet penuria, quam abundantia, & homo propter amorem paupertatis contemnit abundantiam terrenitatis, talis non habet occasionem declinandi pro tali egestate a justitia, & talis est paupertas & mendicatio, quæ spectat ad perfectionem Evangelicam. Et quod ista responsio sit recta, patet per ipsam Glossam, in qua dicitur, quod egestas, dum saturari cupit, declinat a justitia. Egenus est, qui cupit saturari. Est egenus qui non amat paupertatem, sed saturitatem, non penuriam, sed abundantiam. Et talis non est pauper Evangelicus, aut cœlestis, qui mendicat ex supererogatione justitiæ; sed potius cupidus, & terrestris, qui mendicat ex vitiositate culpæ, secundum prius habitam responsionem.

Ad. IX. *2. Thes. 3.* Ad illud quod obiicitur de Glossa, quod vult Apostolus servos Dei corporaliter operari, &c. dicendum, quod illud velle, aut non est velle præcepti, sed admonitionis; aut si est velle præcepti, non se extendit ad omnes, sed ad eos, qui volunt egere, ad illos tantum se extendit, qui non possunt majora agere. Et ex hoc non colligitur, quod pauperum vita sit mala, qui manducant & manibus suis non operantur, sed melioribus & salubrioribus exercitiis occupantur. Et quod istud sit verum, manifestum est. Nam si verbum illud. Qui non vult operari, non manducet, simpliciter esset præceptum; tunc omnes essent in malo statu, qui manibus propriis victum suum non quærunt cum possent, & hoc esset damnare totum mundum. Quod iterum se non extendit ad pauperes voluntarios, & perfectos, hoc apparet ex ipsa Glossa, quæ dicit, ut non compellantur egestate necessaria petere. Tales enim non mendicant sicut egestate compulsi, sed sicut amore perfectionis inducti. Postremo, quod non se extendat nisi ad eos, qui non sunt circa majora occupati, apparet ex ipso textu: *Ibidem.* Audivimus quosdam inter vos ambulare in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes, his autem qui ejusmodi sunt denuntiamus, ut cum silentio operantes, panem suum manducent. Et quod istud sit verum, patet per Ambrosium, qui super illud: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, dicit sic: Docet Dominus minora bona, pro utilitate majorum esse prætermittenda. Majus est enim animas mortuorum prædicando suscitare, quam corpus mortuum in terra abscondere. Unde & Apostoli dicebant. Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Apparet etiam per Hieronymum in prologo super Job dicentem sic: Si fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem meum, & ventris opus sollicita mente pertractarem, nullus morderet, nullus reprehenderet. Nunc autem, quia juxta sententiam Salvatoris, volo operari cibum, qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam sentibus, virgultisque purgare, error mihi geminus infigitur, corrector scriptorum falsarius vocor, & errores non auferre, sed serere. Hoc etiam apparet per beatum Augustinum in libro de opere Monachorum, ubi dicit, quod illi, qui habebant in hoc sæculo aliquid, quo facile sine opificio sustentarent vitam istam, quod conversi ad Dominum indigentibus dispertiti sint, quod tales ad opera manualia non tenentur, vel coguntur, nec ad quærendum victum proprium. Et rationem postea reddit inferius, quia illi, qui pauperes sustentaverunt, de eleemosynis pauperum sustentari debent, & possunt. Ait enim sic: Omnium Christianorum una Respublica est; & ideo quisquis Christianis ubilibet necessaria erogaverit, undecumque etiam ipse quod sibi necessarium est accipit, de Christi bonis accipit: quia & ubicumque ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit? Si ergo secundum Ambrosium, majora bona propter minora non sunt prætermittenda, & secundum Hieronymum, majora sunt bona prædicationis & instructionis, quam manualis operationis, & secundum

Amb super Luc. c. 9. *Act. 6.* *Hieron. in prolo. Job.* *Augu st. de opere Monach. c. 25. tom. 3.* *Ibidem.*

Augustinum, ad hujusmodi opera non astringuntur, qui fuerunt divites delicati; manifeste apparet, quod intenti prædicationi, & operibus misericordiæ spiritualis, ad hujusmodi opera non sunt astricti, sed debent, & possunt de eleemosynis sustentari. Et hoc est, quod Augustinus in eodem libro ante hæc verba præmittit, quod hujusmodi potestatem habent, si Evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum. Si enim corporalia opera faciendo meretur quis suum sustentamentum, multo fortius spiritualia opera imponendo, quæ corporalibus operibus merito præferuntur. Fateor igitur, quod verum est, quod si quis adeo esset potens & spiritu, & carne, quod posset corporaliter operari, & nihilominus pro loco, & tempore spiritualibus vacare exercitiis, & Ecclesiasticæ utilitati, quod agendo perfectius faceret. Sed quis ad hoc plene idoneus, cum multo labore sudatum sit, ut veritas cognoscatur, ut cognita diligatur; & cognita, & dilecta aliis proponatur? Ad hoc enim necessaria est continuitas lectionis, & orationis, & meditationis, quibus qui vult sollicite intendere, parum potest occupari circa corporalem laborem. Laudandus est igitur, & suadendus labor corporalis, sic tamen ut non impediatur fervor orationis, nec fructus prædicationis, nec observantia regularis.

Ibid. c. 21.

Ad X. Ad id quod obiicitur de Glossa, quod ad alienam mensam accedens, necesse habet adulari, dicendum, quod Glossa semetipsam exponit in hoc, quod dicit: Otio deditus, in quo insinuat, quod ille, qui alienam mensam quærit, & mendicat pro otiositate fovenda, ille pronus est ad blandiendum. Et quid mirum, si ille, qui diligit otium, & fovet ventrem suum, in verbum prorumpit adulatorium? Sed ex hoc non damnatur pauper Evangelista, qui ad alienam mensam convenit propter evangelizandum, & imitandum Christum. Nam si tales hoc ipso quod pauperes, & alienam mensam accedentes essent adulatores,

A tunc cum Christus Apostolos misit ad Evangelium prædicandum, & ad vivendum de sumptibus alienæ mensæ, potius fecisset tunc Apostolos suos adulatores, quam veros prædicatores. Ipse enim Christus fuisset adulator permaximus, qui frequenter invitabatur, & comedebat in domibus Pharisæorum. Unde si recte intelligimus, adulationis vitium potius est annexum divitibus mundanis, quam pauperibus Evangelicis, & voluntariis. Unde Chrisostomus in homilia super Matthæum loquens de divitibus, dicit sic: Adulari necesse est multos & principes, & subjectos, & multis indigere, & turpiter servire, & formidare, & suspi-

B cari, & timere eorum, qui suspicantur oculos, & timere calumniatorum ora, & aliorum, & avarorum concupiscentias. Sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium universum. Religio est non furibus subjecta, sed munita, portus tranquillus, & palæstra, & gymnasium philosophiæ. Audite quicumque horum pauperes estis, magis autem & quicumque ditari concupiscitis, non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse, & neque malum existima esse paupertatem, & non erit tibi malum. Et paulo post: Non enim mihi eos, qui accusant paupertatem afferas, sed eos qui per eam fulse-

C runt. Cum hac Elias educatus, raptus est illa beata rapina; cum hac Elisæus claruit, cum hac Joannes, cum hac Apostoli omnes. Cum avaritia vero Achab, Jezabel, Giezi, Judas, Nero, Caiphas condemnati sunt.

Ad illud quod obiicitur de decreto Urbani, dicendum, quod triplex est defectus in allegatione illius decreti. Primus, quia decretum illud est ad Episcopos, qui debent pascere mendicantes, non ad illos, qui egent. Unde sicut illa lex Deuteronomii: Non erit omnino indigens, & mendicus inter vos, non est data contra mendicitatem pauperum, sed contra tenacitatem divitum, quod patet per hoc quod eodem capitulo subjungitur: Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcirco præcipio tibi **Ad XI.** Deut. 15. Ibid.

bi ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi. Sic & hic lex datur Episcopis abundantibus, ad sustentationem pauperum clericorum, & eorum potissime, qui non egent voluntarie, sed compulsi, ne propter indigentiam efficiantur circa divinum obsequium indevoti. Secundus defectus est, quod decretum illud inducitur ad probandum, quod clerici non debent habere proprium, sicut apparet in fine capituli, ubi dicitur: His omnibus claret, quod clericis nullo modo licet proprium habere, quod si habuerint, non erunt clerici. Unde per illud decretum non præcluditur via pauperibus, qui nihil volunt habere proprium, sed potius aperitur. Tertius defectus est, B quia sicut habere proprietatem in communi comprobatum & approbatum est auctoritate summi Pontificis, scilicet Urbani, sic modus vivendi in altissima paupertate auctoritate summi Pontificis approbatus est, sicut patet de excessibus prælatorum: Nimis prava, & cætera. Unde decretum Urbani Papæ præjudicare non potuit auctoritati Innocentii, Honorii, & Gregorii, qui istum modum approbaverunt tam in jure communi, quam in privatis privilegiis, quia non habet imperium par in parem, & constitutio prior non præjudicat posteriori, nec commune privato, nec lex communis privilegio, sed potius e converso. C Nec ex hoc potest argui instabilitas, seu contradictio inter rectores Ecclesiæ, quia statuta mutari possunt, & debent pro loco & tempore, sicut patet in statuto de gradibus parentelæ, & aliis plurimis, quæ juste a principio statuta fuerunt, & nihilominus alia non minus juste introducta sunt.

Ad XII. Ad illud quod obiicitur de consecratione Ecclesiæ: dicendum, quod & in illius decreti allegatione, tripliciter defectus est. Primo, quia statutum illud de consecratione Ecclesiæ non dotatæ, factum est in alleviationem Episcoporum. Secundo, in dilationem divini cultus. Et tertio, in solationem clericorum ministrantium, qui nolunt se astringere A voluntarie ad paupertatis votum. Horum autem contrarium in proposito invenitur. Nam minus gravantur, & Episcopi, & Ecclesia de religiosis viventibus de eleemosynis, quam si eis provideretur in beneficiis, & præbendis. Secundo, quia cultus Dei non augmentaretur, sed potius diminueretur, si hic modus vivendi de medio tolleretur. Tertio, quia tales pauperes voluntarii libentius Deo serviunt mendicando, quam etiam Deo servirent pro magno beneficio, & magis sunt contenti parvulis eleemosynis, quam magnis beneficiis & præbendis.

Ad illud quod obiicitur de lege, & de mendicantibus validis, dicendum, quod similiter triplex defectus est in illius legis allegatione. Primus, quia lex illa introducta fuit contra quosdam, qui tempore famis pauperum eleemosynas usurpabant, simulantes inertiam. Secundus, quia illi tales onerosi erant, & nullam utilitatem reipublicæ afferebant. Tertius, quia tales qui laborare poterant, & tunc in nihil occupati erant, & abundare volebant, proni erant ad maleficia & rapinas. Et ideo, justo judicio rector reipublicæ tales a mendicatione arcebat, & pœna gravissima puniebat. Secus autem omnino in pauperculis religiosis, in quibus, nec simulatio inertiæ, nec amor otii, nec periculum rapinæ, ac per hoc nec damnum Ecclesiæ, sed potius amor virtutis perfectæ reperitur, ideo non arcentur lege humana, sed potius prædicantur lege divina. Ad XIII

Ad XIV. Ad illud quod obiicitur, quod mendicare est indifferens, dicendum, quod mendicare quantum est de se non est perfectionis, nisi præsupposita universali abrenuntiatione omnium, quæ quidem est, secundum divinum consilium, in quo Dominus expressit adolescenti, quod si illud impleret, hoc ipso ad perfectionis cumulum perveniret. Ait enim: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia; nec addit, tradite mihi, ut in loculos meos ponam, & sint omnia communia; sed potius, Da pauperibus, nec subjunxit: Vade ad lucrandum victum tuum per laborem manuum, Matt. 19.

sed

sed potius, Veni sequere me. In quo secundum quod Glossa exponit intelligitur vocatio ad contemplandum. seu ad Christum imitandum & Evangelizandum.

Ad XV. Ad illud quod obiicitur, quod perfectionis est liberaliter servire, & obligationes refugere, dicendum, quod est obligatio veniens ex reatu culpæ, & ex affectu charitatis perfectæ: Prima obligatio est vitanda, sed secunda est acceptanda. Juxta quod dicitur: Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Laudat enim Dominus amicitiam spiritualium virorum, quæ fit de mammona iniquitatis, & ad corporis Christi mystici perfectionem spectat, quod membra sibi invicem communicent, secundum rationem dati & accepti, ut mutua diligentia vicissim possit impleri. *Rom. 13*

Ad XVI. Ad illud quod obiicitur, quod qui mendicant ex professione, aut hoc faciunt, quia pauperes, aut quia prædicantes, dicendum, quod hoc faciunt, quia pauperes Christi imitatores, & Evangelizatores, quia enim Christum imitantur per observantiam disciplinæ regularis, in qua vacant divinis laudibus, orationibus, vigiliis, & aliis regularibus disciplinis, & Deum colunt, & hostem impugnant, & ea quæ sunt infirma, & non munita in castris Ecclesiæ protegunt & defensant. Rursus, qui verbum veritatis annuntiant, similiter Deum laudant, & hostem impugnant, & audientes ædificant, & informant, & ideo cum hæc opera eorum sint Ecclesiæ valde utilia, & pernecessaria, nulli dubium est, quin mereantur sustentationem suam, & ideo non illicite faciunt, si hanc humiliter, & suppliciter petunt. Sicut enim oculus videndo, operationem facit manui pernecessariam, ita quod manus oculo non potest improperare, nec dicere, opera tua non indigeo; quinimo utilis est toti corpori ejus operatio, & sic meretur sustentari, sicut manus & pes, & membra alia, quæ sunt exposita labori; sic & de istis membris Ecclesiæ non absurde debet, & potest intelligi, si quis pio oculo velit istorum oculorum operam, & vigilantiam intueri.

A

Ad XVII. Ad illud quod obiicitur, quod tales sunt Giezi imitatores, quia spiritualia pro temporalibus ministrant. Ad hoc satis sufficienter respondet Glossa super illud: Dispensatio mihi credita est. Non debemus ideo Evangelizare ut manducemus, sed ideo manducare ut Evangelizemus, ut cibus non sit bonum quod appetitur, sed necessarium quod adjicitur, ut illud impleatur, Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adiicientur vobis. Unde si finem constitueret quis in re temporali prædicando verbum Dei, absque dubio hic perversus esset, quia de via faceret finem, & esset similis Giezi, & Balaam, qui mercedem iniquitatis amavit, & aliis pseudo-prophetis, qui in mercede docebant, & in muneribus divinabant. Si autem sustentationem quærunt, sicut viam ordinatam ad Evangelium prædicandum; tunc recte incedunt, & Apostolos imitantur, nec a veritatis tramite in quoquam recedunt. Unde super illud: Edentes & bibentes, quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua, Glossa dicit: Nota quod uni operi prædicatorum, duæ mercedes debentur, una in via, quæ nos in labore sustentat, alia in patria, quæ nos in resurrectione remunerat. *1. Cor. 9.* *Matt. 6.* *Luc. 10.*

B

C

Ad XVIII. Ad illud quod obiicitur, quod perfectorum est abstinere a specie mala, dicendum est, quod illa species est mala, dum homo rationabiliter potest suspicari malum, circumstantiis omnibus pensatis quæ occurrunt, sed si quis recte attendat hujusmodi sic, prædicantes non habent speciem pseudo-prædicatorum. Nam pseudo-prædicatores dicuntur per oppositum ad veros prædicatores. Veri autem prædicatores dicuntur, quorum prædicatio habet auctoritatem, veritatem, & utilitatem. Falsi sunt qui habent horum contraria, vel simpliciter, vel in parte. Sed si certe velimus attendere modernum Ordinem, prædicatores hæc tria habent in se, auctoritatem quidem, quia missi sunt a Summo Pontifice, & aliis Prælatis, *Qui sunt veri, & qui falsi prædicatores.*

qui

qui sunt domini messis; veritatem, sicut patet, quia fidem & mores prædicaverunt secundum legem Evangelii: utilitatem, quia multos de statu culpæ vocaverunt ad statum pœnitentiæ, & ideo speciem habent, & similitudinem majorem incomparabiliter, si quis pio attenderet oculo ad prædicatores veros, quam ad pseudo, licet in tanto numero, vix possit esse, quin aliqui cum Juda diligant loculos, & exorbitent ab itinere recto. Si enim Dominus hoc non concessit duodecim Apostolis quos personaliter elegit, quod universaliter essent boni, quid mirum si hoc non concedit congregationibus aliis, nec tamen propter hoc non sunt boni damnandi, cum malis, sicut nec mali justi sunt, licet sint permixti cum bonis.

Ad XIX Ad illud quod obiicitur, quod aut habent auctoritatem, aut non habent, dicendum quod habere auctoritatem, hoc est dupliciter, aut ex prima institutione, aut ex commissione, seu demandatione, vel per alia verba, aut ex injuncto Officio, aut ex concesso privilegio. Prima est auctoritas principalis, & potestativa, & spectat ad Apostolos, & ad Septuaginta, & eorum successores, qui sunt Episcopi, & alii Curati, sicut Glossa in Lucam dicit: Secunda est auctoritas minus principalis, & potest subauctoritas non absurde dici, & competit his qui ab Apostolis mittuntur tamquam discipuli, sicut Paulus suos discipulos mittebat ad loca diversa, & potissime ei competit, qui est loco Petri principis Apostolorum, immo loco Christi, qui est Dominus universalis messis, propter quod, & habere dicitur plenitudinem potestatis. Sicut ergo primis habentibus auctoritatem principalem, competit sumptus accipere potestative, sicut dicit Glossa, secunda ad Timotheum secundo: Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Ibi Glossa: Necessaria sibi sumere ab his in quibus Deo militat, & quos tamquam cultor vineæ exercet, vel tamquam gregem pastor, non est mendicitas, sed potestas. Sic illis quibus com- 2. Tim. 2.

A petit auctoritas subprincipalis, competit accipere supplicative. Quod disposuit Spiritus sanctus ad Ecclesiæ utilitatem, ut non tantum efficeretur verbo prædicationis, verum etiam verbo humilitatis: quomodo ergo didicit a Christo mitis esse, & humilis corde miror, si hanc humilitatem, & humiliationem audet tamquam reprobam condemnare.

Ad illud quod obiicitur, quod tutius, & perfectius est sequi viros probatiores, & sapientiores, dicendum, quod secundum dispositionem divinæ sapientiæ Deus universa disponit, & ordinat temporibus suis. Unde sicut in primo tempore Ecclesiæ introduxit viros potentes, & miraculis, & signis sicut fuerunt Apostoli, & eorum discipuli, & medio tempore viros intelligentes in scripturis, & rationibus vivis: sic ultimo tempore introduxit viros voluntarie mendicantes, & pauperes rebus mundanis. Et hoc quidem recte congruebat, ut per primos destrueretur idololatria & idolorum portenta, per secundos hæresis, per tertios avaritia, quæ in fine sæculi maxime regnat. Nihilominus tamen, quia paupertas fundamentum est Evangelicæ perfectionis, & ipsa est quasi complementum ejusdem, ideo viguit in Ecclesiæ primordio, & congruum est, ut vigeat circa Ecclesiæ statum finalem. Unde sicut Hieronymus dissolvit quæstionem illam de esu carnium 35. distinct. Ab exordio, dicens; quod in primo tempore ante diluvium non erat in consuetudine esus carnium, & postea post diluvium communiter fuit omnibus concessus, & post in adventu Christi laudabilis fuit abstinentia ab esu carnium. Unde dicit ibidem, quod ω, revolvit ad α, id est finalis status concordavit cum primo. Sic satis convenienter intelligi potest, & in proposito. Sicut tamen Hieronymus non intelligit de abstinentia carnium quantum ad omnes, sed quantum ad monachos solum: sic nec de paupertate, intelligendum puto, nisi quantum ad pauperes voluntarios, qui voluntarie renuntiaverunt mundo. Nolo, tamen quod ali- Ad XX. B C Hieron. l. 1 adu. Joviniam.

aliquis ex hoc arguat, quasi ego dicam, quod jam instet dies Domini, nec quod proprias fimbrias magnificem, & dilatem, volens coram hominibus justificari, quod præferam modernos Sanctis antiquis, quia in magno, & alto statu inveniri possunt multi infirmi, & imperfecti, nec iste spiritus paupertatis defuit temporibus retroactis. Juxta quod dicit Gregorius tertio dialog. de quodam sanctissimo viro Isaac nomine, qui fuit amator præcipuus paupertatis. Unde & de eodem dicit: Cum ei discipuli innuerent, ut per usum monasterii possessiones, quæ offerebantur, acciperet; ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat dicens: Monachus qui in terris possessionem quærit, monachus non est. Sic quippe metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari solent perituras divitias custodire. Ibi itaque prophetiæ spiritu, & magnis miraculis, cunctisque longe lateque habitantibus vita ejus claruit. Ex quo apparet, quod ejus doctrina contemnenda non fuit. Hoc etiam supra ostensum fuit multiplicibus exemplis, & adhuc multo pluribus posset ostendi. Et si nulla exempla essent, satis per seipsum laudabilis esset status excellentissimæ paupertatis, non solum secundum Scripturam sacram, verum etiam secundum documenta Sanctorum, quæ paupertatis statum voluntarium commendant, tamquam præcipuum, & perfectum. Sicut ergo absurdum est valde, reprobare statum conjugatorum divitum, absurdius statum clericorum, & religiosorum possessiones habentium; sic absurdissimum videtur, si quis inveniatur, qui reprobare velit statum pauperum in paupertate altissima, & mendicatione humillima Christo Domino famulantium, juxta consilium per os Jesu Christi propositum, & irreprehensibiliter promulgatum. Horum causam defendit Hieronymus: Ad me relatum est, inquit, quod contra auctoritatem Apostoli Pauli, immo Petri, Joannis, & Jacobi, qui dexteras dederunt Paulo, & Barnabæ communicationis, & præceperant eis, ut pauperum memores essent, tu prohibeas Hierosolymam in usus sanctorum, aliqua sumptuum solatia dirigi. Videlicet si ad hæc respondeo, latrabis meam me causam agere, qui tanta cunctos largitate donasti, ut nisi venisses Hierosolymam, & tuas vel patronorum tuorum pecunias expendisses, vel effudisses, omnes periclitaremur fame. Ego hoc loquor quod beatus Paulus pene in cunctis Epistolis suis loquitur, & præcipit in Ecclesiis gentium per unam sabbati, hoc est die Dominico omnes conferre debere, quæ Hierosolymam in sanctorum solatia dirigantur. Numquid in alia parte terrarum, & in his Ecclesiis quas nascentes fide sua erudiebat quæ ab aliis acceperat, dividere non poterat, sed Sanctis pauperibus dare cupiebat, qui suas pro Christo facultatulas relinquentes, ad Domini servitutem tota mente conversi sunt? Longum est enim nunc, si de ceteris Epistolis ejus omnia testimonia revolvere voluero, in quibus hoc ait, & tota mente festinat, ut Hierosolymam, & ad sancta loca credentibus pecuniæ dirigantur, non in avaritiam, sed in refrigerium, non ad divitias congregandas, sed ad imbecillitatem corpusculi sustentandam, & frigus atque inediam declinandam. Hac in Judæa usque hodie perseverante consuetudine, non solum apud nos, sed etiam Hebræos, ut illi qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra, nisi solum Deum, synagogarum, & totius orbis foveantur ministeriis, ex æqualitate dumtaxat, non ut aliis sit refrigerium, & aliis tribulatio, sed ut aliorum abundantia aliorum sustentet inopiam. Hæc Hieronymus: His visis satis plana est responsio ad prædicta.

Greg. l. 3 Dial. c. 14 ante med.

Hieron. in epist. adversus Vigilantium.

HIS autem, quæ prædicta sunt conatus est aliquis multipliciter adversari, quædam ex eis refellere volens, tamquam impertinentia, quædam ut falsa, quædam ut inconsequentia, quædam ut dubia, plurima autem ex eis, tamquam doctrinæ Apostolicæ inimica. Hoc autem

tem facit respondendo cuidam quæstioni minus sufficienter post collectæ in scholis, salva gratia colligentis, sicut melius potest apparere in prænominata quæstione. Primum igitur, impertinentia reputat quæcumque inducimus de discipulis Christi ad prædicandum missis, quia illis data erat auctoritas necessaria accipiendi, non ex mendicitate, sed ex potestate. Qui autem prædicant absque auctoritate, pseudo sunt, & ideo neutro modo, nec ex auctoritate, nec ex mendicitate petere debent. Et si dicatur, quod tales a Papa, & ab Episcopis missi sunt, dicit, quod ab Episcopis sunt pascendi extra de officio judicis ordinarii, Inter cætera. Fuit igitur data forma prædicantibus ex officio, & auctoritate, sed ad tempus, ut impedimenta amoverentur, & ideo auctoritates, tam textus, quam Glossarum in hoc casu impertinentes videntur ad propositum, secundum eum qui quæstioni prædictæ videtur adversari.

Hujus autem obviationis apparentiam sophisticam facile est detegere, si quis intelligat radicem potestatis in Apostolis, & Prælatis, & nuntiis destinatis ab Apostolis. Certum est enim quod hæc radicaliter fuit in Christo, secundum quod dicit Apostolus, quod erat Apostolus per
Gal. 1 Jesum Christum, & dicit Dominus:
Sicut misit me Pater, &c. Dedit au-
Joan. 20 tem Christus Apostolis eos mittendo duplicem potestatem, scilicet prædicandi, & exigendi sustentationem suam. Et has potestates constat esse distinctas, quia cum Episcopus possit semel in anno procurationes suas in uno loco exigere, potest tamen cum voluerit prædicare. Igitur summus Pontifex qui Christi locum tenet in terris, potest utrumque simul dare, potest, & unam ab alia separare. Quoniam ergo Summus Pontifex, & Prælati non possunt omnia, quæ ad eos spectant exercere personaliter, per seipsos propter diffusos populos sibi subjectos, ordinavit Spiritus sanctus in regimine Ecclesiæ, ut ipse mitteret aliquando legatos, qui utramque haberent potestatem. Et rursus ne particulares Ecclesiæ gravarentur, ordinavit ut Episcopi mitterent personas idoneas ad prædicandum, & confessiones audiendum, quibus etiam ipsi providerent, Extra de officio judicis ordinarii, Inter cætera. Ordinavit etiam, ut ipse cum Prælatis mitteret pauperes voluntarios, & peritos, quibus nec ipsi essent astricti ad exhibendum, ne gravarentur multitudine sumptuum, nec potestatem haberent ad exactionem procurationum, propter tollendum gravamen subditorum, & ita qui humiliter intercederent tamquam pauperes, & contenti modicis, & sola necessaria suscipientes, & necessitatem suam cum opus esset humiliter insinuantes his qui voluntarie sine gravamine, & cum hilaritate supportare & relevare, & possent, & vellent. Unde sicut decretum de officio judicis ordinarii a Sede Apostolica emanavit, sic & confirmatio ordinis, & regulæ hujusmodi pauperum prædicantium veritatem, Extra de excessibus Prælatorum. Nimis prava, ut habitum est supra. Nec hoc factum est in præjudicium, sed potius in adjutorium parochialium sacerdotum. Nec ex hoc Ecclesia prostituitur, si Curatis Deus providet adiutorium, ut animas sibi commissas quarum habent curam, ab omni corruptione peccati perfectius custodiant incorruptas, adminiculantibus sibi viris spiritualibus non ut dominis, vel curam habentibus, sed potius velut servis per charitatem Christi. Tales igitur, quia missi prædicant in humilitate, & paupertate, similes sunt viris Apostolicis non pseudoprophetis. Quia vero non habent illam plenitudinem auctoritatis quam habent Prælati, habuerunt Apostoli, ideo inter opitulationes numerandi sunt,
dicente Paulo: Posuit Deus in Ec- 1 Cor. 12
clesia primum Apostolos, secundo c, & b, &
prophetas; tertio Doctores, deinde Ephes. 4
Virtutes, exinde opitulationes, &c. Glossa: Opitulationes, idest eos qui majoribus ferunt opes, ut Titus Apostolo, & Archidiaconi Episcopis. Inter eos etiam numerari possunt, quos Pastor Ecclesiæ Dei statuit opem aliis ferre. Et ideo ego dixi juxta

mo.

morem sermonis Theologici, qui dicit subauctoritatem esse in eo, qui mittitur, quod subauctoritatem habent non ad excusandas excusationes in peccatis, ut mihi imponitur, sed potius ad intelligentiam veritatis. Forma igitur præscripta Apostolis, debet & potest competere istis. Quod enim dicitur quod fuit temporalis, cum ex Scripturis auctoritatem non habeat, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Rursus si conveniens fuit forma in Ecclesia primitiva, quare non similiter in finali, quantum ad eos, qui Apostolos in hac forma imitari volunt. Non enim dico, quod universalis Ecclesia in omnibus ad paupertatem reducenda sit, sicut rabies mihi imponitur, sicut ex verbis meis superius apparet; sed qui volunt, possunt Apostolorum imitari perfectionem, & paupertatis altitudinem. Unde exemplo Apostolorum ex verbis Evangelii in Ecclesia recitatis incitatus fuit beatus Franciscus ad egrediendum hujusmodi modum vivendi sicut ex legenda sua clarius elucescit. Quod igitur super illa verba Ordo hujusmodi fundatus est, non sunt illa impertinentia, sed per omnem modum pertinentia, tamquam hujus modi vivendi stabilissima fundamenta. Sunt igitur tales suscipiendi, quia proficiscuntur, ut pauperes pro nomine Christi, sicut in Canonica Joannis dicitur quod qui tales recipiunt, sunt cooperatores veritatis. Igitur qui talibus adversantur, & eos non recipiunt, vel non suscipiendos dicunt, similes sunt Diotrephi, de quo dicit Glossa quod hæresiarcha etiam fuit illius temporis: cujus doctrina & secta procul sit ab omnibus Christianis.

3. Joan. 1.

Refellere conatur aliqua sicut falsa. Nam falsum esse asserit, quod Christus aliquid petierit ut mendicus. Nam etsi mendicus dicatur in Psalmis, hoc dicitur inquantum petiit a Patre, vel inquantum assumpsit nostras infirmitates. Si dicatur a Samaritana petiisse aquam, & a Zachæo hospitium, hoc non fuit ex mendicitate, sed ex auctoritate, vel urbanitate. Et rursus si etiam men-

A dicasset ad consequentiam trahendum non esset; falsum esse nihilominus dicit, quod aliqua mendicatio sit voluntaria, immo omnis debet esse invita & coacta. Hanc autem obviationem, quæ falsitatem veritati impingit, facile est de falsitate convincere, si quis veritatem pie velit audire. Nam quod Christus fuit mendicus, & textus propheticus, & Glossæ testantur, & quod petierit ut mendicus, sicut allegatum fuit in opponendo in secunda Glossa, & similiter in Psalmo illo: Deus in adjutorium meum intende. Super illud: Ego vero egenus, & pauper sum, dicit Glossa: Assumit iste sibi verba Dei, quæ in præcedenti Psalmo, hæc eadem de se dixit, quasi

Psal. 69.

B diceret: Illi qui quærunt animam meam sunt divites; sed ego sum egenus, idest petens, & pauper, idest insufficiens mihi, quia & mundanas copias non habet, & intus ubi est dives semper ambit, desiderat, & accipit. Secundum hanc constat, quod Christus fuit egenus & pauper, & petens ut egenus, non a Patre tantum, tunc enim omnes hoc modo essent mendici, & nulli divites etiam habentes copias, quod est contra Glossam. Præterea Christus adhuc petit a Patre, Angeli petunt, & Sancti comprehensores, sed tamen non dicuntur mendici. Ex quo igitur testimonio tam ex-

C presso textus hic dicit, & Glossa consentit, & nulla auctoritas contradicit: quare non fatebimur, quod Christus ut mendicus petierit? Fatemur enim eum fuisse virginem, & uxore caruisse, licet Scriptura de hoc non faciat mentionem. Euangelium etiam exprimit quod petiit & potum, & hospitium, & constat quod non ex imperio, & dominio, & auctoritate: quia tunc exemplum paupertatis non dedisset, falsum etiam dixisset, quod non haberet ubi caput suum reclinaret, cum haberet subditos, a quibus posset procurationes exigere, & minus juste egisset in hoc, quod prædicabat in Hierusalem, & pascebatur in Bethania, alibi faciens fructus, & prædicans, & alibi accipiens emolumentum.

Sed

Sed dices, quod petiit ex urbanitate. Sed numquid Christus accepit paupertatem ad docendam urbanitatem? numquid propter curialitates humanas docendas fieri voluit egenus & pauper? numquid se magistrum vocat curialitatis, & non magis humilitatis? Discite a me, inquit ipse, quia mitis sum, & humilis corde. Petiit igitur ex humilitate, quod opportunum erat ad relevandum suam indigentiam, ac per hoc ut mendicus pauper. Et constat, quod hanc indigentiam non habuit nisi quia voluit, nec petiit, nisi quia voluit quia lapides in aurum cum voluit convertere potuit, sicut discipulus ejus fecit Joannes Evangelista, illis mendicare, & egere volentibus, & evangelizantibus, qui conversi fuerant retro, qui postmodum mendicitatem, & paupertatem gemmis pretiosis prætulerunt, ac per hoc constat, quod Christi & ejus sequacium est voluntarie mendicare, alioquin minime mererentur in hac mendicatione & paupertate. Nam absurdum est dicere, quod paupertas & egestas sint voluntariæ, & mendicatio ex ipsa procedens sit coacta. Si ergo in Christo fuit ex paupertate, & humilitate, & voluntaria, quare non est trahenda ad consequentiam, cum ipse dicat: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde? Cum etiam ceteros volentes ad summum apicem perfectionis venire, invitet ad sequendum se per hujusmodi paupertatem; Vade, inquit, & vende, &c. Et Apostolus dicat: scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi. Et post consilium, dicit Glossa, ut ejus paupertatem imitemini, cum etiam ista sit perfectio, quæ omnibus communiter proponitur, & dicitur: Qui potest capere capiat; cum Augustinus super Joannem dicat: In omnibus, quæ Christus gessit ut homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum? Cum Hieronymus dicat, quod etiam si in miraculis non sit a nobis imitandus, in his quæ humiliter gessit imitandus est a nobis? cum etiam ipse fuerit universalis forma virtutum in actibus suis. Unde Augustinus de vera religione: Nullum pec-

Matt. 11

Matt. 11

Matt. 19

2 Cor. 8

A catum committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempsit, aut fugiuntur, quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Quis igitur audeat dicere, quod non sit trahenda ad consequentiam, nisi qui audet dicere, quod Christo non debetur imitatio in his quæ humiliter gessit? Hoc autem si dicimus quidquid sanctitatis, virtutis, & perfectionis est, & religio Christiana confunditur, & subvertitur, & etiam enervatur, quia qua ratione de hoc dicitur; eadem ratione & de aliis exemplis virtutum dici poterit; absit autem hoc ab omnibus cordibus Christianis.

B Refellere nititur nihilominus aliqua sicut inconsequentia. Dicit enim quod non sequitur, quod quamvis egestas, sit conveniens perfectioni Sanctorum, quod propter hoc & mendicitas, quæ egestatem aliquando concomitatur, quod similiter posset argui de manducatione filiorum, & de furtis, & rapinis, quæ ex egestate, & paupertate pluries subsequuntur. Inconsequens etiam dicit, quod licet beatus Benedictus fuit perfectus, & propterea accipiendo ab illo Romano eleemosynas quotidianas opus egerit ad perfectionem spectans, quia perfectus multa facit quæ ad perfectionem non spectant, C sicut comedere, egerere, &c. consimilia. Inconsequens etiam dicit, quod licet seipsum vilificare, & humilitare pro Christo sit bonum, quod propter hoc humiliare se mendicando sit bonum; quia mendicare non est seipsum humiliare, sed sui curam agere. Et iterum meretrix seipsam vilificat prostituendo, nec tamen in hoc placet Domino: pari modo nec vilificatio, qua quis se vilificat mendicando. Has autem instantias fœdas, quia fœda proponit exempla, & mendicitatem fœdare nititur, facile est spirituali viro respuere tamquam fœdas, falsas, & fictas. Invenimus enim viros Christianos, & perfectos in suis legendis non laudari de crudelitatibus in manducandis hominibus, vel de cu-

Greg. 2 Dial. c. 1

piditatibus in prædis agendis, vel de egestionibus, fornicationibus, & hujusmodi similibus; laudari autem, & prædicari inveniuntur, quod in tanta penuria vivere elegerunt, quod non habebant victum neque vestitum, nec habere volebant tamquam divites, sed potius mendicare humiliter tamquam pauperes, & despecti, sicut apparet in exemplis supra introductis. Nam quod ad egestatem sequatur comestio filiorum, hoc est contra ordinem naturæ; quod sequatur furtum & rapina, hoc est contra ordinem morum & justitiæ. Quod autem sequatur insinuatio suæ necessitatis ad proximum, & postulatio subsidii pro amore Dei, hoc est secundum ordinem charitatis, & pietatis tam naturalis, quam etiam gratuitæ & spiritualis. Nam omnis lex mandat proximum a proximo foveri & relevari. Quomodo igitur simile est de hoc quod ordinem pervertit, & est secundum ordinem perversum, ad hoc quod sit secundum ordinem rectum, justum, & bonum charitativum, & pium? Laudatur igitur Romanus Monachus, quia secundum legem charitatis beato Benedicto procurabat, & Benedictus, quia humillime suscipiebat. Nusquam autem invenies eum laudatum, quia egerebat, & stercorizabat, hoc enim valde est abominabile in medium introducere, cum agitur de laudibus Sanctorum. Laudatur enim mendicans, licet curam sui agat, non quia hoc facit qualitercumque, sed quia facit humillime. Unde sicut sobrie comedere est actus virtutis, licet comedere sit curam sui agere, sic & in proposito intelligendum est. Unde Chrysostomus super Matthæum loquens de pueris sanctis, qui erant in palatio Regis Babylonis, ait sic: Sancti itaque existentes & justi, decies millies elegissent mendicare domi, & eis quæ in templo erant potiri bonis. Elegi enim, ait, abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Decies millies itaque elegissent abjecti esse domi, quam regnare in Babylonia. Est ergo in mendicatione humiliatio, & vilificatio sui Deo accepta, alioquin a sanctis pueris non esset eligenda. Eligitur autem eo quod cura sit sui cum humilitate sua. Illi autem, qui curam carnis suæ agunt in desideriis, & concupiscentiis, illi proculdubio non laudantur, sicut meretrix quæ seipsam prostituit amore pecuniæ vel fervore libidinis. Sed absit hoc a fidelium cordibus, ut humiliatio virorum spiritualium in mendicatione sit similis vilificationi meretricis in sui prostitutione. Nam membra Christi non sunt tollenda, ut fiant membra meretricis. Christus autem de se in forma servi, & etiam pro suis membris dicit: Ego sum mendicus, & pauper, Dominus autem sollicitus mei. [Ps. 39] Quod nequaquam diceret, nisi esse mendicum pro Christo adeo placeret Deo, ut Deum faciat gerere curam nostri specialissimam, sicut gerit pater de filiis, quod de meretricibus & meretricantibus sentire procul sit ab auribus & mentibus Christianis.

[Chrys. homil. 4 super Matt. longe post med.]
[Ps. 83]

Refellere nihilominus conatur aliqua alia velut dubia. Nam ad illud, quod dicitur de beato Alexio, quod mendicavit, & Francisco, quod miraculis hoc confirmavit; respondet, Proba tamquam dubia & incerta, addens quod etiam si miracula essent facta, non esset adhuc certum, quia multi mali miracula faciunt, & quod de panibus etiam furtim sublatis possent miracula fieri, nec tamen ex hoc constaret, quod bonum esset furari. Dubium etiam dicit, quod Romana Ecclesia approbaverit mendicationem, quia si hoc faceret, errare convinceretur: similiter & si imponeretur in pœnam satisfactionis erraret, & hoc dicit nullatenus esse credendum. Huic autem obviationi per dubitationem se protegenti, sine dubio resistendum est. Nam si in dubium revocetur, quod legitur in legenda sancti Alexii, & legenda beati Francisci, pari ratione in dubium venit, quidquid legitur in legendis aliorum Sanctorum; ergo omnia exempla virtutum & gesta Sanctorum, jam revocantur in dubium. Sed dubia imitari vel credere periculosum est, ac per hoc pe-

rit

sit fides, devotio, & reverentia, quæ habetur in Sanctis, si in dubium revocentur cetera quæ narrantur de ipsis. Rursus si miracula quæ fecerunt non sunt testimonia efficacia ad sanctitatem eorum astruendam, stultizat hodie Ecclesia, quæ propter testimonia miraculorum, Sanctos canonizat, & catalogo Sanctorum ascribit. Postremo quis umquam audivit, quod Deus per furem panem furtim acceptum multiplicaret ad aliorum salutem? Audivimus tamen per mendicum pauperem, panem quem mendicando acquisierat multipliciter augmentasse: Quod si dicas, hoc speciale fuisse privilegium, & familiari Sancti Spiritus consilio esse factum, quomodo hoc aliis tradidit in legem, & regulam, in qua eos ad mendicationem invitat si sibi soli pro se solo est inspirata? Si dicas, quod ex proprio capite non per inspirationem, quomodo non potest esse damnatus, qui ad actum reprehensibilem, tamquam ad actum moris, & perfectionis, temerarie invitavit? Quomodo etiam sedes Romana de consensu Cardinalium hoc approbavit? Quod si dicas hoc non esse credendum, quod mendicitatem alicui imponat in pœnam, vel quod approbet pro regula, & vita sancta. Quod mendicitatem peregrinationis imponat, habetur de pœnitentia, ubi dicitur de sacerdote qui revelabat confessiones, quod deponatur, & omni tempore vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat, sed si viveret de labore honesto, vel de sumptibus propriis non pergeret ut vilis, sed potius ut honorabilis. Restat igitur, quod imponit, quod vadat ut mendicus. Quod autem pro regula approbet, patet per illud scriptum superius allegatum de excessibus prælatorum. Nimis prava: ubi dicitur, quod Ordinem, & regulam Prædicatorum, & Minorum sedes Apostolica noscitur approbasse. Patet etiam per regulam B. Francisci a domino Honorio approbatam, & confirmatam, ubi dicitur quod vadant fratres pro eleemosyna confidenter. Sed si erravit hoc approbando, & constat eum hoc approbasse, & confirmasse; constat etiam quod universalis

A

Ecclesia per totum mundum hujusmodi Ordines, & status acceptat: concludendum est ergo secundum dictum hujus hominis unius, quod universalis Ecclesia tota erravit, & decepta fuit, & qui hujusmodi statum erroneum invenerunt & approbaverunt, omnes damnati sunt, quod est horribilissimum, & incredibilissimum; quod Deus permitteret errare universaliter populum sanctum suum, & tantam multitudinem sapientium, qui hæc tempora præcesserunt. Quis autem tam sapiens, & tam justus, ut audeat ceteros præter se judicare fuisse deceptos & reprobos? mira est hæc sapientia, quæ omnium ostendit insipientiam: & mira justitia, quæ cæteros condemnat. Quod si hoc non sapientia, sed potius temeritas, sedem Apostolicam velle judicare, quæ a solo Deo judicatur, & ejus judicium, & sententiam reprobare, & tot viros sanctos in infernum retrudere, & in barathrum damnationis, procul ergo hæc fiant a cordibus fidelibus, & Christianis.

B

Refellere etiam conatur plurima, immo fere omnia tamquam doctrinæ Apostolicæ inimica, pro eo, quod dicit mendicationem ab Apostolo esse prohibitam, tamquam malam, & tantum in casu esse concessam. Dicit etiam me fuisse mentitum, & contra Scripturam, & Apostolum defendisse falsum, & defendere in hoc, quod dicit me dixisse, quod laborare opere manuali non sit præceptum. Dicit igitur, quod mendicare non est indifferens, sed malum; & ideo propter adjectionem circumstantiæ fieri nequaquam potest bonum, immo, quod plus est, in prædicantibus asserit esse simoniacum. Hoc autem suæ positionis fundamentum frequentius iteratum, facile est advertere esse ruinosum, cum omni eo, quod superædificatur. Nam si mendicare prohibitum est & mendicare, peccare; ergo esse mendicum, est esse peccatorem. Cum ergo Christus se dicat mendicum, immo Propheta in persona Christi, fatetur ergo Christus se esse peccatorem quod dicere

C

vel credere non parvum est flagitium, vel peccatum. Rursus si mendicare peccare est, mendicitas peccatum est, sive mendicatio. Sed super illud, ut ejus inopia vos divites essetis: Glossa dicit: Nemo se contemnat, pauper in cella, dives in conscientia securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. Non expavescas ergo cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus est nostra paupertate, ubi se pauperavit, nos ditavit. Ergo mendicitas disponit, non retrahit a divino accessu: constat igitur quod non est peccatum. Amplius Chrysostomus dicit: Mendicare in nullo offendit Deum, furari autem sive rapere offendit Deum, & hominem.

2. Cor. 8

Chrys. sup. Mat. hom. 70 circa fi.

B Hoc etiam patet per auctoritatem Chrysostomi superius allegatam de Homilia quarta super Matthæum. Non ergo est ab Apostolo prohibitum, nec invenitur alicubi hoc Apostolum prohibuisse, sed potius cum suis coapostolis commendasse. Nam & prædicavit, & procuravit, quod collectæ fierent in pauperes sanctorum, qui erant in Hierusalem, sicut eleemosynæ eis gratis impensæ, & dicit quod Petrus, & Jacobus dexteram dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentibus, ipsi in circumcisione, tantum ut pauperum memores essemus. Glossa: Pauperum, qui rerum suarum venditarum pretium ad pedes Apostolorum posuerant, memores essemus, ad opus illorum faciendo collectas. Si ergo Apostolus simoniacus non erat in hoc, quod collectas petebat, & discipulos mittebat, ad hoc ut peterent eleemosynas ab his, quibus spiritualia seminaverat, pro pauperibus qui erant in Hierusalem. Si Summus Pontifex Ordines statuat pauperes, qui spiritualia seminent, & de eorum quos ædificant verbo & exemplo eleemosynis gratuitis petitis, seu ultro oblatis vivant, ab Apostolo in nullo prorsus discordat, quin potius concordat cum tantam sicut ipse, & majorem potestatem habeat in gubernando, & disponendo ipsius Ecclesiæ membra.

1. Cor. 16

Gal. 2

Sed obiicies, quod Apostolus præcepit laborem corporalem in textu, & glossæ videntur dicere, quod hoc facit contra mendicitatem. Sed ad hoc est plana responsio. Esto quod Apostolus laborem hujusmodi manualem præcipiat, quod numquam negavi, sicut apparet in verbis meis, sed quod hoc non universaliter præcipit servis Christi, nisi forte in articulo necessitatis, in quo non patet licita via habendi victum, nisi per laborem manuum, sed præcipit personis determinatis, secundum quod apparet ex textu. Audivimus quosdam inter vos ambulantes in quiete, nihil operantes, sed curiose agentes, his autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes suum panem manducent. Et paulo ante: Denuntiamus ne subtrahatis vos, &c. Glossa: Incipit hic de curiosis & otiosis, monens ut corrigantur. Patet ergo ex serie textus & ex Glossa, quod mandatum illud se extendit ad curiosos, & otiosos. Similiter. Rogamus vos fratres ut operam detis, ut quieti sitis, & operemini manibus vestris, sicut præcipimus vobis. Glossa: Operemini, quod adiuvat vos quietos esse. Illud enim malum de otio venit. Et hoc etiam patet quod hoc dicit ad otium vitandum, pigritiam tollendam, quæ est sentina desideriorum, & fomentum peccatorum. Unde alibi ait:

2. Thess. 3

1. Thess. 4

C Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, &c. Ex hoc igitur patet, quod labor non omnibus præcipitur, ac per hoc non inhibetur mendicatio, nisi illa quæ venit ex otio & cupiditate, secundum quod insinuant textus & glossa.

Eph. 4

Sed obiicies de Augustino de opere Monachorum, qui loquebatur ad Monachos, qui spiritualibus erant exercitiis occupati & intenti, non otiosi, & illis dicit, quod ad hujusmodi opera sunt astricti. Ad hoc apparet manifesta responsio, si attendatur conclusio circa finem, qua confutat eorum positionem, qui repudiabant operationem corporalem, in quo male sentiebant; ibi: Quamobrem illi qui relicta, sive ampla, sive

Aug. l. de oper. Mon. c. 25 t. 3

sive qualicumque opulentia inter pauperes Christi vivere voluerint, si corpore valent, & ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, sed manibus operantur, misericordius agunt, quam cum omnia sua indigentibus diviserunt. Quod si nolunt, quis audeat cogere? Illi autem qui præter istam sanctam societatem vitam labore corporis transigebant, si non laborant, non manducent. Apparent igitur qui sunt astricti, scilicet validi & fortes, & qui ab Ecclesiasticis occupationibus vacant, & qui vitam in sæculo de labore corporis transigebant, & tales multi erant inter illos Monachos, & plures erant in exordio Religionis Minorum fratrum, & ideo ad labores arctandi. Nunc autem comparatione aliorum paucissimi sunt tales, & ideo non est contra Apostolum, si talibus conceditur simpliciter mendicare, maxime cum talis actus non sit multum appetibilis, nec delectabilis, nec honorabilis, immo repletus multis vilitatibus, & miseriis, ad quem nullius valentis viri cor posset inclinari, nisi in spe præmii, & amore CHRISTI, & desiderio proficiendi, cum adjutorio gratiæ Spiritus Sancti, sine qua vix credo, posset dives ad tantæ abjectionis incommodum inclinari. Nec tales gravant populum Domini, & Ecclesiam, maxime si nihil ultra necessaria petant, quia multo plura expenderent, & consumerent de eleemosynis pauperum, si clerici in sæculo in beneficiis præbendalibus remansissent, nec tunc quando modicum intenderent spiritualibus operibus, etiam in divitiis præcluderetur via salutis. Absit igitur, quod nunc præcludatur in tanta arctitudine paupertatis.

Epilogus hujus quæstionis. Ex jam dictis in hac quæstione de paupertate, ut cætera recolligamus in summa, apparet, quod sicut mendicare in pauperibus debilibus & infirmis est necessitas naturæ, in validis otiosis, & cupidis est vitiositas culpæ, sic in pauperibus voluntariis contemptoribus sui, & imitatoribus CHRISTI, & prædicatoribus Evangelii est actus consonans, non repugnans Evangelicæ perfectioni, pro eo quod omnibus universaliter renuntiare, nullam rem sibi appropriando, est consilium a Domino ut perfectum; eleemosynas accipere, justis pauperibus est concessum tamquam licitum, & in nullo perfectionis Evangelicæ inimicum: eleemosynas etiam humiliter petere, pauperibus voluntariis non est inhibitum tamquam malum, vitam suam de lucro laboris sui transigere, non omnibus validis pauperibus injunctum tamquam præceptum necessario astrictivum. Si quis ergo impugnat rerum temporalium universalem abrenuntiationem, impugnat Christum pauperem, crucifixum, impugnat Evangelicum consilium, impugnat cœtum Apostolorum dicentium: Ecce nos reliquimus omnia; *Matt. 19.* impugnat etiam Spiritum Sanctum, qui hoc inspirat, & suggerit cordibus perfectorum; impugnat, & ipsum Deum Patrem universorum, qui est refugium pauperum; impugnat denique regnum cœlorum, totum universum, cujus dominium pauperi est concessum, dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matt. 5* Et ideo contra talem insensatum, necesse est ut pugnet orbis terrarum. Qui autem impugnat eleemosynarum acceptionem, *Luc. 7 & 8* & CHRISTUM impugnat, qui stipendium accipiebat a mulieribus sibi servientibus, & se * imitantibus: ** f. invitantibus.* & cœtum Apostolorum, qui *Act. 4* & ipsi eleemosynas accipiebant, quæ ponebantur ad pedes eorum, & statum Monachorum qui super eleemosynas fundati sunt, & universum Clerum, nam & ipsi de eleemosynis vivunt, quæ ultro Ecclesiis Christi collatæ sunt, & per consequens communem pauperum statum, quem tamen Scripturæ divinæ indicant Deo maxime esse acceptum. Qui vero impugnat humilem eleemosynarum petitionem in eis qui egent, & licite possunt accipere: impugnat CHRISTUM, qui humiliter petiit hospitium, qui se fatetur esse mendicum: impugnat & Paulum, qui petiit collectas fieri pauperibus san-

sanctis, & hoc de voluntate Petri : A impugnat vinculum charitatis, quod facit communicari in ratione dati & accepti : impugnat officium humanitatis, per quam indigens exponit necessitatem suam, ne sibi sit inhumanus, & alium excitat, qui potest, & vult ut proximo sit humanus, & pius, & in hoc nullus offenditur, nulli præjudicatur, nihil inordinate concupiscitur, nihil indebite aufertur in eis præcipue qui non quærunt datum, sed fructum. Qui autem impugnat otiositatem, cupiditatem, carnalitatem, & superfluitatem, in ceteris Christianis, & præcipue in religiosis, bene facit & recte, si tamen secundum ordinem rectum procedat : qui autem B universaliter omnibus validis onus imponit lucrativi laboris, de quo debeant sustentari, præceptum Apostoli nimis ampliat, & jugum servitutis super Christi servos nimium aggravat, spirituales viros a spiritualibus occupationibus, & laboribus retardat in periculum salutis animarum, dum magis facit eos sollicitos de suis morituris corporibus pascendis, quam de proximorum animis Domino acquirendis. Quod si fiat, decimatur menta & cyminum, & relinquentur quæ graviora sunt, legis judicium, & misericordia, præfertur misericordia corporalis spirituali, ac per hoc corpus spiritui præfertur, privatum commodum utilitati communi, quæ specialiter consistit in ædificatione populi CHRISTI in eleemosynis, in documentis, & animarum consiliis, ad quæ misit DEUS istos Ordines postremos per Summum Pontificem, & Prælatos, ad quæ si quis dicat eos missos, manifeste obviat veritati, cum expressa ad hoc testimonia habeantur, tam in regula, quam in privilegio & institutione, & approbatione hujus duplicis Ordinis. Si autem dicat non debere mitti, detrahit Evangelicæ sanctitati. Quis enim magis idoneus ad hoc, quam qui devovit Evangelicam perfectionem. Si quis dicat eos a Papa, & Episcopis non posse mitti, derogat Apostolicæ auctoritati, & potestati clavium in Prælatis, & plenitudini potestatis in Summo Pontifice, qui in terris (ut Scriptura asserit, fides sentit, jura testantur, rationes etiam irrefragabiles convincunt) caput unum & summum, & sponsus unicus, & hierarcha præcipuus, in quo etiam totus Ecclesiæ militantis status, obtinet locum CHRISTI. Ideo omne genu debet ei curvari, & Principum & Prælatorum, & clericorum & Laicorum, & Religiosorum in terris ad instar CHRISTI in cœlis, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quod mendicare pro CHRISTO sit opus perfectionis Evangelicæ, multiplex astruit auctoritas. Nam Hieronymus in Epistola de morte Fabiolæ commendans de hoc dicit sic: Oblita sui sexus, fragilitatis immemor, ac solitudinis tantum cupida, ibi erat, ubi animo morabatur. Non poterat teneri consiliis amicorum, & ita ex urbe, quasi de vinculis gestiebat erumpere. Dispensationem pecuniæ, & cautam distributionem genus infidelitatis vocabat. Non aliis distributionem eleemosynarum tribuere, sed suis pariter effusis, ipsa pro CHRISTO stipes optabat accipere. *Hieron. de morte Fabiolæ epist. 30 post med.*

Item Hieronymus ad Furiam: Quotiescumque manum extendis, Christum cogita, cave ne mendicant. Domino Deo tuo alienas opes augeas. Idem super Psalmos tractans C illud verbum: Persecutus est hominem inopem, & mendicum, dicit sic: Qui cum esset dives propter nos egenus factus est. Dominus inopem se dicit, & mendicum; & quis in divitiis suis gloriatur? Habetis consolationem pauperes, & Dominus vobiscum pauper est. Idem super Psalmum, qui dat escam esurientibus, dicit: Monachus qui non habet, confidenter accipiat; qui habet & eructans est, non accipiat. Scis quia esuris, scis quia non habes, magnum est beneficium si accipis quod tribuitur tibi, si autem habes & non esuris, non debes cibum esurientium accipere saturatus, accipe quod in ventrem mittas, non quod in sacculum : accipe tunicam quæ corpus tegat, non quæ arcas impleat. *Idem ad Furi. ep. 10 post med.* *Ps. 108.* *Ps. 145*

ITEM

Chryſ. ho. 4 ſup. Mat. longe poſt med. *Pſ. 83*

A ITEM hoc ipſum aſtruit Chryſoſtomus, loquens de tribus pueris exiſtentibus in Babylone: Ne enim mihi eos, quos in regalibus atriis invenerunt honores, dicas. Sancti enim exiſtentes, & juſti decies millies utique elegiſſent mendicare domi, & eis quæ in templo erant bonis potiri. Elegi enim, ait, abjectus eſſe in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Idem ho. 87 ſuper Mat.

Idem alibi dicit: Quando videris pauperem, recordare verborum per quæ ſignificabat, quoniam ipſe ſit qui cibatur. Etſi enim in eo quod apparet non eſt Chriſtus, ſed in hoc ſchemate ipſe accipit, & mendicat. Sed verecundaris audiens, quoniam mendicat Chriſtus. Verecundare cum B mendicanti non das. Hoc enim eſt verecundia, hoc ſupplicium & tormentum. Mendicare enim eum, ejus bonitatis eſt ſignum, & ideo in eo nos ornari oportet.

Idem ho. 70 circa fin. *Ber. hom. in Evang. Luc. 2. Dominic. infr. oct. Epiph.*

Item dicit: Melius eſt mendicare quam rapere, hoc quidem ſcilicet mendicare in nullo offendit Deum; illud autem offendit Deum, & homines. His etiam manifeſte concordat Bernardus in homilia ſuper illud Lucæ: Cum eſſet Jeſus annorum duodecim, quærens ubi Chriſtus fuit in triduo, dicit ſic: Per illud triduum ubi eras bone JESU? quis tibi cibum Miniſtravit, aut potum? quis detraxit calceamenta? quis membra puerilia fovit unguentis? ubi ergo C eras Domine? An ut te per omnia conformares noſtræ paupertati, & omnes in e humanas miſerias ſuſciperes, quaſi unus ex turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas? Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, & ſaltem divini illius edulii reliquiis ſaginari? Item Gloſſa ſuper illud Pauli: Qui cum eſſet dives, &c. Nemo ſe contemnat, pauper in cella, dives in conſcientia, ſecurior dormit in terra, quam dives auro in purpura. Non ergo expaveſcas cum tua mendicitate ad illum accedere, qui indutus eſt noſtra paupertate, ubi ſe pauperavit, nos ditavit. Amen.

2. Cor. 8

QUÆSTIO II.

Utrum pauperes validi, & maxime regulares ad opera manualia univerſaliter ſint aſtricti.

MAGISTER GUILELMUS.

QUÆRITUR utrum pauperes validi, & maxime regulares, ad opera manualia univerſaliter ſint aſtricti? Et quod ſic, oſtenditur primo ex vinculo legis naturæ, ſcriptum eſt enim: Poſuit Deus hominem in paradiſo ut operaretur. Item: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo: ergo præceptum de laborando reſpicit hominem ſecundum naturam inſtitutam, & ſecundum naturam lapſam: ergo ſecundum omnia tempora, ſed maxime reſpicit hominem, qui poteſt per ſe ipſum, & non poteſt ſupplere per alium, talis autem eſt pauper validus, ergo talis tenetur ad manualiter laborandum. *I. Arg. pro parte affirmativa.* *Gen. 2* *Gen. 3*

II. Item in Zacharia dicitur: Homo agricola ego ſum, quia Adam exemplum meum, Gloſſa: Ut comedam panem meum in ſudore vultus, dum ille ſe oſtenderet natum ad hoc, ut in ſudore vultus comederet panem, ſed hoc maxime convenit ei, qui indiget pane, & poteſt laborare, & talis eſt validus pauper, ergo, &c. *Zach. 13*

III. Item ad ea ſine quibus non poteſt natura ſubſiſtere, ſumus naturaliter obligati: ſed ſine labore corporali, ſive manuali non poteſt genus humanum in eſſe conſervari, ergo ad hoc neceſſario aliqui obligantur. Sed non niſi illi qui ſunt idonei. Sed tales ſunt pauperes validi, quia indigent, & poſſunt: ergo tales præcipue obligantur.

IV. ITEM ſicut os datum eſt homini ad manducandum, ita, & manus ad operandum, ſed qui neglexerit comedere, cum indiget, ſi poſſit, facit contra dictamen juris naturalis,

ergo pari ratione, qui neglexerit operari manualiter, si indiget & valet, sed talis est pauper validus, ergo, &c.

V. Item hoc ipsum ostenditur ratione religionis Christianæ, primo per Apostolicum præceptum, ubi dicit: *Eph. 4* Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, &c. Si dicas hoc esse consilium, contra ait Apostolus: *1 Thes. 4* Operamini manibus vestris sicut præcepimus vobis, ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Glossa: Nedum rogetis vel tollatis. Sed hoc maxime respicit pauperes, ergo, &c.

VI. *2 Thess. 3* Item hoc ipsum videtur per Apostolicum exemplum, cum dicitur: Ipsi scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quia non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus, sed in labore & fatigatione, &c. Glossa: Apostolus forma erat his, qui tenues erant in substantia in plebe, ut discerent libertatem suam non amittere. Qui enim ad alienam mensam frequenter convenit otio deditus, aduletur necesse est pascenti se. Cum religio nostra ad libertatem hominem vocet: ergo hoc est contra Religionem nostram.

VII. *2 Thess. 3* Item hoc ipsum videtur per Apostolicum edictum, ubi idem Apostolus ait: Cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis quoniam si quis non vult operari, non manducet. Sed constat, quod non loquitur, nisi de his, qui indigent refectione, ergo, &c. Si dicas, quod non intelligitur de labore corporali, contra hoc, quod ibidem dicit Glossa: Dicunt quidam de operibus spiritualibus hoc Apostolum præcepisse, sed superflue conantur & sibi, & cæteris caliginem obducere, ut quod intelligitur charitas monere, non solum facere nolit, sed nec intelligere. Sed forte dices, quod verba Apostoli intelliguntur dici ad curiosos, vagos, & otiosos, non ad Christi servos spiritualibus occupatos, contra super illud: Qui non laborat, Glossa: Vult Apostolus servos Dei corporaliter operari, ut habeant unde vivant, ut non compellantur egestate necessaria petere. Sed servi dicuntur viri boni & justi, & talibus præcipit operari, ut non compellantur mendicare: ergo pauperes validi, &c.

Hoc ipsum ostenditur ratione professionis Monasticæ. Primo per B. Augustinum, qui per totum librum de opere Monachorum intendit tamquam finali conclusione ostendere, quod Monachi astricti sunt ad opera manualia. VIII.

Item Glossa super illud Lucæ: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, &c. Ut omnibus spretis pro Deo, postea labore manuum operamini unde vivatis, vel eleemosynam faciatis. Sed omnes regulares ex voto tenentur ad consilium paupertatis: ergo secundum Glossam labor manualis debet sequi abrenuntiationem: ergo omnes tenentur ad corporalem operationem. IX. *Luc. 12*

Item Hieronymus ad Rusticum ait: Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivere laborabant manibus suis, ne quemquam aggravarent: cur tu in usus tuos successuras res non præparas, ut fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus. Et post: Scribantur libri, ut & manus operentur cibos, & anima saturetur lectione. Item beatus Benedictus in regula sua: Tunc veri Monachi sunt, si de opere manuum suarum vivant, sicut patres nostri Apostoli. Ergo si hoc facit nos imitatores Apostolorum, & omnes Religiosi debent esse tales, ergo & operari manualiter: cum opera supererogationis non diminuant, sed implere debeant opera præceptorum. X. *Hier. in ep. 4 ad Rust. de consec. dist. fin.*

Item beatus Franciscus in regula sua: Fratres, inquit, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, &c. Et quod de labore corporali intelligat, patet per hoc quod sequitur: De mercede vero laboris. XI.

SANCTUS BONAVENTURA.

CONTRA, quod non omnes validi pauperes ad opera manualia sint astricti, videtur pro ratione contemplationis. *Argumenta pro parte negativa* *Luc. 10*

nis. Nam Salvator dicit: Martha sollicita es, &c. usque elegit. Melius ergo faciebat Maria intendens contemplationi, quam Martha corporali occupationi. Sed non melius ageret, si omitteret illud ad quod tenebatur: ergo intendens contemplationi, absolvitur ab opere corporali.

Item super illud Genesis confirmatus est ager, Glossa. Contemplativa vita a sæcularibus actionibus funditus dividit; sed non ab actionibus spiritualibus, ergo a corporalibus. Nec dividit contra legem Dei: ergo contemplantes non sunt astricti ad hoc.

Luc. 10. Item labor manualis non est actus respiciens universaliter omnia membra Christi, alioquin nullus sine eo posset salvari, respicit ergo Officium alicujus membri. Sed membrum habens Officium dignius non tenetur ad actum membri indignioris. Ergo si digniora sunt membra, quæ habent gratiam contemplandi, non astringuntur ad Officium vel exercitium actionis, maxime cum necessitas non compellit defectus inferioris membri supplere.

Item quod non omnes astringantur, ostenditur ratione prædicationis. Nam ubi Lucas dicit: Misit eos binos, &c. Glossa Ambrosii: dicit Tanta debet esse prædicatori fiducia, ut sibi necessaria non defectura certissime sciat: ne dum sibi prævidet terrena, minus aliis prævideat æterna. Ergo studium prædicationis & doctrinæ non debet intermitti propter opus corporale, cum homo non perfecte sufficit ad utrumque.

Ibidem. ITEM super illud Lucæ: Dignus est operarius mercede sua, Glossa ait: Duæ mercedes prædicatori debentur, una in via, quæ in labore sustentat: altera in patria, quæ in resurrectione remunerat. Sed quod debetur alicui, non tenetur illud labore corporali acquirere, ergo prædicator non tenetur propter necessitatem corporis manualiter operari.

Aug. lib. de op. monac. c. 21. 20. 31. Item Augustinus de opere Monachorum: Si Evangelistæ sunt, si Ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, plane sibi vendicant potestatem vivendi, scilicet sine opere corporali, ergo &c.

Item quod non omnes astringantur, ostenditur ratione spiritualis occupationis. Unde Apostolus ait: Nescitis quod qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari serviunt, cum altari participant? ubi Glossa: Naturalis ratio dictat, ut quis vivat inde, ubi laborat. Si ergo fidelis qui intentus est spiritualibus occupationibus dignus est sustentari, nec talis est otiosus: ergo nec ratione otii vitandi, nec etiam victus acquirendi tenetur manualiter operari. *1. Cor. 9.*

ITEM Anselmus de similitudinibus: Tres quippe sunt ordines hominum, orantes, agricultores, & defensores, quos ad diversa Officia Deus in hoc mundo disposuit: Monachos, ut pro aliis orent, & lacte prædicationis imbuant: agricultores, ut de suo labore & ipsi, & alii vivant: milites, ut orantes defendant. Sed milites digni sunt sustentari, quando suum Officium exercent absque labore corporali: ergo pari ratione & Monachi digni sunt. *Ansel. lib. de simil. c. 126. & 127.*

Item si spiritualis occupatio non excusat a labore corporali: ergo multo minus nec scientialis: ergo omnes validi pauperes, qui student in qualibet scientia, sunt in malo statu, quia non vivunt de labore manuum suarum, sed hoc est valde absurdum: ergo & primum.

Item Christus legem perfectissime implevit, quia decebat eum implere omnem justitiam; sed Christus pauperrimus fuit & validus: ergo si tales universaliter operari tenentur, Christus non perfecte legem implevit, nec dedit exemplum perfectum. Sed hoc est inconveniens: ergo & primum.

Item Beatus Benedictus quando erat in spelunca, erat pauper & validus, & tamen non vivebat de labore manuum suarum, sed edebat quod sibi Romanus apportabat, ut dicitur 2. dialogorum. Ergo vel erat in malo statu, quod absurdum est, vel non tenebatur ad operandum. *Greg. 2. dial. cap. 1.*

Item aut pauperes validi possunt vivere de eleemosynis absque manuali opere, aut non. Si sic, habeo propositum quod non tenentur. Si non

non possunt, ergo cum omnia bona Ecclesiarum & Monasteriorum non sint nisi eleemosynæ pauperum, ut Sancti dicunt & manifestum est, ergo omnes quotquot validi & clerici & Monachi qui vivunt de hujusmodi bonis sine labore manuali, sunt in statu perditionis. Si ergo hoc est absurdissimum, patet quod & illud ex quo sequitur. Si dicas, quod de grossis & magnis eleemosynis licet: sed de parvis non licet: hoc non solum absurdum est, verumetiam adeo ridiculosum, ut manifeste qui sic dicit, colet culicem, & glutiat camelum. Restat ergo quod ad hujusmodi opera manualia, non omnes validi pauperes sunt astricti.

RESPONSIO.

AD prædictorum intelligentiam est notandum, quod sicut circa fidem beatissimæ Trinitatis, triplex est via sciendi, ita quod duæ quæ declinant ad extrema, sunt erroneæ, sicut hæresis Sabelliana, & Ariana, media vero, vera & Catholica: sic in quæstione proposita duplex est via declinans ad extrema, & ideo erronea & reprobanda; media vero recta & acceptanda. Unus est modus dicendi, quod nulli pauperes voluntarii, quantumcumque validi, ad opera manualia sunt astricti, sed solum ad spiritualia. Et hi fundaverunt se super illud Matthæi: Respicite volatilia cœli. Hic autem modus dicendi est erroneus, quia est corruptivus Ecclesiæ, & depravativus Scripturæ. Corrumpit Ecclesiam dum simulando falsam justitiam, fovet pigritiam; dum simulat se velle Evangelium perficere, vult otium carnis nutrire. De quibus Augustinus in libro de opere Monachorum: Quis ferat homines contumaces saluberrimis monitis Apostoli resistentes, non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam prædicari, ut Monasteria doctrina saniore fundata, gemina illecebra corrumpantur, & dissoluta licentia vacationis, & falso nomine sanctitatis? Depravat etiam Scripturam, quia nimis ampliat ver-

Aug. lib. de oper. mon. c. 30. in prin. tom. 3.

A ba Evangelica, & nimis arctat verba Apostolica. Vult enim quod Evangelium inhibeat perfectis omne opus corporale, & vult quod Apostolus non suadeat nisi opus spirituale, quorum utrumque falsum est. Et contra hanc falsitatem Augustinus totum librum de opere Monachorum condidit, ostendens quod Apostolus intelligit de opere corporali, & quod Evangelium non vetat corporalia opera, sed solum quod cor non sollicitetur præoccupatum circa temporalia. Unde in principio libri de opere Monachorum ait: Prius debemus ostendere beatum Apostolum opera corporalia servos Dei operari voluisse, deinde ostendere Evan-

Idem ibid. c. 3. in prin. 2. Thess. 3.

B gelica illa præcepta, de quibus nonnulli non solum pigritiam, sed arrogantiam fovent Apostolico præcepto & exemplo non esse contraria. Unde convincit Augustinus positionem istam esse reprobandam.

Secundus modus dicentium est, quod omnes validi pauperes qui non habent unde vivant, ad opera manualia seu corporalia sunt astricti. Et innituntur verbis Apostoli dicentis: Qui non laborat non manducet. Nec possunt excusari, ut dicunt, per opera spiritualia. Et hic quidem modus dicendi est erroneus sicut & primus. Nam nimis declinando ad alteram extremitatem, depravat Scripturam, & corrumpit Ec-

C clesiam. Scripturam depravat, quia nimis ampliat verbum Apostoli, dum dicit: Qui non laborat, non manducet; volens illa verba de labore manuali non solum ad otiosos, sed quantumcumque utiliter in spiritualibus occupatos extendi, qui non sunt curati. Nimis etiam restringit verba Evangelica, dum illa verba: Dignus est operarius mercede sua; ad eos solos extendit qui habent animarum curam: cum potius fiat homo dignus mercede ex opere, quam ex dignitate. Absit omnino a fidelibus mentibus, quod cooperatores habentium curam non sint digni operarii, nec digni mercede & sustentatione sua, maxime qui fideliter collaborant in verbo & doctrina. Ecclesiam etiam corrumpit, dum simulat

Luc. 10.

mulat districtionem justitiæ, & persequitur spiritum vitæ. Quid enim aliud est hoc, quam quod significatum est per præpositos Pharaonis, de quibus dicitur in Exodo, quod oderant filios Israel, & ad amaritudinem perducebant, affligentes operibus duris luti, & lateris, atque omni servitute? Et ne forte videar moveri spiritu proprio, audi quid dicit Glossa super illud Exodi: Quare Moyses, & Aaron, sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. Hodie si Moyses, & Aaron, id est propheticus & sacerdotalis sermo animam sollicitet ad servitium Dei, exire de sæculo, renuntiare omnibus quæ possidet, attendere legi & verbo Dei, continuo audies unanimes & amicos Pharaonis dicentes: Videte quomodo seducuntur homines, & pervertuntur adolescentes, ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod prosit, relictis omnibus necessariis inertias sectantur & otium. Quid est servire Deo? laborare nolunt, & otii occasiones quærunt. Hæc erant tunc verba Pharaonis, hæc & nunc amici ejus loquuntur, nec solum verbis, sed etiam verberibus persequuntur: Hucusque Glossa.

Exod. 1.

Exod. 5.

Quoniam igitur utraque opinionum, vel sententiarum declinat ad extrema, & declinando depravat Scripturam, & corrumpit Ecclesiam, ideo utraque reprobanda. Prima, quia dat fomentum pigritiæ. Secunda, quia nititur extinguere spiritum vitæ sub onere servitutis Ægyptiacæ. Prima, quia fovet otium carnale. Secunda, quia persequitur spirituale. Propterea secunda longe perversior est, quam prima, licet utraque sit mala. Ideoque utraque repulsa, tenenda est via media, quod de pauperibus validis aliqui sunt astricti, aliqui vero absoluti, aliquibus indicitur sub præcepto, aliquibus pro consilio, aliquibus nec isto, nec illo modo.

Ad cujus pleniorem evidentiam notandum est, quod regnum reipublicæ in Ecclesia attenditur circa tria, scilicet quantum ad bonum interius, quod est corporale: quantum ad bonum exterius, quod est civile: & quantum ad bonum interius, quod est spirituale. Et secundum hoc, triplex genus operis est necessarium ad regnum reipublicæ & Ecclesiæ militantis, scilicet opus artificiale, quod & manuale dicitur, quia manus est organum organorum, opus civile, & opus spirituale. Opus manuale sive corporale, dico, quod est necessarium ad præparanda alimenta, vestimenta, & habitacula, & diversorum opificum, & artium instrumenta. Opus civile dico, quod est ipsorum præsidum gubernantium, militum defendentium, & mercatorum negotiantium, & famulorum subministrantium. Opus spirituale dico, quod consistit in disseminando divina verba, meditando divina cantica, in dispensando sacramenta, in communicando bona sibi divinitus data, sive terrena, sive spiritualia. Nam distribuere sua pro Christo, opus est spirituale, non civile, non civitatis terrenæ. Sicut ergo qui intenti sunt operibus civilibus reipublicæ, ad opera manualia per Apostolicum præceptum non intelliguntur astricti, sic nec hi, qui intenti sunt spiritualibus, maxime si redundet in aliorum salutem, commodum & profectum. Et ideo occupatos in quatuor generibus operum spiritualium prædictorum excipit Augustinus a tentione Apostolici præcepti in libro de opere Monachorum, cum dicit: Si Evangelistæ sunt, si ministri altaris, si dispensatores Sacramentorum, plane hanc sibi vendicant potestatem, si aliquid habebant in sæculo, quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispartiti sunt. Evangelistæ autem disseminant divina verba. Ministri altaris decantant divinas laudes, & divina cantica. Dispensatores Sacramentorum dispensant divina Sacramenta, & maxime Eucharistiæ vel pœnitentiæ. Qui diviserunt suas possessiones, distribuerunt bona sua. Si ergo digni sunt sustentari pro unica dustributione spiritualium, etiam si nihil corporaliter operentur, & si ille qui docet filium

Triplex est genus operis, scilicet corporale, civile, spirituale.

Aug. lib. de oper. Mon. c. 21. T. 3.

filium alicujus grammaticam, mereatur ab eo sustentari, quare non ille qui docet viam regni cœlestis, qui impetrat gratiam orando, qui etiam exemplis bonæ vitæ excitat, & dirigit ad æternam salutem? Cum ergo Respublica universalis Ecclesiæ, seu Ecclesiasticæ Hierarchiæ indigeat ad sui conservationem triplici opere supradicto, nec Deus, nec Angelus, nec Pastor Ecclesiæ, vel Rector sicut Apostolus, astringit ad hujusmodi opera, nisi secundum quod exigit salus, necessitas & utilitas ipsius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, cujus servi Christi sunt membra.

Pauperes validi, qui ad spiritualia non sunt idonei, ad manualia tenentur.

Quoniam ergo inter membra Christi sunt quædam maxime idonea, ad operationes corporales, & minime ad spirituales, quædam e contrario modo: hinc est, quod illis pauperibus validis, qui ad opera corporalia maxime sunt idonei, & minime ad spiritualia, qui convenienter aliter nesciunt vitare otium, & opus facere victu dignum, tales ad opera manualia astringuntur, & eis est manuale in præcepto. His autem qui simul spiritualibus sufficienter possunt intendere, & labore manuum victum acquirere, vel in toto, vel in magna parte, qualis fuit Apostolus Paulus, est opus manuale in consilio. His autem qui maxime sunt idonei ad spiritualia opera prædicta, vel etiam ad civilia, & minime ad hæc manualia, hujusmodi opera lucrativa, & artificialia non sunt in præcepto, nec etiam in consilio; quia stultum esset, quod pro re modicæ utilitatis commune bonum magnum incurreret detrimentum, nec hoc ordinavit Deus, nec ejus Apostolus, sicut in sequentibus evidenter ostenditur. Quod autem de hujusmodi operibus, & hominibus diversificari debeat judicium secundum diversitatem donorum, officiorum, & gratiarum sibi divinitus collatarum, ostendit Glossa super illud Deuteronomii: Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus jumentorum tuorum, ita dicens, diversos Ordines notat subditorum. Alii enim doctoribus corporalia præbent adjumenta, alii laborare possunt, quod sibi fuerit præceptum, alii simplicitate contenti per innocentiam vitæ student Deo placere, unusquisque proprium donum habet ex Deo. Concedendum est igitur, quod non omnes validi pauperes, etiam non curati, ad hujusmodi opera manualia sunt astricti, & concedendæ sunt auctoritates, & rationes hoc probantes, hoc ostendentes.

Deut. 28.

Ad I.

Ad illud quod primo obiicitur in contrarium de obligatione legis naturæ dicendum, quod natura ad hoc non astringit, nisi ratione periculi vitandi. Nam si ex lege naturæ hæc maneret obligatio cuncti essent universaliter, & æqualiter obligati, quod absurdissimum est. Ideo si aliquis a natura astringitur, hoc non est, nisi propter vitandum periculum, & hoc potest esse triplex. Aut quia non potest fructuose sine labore vivere, aut quia non potest honeste vivere; aut quia non potest vivere. In primo periclitatur entitas, in secundo honestas, in tertio utilitas. Est autem naturaliter insertus homini amor sui esse continui, amor honesti, & amor commodi: & per hoc lege naturæ astringitur homo ad vitandum hoc triplex periculum. Si ergo astringitur necessario ad manualiter operandum pauper validus, si in tali articulo constitutus est, quod non potest aliter vivere, vel non potest honeste, sive juste, vel non potest aliter vivere fructuose. Si autem potest aliter hoc periculum vitare æque, vel magis utiliter, astringi ad hoc non habet ex lege naturæ. Quod ergo obiicitur, quod homo ex prima sua conditione ordinatus est ad istam operationem. Dicendum, quod nullus homo debet esse sine labore in hac vita, ne forte de eo dicatur quod de reprobis dicitur in Psalmo: In labore hominum non sunt, &c. sed ex hoc non sequitur, quod oporteat occupari circa laborem manuum, & maxime lucrativum.

Non astringitur homo ex lege naturæ ad opus manuale.

Psal. 72.

Et per hoc patet responsio ad sequens ab exemplo Adæ; quia constans est, quod non omnes obligantur ad opus agriculturæ. Ad illud quod di-

dicitur, in sudore vultus tui, &c. A tunc non dictum est in praeceptum juris, sed in poenam culpae perpetratae, sicut patet per textum sequentem.

Ad III. Ad illud quod obiicitur, quod sine hujusmodi opere non potest genus humanum sustentari: dicendum quod duplex est mandatum, unum individui, aliud quod respicit conservationem speciei, sicut est mandatum de manducando, & mandatum de generando. Illud ergo quod respicit conservationem speciei, non obligat nisi in communi; quia uno implente alius absolvitur, sicut de generatione, & quia opus manuale est hujusmodi, nisi in eo qui constitutus est in statu periculi, ideo non habet nisi talis astringi.

Ad IV. Ad illud quod obiicitur, quod sicut os est ad manducandum, ita & manus, &c. dicendum, quod non est simile, quia si homo posset vivere sine comestione, sicut potest vivere sine manuali opere, non teneretur manducare. Praeterea unus homo potest operari pro alio, sed non manducare pro alio, ideo non oportet sic omnes astringi universaliter ad manualem operationem, sicut ad manducationem.

Ad V. VI. & VII. Ad illud quod obiicitur de praecepto, exemplo, aut dicto, & verbo Apostolico. Notandum, quod circa Apostolicum praeceptum consideranda est persona cui praecipitur, causa pro qua praecipitur, & forma sub qua praecipitur. Si consideretur persona, non omnibus praecipit generaliter, sed determinate quibusdam. Ait enim: Et audivimus quosdam inter vos ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. His autem qui hujusmodi sunt, denunciamus, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Praecipit ergo inquietis, curiosis & otiosis. Si autem consideretur causa, non est dubium, quin sit ad remotionem horum trium vitiorum. Quia enim labor corporalis valet ad corpus domandum, ad otium tollendum, ad victum honeste quaerendum, idem Apostolus imponebat eis laborem, quasi in vitiorum istorum medicamentum. Nam inquieti labore domante, otiosi labore excitante, curiosi sedula cura victum quaerentes, ut dicit Glossa, indigent labore victum promerente. Ideo Apostolus, quasi per se loquitur, & proprie & sufficientissime in praedicto mandato si attendatur causa. Si vero attendatur forma sub qua praecipit, constans est, quod debet convenire cum causa. Apostolicum enim hoc praeceptum est, & ad tria praedicta ille astringitur, qui non potest habere illa tria per aliam viam licitam, & convenientem, qui vero potest, non astringitur determinate ad hanc viam, quantum est de ipsius praecepti efficacia, quod dedit Apostolus ad ornandam, & aedificandam B Ecclesiam, non est ad destruendam illam, secundum potestatem, quam ad aedificationem dicit sibi divinitus datam.

1. Thess. 3.

Quibus praecipiat Apostolus opus manuale, & qua de causa.

Dicendum ergo, quod Apostolicum praeceptum, exemplum, dictum & judicium, illos obligat potissime, qui sunt inquieti, otiosi, & curiosi, ut ab his redeant, vel eos qui non possunt aliter convenienter quam per laborem corporalem vitare vitia supradicta, sicut manifeste ostensum est.

Ad illud quod obiicitur de Glossa quod vult Apostolus servos Dei corporaliter operari. Dicendum, quod si illud esset velle praecepti, intelligendum est indefinite de servis Dei, C id est, de his, qui sunt ad servitium Dominicum conversi, qui per majora, & utiliora opera non sunt a manuali opere excusati, sicut exemplificat Augustinus de his, qui vitam in saeculo de labore corporali transigebant, & sic illud indefinite debet intelligi, & non universaliter. Quia absurdum esset dicere, quod omnes servi Dei ad hoc sint astricti. Patet etiam hoc, quia Augustinus a quo verba illius Glossae accepta sunt, sed mutata, excipit quatuor genera hominum, quos dicit non teneri ut labore proprio victum quaerant, sicut ostensum est supra. Unde super praedictam Glossam innitendum non est, tum quia mutat verba Augustini, dicit enim

in

in originali: Primum debemus ostendere Apostolum corporalia opera servos Dei operari voluisse, ut victu, & vestitu a nullo indigerent, nec aliquam mentionem fecit de petitione: quia illi contra quos agebat, non vivebant de petitis, sed oblatis, sicut in 2. lib. retractationum dicit: Facienda est ergo vis in hoc quod dicit: Voluisse, quod non semper præceptum est; & in hoc quod dicit; Servos Dei, quod indefinite dictum est; & in hoc quod dicit: Ne compellantur, quod non pertinet ad pauperes voluntarios, sed potius ad invitos.

Ad illud quod obiicitur de Monachis, dicendum quod Monachi regulares, aliqui habent in professione, & voto laborem manualem, aliqui vero minime. Ratio vero hujus est diversitas professionum, ex parte temporum, personarum, & intentionum. Ex parte temporum, quia circa tempora primitivæ Ecclesiæ quatuor erant genera Monachorum, sicut distinguit beatus Benedictus in principio regulæ, scilicet, Cœnobitæ, Anachoritæ, Sarabitæ, & Gyrovagi. Primi erant boni, secundi optimi, tertii & quarti pessimi. Tertii enim & quarti non ducebantur jugo aliquo, sed secundum proprias concupiscentias ambulabant. Sarabitæ intendentes carni, Gyrovagi mutabiles, & vagabundi, & ad omnia mala parati. Secundi, scilicet Anachoritæ regula non indigebant, quia tamquam perfectissimi regulabantur a gratia. Primis debuit regula dari, ut distinguerentur a Gyrovagis, & Sarabitis, conveniens fuit ne compellerentur exterius exire, ad laborem corporalem eos astringi. Unde Augustinus in libro de opere Monachorum, ait: Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Et post: Nonne calescit cor vestrum intra vos, & in meditatione vestra exardescit ignis, ut istorum mala opera bonis operibus persequamini, ut eis amputetis occasionem turpium nundinarum, quibus æstimatio vestra læditur, & infirmis offendiculum ponitur? Misereminì ergo & compatimini, & ostendite hominibus, non vos in otio facile victum quærere, sed per angustam, & arctam viam hujus propositi regnum Dei quærere. Eadem vobis ratio est, quæ fuit Apostolo, ut amputetis occasionem his, qui quærunt occasionem, ut qui illorum putoribus præfocantur, in vestro bono odore reficiantur. Hucusque Augustinus.

Quatuor genera Monachorum.

A

Ex parte etiam personarum voventium, quia Monachi tunc temporis pro maxima parte erant laici, & plebeii, & ideo competebat eis circa consueta opera occupari. Unde Augustinus in libro de opere Monachorum: Illi qui præter istam societatem sanctam vitam labore corporis transigebant, ex quorum numero plures ad monasteria veniunt, si nolunt operari, non manducent. Neque enim in Christiana militia ad paupertatem divites humiliantur, ut pauperes ad superbiam extollantur, nulloque modo decet, ut in ea vita ubi Senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi, & quo veniunt relictis deliciis, qui fuerunt prædiorum Domini, ibi fiant rustici delicati.

B

Ex parte intentionum, quia Monasteria primitiva instituta erant ad vitam solitariam agendam, ut unusquisque haberet curam sui, & apud se habitaret, & ideo Monachus dictus est, & quia paucissimorum est semper divinis intendere, ideo ne otiosi essent, congruebat eorum professioni exerceri circa opus manuale. Unde Hieronymus ait: Ægyptiorum Monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ suæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, & ad instar fornicantis Jerusalem omni transeunti divaricent pedes suos. Competebat ergo monasteriis primi temporis astringi ex professione ad opus manuale, ratione temporis, personarum, & professionis. Sed post instantibus tempori-

C

Hier. in ep. ad Rusticum.

pori-

poribus modicis quando illi Gyrovagi erant consumpti, & Ecclesia opulenta fuit tam in Clericis, quam in Monachis, magis erat opus dandum circa spirituale exercitium, & hinc est quod Monachi laborem manualem sive corporalem bene & recte in spiritualem exercitationem, & psalmodiam commutaverunt. Et quia Ecclesiæ jam ditatæ magis indigebant spiritualibus operariis, quam vinitoribus, & agricolis: hinc est quod Spiritus Sanctus Religiones pauperculas suscitavit, quarum sollicitudo, & cura tota esset ad signandos servos Dei in frontibus eorum signo Dei vivi, vocando ad pœnitentiam, & ad gratiam Spiritus Sancti. Unde utræque a sua primaria institutione habent officium prædicandi, & ideo cum tales circa opera spiritualia sint intenti, propter quæ alii ab aliis merentur sustentari, nec sunt otiosi, nec curiosi sic vivendo, nec in periculo, cum Dominus eos paverit usque modo, nec habent hoc ex voto, ideo nec ipsi, nec omnes pauperes voluntarii, licet sint validi, sunt ad opus corporale astricti, quia nec ratione periculi, nec ratione præcepti Apostolici, nec ratione voti emissi, ut manifeste liquet ex præmissis.

Ad VIII. Ad illud quod obiicitur de lib. de opere Monachorum, dicendum quod beatus Augustinus in libro illo non ad hos loquitur, sed ad primos, qui opera corporalia, quæ habebant ex professione, sub prætextu spiritualitatis contemnebant, quia nec propter spiritualia debebant omittere corporalia, nec etiam e converso. Unde Bernardus ad tales loquens in Apologia ait. Jam vero de labore manuum quid gloriamini, cum & Martha laborans increpata, & Maria quiescens laudata sit, & Paulus aperte dicat: Labor corporalis ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia? Optimus labor, de quo Propheta dicebat, Laboravi in gemitu meo. Et de quo alibi: Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, at (ne corporale intelligas exercitium) & defecit spiritus meus, inquit, unde ubi, non corpus, sed spiritus fatigatur, spiritualis labor procul dubio intelligitur. Quid ergo inquis? Siccine spiritualia illa persuades, ut etiam hæc quæ ex regula habemus corporalia damnes? Nequaquam: Illa oportet agere, & ista non omittere; alioquin cum aut ista omitti necesse est, aut illa: ista potius omittenda sunt quam illa. Quanto enim spiritus melior corpore, tanto spiritualis quam corporalis exercitatio fructuosior. Tu vero cum de horum observatione elatus, aliis non eadem observantibus derogas, nonne te magis regulæ transgressorem judicas? Sunt ergo ad opus manuale astricti illi, qui habent ex obligatione professionis, nisi forte opus manuale commutent in spirituale, ita quod hoc etiam fit de voluntate, & licentia superioris.

1. Tim. 4. Psal. 6. Psal. 76.

Ad IX. Ad illud quod obiicitur de Glossa, dicendum quod illud totum est consilium, sicut textus ille super quem Glossa fundatur. Nec aliquis ad totum illud, nec ad partem se astringit, nisi quantum ex professione promittit. Unde sicut eleemosynas dare non est præceptum illi, qui omnia dedit: sic nec illud intermedium, scilicet operari, tenet rationem obligationis necessariæ, sed solius suasionis monitoriæ, vel etiam consultivæ.

Ad X. Ad illud quod obiicitur de Hieronymo, & Benedicto, jam manifesta est responsio per prædicta.

Ad XI. Ad illud quod obiicitur de B. Francisco, dicendum, quod in regula B. Francisci, quædam dicuntur præceptorie, quædam monitorie, quædam informative, sicut ipsa regula aperta vocabula distinguit expresse. Hoc autem quod dictum est de labore, non est dictum præceptorie quia non imperaret quod faceret devote, cum hoc non sit in nostra potestate, sed dictum est informative. Informat enim quorum sit manualiter operari, & qualiter quia illorum, qui habent gratiam & facultatem virtutis, & industriam artis, & opportunitatem loci, & temporis. Qualiter, quia fideliter ad proximum, devote ad Deum, & me-

-deſte ad ſe ipſos. Unde Sanctus intelligens per Spiritum Sanctum ſuam vocationem, in qua erant laici cum Clericis, nec mandatum dedit de manualiter operando, nec tamen omnino reticuit, ut laici, & qui non ſunt ad ſpiritualia idonei, nec circa neceſſaria fratrum intenti, nec adhuc ſunt ad contemplationis in- A defeſſum otium elevati, panem non comederent otioſi. Cum enim omnibus ſit cavenda otioſitas tamquam ſentina omnium vitiorum, potiſſime his cavenda eſt qui ſe perfectioni Evangelicæ aſtrinxerunt. Sic ergo patet, quod non omnes validi pauperes etiam non curati ad opera manualia ſunt aſtricti.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS, OPUSCULUM

QUOD INSCRIBITUR APOLOGIA PAUPERUM.

Evangelicæ paupertatis excellentiam, meritum, & utilitatem S. Bonaventura hoc Opusculo explicat, & Fratrum Minorum statum securum, meritorium, & Deo gratum probat, adversus Gyraldum de Abbatis Villa, Parisiensem Doctorem, & regulæ S. Francisci calumniatorem. Qui cum in B. Franciscum, & ejus Ordinem linguam blasphemam relaxasset, divina ultione percussus, paralysi dissolutus, & lepra percussus interiit. Opusculum vero hoc, titulo eodem inscriptum Tritbemius S. Bonaventuræ tribuit: cujus initium esse testatur: Summi Legislatoris, &c.

SUMMA CAPITUM SINGULARIUM RESPONSIONUM HUJUS OPUSCULI.

Responsionis primæ hæc sunt capita.

Cap. I. in quo calumniatoris perversa intentio detegitur, & veræ condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

Cap. II. in quo capitalis error circa notificationem perfectionis, & imperfectionis eliditur, & veræ perfectionis exemplaritas, & differentia ipsius ad imperfectionem refertur.

Cap. III. in quo Evangelicæ perfectionis integritas panditur, ejusque status sublimis, & gradus multiformis aperitur.

Responsionis secundæ hæc sunt capita.

Cap. I. in quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, & e contra fuga de se imperfecta monstratur.

Cap. II. in quo abstinentiæ laus, & perfectio declaratur ejusdem impugnatio calumniosa revellitur.

Cap. III. *in quo jejunii arctitudo, ut consonat perfectioni defenditur, & ejus multiplex commendatio subinfertur.*

Responsionis tertiæ hæc sunt capita.

Cap. I. *in quo voluntaria & penuriosa paupertas fundamentum Evangelicæ perfectionis astruitur, & quæ huic videri possunt contraria dissolvuntur.*

Cap. II. *in qua possessionum Leviticarum, & Ecclesiasticarum affluentia monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, & commendatio divitiarum ostenditur non esse secura.*

Cap. III. *in quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, & penuriosæ paupertatis duodenaria prærogativa monstratur.*

Responsionis quartæ hæc sunt capita.

Cap. I. *in quo Religio carentium loculis ab errore defenditur, & verum jus possessionis Ecclesiasticæ declaratur.*

Cap. II. *in quo professio fratrum Minorum veraciter carere ostenditur, & appropriatione rerum immobilium sive mobilium, & proprietate pecuniarum tam in proprio, quam in communi.*

Cap. III. *in quo Evangelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur.*

PROLOGUS.

SUmmi Legislatoris inviolabili constat diffinitione sancitum, sic Majestati æternæ cultum debitum esse reddendum, quod idolorum cultura vitetur, sic redigendum intellectum creatum in summæ veritatis obsequium, quod nullus falsitati præbeatur assensus, sic vacandum sanctificationi spirituum, quod ferietur a servitute carnalium voluptatum, sic denique virtutum Deiformium approbandam esse rectitudinem, quod deformantium vitiorum pravitas reprobetur. Præterea sicut veritatem fidei, & morum amore præcipuo jubemur desiderare, A ac quærere: sic & errores eidem oppositos, summo astringimur horrore vitare, tantoque vehementius, quanto perniciosiores esse probantur. Quod quia Scripturæ sacræ Catholicos tractatores non latuit, mox ut suboriri senserunt perversorum dogmatum germina, magno studuere conatu illorum convulsioni operam diligentem impendere, ne si in altum succrescerent, sationis Dominicæ semina suffocarent. Porro diebus istis novissimis, quibus evidentiori claritate veritatis Evangelicæ fulgor illuxerat (quod absque profluentium exuberantia lacrymarum nequaquam referre valemus) dogma quoddam pullulasse, jamque in scriptis redactum B reperimus, quod tamquam fumus teter, & horridus e puteo abyssali prorumpens, ipsiusque solis justitiæ splendentibus radiis se directe obiiciens, Christianarum mentium hemisphærium obscurare contendit. Ne igitur tam perniciosa labes (non sine Dei offensa & animarum discrimine dissimulata) concrescat, præcipue cum calliditate serpentina pietatem quamdam in superficie præferat, revelanda est facies indumenti ejus, ut clare detecta fovea, caute possit evitari ruina. Sane quia hujusmodi fabricator erroris, cum adhuc sit viator, ut credimus, corrigi potest per Dei clementiam, sollicite pro eo interpellandus est Chri- C stus, ut suæ vocis virtute, ac sapientiæ lumine ejus, quam Saulo quondam exhibuerat, miserationis non immemor, & protervientem deterreat, & superbientem humiliet, & errantem requirat, corrigat & reducat. Et quoniam meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula, nequaquam peccatorum oleo, adulatione videlicet impinguandum est ipsius languidum caput, nec tumidi cordis apostema palpandum: quin potius procacis hominis erectam cervicem, oportet dura increpatione ferire, non quidem amari cordis odio, sed tranquillæ mentis æmulatoria charitate. Ipsum vero dogma pestiferum ordinato competit improbare progressu, ut per modum apologiæ objectioni coaptetur

Prov. 27.

tur responsio, & impugnationi defensio correspondeat ex adverso. Quoniam igitur primo perfectionis Evangelicæ apicem conatur deiicere, dehinc præcipitare mœnia, tertio evertere fundamenta, tandemque pauperum Christi professionem falsis criminationibus infamatam, abominabilem reddere mundo: quadruplex in contrarium responsionum est instruenda munitio, quarum quælibet tripartita sit, juxta quod exigit materia, quatenus triangulari hujusmodi armatura Evangelici milites, velut veritatis scuto circumdati, contra fulminantium telorum acumina protegantur invicti.

RESPONSIONIS PRIMÆ,

CAPUT PRIMUM.

In quo calumniatoris perversa intentio detegitur, veræ condescensionis Christi sublimis perfectio declaratur.

IGITUR libellum illum calumniosum, cujus hoc initium est: Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines, &c. cum æmulatione, non secundum scientiam fuisse conscriptum, neque sanam continere doctrinam, qui diligenter vult considerare luculenter potest advertere. Primum quidem quia in defensione illius libri erronei, qui sic incipit: Ecce videntes clamabunt foris, paucis revolutis temporibus per Sedem Apostolicam reprobati, non absque nota rebellionis est editus, Legislatoris spreta sententia, quam in Deuteronomio sanxit: Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, & sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis morietur homo ille. Quod si tempore Sacerdotii figurativi Pontificis sententiæ adversari malum erat, mortisque pœna mulctandum: multo fortius tempore veritatis, & gratiæ revelatæ, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur, malum esse constat nullatenus esse tolerandum, in fide vel moribus ejus diffinitioni dogmatizare contrarium, approbando quod ipse reprobat, reædificando quod ipse destruit, defensando quod damnat. Dehinc si quis libri totalis continentiam vigili circumspectione consideret, non sanam, sed potius insanam & impiam disseminare doctrinam oculata fide perpendet. Nam in primo libro, fugam persecutionis, & mortis tamquam actum maxime competentem vitis perfectis, & sanctis, magnis extollit præconiis, abstinentiam vero, & jejunium tamquam spiritualium medicamenta morborum, maxime astruit competere imperfectis. In secundo vero statum opes habentium ostendere nititur omni laude dignissimum, & e contra statum nihil habentium periculosum astruere conatur, atque imperfectum. In tertio quoque Religiosorum mendicantium pauperiem & abjectionem, quantis potest cavillationum versutiis impugnare molitur. Ex quibus patenter colligitur, quod hujusmodi perniciosa doctrina, non tantum Sedi Apostolicæ, sed etiam sedi Dei, & agni adversatur aperte. Cum *Matth. 5.* enim S. Evangelium, beatos dicit pauperes: beatos qui lugent, beatos qui esuriunt, beatos qui cum gaudio, & desiderio persecutionem patiuntur, ut sic nos ad arctam inducat viam, quæ ducit ad vitam, hic e contrario dogmatizat perfectos, & beatos, qui persecutionem fugiunt, qui jejunia solvunt, qui redditibus affluunt, qui etiam summis honoribus extolluntur. Quod quam sit alienum a Salvatoris doctrina, nemo Christianus ignorat, cum & ipse magister omnium Christus, non ad solatia carnis, sed ad supplicia crucis discipulos suos semper invitet. Denique quam perversi fuerit zeli amaritudine motus, qui prædictum edidit librum, & libri declarat titulus, progressus & terminus. Nam cum adversus eum scribat, qui contra libellum damnatum opusculum quoddam composuit, cujus ini-

Deut. 17.

tium est: Manus quæ contra omnipotentem erigitur, in quo secundum totalem intentionem scribentis, & continentiam libri, paupertatis eximiæ perfectio defenditur, astruitur, & laudatur: hic e contrario titulum libello suo præmittit, quod liber hic est contra adversarium perfectionis Christianæ, & Prælatorum & facultatum Ecclesiæ, quasi non possit paupertatis celsitudo laudari, nisi in injuriam Christi, & Ecclesiasticæ dignitatis. in quo se ostendit, vel impium, vel ignarum, dum vel scienter innocenti falsum impingit crimen, vel ex inconsideratione propria non advertit, quod diversi status in Ecclesia Christi commendari possunt laudibus præcelsis, B & propriis, non tamen dissonis, quamquam diversis. Numquam enim qui commendat virginitatem, adversarius censendus est esse conjugii, aut qui laudat solitudinem, adversarius dicendus est cœnobiticæ vitæ. Certe sancta mater Ecclesia, quæ in laudibus cujuslibet confessoris pie decantat: Non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi, non propter hoc glorioso detrahit Apostolorum choro, vel canditato exercitui martyrum, cum quilibet status suam prærogativam habeat, de qua potest sine aliorum injuria specialiter commendari. Porro si laus filiorum non diminuit, sed amplificat laudem patrum, commendatio spiritualium pauperum potius censenda est exaltatio, & glorificatio, quam depressio Prælatorum. Ex quibus aperte relinquitur, præfatum titulum, a falsi criminis impositione sumpsisse originem, per quem pauperum hostis molitur procurare dissidium inter patres & filios, tutores, & orphanos, nutritios & alumnos: ut sic patronorum suorum subsidio destitutos, deglutiat inopes, rapiat pauperes, & interficiat innocentes. Hujusmodi enim pauperes, de quorum numero fuit ille, contra quem scribit, in ipso sui libri exordio de præsumptione notat de amore privato, de sui complacentia, jactantia, & arrogantia inaudita, videlicet, quod se præferat Christo, dum in prima sui oris apertione sic ait: Tantum sibi præsumptionis assumpserunt quidam homines seipsos amantes, sibimetipsis placentes, ac suam non Christi justitiam prædicantes, ut cum dicat Apostolus: Estote imitatores mei, sicut & ego Christi: ipsi e contrario dicunt: Estote imitatores nostri, in quibus non sumus imitatores Christi: Hæc namque sunt prima verba ipsius, in quibus aperte declaratur, quod liber ipse totalis trahit originem ab eo, qui est mendacii pater, & in veritate non stetit, qui homicida fuit ab initio, & accusator est fratrum. Qui enim tales inter Ecclesiæ membra sunt, certe si qui sunt, omnino tamquam Luciferiana tumescentes superbia, ex hac & æterna vita delendi sunt. Quod si reperiri nequeunt, quia non sunt, vel in ventum loquitur, vel innocentes calumniatur, non attendens illud Sapientis: Qui calumniatur egentem, exprobrat factori suo: honorat autem eum qui miseretur pauperis. Nec dubium divina providentia id gestum esse, quod tali dogmati tale præmitteretur initium, ut qui legit agnoscat, quod libelli hujus conscriptor, ut detractor loquitur, non ut doctor. Sane quia detractionis vitium excæcationem inducit, Gregorio in registro dicente: C Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quod in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant, ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant: Ideo perversi hujus dogmatis cultor semper dum scribit in pejus proficit, & tamquam cæcus in foveam ruit. Nam consequenter annectit: Quid enim aliud dicere volunt, qui in suis scriptis dogmatizant, quod Christus Dominus aliqua egit, non in summæ perfectionis ostensionem, sed in infirmorum, seu imperfectorum condescensionem, cujus contrarium aliquando viris perfectis facere licet, non vituperabiliter, sed laudabiliter immo laudabilius agitur, quam omittitur. Hoc est etiam quod pro summo habet errore, quod tam-

Eccli. 44.

1. Cor. 4.

Prov. 14.

Greg. Reg. lib. 8. ep. 45. ad Palladium Presbyt.

tamquam venenum abhorret, & respuit, quod Christus Deus cujus perfecta sunt opera; aliquod opus effecerit, per quod imperfectis condescenderet, & infirmis, ac per hoc condescensionem hujusmodi tamquam rectitudini perfectæ contrariam, ab exemplari omnimodæ perfectionis omnino astruit esse alienam. Quod quamvis superficie tenus videatur excelsam Justitiæ perfectionem in Christo prætendere, & ideo ad ejus laudem pertinere, quia tamen ab ipso actum summæ pietatis excludit, nihil aliud est, quam fontis misericordiæ venas, salutisque vias inique præcludere, necnon Regis, æterni condescensivam clementiam impie blasphemare.

Ad defensionem igitur veritatis, & improbationem erroris, eligere disponimus exemplo David quinque limpidissimos lapides de torrente redundantis sapientiæ Catholicorum Doctorum, quibus si pia fide veritati assentiri voluerit, nobiscum armetur: si autem ut effrons resistere, in fronte feriatur. Audiat ergo primum quid dicat August. Habuit, inquit, Dominus loculos, & dictum est de quibusdam Religiosis fœminis, quod ministrabant ei de substantia sua. Futurus erat & Paulus nihil tale aliquando quærens, & omnia provincialibus donans. Sed quia multi infirmi ista quæsituri erant, magis infirmorum personam suscepit Christus. Sublimius Paulus numquid & Christo? Sublimius Christus, quia misericordius. Cum enim videret Paulum non esse ista quæsiturum, prævidit ne damnaret quæsiturum, & præbuit exemplum infirmo. Cum enim videret multos promptos, & gaudentes ituros esse ad martyrium passionis, exultaturos in ipsa passione, fortes, centenarios, maturos ad horreum, tamen infirmorum quorumdam, quos videbat posse conturbari ventura passione ne deficerent, sed potius voluntatem humanam voluntati Creatoris conjungerent, ipsorum personam voluit suscipere Christus in passione dicens: Tristis est anima mea usque ad mortem. Hæc Augustinus: Quid hoc clarius? quid limpidius contra adversarium veritatis dici potest? Non enim valet intorqueri ad infirmitatem carnis, quod ait in loculis, & in formidine passionis infirmorum personam suscepisse Christum. Nam & Paulus ipse, & illi, quos ad passionem dicit ire gaudentes, quos etiam ab infirmis hujusmodi in verbo præfato distinguit a carnis infirmitate, cum essent mortales homines, nequiverunt esse immunes. Beatus quoque Ambrosius super illud Salvatoris in Luca: Transfer a me calicem hunc, errant, inquit in hoc loco, qui tristitiam Salvatoris ad argumentum insolitæ potius a principio, quam susceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis sensus cupiunt detorquere sententiæ. Nusquam magis pietatem ejus, majestatemque demiror, minus enim mihi contulerat, nisi meum suscepisset affectum. Hæc S. Ambrosius: Ex quibus aperte colligitur, quod præter illum generalem mortis horrorem, qui communis est omnibus tam in passione gaudentibus, quam etiam ceteris, aliquem affectum susceperit ad condescendendum, non tantum carne, sed etiam mente infirmis. Chrysostomus etiam super Matthæum: Vides, ait, quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cum comedat & bibat, cum videatur ex adverso Joanni faciens, & hæc Judæorum gratia salutis facit, magis autem orbis terrarum universi. Quid his clarius dici potest? in quibus asserit, Christum condescendisse in cibo & potu Judæis, qui utique infirmi erant, non tam carne, quam mente: nam & infirmitatem carnis ipse Joannes habebat. Greg. in Moralib. l. 12. super illud: Putas ne mortuus homo rursum vivat: Solent, inquit, justi in eo, quod ipsi certum sentiunt, quasi ex dubitatione aliquid proferre, ut infirmorum in se verba transforment: sed rursum per fortem sententiam dubietati contradicunt, quatenus per hoc quod dubie proferre cernuntur, infirmis aliquatenus condescendant, & per hoc quod certam sententiam proferunt, infirmorum mentes ad so-

Margin notes: 1. Reg. 17. — Aug. enar. in Ps. 103. conc. 3. circ. med. t. 3. — Christus suscepit personam infirmorum. — Mat. 14. — Luc. 22. — Chrys. homil. 17. super Matt. — Greg. lib. 12. Mor. c. 8. Job. 14.

soliditatem trahant. Quod dum faciunt, exemplum nostri capitis sequuntur, qui passioni propinquans, infirmantium in se sumpsit vocem, dicens: Pater si possibile est, transfer calicem hunc a me, sed vim fortitudinis ostendens ait: Non sicut ego volo, sed sicut tu. Hucusque Gregorius: Per quæ patenter ostendit condescensionem & infirma & imperfecta mortalium, non solum ad membra Christi fortia pertinere, sed etiam ad caput. Tandem magister Hugo in expositione illius Psalmi: Bonum est confiteri Domino, sic dicit: Habebat Jesus loculos, & ea, quæ dabantur, suscipiebat, conformans se imperfectis. Paulus autem nolebat sumptus accipere de Evangelio, sed gratis factus est minister verbi, & invenitur Paulus aliquid majus fecisse, quam Christus. Christus autem in numero imperfectorum inveniri voluit, ne præsumerent non accipientes, & confunderentur accipientes, & æstimaretur non esse Christianus, faciens quod noluit facere Christus. Hoc Catholici Doctoris testimonio quinto, directe hostis condescensionis Christi in fronte percutitur, quo non solum astruitur, quod magister perfectionis ex condescensione loculos habuerit, verumetiam quod oppositum hujus non solum laudabiliter, sed laudabilius habet fieri, quam omitti.

Luc. 22.

Hug. de S. Vict. in Psal. 91. cap. 64.

Ut autem hoc clarius elucescat, consideratione pervigili attendendum est, quod sicut tripliciter bonum dicitur, & etiam malum, sic & perfectum & imperfectum, videlicet in genere, ex circumstantia, & secundum se. Bonum namque in genere, est actus transiens super materiam debitam, ut ire ad Ecclesiam, dare eleemosynam. Bonum ex circumstantia, est actus laudabilibus circumstantiis informatus, sicut dare eleemosynam servatis debitis circumstantiis circa dantem, datum, & accipientem, quantum ad loca, tempora, & personas. Et hæc duo bona depravari possunt per alicujus circumstantiæ defectum, & maxime propter inordinationem intentionis, utpote si quis in dando eleemosynam, vel jejunando, vel eundo ad Ecclesiam, hoc faciat, ut gloriam capiat humanam. Tertium autem est bonum secundum se, quod nullo modo potest esse malum, aut male fieri, sicut est opus virtutis ex charitatis radice procedens. Per hunc etiam modum, tripliciter dicitur malum. Malum, inquam, in genere, dicitur actus transiens super materiam indebitam, sicut occidere hominem. Malum ex circumstantia, dicitur actus informatus deordinata circumstantia, ut comedere extra horam. Mala secundum se sunt illa, quæ mox nominantur conjuncta malo, ut mentiri, fornicari, odire veritatem, approbare errores. Simili etiam modo perfectum dicitur tripliciter. Perfectum namque in genere, est actus difficilis, & excellens, sicut est omnia relinquere, & intrare Religionem. Perfectum ex circumstantia, dicitur actus difficilis debitis circumstantiis adornatus, ut relinquere divitias gaudenter, & ad ædificationem proximi. Perfectum autem secundum se, est actus difficilis a charitatis sublimitate procedens, ut est motus fervidæ, & extractæ dilectionis in Deum, vel puræ & plenæ dilectionis ad inimicum. Juxta hunc etiam modum, imperfectum dicitur tripliciter. Imperfectum quippe in genere, dicitur actus facilis ad quem humana infirmitas inclinatur, sicut fugere mortem, pecuniam possidere. Imperfectum ex circumstantia, dicitur actus informatus circumstantia inclinatus ad infimæ justitiæ statum, ut vim facienti dimittere vestem, propter fugam majoris injuriæ. Imperfectum autem secundum se, quod nullo modo potest stare cum perfectione Evangelica, sicut ducere uxorem, & fugere paupertatem. Cum igitur tam multiformiter dicatur tam perfectum, quam imperfectum, clarum est, quod sicut malum ex genere potest fieri bonum ex circumstantia ut occidere hominem, quia maleficus est, & quia lex jubet, & quia Reipublicæ confert, & e converso bonum ex genere potest fieri malum ex circumstantia, utpote dare eleemosynam propter vanam gloriam: sic & perfectum in genere potest fieri imperfectum

ex

ex circumstantia, ut puta sua relinquere modica, ut quis capiat majora bona Ecclesiastica, vel ab omni actu libidinis carnalis continere propter corporis vitam prolongandam, & e contrario imperfectum in genere potest fieri perfectum ex circumstantia utpote fugere mortem, ut quis gloriosius, & fructuosius & opportunius patiatur pro Domino, quomodo fugit Christus, & Apostolus Paulus: Sic & in consimilibus similiter est judicandum. Ex his patenter liquet, quid veraciter de Christi operibus sentiendum sit. Nam cum loquimur de Christi operibus potest fieri sermo de ejus opere interiori, vel exteriori. Interius dicimus opus operans, exterius opus operatum. Omne autem opus Christi operans sive interius est perfectissimum, quia ex perfectissima charitate processit, & hoc est opus, & actus perfectissimæ voluntatis & virtutis. Opus vero ejus exterius in se consideratum, aliquando fuit perfectum de genere actus, utpote morti se offerre, vel animam pro ovibus ponere: aliquando imperfectum ut a facie persequentium fugere, & seipsum abscondere, & pro amotione calicis exorare. Verumtamen hoc opus relatum ad Christi charitatem, & rationem, & causam, quare hoc faciebat, & ad personam suam efficitur perfectissimum. Unde Bern. tractans illud: Si fieri potest, transeat a me calix iste, ait: Agnosco in duce belli pusillanimitatem, trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis, considero charitatem, stupeo dignationem, & expavesco humilitatem. Misericors Dominus non B. Andreæ robustum sibi sumpsit affectum, quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus, & si quem dignatio tanta scandalizet, plane meretur audire: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Huic enim odor vitæ in mortem est. Quid enim magnum fuit Domine Jesu, si accedente jam hora mortis propter quam veneras, intrepidus stares, tamquam qui potestatem habebas ponendi animam tuam, & nemo tollebat eam a te? Aut non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non solum passio corporis, sed etiam cordis affectio, pro nobis faceret, & quos vivificabat mors tua, nihilominus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos faceret, & desolatio consolatos. Hucusque Bern. Et hoc ipsum est, quod dicit Augustinus in auctoritate superius allegata, quod sublimius aliquid fecerat Paulus, quam opus quod fecerat Christus, nec tamen Paulus sublimius Christo, immo Christus sublimius, quia misericordius. Quod ideo dicit, quia ipsa condescensio Christi, qua membris suis condescendebat infirmis, & imperfectis ex sublimitate procedebat perfectissimæ charitatis. Sicut enim humanam assumendo naturam, in nostris quidem factus est humilis, sed in propriis permansit excelsus: sic & summæ charitatis dignatione, ad actus quosdam nostræ imbecillitati, & imperfectioni conformes deprimitur, & a summæ perfectionis rectitudine non curvatur. Ac per hoc verum est, quod Christi perfecta sunt omnia opera ad ipsum relata: verum etiam est, quod Christus etiam fecit aliqua opera infirmorum in se suscipiendo personam, & ad nostra condescendendo infirma, & imperfecta. Verum nihilominus quod eorum opposita laudabiliter possunt fieri, & laudabilius est facere illa pro loco, & tempore, quam omittere. Verum est etiam, quod numquam ex hoc discipulus est super magistrum, quia nullus tanta charitate ascendit ad illa fortia quanta Christus condescendit ad ista infirma, & ideo magister est semper supra discipulum, Christus videlicet supra omnem hominem quantumcumque perfectum. Hæc omnia si pie, & diligenter is, cui respondetur, scivisset advertere, numquam tot contra Christi condescensionem protulisset ineptias: Et tunc si misericordia Dei præventus, ut per omnem modum optamus, & suppliciter petimus, humilitatem discere velit, non alteri conabitur hæreticæ pravitatis crimen impingere, sed proprium corrigere, ac deplorare studebit errorem, nisi forte quod avertat Deus, de

Omne opus Christi interius est perfectissimum.

Bern. in ser. de S. Andrea.

Matth. 20.

Aug. enarr. in Ps. 103. conc. 3. circa med. tom. 9.

Omne opus Christi ad ipsum relatum, est perfectissimum.

de numero sit illorum, qui Christi sublimis, & humilis altam & condescensivam ignorantes justitiam, & inflexibilem, quemdam magistro perfectionis attribuentes errorem, veræ ac piæ Christi justitiæ convincuntur esse contrarii potius quam subjecti.

RESPONSIONIS PRIMÆ,

CAPUT SECUNDUM.

In quo capitalis error circa notificationem perfectionis, & imperfectionis eliditur, & veræ perfectionis exemplaritas, & differentia ipsius ad imperfectionem refertur.

QUemadmodum autem condescensionis Christi adversarium valida Doctorum prostravit auctoritas, sic & perversi ejus dogmatis caput propriæ assertionis mucro detruncat, dum idem perfectionis Evangelicæ oppugnator impiis sensibus invertendo Scripturas & imperitis sermonibus involvendo sententias, non solum a veritate dissentit, verum etiam sibiipsi contradicit. Quanta namque sit in sequentibus intellectus perversitas, quantus Scripturarum abusus, quanta involutio sententiarum, quantaque repugnantia sensuum, quia longum esset explicari per singula, prudenti lectori sufficere credimus, si aliqua illorum succincte tangamus. Siquidem a diffinitione perfectionis quasi capitale sumens exordium, dicit quod perfectio hujus vitæ est, non ut peccatum non habeamus, sed ne regnet in nostro mortali corpore. Hoc quamvis sit veraciter, & catholice verum, & a sanctis acceptum: quia tamen in hoc perfectionis Evangelicæ terminum ponit, & complementum constituit, a vera perfectionis notitia procul esse convincitur. Nam cum omnis homo ad hoc, quod peccatum in ipso non regnet, divino sit præcepto astrictus, omnis igitur homo teneretur esse perfectus. Iterum si quantumcumque charitas parva ad hoc sufficit, sequitur, quod minima charitas ad perfectionis culmen attingit. Quid igitur dicit Augustinus, quod charitas meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici? Amplius, si perfectio est, quod peccatum in nobis non regnet, igitur imperfectio est, quod regnet. Sed cum peccatum in nobis non potest regnare nisi cum sumus in peccato mortali, omnis igitur imperfectio est peccatum mortale. Quod quam absurdum sit, & a veritate dissentiat, nemo qui aliquid novit, ignorat. Dehinc vigilans lector attendat, qualiter in subsequentibus imperfectionem diffiniens, sibiipsi contradicat aperte. Subdit enim: Imperfectio est circa possibilitatem humanæ conditionis non conformari Christo. Sed hoc potest esse non solum absque mortali peccato, quia nullus ad hoc tenetur, verumetiam absque veniali in his potissimum, quæ sunt consilii, & in nostræ ponuntur liberæ voluntatis arbitrio, ac per hoc omitti possunt absque ullo peccato, sicut expresse patet in voto paupertatis, & continentiæ virginalis. Quod autem subjungit dicens, quod a mandatis Christi, & ejus operibus discordare, est imperfectio, a qua Apostolus discipulos dehortatur, non solum a præcedentibus dissonat, verum etiam repugnantiam in se claudit manifestam. Nam discordari a Christi mandatis, semper est peccatum mortale, discordare vero a Christi operibus potest esse peccatum veniale, vel omnino nullum peccatum. Apparet igitur, quod seipsum nequaquam intellexit, dum in eadem propositione duo sibi contraria simul includit. Deinde quod verba inculcans de imperfectionis notificatione subnectit dicens: Imperfectio vitæ est a regula justitiæ, & a vestigiis Christi distorqueri, ubi Christum posset secundum carnem corruptibilem imitari: ostendit se non solum veritatis intelligentia vacuum, sed etiam verbis veritatis egenum. Verum de verbis cura permodica, magis autem discutienda verbi sententia, & abiicienda tamquam distorta. Dic enim quod imperfectio est distortio a regula justitiæ. Constat autem, quod justitia est rectitudo voluntatis, sicut dicit Ansel. Si igitur est quædam justitia perfecta,

Ans. Dial. de veritate c. 12.

quæ-

quædam imperfecta, sequitur necessario, quod sit quædam justitia distorta. Amplius, si est rectitudo justa, distortio etiam injusta. Si igitur imperfectio est distortio, imperfectum erit injustum. Sequitur ergo si imperfectio est distortio, quod aliqua justitia sit injusta. Denique cum virtus omnis, ut ait Augustinus, sit recta ratio, necessario sequitur quod distortio sit peccatum. Si igitur universaliter imperfectio est distortio, sic imperfectio universaliter erit peccatum, cum aliqua charitas sit imperfecta, consequentia necessaria potest inferri, quod charitas sit peccatrix. Ac per hoc colligitur ex præmissis secundum notificationes imperfectionis præhabitas, quod justitia sit injusta, rectitudo, distorta, & charitas vitiosa. Ad majorem quoque imperitiæ suæ declarationem paulo post subdit, quod sapiens magnam asserit esse gloriam sequi Dominum, & quod simpliciter dictum est universaliter intelligitur. Quod si verum est, cum velle sequi Dominum in aliquibus suis actibus sit magna præsumptio, utpote in miraculis, in judiciis, in vindictis, & in prævidendis futuris, & consimilibus: igitur si hoc verbum simpliciter dictum est universaliter intelligendum, aut magna erit gloria sequi Dominum in his ad quæ aspirare est præsumptuosum, & imperitum: aut secundum istius perversum judicium sapiens dixit falsum. Huic quoque dementiæ, & aliam non minorem adjunxit dicens, quod Christus adolescenti dixit, sequere me, non distinguens in quibus & qualibus, sed simpliciter, & magna ut dicit præsumptio est, velle distinguere ubi Dominus non distinxerit, quia legislatoris est proprium, legem interpretari quam condidit. In qua quidem assertione, & ipsi fidei, & sanctorum Patrum sententiæ, & etiam sibimet contradicit aperte. Nam si ubi Christus in sermone proprio non distinxit, nec nos debemus distinguere, cum dixit: Pater major me est, errat Catholicæ fidei sensus, quo docetur non ad Christi divinitatem, sed ad ejus tantummodo humanitatem, præfatum

Aug. l. 4 adv. Julianum Pelag. c. 3 ante medium. t. 7

Joan. 14

A verbum esse referendum. Errant nihilominus sancti, qui Christi eloquia explanando, & distinguendo exponunt, & exponendo interpretantur. Errat & ipse, qui consequenter in hoc verbo etiam distinguit dicens, quod non intelligitur de actibus spectantibus ad graduum, & dignitatum distinctionem, sed de aliis tantum. Verum nec his contentus stultitiis, subjungit & alias asserens, quod dicere Deum aliquid præcepisse perfectis, non imperfectis, error sit Manichæorum, & res magni periculi, non attendens, quod sacer dicit Hieronymus contra Jovinianum li. 2. dicit enim; Numquid omnibus præceptum est, ne duas tunicas habeant, ne cibos in pera, æs in zona, calceamenta in pedibus, ut vendant universa quæ habent, & sequantur Jesum? Sed iis qui volunt esse perfecti: alioquin cur a Joanne Baptista, aliud militibus, aliud præcipitur Publicanis? Hæc Hieronymus. Quibus patenter ostendit, hanc suam, immo Scripturarum esse sententiam, quam hic novellus doctor Joviniani erroneum dogma secutus, hæreticam asserit & periculosam. Sane quod addit, mandatis hominem imperfectum non effici, quia mandatum sanctum, bonum, & justum non operatur mortem, sed imperfectio mors quædam est, manifeste verum probans, per manifeste falsum, simul sui ipsius imprudentia declarat, & errorem. Certum enim est, quod mandata nec imperfectos faciunt, nec perfectos, cum tam hi, quam illi ad eorum observantiam astringantur. Certum est etiam, quod imperfectio a perfectione non discrepat, sicut mors a vita distat. Si enim & imperfectio mors est, aut pœnalis, aut culpabilis. Si pœnalis, nullus est in hac vita perfectus, nec etiam ipse Christus; si culpabilis, sed mors culpabilis est culpa mortalis; nullus est igitur imperfectus, qui non sit per mortale peccatum vita privatus. Quod si dicat mortem quamdam dici culpam venialem, valde improprie loquitur, nec tamen declinat errorem, quia nisi culpa venialis est mors faciens imperfectum, & cum non sit

Hieron. l. 2. contr. Jovin. longe ante med.

B

C

major

major ratio de uno veniali, quam de A alio, quoties incidit quis in veniale peccatum, toties decidit a perfectionis statu. Et iterum: Cum nullus quantumcumque justus sit omnino immunis a venialibus, nullus erit in hac vita perfectus, ea perfectione quam consulit Christus, quod est hæreticum, & damnandum. Ad erroris etiam sui cumulationem majorem subsequenter annectit, imperfectionem esse quamdam claudicationem, quæ sub præcepto non cadit, sed sub indulgentia, quemadmodum sua repetere non est præceptum, sed indultum. Quod est plane falsum, cum indulgentia secundum Augustinum in libro de bono conjugali, includit peccatum, & repetere sua imperfectis B est licitum, sicut prima ad Corinth. 6 dicit Glossa: Infirmis licet sua repetere, etiam movendo causam ante judicem. Huic quoque simile est, quod quibusdam vanis, & frivolis interpositis addidit, quæ in novo testamento, etiam quando causa prolis contrahitur matrimonium est indultum. Cui aperte contradicit Augustinus in libro de bono conjugali. Certe, inquit, dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus, sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam non solum causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ fieri non cogunt, sed ignosci impetrant. Concubitus enim sola causa generandi inculpabilis, so- C lus ipse nuptialis est. Hæc Augustinus. Ubi inter ipsum doctorem antiquum, & istum novellum tanta est repugnantia sensuum, & verborum, ut necesse sit alterum eorum asseruisse falsum. Si igitur non suam, sed egregii doctoris vult sequi sententiam, ne in foveam cadat erroris, desinat imperfectionem describere per distortionem, & claudicationem, ut non compellatur ex hoc tamquam distortus, & claudus a veritatis tramite deviare. Quod autem subdit, Christum nulla fecisse opera tantum imitanda perfectis, pro eo quod nemini perfectionem invidit, quasi non posset esse gradus, & distinctio in exemplis Christi & verbis, respectu graduum, & statuum diversorum in hierarchia Ecclesiæ; nequaquam est consonum documentis Scripturæ. Nam Christus dicit specialiter Apostolis: Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, ceteris autem in parabolis, Et iterum loquens ad Patrem ait: Abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Numquid invidus Deus, quia non omnibus sapientiæ suæ revelavit arcanum? Constans est autem, quod sicut Christus sua pro illis qui ea capiebant, proponebant eloquia, ita pariter & exempla. Nequaquam igitur ex invidia, sed ex altissima dispensatione sapientiæ Dei, dividentis dona sua singulis prout vult, quædam proponuntur imitanda Prælatis non subditis, quædam spiritualibus non animalibus, quædam perfectis non imperfectis, quædam fortioribus non infirmis, sicut expresse patet in auctoritate præmissa Hieronymi contra Jovinianum. Nec tamen dicimus, quod opera consiliorum, & supererogationum, illis solis proponantur qui jam perfecti sunt, quin potius omnibus qui ad perfectionis culmen conscendere volunt. Quod quidem tamquam difficile, & arduum, non est omnium, sed paucorum. Porro ratio illa, qua subsequenter conatur astruere Christi opera, & exempla, æqualiter cunctis esse proposita, quia si aliquid egit, quod tantum imitandum esset imperfectis, videretur tunc quod debuisset uxorem accipere, & contentionibus se ingerere, ut horum exempla imperfectis præberet, nullius est efficacia, sed magnæ dementiæ. Nequaquam enim rationem hanc probabilem crederet, nisi experientiam carnalis libidinis & compugnantiam litis condescensioni divinæ dulcedinis in nostris infirmitatibus suscipiendis, temeritate quadam erronea coæquaret. Ac si aperte diceret. Si Christus condescendit infirmitati humanæ in actu comestionis, & fugæ, pari ratione condescendere debuit in actu carnalis libidinis, & litis contentione. Alioquin ratio sua non valet.

1 Cor. 6

Aug. l. de bo. conjug. c. 10. t. 6

Luc. 8.

Matth. 11

let. Et vere non valet, quia non est simile hinc inde, quia in illis infirmitatibus decuit nobis condescendere Christum, quæ communiter respiciunt naturam lapsam, nec aliquam habent fœditatem annexam, in aliis vero nequaquam. Tandem si quis vigilanter attendat quid finaliter concludit, & intendit, patenter advertet, quod seipsum paralogizando multiplici involvit errore. Ait enim: Cum duæ sint partes perfectionis, scilicet sua vendere, ac distribuere, & Christum Dominum sequi, sicut ad fundamentum Religionis requiritur necessario, quod omnia sua relinquat, sic ad complementum exigitur, quod sua relinquens Christum imitetur in omnibus juxta possibilitatem humanam. Propter quod non parvam asserit esse blasphemiam, dicere Christum in his quæ secundum naturam nostram gessit, non in omnibus, sed in aliquibus imitandum, eis potissime, qui perfecti esse conantur. Verum licet verba hujusmodi in superficie videantur aliquam prætendere rationem, tamen secundum veritatem ratiocinatio sua nullum omnino habet vigorem, sed & conclusio multimodam continet falsitatem. Non enim est simile de dimissione suorum, & imitatione actuum Christi. Nam dimittere sua actus est unus, & uniformis, qui perfectioni non consonat, si diminute hoc est secundum partem, & non secundum totum fiat. Actus autem Christi sunt multiformes, & varii, & quamvis in comparatione ad Christi personam omnes sint perfecti, tamen secundum naturam propriam quidam sunt excellentes, quidam condescensivi, sicut in præcedentibus aliqualiter patuit, & subsequenter patebit. Sane si verum est, sicut concludit, quod perfectio dicat universalem conformitatem ad Christi opera, & imperfectio dissonantia, multa per omnem modum sequuntur absurda. Nam cum Christus mulieres, secum comitantes, & ipsum sustentantes habuerit, sequitur, quod imperfectus fuerit Paulus qui hoc recusavit. Cum Christus

A inter homines habitaverit, imperfectus fuerit Joannes Baptista, qui relictis turbis solitaria loca quæsivit. Cum Christus vinum biberit, imperfectus idem Baptista, qui vinum & sceram non gustavit. Cum Christus solus cum muliere locutus fuerit, imperfectus vir qui a mulieris consortio se elongat. Cum Christus mulieri peccatrici pedes osculandos præbuerit, imperfectus vir qui mulierum contactus abhorret, & vitat. Cum Christus dividere hereditatem inter fratres recusavit, imperfectus erit qui jurgantes pro hereditatis divisione germanos ad pacem, & æquitatem reducit. Cum Christus scienter loculos furi conservandos

B commiserit, imperfectus omnis erit, qui furem dispensatorem expellens fidelem requirit. Cum Christus in ipsa sua passione tacuerit, imperfectus omnis erit, qui pro Christo patiens veritatem dicit. Et sic in pluribus aliis potest inductio fieri, ut in fuga, & comestione, & loculis taceamus: quæ omnia tam absurda sunt, ut si quis ea conetur defendere, non tam videatur errare, quam insanire.

Ut autem hæc & his similia prudens lector effugiat inconvenientia, in quæ is cui respondemus ex inconsideratione devenit, attendere debet, quod deceptionis hujus duplex extitit causa. Prima causa est,

C qui cum sciret Christum esse omnis perfectionis exemplum, modum tamen hujus exemplaritatis nescivit, vel advertere neglexit. Secunda causa est, quia cum clare perpenderet imperfectionem a perfectione deficere; modum tamen hujus defectionis non potuit investigare. Intelligendum est igitur, quod cum Christus sit Verbum increatum & incarnatum, duplex est in eo ratio exemplaritatis æternæ videlicet, & temporalis. Æternæ inquam secundum quod est splendor æternæ gloriæ, & figura substantiæ Dei Patris, atque candor lucis æternæ & speculum sine macula majestatis Dei. In quo quidem speculo exemplariter cuncta cre... relucent, quæ a principio conditionis *Heb. 1.*

nis mundi usque in finem, ad perfectionem universi totius, tam spiritualiter, quam sensibiliter producuntur. Et secundum hoc est Christus, ut Verbum increatum, speculum intellectuale, & exemplum æternum totius machinæ mundialis. In quantum autem Verbum incarnatum in assumptæ humanitatis conversatione, exemplum & speculum est omnium gratiarum, & virtutum, & meritorum, ad cujus exemplaris imitationem erigendum est tabernaculum militantis Ecclesiæ. Juxta quod Moysi mysterialiter dictum est: Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Et quemadmodum ab illo uno æterno exemplari indiviso, tam diversæ manant creaturarum naturæ & naturarum perfectiones, secundum variam ipsius summi boni participationem, quod perfecte ab una aliqua creatura capi non poterat, propter quod & diversas constituit Deus rerum species ad universi completionem sic & a Verbo illo incarnato, tamquam ab originali principio gratiæ, de cujus plenitudine accepimus omnes, & tamquam a speculo in quo, & a quo omnis sanctitatis, & sapientiæ plenitudo, & pulchritudo refulget, diversi status, gradus, & ordines secundum variam distributionem donorum, & varium imitandi modum exemplariter derivantur, in quibus secundum multiformem participationem multimoda Christi perfectio sic distribuitur, ut simul reperiatur in omnibus, nec tamen in aliquo uno solo secundum omnimodæ plenitudinis totalitatem refulgeat, sed quilibet gradus & status pro suæ mensuræ modulo secundum plus & minus, istiusmodi exemplaris influentiam suscipit & ad ipsius imitationem accedit. Refulgent autem a Christo tamquam a totius nostræ salutis exemplari, & originali principio actus multiformes. Nam quidam actus in ipso respiciunt sublimitatem potentiæ, ut super aquas siccis pedibus ambulare, elementa convertere, panes multiplicare, se ipsum transfigurare, & cetera miracula facere. Quidam sapientiæ lucem, ut arcana coelestia referre, secreta cordium scrutari, & futura prædicere. Quidam severitatem judicii, sicut vendentes eiicere de templo, cathedras vendentium columbas evertere, & dura increpatione ferire Pontifices. Quidam officii dignitatem, ut sacramentum conficere sacratissimi corporis sui, manus imponere, & relaxare peccata. Quidam condescensionem miseriæ, ut latere in persecutione, trepidare, & contristari in morte, & pro amotione calicis Patrem rogare. Quidam informationem vitæ perfectæ, ut paupertatem servare, virginitatem custodire, Deo & hominibus seipsum subiicere, noctes in oratione pervigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, & morti se summa charitate etiam pro inimicis offerre. Cum igitur sex sint hujusmodi actuum varietates, in his ultimis dumtaxat ipsum imitari est perfectum. Nam in his quæ sunt excellentiæ singularis est impium & Luciferianum, nisi fuerit alicui privilegii singularis dono concessum. In his autem quæ sunt severitatis & dignitatis, est præsidentium, & prælatorum. In his quæ condescensionis, est infirmorum inquantum loquimur ad actum extrinsecum. Nequaquam igitur ut dogmatizat, summa Christianæ perfectionis consistit in universali imitatione actuum Christi, sed tantum illorum qui vitæ perfectæ imitationem respiciunt. Ex quo apparet, quod hujusmodi veritatis ignorantia, prima fuit in eo causa erroris. Quam etiam secunda comitata est videlicet, quod imperfectionem a perfectione rationabiliter non discrevit, dum imprudenter asseruit, quod imperfectio & perfectio differunt, sicut rectitudo & distortio, sicut justitia & peccatum, sicut puritas & pollutio, sicut gloria & ignominia, sicut vita & mors, sicut sanitas & morbus, sicut incessus & claudicatio. Ex quibus magna inconvenientia sequuntur & multa, quorum aliqua superius sunt expressa. Propter quod diligens lector advertat, quod perfectio & imperfectio non differunt, sicut duo contraria, sed

Christus est exemplar militantis Ecclesiæ. *Exod. 25*

Varii, ac multiplices actus in Christo.

In quibus actibus imitari Christum spectat ad perfectionem.

Perfectio, & imperfectio quomodo differant.

sed sicut majus bonum, & minus bonum, sicut fini propinquum & longinquum, sicut magis meritorium & minus, sicut magis deiforme & minus, sicut gloria & sanctitas major & minor. Quod, quamquam intelligentibus sit per se notum, ad tollendum tamen omnem dubitationis scrupulum, auctoritatibus Sanctorum est probandum. Ait enim S. Ambrosius de offic. lib. 1. Officium omne aut medium, aut perfectum est. Quod æque Scripturarum auctoritatibus probare possumus. Habemus enim a Domino in Evangelio dictum: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Non homicidium facies, non adulterabis. Hæc media sunt officia quibus aliquid deest, ideo sequitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Hoc est igitur perfectum officium quod Græci catorthoma vocant, quo corriguntur omnia quæ aliquos poterunt lapsus habere. Hæc Ambros. Ex quibus colligitur, quod medium officium quod est imperfectum nullum dicit peccatum, cum consistat in observantia mandatorum. Item etiam super primam epistolam ad Corinthios: A licitis etiam temperare voluit fideles, ut non solum innocentes, sed & gloriosi videantur. Concessa enim præterire virtutis est maximæ. Hæc Ambros. Si igitur uti licitis innocentia, concessa præterire perfectio, constat quod imperfectio simul cum innocentia stat. Non est ergo peccatum. Aug. quoque de bono conjugali: Quid dicturi sumus ad evidentissimam Apostoli vocem dicentis: Quod vult faciat, non peccat si nubat, & si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit virgo non peccavit? Hinc certe dubitare fas non est, nuptias non esse peccatum. Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissime dici non eos peccasse, quibus venia conceditur? Hæc August. Constat autem, quod nuptiæ non stant cum Evangelica perfectione, qua eunuchizari docet Christus propter regnum cœlorum. Igitur imperfectio non requirit veniam, nec est de se aliqua culpa. Idem etiam in eodem libro: Bonum, inquit, erat quod fecit Martha, occupata circa ministerium Sanctorum, sed melius quod Maria soror ejus. Bonum Susannæ in conjugali castitate laudamus, sed tamen ei viduæ Annæ bonum, & multo magis Virginis Mariæ bonum anteponimus. Bonum erat quod faciebant qui de sua substantia Christo, & suis discipulis ministrabant: sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, ut Christum Dominum expeditiores sequerentur. Hæc August. In quibus luculenter ostendit, quod perfectum non differt ab imperfectione, sicut virtuosum a vitioso, sed sicut majus bonum a minus bono. Hoc ipsum Hieron. dicit expresse: Vis, ait, esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Et post: Non vis esse perfecta, sed secundum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia quæ habes, da propinquis, da filiis, nemo te reprehendit si inferiora secteris, dummodo scias illam tibi jure prælatam, quæ elegerit prima. Hucusque Hieron. Ecce quam patenter ait & asserit, quod imperfectio, quæ est secundi & inferioris status & gradus, non dicitur quod reprehensibile, & peccatum. Idem quoque Hieron. ait: Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. In duobus primis peccatum omne concluditur, reliqua vero in nostra posita sunt potestate, ut aut cum minori gloria utamur concessis ac licitis, aut ob majus præmium ea, quæ nobis concessa sunt respuamus. Hæc Hieron. Quid hic clarius ad propositum dici potest? Quibus quantumcumque tardum ingenium, nisi forte fuerit excæcatum malitia, ab omni præfati erroris caligine non dubitamus posse purgari, maxime si velit advertere, quod recenter baptizatus, quamquam nondum pervenit ad apicem perfectionis & meriti, nulla tamen est infectus labe peccati.

Amb. l. 1 de offic. c.
Matt. 19.
Ambr. su. ep. 1 ad Cor. c. 7
Aug. de bo. co. ju. c. 8. & 6. 1 Cor. 7
Idem ibi. c. 8
Hier. ad Hedibiam epi. 150. q. 2
Hier. in ep. ad Demetriad. quæ est prima t. 9 ant. med.

RES-

RESPONSIONIS PRIMÆ, Caput Tertium.

In quo Evangelicæ perfectionis integritas panditur, ejusque status sublimis & gradus multiformis aperitur.

Quoniam autem scriptoris intentio non tam debet esse de falsitatis reprobatione, quam de veritatis reseratione sollicita, quatenus erroris tenebrositate depulsa, mentalibus legentium oculis radius veræ lucis infulgeat: ideo perfectionis notificatione falsa & erronea jam improbata, considerandum nobis est, in quo perfectio consistat, tandemque per quem modum unus status perfectionis, alterum in ipsa perfectione transcendit. Sciendum est igitur, quod radix, forma, finis, complementum, & vinculum perfectionis charitas est, ad quam Magister omnium Christus legem & Prophetas, & per consequens universa Dei documenta reducit. Ipsa vero charitas triplicem habet statum. Unum quidem infimum in observantia mandatorum legalium. Secundum vero medium, in adimpletione spiritualium consiliorum. Tertium vero summum in perfruitione sempiternalium jucunditatum. Ideo triplex est perfectionis differentia, in S. Scriptura scripta: Una quidem necessitatis, de qua in Deuter. Perfectus eris & absque macula coram Domino Deo tuo. Glossa, id est, absque macula criminali. Et de hac Prosper dicit in lib. de vita contemplativa. Perfecti sunt, qui volendo quod Deus vult, nullis peccatis, quibus Deus offenditur, acquiescunt. Secunda est perfectio supererogationis, de qua dicitur in Matthæo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et de hac dicit Hieron. Perfectus servus Christi nihil præter Christum habet, aut si præter ipsum aliquid habet, perfectus non est. Tertia est perfectio ultimatæ plenitudinis, de qua Sapiens in Proverbiis: Justorum semita quasi lux splendens crescit, & A procedit usque ad perfectam diem, id est, divinæ visionis fulgidam claritatem. Et de hac Aug. 1. Soliloquior. Vere perfecta virtus est ratio perveniens usque ad finem, quem beata vita consequitur. Prima igitur & secunda perfectio a tertia differunt, sicut meritum differt a præmio. Media quoque a prima differt, sicut distinguitur consilium a præcepto. Omnia vero tam consilia, quam præcepta, referuntur ad charitatis impletionem, & observantiam, quam sic describit Apostolus ad Timotheum: Charitas est finis præcepti, de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, insinuans triplicem actum charitatis, videlicet B declinare a malo, prosequi bona, & patienter ferre adversa. Nam propter declinationem a malo dicitur, de corde puro: propter prosecutionem bonorum dicitur, de conscientia bona: propter vero tolerantiam adversorum, dicitur de fide non ficta. Glossa, id est, non fictili, vel fragili, sed contra adversa forti. Quia vero hic triplex charitatis actus, duobus modis ab habitu virtutis egreditur, vel secundum legem præcepti, & obligationis necessariæ & universalis, vel secundum legem consilii & obligationis spontaneæ & specialis, & sequens includit primum, & superaddit quantum possibilitas viatoris admittit, hinc est, quod secundum cum primo dicitur perfectum, C primum vero absque secundo quamquam sit quodammodo perfectum, respectu tamen secundi dicitur imperfectum, sicut dicit Ambros. in l. de officiis, in auctoritate capitulo præcedenti proposita. Cum igitur de perfectione Evangelica loquimur, secundum communem acceptionem, de hac materia intelligimus. Et istiusmodi perfectionis notificationem ex præcedentibus colligere possumus, videlicet quod ipsa sit conformitas viatoris ad Christum, per illum virtutis habitum, quo supererogative declinantur mala, efficiuntur bona, & adversa perferuntur. In his namque tribus, tres partes Evangelicæ perfectionis consistunt. Porro cum ex conversione inordinata ad triplex bo-

Marginal notes: Status charitatis triplex. — Triplex est differentia perfectionis. — Deut. 18 — Prosper. de vit. cont. l. 3 c. 19 — Matt. 19. — Hier. in ep. ad Heliod. — Prov. 4 — Aug. 1 Sol. c. 6 t. 1 — 1 Tim. 1 — Ambr. de offic. l. 1 c. 11. — Quid sit perfectio Evangelica.

bonum commutabile, scilicet exterius, interius, & inferius, omne peccatum trahat originem, secundum concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, concupiscentiam carnis, & hæc tria vitari habeant non solum quantum ad actum & consensum, quod fit per virtutes illis oppositas, verumetiam quantum ad occasionem, & hoc quidem promotivum sit in merito, & expediens ad salutem perfectionis, magister Christus ad perfecte declinandum concupiscentiam oculorum consulit, quod hæc omnia temporalia relinquantur
Matt. 19 secundum illud: Si vis perfectus esse, &c. Ad perfecte autem declinandum superbiam vitæ, suadet quod voluntas propria abnegetur, juxta il-
Matt. 16 lud Qui vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Ad perfecte autem declinandum concupiscentiam carnis, edocet quod omnis experien-
Matt. 19 tia secundum actum generativæ potentiæ abscindatur, sic inquiens: Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, qui potest capere, capiat. In hac igitur triplici supererogativa declinatione triplicis originis omnis mali, primam partem Evangelicæ perfectionis consistere, & sacra Scriptura insinuat, & veri Doctores astruunt, & sancti patres Religionum institutores affirmant. Secunda vero pars perfectionis Evangelicæ consistit in supererogativa prosecutione bonorum, quæ secundum duplicem vitam, videlicet activam & contemplativam, in duobus consistit, videlicet in condescensione ad proximum, & in sursum actione mentis in Deum. Consistit autem supererogativa condescensio charitatis ad proximum in hoc, ut secundum legem justitiæ & misericordiæ, amoris signa & beneficia non solum ad amicos, verumetiam ad inimicos largiflua benignitate protendantur, secundum illud:
Matt. 5 Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Et post: Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Per hunc etiam modum supererogativa sursum actio mentis in Deum in hoc attenditur, ut secundum legem mentalis munditiæ, ac pacis amorem ecstaticum in divinos splendores & ardores, sacra mens devota sentiat & patiatur excessum, juxta illud Apostoli ad Corinthios: Sive mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis. 2 Cor. 5
Et ad Hebræos: Perfectorum est ci- Hebr. 5
bus solidus. Tertia denique Evangelicæ perfectionis portio, consistit in supererogativa perpessione adversi. Quæ quidem attenditur, non solum in hoc, ut quis patienter adversa perferat; cum sibi supervenerint, quæ secundum legem Dei declinare non possunt, quoniam ad hoc omnes tenentur; verumetiam ex fervore divini amoris magno desiderio illa præoptet, & cum magno gaudio illa sustineat, secundum illud Jacobi: Jac. 1
Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis. Et post: Patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes. Hic namque est consummatio perfectionis & charitatis, juxta illud Joannis: Perfecta 1 Joan. 4
charitas foras mittit timorem. Secundum igitur hoc arca spiritualis perfectionis cum inferius sit tricamerata, & bicamerata in medio, in cubito consummatur. Hoc sane perfectionis arcanum, Salvator noster monstravit in semetipso tamquam in monte sublimi, qui totius perfectionis est splendor, speculum, & exemplar, juxta quod ipse testatur in Lu- Luc. 6
ca: Perfectus discipulus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Et ideo in hujus designationem, cum hanc docere Apostolos voluit, in montem conscendit non turbas imperfectas alloquens, sed discipulos suos quos ad perfectionis culmen exaltare decreverat. Et propterea sex præfata eo, quo dictum est, ordine docet. Nam primo dicens: Beati pauperes spiri- Matt. 5
tu, invitat ad perfectam abdicationem temporalium possessionum. Secundo addens: Beati mites, inducit ad abnegationem propriarum voluntatum, & sensuum, quibus quis immitis, & protervus efficitur. Tertio subdens: Beati qui lugent, incitat ad fugam perfectam carnalium voluptatum. Dehinc subjungens: Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam.

tiam. Et: Beati misericordes, attrahit ad justam, piam, & condescensivam proximorum supportationem. Post hæc superaddens: Beati mundo corde. Et: Beati pacifici, allicit ad sursum actionem limpidam in intellectu, & tranquillam sive pacificam in affectu, quibus anima perfecti viri Hierusalem conformis efficitur, quæ visio pacis interpretatur. Tandem concludens: Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; quasi circulum faciens reddit ad principium, quia in hoc uno summa completur universorum, ac per hoc senaria perfectio minoris mundi in esse reparationis, & gratiæ, directe correspondet senariæ productioni mundialis machinæ in esse naturæ. Unde sicut illorum tria prima pertinent ad distinctionem, tria sequentia ad ornatum, sic etiam in his, tria prima quasi distinguendo separant animæ vires ab universitate malorum, ut esse habeant purum atque distinctum, tria sequentia, quasi adornando easdem reducunt in Deum, ut habeant esse decorum atque perfectum. Porro si descendatur ad singula, tam mira est correspondentia ordinis, tantæque similitudinis symbolum, ut illud quod post dierum sex opera dicitur. Igitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum, in anima viri perfecti videatur esse completum. Propter quod instar trium primorum operum, quæ sunt mundi fundamenta, & trium sequentium, quæ sunt complementa, tria prima ex his cadunt sub voto, tria vero sequentia sub desiderio. In cujus rei testimonium, beatus pauperum Patriarcha Franciscus, in principio regulæ suæ, tria prima proponit ut vovenda, tamquam fundamenta dicens: Regula, & vita fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini nostri Jesu Christi S. Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. Alia vero tria postmodum, ut desideranda commendat, tamquam complementa dicens: Attendant fratres, quod super omnia desiderare debent, habere Spiritum Domini, & sanctam

Gen. 2

A ejus operationem, orare semper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in persecutione, & infirmitate, & diligere eos, qui nos persequuntur, & reprehendunt, & arguunt. Ubi illa tria tangit. Nam præmittit sursum actionem in Deum, & subjungit ultimo condescensionem ad proximum, interponens in medio tolerantiam adversorum. Igitur in tribus primis vir perfectus crucifigitur mundo, tribus sequentibus conformis efficitur Deo, ut quasi sex alis seraphicis a mundialibus elevetur, & in divina feratur. Proinde digne huic pauperculo sacro, qui perfectionem Evangelii perfecte servavit, & docuit, in apparitione

B seraphica stigmata sua tamquam sigillum approbativum impressit, ut contra finalium temporum periculosam caliginem, manifestum nobis in via perfectionis ostenderet signum, quo reduceremur in Christum perfectæ virtutis exemplar, & finem, ac per hoc doceremur ad perfectionem attingere, si tamen discamus non alta sapere, sed humilibus consentire.

Cum autem perfectio Evangelica, circa quam modo sermo versatur, in his quæ sunt supererogationis, sit in præcedentibus monstrata consistere, ea vero quæ supererogationis sunt, non solum respiciunt dona charismatum verumetiam exer-

C citia virtutum, manifeste colligitur, quod hujusmodi perfectio non sine virtuosorum habituum exercitatione possidetur. Hujusmodi autem exercitia virtutum supererogantium, aut fiunt ex mera voluntate absque obligatione, & tunc dicunt quamdam perfectionem actionis & meriti, aut cum voluntate dicunt quamdam obligationem superinductam ex voto emisso, vel ex officio injuncto; & tunc dicunt perfectionem status, & ordinis, in quo videlicet quis actibus perfectis non solum est deditus, verumetiam ad actus perfectionis astrictus. Quæ quidem astrictio de perfectione non minuit, sed potius culmen superinducit, quia de temporali facit æternum, dum non licet resilire a voto, & de nostro divinum

fa-

facit, dum non solum actum, sed etiam voluntatem dedicant Deo, totum illi offert, & redigit sub jure divino, dumque propriam sacrificat voluntatem, quæ est impretiabile bonum & maxime charum, & intimum, offert Deo sacrificium medullatum, ac per hoc perfectum, & integrum, & optimum, Deo summe acceptum. Unde Aug. tractans illud Psal. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob, ait sic: Quid vovemus Deo, nisi ut simus templum Dei. Nihil enim gratius possumus ei offerre, quam ut dicamus ei quod dicitur in Isaia: Posside nos. Hæc Augustinus: Si igitur perfectius possidet, qui possidet ad usum, & proprietatem, quam qui quoad usum tantum: perfectius se dedicat, qui Deo se offert, & quoad usum operis, & quoad arbitrium voluntatis. Quemadmodum Anselmus in l. De similitudinibus, per exemplum sensibile patenter ostendit in duobus: quorum unus pro tempore offert Domino arboris fructum, sed retinet proprietatem: alter vero largitur utraque, & hujus secundi donum & oblationem, tamquam liberalius offerentis, dicit non immerito debere præferri. Ac per hoc juxta hujusmodi similitudinem, opus voventis, opere non voventis Deo acceptabilius esse demonstrat, pro eo videlicet quod sic introducta in voluntate ex mera libertate necessitas gratiositatem obsequii non diminuit, sed consummat. Idem quoque scribens Episcopo Parisiensi, & eum redarguens, quod Clericum de Monasterio Sancti Martini de Campis extraxerat, ait sic: Si omnia agenda sunt cum consilio, cujus magis consilio, quam ejus qui admirabilis consiliarius, Deus fortis dicitur? Ipse quippe consulit ad perfectionem nitentibus, ut omnia relinquant, & se sequantur. Quod consilium magis in monasterio, quam in alio vitæ proposito impleri sancti Patres intellexerunt. Hoc ipsum Gregorius in registro, scribens Desiderio Episcopo pro Clerico volente Religionem intrare, dicit sic: Minime sit ei impedimento vestra fraternitas, magis

Aug. enar. in Ps. 131 longe ante med. t. 8

Ansel. l. de simil. c. 84

Idem ep. 20 ad Goffridum Episc. Paris.

Greg. Reg. l. 10 ind. 5 ep. 38

A autem pastorali admonitione succendite, ut fervor hujus desiderii in eo non tepescat: ut qui a turbulento sæcularium turbarum tumultu se segregans, quietis desiderio Monasterii portum appetit: rursus Ecclesiasticarum curarum non debeat tumultibus implicari, sed in Dei laudibus secure permittatur liber ab his omnibus, ut postulat, permanere. Bernardus quoque in l. De dispensatione, & præcepto: Audire, inquit a me vultis, unde inter cetera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogativam, ut secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi abrenuntiationem, ac singularem excel-B lentiam vitæ spiritualis, qua præeminens universis vitæ humanæ generibus hujusmodi conversatio, professores suos, & amatores suos, Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, dum per id quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, rursum Christum induimus complantati similitudini mortis ejus. Idem etiam astruit Glossa super tricesimum Numerorum, dicens: Alii vovent vitulos, alii arietes vel domos, Nazareus semetipsum. Hoc est Nazarei votum, quod est super omne votum. Filius enim vel filia, aut pecus, aut prædium C extra nos est: semetipsum Deo offerre, non alieno labore, sed proprio placere, perfectius & eminentius est omnibus votis. Ex his omnibus aperte clarescit, quod religionis votum in statu perfectionis collocat, tamquam adminiculans ad perfectæ virtutis exercitium. Quod intelligentes patres in quarto Concilio Toletano statuerunt, quod liber sit Clericis ad Religionem ingressus, sic dicentes: Placuit Clericos Monachorum propositum appetentes, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos esse debere ab Episcopis ad monasteriorum ingressus. Hoc autem quia non solum auctoritatibus probari potest, sed etiam universis sanctorum exemplis, qui de Clericali statu ad religionem transierunt, adeo cer-

Bern. tract. de præcep. & dispens. c. 23

Conc. Tol. 4 c. 49

certum est, ut si quis contraire voluerit, non minus videatur desipere quam errare. Si quis autem errore deceptus præfatis conetur obsistere, asserendo quod perfectius sit manere in sæculo, quia circa magis difficile virtus consistit, & difficilius est inter multas peccandi occasiones peccata vitare, & mirabilius est hominem in medio flammarum non uri, & victoriosius est inter numerosiores hostium acies, & frequentiores insultus, & majora bellorum discrimina de hostibus triumphare. Respondebimus, non ideo statum majoris esse virtutis, quia minoris est securitatis, nec ideo statum aliquem perfectioris esse justitiæ, quia proximior est ruinæ, nec etiam ideo magis esse perfectum, quia difficilius est in ipso vitare peccatum. Est enim triplex difficultas. Prima proveniens ex arduitate, & nobilitate generis operis, sicut omni se castrare concubitu, omni abrenuntiare possessioni, & omnino se alienæ propter Deum subiicere voluntati. Et hæc absque dubio auget meritum, juxta illud Matthæi: Intrate per angustam portam. Ubi Glossa: Satis angustum est omnia prætermittere, unum solum diligere, unum quærere, ad unum quotidie pulsare, prospera non ambire, adversa non timere. In his consistit difficultas, ratione generis operis. Major difficultatis angustia reperitur in via divini consilii, quam pauciores inveniunt, quam in via divini præcepti, per quam omnes gradiuntur justi. Unde Hieronymus ait: Si perfecta sequi desideras, exi cum Abraham de patria & de cognatione tua, & perge quo nescis. Si habes substantiam, vende & da pauperibus: si non habes grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum grande & difficile, sed magna sunt præmia. Est & alia difficultas veniens ex vitiositate per se agentis, sicut difficilius est diviti avaro dare minuta, quam largo majora, & superbo se alteri subdere, & guloso jejunare, & assueto voluptatibus carnis difficilius continere. Et hoc non auget meritum, sed mi-

Matt. 7

Hier. in 4 ad Rusticum Monachum.

A seriam. Unde Hieron. ad Eustochium: Soror tua Blesilla ætate major sed proposito minor, post acceptum maritum septimo mense viduata est. O infœlix humana conditio, & futuri nescia. Nam & virginitatis coronam, & nuptiarum perdidit voluptatem. Et quamquam secundum pudicitiæ gradum teneat, quas tamen illam per momenta singula sustinere æstimas cruces, spectantem quotidie in sorore quod ipsa perdidit, & cum difficilius experta careat voluptate, minorem continentiæ habere mercedem? Est & tertia difficultas ex circumstantiis extrinsecus annexis trahens originem, sicut & difficilius est abstinere cum apponuntur delicata cibaria, difficilius est bona temporalia contemnere, quando offeruntur magna & pulchra, difficilius continere in consortio fœminarum. Et hæc difficultas per accidens, & indirecte auget aliquando meritum, cum virtus inter hæc illæsa triumphat, sed directe, & per se est magis via ad ruinam, & ideo fugienda. Unde super illud Matthæi: Dives difficile intrabit in regnum cœlorum, dicit Rabanus: Non ait impossibile, sed difficile, hoc est maximi laboris esse, pecunias habentes, & in pecuniis confidentes exutis philargyriæ retinaculis aulam regni cœlestis intrare. Nec tamen ex hoc inferri potest, quod divites sint pauperibus perfectiores, cum Dominus adolescenti diviti consilium dederit, ut pauper fieret, si vellet esse perfectus. Expedit igitur ad perfectionem virtutis & meriti, difficultatem hujusmodi non amplecti, sed fugere. Unde Augustinus de singularitate Clericorum: Lubrica spes est quæ inter fomenta peccatorum se salvari sperat, incerta victoria inter hostilia arma pugnare, & impossibilis liberatio flammis circumdari, nec ardere. Hæc Augustinus: Cui & consonat Hieronymus contra Vigilantium, qui statum sæcularium statui Religionis præferre conabatur. Cur, inquit, pergis, ad eremum, videlicet, ut te non videam, te non audiam, ut tuo furore non movear, ut tua bel-

Hieron.

Matt. 19

Hie. contra Vig. ep. 53

la

la non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis. Hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut cum viceris, coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi: si stetero, aut vincendum est mihi, aut cadendum. Quid necesse est certa dimittere, & incerta sectari? nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri ut me non mordeat, & tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat. Quod de libidine diximus, referamus ad avaritiam, & ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et ideo urbium frequentias declinamus ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere quam voluptas. Hæc Hieronymus: Quibus error confutatur Vigilantii suorumque sequacium, eorumque videlicet, qui statum sæcularium quantum ad perfectionis gradum, statui Religionis vel præferre, vel æquare conantur. Adversus quos & paulo ante præmittit: Quod autem asserit Vigilantius, eos melius facere qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quam illos qui possessionibus omnibus venumdatis simul omnia largiuntur, non a me, sed a Domino sibi respondebitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ tu habes, & da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, naviculam, & rete dimittit. Iste tamen quem tu laudas secundus, aut tertius gradus est, quem & nos præcipimus dummodo sciamus prima secundis & terriis præferenda.

Occasio peccati fugienda.

Matt. 19

Denique de comparatione perfectionis ad perfectionem secundum præeminentiæ rationem, patenter elucet, quod aliquis perfectionis modus & status sit eminentior altero. Cum enim seipsum castrare propter regnum cœlorum per votum continentiæ sit perfectum, & certum est quod perfectiori modo fit illud per virginalem continentiam, quæ fructui

A comparatur centesimo: quam per vidualem quæ per sexagesimum in Evangelica parabola designatur. Non est ergo contra perfectionis naturam quod de aliquibus duobus quæ recte dicuntur perfecta in statu viæ: unum dicatur perfectius altero, quia in statu patriæ, ubi ad ultimam perfectionem beatificati perveniunt, unus altari secundum Apostolicam doctrinam præponitur, instar cœlestium luminum differentium claritate. Attendendum est igitur quod cum perfectionem perfectioni comparamus, potest hoc esse in eodem genere, vel in diversis. Nam sicut ex præcedentibus liquet perfectio supererogationis quædam existit in exercitio virtutis, voto

Matt. 13

1. Cor. 15

B religionis, & officio Prælationis. Facta ergo comparatione ad similem perfectionis modum, primo secundum exercitium virtutis illa perfectio est præeminentior, in qua radix charitatis pinguior, sublimitas operationis excellior, fraternæ ædificationis fructus uberior. Quamquam autem totius hujus perfectionis origo sit charitas, multum tamen facit ad ejus complementum ipsa operatio Gregorio attestante, qui ait: De dilectione conditoris, lingua, mens & vita requiratur: Numquam amor Dei est otiosus: operatur enim magna si est: si autem operari renuit amor non est. Multum etiam facit genus, & nobilitas operis, quia sicut clarum est, aureolæ præmium non debetur habitui virtutis intrinseco, sed operi privilegiato, utpote prædicationi, martyrio, virginitati. Multum etiam facit ædificatio proximi, cum Dominus dicat viris perfectis: Vos estis lux mundi. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Similiter quantum ad votum religionis, illius est perfectio potior, in qua vovetur paupertas altior, obedientia universalior, forma castitatis honestior. Nam ista tria, sicut expresse patet & gradus habent, & majus, & minus recipiunt, & per hoc tanto in majoris perfectionis statu constituuntur, quanto sublimius voventur, potissime si hæc regularium observantiarum instituta imi-

Greg. ho. 30 in Evang. ante med.

Matt. 5

C

tentur quibus austerius castigetur corpus, fructuosius ædificetur proximus, ac reverentius colatur Deus. Consistit autem castigatio corporis in arctitudine vestium, victualium, & verborum, cum austeritate laborum, vigiliarum, & aliarum afflictionum corporalium: ædificatio vero proximi in exemplis exhibendis virtutum, documentis Scripturarum, remediis Sacramentorum, præsidentiis regiminum, judiciis justitiarum, & beneficiis miserationum. Cultus autem Dei in reverenti ac vigili frequentatione Psalmorum, Hymnorum, Canticorum spiritualium, adorationum, Missarum, & aliarum divinarum orationum. Hæc autem simul reperire in aliquo uno statu religionis præcellentius, quam in aliis, valde difficile, & fortassis impossibile videtur diligenter consideranti. Et ideo quamvis unus religionis status alterum præcellat in votis substantialibus: non tamen præferri potest in omnibus, cum quilibet status aliquid prærogativæ specialis obtineat, quo sancta mater nostra, & sponsa Christi Ecclesia tamquam vestitu deaurata, circumdata varietate decoratur, & Deiformis efficitur. Per hunc etiam modum secundum officium prælationis excellentior est perfectio, in quo eminentior confertur sublimitas ordinis, videlicet ad purgandum, illuminandum, & perficiendum, onerosior imponitur sarcina laboris, in pascendo commissum gregem exemplo, verbo, & temporali subsidio, uberior etiam comitatur fructuositas salutis, & in eo qui præsidet, & in eis qui subsunt, & in ceteris ad quos præsidentis exempla perveniunt. Requiritur igitur hujus perfectionis eminentior sublimitas, ut Prælatus Ecclesiæ quanto sublimius præest, tanto sanctius vivat, sollicitius invigilet, & fructuosius gregem pascat. Si autem comparatio fiat perfectionis ad perfectionem in genere diverso, quantum ad modum, & statum, dupliciter potest intelligi, vel præsuppositorie, vel præcise. Si præsuppositorie, sic absque dubio major est perfectio, quæ attenditur secundum exercitium virtutis, votum religionis, & officium prælationis, quam altero modo tantum. Sed si præcise comparamus perfectionem religionis, aut prælationis ad perfectionem virtutis, nulla prorsus est comparatio in vero esse virtutis. Nam votum religionis sine exercitatione perfectæ virtutis, non est perfectio, sed perversio, non perfectionis sublimitas, sed simulatio æquitatis: Officium vero prælationis, sine culmine virtutis & meritis, non est vera sublimatio, sed dejectio, non gloriosa excellentia, sed periculosa ruina, pro eo quod potentes potenter tormenta patientur, & durissimum judicium his qui præsunt fiet. Cum igitur perfectio status sine ratione voti, sine ratione officii, sine perfectione meriti pro modica habenda sit, perfectio vero meriti obtineri non possit sine charitate, quæ est donum Spiritus Sancti, & nemo sciat, utrum alterum in hoc dono præcellat, quia etiam nescit se illud donum habere, nullus debet se alteri in perfectione præferre quin potius si fiat comparatio personarum in excellentia perfectionis, debent viri quantumcumque perfecti juxta doctrinam Apostoli, superiores sibi invicem arbitrari. Unde Aug. de bono conjugali: Non recte, inquit, comparantur homines hominibus in uno aliquo bono. Fieri enim potest ut alius homo non habeat aliquid quod alius habet, sed alius habeat, quod pluris æstimandum est. Et paulo post: Melius est habere omnia bona, vel minora, quam magnum bonum cum magno malo: quia in bonis corporis melius est habere staturam Zachæi cum sanitate, quam Goliæ cum febre. Porro de comparatione statuum religionis & prælationis, meliori salvo judicio, dicere possumus, quod hujusmodi comparatio fieri potest, vel quantum ad ea, quæ sunt de substantia, vel quantum ad ea, quæ sunt de congruentia statuum. Si quantum ad ea, quæ sunt de substantia, sic se habent velut excedentia & excessa, pro eo videlicet, quod ad perfectionem status religionis necessario requiritur abdicatio proprietatis, ad quam

Sap. 6

Philip. 2
Aug. l. de bo. conjug. c. 23 t. 6

quam tamen minime astringuntur A Prælati Ecclesiæ, sicut patet. 12. q. 1. ex concilio Agatensi: Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis si voluerint, derelinquant. Verumtamen omnis Prælatus ex ipso prælationis officio tenetur, non solum ad ea, quæ sunt salutis propriæ, sed etiam plebis sibi commissæ. Nam ei pro quolibet subditorum a Domino dicitur: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Et ad hoc religiosus ex ipso religionis voto, nequaquam astringitur. Si autem fiat comparatio statuum, quantum ad ea, quæ sunt de congruentia statuum, sic simpliciter dicendum, quod status prælationis, & ejus perfectio est eminentior, quemadmodum insinuat Dionys. in l. de Ecclesiast. Hierarchia, dicens: Sicut qui dicit Hierarchiam summatim dicit universorum sacrorum ornatum, ita dicens Hierarcham, monstrat in Deo manentem, & divinum virum, in quo omnis Hierarchia perficitur. Similiter & Hieron. ait: Tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, ut gressus ejus & motus, & universa vocalia sint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu, ut quidquid agit quidquid loquitur, sit doctrina Apostolorum. Nec tamen ex his potest inferri, quod ad Pontificis statum requiratur, quod omnes status præcellat in omnibus, alioquin non posset fieri Pontifex, nisi esset virgo: congruit tamen, quod in his præcellat quæ ad pascendi gregis spectant officium, sicut scribit Hieron. ad Oceanum. Futurus pastor Ecclesiæ talis eligatur, cujus comparatione subjectus populus merito grex dicatur. Et Gregor. In pastorali: Tantum debet actionem populi actio præcedere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Quapropter ad prælationis statum non congruit accedere nisi perfectum, ut ibidem ait Greg. Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nec coactus accedat. Status vero religionis peccatores & imperfectos admittit, ut justos efficiat, & ad perfectionem adducat. Et ideo quamquam prælationis status in perfectione sit altior, religionis tamen status securior, & morbis nostris curandis expedientior, pro eo, quod a multis periculis eruit, quibus status prælationis exponit. Primum quidem ratione annexi honoris, juxta illud Aug. super Psalmos: Quanto plus honoramur, tanto plus periclitamur. Hujusmodi autem periculum manifestans Gregorius super illud Job, qui dicit regi apostata, ait: Unusquisque rector quoties extollitur, quod cæteros regit; toties per lapsum superbiæ a summi rectoris officio separatur. Idem etiam in registro: Ego B viam capitis mei sequens summopere decreveram, esse opprobrium hominum, & abjectio plebis, ut tanto veracius intus adscenderem, quanto foris humilius jacerem. Adjacet igitur statui prælationis periculum ratione honoris, necnon & oneris, & occupationis. Unde idem Gregorius 7. Moralium: Omnis qui dispensandis rebus terrenis præsidet, occulti hostis jaculis latius patet. Nam cum ad dispensanda exteriora mens extendere se efficaciter nititur, a sui consideratione separatur. Apparet igitur, quod status prælationis simul est excelsus & periculosus, & ideo ipsum appetere simul est periculosum, præsumptuosum, & stultum. C Propter quod ait Augustinus lib. 19. de civitate Dei: Locus superior sine quo populus regi non potest, & si ita administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. Et ideo ait Gregorius lib. 18. Moralium: Sancti viri nequaquam curas extrinsecas appetunt, sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamvis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant, quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant: sed timentes occultas dispensationes Dei, tenent quod fugiunt, exercent quod vitant. Ex his aperte colligitur quod locus prælationis, pro sublimitate quidem gradus, & multiformitate periculi a viris jam probatæ virtutis potest coactione & formidine susci-pi,

3. Reg. 20 — *Dion. de Eccl. Hier. c. 1* — *Hier. in ep. ad Fabiolam 128. cir. fin.* — *Hier. ep. 83 ad Oceanum post med.* — *Greg. 2 parte cur. past. c. 1* — *Idem ibid. 2. par. c. 9* — *Greg. l. 24 Mor. c. 14* — *Job. 34* — *Aug. l. 19 de civ. Dei, c. 5*

pi, a peccatoribus vero & infirmis tota debet intentione vitari, & nullis prorsus appeti, & ab omnibus honorari. Status autem Religionis ab universis tam justis quam peccatoribus, tam perfectis quam imperfectis, tam sapientibus quam simplicibus, licite post appeti, a nullis debet contemni, ab his vero qui vocantur divinitus secure suscipi, & studiose servari. Hæc de perfectione diffusius dicta sunt, pro eo, quod non parvum adminiculum conferunt, ad declinationem errorum sequentium, in quos is cui respondere incœpimus incidit: quia considerare prædeterminata vel ex ruditate non valuit, vel ex protervitate contempsit.

RESPONSIONIS SECUNDÆ,

CAPUT PRIMUM.

In quo appetitus martyrii de se perfectus ostenditur, & contra fuga de se imperfecta monstratur.

SPIRITUALI divinæ legis intelligentia præditos nequaquam arbitramur ambitramur ambigere, perfectionis Evangelicæ culmen instar Davidicæ turris, spiritualibus propugnaculis esse munitum, quibus & foris hostilitas infesta repellitur, & intus tranquillitas imperturbata servatur. Horum autem præcipuum locum tenere desiderium passionis & mortis pro nomine Domini nostri Jesu Christi ipse nobilis Christiani exercitus dux Apostolus Paulus evidenter ostendit, cum ad Hebræos
Heb. 12 dicit: Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, crucem sustinuit confusione contempta: Ubi Glossa: Succincti & expediti curramus sine dubitatione ad certamen martyrii, aspicientes in auctorem fidei, qui scilicet omnia bona terrena contempsit, ut contemnenda monstraret, & omnia mala terrena sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur

A infelicitas. Et paulo post: Vinctus est, qui infirmitatum vincula solvit, mortuus est, qui mortuos suscitavit, amore itaque ejus similia patiamur. Hæc Glossa. Ad hæc quoque idem Apostolus suo nos hortatur exemplo ad Corinthios scribens: Ego, 2 Cor. 12
inquit, libentissime impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestri. Ibi Glossa: Perfecta charitas hæc est, ut quis paratus sit etiam pro fratribus mori. Sed numquid mox ut nascitur jam prorsus perfecta est? imo ut perficiatur, nascitur. Cum enim fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem pervenerit, dicit: Cupio
B dissolvi, & esse cum Christo. Hæc Glossa. Per quæ patenter colligitur, quod perfectæ charitatis actus est sui corporis dissolutionem & mortem appetere, exemplo ipsius Apostoli dicentis ad Philippenses: Cu- Phil. 1
pio dissolvi, & esse cum Christo. Ubi Glossa: Sunt quidam homines imperfecti, qui cum patientia moriuntur, & sunt quidam homines perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui enim desiderant istam vitam, cum venerit illis dies mortis luctantur adversum se, ut sequantur voluntatem Dei, qui vero desiderat sicut Apostolus dissolvi, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter mo-
C ritur. Unde passioni appropinquans exultabat & gloriabatur dicens. Bo- 2 Tim. 4
num certamen certavi, &c. Hæc Glossa. Ecce quod nihil clarius ad propositum potest adduci, cum expresse dicat, perfectionem charitatis consistere in desiderio mortis. Potest autem & hoc ipsum necessaria ratione concludi. Si enim amor ut dicit Dionysius, est vis unitiva, & si hæc locutio est vera per se, necessario sequitur, quod perfectus Dei amor perfecte inclinat amantem ad omne illud; per quod convenientius, intimius & celerius, amato possit uniri, sed nihil est, quod magis disponit, ut celerius, & intimius spiritus hominis in statu mortalitatis existens, uniatur immortali & impassibili Deo, quam sustinen-

nentia mortis illatæ propter honorem Dei. Necesse est igitur perfecte amantem hoc desiderare, antequam illud obtineat, & cum obtinuerit perfecte lætari. Unde & de Apostolis dicitur, quod ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Ipse enim amor, ut dicit Hugo, vis est transformativa. Qui igitur Christum perfecte amat, præcipuo mentis affectu eidem configurari peroptat, in his potissimum quæ divina lex dictat. Sed configuratio ad Christum præcipue salvandis conveniens in statu præsentis miseriæ attenditur secundum assimilationem in passione & morte, Petro attestante, qui ait: Christus pro nobis passus, est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Hoc igitur est ad quod inclinatione præcipua perfectæ charitatis ardor inflammat, juxta illud Canticorum: Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Idem nihilominus amor, ut dicit Richardus, est vis liberaliter diffusiva. Ubi igitur perfectus est amor, ibi & perfecta diffusio, vel actu si opportunitas adest, vel si non adest saltem desiderio pleno. Cum igitur traditio sui in mortem pro alicujus amore sit diffusionis permaximæ, necesse est perfectum charitatis amorem ad id aspirare, juxta illud quod habetur in Joanne: Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Mortem itaque pro Christo desiderare, morti se pro Christo exponere, & in mortis agone gaudere, actus est charitatis perfectæ. Porro mortem fugere actus est imperfectionis quantum in se est, potest tamen ad perfectionem reduci per circumstantiam superadditam, sicut determinatum est supra: utpote cum quis hoc facit ut se reservet ad gloriosiorem triumphum, sicut fugit Apostolus, vel cum id agit ad præbendum infirmis spei solatium, nedum morte imminente trepidare se sentiunt in desperationem labantur. Et hac ratione fugisse credendus est Christus, non ex vehementia timoris, sed ex benigna condescensione perfectissimæ charitatis. Juxta quod dicit Augustinus: Firmissimi sunt Christiani si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur: Sed numquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, id est, in Ecclesia, suæ infirmitatis voluntaria assumptione consolatus est? ut si qui suorum morte imminente turbantur, ipsum in spiritu intueantur, ne hoc ipso se putantes reprobos pejore desperationis morte absorbeantur. Hæc Augustinus: Quibus luce clarius ostenditur, quod in passione trepidare quamquam sit imperfectum, nullam tamen in Christo condescendente imperfectionem ponit, sed in eis solum quibus ipse condescendit.

Act. 5

1 Pet. 2.

Cant. 8

Joan. 15

Aug. hom. 60 in Joan. versus fin. t. 9

Similiter etiam de fuga super illud Joannis: Non enim volebat in Judæam ambulare, astruit esse sentiendum. Futurum, inquit, erat ut aliquis fidelis absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur, & ne illi pro crimine obiiceretur latibulum: præcessit in capite quod in membris confirmaretur. Idem quoque super illud Psalmi: Quoadusque justitia convertatur in judicium, infirmos, inquit, in se præfigurans Dominus, id est infirmorum personam gerens, illisque compatiens ait: Transeat a me calix iste. Non enim timebat Dominus pati tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus dissolvi, & esse cum Christo. Certum est autem quod Paulus habebat infirmitatem carnis. Non igitur infirmis carne Christus exemplum præbuit, sed infirmis spiritu condescendit. Huic autem veritati tam clare is, cui respondemus multipliciter conatur obsistere. Quia enim ut veritatis ignarus absurdum reputat, quod Christus imperfectis condescenderit in aliquo actu, ostendere nititur, quod fugere mortem sit de sua ratione perfectum pro eo videlicet quod a Christo præcipitur, & quia in viris perfectis invenitur.

Ps. 93

Verumtamen primam rationem nullius esse vigoris ex hoc colligere possumus; quia sicut præceptum perfectionem non efficit, sic nec imperfectionem tollit. Si enim imperfectionem tolleret, quicumque teneretur ad præcepti observantiam, teneretur ad perfectionem implendam. Quod cum sit manifestissime inconveniens, constat quod frustra laborat ostendere, quod fugere sit perfectum, per Evangelium, per Pelagium Papam, & per Athanasium, cum Evangelicæ perfectionis culmen ex supererogatione manet divini consilii, non ex obligatione præcepti. Insuper & illud mandatum de fugiendo a facie persecutorum, intelligi habet in casu sicut Rabanus dicit super Matthæum, & Glossa. Hoc, inquit, ad illud tempus pertinet, quod dictum est. In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, quod persecutionem non debeant timere, sed declinare, ut tribulationis occasio sit Evangelii seminarium. Si ergo in hoc casu intelligit, nihil ad propositum suum valet. Si autem simpliciter intelligit sicut insinuat, non modicum errat, quia tunc quicumque voluntariæ morti se exponeret cum latere, vel fugere posset, peccaret mortaliter faciens contra Domini jussionem. Quod si verum est, beatissimi martyres, Petrus, Paulus, Andreas, Laurentius, Sebastianus, Tiburtius, Vincentius, & consimiles, qui se ultro persecutoribus tradiderunt, digni non essent gloria martyrum, sed ignominia prævaricatorum. Magnæ igitur fuit dementiæ universaliter affirmare, quod sancti martyres fugerunt, & cum inveniebantur, martyrio se subdebant. Nam hoc expresse derogat perfectioni sanctorum martyrum, quia quilibet quantumcunque imperfectus, quando non potest latere, tenetur seipsum martyrio subdere, ac per hoc dum actui fugiendi falsam quamdam perfectionem attribuit perfectis Christi martyribus veram tollit. Alia quoque ratio qua conatur probare, quod fugere non sit imperfectum, quia viri perfecti fugerunt,

Matth. 10.

A dupliciter deficit. Primo, quia non omne quod viri perfecti faciunt, est ex hoc ipso perfectum. Nam sicut Jacob, David, Urias, & Mathatias fugerunt, quos introducit ad fugæ commendationem, ita etiam habuerunt uxores, proprietates possessionum, quæ tamen sese cum Evangelica perfectione non compatiuntur. Dehinc quia ut supra monstratum est, actus qui de suo genere est imperfectus, per aliquam circumstantiam, quam charitas perfecta illi adhibet, potest esse perfectus, & ideo non ratione actus, sed ratione circumstantiæ sanctorum virorum in operibus hujusmodi perfectio commendatur. Præterea sicut non sequitur, quod occidere hominem sit bonum atque perfectum, quia Phinees & Mathatias ex peccatorum occasione laudantur, sic & rationes quas multiplicant nil recte concludunt. Bene tamen potest inferri, quod si sancti viri aliquid laudabiliter fecerunt illud fieri potest pro loco, & pro tempore absque peccato sicut facer Athanasius probare videtur, & intendit. Nec tamen ex hoc sequitur quod sit perfectum, nisi pariter includatur, quod imperfectio peccatum includit, sicut hic perverse dogmatizat. Quod quia superius improbatum est, hic commemorasse sufficiat.

B

Sane distinctio quam subjungit de modis fugiendi quos de se conatus perfectos astruere, ac multipliciter per exempla commendare, non veritatis dilucidationem tribuit mentibus legentium, quin potius erroris caliginem, nisi sollicita circumspectione caveatur. Distinguit namque sex modos fugæ, quorum primus, ut dicit, est ex mentis perversitate, secundus, est ex mentis ignavia, & timore servili, tertius est ex naturali ratione, quartus est ex humilitate mentis, quintus est ex circumspecta prudentia, sextus ex abundanti misericordia. In quorum modorum explicatione, multa videtur absurda dicere. Loquens enim de secundo modo dicit, quod fugere ex ignavia est ex timore servili, sicut fugerunt filii Israel in diebus Saulis,

C

sub-

subditque, quod Christus hoc modo mortem non timuit, sed timeri prohibuit. Et paulo post: Hæc fuga imperfectis competit. In his autem verbis ostendit se per omnia Theologicæ veritatis ignarum. Primo quantum ad significationem verborum, in hoc quod dicit filios Israel fugisse Philistiim ex timore servili. Timor enim servilis cum sit donum Spiritus S. non docet fugere corporalia bella, sed spiritualia peccata. Secundo ostendit se nescire pondus sententiarum, cum dicit hunc timorem esse prohibitum, & post subjungit, quod competit imperfectis. Ex hoc enim sequitur, quod aliquid idem sit generaliter prohibitum, & aliquibus personis indultum, & iterum, quod imperfectis sit indulta transgressio mandatorum. Quod quia continet contradictionem implicitam, ab omni prorsus ratione discordat. De tertio vero loquens fugiendi modo dicit, quod est ex quodam naturali timore, & quod hic fugiendi modus competit viris perfectis, sicut Moysi, Eliæ, Elisæo, & Uriæ: Et hæc fuga, ut dicit, nullam operatur imperfectionem, & hanc ut asserit, Christus assumpsit. In quibus verbis duo implicat, quorum unum est falsum, alterum vero blasphemia. Quamquam enim timere mortem sit naturale, fugere tamen est voluntarium, & quamvis perfecta charitas non excludat omnino timorem naturalem, excludit tamen illius dominium quo timidus in fugam convertitur. Unde Beda super illud Marci relicta sindone fugit: Quia plus cæteris Dominum amaverit, indicavit, qui aliis fugientibus sequi Dominum non omisit, nondum tamen perfectionem habuit, qui vel territus fugere potuit. In quibus patenter ostendit, quod fugere ex timore mortis non stat cum perfectione charitatis. Nec obstat verbum Glossæ super illud Joannis, alius te cinget, qua dicitur quod hujusmodi affectus adeo naturalis erat, ut nec cum Petro senectus abstulerit, cum tamen perfectus esset, pro eo quod aliud est timere, aliud est timore fugere, sicut

Exo. 2
3 Reg. 19
4 Reg. 6
Hier. 26
Mar. 14
Joan. 21

in eadem Glossa, quam ipse fraudulenter detruncat immediate subjungitur. Sed quantacumque ait sit molestia mortis, ut vincat eam vis amoris, constat quod amoris vi superante timorem, nequaquam fugimus. Fuga igitur ex timore mortis nequaquam stare potest cum perfectione charitatis. Unde Augustinus in Originali Homil. eadem: Amor Christi in eo, qui pascit oves ejus, in tam magnum debet Christi talemque crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem quo mori nolumus, etiam quando cum Christo vivere volumus. Hæc Augustinus. Ex quibus concluditur, quod fuga hujusmodi stare non potest cum perfectione charitatis, quæ hunc timorem exuperat, ne timentem in fugam convertat. Dicere igitur ex hoc timore Christum fugisse, non est aliud quam ipsum blasphemare, cum ex hoc sequatur, quod in ipso fuerit amor naturalem timorem non superans, sed ab ipso superatus, ac per hoc non perfecte stabiliens, sed vacillans, & imperfectus. Advertat igitur quisquis hæc legerit, quod fugæ provenienti ex naturali timore mortis perfectionem tribuere, simulque asserere Christum hoc modo fugisse, nihil aliud est, quam Christum ducem jam prostratum ab hostibus dicere, & universum ipsius exercitum ad fugam provocare. Nullus enim in fugam mortis timore convertitur, nisi timor hujusmodi in eo dominetur. Quod si hoc, ut asserit, perfectum est, & omnes hoc naturali timore urgentur, nil aliud restat secundum hanc prophanam doctrinam, nisi ut omnes in fugam convertantur. Nulla igitur erit in fugiendo differentia Pastoris & mercenarii, cum uterque pariter habeat naturalem timorem moriendi. De quarto vero differens addit, quod fugere ex humilitate mentis, qua homo propriam infirmitatem cognoscit, & ad mortem sustinendam humiliter se imperfectum credit, competit viris perfectis. Nam hoc modo, ut ait, fugit Petrus a facie Neronis, & Judæi persecutiones Antiochi, & Ana-

Aug. tract. 123 in Joan. circ. fin. t. 9.

choretæ persecutiones Decii, & Valeriani. Et post subdit, quod hanc fugam docuit Christus, & exemplo confirmavit, & est imitanda perfectis. Hoc autem si quis diligenter consideret, scribentis imperitiam manifeste perpendet. Nam primum exemplum de Petro est falsum. Si enim Petrus, ut dicit, se reputabat imperfectum ad martyrium, pari ratione, & quilibet Christianus. Si igitur ex hac consideratione fugere perfectum est: quilibet omnino debet fugere, nullusque ad passionem, tamquam ad rem proprias vires transcendentem aspirare. Ex quo etiam illud infertur, quod præsumptuosus fuit ille fervor sanctorum, qui corde intrepido, ad tormenta ferebantur. Secundum autem exemplum est in se ambiguum, & impertinens ad propositum, quia non constat Judæos illos ex humilitate fugisse, nec ad perfectionis exemplum eorum fuga potest assumi, qui materiali gladio propriam tuebantur salutem, & adversarios, quando sibi facultas aderat, persequebantur ad mortem. Exemplum vero tertium de Anachoretis, ubi allegat auctoritatem Hieronymi pro fuga Pauli primi Eremitæ, suo proposito non competit quin potius adversatur. Nam Paulus, ut ibidem dicit Hieronymus, adolescens erat delicatus & dives, non Anachoreta, non Monachus, sed adhuc in sæculo degens. De quo ibidem Hieronymus subdit, quod necessitatem in voluntatem convertit, dum primo quasi compulsus, postea voluntarius mansit in eremo. De aliis vero Christianis qui jam perfecti erant, idem Hieronymus paulo ante præmittit: Votum tunc Christanis erat, pro nomine Domini gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas jugulare cupiebat non corpora, & ut ipse qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori non permittebatur occidi. Hæc Hieronymus. Quibus præfati erroris sententia non fulcitur, sed confutatur, dum asserit, quod illius temporis martyres, non solum non fugie-

Hieron. in vita B. Pauli primi Eremitæ.

A bant, sed etiam vehementer dolebant quod occidi non poterant, quemadmodum gloriosi martyris Doctoris Cypriani verbo & exemplo confirmat. Quartum autem exemplum quod ponit de Christo, horrendam in piis auribus includit blasphemiam. Quia si Christus ex humilitate se ad martyrii sustinentiam imperfectum putabat, aut vere hoc æstimabat, aut falsè. Si vere, ergo Christus veraciter fuit imperfectus. Si falsè, tunc necessario sequitur, quod fuerit suæ perfectionis ignarus, & horum utrumque blasphemum. Insuper si omnis qui filium Dei Jesum Christum imperfectum dicit, vel æstimat, in Deum B blasphemat, qui ponit hoc Christum de se sensisse, non solum blasphemat in Christum, verum etiam asserit Christum fuisse blasphemum, quod piæ aures audire non possunt. Quisquis igitur hoc pertinaciter senserit, tradendus est satanæ, ut discat non blasphemare. De quinto vero modo fugiendi, qui est ex prudentia circumspecta diffusius tractans, imprudentiam suam patenter ostendit, dum pro nihilo tot verba disseminat. Nullus enim negat, quin pro expectatione opportunitatis, vel utilitatis majoris, interdum etiam vir perfectus fugere possit, sicut Apostolus de Damasco fugit. Sed hic modus ab aliis li- *2 Cor. 11* C citis fugiendi modis non debet distingui, quia omnis rationalis, & licita fuga est ex prudentia circumspecta, quæ est magistra directionis in omni via salutis. Est autem prudentia directiva fugæ, pro loco, & tempore, non tam secundum imperium perfectæ virtutis, quam secundum humanæ conditionem imperfectionis, & infirmitatis mentalis. Unde super illud Matthæi; discipuli *Matt. 26* relicto eo fugerunt. Beda dicit in Glossa. Sicut Petrus qui negationem lacrymis abluit, & confessione dominici amoris trina funditus extirpavit, recuperationem eorum ostendit qui martyrio labuntur; sic alii discipuli qui articulum comprehensionis fugiendo prævenerunt: cautelam fugiendi docent eos, qui se ad sup-

supplicia minus sentiunt idoneos, quibus tutius est latere, quam discrimini se exponere. Hæc Beda. Quibus elucet, quod hujusmodi circumspectio qua quis provide fugit, infirmis magis competit quam perfectis. Quod igitur dicit se nullatenus æstimare, quod prudentia, quæ perfectionem facit, aliquando magistra sit imperfectionis, si sic intelligit, quod prudentia de perfecto imperfectum non facit, verum dicit, sed nihil ad propositum. Si autem intelligit, quod nullum opus imperfectionis ex prudentia procedit, manifeste errat, quia tunc omne opus prudentiæ esset perfectum, nec solius prudentiæ, verum etiam omnium aliarum virtutum, quibus necessario prudentia est annexa. Ex quo etiam sequeretur, quod omnis virtus sit perfecta, & omnis virtutem habens sit perfectus, & omnis imperfectus injustus, & omnis imperfectio culpa. De sexto tandem modo fugiendi subinfert, quod fugere ex abundanti misericordia, ne persequentes gravius Deum offendant, viris perfectis competit, quia hoc modo fugit Jacob, Moyses, David, Benedictus, Silvester, &c. Et hanc fugam, ut dicit, docuit Christus, & exemplo confirmavit. Porro quamvis in his, quæ de hoc modo sexto fugiendi scribit, videatur superficialiter considerantibus rationabiliter, & pie sentire; si quis tamen vigilantiori attentione consideret, manifeste cognoscet ea carere ratione simul & pietate. Nam & exempla quæ ponit, ambigua sunt, nec ex Scripturis constat præfatos viros ex ea, quam assignat, causa fugisse. Qua etenim ratione, vel auctoritate astrui potest, quod Jacob Esau, Moyses Pharaonem, David Saulem, & Silvester Constantinum fugerit, ne in eos gravius peccarent: Et ideo quæ proponit pro nihilo habenda sunt. Quia ut dicit Hieronymus, quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur qua probatur. Insuper si omnis qui persequitur justum, tanto magis peccat, quanto graviores injurias irrogat, & sanctum est atque perfectum propter hoc fugere,

Hieron. in c.23. Matt.

A semper a facie cujuslibet persecutoris fugiendum est, ne gravius peccet. Amplius ex hoc necessario sequitur, quod Christus non abundantem misericordiam, sed potius crudelitatem in Judæos exercuerit, qui tunc se passioni obtulit, quando plures in eo peccare potuerunt, paschali scilicet tempore, cum Judæorum multitudo ad festum ventura erat, de qua sciebat, quod in ejus mortem consensura erat. Arguuntur etiam secundum hanc doctrinam, impietatis & crudelitatis omnes martyres, qui non fugerunt. Inaniter igitur gloriatur se adversarium confutasse, quasi fugere non sit imperfectum, cum habeat fieri ex abundanti miseB ricordia, quæ imperfectionis non potest esse ministra. In quo credens alterius improbare sententiam, viam aperit ad reprobandam suam. Si enim Christus, qui fugit ex misericordia respectu persequentium, nullam imperfectionis notam incurrit, multo magis si fugit ex misericordia respectu membrorum suorum infirmorum, ad præbendum illis solatium, non debet imperfectioni adscribere, sed potius judicare perfectum. Quod autem in fine concludit, quod his quatuor modis Christus fugit, & fugere docuit, & viri perfectissimi in hoc eum imitati sunt, & hoc alios facere docuerunt, & quod Christus fugiendo exemplum infirmis præbuit: C infirmis dicit, infirmitate carnis quæ perfectis competit, non mentis quæ solum convenit imperfectis, quia ex præcedentibus satis reprobatum est, non est opus ultra discutere, quamquam hæc quatuor simul aggregata, dogmatis hujus absurditatem patenter ostendant. Nam si Christus hoc quadruplici modo fugit, & perfectissimi viri in hoc eum imitati sunt, cum hoc fugiendi quadrivium semper, & ubique & omnibus pateat, semper, & a quolibet ineunda est fuga. Quis enim non naturaliter timet mortem? Quis non debet se humiliare? Quis non debet prudenter cavere periculum? Quis misereri non debet persequentium proximorum? Si igitur hæ viæ fugarum semitæ sunt perfectionum, quibus

itur

itur ad Christum, non jam ad ex- Heb. 12.
hortationem Apostolicæ tubæ currendum est ad nobis propositum passionum certamen, sed potius quærendum est per aliquam dictarum viarum fugæ præsidium, quo celerius tamquam per compendiosas perfectionis semitas perveniatur ad Christum. Quod si hujusmodi exhortationis immo dehortationis clamorem, quo bellatorum corda terrentur procul a castris bellantium abesse censuerunt duces in pugna sæculi; quanto magis hoc observare convenit in pugna Jesu Christi, ubi res agitur non pro vitandis dispendiis rerum, aut fugiendis periculis corporum, sed pro declinanda infinibili morte animarum? Nec hoc dicimus quin competere possit perfectis in casu fugere, eo modo quo superius ostensum est: sed ut fugæ laudes superfluas, vanas & falsas tamquam perniciosas, & virtutibus perfectis contrarias ostendamus esse fugiendas. Quia cum falsitas ubique & semper vitanda sit, ibi tamen & tunc potissimum declinanda est, cum sub fallaci specie sanctitatis a virtutum culmine revocat & inclinat ad ima.

RESPONSIONIS SECUNDÆ

Caput Secundum.

In quo abstinentiæ laus, & perfectio declaratur, & ejusdem impugnatio calumniosa refellitur.

QUamquam certum sit omnibus in Christiano exercitatis agone, abstinentiæ sanctæ rigorem pernecessarium esse his qui perfectionem adipisci, & defensare conantur: quia tamen novæ adinventionis dogma perversum subintroductum est ad probandum contrarium, roboranda est hujusmodi veritas tam per exempla, quam per documenta sanctorum. Et primum quidem Evangelicæ perfectionis præcursor, adducatur in medium qui propter abstinentiam eminentem, magnus prædicatur Angelica voce, sicut refert Lucas Angelum dixisse ad Zachariam. Erit enim magnus coram Do- Luc. 1.
mino, vinum & siceram non bibet. Ubi Glossa. Sicera interpretatur ebrietas, quo nomine signatur omne poculum de quacumque materia factum quod inebriare potest. Decet namque vas cœlesti gratiæ mancipatum, a sæculi illecebris abstinere. Hoc ipsum vas electionis Apostolus in seipso commendat, ad Corinthios scribens: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Et ad hoc agonistarum exemplo, cunctos provocat Christi milites cum præmittit: Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ad hoc facit quod ait Ambrosius lib. 3. Hexameron: Ab initio sæculi simplicem cibum & naturalem debuit Deus reliquis cibis anteferre: quoniam iste est sobrietatis cibus, reliqui voluptatis. In hoc datur nobis frugalitatis exemplum & parsimoniæ magisterium ut herbis & simplicis oleris victu, aut pomis contenti simus, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei primo donavit. In Ecclesiastica vero historia lib. 2. refert Euseb. quod inter sanctos Ægyptios quos Evangelista Marcus multipliciter instituit, vinum nemo nec gustu contingit, nec aliquam carnem, tantum aqua est eis potus, & panis cum sale & hyssopo est eis cibus. De Anachoretis autem, quorum vita constat fuisse perfectionis exemplar, Hieronymus ad Eustochium cum vitam commendasset Cœnobitarum dicens, quod inter eos vivitur pane, & leguminibus, & oleribus, quæ sale solum condiuntur, quibusdam interpositis subdit: Ad tertium genus veniam, quos Anachoretas vocant, qui de cœnobiis exeuntes, accepto pane & sale, amplius ad deserta nil proferunt. Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista fuit. Hucusque Hieronymus. Qui & hunc quem hujusmodi vitæ asserit auctorem Paulum talibus extollit abstinentiæ laudibus, ejus vitam rescribens: Omnem in oratione in

[Margin notes: 1. Cor. 9. — 1. Cor. 9. — Amb. lib. 3. Exod. c. 7. — Euseb. lib. 2. Eccl. Hist. c. 16. vers. fi. — Hieron. ep. 22. ad Eustoch.]

in solitudine duxit ætatem, cibum, & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui incredibile videatur, Jesum testor & sanctos Angelos, vidisse me Monachos, e quibus unus per triginta annos, pane hordeaceo, & aqua lutulenta vixit. Beatus quoque Basilius Monachis Orientalibus, qui ad perfectionis culmen nitebantur ascendere, carnium esum inhibuit. Sanctus etiam Martinus, ut de ipso narrat Sulpitius, in suo Monasterio secum de gentibus Monachis vini potum concedere noluit. Et sacer vir Benedictus sanis Monachis esum carnium interdixit. His & similibus quasi innumeris universis sanctorum exemplis indubitanter colligitur, quod abstinentiæ vigor opus sit perfectæ virtutis. Et ne quid ad certitudinem desit, aliis sanctorum auctoritatibus probandum est, quibus asserunt, quod abstinere a vino, & carnibus sit perfectum. Ait enim Hieronymus ad Demetriadem: Conceduntur quidem nuptiæ, carnium esus, usus vini, sed horum abstinentia consilio perfectiore suadetur. Idem quoque contra Jovinianum: Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere & carnes non manducare, nam si vis perfectus esse melius est saginare animam, quam carnem. Augustinus etiam de fide ad Petrum, sic ait: Humiles servi Christi qui cupiunt Domino absque impedimento servire conjugia non appetunt, a vino & carnibus abstinent, quantum corporis valitudo permittit, non quod peccatum sit aut conjugem habere, aut carnes, vinumque percipere. Hæc Augustinus. Ad hoc idem facit quod dicit Gregorius libro 30. Moralium: Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non prius in seipso per afflictam concupiscentiam carnis incentiva devicerit. Neque enim ad conflictum spiritualis certaminis consurgitur, si non prius intra nosmetipsos hostis mentis positus, gulæ videlicet appetitus edomatur. Colligitur itaque, quod abstinentia sit opus maxime competens viris perfectis, quorum est satanæ bellis victoriose resistere, & sapientiæ studiis quiete

Sever. Sulp lib. de vit. B. Mart. c. 7.

Hieron. in ep. ad Demet. quæ habetur to. 9. longe ante me.

Idem. cont. Jovin. lib. 2.

Aug. de fide ad Pet. c. 3. versus fin. t. 3.

Greg. lib. 30 Mor. c. 13 ante med.

A vacare. Propter quod Hieronymus contra Jovinianum: Si quis æstimat abundantia ciborum, atque potuum se perfrui, & vacare se posse sapientiæ, hoc est versari inter delicias & deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit. Et post: Quomodo nuptiis virginitatem, ita saturitati & carnibus jejunia spiritumque præferimus. Si igitur vacare sapientiæ perfectorum est, & virginitas præfertur conjugio, sicut perfectum imperfecto, restat quod de genere operis abstinere a carnibus, aliisque delicatis cibariis, actum dicit consonum perfectioni; & contra his uti imperfectionem quamdam importat, quantum est de sui generis natura, nisi ad

B perfectionem reducatur per circumstantiam superadiectam, utpote cum quis habet plenam abstinendi voluntatem, & tamen hujusmodi cibariis pro loco, & tempore sobrie utitur, vel quia requirit necessitas sustentationis propriæ propter ægritudinem seu debilitatem, vel utilitas fraternæ ædificationis per charitativam condescensionem. Primum quidem exemplum ex vita sumitur perfectorum Cœnobitarum, quam describens Hieronymus ait, loquens de sanis. Vivitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ sale solo condiuntur. Dehinc pro debilibus subdit: Vinum tantum senes accipiunt, quibus & parvulis sæpe fit prandium, ut alio-

C rum fessa sustentetur ætas, & aliorum non frangatur incipiens. Post hæc de infirmantibus ait: Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum Ministerio confovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. Hæc Hieronymus. Porro exemplum secundi manifeste refulget in Christo, de quo Chrysost. super Matt. Vide quanta est Christi in condescensione diligentia, sicut cum comedat & bibat, cum videatur ex adverso Joanni faciens, & hoc Judæorum gratia salutis facit: magis autem orbis terrarum universi, simulque hæreticorum obstruens ora. Magister namque perfectionis omnimodæ Jesus Christus, & supportator imperfectionis nostræ utrumque

Hieron. ubi sup. prox.

Hier. in ep. 22 ad Eustoch.

Chrys. ho. 72 super Matth.

que debuit in sua vita monstrare: A & sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quam lenticula more Esau, aut hordeo more jumentorum. Hæc Augustinus. Ad quod etiam facit quod dicit Gregorius libro 30. Moralium: Non cibus, sed appetitus in vitio est. Unde lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hinc Esau primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo carnes edendo virtutem corporis servavit. Unde & antiquus hostis primum sibi hominem non carne, sed pomo subdidit; & secundum, non carne, sed pane tentavit. Patet igitur, quod delicatis uti pro loco & tempore possumus B absque peccato: quia tamen per exercitationem concupiscentiæ, dant occasionem peccandi, ab hujusmodi abstinere salutare est. Ac per hoc cum sit difficile & arduum & supererogatorium, de natura sui generis colligitur esse perfectum tamquam ad perfectionem præparans, & ipsam promovens, & conservans. Unde Hieronymus contra Jovinianum: Fac esum carnium cunctis nationibus esse communem, & passim licere quod passim gignitur, quid ad nos quorum conversatio in cœlis est qui super Pythagoram, & Empedoclem, & omnes sapientiæ sectatores non ei debemur cui nascimur, sed cui renascimur: quoniam C repugnantem carnem, & ad libidinum incentiva rapientem inedia subjugamus. Hæc Hieronymus. Quibus ostendit, abstinentiam viris perfectis & cœlestibus competere, ad perfecte cavendam libidinem, & edomandam carnem. Competit etiam eis, quia promovet ad perfectam virtutem. Valet enim primo, ad servandum pudicitiæ sanctæ nitorem. Unde Hieronymus ad Eustochium: Sollicite providendum est, ut quos saturitas de paradiso expulit, esuries reducat. Non quod Deus universitatis Creator & Dominus, intestinorum nostrorum rugitu & inanitate ventris, pulmonumque delectetur ardore, sed quod aliter pudicitia tuta esse non possit. Valet secundo, ad custodiam paupertatis altissimæ, juxta quod idem Hie-

cum tamen Joannes totam peregerit vitam secundum arctissimam abstinentiæ legem. Et quamqnam actus abstinendi perfectior sit ex proprio genere, perfectius tamen egit Christus, quam Joannes, quia & puriori modo in se ipso abstinuit, & aliis ex perfectiore charitate condescendit. Unde & perfectionis præcipuus sectator Apostolus non solum imitabilem se præbet in austeritate vitæ, verum etiam pia ad proximos condescensione ad Corinthios dicens: Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Hinc condescensionis ædificatoriæ formam discipulis ad prædicandum missis Dominus dedit, cum ait: In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt. Et ratio a Matthæo redditur. Est enim dignus operarius cibo suo. Quia enim discipuli pauperes erant, & laboriosis prædicationis exponebantur discursibus, ne pro penuria & difficultate laboris, in se ipsis deficerent, vel pro difformitate victus, onerosi redderentur suscipientibus ipsos, hujusmodi fuit eis a Domino vivendi forma præscripta, tam pie quam provide, ut & aliis condescenderent, & injunctum sibi laborem viriliter tolerare valerent. Ex prædictis igitur elucescit, quod tam abstinere a carnibus, & vino, quam his uti, potest fieri perfecte & imperfecte, sed unum, scilicet abstinere sit perfecte ex proprio genere; alterum vero ratione circumstantiæ adjunctæ, cum ex se magis declinet ad imperfectionem. Hæc autem non idcirco dicimus, quia cibus in culpa sit, cum dicat Apostolus ad Corinthios: Esca nos non commendat Deo. Glossa: Sumpta, vel non sumpta. Et Augustin. libro 3. de doctrina Christiana: Quid locis, & tempori, & personis conveniat, diligenter attendendum est ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest, ut sine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissimæ gulæ flamma in vilissimum ardescat,

Marginalia: 1. Cor. 9. — Luc. 10. — Matt. 10. — Aug. lib. 3. de doct. Christ. c. 12. tom. 1. — Greg. lib. 30 Mor. c. 13. circ. fi. — Hieron. con. Jovin. lib. 1. — Idem ad Eustoc. ep. 22.

Idem ad Salvin. ep. 9 circ. med. Hieronymus ad Salvinam scribit dicens: Ubi vile olusculum, cibarius panis, & cibus potusque moderatus, ibi divitiæ supervacuæ. idem quoque contra Jovinianum: *Idem cont. Jovinian. cir. med.* Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, & carnes non manducare. Et post: Grandis animæ exultatio est, cum parvo contentus fueris, mundum habere sub pedibus & omnem ejus pompam, & epulas, ac libidines, propter quæ divitiæ conquiruntur, utilibus commutare cibis. Valet etiam tertio ad conquirendam animi fortitudinem, secundum illud Bernardi: Quomodo ipsum corpus nostrum quotidie crescit & decrescit: sic necesse est spiritum semper proficere, aut deficere, sed interest ordinis. Nam semper in robusto & vegeto corpore animus mollior atque tepidior est, & rursum in corpore debili, & infirmo fortior viget, promptiorque spiritus, Quod se expertum testatur Apostolus, dicens: *Luc. 10.* Quando infirmor, tunc potens sum. Sicut igitur per abstinentiam vigor attenuatur in corpore, sic & augmentatur virtus in animo, quod maxime locum habet in viro perfecto. Valet nihilominus quarto ad obtinendam mentis serenitatem, juxta sententiam Senecæ in quadam epistola: Non est, inquit, jucunda res, aqua & pulmenta, aut frustum hordeacei panis, sed summa voluptas est ex his posse capere voluptatem, & ad id se deduxisse, quod eripere nulla fortunæ iniquitas possit. Si igitur hæc mentis tranquillitas, quam varii eventus fortunæ non auferunt, perfectioni attestatur, aperte colligitur, quod sic abstinere sit perfectorum.

His præallegatis pro veritatis parte, facile jam est & perfectionis abstinentiæ sublimitatem defendere, & hostis adversus eam erecta machinamenta dissipare. Nam ab impositione falsi criminis sumens exordium, primum quidem se fundat super falsum, asserens eum contra quem scribit dixisse, quod carnium esus sit a perfectione recessus, quod numquam dixit: insuper & quod de numero sit illorum, de quibus dicit *1 Tim. 4* Apostolus, quod in novissimis die-

A bus, discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, quod crimen illi impingit, quia saturitati abstinentiam prætulit. Quantæ igitur malignitatis sit & fraudis, pro abstinentiæ commendatione, viro fideli errorem Manichæorum impingere, is, qui legit, advertat. Hoc enim nihil aliud est astruere, nisi quod abstinentia commendari non possit sine prejudicio fidei & sanæ doctrinæ. Quod si verum est, erraverunt viri clarissimi, qui magna & mira fuerunt abstinentia prædici. Errat & nunc sancta mater Ecclesia, quæ in jejuniis ab ipsa institutis, jubet abstinere a carnibus, & ab his quæ sementinam inde trahunt ori-
B ginem errare probatur & ipse, qui aut morem sequitur Ecclesiæ, & tunc secundum suam sententiam est Manichæus, aut morem hunc sacrum impugnat, & tunc est Joviniani discipulus. Audiat igitur non nos, sed Augustinum, contra Adamantium Manichæum, & de discipulis illius sectæ loquentem. *Aug. lib. cont. Adamant. Man. cap. 14 circa med. tom. 6* Istos, inquit, significavit futuros Apostolus in temporibus novissimis, prohibentes nubere, & abstinere a cibis, quos Deus creavit. Hos enim proprie designat, qui se non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius parcant. Audiat etiam Hieronymum contra Jo-
C vinianum: *Hier. cont. Jovin. lib. 1* Reprobat, inquit, Apostolus eos qui prohibebant nubere, & jubebant a cibis abstinere, sed Marcionem designat & ceteros hæreticos, qui abstinentiam inducunt perpetuam, ad destruenda & contemnenda & abominanda opera Creatoris. Nos autem omnem creaturam laudamus & maciem saginæ, abstinentiam luxuriæ, jejunia præferimus saturitati, & a diebus Joannis Baptistæ jejunatoris & virginis, regnum cœlorum vim patitur. In his satis Hieronymus Joviniani, & novi sectatoris ipsius os obstruit, ne instar sepulchri patentis, suorum carnalitate sermonum tamquam exhalationibus fœtidis fidelium mentes sobrias & pudicas inficiat: moresque corrumpat. Nam, ut ait Apo-

sto-

Tit. 1 ſtolus: Corrumpunt bonos mores, A colloquia prava. Sane quia ſtudium eſſe conſuevit errantium, teſtimoniis veritatis perverſe intellectis, adverſus ipſam veritatem confligere, ideo conſequenter munire ſe nititur, auctoritate ſcripturarum, primo allegans illud Apoſtoli: *1 Cor. 15* *1 Tim. 4* Omnis creatura Dei bona. Et iterum: Omnia munda mundis: Cui etiam interpoſitis quibuſdam ſubnectit Evangelicum illud: Non quod intrat in os coinquinat hominem. Quibus etiam interponit auctoritatem Auguſtini de civitate Dei, *Aug lib. 19 de civ Dei c. 19 tom. 5* qui dicit, quod conſuetudo victus non impedit religionem. Ex quibus conatur aſtruere, quod abſtinentia ciborum nihil facit ad perfectionem, nec ipſorum uſus, vel ſumptio ad imperfectionem. Unde & dicit: Imperfectionem non facit Dei creatura ſed B mens infirma, & neſciens uti ea. Idcirco magis ei abſtinentia, quam perfectæ menti eſt neceſſaria. Hoc ſi verum eſt, & hujuſmodi ratio aliquid roboris habet cum bona temporalia ſint creaturæ Dei, & mulier formata a Deo, & conjugium, quod plus eſt, ſit Domini ſacramentum, & libertas propriæ voluntatis ſit donum divinum, nihil horum ad imperfectionem facit, magiſque competunt hæc perfectis, quam imperfectis, tamquam melius ſcientibus uti. Magis igitur ſecundum hanc indoctam doctrinam perfectis competit divitias poſſidere quam ſpernere, magis nubere quam continere, magis agi voluntate propria quam gubernari aliena. Ex quibus etiam illud infer- C tur, quod doctrina Chriſti fuerit perfectioni contraria. Ad quod quidem inconveniens, auribus piis horrendum, nequaquam deveniſſet, ſi earum quas allegat auctoritatum, Catholicum habuiſſet intellectum. Nam auctoritas Apoſtoli quam proponit, hæreticorum reprobat impietatem, Evangelicum verbum Phariſæorum ſuperſtitione; ſed Auguſtinus in verbo propoſito adverſatur utriſque. Quod enim Chriſtus Phariſæos de ſuperſtitione notavit, & textus Evangelicus aperte declarat, A & Gloſſa exponit, quæ ſuper illud Matthæi: Non quod intrat in os *Matt. 15* coinquinat hominem: ait: Uno ſermone omnis ſuperſtitio obſervationum eliditur, dum in diſcernendis cibis religio putatur. Quod de ea diſcretione intelligendum eſt, quæ ſecundum Phariſæorum ſententiam in cibis conſtituit immunditiæ cauſam. Nam diſcernere inter cibaria delicata & aſpra, pretioſa & vilia abſtinentium more, non repugnat, ſed conſonat religioni Chriſtianæ. Quod autem dicit Auguſtinus: quod victus non impedit religionem, intelligendum eſt de religione Chriſtianæ fidei, quæ communis eſt perfectis & imperfectis de qua Auguſtinus ibidem: Ipſos quoque philoſophos qui Chriſtiani fiunt, B non habitum, & conſuetudinem victus, ſed falſa dogmata mutare compellit. Quod quidem intelligi non poteſt de religione diſciplinæ regularis in qua habitus novus aſſumitur, & mutatur conſuetudo vivendi, quantum etiam ad diſcretionem ciborum. Unde Hieronymus contra Jovinianum: *Hier. lib. 2 con. Jov.* Audi inquit, ſues & apros & cervos, & hujuſmodi reliquos animantes, eſſe creatos, ut athletæ, milites, & nautæ metallorumque foſſores, & ceteri hujuſmodi operibus mancipati, cibos haberent, quibus fortitudinem corporum ſibi neceſſariam ſuſtentarent. Ceterum noſtra religio non athletam erudit, non foſſorem, vel remigem, ſed ſapientiæ ſectatorem, qui ſe Dei cultui mancipavit. Denique verbum Apoſtoli quod primo C proponit Manichæorum impietatem impugnat, non abſtinentiam imperfectorum. Unde idem Hieronymus ad Salvinam. *Hieron. ad Salv. ept 9 poſt med. 1 Tom. 4* Scimus ab Apoſtolo dictum: omnis creatura Dei bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; ſed idem *Rom. 14* loquitur: Bonum eſt non manducare carnem & non bibere vinum. Comedant carnes quæ carnibus ſerviunt, quarum fervor deſpumat in coitum, quæ alligatæ maritis, generationi & liberis dant operam. Quarum uteri portant fœtus, earum inteſtina carnibus impleantur.

Tu

Tu vero quæ in tumulo mariti sepelisti omnes pariter voluptates, nihil habes necesse aliud, nisi perseverare in jejunio. His aperte colligitur, quod omnis creatura bona & munda est, & quod sanctum est ab aliquibus abstinere, quia & si non sint immundæ formaliter vel causaliter, tamen occasionaliter, ex earum usu, ut frequenter immunditia contrahitur, dum concupiscentia excitatur, sicut idem Hieronymus ad Eustochium ait: Si quid in me potest esse consilii, si experto creditur, hoc primum admoneo, hoc obtestor, ut virgo CHRISTI vinum fugiat pro veneno. Quid oleum flammæ adiicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus. Hæc Hieronymus. Quod si forte quis dicat hanc ruinam juvenibus, & imperfectis, non perfectis esse timendam, obviat idem Hieronymus in eadem epistola dicens: Quamdiu in hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, nulla est certa victoria. Et paulo post. Si Apostolus vas electionis, & præparatus in Evangelium Christi, ob carnis aculeos, & incentiva vitiorum reprimit corpus suum, & servituti subjicit, ne aliis prædicans, ipse reprobus inveniatur. Et si post nuditatem, jejunia, famem, flagella, supplicia, in semetipsum reversus exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, tu te putas securum esse debere? Cave igitur ne de te aliquando dicat Deus: Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam: Hæc Hieronymi verba si vera sunt, immo quia vera sunt, non parvi periculi res est abstinentiæ perfectioni detrahere, ac per hoc animos perfectæ virtuti studentium ab ea revocare. Ut autem ad hoc efficacius possit inducere, sanctorum consequenter se munit exemplis, Noe scilicet, Eliæ, & Joannis Baptistæ. Quorum primus, ut dicit, omne genus carnis accepit in usum, secundus fuit carnium cibo refectus,

Hieron. ad Eustoch. epist. 22.

A tertius vero locustarum esu non fuit pollutus. Ex quibus arguit quod cum omnis imperfectio sit pollutio animæ, carnium esus nihil facit ad imperfectionem, quin potius ad perfectionem, cum dicat Apostolus: Scio abundare & penuriam pati; nec esset perfectior esuriens, quam abundans, utrumque enim poterat virtute divina. Verum hæc quæ proposuit virorum perfectorum, exempla, si ad hoc introducit, quod talibus vesci, sit de se licitum, ex ratione procedit, & Augustini sententiam sequitur, in libro confessionum, ubi ex prædictis sanctorum exemplis ostendit, quod non cibus, sed appetitus inordinatus introducit

Philip. 4.

Aug. lib. 10 Confess. c. 31 tom. 1.

B peccatum. Si autem per hoc conatur astruere, quod cibis hujusmodi uti pro loco & tempore, non sit perfectioni contrarium, sed compossibile, verum adhuc dicit, sed frustra laborat, quia hoc nullus Catholicus negat. Si vero persuadere conatur, quod his vesci, & ab his abstinere sit æque perfectum, errat non modicum. Primo quidem, quia hoc falsum est, & absurdum, sicut præallegata sanctorum testimonia & exempla declarant. Secundo quia non vera, sed sophistica ratione procedit, cum arguit, quod si viri perfecti aliquid egerunt, quod hoc illud sit de propria ratione perfectum: hoc enim plurimas

C habet instantias, sicut præostensum fuit in præcedenti particula. Nam similiter argui posset de conjugio Noe, & de proprietate possessionum, & de plantatione vineæ, ut taceamus de vini potatione. Tertio vero quia exemplis hujusmodi primo propositis, falsam subnectit assumptionem, cum dicit, quod imperfectio est animæ quædam pollutio, hoc superius multipliciter est improbatum tamquam erroneum, & ad quod multa inconvenientia sequuntur. Tunc enim noviter baptizatus, aut non esset imperfectus, aut peccati labe esset pollutus, quorum utrumque est absurdum. Insuper si esset pollutio, aut esset mortalis, & tunc omnis imperfectus charitate careret; aut venialis, &

tunc omnis venialiter peccans a perfectione decideret: nullusque in veniali existens, ad perfectionem perveniret, idemque foret perfectum & impollutum, quod quidem vel est justorum omnium in statu viæ vel omnino nullorum, nisi Dei hominis & virginis Mariæ. Quarto autem, quia præfata exempla magis ad oppositum valent, quam propositum, sicut a sacris Doctoribus inducuntur. Unde Hieronymus ad Eustochium: Noe vinum bibit, & inebriatus est, & post ebrietatem nudatio femorum subsecuta est. Elias cum Jezabel fugeret, & sub quercu jaceret, adveniente ad se Angelo suscitatur, & ecce ad caput ejus panis subcinericius, & vas aquæ. Re vera poterat ei conditum merum mittere, & electos cibos, & carnes contusione mutatas. Eliseus filios prophetarum invitat ad prandium, & herbis agrestibus eos alens, consonum prandentium audit clamorem: Mors in olla, vir Dei non est iratus cocis, lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat. Potuit & Danieli de regiis ferculis opulentior mensa transferri, sed Habacuc ei messorum prandium portat, arbitror rusticanum. Ideoque ibi vir desideriorum appellatus est, quia panem desiderii non manducavit, & vinum concupiscentiæ non bibit. Ecce quot exempla Patrum veteris testamenti introducit ad abstinentiæ laudem, quæ is tamquam carnaliter sapiens trahere nititur ad carnem. Sentiens autem ex his quæ jam dixerat, acutis ejusdem Hieronymi jaculis, ut Joviniani discipulum se posse transfigi quasi clypeum defensionis obiiciendo versute subjungit: Nec me clames Jovinianum, quia non dico, ut ipse, quod non differat, simpliciter abstinere, vel carnes & vinum gulose comedere: sed infirmis qui nesciunt his recte uti, valde necessarium judico abstinentiam, perfecti vero nullam contrahunt immunditiam. Hæc verba ipsius, quibus ut excuset errorem proprium exaggerat alienum. Numquam enim Jovinianus, quamquam sit omnino detestandus, in hanc, quam hic fingit dementiam incidit, ut gulositatem æquaret abstinentiæ, sicut nec luxuriam continentiæ coæquavit: sed pudicitiam conjugalem & virginitatem, usum ciborum & abstinentiam, æqualis apud Deum meriti censuit. Quod idem Hieronymus reprobat ut dogma prophanum. Hic autem longe amplius desipit: quam ille Jovinianus, tamquam proficiens in erroris doctrina discipulus. Nam sobrietatem in usu ciborum dicit competere perfectis, abstinentiam imperfectis, quia perfecti nullam ex hoc immunditiam contrahunt, & imperfecti indigent illo remedio ad edomationem concupiscentiarum. Constat autem quod perfecti præferuntur imperfectis, & quæ illis, & his competunt, per se loquendo consimilem habent comparationem, igitur secundum ipsum præfertur horum ciborum usus moderatus & sobrius abstinentiæ ab eisdem. Quod si causetur falsum sibi crimem imponi, dicat igitur ipse quod sentit. Aut enim præfert abstinentiam moderato modo vescendi, aut æquat, aut postponit. Si præfert ut quid tot supervacua verba contra propriam sententiam protulit? Concesso enim quod abstinere perfectius sit, jam nulla restat causa adversus aliquem disputandi: Si vero æquat, in errorem Joviniani turpiter incidit. Si autem postponit, damnatæ & reprobatæ jam hæresi superaddit. Quod autem hujus ultimæ sententiæ fuerit, ex consequentibus aperte clarescit. Quasi enim ei quod dixerat abstinentiam imperfectis competere, ex adverso aliquis resisteret, ex alterius persona subjungit. Sed dices: Quid igitur Dominus sacerdotibus veteris Testamenti cum ministrarent, prohibuit vinum? Quid quod Nazareis inhibuerit? quid quod filii Rachab ex hoc laudantur? Et tandem Joannes Baptista vinum & siceram non gustavit. Et addit: Qualiter igitur non erit perfectius a vino, & a carnibus abstinere, quam his uti? Et ad hæc tamquam ad probandum falsum inducta, respondit dicens, quod sacerdotibus veteris legis inhibetur vinum velut

Hieron. ad Eusto. ep. 22

ad-

adhuc nescientibus uti, quod abstinentia Nazareorum figuralis non moralis fuit, & quod filii Rachab magis de obedientia, quam de abstinentia laudati sunt, & quod Joanni Baptistæ abstinentia competebat, quia adolescens erat, addens, quia sicut absque diminutione perfectionis, carnes comedit, sic etiam si voluisset, potuisset bibere vinum, cum ad ejus oppositum nulla lege teneretur. Ex quibus aperte colligitur, quod ad Joviniani superaddit errorem. Cum enim supra probaverit, quod perfectis competit vino, & carnibus uti, exemplo Noe, Eliæ, & Joannis Baptistæ, & nunc pro inconvenienti habeat, quod perfectis viris abstinentia indicitur, manifeste convincitur ejus esse sententiæ, qua ciborum usus abstinentiæ non postponitur, sed præfertur. Pro hujus quoque erroris defensatore perfidia, plurima dicit absurda. Nam quod asserit vinum interdici sacerdotibus, tamquam nescientibus uti, aperte contrariatur veritati, cum super illud Levitici: Vinum & omne quod inebriare potest, & cetera, dicat Glossa: Filiis Aaron tamquam sublimiora adeptis, traditur hoc mandatum. Insuper contra viros sanctos blasphemare convincitur, quorum nonnulli sacerdotalis generis, sanctitatis, privilegio, & prophetiæ spiritu claruerunt. Mira certe, vel potius monstrosa doctrina. Cum enim supra præmiserit, quod viris perfectis competebat conjugium in veteri lege, & secundo addiderit, quod Aaron tamquam vir perfectus fugit, qua fronte nunc subjungere potest, quod tamquam imperfectus abstinuit, quasi conjugii nexus, vel fugæ præsidium sacerdotibus perfectionis gloriam tribuat, & sanctitas abstinentiæ tollat? Magna enim absurditate non caret, quod principalem caussam abstinentiæ præcursoris, ætatem asserit fuisse juvenilem, scilicet propter adolescentiam castigandam, ac si abstinentia senibus, & perfectis non competeret. Quid igitur sancti senes, & perfecti Paulus eremita, Antonius, Hilarion, & clarissimi illi cœnobiorum patres ab-

Lev. 10

A stinuerunt usque ad decrepitam senectutem? Quid illi nobiles cœnobitæ, de quibus dicit Hieronymus ad Eustochium: De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi, aqua frigida vix utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit? Quid illa sacratissima Paula, de qua idem Hieronymus: Nulla juvenum puellarum sano & vegeto corpore, tantæ se dedit abstinentiæ, quantæ ipsa fracto, & senili debilitatoque corpusculo? Quid etiam venerabilis illa Tarsilla, de qua Gregorius quarto Dialog. Tarsilla, inquit, amita mea, inter duas alias sorores suas, virtute continuæ orationis, gravitate vitæ, singularitate abstinentiæ, ad culmen perfectionis excreverat. Quid tandem Apostolus, de quo Hieronymus contra Jovinianum: Paulus Apostolus post famem & sitim, & cæteros labores suos, & pericula latronum, & solitudinis, crebra jejunia enumerat, & discipulo Timotheo dolenti stomachum, & infirmitates plurimas sustinenti, suadet vini modicam potionem, quod non concederet, nisi crebræ infirmitates, & dolor stomachi postulassent? Innumera quoque ad hæc exempla suppetunt, virorum illustrium, non solum in Christum credentium, verum etiam gentilium philosophorum, sicut ex variis historiis colligi potest, & præcipue de libro Hieronymi contra Jovinianum, & ex eo quem conscripsit Ambrosius de vita Brachmanorum. Nec horum contemnenda exempla, cum Hieronymus ad Lætam dicat, quod Judaica superstitio, ex parte facit in rejectione quorumdam animalium atque escarum, quod Indorum Brachmanæ, & Ægyptiorum Gymnosophistæ in polentæ, & orizæ, & pomorum solo observant cibo, cur virgo Christi non facit in toto? Si tanti vitrum, quare & non majoris pretii sit margaritum? Hæc auten non idcirco diximus, ut abstinentiæ laudemus excessum, sed nostri temporis homines de imperfectione notemus. Feri enim potest: ut pro debilitate corporum excusent nonnulli, juxta quod distinctione

Hieron. ad Eustoch. epist. 22

Idem in epithaphio Paulæ, quæ est ep. 27

Greg. lib. 4 Dial. c. 16 & hom. 38 in Evang. non longe a medio.

B

C

Hier. lo epist. 7 ad Lætam post med.

24. dicitur: Defectus hominum nostri temporis, quibus non solum membra, sed etiam corpora ipsa defecerunt, non patitur districtionis illius manere censuram. Fieri enim potest, ut ad aliqua pietatis officia seipsos exerceant, quæ districtionem illam vel in toto, vel in parte recompensent. Hoc tamen præcipua cura servandum, ut qui tantum vitæ rigorem sequi non valent, vel forsitan nolunt, non præsumptuose vilipendant, sed religiose venerentur, quatenus si quid in eis pro carnis debilitate subtrahitur, ex mentis humilitate suppleatur. Hanc piam reverentiæ formam, si is cui respondetur observare voluisset, nequaquam humanæ carnalitatis vitium, per carnes quas dicit a præcursore comestas, temeraria præsumptione foveret. Cui aperte contrariatur Evangelicus textus, & Augustinus contra Faustum, ubi sic ait: Unde dictus est Joannes non manducans, neque bibens, nisi quia illo victu, quo Judæi utebantur, ipse non utebatur? Constat autem, quod Judæi carnibus vescebantur, nisi forte quis ita desipiat, ut dicat Joannem carnes manducasse in lege prohibitas. Hieronymus etiam contra Jovinianum. Præcursor Domini, & præco locustis alitur: & silvestri melle, non carnibus. Et Rabanus super illud Matthæi: Esca ejus locustæ, & cætera. Habitatori solitudinis congruum erat, ut non delicias ciborum, sed necessitatem humanæ carnis expeteret. Unde refert Arnulphus Galliarum Episcopus, minimum genus locustarum fuisse in deserto Judææ, quo pastus est Joannes baptista, & usque hodie ibi apparere, qua corpusculis in modum digiti manus exilibus in herbis facile capiuntur, coctæque in oleo pauperum præbent victum. His itaque diligenter perspectis, quis tam impudens erit, ut per vitam Joannis austeram, & pauperem, suam, vel alienam defendere audeat carnalitatem. Ceterum quia superfluum est in his immorari diutius, ad ea veniendum est, quæ in quæstionis hujus diffinitione subjungit. Dicit namque, quod viri perfecti

Rabanus super Mat. 3.

A ad vinum & carnes se relaxaverunt, propter carnis infirmitatem, propter servandam consuetudinem communis vitæ, & propter scandali vitationem. Quæ quamvis vera sint, & a sanctis accepta, multa tamen falsa, ut assolet, in eorum explicationem permiscet. Dicit enim in explicatione primi membri, quod imperfectio est damnum virtutis, quod superius tamquam erroneum est multipliciter improbatum. Addit etiam quod Elias propter infirmitatem carnis, carnibus pastus fuit, quam etiam infirmitatem Christus accepit. Hoc si de speciali carnis infirmitate intelligatur, non sine temeritate multa asseritur, tum quia illud Scri-

B ptura non docet, sed ejus contrarium, tum quia erroneum est asserere, quod Christus assumpserit infirmitates, nisi illas quæ communiter respiciunt statum humanæ naturæ. Quod si de infirmitate, quæ communis est omnibus loquitur, secundum hoc exemplo Christi & Eliæ quilibet perfectus carnes comedere debet. Sane quod in explicatione secundi modi introducit auctoritate Augustini de libro quæstionum Evangelii, quod non interest, quid alimentorum vel quantum quis accipiat, dummodo id agat, pro congruentia hominum cum quibus vivit, si generaliter accipiatur, sicut hic ex perversitate intellectus insi-

C nuat omnem abstinentiæ rigorem enervat, secundum duplicem abstinentiæ modum, a qualibus videlicet, & a quanto. Attendendum est igitur quod verbum illud intelligi debet, quod non multum interest quantum ad rationem liciti, vel illiciti, contra id quod asserit Manichæus; multum tamen interest, quantum ad edomationem carnis, exercitationem virtutis, & satisfactionem pro culpis commissis. Unde Gregorius in Registro: Duobus modis viri sancti a licitis abstinere solent, aliquando ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando ut anteactæ vitæ culpas detergant. Sed etiam pari non caret perversitate, quod ibidem subjungit: quod si quis districtius vult vivere, quam hic cum

qui-

quibus communiter vivit aut intemperans est, & ita imperfectus, aut superstitiosus, & ita impius. Hæc verba ipsius, quæ imponit Augustino de doctrina Christiana simulque dicit quod hoc scilicet restrictius vivere, non docuit Christus, sed potius prohibuit, nec aliquis sanctorum hoc fecit. His autem verbis omnibus plane sanctarum religionum institutoribus, & Ecclesiarum rectoribus, qui strictius vixerunt, quam eorum consocii, non solum notam imperfectionis, sed etiam maculam prævaricationis impingit, propter quod, & a blasphemia in Christi sanctos, immunis non est, nisi inquantum fortassis eum ignorantia excusat, quia quos imitari abhorruit illorum vitas legere neglexit, sicut & mendositas codicis, in ea quam allegat Augustini auctoritate ipsum fefellit. Nequaquam enim ibi scriptum habetur, aut intemperans, sed aut temperans, aut superstitiosus, ubi vult August. ostendere, quod transcensus vitæ communis, aut venit ex sublimitate virtutis, sicut in viris magnæ auctoritatis, aut ex superstitione erroris, sicut in Manichæis, vel ex præsumptuosa singularitate modi vivendi, sicut in quibusdam hypocritis, & vanis hominibus, qui despiciunt statum vitæ communis. Corrigat igitur sui mendositatem codicis, vel potius a malignitate resipiscat erroris. In pertractatione quoque tertii modi falso redarguit Petrum Apostolum, & impie blasphemat in Christum; dicit eum Petrum reprehensum a Paulo, quia abstinentia sua scandalizabat infirmos. Verum sicut ex textu apparet Apostoli, non in hoc arguendus erat Petrus, quod abstinentium more, a cibis delicatioribus carnem restringeret, sed quia more Judæorum cibos discernens, Gentiles faciebat exemplo suo judaizare. Quod vero subjungit, Christum comedisse agnum Paschalem, quem comedere non tenebatur, nisi ne inde præberet Judæis scandali occasionem, manifestam blasphemiam continet. Nam Christus cum esset Dominus legis & omnium, etiam cum scandalo Judæorum quæ sub lege erant, legales cærimonias præterire poterat, nec ex tentione, sed ex condescensione legis figuralia observabat. Tandem quia veritas vincit semper, & invalescit, cujus lumen inter densas errorum tenebras radiat, ejus quasi virtute compulsus abstinentiæ hostis ad eam, quam impugnaverat laudandam convertitur, cum subjungit, quod tribus ex causis viri sancti abstinuerunt. Primo propter macerationem carnis, ad edomandum concupiscentias, secundo propter cautelam scandali infirmorum, tertio propter evitationem idolothytorum. Hæc siquidem vera sunt, & ab Augustino sumpta in lib. de moribus Manichæorum, sed hunc triplicem veritatis radium, triplicis erroris caligine obnubilare conatur. Nam primo dicit, quod sancti Patres non tenebantur abstinere cibis lege prohibitis, nisi propter vitandum scandalum, quod pertinebat ad novum testamentum, & hoc falsum est. Unde Augustinus: Machabæos inquit, cum ingenti admiratione præferimus, quod escas quibus nunc licite Christiani utuntur, attingere noluerunt, quia pro tempore prohibito non licebat. Secundo addit, quod Christus his tribus modis abstinuit, in quo non solum oberrat, sed solito modo blasphemat. Cum enim primus modus sit, ut dicit propter refrænandas concupiscentias carnis, hoc Christo attribuere, non est aliud quam blasphemare, nisi forte per hoc se se excusare velit, quod ante prædixit Christum non propter concupiscentias proprias abstinuisse, quia nullus habuit, sed ut abstinendo exemplum daret aliis, suas concupiscentias refrænandi. Verum si hanc intelligentiam habet, sensum rectitudinis teneat, sed verbum erroris immutet. Quærimus tamen ab eo, quibus exemplum hoc præbuit Christus utrum perfectis, de quibus idem dicit, quod jam concupiscentias domuerunt, an imperfectis, qui adhuc concupiscentiis agitantur? Constat, quod imperfectis. Si igitur Christus tamquam medicus, infirmis condescendendo exem-

Aug. l. 3 de Doct. Chri. c. 12. to. 3.

Gal. 2

Aug. contr. Faust. l. 19 c. 14 to. 6

exemplum præbuit, & quasi de hujusmodi medicinali potione gustavit absque detrimento perfectionis suæ, ut quid tot in vanum verba protulit, & conscripsit adversus hanc veritatem, quam de ipsius impugnantis ore, ejusdem invincibilis veritatis virtus extorsit? Tertio subdit, quod his tribus modis abstinere perfectis Christus præcepit, nec contrarium præcepit imperfectis, sed quibus placuit, misericorditer indulsit. Hæc verba ipsius, in quibus veritati contradicit & sibi ipsi. Veritati quidem, quia maxime astringuntur imperfecti ad idolothyta vitanda, nec eis indulgetur, quod alios scandalizent, aut suas concupiscentias non refrænent. Sibi ipsi etiam contradicit, quia cum supra docuerit, abstinentiam imperfectis magis competere quam perfectis, propter quod dicit abstinentiam vini, injunctam sacerdotibus veteris Testamenti, non novi; nunc seipsum redarguens dicit, quod abstinentia viris perfectis præcipitur, & imperfectis indulgetur. In quo dum uno destruit brevi sermone, quidquid supra construxerat, manifeste declarat, quod qui studio contentionis deservit, dum arcu tenso doloso per sagittam sermonis emissam, alterum vulnerare satagit, justo Dei judicio semetipsum prius ipse configit.

RESPONSIONIS SECUNDÆ

Caput Tertium.

In quo jejunii arctitudo, ut consona perfectioni defenditur, & ejus multiplex commendatio subinfertur.

SAtis evidenter per determinata patet, ut credimus, jejunii arctitudinem, velut abstinentiæ culmen Evangelicæ perfectionis structuræ non modicum præstare munimen. Verum, quia contentionis amator, adversus ipsius prærogativam novum disputationis certamen aggreditur, stultitiæ suæ respondere compellimur, ut simplices a perfectione non revocet, nec sibi sapiens esse videatur. Etenim cum is contra quem scribit, nullam de jejunio mentionem fece-

A rit, sicut ipsemet recognoscit, quia tamen alius prædicans fuit, de jejunii perfectione locutus, nova eum disputatione confutare conatur, quasi ei non sufficiat agere contra unum, quin potius Ismaelitico more, manum erigit contra omnes, ut justo Dei judicio manus sit omnium contra eum. Et quidem quod vir peritus, ut iste fatetur, docuit, Christum jejunando solis perfectis, & comedendo, solis imperfectis exemplum dedisse, nullatenus videtur esse credibile, cum omnibus constet, quod tam jejunare quam comedere fieri potest, non solum perfecte & imperfecte, verum etiam bene & male, & sancte & impie, secundum

B rationem diversorum finium & circumstantiarum. In hoc tamen est differentia inter jejunia servare, & jejunia solvere, quod primum de se est difficile & arduum, ac de se efficax ad repressionem carnalis libidinis, & exercitationem spiritualis virtutis, & ideo de ratione sui generis bonum, & ad perfectionem ordinatum. Secundum autem, scilicet jejunia solvere, facile est & carni suave, & ad quod inclinatur mentalis infirmitas, & ideo imperfectum de se quamvis & perfecte fieri possit, ratione circumstantiæ superadditæ. utpote cum a viro perfecto fit, ratione debilitatis propriæ, vel condescensionis fraternæ. Fatemur igitur

C una cum illo, contra quem scribit, quod loquendo de natura hujusmodi actuum, perfectius est jejunia servare, quam solvere, & quod Christus omnis virtutis exemplar, & pro tempore jejunavit, & pro tempore jejunia solvit: ut in primo austeritatis vitæ præberet exemplum; & in secundo humanæ infirmitati præstaret solatium. Propter quod & primum fuit rigoris, secundum condescensionis, utrumque tamen perfectum in Christo, quia ex perfectissima charitate processit. Nam condescensio, ut ex prædeterminatis est evidens, nullam imperfectionem ponit in condescendente, sed in eis solum quibus condescenditur, vel in ipso genere actus. Hoc si voluisset calumniator advertere, varios, in quos inci-

cidit, falsorum dogmatum declinasset errores. Nam super falsum primo se fundans, falsi criminis impositione Catholici doctoris verba depravat, sed & verisimili quadam distinctione modorum jejunandi, erroris sui versutias occultat, tandem fraudulenta commendatione solutionis jejunii, carnalis lasciviæ venena propinat. Aggrediens igitur eum contra quem scribit, primum redarguit tamquam hæreticum & præsumptuosum, & veræ perfectionis inimicum. Summa autem persuasionis suæ, qua velut hæreticum confutare conatur, hæc esse colligitur. Quia si Christus aliqua fecit, quibus exemplum præbuit perfectis tantummodo, tunc sequitur quod invidus fuerit, quia perfectionem imperfectis invidit. Item si aliqua fecit, tantum imitanda imperfectis, cum illa non potuerunt esse perfecta, aut Christus duas habet personas, quarum una fecit perfecta, alia impercta, secundum dogma Nestorii; aut si Dei Patris perfecta sunt opera, & Christi imperfecta, tunc erit persona Filii minor persona Patris, juxta impietatem Arrii, sive Photini. Hujus autem sophisticæ ratiocinationis processus auctorem suum & ignorantem demonstrat & impium. Si enim scientiam haberet, vel quantumcumque exilem, manifeste perpenderet, quod sicut universitatis creator diversis rerum generibus, secundum magis & minus naturarum, virtutum, & operationum nobilitates distribuit non solum absque malignitate invidiæ, verum etiam cum multa manifestatione bonitatis suæ: sic & humani generis recreator, non solum absque invidia, sed etiam ex multa charitatis benevolentia, diversa largitur charismatum dona, diversa revelat mysteriorum arcana, diversa graduum & prælationum officia, diversa tandem virtutum præbet exempla, ita quod uni dat imitari unum, alteri alterum, juxta quod Apostolus loquens de continentiæ gradibus ait: Unusquisque donum proprium habet a Deo. *1 Cor. 7.* Insuper cum dicitur, quod CHRISTUS aliqua proposuit imitanda perfectis, si sane saperet, non solum de

A illis intelligeret, qui jam perfecti sunt, sed de omnibus, qui cupiunt esse perfecti, sicut etiam Christus *Matt. 19* adolescenti, cum dixerat: Unum tibi deest, subdit: Si vis esse perfectus, vade & vende omnia, &c. Nullis ergo semitam perfectionis præcludit, nullis invidet, nullos repellit, sed gradum statuit competentem his, qui ad perfectionem satagunt provehi, non his qui volunt in imperfectione versari. Quod autem ex diversitate operationum in Christo, vel minoritate respectu operum Patris infert Christum vel duplicis esse personæ, & in ipsa personalitate divina esse minorem Patre, Nestorii simul & Arrii erroneam B sapit impietatem. Numquam enim ex pluralitate operationum sequitur pluralitas personarum, nisi secundum Nestorium, sed pluralitas virtutum & naturarum. Nec ex minoritate operationis sequitur minoritas in personalitate divina, sed in natura assumpta, nisi secundum Arrium, qui ex hoc, quod Christus dicit se Patre minorem, quod fideles intelligunt secundum naturam humanam, infert inæqualitatem in personalitate & natura divina. Si igitur hanc rationem credit valere, dum errorem alteri conatur impingere, manifeste convincitur, ut Nestorianus & Arrianus errare. Verum nec his contentus servum Dei C contra quem scribit, tamquam præsumptuosum invadit & arguit, pro eo videlicet, quod contra prohibitionem Apostoli, judicat alienum servum, in hoc quod manducantes asserit imperfectos. Nam cum omnis imperfectio, ut dicit, sit reatus, sit etiam configurans mundo, sit & displicens Deo, si quis manducantes imperfectos dixerit, hoc ipso judicat, & condemnat eosdem, tamquam reos in seipsis, mundo conformes, & Deo displicentes; quod quidem asserere, nil aliud est, ut dicit; quam insanire, & hæc est summa rationum suarum. Sed huic ex adverso veraciter dicitur: O *Eccl. 39* præsumptio nequissima, unde creata es, operire terram malitia! Præsumptuose enim atque maligne

alienum judicat servum, qui dicenti verum, impingit mendacium, sicut hic agit, cum id peritum hominem sensisse asserit, quod falsum esse, vix quantumcumque imperitus ignoret. Quis enim tam stolidus, ut dicat, quod omnis manducans sit imperfectus, cum hoc necessarium & commune sit omni viatori, tam perfecto, quam imperfecto, tam bono, quam malo? Sed esto, quod quis dixerit, quod jejunia solvere, sit actus imperfectus, quantum est de proprio genere, non tamen ex hoc sequitur, quod omnis jejunia solvens vel comedens sit imperfectus, pro eo quod sicut sæpe dictum est, circumstantia potest esse personæ, & actui annexa, quæ ab omni imperfectione excuset. Insuper alia est comparatio actuum, & alia personarum. Unde sicut non sequitur, si perfectior est virginitas quam conjugium, quod ideo virgo sit semper perfectior conjugata: quia potest esse quod virgo sit impia, & conjugata sit sancta, sic, & ad eam comparationem, qua jejunium comestioni præfertur, non sequitur, quod jejunans sit universaliter comedente perfectior, ac per hoc multo minus inferri potest, quod comedens sit imperfectus. Ex hoc autem quod dicit imperfectionem esse reatum, rem mundo conformem, & Deo displicentem, sequuntur absurditates innumeræ. Nam cum virtus, charitas, & justitia aliquando sit imperfecta, erit ergo reatui obnoxia, conformis mundo, & displicens Deo. Amplius cum ipsum conjugium de sua ratione sit imperfectum, necessario sequitur, quod sit culpabile, & displicens Deo. Sed & pudicitia conjugalis, cum sit imperfecta respectu virginalis, erit Deo displicens, ac per hoc juxta Manichæum non erit matrimonium a Deo institutum. Præterea si omnis imperfectio in artificiato artifici displicet, ut hic temerarie asserit, cum omnia a Deo creata, prius imperfecta fuerint, quam perfecta, universa in suæ productionis principio displicuerunt Conditori suo, sed nullus sapienter operans producit quod sibi displicet, sequitur ergo quod prima rerum opera, non sunt a Deo in sapientia facta. Et quia hæc absurdissima sunt, illa ex quibus sequuntur, repudianda sunt tamquam erronea, & ex falso intellectu imperfectionis, procedentia, sicut in præcedentibus patenter ostendimus. Sed nec ista contentioso disputatori sufficiunt. Nam aduc prudentem virum tamquam perfectionis hostem insequitur. Arguit enim, Si jejunium solvere est imperfectum, senes qui jejunare non possunt in imperfectionem labuntur. Similiter & corpore imbecilles in virtute decrescunt, cum tamen dicat Apostolus, quod virtus in infirmitate perficitur. Insuper quod solventes jejunium in diebus Dominicis, secundum mandatum canonum, imperfecti erunt. Hæ sunt itaque rationes ipsius in quibus non tam ejus, cui adversatur, impugnat sententiam, quam jejunii sanctitatem perfectam. Cum enim nullus peritus hoc dixerit, nullus etiam hoc senserit, quod solutio jejunii ex rationabili causa, perfectioni repugnet, aut præfatæ rationes omnino sunt frivolæ, aut ex hoc imperitis videntur probabiles, quia nullum perfectionis opus est, quod intermitti potest salva perfectione, ac per hoc quia jejunium salva perfectione intermitti potest, concludi posse videtur, quod non sit de perfectionis integritate. Et quoniam hac ratione ad impugnationem perfectionis, in consequentibus frequenter se munit, ideo ut hac una responsione sophisticatio ipsius dissolvatur: ubique prudens lector advertet, quod actus ad perfectionem spectantes, quidam sunt intrinseci & essentiales, tamquam secundum se perfecti, & perfectivi; quidam autem sunt exteriores, & ad perfectionis complementum adminiculantes & exercitativi, & horum quidam possunt intermitti pro loco & tempore salva perfectione, quidam autem nisi pro loco & tempore intermittantur, cum perfectione stare non possunt. Unde Beda super Lucam: Quis nesciat viscera misericordiæ, benignitatem, hu-

1. Cor. 12

humilitatem, patientiam, castitatem, & his similia, sine ulla temporum intercapedine, fidelibus esse servanda. At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, orationem, laborem operandi, & cetera hujusmodi si quis semper exequenda putaverit, horum se fructu privabit. Hoc Beda. Ad hoc ipsum facit quod dicit Augustinus de bono conjugali: Habebat, inquit, Timotheus virtutem continendi a vino, quam non ei abstulit Paulus monendo, ut vino modico uteretur, propter stomachum, & frequentes suas infirmitates: alioquin perniciose docebat, ut propter salutem corporis fieret in animo damnum virtutis, sed quia poterat ea virtute salva fieri quod monebat, ita relaxata est corpori utilitas bibendi, ut maneret in animo habitus continendi. Hæc Augustinus: Ex quibus patenter colligitur, quod opus virtutis intermitti potest virtute salva, ac per hoc etiam opus perfectionis, ipsa perfectione servata. Ad palliandam quoque absurditatem sui dogmatis, qui jejunium a perfectione sequestrare contendit, sex differentias jejuniorum distinguendo subnectit. Dicit enim quod sex modis contingit jejunare. Primo causa laudis humanæ; secundo causa avaritiæ; tertio causa concupiscentiæ refrænandæ; quarto ex abundanti misericordia ad dandum exemplum; quinto ad designandum mysterium; sexto propter gerendum aliis morem, & scandalum vitandum. Hęc autem distinctio superficialiter considerata, erroneam ipsius sententiam palliare videtur: sed diligenti examinatione discussa, propalare cognoscitur. Nam ex his sex modis duos secundum veritatem dicit competere hypocritis, & avaris, tertium, scilicet causa concupiscentiæ refrænandæ competere asserit perfectis & imperfectis, quia ut dicit in quantovis sancto remanet aliquid de concupiscentiis evincendis. Et post subdit, quod hoc jejunium Christus non assumpserit, & tertio subjungit quod hoc jejunium magis imperfecto quam perfecto Monacho competit.

Aug. l. de bo. conjug. c. 21 c. 6

Sed hoc tertio loco dictum, ei quod primo posuerant aperte contradicit. Nam si in quantumcunque perfecto aliquid remanet de concupiscentiis evincendis, cum plene vincere, ac domare concupiscentias magis competat perfecto, quam imperfecto, magis ei competit modus hic jejunandi, ubi corporalium virium imbecillitas non obsistit. Unde Hieronymus, Hilarionis perfectissimi Monachi vitam describens, A sexaginta quatuor annis inquit, usque ad octuaginta pane abstinuit, incredibili fervore mentis, sicque complens ordinem vitæ numquam ante solis occasum solvit jejunium. Porro in eo quod dicit, Christum non dedisse exemplum hoc modo jejunandi, aperte contrarium est ei, quod in præcedenti capitulo scripsit. Dixit enim ibi, quod Christus exemplum abstinendi ad domandas concupiscentias præbuit. Mirum certe si homo fuit alicujus intelligentiæ, aut saltem memoriæ qui hæc scripsit, quomodo repente oblitus eorum quæ dixerat, paucis interpositis contrarium dogmatizat. Justo tamen judicio supernæ dispositionis, has mentis tenebras incurrit, ut nec sibi ipsi consentiat, qui a veritate discordat. Quamquam enim Christus nullas concupiscentias habuit, suo tamen jejunio exemplum nobis certandi, per ieiunium contra concupiscentias dedit, sicut dicit Hieronymus: Salvator generis humani, qui virtutis & conversationis suæ, nobis exemplum reliquit, post baptismum statim assumitur a spiritu, ut pugnet contra diabolum & tamen hostis antiquus post quadraginta dierum ieiunium, per cibum molitur insidias. Glossa etiam super illud Matthæi: Ductus est Jesus in desertum, &c. Jeiunat ut tentetur, tentatur quia jejunat, & exemplum ieiunandi nobis dat. Et alia Glossa ibidem: Hic est Ordo rectæ conversationis, ut post acceptam Spiritus sancti gratiam, contra diabolum arctius accingamur. Ex quibus colligitur, quod Christus simul exemplum ieiunandi, & pugnandi dedit hominibus. Sed hoc exemplum certum est nos sequi non posse, per primum & secundum jejunandi modum,

Hieron. in vit. Hilarion.

Hier. ep. 8 ad Demet. post med.

Mat. 4

dum, in quibus deest justitia, nec per quartum, quintum & sextum, quibus non jejunatur, ut contra hostem pugnetur, restat igitur quod exemplum dedit quantum ad tertium modum. Unde & Ambrosius in lib. de laude jejunii. Præliatus est Christus ut vinceret, non quod ipse egeret certamine, sed ut nobis formam bellandi præscriberet, & postea daret gratiam triumphandi. Certamen nostrum jejunium est. Denique jejunavit Salvator, & sic ad eum tentator accessit, & primum gulæ direxit spiculum, & cibum velut escam laquei prætendit. Dominus jejunium prætulit, ut laqueos tentatoris sui vinculaque dissolveret. Illo laqueo Adam fuit strangulatus, hac absolutione diabolicæ quæstionis omnis homo est liberatus. In his tam clare sacer Ambrosius, si quid forte obscurum est explicat, ut nemo nisi mente obstinatus obsistat. Unde & ipse hostis jejunii in quarto jejunandi modo, qui videlicet est ex abundanti misericordia, asserit Christum dedisse jejunandi exemplum non solum perfectis, sed etiam imperfectis. In quo siquidem, aut intendit dicere quod exemplum jejunandi dedit nobis, ut jejunemus, pro exhibenda aliis misericordia, sicut jejunaverunt Moyses, Elias, Daniel, & alii prophetæ, & tunc falsum dicit, quia abundans misericordia non competit imperfectis, sed perfectis: aut ut jejunemus pro superanda pugna, & tunc quidem verum dicit, sed sibiipsi aperte contradicit. Quod etiam facit in sexto jejunandi modo, ubi dicit, quod perfecti concupiscentias habentes edomitas jejunio non astricti jejunabant, secundum morem illorum cum quibus vivebant, ubi contradicit ei, quod paulo ante prædixerat, quod in quantovis perfecto remanet aliquid de concupiscentiis evincendis. Contradicit insuper veritati. Nam Paulus Apostolus, qui ad apicem summæ perfectionis pervenerat, castigare se dicit corpus proprium, & in servitutem redigere, non tam pro gerendo aliis more, quam pro superando hoste domestico, sicut expresse dicit Hieronymus in auctoritate superius posita. Quis etiam quantumcumque sanctus, nisi sit in actu infirmus, vel corpore debilis, ab his jejuniis ad quæ se obligavit per regulæ votum, vel ab his, quæ universaliter servanda sancta mater Ecclesia statuit, ex sua quantalibet perfectione absolvitur? Quis sanæ mentis hoc senserit? quis docere præsumpserit? nullus certe, ut credimus, nisi sanctæ matris Ecclesiæ statuta contemnat.

Ambr. l. de Elia, & jejunio c. 1 t. 6

1 Cor. 9

Hieron. ad Eustoch. epist. 22

Dehinc suam finalem declaret intentionem, quæ non ad jejunium servandum, sed potius ad solvendum conatur inducere, sex modos assignat solutionis jejunii, quorum primum dicit illicitum, secundum imperfectum, quatuor sequentes modos dicit esse perfectorum. In quibus plura interserit perversorum seminaria dogmatum, quæ ad præsens indiscussa relinquimus, ne legentium animos prolixitate gravemus. Hoc tamen prætereundum non est, quod cum supra sex modos jejunandi distinxerit, in quibus quatuor posuit licitos, & illos indifferenter competere perfectis, & imperfectis, deinde sex modos subnectit solvendi jejunium, ex quibus unum imperfectis attribuit, quatuor vero reliquos modos perfectis maxime competere dicit, manifeste declarat ejus sententiæ se esse, quod viris perfectis magis competat jejunia solvere, quam servare. In quo & impietatem transcendit Joviniani hæretici, qui sacræ jejuniorum observantiæ moderatam ciborum sumptionem, ausus non fuit præponere, sed æquare. Legat igitur si dignetur, veracium scripta Doctorum, in quibus magnis nequaquam præconiis solutio jejuniorum extollitur, sed miris laudibus observantia commendatur. Hanc enim sacer Ambrosius in libro de jejunio, non tam miseriæ hujus sæculi fore asserit, quam innocentiæ Paradisi, cum ait: Itaque ne terrenum quis, aut novellum putet esse jejunium, primus usus mundi a jejunio cœpit, quando lux clara resplenduit. *Et infra*: Ubi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. Ubi cœpit

Ambr. in l. de Elia, & jejunio, c. 4 in prin.

pit sua incrementa nescire; ibi cœperunt divina circa eum opera feriari. Quo judicio declaratum est, quod per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit & augeri. Et ut sciamus novellum non esse jejunium, primam in Paradiso legem constituit de jejunio, sciebat enim quod per escam culpa haberet inferri. Idem, etiam libro eodem jejunium comparat vitæ cœlesti: Merito, inquit, Eliam dignum cœlo divina judicavit sententia, ut cum ipso raperetur corpore, quoniam cœlesti vita vivebat in corpore, & supernæ usum conversationis exhibebat in terris. Quid est enim jejunium, nisi substantia cœlestis? Jejunium refectio animæ, & cibus mentis est. Jejunium vita Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum castitatis: Hoc ad Deum gradu citius pervenitur, hoc gradu Elias ascendit antequam curru, in hac virtute & spiritu Eliæ venit Joannes, denique & in deserto ille vacavit jejuniis, & ideo, qui vitæ humanæ possibilitatem continentia supergressus fuerat, non homo, sed Angelus æstimatus est. In his Ambrosius sacer jejunium comparat Angelicæ vitæ, & quidem satis digne. Cum enim, sicut ait Dionysius, hierarchiæ cœlestis triplex sit actus, purgatio, scilicet illuminatio, & perfectio, & ad hæc tria per jejunii observantiam perveniatur; sancte jejunantium vita magis cœlestis esse perhibetur, quam terrena. Per jejunium enim obtinetur perfecta custodia sanctitatis. Primo quantum ad declinationem carnalium vitiorum, sicut ait Hieronymus ad Demetriadem: Post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniorum tibi arma sumenda sunt, & canendum cum David: Humiliavi in jejunio animam meam. Et, Cinerem tamquam panem manducabam. Et paulo post: Ignita sunt diaboli jacula, quæ simul vulnerant, & inflammant, & a Rege Babylonis tribus pueris præparantur. Sed quo modo ibi quartus, speciem habens quasi filii Dei immensos mitigavit ardores, sic & in animo virginali, rore cœlesti, & jejuniorum frigore, puellaris calor extinguitur, & humano corpori Angelorum conversatio imperatur. Dehinc propter debellationem spiritualium hostium, juxta illud Ambrosii ubi supra, Judith jejunans omnibus diebus viduitatis suæ, his armis munita processit, omnem Assyriorum circumvenit exercitum, sobrii vigore consilii abstulit Holofernis caput, servavit pudicitiam, victoriam reportavit. Esther quoque pulchrior facta jejunio, omne genus suum a persecutione liberavit, ita ut Regem sibi faceret esse subjectum, non libidinis ardore inflammatum, sed cœlesti miseratione conversum, ut pœna in impium retorqueretur, & honor sacris redderetur altaribus. Est ergo jejunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores. Per jejunium etiam impetratur perfecta intelligentia veritatis. Primo quidem in operandis, cujusmodi est veritas divinæ legis, sicut dicit Ambrosius, ubi supra: Moyses, inquit, de jejunio legem dedit, ipsumque jejunantem non voces magnæ, non fulgura, & nubes tenebrosa, & fumigans Sina perterruit. Neque enim introisset in nubem, & vocem Dei loquentis de medio ignis sine periculo salutis audisset, nisi munitus armis jejunii. Quadraginta enim diebus ieiunavit in monte, ut legem acciperet a Domino Deo nostro. Et in superioribus quidem montis lex dabatur Moysi ieiunanti, in inferioribus populo manducanti, prævaricatio sacrilega accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus Moyses, fregit tabulas, indignum judicans, ut ebrio populo lex daretur. Impetratur etiam per ieiunium intelligentia veritatis, in speculandis, iuxta quod dicit Hieronymus contra Jovinianum: Daniel, atque tres pueri revelationem somniorum ieiunio merentur, pastique leguminibus, pulchriores, & prudentiores inveniuntur. Eodem quoque libro: Elias quadraginta dierum ieiunio præparatus, Deum vidit in monte Oreb, audivitque ab eo. Quid tu hic agis Elia? Multo familiarior vox ista, quam illa in Ge-

Ibid. c. & 3 — *Hieron. ad Demet. ep. 8 cir. med.* — *Ps. 34 & 101* — *Dan. 3* — *Judith. 8 Ambr. lib. de Elia, & jejun. c. 9* — *Hieron. l. 2 cont Jov. cir. med.*

Gen. 3 Genesi: Ubi es Adam? Illa enim A pastum terrebat & perditum; hæc ieiunanti famulo blandiebatur. Denique per ieiunium acquiritur constantia virtutis. Primum quidem ad faciendum ardua, iuxta quod Ambrosius ubi supra. *Amb. ubi sup. c. 2* Magna est virtus ieiunii. Denique tam speciosa militia est, ut ieiunare delectaret & Christum, tam valida ut ad cœlum homines elevaret. Et ut tam humanis, quam divinis utar exemplis, *3 Reg. 17 & 3 Reg. 18 4 Reg. 2* Elias ieiuno ore cœlum clausit, ieiunus filium viduæ ab inferis suscitavit, ieiunus pluvias ore deposuit, ieiunus ignes deduxit de cœlo, ieiunus curru est raptus in cœlum, & quadraginta dierum ieiunio divinam acquisivit præsentiam. Tunc denique plus B meruit, quando plus ieiunavit. Quis ex humana virtute igneos equos & currus potuisset ascendere, nisi qui naturam humanam corporis incorruptibilis jejunii virtute mutasset? Dat etiam virtutem superandi adversa, sicut idem Ambrosius dicit ibidem: *Ibid. c. 7* Est quædam creaturæ natura, quam *a* adamantium vocant, nullo facilis igne consumi, quæ imposita focis ignescit, illico sublata de flamma, tamquam aquarum infusione munda resplendet. Talia erant puerorum Hebræorum corpora, quæ jejunio in *b* adamantii transformata naturam vapore ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam *c* mutabantur. Daniel quoque trium hebdomadarum C jejunio leones edocuit jejunare, missus in lacum, & in adamantinam soliditatem abstinentiæ rigore membra duratus non patuit vulneri. Sic eum constrinxerant jejunia, ut in ejus corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Clausa tenebant feri leones ora, quæ abstinentiæ propheticæ sanctitas comprimebat, ut ea feræ aperire non possent, veluti *d* quibusdam vinculis alligata. Ex his igitur & aliis prædictis colligitur, quod cum per jejunium obtineatur perfectio sanctitatis, sapientiæ & virtutis, per quæ mens humana purgatur, illuminatur, & perficitur instar hierarchiæ cœlestis, ab omnibus debet servari & appeti, sed maxime ab his, qui cupiunt esse perfecti. Unde & hæc tria breviter exprimit Gregoriana illa præfatio, quia *Greg. in Sacramen. lib.* dicitur, quod Deus corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & præmia. Et Augustinus in quodam sermone: Jejunium, inquit, purgat mentem, sublevat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, quod Deus non spernit, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis lumen accendit, verbositatem non amat, divitiarum superfluitates abdicat, superbiam calcat, humilitatem commendat. Ambrosius etiam ubi supra: *Ambr. l. de jeju. & Elia c. 3* Jejunium continentiæ magisterium est, pudicitiæ disciplina, humilitas mentis, castigatio carnis, forma sobrietatis, norma virtutis, purificatio animæ, miserationis expensa, lenitatis institutio, castitatis origo, senum gratia, custodia juventutis. Hæc de jejunii laude diffusius diximus, ut carnaliter sapientis hominis, & intellectus instruatur, & inflammetur affectus, quatenus suum recognoscens errorem, in jejunio, fletu, & planctu convertatur ad Dominum: super quo Patri misericordiarum sacrificium devotæ precis offerimus, ut sicut de ipsius subversione doluimus hactenus, ita de conversione in posterum gaudeamus.

a in orig. amantium.

b in orig. amanti.

c in orig. utebantur.

d in orig. merenti.

RESPONSIONIS TERTIÆ

CAPUT PRIMUM.

In quo voluntaria, & penuriosa paupertas fundamentum Evangelicæ perfectionis astruitur, & quæ huic videri possunt contraria, dissolvuntur.

Christianæ Religionis fundamentum esse Christum Jesum, sapiens ille Architectus Apostolus Paulus ad Corinthios asserit, docens fundamentum aliud poni non posse præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. *1 Cor. 3* Hoc quidem in nostro intellectu collocatur per fidem, quam idem Apostolus dicit ad Hebræos, rerum sperandarum esse substantiam, *Heb. 11* in affectu vero per chari-

tatem, de qua idem ad Ephesios scri- A bit. In charitate radicati & fundati, fundamento ipsam comparans & radici. Ut igitur hæc duo jungantur in unum, Christianæ Religionis fundamentum, & radix est fides, quæ per charitatem operatur, sicut & Glossa super illud fundamentum aliud, &c. dicit: Fides, quæ per dilectionem operatur in fundamento posita, neminem perire permittit. Huic autem fundamento sive radici directe adversatur cupiditas, de qua scribitur ad Timotheum: Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide. Ex hac nempe radice cum annexa sibi superbia, universa mala sibi originem, fomentum & incre- B mentum suscipiunt, propter quod civitatis Babylonicæ fundamentum ab Augustino esse perhibetur. Omnium itaque bonorum origo, & novæ civitatis Jerusalem fundamentum, & fundator Christus Jesus, qui in hoc apparuit, ut diaboli dissolveret opera, hujus cupiditatis oppositum summo debuit affectu complecti, exemplo ostendere, & verbo prædicare. Et quoniam cupiditatis vitium, & inordinatio radicatur in affectu mentis, occasio vero & fomentum sumitur a rebus extra possessis, ideo necesse est, quod perfecta radicis hujus avulsio utrumque respiciat, ut avaritiæ rubiginosa affectio, & substantiæ terrenæ illecebrosa possessio, C tam spiritualiter, quam corporaliter abdicentur. Unde super illud Matthæi dixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia; dicit Bernardus: Optime & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit & concupiscentia ejus, & relinquere hæc magis expedit, quam ab eis derelinqui. Et hæc fugiendarum divitiarum causa præcipua est, quod aut vix, aut numquam, sine amore valeant possideri. Si igitur gemina hæc abdicatio mundi scilicet, & concupiscentiæ ejus, quæ etiam paupertas spiritus dicitur, ipsa est qua radix omnium malorum perfecte amputatur, & Babylonis fundamentum evertitur, recta potest ratione concludi, quod perfectionis Evangelicæ per

Ephes. 3
1 Tim. 6
Matt. 19
Bern. Hom. super Ecce nos, &c.

quam Christo configuramur, & complantamur, & habitaculum ejus efficimur, ipsa paupertas spiritus secundum quamdam analogiam & cohærentiam ad prædicta, radix est & fundamentum. Propter quod & Christus cum ad perfectionem discipulos informaret in monte, tamquam novæ Jerusalem descendentis de cœlo, fundamenta perfectionis videlicet Evangelicæ limina in montibus sanctis, montibus scilicet Apostolicis collocans inter cæterarum virtutum gloriosa præconia, a sanctæ paupertatis excellentia sumit initium, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Dehinc tribuens de perfectionis aggressione consilium, primum ad hanc suo invitat exemplo, dicens: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Quem locum tractans Hieronymus ait: Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis, omnia vendere & pauperibus distribuere, & sic levem atque expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. Cum autem circa bonorum temporalium possessionem duo considerare contingat, dominium scilicet & usum, sitque usus necessario annexus vitæ præsenti, Evangelicæ paupertatis est, possessiones terrenas quantum ad dominium, & proprietatem derelinquere, usum vero non omnino reiicere, sed arctare, juxta illud quod dicit Apostolus: Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti simus. Ex his potest colligi paupertatis Evangelicæ ratio, scilicet, quod ipsa sit virtus temporalium abdicativa bonorum, qua quis nil proprium habens sustentatur de non suo. Et quoniam dupliciter contingit rerum temporalium abdicare dominium, dupliciter etiam sustentari de non suo, ideo paupertatis Evangelicæ duplex est modus, duplexque perfectio. Cum enim duplex sit rerum dominium, scilicet privatum & commune, unum quidem spectans ad determinatam personam, alterum vero ad determinatum collegium, & primum abdicari possit retento secundo, possit etiam secundum abdicari cum primo; du-

Matt. 5
Mat. 19
Hieron. ad Demet. ep. 8 post med.
1 Tim. 6

duplex erit secundum hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio. Una videlicet, qua quis temporalium omnium privato seu personali abdicato dominio sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, communi tamen jure cum aliis participato & simul possesso. Alia vero qua quis omnium rerum abdicato dominio, tam in proprio quam in communi sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio sed alieno, pie tamen & juste ab alio sibi pro sustentatione collato. Primæ paupertatis forma præcessit in turba credentium, de qua in Actibus dicitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Quem Scripturæ locum tractans Hieronymus ad Demetriadem dicit: In Actibus Apostolorum, quando Domini nostri Jesu Christi calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum proiiciebant pedes, ut ostenderent pecunias esse calcandas, & dabatur singulis prout opus erat. Hinc etiam tradita fuit forma Monasticæ seu cœnobiticæ vitæ, iuxta quod Glossa Bedæ dicit ibidem: Qui ita vivunt, ut sint eis omnia communia, ideo cœnobitæ vocantur. Quæ vita tanto felicior est, quanto statum futuri sæculi imitatur, ubi sunt omnia communia. Secundæ autem paupertatis exemplar & forma in vita præcessit Apostolorum, quam perfectionis magister Christus eisdem instituit, quando ipsos ad prædicandum misit, sicut legitur in Matthæo: Nolite, inquit, possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duras tunicas, neque calceamenta, neque virgam. Dignus est enim operarius cibo suo. Ubi Glossa: Propemodum necessaria vitæ amputat, ne vel curent de crastino qui docent omnia regi a Deo, nec ipsa necessaria nec cellarium secum vehant nihil præter vestimentum, nec etiam numisma. In his igitur verbis Dominus Apostolis & Prædicatoribus veritatis, extremæ ac penuriosæ paupertatis formam servandam imponit, quantum ad carentiam non solum possessionum, sed etiam pecuniarum & aliorum mobilium, quibus sustentari vel communiri solet communis hominum vita, ut tamquam veri pauperes in summa rerum constituti penuria, carerent pecuniis, alimenta non ferrent, simplici vestitu contineti essent, & sine calceamentis incederent, ut sic paupertatem altissimam actu, & habitu, quasi quoddam perfectionis insigne præferrent. Hanc paupertatis normam tamquam speciali prærogativa perfectam, & CHRISTUS in seipso servavit, & Apostolis servandam instituit, & his qui eorum cupiunt imitari vestigia consulendo suasit. Quod enim Christus illam servaverit, ostendit Chrysost. super Matthæum: Ne possideatis, inquit, aurum, neque argentum, neque peram in via. Quia enim per opera ostendit ea, tunc jam legislationem, quæ est a verbis, validiorem inducit, quando & facile susceptibilis sermo factus est, operibus suis prius certificatus. Ubi igitur ostendit per opera? audi eum dicentem: Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Neque in hoc sufficit solo, sed & discipulis tribuit hanc apodixim. Hæc verba Chrysostomus. Glossa etiam super illud Matthæi: Vulpes foveas habent, &c. Quid me propter lucra sæculi vis sequi, cum ita sim pauper, ut nec hospitiolum, quod meum sit, habeam? Quod si forte quis dicat, Christum non proprium habuisse hospitium sed commune, obviat idem Chrysost. in serm. de proditione Judæ: Quos inquit, pretiosorum marmorum pompa delectat, congnoscat Christum omnium Dominum, qui locum in quo caput reclinare non habuit. Et ideo discipuli ipsum interrogant, & dicunt: Ubi vis paremus comedere Pascha? Sed si Christus habuisset domicilium commune, illud discipuli non ignorassent. Sed etiam Christus loco non caruisset, in quo caput reclinaret, & Pascha comederet. Colligitur ergo ex interro-

Marginalia: Actor. 5 — Ibid. ubi sup. prox. — Matt. 10 — Luc. 9 — Matt. 26

rogatione discipulorum, & hospitii incertitudine, quod Christus domicilium non habuit, nec proprium, nec commune: Arctissimam quoque Domini paupertatem declarans Hieronimus ait: Turpe est ante fores Sacerdotis Domini crucifixi & pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, & milites excubare. Fuit itaque Christus tamquam vere pauperrimus alieno cibo sustentatus. Hoc ipsum Bernardus in quodam sermone super illud Lucæ: Cum factus esset Jesus annorum duodecim apertius dicit: Ut te Domine per omnia nostræ paupertati conformares, quasi unus in turba pauperum stipem per ostia mendicabas. Quis dabit me buccellarum illarum mendicatarum participem fieri, & illius edulii reliquiis saginari? Anselmus etiam in lib. de Sacrament. Pauper ita fuit Christus, ut veniens in mundum, non in sua, sed in aliena domo nasceretur, & natus propter inopiam loci in præsepio brutorum animalium poneretur, & vivens in mundo non haberet, ubi caput suum reclinaret, nec moriens unde nuditatem suam tegeret, nec mortuus unde involveretur, nec sepulchrum aut locum, ubi corpus mortuum locaretur. Ex his colligitur, quod Christus, pauper fuit in ortu, pauper in vitæ progressu, pauper in termino. Sane ut hanc paupertatem amabilem redderet in mundo, pauperrimam matrem elegit, paupertatis defectus voluntarie pertulit, & ut pauper & inops discalceatus incessit. De paupertate namque matris ipsius dicit Beda super Marcum, exponens Evangelicum illud: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Consideremus, inquit, qua via graditur, ut sequi mereamur. Ecce cum Dominus sit creator Angelorum, suscepturus naturam nostram quam condidit, ut uterum Virginis venit, nasci tamen in hoc mundo per divites noluit, parentes pauperes elegit. Unde & agnus, qui pro illo offerretur, defuit, columbarum pullos, & par turturum ad sacrificium mater invenit. His concordat Chrysostomus super Matthæum: Pariens quidem Filium Virgo, confestim illum in præsepe reclinavit, quia multis convenientibus propter descriptionem, non erat domum invenire. Sed quid fuit, quod suasit Magos adorare? Nihil enim sensibilium magnum erat illic, sed præsepe & tugurium, & mater pauper, & nudam Magorum videas Philosophiam. Item quoque in homilia Epiphaniæ de Magis loquens, dicit: Viderunt pandochium tenebrosum & sordidum, magis animalibus, quam hominibus aptum, in quo nemo erat contentus secedere, nisi itineris necessitate coactus, matremque ejus vix tunicam habentem unam, non ad ornatum corporis, sed ad tegumentum nuditatis proficientem. Quod autem pauperrime vixerit, super illud Marci: Circumspectis omnibus Glossa declarat dicens: Circumspectis omnibus si quis eum hospitio susciperet. Tantæ enim paupertatis fuit, & ita nulli adulatus ut in tanta urbe nullum inveniret hospitium. Super quem etiam locum Beda in origine dicit: Intelligendum est, quod tantæ paupertatis Dominus fuit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam mansionem inveniret, sed in agro parvulo apud Lazarum, sororesque ejus habitaret. Constans est igitur, quod Christus non solum hospitio, sed & pretio quo illud emeret, caruit, dum necessitate compulsus, de urbe exivit, illo videlicet die, quo eamdem urbem tamquam Rex asello vectus intravit. Hoc ipsum & Glossa super illud Joannis: Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam, expressius asserit: Noluit Dominus habere quod perderet, pauper erat, ne diabolus haberet quod auferret. Sed omne temporale, sive commune, sive proprium, & auferri potest & perdi. Tandem ut pauper discalceatus incessit, juxta quod Hieron. ad Eustochium scribens ait: Discipuli sine calceamentorum onere, & vinculis pellium, ad prædicationem novi Evangelii destinantur, & milites vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habebant quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus, quod

Bern. hom. 1 de puero Jesu duodenni Dom. infra Oct. Epiph.

Ans. l. de diversitate Sacramen. post med.

Joan. 12

Luc. 2

Joan. 14

Hier. ad Eustoch. ep. 22

quod prohibuerat in servis. Calceamentis igitur Christus, ut pauperrimus caruit, vestimentis vero necessariis carere non potuit, volens tamen summæ paupertatis nuditate vitam concludere, nudus elegit cruce pendere. Quia vero Magister & Dominus Christus, non propter se, sed nostri causa paupertatem assumpsit, ut perfectionem nobis exemplo monstraret: ideo sacris Apostolis, tamquam suæ sanctitatis imitatoribus perfectis hanc extremæ paupertatis formam servandam instituit, sicut legitur in Matthæo, Marco, & Luca. Quod quamquam ex ipso textu, sit certum & evidens, ad omnem tamen dubietatis scrupulum amovendum, sanctorum auctoritatibus confirmetur. Nam super illud Matthæi: Nolite possidere aurum, &c. dicit Chrysost. Multa per hoc unum emendabat: primum quidem non suspectos faciens Apostolos: secundo autem ab omni eos eruens sollicitudine, ut vacationem omnem tribuant sermoni: tertio docens eos suam virtutem, hoc nempe eis, & postea dicit: Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos, & discalceatos sine sacculo? Et infra: Orbi terrarum Doctores erat missurus, propter quod & Angelos eos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, ab omni absolvens vitæ hujus sollicitudine. Et post: Intendere qualiter omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum, qui docentur manere, & nihil habentes introire. Si autem in aliena patria existentes, & apud ignotos abeuntes, nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, multo magis domi manentes: Hucusque Chrysostomus. Idem quoque ait: Si bonum esset aurum habere, hoc utique dedisset Apostolis Christus, qui ineffabilia eis tribuit dona, nunc autem non solum non dedit, sed etiam habere prohibuit. Ideoque Petrus non solum non verecundatur, sed etiam decoratur in paupertate, dicens: Argentum & aurum non est mihi. Super præfatum etiam Matthæi locum Rabanus in originali sic dicit: Consequenter hoc præcipit Evangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat, Gratis accepistis gratis date. Si enim sic prædicant, ut pretium non accipiant, superflua est auri, & argenti, nummorumque possessio. Nam si habuissent aurum vel argentum, viderentur non causa hominum salutis, sed lucri causa prædicare. Idemque subjungit: Qui divitias detruncaverat, propemodum necessaria vitæ amputat, ut Apostoli Doctores veræ Religionis, qui docebant omnia gubernari providentia divina, seipsos ostenderent, nihil cogitare de crastino. Ex hoc præcepto arguit Philosophos, qui vulgo appellantur Batroperitæ, quod contemptores sæculi existentes, & omnia pro nihilo ducentes, cellam secum vehant. His etiam Beda super Marcum consonat dicens: Præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Tanta, inquit, prædicatori debet esse fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus, quamvis non provideat, tamen sibi eos non deesse certissime sciat: ne dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. Idem paulo post subdit: Illa Apostolus loquebatur, ut securi non possiderent, nec portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima, ideo posuit: Nec virgam, ostendens, a fidelibus omnia deberi ministris suis, nulla superflua quærentibus. His concordat Ambrosius super illud Lucæ, nihil tuleritis in via, nec virgam, nec peram, nec panem, nec pecuniam: Qualis debeat esse qui Evangelizat regnum Dei, præceptis Evangelii designatur, ut sine virga, sine pera, sine calceamento, id est, subsidii sæcularis adminiculum non requirens, fideque tutus, putet sibi quo minus ea requirit, magis posse suppetere. Ad quod etiam facit, quod ab eodem dicitur super illud Lucæ: Nolite portare sacculum, neque peram. Si prohibemur possidere aurum, quid eripere? Petrus Apostolus primus Dominicæ executor sententiæ ostendens non in vacuum effusa Domini mandata, cum posceretur a paupere, ut ei pecuniæ aliquid largiretur, ait: Argentum atque aurum non habeo.

Chrys. ho. 23 in Mat. circ. med.

Luc. 22

Chrys. ho. ult. super Matt. circ. fin.

Act. 3

Beda lib. 2 in Evang. Mar. c. 6. com. 24.

Idem.

Ambr. super Luc. 10

Tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod aurum, & argentum non habeat, quam quod servet Domini mandatum, qui præcepit, nolite possidere aurum. Hoc est dicere: Vides me Christi discipulum, & aurum a me requiris? Aliud nobis multo pretiosius auro donavit. His verbis Ambrosii Augustinus concordat in l. de mirabilibus sacræ Scripturæ sic dicens: In excusatione eleemosynæ, & paupertatis professione Petrus paralytico dixit: Surge, & ambula, illud magistri præceptum servans. Nolite possidere aurum, neque argentum. Qui enim de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperii morbo ligatum cito solvebat. Hoc ipsum Bernardus ad Eugenium confirmat: Nec locus, inquit, otio, ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid aliud dimisit tibi sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud? Unum scio, neque aurum, neque argentum, cum ipse dicat: Argentum & aurum non est mihi. Et infra: Esto ut alia quacumque ratione, hæc tibi vendices, sed non Apostolico jure. Nec enim ille tibi dare potuit, quod non habuit. Idipsum Hieronymus dicit expressius, Apostoli toto orbe terrarum peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. Chrysostomus, tandem de laudibus Pauli. Paulus, inquit, pecuniam non possedit. Nam ipse hoc testatur: Usque in hanc, inquit, horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur. Et quid dico pecuniam, cum ille necessarium sæpe non haberet cibum, nec quo circumdaretur indumentum? Ex his omnibus aperte colligitur, præscriptam paupertatis formam, qua nihil possidetur, & in summa rerum penuria vivitur, Apostolis fuisse præceptam, & ab eisdem servatam. Quid autem ipsorum, immo Christi vestigia, sequi volentibus consulatur ab ipso, aperte clarescit ex consilio quod dedit adolescenti, sicut legitur in Matthæo: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & veni sequere me. Quod exponens Rabanus ait: In potestate nostra est, utrum velimus esse perfecti, tamen quicumque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias, & Sapphira, sed totum, & sic præparare sibi thesaurum in regno cœlorum. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi Salvatorem sequatur. Constat autem, quod Christus in summa rerum penuria vixit. Idem paulo posterius: Inter pecunias habere, & pecunias amare, nonnulla distantia est. Multi enim habentes non amant, multi non habentes amant. Item alii & habent & amant, alii nec habere, nec amare se divitias sæculi gaudent, quorum tutior status est, cum Apostolo dicentium: Nobis crucifixus est mundus, & nos mundo. In his Rabanus expresse insinuat, opus perfectionis esse, magisque securum, & Christo crucifixo conforme, in carentia rerum, & pecuniarum vivere in extrema paupertate. Hoc ipsum & Apostolus ad Corinthios persuadet: Scitis, inquit, gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos divites essetis. Et in hoc consilium do. Augustinus in originali: Factus est, inquit, egenus in tantum, ut non haberet quod habent vulpes. Et in hoc consilium do, subauditur ut ejus paupertatem imitemini. Idem quoque in lib. De bono conjugali: Non idem malum est, justum aut Prophetam, in domo sua suscipere, quia nec domum habere debet, ut quod melius est, faciat, qui vult ad perfectum Christum sequi. In quo Augustinus aperte declarat, quod alieno suscipi tecto, ei maxime competit, qui perfecte Christum imitari cupit. Huic consonat quod dicit Chrysost. super Joannem: Omnia agamus, per quæ Christum imitemur. Quid igitur Christus ait: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis, non habet ubi caput reclinet. Idem super Matthæum hom. 9. Si ab honore quidem, qui in inferioribus est, palatiis, pecuniæ nos expulerint, contemptibiles erunt:

Act. 3 — Aug. l. 3. de mirab. sac. Script. c. 15 t. 3 — Bern l. 2 de consil. c. 6 cir. med. — Hier. ad Ageruch. ep. 11 post med. — 1. Cor. 4 — Matt. 19 — Gal. 6 — 2 Cor. 8 — Aug. l. de bo. conjug. c. 9. t. 6 — Chrys. ho. 16 super Joan.

cœlorum autem Rege, per singulos dies clamante & dicente, quia difficile est cum illis in cœlum intrare, non proiiciemus omnia? & non desistemus ab omnibus rebus, ut cum libera facie regnum ingrediamur? His concordat Hieron. ad Heliodorum dicens: Nolo te hujus peregrinationis deterreat difficultas, qui in Christum credis, sed ejus crede sermonibus. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobus. Non pera tibi sumenda, non virga, affatim dives est, qui cum Christo pauper est. Idem ad Rusticum Monachum: Si habes substantiam vende, & da pauperibus, si non habes grandi onere liberatus es, nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia. Constat autem, quod duritia & difficultas non est, cum proprietas rerum contemnitur, nisi penuria comitetur. Ad hoc ipsum spectat, quod dicit Gregorius Nazianzenus in Apologia sua lib. 2. Sed paupertatem, inquit, & penuriam exprobrabunt. Istæ sunt divitiæ meæ. Ista me non solum gloriantem, sed etiam arrogantem facit. Videor enim mihi, hoc audire ab inimicis, quia vestigiis illius incedam, qui propter nos pauper factus est, cum dives esset, atque utinam exuere possem me istis panniculis, quibus circumdari videor, ut nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent, & revocant pergentes ad Deum. Hæc S. Gregorius: His consonat, quod dicit * Bernardus: Habetur in Evangelio, & perfectionis consilium, & remedium infirmitatis. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Hæc perfectio est: Siquidem filius hominis, ubi caput reclinaret, non habebat. Petro & Joanni, nec aurum, nec argentum erat, Paulus simplici victu & vestitu contentus, hæc ipsa labore manuum acquirebat. Sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis. Hucusque Bernardus: Gennadius quoque de Ecclesiasticis dogmatibus. Bonum est, inquit, facultates cum dispensatione pauperibus erogare, sed melius est

Hieron. ad Heliod. ep. 1

Hier. ad Rusticum Monach. ep. 4

** Bern. super Ecce nos, ante med.*

Matt. 6

Gennad. l. de dogmatibus Eccl. c. 71 apud August. l. 3

A pro intentione sequendi Dominum simul donare, & absolutum sollicitudine egere cum Christo. Sed qui habet unde sustentatur, scilicet in communi, non proprie dicitur egere, nam de illis quibus erant omnia communia, in actibus dicitur: Nec erat quisquam egens inter eos. Postremo ut clare nobis innotescat, quæ sit abrenuntiationis forma perfectis, attendendum est, quod dicit Beda super illud Marci: Relictis omnibus secutus est eum. Perfectam nobis abrenuntiationis formam tribuit, dum non solum lucra reliquit vectigalium, sed & pericula contempsit. Tanta enim cupiditate sequendi Dominum ductus est, ut nullo
B prorsus hujus vitæ respectu, vel cogitationem sibimet reservaverit. Per hæc sacrorum Doctorum testimonia, tam manifesta, quam certa, & alia plurima, quæ causa brevitatis vitandæ resecantur ad præsens, irrefragabili potest ratione concludi, quod Christum, & Apostolos imitari, non solum quoad abdicationem proprietatum, verumetiam quoad extremam temporalium rerum penuriam, quæ consistit in carentia possessionum, & pecuniarum, non solum est licitum, sed & laudabile, & perfectum. Non tamen ex hoc debet, vel potest inferri, quod abdicatis rerum proprietatibus, possidere aliquid in communi sit imperfe-
C ctum, quia sicut perfectæ castitatis diversi sunt modi, quorum variis prærogativis sancta mater Ecclesia, tamquam ornamentorum varietate decoratur: sic & in modis perfectæ paupertatis intelligendum est, quamquam non sit per omnia simile hinc inde, sicut diligenter consideranti est evidens.

Act. 4

His autem non obstat præallegatorum vita sanctorum, qui communia possederunt, quasi non debuerint aliter docere quam vivere, quia mos esse solet piis Doctoribus, ut eas virtutum prærogativas, quibus carere se vident, in aliis mirentur, & prædicent, sicut Hieron. ad Pammachium scribens: Virginitatem, inquit, in cœlum fero, non quia habeo, sed quia magis miror quod non

Hieron. ad Pam. ep. 50 circ. fi.

non habeo. Ingenua enim & verecunda confessio est, quo ipse careas, in aliis prædicare. Numquid quia gravi corpore terræ hæreo, avium non miror volatus? Hæc Hieron. Cui etiam Chrysostomus consonat, qui Ægyptios Monachos laudans, ait: Nunc veniens in eremum Ægypti, paradiso hanc meliorem videbis effectam. Etenim est videre ubique regionis illius Christi exercitum & regalem gregem, & superiorum virtutum urbanitatem. Existentia enim omni exuti, in mundo omnino crucifixi. Et ultra: Rursus procedunt corporis operatione ad indigentiam cibum sumentes. Neque enim quoniam jejunant, & vigilant vacare per diem dignum æstimant, sed noctes quidem sacris hymnis & vigiliis, dies in orationibus, & manuum operationibus consumunt, Apostolicum imitantes zelum. Verecundemur igitur omnes, & divites & inopes, cum illi nil penitus habentes nisi corpus, & manus suas cogant, & litigent impensas hinc indigentibus invenire, nos autem decem millibus intus reconditis, neque superflua ad hoc tangimus. Hæc Chrysost. Qui ut Doctor sanctus & verax, quasi ad sui, & aliorum sibi similium verecundiam, paupertatis excellentiam in Monachis Ægypti commendat. Simile per omnia sacer dicit Ambrosius: Christus, ait, Dominus noster Sacerdotibus quid præcepit, audiamus: Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Contremisco hæc dicens: Meus enim primo omnium, meus inquam ipse accusator existo, meas condemnationes loquor. Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid possidentem, & eum qui non renuntiat omnibus quæ possidet. Et quid agimus? Quomodo hæc autem ipsi legimus, aut populis exponimus, qui non solum non renuntiamus his quæ possidemus, sed acquirere volumus ea quæ numquam habuimus, antequam veniremus ad Christum? Numquid nam quia nos redarguit conscientia? legere non proferre, quæ scripta sunt possumus? Nolo duplicati criminis esse reus, confiteor & palam audiente populo confiteor hæc scripta esse, etiam si nondum implesse me novi. Sed ex hoc saltim commoniti festinemus implere, festinemus transire a Sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad Sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est. Talis enim erat ille qui dicebat. Tamquam egentes, multos autem locupletantes, ut nihil habentes, & omnia possidentes: Paulus hic est, qui in talibus gloriatur. His sacri Doctoris veracibus & humilibus verbis, nihil expressius ad propositum dici potest. Et B. Papa Gregorius, 3. Dialog. viri mirabilis Isaac vitam describens, ait: Servus omnipotentis Domini egressus urbem, non longe desertum locum reperit, ibique sibi humile habitaculum construxit, ad quod dum multi pergerent, exemplo illius æternæ vitæ desiderio accendi cœperunt, atque sub ejus magisterio in omnipotentis Domini se servitium dederunt. Cumque ei crebro discipuli innuerent, ut pro usu monasterii possessiones quæ offerebantur acciperet, ille sollicitus suæ paupertatis custos, fortem sententiam tenebat, dicens: Monachus qui in terra possessionem quærit, Monachus non est. Sicque metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari solent divites perituras divitias custodire. Hæc Gregorius: Qui cum Monachis, & ipse, in monasterio quod possessionibus dotaverat vitam duxisset, communes tamen possessiones recusantem miratur & laudat. Ac per hoc impiæ præsumptionis esse convincitur, virtutem non habitam spernere, ut quia docentis vitæ extremæ paupertati non per omnia consonat, ipsius doctrina pauperum perfectioni repugnando contradicat. Nequaquam igitur a prædictis discordat illud Augustini verbum, quo contra Adimantum Manichæum, præfatum de paupertatis forma mandatum Apostolis, dicit spiritualiter esse scrutandum, vel, ut alibi dicit permissive intelligendum. Nam cum Marcus dicat expresse, quod præcepit eis ne

Chrys. ho. 8 super Matt.

Hæc sunt Orig. ho. 16. super Gen. Luc. 14

2 Cor. 6.

Greg. l. 3 Dial. c. 14

Aug. l. cont. Adim. c. 2 to. 10

ne quid tollerent in via, & ipse cum aliis Expositoribus, sicut ex præmissis claret, intelligendum ad litteram doceat, si hoc simpliciter alibi negaret, & Evangelicæ veritati, & sanctorum doctrinæ, simul ac suæ, aperte contradiceret, sive contrairet. Quod de tanto dici Doctore, piæ Catholicorum aures abhorrent. Attendendum est ergo, quod cum Apostoli fuerint primi fundatores Religionis Christianæ, & professores perfectionis excelsæ, professores, inquam, & sicut privatæ personæ, & sicut exemplaria quædam, prædicta Domini verba intelligere possumus, eis esse dicta tamquam fundatoribus Christianæ Religionis, & sic intelliguntur extendi ad omnes, sed non omnes Christiani arctantur, ut hanc vitæ regulam teneant, sicut Manichæi falso dogmatizant. Ideo contra ipsos loquens hæreticorum malleus Augustinus ostendit, quod hæc verba spiritualiter intelligenda sunt, si sic accipiantur tamquam omnibus sint præcepta. Possumus etiam intelligere prædicta verba dicta fuisse Apostolis, tamquam exemplaribus perfectionis & sic intelliguntur per modum consilii, quod de se non obligat, nisi eos, qui hanc vivendi formam voluntarie profitentur, & vovent. Intelligere possumus insuper dicta fuisse Apostolis sicut certis personis, primisque prædicatoribus Evangelicæ legis: & sic cum duo insinuentur in verbis illis, scilicet abdicatio temporalium, & receptio dispendiorum, primum intelligitur fuisse præceptum, sicut dicit textus, & Glossa. Unde Beda: Missus ad prædicandum discipulis, ne quid tollerent in via præcepit. Secundum autem non fuisse præceptum, sed concessum, sive permissum. Unde Glossa super illud Lucæ: In eadem domo manete, &c. Qui saccum & peram prohibuit, sumptus ex prædicatione concedit. Et Rabanus super Matthæum: Claret autem hoc Dominum non ita præcepisse tamquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus, quibus annuntiant Evangelium: alio- *Luc. 10*

A quin contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, sed potestatem dedisse, in qua scirent ista sibi dari. Cum autem potestas datur, licet cuique non uti, tamquam de jure suo cedere. Hæc Rabanus: Ex his colligitur manifeste, quod prædicta Domini verba, juxta considerationes præmissas intelligi possunt, & spiritualiter, & ad litteram, ut consulta, & ut præcepta & permissa. Propter quod omnis contrarietatis calumnia de medio tollitur, si multiformis hujus acceptionis intelligentia sane capiatur. His etiam non obsistit illud Hieron. ad Nepotianum, ubi dicit, quod vi- *Hier. ad*
B vens de decimis, & altaris oblatione *Nepot. ep. 2*
sustentatus, nudam crucem nudus sequitur, tamquam perfectæ paupertatis summa consistat in vivendo de decimis, & oblationibus, sicut Sacerdotes & Clerici vivunt. Est enim multiplex gradus, & differentia nuditatis. Alia quidem est cordis, alia cordis & corporis: nuditas cordis est per expoliationem spiritus ab omni perverso affectu avaritiæ & cupiditatis. Et de hac Gregor. in hom. *Greg. ho. 32 in Evang. non longe a princ.*
Nudi cum nudo luctari debemus: quia si vestitus quisque cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur; hoc quidem intelligitur generaliter dictum omnibus Christianis. Nuditas au-
C tem corporis & cordis, triplicem habet gradum. Nam quædam est magna, quæ attenditur in abjectione omnis superfluitatis, & proprietariæ possessionis. Et hæc quamquam non sit de necessitate, est tamen de congruentia status ordinis Clericalis. Et de hac Hieron. ad Nepotianum: Si autem ego pars Do- *Hier. ubi*
mini sum, & funiculus hæreditatis *sup. prox.*
ejus, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari deserviens, altaris oblatione sustentor; habens victum & vestitum his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Est & alia nuditas major, quæ non solum consistit in his, verum etiam in abdicatione potestatis

pos-

possidendi proprium, & abnegatione propriæ voluntatis; & hæc competit regularibus & cœnobitis, de qua Hieron. ait: Nolo pristinarum necessitudinum recorderis, nudos amat eremus. Nudos intelligit non solum a facultatum appropriatione verum etiam a propria voluntate, juxta illud Bernardi de colloquio Simonis & Jesu: Age ergo, & qui relinquere omnia disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento, immo vero maxime & principaliter abnega temetipsum si deliberas sequi ipsum, qui exinanivit propter te semetipsum. Est & tertia nuditas, quæ consistit in his quæ prædicta sunt, & insuper in abdicatione omnis transitoriæ facultatis, cum penuria & indigentia opportunæ sustentationis, & hæc competit Apostolis & Apostolicis viris, & de hac super illud Matthæi: Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Glossa: Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo. Tales fuerunt Apostoli. Unde Hieron. ad Exuperant. ait: Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit. Vidua illa in Evangelio paupercula, quæ duo minuta misit in gazophylacium, cunctis præfertur divitibus, quia totum quod habuit, dedit. Hæc Hieron. Si igitur hæc vidua juxta testimonium Domini, totum dando nihil sibi reservavit, in extrema se nuditate constituit. Ad hanc nuditatem aspirabat illa nobilis vidua Paula, de qua Hieronymus in laudem ipsius: Hoc habuit voti ut mendicans ipsa moreretur, & unum nummum non dimitteret filiæ, & in funere suo aliena sindone involveretur. Ejusdem quoque felicem describens obitum, ait: Testis est Jesus, ne unum quidem nummum ab ea derelictum. Quid hac virtute mirabilius, fœminam nobilissimæ familiæ, magnis quondam opibus, tanta fide, omnia vel dilargitam, ut ad egestatem ultimam perveniret? Jactent alii pecunias in corbonam, funalibusque aureis dona pendentia, nemo plus dedit

Hier. ad Heliodor. ep. 1

Ber. ho. super Ecce nos, &c.

Matt. 10

Hieron. ad Exuper. ep. 35

Hier. ad Eustoch. ep. 27

Ibid.

A pauperibus, quam qui sibi nihil reliquit. Hæc Hieron. Qui ad hanc nuditatem, tamquam summe perfectam hortatur Hedibiam in epistola, quam ad eam scribens, ait: Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere Salvatorem, & nudam, solamque crucem, nuda sequaris, & sola. In his manifestius asserit, quod ea paupertas ad perfectionis attingit fastigium, qua quis expressius & conformius nuditatem crucis amplectitur, & nudum Crucifixum imitatur. Illud autem Gregorii verbum, quo dicit censum non esse in culpa, sed affectum, nequaquam est præmissis contrarium, si
B recte intelligatur. Si quis enim hoc sentiat, quod census in culpa sit causaliter vel formaliter, cum Manichæo errat, & hoc Gregorius reprobat. Si quis autem intelligat censum esse culpæ occasionem, a sententia veritatis non deviat, cum & ipsa veritas dicat in Marco: Quia difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt. Nullo enim modo pecunia impedimentum difficultatis, Dei regnum intrare volentibus præstat, nisi quia vel est occasio inclinationis ad malum, vel distractionis a bono. Hoc sanctorum testimoniis clare monstratur. Quod enim divitiæ habentibus ipsas, occa-
C sio sint cupiditatis, in l. de officiis dicit Ambros. Feralis, inquit, avaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat, non habentes non juvat. Esto tamen, ut aliquando juvet pecunia inferiorem, & ipsum desiderantem, quid ad alios si sit ille copiosior qui habet? Numquid idcirco honestior, qui habet quod plerumque honestas amittitur? Cui Bernardus concordat de colloquio Simonis & Jesu: Hæc fugiendarum divitiarum præcipue causa est, quia vix aut numquam sine amore valeant possideri. Limosa siquidem, & glutinosa nimis, non solummodo exterior, verum etiam interior nostra substantia videtur, & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret. His consonat August. di-

Hier. ep. 150 ad Hedibiam, q. 1 circ. fin.

Greg. l. 10 Mor. c. 17

Mar. 10

Amb. l. 2 de offic. c. 26

Bern. hom. super Ecce nos reli. &c.

dicens: Non sunt istæ veræ divitiæ, sed mendicitas, quia quanto magis abundant, tanto magis crescit inopia avaritiæ. Non sunt veræ divitiæ, quæ plus augent cupiditatem ei, qui eas possidet. Quod autem sint occasio vanitatis & superbiæ, Augustinus de lapsu mundi: In divitiis nil tam cavendum est, quam superbiæ morbus. Qui enim non habet divitias, non habet amplissimas facultates, non habet unde se extollat. Idem de verbis Domini: Nihil est quod sic generent divitiæ quomodo superbiam omne granum, omne germen habet vermem suum. Vermis divitiarum superbia est. Quod vero sint occasio distractionis, manifeste insinuat Gregorius l. 1. Moral. Solet, inquit, rerum abundantia tanto a timore divino mentem solvere, quanto hanc exigit diversa cogitare. Nam dum foris per multa spargitur, stare, in intimis vix prohibetur. Idem in homilia super illud Lucæ: Exiit qui seminat, &c. Si nos, inquit, vobis semen verbum, agrum mundum, volucres dæmonia, spinas divitias significare diceremus, ad credendum nobis mens vestra forsitan dubitaret. Unde & idem Dominus per semetipsum est dignatus exponere quæ dicebat. Quis enim umquam mihi crederet, si spinas divitias interpretari voluissem? maxime cum ille pungant, istæ delectent, & tamen spinæ sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Si quis igitur præmissa diligenter attendat, indubitanter advertet, quod quamvis census formaliter seu causaliter non sit in culpa, est tamen frequens occasio culpæ, distrahendo a bonis, & inclinando ad mala. Propter quod opes a Salvatore spin s comparantur, & ab Ambrosio illecebrosæ dicuntur. Nam sicut ex præmissis apparet, cum vim rationalem distrahant, irascibilem extollant, & concupiscibilem nostram illiciant, non solum sunt illecebris, sed & periculis plenæ. Unde Augustinus de lapsu mundi: Divitiæ ipsæ quas putatis

Aug.l. 50. ho.24.t.10

Greg.ho.15 in Evang.

A plenas esse deliciarum, pleniores sunt periculorum. Cum itaque perfectionis sit non solum peccata vitare, verum etiam peccatorum occasiones & bonorum impedimenta ad plena succindere, dicente Gregorio in Moralibus, quod solus ille in illicita non cadit, qui se a licitis caute restringit, liquido claret, quod quamvis possessiones & pecunias habere de se non sit peccatum, sed licitum; est tamen eas abdicare, & voluntarie pro Christo eis carere perfectum. Quod si forte quis dicat, occasionem hujusmodi a temporalibus rebus imperfectis dari mentibus, non perfectis, quasi magis competat statui imperfectorum divitias fugere,

B eisque carere, vitæ Jesu Christi, ejusque doctrinæ adversatur aperte. Neque enim secundum hæc perfectissimus debuisset Christus carere divitiis, neque hoc docuisset perfectos, cum tamen dixerit: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, &c. Numquid Apostoli perfecti non erant, quibus dictum est: Nolite possidere aurum? Quod verbum tractans Ambrosius in lib. de officiis, ait: Nolite possidere aurum & argentum, neque pecuniam, quo velut falce pullulantem in pectoribus humanis succidit avaritiam, super eumdem quoque sermonem Chrysostomus. Non dixit: Nolite accipere vobiscum au-

C rum, sed si aliunde possibile est accipere, fugite perniciosam hanc ægritudinem. Etenim multa per hoc emendabat. Ex his datur intelligi, quod propter vitandam occasionem avaritiæ, fuit Apostolis interdicta pecunia, cum tamen essent perfecti. Verum quidem est, quod sensus perfectis non tam vehemens, nec tantorum est peccatorum occasio, sed quia quantumlibet parva intellectus distractio, vel illectio appetitus vitiosa mentibus perfectorum ad æterna suspensis magis est dissona, quam longe major imperfectis, circa filiorum educationem & curam rei familiaris occupatis, hinc est quod perfecta temporalium rerum abdicatio perfectis consulitur, non imperfectis, nisi velint

Matt. 19

Matt. 10

Ambr. l. 1 de offi. c. c. 21.

Chry. in Matt. homil. 33

lint esse perfecti. Nam cum ipsis imperfectis sufficiat peccata majora vitare per mandatorum observantiam, perfectis tamen competit etiam superfluas cogitationes a mente rescindere, sicut & Gregorius 2. Moralium docet spiritualiter exemplificans Nazareorum ritum, perfectionisque figuram. Devotione, inquit, completa, caput Nazareus radere, capillosque in igne sacrificii ponere jubetur, quia tunc ad perfectionis summam pertingimus, cum sic exteriora vitia vincimus, ut etiam cogitationes superfluas a mente resecemus. Quas nimirum igne sacrificii concremare, est flamma divini amoris incendere, ut totum cor in Dei amore ardeat, & cogitationes superfluas concremans, quasi Nazarei capillos, devotionis perfectione consumat. Illa quoque promissio centupli prædeterminatis non obviat, quoniam ad spiritualia bona refertur. Sicut dicit Hieronymus super Matthæum, & etiam Rabanus quasi eisdem verbis utentes: Occasione, inquiunt, hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes nobis, tunc centuplum omnium rerum quas dimisimus, & vitam æternam esse reddendam, non intelligentes quod & si in ceteris digna sit retributio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum accipiat pro futuro. Sensus igitur iste est, ut qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiat, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi parvo numero centenarius numerus comparetur. Cui etiam consonat Gregorius super Ezechielem: Neque enim sanctus vir ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit, sed per centenarium numerum perfectio designatur, quia quisquis pro Dei nomine temporalia contemnit, hic perfectionem mentis recipit, ut ea non appetat, quæ contempsit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum recipiens terrenis non indiget, & si hæc non habet. Hucusque Gregorius: His consentit Bernard. in sermone illo de S. Petro: Dixit Simon Petrus ad Jesum, dicens: Quid est in centuplum illud fratres, nisi consolationes, visitationes, primitiæque spiritus, qui super mel dulcior est? Et post pauca: Non est pater aut mater, non domus aut ager est, non cibus aut vestis, non denique terrenum aliquid aut corporale, sed plane his omnibus est delectabilius, super omnia hæc dulcius, universis his jucundius est, quæcumque desiderantur in hoc seculo nequam, huic non valent comparari. Quod si forte quis pertinaciter obsistat, tam per textus Marci, quam per Augustinum contra Adimantum asserens, bona temporalia repromissa fuisse a Christo; respondebimus promissiones donationis & receptionis hujusmodi, debere intelligi per modum charitativæ communionis, non per modum possessionis. Unde Beda super illud Marci: Nemo est qui reliquerit domum, &c. quia nimirum a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spirituali glutino colligantur, multo gratiorem etiam in hac vita recipiet charitatem. Cui consonat & Glossa ibidem Omnes sancti, & quæcumque habent communicantur ei. Et Augustinus contra Adimantum. Fideli totus mundus divitiarum est. Vel certe intelligendum est per modum cujusdam cœlestis provisionis contra Manichæos, qui dicebant hæc temporalia bona a tenebrarum principe fuisse creata, & ab illo solo repromitti & dari, a Christo autem inhiberi. Ideo hic promittuntur a Domino ad hæreticorum confutandam perfidiam, & a cordibus fidelium diffidentiam omnem tollendam. Unde super illud Matthæi: Hæc omnia adiicientur vobis, Glossa: Omnia sunt filiorum, & ideo hæc omnia adiicientur etiam non quærentibus, quibus si subtrahantur, ad probationem est, si dentur ad gratiarum actionem. Et Augustinus super illud Joannis: Vado piscari. Cur non invenit aliud unde viveret, cum Dominus promiserit, dicens: Primum quærite regnum Dei,

Greg. l. 2 Mor. c. 26 cir. fin. num. 6

Hier. l. 3 in Matt. c. 19

Greg. ho. 38 in Ezech. post int.

Mar. 10

Matt. 6

Joan. 21

Dei, & hæc omnia adiicientur vobis? Prorsus Dominus etiam sic quod promisit, implevit. Nam quis alius pisces, qui caperentur apposuit? Constat igitur promissionem hujusmodi per modum provisionis debere intelligi, ad tollendum diffidentiam, non per modum augmentationis temporalis substantiæ, quia hoc non esset cupiditatem abscindere, sed augere. Unde Chrysostomus super Matth. hom. 43. Nihil ita sedat cupiditatis sitim, sicut desistere a lucrandi concupiscentia, sicut amaram choleram abstinentia & evacuatio. Facilius est enim hominem existentem volare, quam adjectione pluris, quiescere facere desiderium. Et Augustinus in lib. 83. quæst. Charitatis venenum est spes adipiscendorum temporalium. Si ergo Christus multiplicationem temporalium per modum possessionis discipulis suis promitteret, charitatem in eis perimeret potius quam augeret, dum possessionis terrenæ centuplicatione promissa, temporalium bonorum affluentiam sperandam docet, potius quam spernendam. Quod impium est sentire de Christi doctrina. Modus etiam Apostolicæ vitæ prædeterminatus, non adversatur, sed consonat. Quamvis enim legatur in actibus, quod multitudini credentium erant omnia communia, & quod venditarum rerum pretia ponebantur ad pedes Apostolorum nequaquam est intelligendum, quod Apostoli proprium aliquid vel commune possiderent: quia communitas illa non refertur ad Apostolos, sed ad turbam, sicut Glossa ibidem insinuat. Discernit, inquit, ordinem Doctorum, & auditorum. Nam multitudo credentium rebus spretis, copula charitatis invicem jungebantur. Apostoli vero virtute fulgentes, mysteria Christi pandebant. Hæc Glossa: Quæ per ipsum textum declarat, quod sicut illa rerum communitas, erat turbarum, sic & signorum virtutes erant Apostolorum. Nec huic repugnat quod sequitur ante ipsorum pedes pretia fuisse posita, quia ut dicit Hieron. ad Demetriadem, hoc fiebat ut docerent

Aug. l. 83 quæst. q. 36 c. 4

Act. 4

Hier. ad Demetr. ep. 8 post med.

A pecunias esse calcandas, vel certe ut se ac sua Apostolicæ dispositioni committerent, sicut docet Ambrosius super epistolam secundam ad Corinthios, ubi de Apostolis dicit: Quantum ad præsentem vitam pertinet, pauperes videbantur, sed spirituales divitias credentibus largiebantur, egeni in terris, in cœlo divites, ut nihil habentes, omnia autem possidentes. Hoc enim fuit in Apostolis gloriosum, ut sine sollicitudine & nomine possidendi, non solum ea quæ in possessionibus erant, sed eorum Dominos possiderent. Hæc Ambros. In quibus insinuat, quod Apostolis in sua egestate manentibus, eorum dispositioni, quoad B res & personas, primitiva illa Ecclesia suberat, hanc tamen rerum dispositionem maluerunt committere aliis, sicut in actibus consequenter legitur: Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quod quidem dixerunt, ut distractionem ministrandi refugerent, non quia per illud ministerium aliquid possiderent. Unde & Petrus in eadem urbe, ubi hæc fiebant, pauperi eleemosynam a se petenti respondit: Aurum & argentum non est mihi. Ubi Glossa: Memor illius præcepti, Nolite possidere aurum, neque argentum, pecuniam quæ ad pedes Apostolorum ponebatur, non sibi recondebat, sed C ad usus pauperum, qui sua patrimonia reliquerunt. Hanc etiam formam paupertatis, & Joannes Evangelista servavit cum discipulis suis, inter quos duobus qui magnas reliquerant opes, præ nimia egestate tentatis, sicut scribitur in ejus Legenda, ait: Numquid non valet manus Domini, ut faciat servos suos divitiis affluentes? Sed in hoc certamen statuit animarum, ut sciant se æternas habituros divitias qui pro ejus nomine temporales opes habere noluerunt. Eamdem paupertatis districtionem Thaddæus servavit Apostolus, sicut scribitur in 1. lib. Ecclesiasticæ historiæ, quod cum post Christi ascensionem Abagarus Rex sanatus a præfato Apostolo, præciperet eidem dari aurum & argentum, ille

Ambr. in 2. Cor. c. 6

Act. 6

Act. 3

Euseb. l. 1. Eccl. hist. c. 13

ille non accepit, dicens: Si nostra reliquimus, quomodo accipiemus aliena? Sed Apostolus Paulus de se simul & ceteris Apostolis, ait ad Corinthios: Usque in hanc horam & esurimus & sitimus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus. Ubi Glossa: Usque in hanc horam, id est continue. Et alibi ad Corinthios. In fame & siti, frigore & nuditate. Hanc penuriosam vitam duxisse Apostolum, non ad tempus, sed continue, hæc præfata Glossa insinuat, & superius allegata Chrysostomi de laudibus Pauli auctoritas confirmat. Si quando igitur dicit se habere omnia, & abundare, nec debet, nec potest intelligi quantum ad opulentiam, sive affluentiam rerum; sed quantum ad sufficientiam mentis. De qua Augustinus in libro de beata vita. Nullus perfectus aliquo eget, & quod videtur corpori necessarium sumet, si affuerit: & si non affuerit, istarum rerum non frangetur inopia. Quod si forte quis dicat, Apostolum aliquas secum tulisse pecunias, quia periculis se dicit expositum fuisse latronum, aperte contrariatur Ambrosio, qui præfatum locum tractans in originali, sic ait: Cum in civitate diabolus eum occidere non posset, latrones sibi excitabat in via, cum nihil ferret quod latrones cuperent. Hæc facer Ambrosius. Cui & Chrysostomus consonat in laudibus Pauli. Job cum oves & boves haberet innumeras, erat in pauperes liberalis. Paulus vero nil amplius corpore suo possidens, de hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat. Miram Pauli ex hac laude perpendere valemus inopiam, cum nil præter corpus haberet, ac per hoc nihil quod latro capere posset, miram nihilominus affluentiam cum non solum sibi sufficeret, verum etiam in alios abundaret. Denique nec loculorum Christi ad præfatam perfectionis formam, ulla invenitur dissonantia: si quomodo & quare ipsos habere dignatus fuit, pia mentis attentione pensetur. Nam unigenitus Dei, cum dives esset in omnes, pro nobis adeo factus egenus, ut alieno cibo vesceretur, non sine magna dis-

1 Cor. 4.

2. Cor. 11.

Aug. lib. de Vit. beat. disputatione tertiæ diei. tom. 1

Amb. in 2 Cor. cap. 11

A pensatione divini consilii loculos fecit deferri, quorum tamen custodiæ illum deputavit discipulum, quem furem ac proditorem præsciebat esse futurum. Habuit enim loculos Christus, ad consolandum infirmos, ad refellendum improbos, & ad informandum perfectos. Unde & hujusmodi actus, scilicet habere loculos in Christo, respectu infirmorum, fuit condescensivus, ad consolandum eos, qui propriis loculis carere non volunt, sicut August. ait in l. de opere Monachorum. Dominus more misericordiæ suæ infirmioribus compatiens, cum ei Angeli possent ministrare, loculos habebat, quibus mitteretur pecunia, quæ conferebatur utique a bonis fidelibus eorum

B victui necessaria: quos loculos Judæ commendavit. Respectu autem impiorum fuit actus commonitorius: primo quidem ad refellendum hæreticos, qui loculos reprobant, & detestantur. Unde Aug. super Joannem Homil. 50. Quare loculos habuit cui Angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia loculos ipsius habitura erat? Unde & loculos habebat, ut doceret non esse peccatum, loculos habere. In his Augustinus Manichæorum refellit impietatem, condemnantium Ecclesiæ statum, propter rerum temporalium possessionem. Secundo commonitorius fuit, ad deterrendum avaros, qui loculos concupiscunt.

C Quamquam enim ad mitigationem cupiditatis Dominus Judæ loculos commisisset, ipse tamen adeo cupiditatis igne exarsit, ut ipsum Dominum pretio parvo venumdaret. Unde & Chrysostomus super Joannem: Si vero quis scrutabitur, quid furi existenti loculos commisit pauperum, & dispensare fecit avarum existentem? ut omnem abscinderet occasionem. Etenim sufficientem habebat, ex loculo concupiscentiæ mitigationem: sed propter nequitiam multam, quam volebat comprimere Christus, multa condescensione ad eum utens, non incusabat surripientem, obstruens perniciosam concupiscentiam, & omnem auferens occasionem. Hucusque Chrysostomus aperte declarans, quod non penuria pau-

Aug. lib. de oper Mon. c. 5 tom. 3

Aug. tract. 50 in Joan. post med.

Chrys. homil. 64 super Joan.

per,

pertatis, sed nequitia cupidæ mentis causa fuit tantæ impietatis. Respectu vero perfectorum, fuit actus informatorius. Siquidem quantum ad modum habendi, forma fuit perfectionis in Ecclesiasticis personis, maxime cœnobitis, ut ad exemplum Christi, & discipulorum ejus, nullus sibi quidquam appropriet, sed habeant omnia in communi. Unde Augustinus super Joannem: Habebat Dominus loculos, & a fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ut intelligeremus quod præcepit, non cogitandum de crastino esse; non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servaretur a sanctis, sed ne Deo propter ista serviatur. Hæc Augustinus. Qui formam regulariter viventium describens, sicut habetur 12. quæst. 1. ait: Cum hujus nostræ congregationis fratres, non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis ipsa ordinis susceptione renuntiaverint: certum est nihil habere, possidere, dare, vel accipere, sine superioris licentia debere. Quantum autem ad modum dispensandi, forma fuit perfectionis in Ecclesiæ Prælatis, ut exemplo Christi, bona Ecclesiastica dispensent, ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & ad pauperum relevandas miserias. Unde Chrysostomus super Joannem, de loculis Christi loquens, quæstionem proponit: Qualiter: inquit, non peram, non virgam, non æs jubens deferre, marsupium ferebat? Respondens subdit: Ad inopum ministerium, ut discas, quoniam valde pauperem, & crucifixum, hujus oportet patris multam facere procurationem. Multa enim ad nostram dispensans doctrinam augebat. In his ostendit Chrysostomus, quod viris perfectis competat, miserabilium personarum gerere curam, quod maxime locum habet in Prælatis Ecclesiæ, quorum perfectioni consonat, ut & spiritualiter, & etiam temporaliter, pascendis sibi commissis gregibus intendant. Unde Prosper in libro de vita contemplativa: Scien-

Aug. Hom. 26 super Joan. to. 9.

Chrys. Homil. 71 super Joan.

Prosper. de vi. contem. lib. 2 c. 9.

A tes viri Sancti, nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum: non eas vendicaverunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus erogaverunt. Hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed alii possidere, nec cupiditate habendi Ecclesiæ facultates ambire, sed pietate subveniendi eas suscipere, & quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habere commune, nec aliquid inde eis qui sibi sufficiunt, de suo erogare, cum nihil aliud sit habentibus dare quam perdere. Quantum vero ad modum utendi, forma fuit perfectionis ipsis populis, ac ceteris hujusmodi paupertatem professis, ut cum ex amore paupertatis, semper carere loculis

B cupiant, solum quando apertæ necessitatis urget articulus, loculos ferant. Ipse siquidem Christus sustentabatur a suscipientibus, vel a mulieribus comitantibus eum, sicut in Luca scribitur, quod ibant cum eo mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. Cum tamen per Samariam transivit, in qua quidem civitate, ut dicit Evangelista, hospitium habere non potuit, de loculis vixit: sicut dicitur in Joanne: quod discipuli abierant in civitatem, ut cibos emerent. Unde super illud Lucæ: Quando misi vos sine sacculo, & sine pera, dicit Glossa: Si per

C inhospitales regiones transimus, plura viatici causa licet portari, quam domi habeamus. Constat autem quod valde pauper est, qui plura portat in via, quam habeat ubi habitat habitatione determinata. Quod si forte quis dicat perfectionis formam, nullo tempore esse intermittendam. Respondet ad hoc Beda, super Lucam dicens super illud: Nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram, non eamdem vivendi regulam persecutionis, quæ pacis tempore insinuat. Sunt namque virtutes, quæ semper obnixeque tenendæ sunt, & sunt quæ tempore locoque provida sunt discretione mutandæ. Quis enim nesciat, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam, modestiam, castitatem, fidem, spem, cha-

Luc. 8.

Joan. 4.

Luc. 22.

Luc. 22.

charitatem, & his similia, sine ulla A temporum intercapedine esse servanda? At vero famem, sitim, vigilias, nuditatem, lectionem, psalmodiam, orationem, laborem operandi, doctrinam, silentium, & cetera hujusmodi, si quis semper exequenda putaverit, non modo se horum fructu privabit, sed & notam indiscretæ obstinationis incurret. Magister itaque Deusque virtutum, ut modum discretionis insinuet, missis ad prædicandum discipulis, ne quid tollerent in via præcepit, videlicet ordinans, ut qui Evangelium aununtiant, de Evangelio vivant. Mortis vero tempore illo instante, tota simul gente pastorem, gregemque persequente, congruam tempori decrevit regulam, pecuniam scilicet victui necessariam, donec sopita persecutionum insania, tempus Evangelizandi redeat, tolle- B re permittendo. Hæc Beda. Ex prædictis igitur patenter elucet, quod omnis perfectionis splendor, & speculum Jesus Christus, ob sex rationes præfatas, ac triplicem utilitatem, aggregatione quadam in perfectionis senarium consurgente, mirabili quodam modo in habendo loculos & infirmos simplici modo consolatur, & impios dupliciter arguit, perfectos tribus modis informat. In quibus, & illud est omni admiratione, & laude, ac imitatione dignissimum, quod sic paupertatem Christus tenuit, ut statum divitum non C damnaret, sic & habentibus pecuniam conformem se reddit, ut paupertatis summæ formam perfecte servaret. Unde super illud Matthæi, *Matt.* 17 Vade ad mare, Glossa, Dominus tantæ fuit paupertatis, ut unde tributa solveret, non haberet. Judas quidem communia in loculis habebat, sed res pauperum in usus suos convertere, nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Hæc Glossa. Non igitur loculi Christi ad fomentum cupiditatis trahendi sunt. Sicut enim in Salvatore nostro crucifixo nil fuit, quod sæculares glorias, aut delicias saperet, sic nil egit, nil docuit, per quod mundi divitias appetendas esse monstraret, quin potius, ut nos ad perfectæ paupertatis amorem accenderet, in hujus mundi campum hostem expugnaturus, ingrediens, de pauperrima matre, pauperrimus prodiit, sed & hostiam Deo Patri, ut Pontifex offerens, nudus in cruce pependit, necnon ut veritas ejus, tamquam perfectissimæ rectitudinis, nequaquam discordaret medium ab extremis, tota vita ipsius caminus paupertatis fuit. Hujus igitur invictissimi ducis nuditate, tamquam armatura circumdati, & in eo solo sperantes, qui ait: Confidite, ego vici mundum, in ipsius pauperis Crucifixi nomine, hostiles excipiamus insultus. *Joan.* 16.

RESPONSIONIS TERTIÆ

CAPUT SECUNDUM.

In quo possessionum Leviticarum, & Ecclesiasticarum affluentia, monstratur perfectioni paupertatis non esse contraria, sed & commendatio divitiarum ostenditur, non esse secura.

PAupertatis siquidem odibile bonum, retroactis temporibus in tanto fuit horrore sensualitati mortalium, ut ante Christi adventum, vix quantumcumque perfectus, pretiositatem ipsius agnosceret. Post vero in tanta fuit admiratione spiritualium, atque sapientium, ut vix quantumcumque perversus hæreticus, ipsius dignitati derogaret, excepto dumtaxat Vigilantio quodam. Qui cum ad interpretationem sacri doctoris Hieronymi dormitasset jamdudum, nunc per novum quemdam paupertatis hostem, illo non minus improbum evigilasse videtur. Ille nimirum contra paupertatis perfectionem, & sustentationem pauperum sanctorum, sui pectoris virus evomuit: hic autem bonorum temporalium affluentiam in culmine perfectionis Evangelicæ collocans, ipsorumque voluntariam carentiam, ut imperfectam, & superstitiosam calumnians, illius se fatetur discipulum, qui contra Evangelizantium, & mendicantium pauperum ordines libellum composuit, quem sedes Apostolica condemna-

mnavit. Quem etiam non parva temeritate, velut innocentem excusat, ipsiusque doctrinam commendat, & approbat, non sine injuria multa Sedis jam dictæ, cum nil aliud sit auctorem damnati libelli innocentem asserere, quam damnantis judicium reprobare. Insurgens igitur temerarius, in serie sui libri exordio adversus pastorem Ecclesiæ, ut pauperum ipsius gregem invadat atrocius, primum se armat possessionibus Levitarum. Nam in hoc persuasionis suæ summa consistit, quod cum forma perfectionis Evangelicæ in Levitis præcesserit, quibus a Domino collatæ fuerunt decimæ, primitiæ, & oblationes ad vivendum, civitates ad habitandum, & suburbana ad alenda pecora, si novum testamentum veteri non repugnat, quin potius consonat, quia tota erat in medio rotæ, nullo modo secundum hoc novæ legis perfectio consistit in carentia hujusmodi possessionum, sed potius in habendo eas: ut Domino dedicatas. In hac autem persuasione, quam per multas verborum venatur ambages, non solum veritati, sed sibi ipsi contradicit aperte. In præcedenti siquidem libro, cum abstinentiæ perfectionem impugnaret, asseruit vinum fuisse prohibitum filiis Aaron sacerdotibus, tamquam imperfectis, nunc autem illos eosdem in affluentia possessionum perfectos asserit, quasi verbi prioris oblitus, vel si forte memoriam habuit, in tantam devenit erroris caliginem, ut putaret, quod abstinere a deliciis sit imperfectum, & possidere divitias sit perfectum. Insuper, & cum paulo ante docuerit, quod in contemptu omnis proprietatis, Euangelicæ perfectionis consistit inceptio, & sacerdotes Levitici generis habuerunt uxores, & filios, ad quos bona sua tamquam vere propria hæreditaria successione transmittebant, necessario sequitur, quod perfectio Evangelica in Levitis non fuit, vel quod abdicatio proprietatis non est initium perfectionis hujusmodi, ac per hoc manifeste convincitur sibi ipsi esse contrarius. Contrariatur etiam ipsi veritati. Si enim forma vitæ Leviticæ

A perfectionem Legis Evangelicæ veraciter continet, cum perfectio modi vivendi, tam in veteri testamento, quam in novo, supremum teneat locum, & perfectio legis perfectioni Evangelii æquatur, necesse est summum legis, & summum Evangelii, tam in merito, quam in præmio inter se æquari, ac per hoc testamentum testamento, promissio promissioni, sacerdotium sacerdotio coæquatur. Si igitur lex neminem ad perfectum duxit, nec Evangelium, si non per legem justitia, nec per Evangelium, si etiam qui sub lege erant, sub maledicto fuerunt, & qui sub Evangelio. Frustra igitur Dei Filius est incarnatus, & passus, B frustra translatum est sacerdotium, frustra legis observantia pro majori parte abolita, & Evangelica veritas introducta: quæ omnia cum sint falsa & impia & prorsus abiicienda tamquam hæretica, necessario concluditur, & illud est erroneum, ex quo hæc sequuntur, scilicet quod in forma vitæ sacerdotum legalium, Evangelicæ perfectionis altitudo consistat. Unde Apostolus ad Hebræos: Si consummatio, inquit, id est, perfectio secundum Glossam, per sacerdotium Leviticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum Ordinem Melchisedech, & non secundum Ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat. *Heb. 7.* C Ubi Glossa: Hic incipit novi & veteris testamenti differentias dare, quia illud imperfectum. Cui etiam consonat illud, quod subsequenter adjungit idem Apostolus: Umbram, inquit, habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum, numquam accedentes perfectos faceret. *Heb. 10.* Ubi Glossa: Lex umbram habens, numquam potest facere perfectos virtutibus, & bonos Pontifices. Non est igitur perfectio virtutum, & consiliorum Evangelii in litterali observantia mandatorum legalium, & in modo vivendi illorum Pontificum requirenda, nisi sicut in figura & umbra, quia hoc modo dicitur rota esse in medio rotæ, non per litteralis observantiæ æquitatem in testamento utroque, sed per spiri-

ri-

ritualis intelligentiæ ænigmaticam præfigurationem. Quod si quis obiiciat, sicut & hic cui respondemus, allegat, quod forma præfata indicta sit sacerdotibus per Ezechielem, qui non umbraticum, sed sanctum & verum Ecclesiæ templum describit, attendat quod ibidem præmittitur, quod sacerdos virginem ducat uxorem, & in sacrificio agnos, & vitulos offerat. Eadem igitur ratione qua perfecit, qui Evangelica in Leviticarum possessionibus præcessisse decernitur, & in eorum uxoribus, & sacrificiis, atque observantiis ceteris fuisse monstratur. Quod si verum est, ad perfectionem Evangelicam spectat, quod sacerdotes novæ legis uxores ducant, hircos & vitulos offerant, & primi cum tubis ad bella procedant. Quæ cum absurda sint, non est requirenda veræ perfectionis discretio in templo illo secundum litteram, sed secundum allegoriam. Unde Hieronymus ait: Neque vero mihi aliquis opponat, dives in Judæa templum, mensas, lucernas, thuribula, patella, scyphos, mortariola, & cetera ex auro fabrefacta, tunc hæc probantur a Domino, quando sacerdotes hostias immolabant, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum, quamquam hæc omnia in figura præcesserint. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicaverit, cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus. Quid miramur, quod Christus vocat iniquum mammona? quid suscipimus, & amamus, quod Petrus se non habere testatur? Alioquin si tantum litteram sequimur, & in auro, atque divitiis simplex non delectat historia, cum auro observemus, & cetera. Ducant Pontifices uxores virgines, lepra coporis animæ vitiis præferatur, crescamus, multiplicemur, & repleamus terram, figamus septimo mense tabernacula, & solemnia jejunia buccinis concrepemus. Quod si hæc omnia spiritualibus spiritualia comparantes sic intelligimus, ut Dominus intellexit, & interpretatus est sabbatum, aut aurum repudiemus cum ceteris superstitionibus Judæorum; aut si aurum placet,

Ezec. 40.

Hieron. ad Heptianum epist. 2

A placeant & Judæi, quos cum auro aut probare nobis necesse est, aut damnare. Hucusque Hieronymus. A quo luce clarius ratio præmissa dissolvitur, & Evangelicæ paupertatis, perfectio novæ legi propriæ convenire docetur. Nequaquam igitur intelligendum est, bona Levitarum Domino dedicata fuisse, tamquam in se sint aliquid sanctitatis habentia, & non possint esse occasio culpæ, sed quia deputantur sustentationi illorum, qui Domino famulantur. Quorum etiam Dominus possessio dicitur, quia sicut alii vivebant de fructibus terrarum suarum, sic & hi de proventibus divinorum ministeriorum: ita tamen, quod ea

B quæ inde percipiebant, proprietatis jure ad suos, ut dictum est, transmittebant heredes: quia sicut illis non indicta erat castitatis integritas, sic nec consulta paupertas. Unde Hieronymus ait: Alia fuit in veteri lege felicitas, in qua beatus dicitur, qui habet semen in Sion, & repromissio sit divitiarum. Statim ut filius Dei ingressus est super terram, novam sibi legem instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlis, haberet Angelos & in terris. Tunc Holoferni caput Judith continens amputavit, tunc Jacobus, & Joannes relicto patre, reti, & navicula secuti sunt Salvatorem, affectum sanguinis, & vincula sæculi, & curam domus pariter relinquentes. Tunc pri-

C mum auditum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Nemo enim miles cum uxore pergit ad prælium. Discipulo ad sepulturam patris ire cupienti non permittitur. Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet, ne forte contristeris, si anguste permanseris. In his Hieronymus patenter insinuat, quod sicut statui testamenti veteris, divitiæ competebant & nuptiæ: ita perfectioni novæ legis, paupertas & castitas. Sicut igitur virginitas per Christum introducta, legem non solvit, sed implet; sic nec paupertatis consilium legem destruit, sed consummat, quia nec

Hieron. ad Eustochium epist. 22

Judit. 13.

Matt. 4

Matt. 16

Luc. 9.

in

in eadem lege Evangelica, consilia præceptis contrariantur, sed potius addunt ad perfectionem justitiæ. Concluditur igitur per hæc, quod sicut a ratione dissonum est, formam perfectæ castitatis constituere in uxoribus sacerdotum legalium, sic sanæ doctrinæ adversatur, perfectionem paupertatis collocare in possessionibus Levitarum. His consonat Bernardus de colloquio Simonis & Jesu. Longe, inquit, aliud est, in luto aquarum multarum divisi fundo maris, iter capere terrena licite possidendo: aliud ipsam novis gressibus undam calcare, omnia relinquendo. Sed tempori gratiæ prærogativa hæc debebatur, Petro novum iter, & non typus itineris servabatur. Antiquorum sane Patrum diebus donec in terris videretur, & conversaretur inter homines Dominus majestatis, non erat Evangelicæ forma perfectionis, sed spiritum Domini solo interim spiritu sequebantur. At cum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, jam in eo tradita est imago vitæ, & conversationis exemplar, quod oportet etiam corporaliter imitari, ut utroque sequentes vestigio, non ulterius cum Patriarcha Jacob altero femore claudicemus. Neque hoc dicimus tamquam salvari hoc tempore si secus quis egerit, nequeat, sed ut gradum agnoscat proprium, & locum perfectionis, aut discipulatus officium non usurpet. Hæc Bernardus. Per quæ cupidorum error perversus eliditur, a quibus sub pietatis specie per antiquorum Patrum divitias, paupertas impugnatur. Ex quibus & illud consequitur, quod is cui respondemus non tamquam paupertatis amicus, sed adversarius pauperum, super hujusmodi possessiones se fundans, perfectionis fundamenta non statuit, sed subvertit. Perfectionem igitur paupertatis extremæ, legalis observantia non oppugnat, sed nec forma vivendi Apostolorum, nec loculi Christi, nec promissio centupli, sicut ex ante dictis est patens, insuper nec affluentia facultatum Ecclesiæ, qua velut armatura consequenter se muniit pauperum hostis, non tam ad

Bern. hom. super Ecce nos. ante med.

A defensandum statum Ecclesiasticæ celsitudinis, quam ad dejiciendum culmen Evangelicæ paupertatis. Si enim possessiones Ecclesiæ commendaret ut licitas, ut expedientes, ut perfectioni compossibiles, in his qui communiter possident, & his qui sancte dispensant, viam sequeretur sanctorum Doctorum, & Canonum confutantium perversos hæreticos, qui Ecclesiam Dei propter possessiones acceptas a statu justitiæ, & perfectionis asserunt esse collapsam, nec sanctæ paupertati præjudicatur in aliquo doctrina hujusmodi, pro eo quod varii sunt in ea perfectionis modi, sicut circa responsionis principium fuit ostensum. Nunc autem quia suadere

B conatur possessiones Ecclesiasticas ad perfectionis facere culmen, tamquam perfectius sit in eis Christo affluere, quam pro Christo carere; non solum gloriam paupertatis evacuat, verum etiam fundamenta ipsius Ecclesiæ subruit, dum Christum & Apostolos temporalia possedisse, ad dandum perfectionis exemplum monstrare contendit. Etenim cum Christus de se diceret, quod non haberet ubi caput reclinaret, hic e contrario dogmatizat, quod domum habuit, de qua dixisse legitur: Domus mea, domus orationis vocabitur. Et post subdit, quod Christus jure proprietario ubi caput suum reclinaret inter homines factus homo non habuit, qui

C tamquam verus Deus omnium Levitarum bona possedit. In quo miro modo se ostendit omni veritatis intelligentia nudum, quasi nescientem distinguere inter ea, quæ Christi divinitatem, & ipsius humanitatem respiciunt. Quod enim Christum dicimus fuisse pauperum, ad ejus refertur humanitatem assumptam, in qua perfecte vivendi nobis monstravit exempla, non autem ad divinitatis ejus potentiam, secundum quam non solum templum, & bona Levitica ejus dominio subjacent, verum etiam cœlum, & terra, & omnia quæ cœli ambitu continentur, dicente Propheta: Domini est terra & plenitudo ejus. Ei vero, *Psal. 23* qui dicit, quod Christo tamquam vero sacerdoti Pater in manu omnia de-

dedit, & quod sacerdotii jure Levitarum bona possedit, ipsemet paulo post aperte contradicit, cum subdit, quod nondum translato sacerdotio, nec decimarum, nec possessionum debuit translatio fieri. Si enim sacerdotium Leviticum ante Christi passionem & resurrectionem translatum non fuit, manifeste colligitur, quod Christus jure sacerdotii eorum, quæ ad Levitas spectabant, nil omnino possedit. Igitur tam veritati, quam sibi ipsi contradicens, quia instar principis mundi hujus in pauperrimo capite Christo, nil temporalium possessionum invenire potuit, ad corpus ipsius, scilicet matrem Ecclesiam sermonem convertit. De qua frivolis quibusdam præmissis auctoritate Canonis astruit, quod ratione majoris utilitatis agros & prædia quæ vendere consueverat, possidere cœpit. Ex quibus consequenter sic arguit: Cum idem sit utile & honestum, ut dicit Ambrosius, & quod est imperfectionis inquantum hujusmodi, declinet ab honestate, & quod est honestatis est perfectionis, prædia Ecclesiæ viris perfectis sunt in perfectionis cumulum, non in ejus detrimentum. Hæc ratio ipsius, hæc verba; cujus rationis conclusio partim est vera, & partim erronea. Verum est quidem, quod Ecclesiastica prædia sine detrimento perfectionis haberi possunt; quod autem sint ad perfectionis cumulum, sentire vel dicere adeo absurdum est, ut ex hoc status, modusque vivendi præsentium temporum vitæ Christi præferatur, & Apostolorum, quod est apertissime falsum. Unde Hieronymus Malchi Monachi vitam describens, ait: Scribere proposui ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem, id est, ab Apostolis usque ad hujus temporis fæcem, quomodo & per quos Christi Ecclesia nata sit, & adulta persecutionibus crevit, martyriis coronata, & postquam ad Christianos principes venerit, potentia & divitiis major, sed virtutibus sit minor effecta. Hucusque Hieronymus. Insuper si prædia faciunt ad perfectionis cumulum, tunc quanto Ecclesiæ plura prædia possident, tanto qui in eis degunt perfectiores existunt, ac per hoc nullus ab Ecclesia habente copiam prædiorum absque detrimento perfectionis ad religiones se transferre potest, quin potius e converso paupertatis ærumnas abiicere, & ad facultates Ecclesiasticas aspirare, sanctum erit atque perfectum. Ejus sententiæ facultatem Hieronymus ad Nepotianum eliminans ironice ait: Sunt ditiores Monachi, quam ante fuerant sæculares, possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt: & suspiret eos Ecclesia divites, quos tenuit mundus ante mendicos. Amplius si Ecclesiastica prædia faciunt ad perfectionis cumulum, nihil est, secundum Christi consilium, vendendum, dandumque pauperibus, sed totum Ecclesiæ agris, seu opibus aggregandum, cum secundum hoc dogma profanum, cumulatio possessionum in Ecclesia Christi ad cumulum faciat perfectæ sanctitatis. Contra quod Hieronymus ait: Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles advehant, earumque deaurent capita, gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, non abnuo. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, & maxime in domesticis fidei. Ex his colligi potest, quod præfata conclusio multiformem continet absurditatem. Sed & ratio ipsa non valet. Nam sicut possessiones sunt utiles, sic & alia multa, utpote uxores, servi, arma, & temporalis potentia, ex quorum retentione non sequitur, quod cumulus perfectionis accrescat. Nec ei suffragatur Ambrosii verbum, quo diffinit, idem esse utile & honestum: loquitur enim de utilitate bonorum spiritualium, non terrenorum. Nam eodem libro: Nihil utile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, diffinimus, non quod ad delectationem præsentis. Nec aliqua commoda in facultatibus & opum copiis constituimus, sed incommoda hæc pu-

Amb. lib. 1 de offi. c. 2.

Hier. in vita Malchi.

Hieron. ad Nepotian. epist. 2

Hieron. ad Demet. ep. 8 post med.

Idem lib. 1. de offi. c. 9.

putamus, si non reiiciantur: eaque A oneri magis, cum adsunt æstimamus, quam dispendio cum erogantur. Idem quoque liber a parte alia, sic ait: Nullum adminiculum præstant divitiæ ad beatam vitam. Quod evidenter determinavit Dominus in Evangelio dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis, &c. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adjumento esse evidentissime pronuntiatum est. Sed & illa quæ videntur bona divitias, satietatem, lætitiam expertem doloris, detrimentum esse ad fructum beatitudinis, Dominico declaratum judicio B liquet. Sic ergo non solum adminiculo non sunt ad vitam beatam corporis externa bona, sed etiam dispendio sunt. Hucusque Ambrosius. Quod & in prædictis intelligendis, loquitur de utilitate intrinseca, & spirituali, quæ idem est quod honestas, non autem de extrinseca, de qua non habent intelligi, secundum quod etiam pronunciat Sapiens, utiliorem esse sapientiam cum divitiis. Sunt enim possessiones terrenæ utiles, & sustentamenta naturæ ad opera humanæ industriæ, nonnullis etiam ad exercitia virtutis perfectæ, sed hoc non inest eis ex seipsis, sed ex parte utentis. Unde Augustinus in fine libri, unde malum. Qui, inquit, bene vult uti temporalibus bonis, non eis amore agglutinetur, & velut membra animi sui faciat, quod fit amando, ne cum resecari cœperint, cum cruciatu ac tabe fœdent; sed eis totus superferatur, & habere illa, atque regere paratus sit, amittere vero ac non habere paratior. Hæc Augustinus. Quæ numquam diceret, si temporalia bona essent utilia, secundum quod utile idem est quod honestum, quia nullus recte sapiens paratior esse debet, honestatem amittere, quam servare. Multum igitur a sapientia discors fuit; qui in temporalibus Ecclesiæ bonis, honestum ab utili non discrevit. In sui quoque firmamentum erroris, perfectionis virtutum, &

Ibidem lib. 2 c. 4 & 5 Luc. 6

possessionis opum septiformem assignat germanitatem dicens, quod Dominus voluit ministros Ecclesiæ ipsum perfecte sequi, volentes habere bona communia mobilia, & immobilia: primo propter cautelam futurorum, quod est prudentiæ: secundo propter sustentationem ministrantium, quod est justitiæ: tertio in sustentamentum egentium, quod est misericordiæ: quarto in mutuæ charitatis nutrimentum: quinto propter quietudinem: sexto in aliorum exemplum, & largitionem eleemosynarum: septimo propter conformitatem ad cœlestem curiam, cujus participatio in idipsum. Ex quibus omnibus arguit, quod habere possessiones Ecclesiasticas perfectionem non minuit, sed consummat. quamquam autem prædictarum rationum aggregatio, superficietenus considerata efficax videatur, & pia: si tamen discutiatur interius, inefficax invenitur & impia. Pro eo, videlicet impia, quia si mobilium & immobilium, communis possessio non diminuit, sed potius complet, qui non valent, nec volunt hæc possidere communia, perfecti esse non possunt. Insuper cum Christus & Apostoli hujusmodi possessiones immobiles non habuerint, sequitur in eis, quod consummatæ perfectionis exemplum non effulsit. Inefficax vero, quia in eisdem ra- C tionibus, potest etiam aliquis laicus uxoratus bona sua retinere, scilicet, ut prudenter, juste, misericorditer, charitative ministrantibus Christo subveniat, ad illorum quietem, & aliorum exemplum secundum conformitatem supernam, in qua est communicatio larga bonorum: aut igitur talis erit perfectus, aut præfata ratio nullius efficaciæ esse convincitur. Amplius sicut Ecclesiastica bona, bene utentibus sunt materia exercendarum virtutum, sic etiam abutentibus sunt fomentum multiformium perversitatum: utpote injustitiarum, impietatum & carnalitatum, nec tamen inferri potest, propter hujusmodi abusum, quod bona hujusmodi habere sit impium, pari ratione inferri non po-

te-

terit, quod per bonam dispensationem utentium ea habere sit perfectum in se & absolute, vel perfectius quam carere. Unde & illa conclusio quam post explicationem rationum prædictarum, in quibus multas absurditates interserit, tamquam finaliter intentam subjungit, nullius est probabilitatis, sed magnæ perfidiæ. Ait enim, ut verbis ejus utamur. His causis prædictis forte, & aliis quæ a sapientibus possunt inveniri cum apice perfectionis. Quod enim citra est, imperfectum est, bona temporalia Ecclesiæ a perfectis viris præcepit Deus, & voluit possideri. In quibus verbis manifeste aperit, quod paupertatis Evangelicæ perfectionem totis viribus eliminare contendit. Si enim temporalia bona Ecclesiæ possidere sic est perfectum, ut dicit, ut omne quod est citra illud, sit imperfectum, pauperes igitur Christi, qui nihil omnino possidere volunt, sed totum dant, ut vidua illa paupercula, aut citra hunc perfectionis apicem consistunt, & tunc imperfecti: aut ultra procedunt, & tunc superstitiosi impii. Si igitur talis fuit Christus, sicut narrat Evangelicæ veritatis historia, & perfectorum testimonio monstratum est supra; tales etiam fuerunt Apostoli, necessario sequitur secundum Antichristianam doctrinam, quod Christus & ejus discipuli, vel superstitiosi fuerint, vel imperfecti. Insuper si hæc temporalia bona Christus præcepit possideri a viris perfectis, sicut asserit, quicumque ergo perfectionis statum profitentur, & hæc bona non possident, transgressores divini præcepti esse convincuntur. Quod si verum est, utique dici non potest, Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum Dei, nec: Væ vobis divitibus, sed potius, væ vobis pauperibus, tamquam miseris, imperfectis, injustis, & impiis. Beati divites. Beatus etiam populus cui hæc sunt, sine quibus, nec perfectionis apex, nec virtus justitiæ possidetur, quæ perfectio inter dona Dei locum præcipuum tenet. Caveat sibi qui ejusmodi sententiæ est, ne super eum maledictio principis

Act. 8.

A Apostolorum juste descendat, dicaturque sibi: Pecunia tua tecum sit in perditionem, eo quod existimasti donum Dei pecunia possideri. Mirum certe quomodo quis potest ad tantam impietatem proficere, ad tantam venire insaniam, ad tantam prorumpere fatuitatem, ut cum Christus viris perfectis suadeat omnia vendere & dare pauperibus, præcipiatque Apostolis, ut nec peram, nec pecuniam tollant in via, nec aurum, nec argentum possideant, e contrario audeat dicere præceptum esse a Deo viris perfectis temporalia possidere. Quam vero absurda dogmata conclusio præfata contineat, ex ipsius verbis elicitur, ex quibus B affirmat omne quod infra perfectionis apicem est, esse imperfectum. Si apex dicit summam rei alicujus extremam & excelsam, & apicem perfectio habet, aliquid est perfectionis citra apicem ejus: duo ergo contraria simul dicit, cum asserit perfectionem habere apicem, & nihil citra perfectionis apicem esse perfectum. Est etiam hæc universalis negativa pene in toto falsa, scilicet cum non solum perfectio vitæ, sed etiam perfectio patriæ gradus habeat, & sicut perfectio castitatis & obedientiæ potest esse major & minor, sic & paupertatis, quemadmodum ex primæ responsionis tertia parte patescit. Denique quam periC culosum sit possessionum affluentiam magnis laudatam præconiis desiderabilem reddere, ex hoc patenter advertitur, quod omnium fere mortalium appetitus, & sensus proni sunt ad concupiscentiam oculorum, & admirationem divitiarum. Et sicut dicit Apostolus ad Timotheum: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli. Quod si dixerit non se laudare possessiones quascumque, sed tantum communes & Ecclesiasticas, & Domino dedicatas, attendat quod non parvum latet in ipsarum cumulatione periculum. Unde Bernardus de colloquio Simonis & Jesu: Dotatas & dedicatas cernimus Ecclesias a potentibus & divitibus hujus sæculi, qui in operibus bonis divites, juxta 1. Tim. 6. Bern. hom. super Ecce nos.

Domini admonitionem amicos sibi facere studuerunt de mammona iniquitatis, a quibus in æterna tabernacula reciperentur. Quid ni sperarent ab his se recipi qui claves videntur habere? Sed heu data est ipsa providentia eorum in occasionem carnis, & qui sibi atque aliis in cœlo tabernacula parare debuerant, in terra conjungunt domum ad domum, & copulant agrum agro: Quis rapuit ab ore Apostolorum hujusmodi temporis verbum gratiæ, verbum fiduciæ: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te? Ecce enim ut populus, sic sacerdotes divites fieri volunt, similiter hic suam & abundantius suam recipiunt consolationem, similiter amicis egent & ipsi, ut in aliena tabernacula recipiantur, ut propria non habentes. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Hæc Bernardus. Idem quoque quibusdam interpositis subdit. Utinam in duodecim unus hodie Petrus, unus qui reliquerit, unus qui loculis careat, inveniatur. Utinam saperes miser & intelligeres, cum thesauro pecuniæ, & thesaurum iræ pariter cumulari, utinam novissima provideres, animadverteres facile per foramen acus transituros non divitiarum cumulos, sed delictorum. Nihil enim tulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre possumus quicquam. Hucusque Bernardus. Cui Gregorius Nazianzenus concordat in quodam sermone contra persecutores Ecclesiæ loquens: Sed facultatibus, inquit, defraudabunt. Quibus, meis? Sed facilius mihi alas abscindent, quas non habeo. Si autem Ecclesiasticis, hoc utique pro quo omnis pugna, & omne certamen. An ignoramus, quod per pecuniæ cupiditatem & loculorum fraudem, ad proditionem proficiscitur Christi? Hæc Gregorius Nazianzenus. Ad hoc etiam facit quod dicit Ambrosius in l. de officiis. Qui Apostolos sine auro misit, Ecclesias sine auro congregavit. Et iterum: Qui plurimum auri possidet, non abundat, quia nihil est, quidquid in sæculo est. Qui exiguum habet, non minuit, quia nihil est quod amittit, res sine dispendio est, quæ tota dispendium est. Ex his clare patet sanctorum curam fuisse præcipuam, non ad quarumcumque possessionum amorem allicere, sed potius exemplo Apostolorum ad earum contemptum provocare. Nec tamen ex his intelligat aliquis, quod Ecclesiastica bona per modum dilapidationis sint habenda contemptui, quoniam hoc sacri Canones inhibent, sed a personis non alligatis curæ pastorali ratione majoris securitatis, sive perfectionis, valeant pro Christi amore dimitti, & quod hi quibus dispensatio eorum committitur, eis quæ dispensant, nullatenus alligentur affectu. Hic autem ut affluentiam opum reddat amabilem, tamquam rem sanctitatis eximiæ in rationali Ecclesiæ collocat, ex quo judicium cum veritate responderi solebat, cum tamen hæc sua doctrina omni careat ratione judicii, & rectitudine veritatis. Fingit etiam superhumerale quoddam, quod huic irrationali, sive phantasiæ coaptat adducens in medio duodecim viros sanctos atque approbatos, qui de statu paupertatis ad dispensandas divitias assumpti fuerunt Clementem, Silvestrum, Gregorium, Cyprianum, Hilarium, Basilium, Chrysostomum, Martinum, Nicolaum, Paulum, Augustinum, Anselmum, quorum exempla suo adaptans errori, in sequentibus subdit: Isti sunt duodecim filiorum Israel nomina, isti sunt vittæ hiacynthinæ, & catenulæ aureæ. Post quæ addit: Ista est doctrina Dominica, statuto Apostolorum Hierosolymis solidata, a sanctis Doctoribus exposita, a perfectis Christi imitatoribus observata, non ut nihil in communi, aut proprio haberetur, sed ut spreta proprietate, bonorum Ecclesiæ communitas servaretur. Si aliter docueris, cave ne fias, secundum Apostolum, anathema, quod a viro absit Catholico, qui puniri recusat cum apostata Juliano. Hæc verba ipsius. In quibus & ignorantem se esse demonstrat & impium. Nisi enim impius esset, numquam de professoribus paupertatis.

Luc. 16.

Amb. lib. 2 de offic. cap. 28

tis, in qua nihil habetur in proprio, vel communi, sensisset tam impie, ut eos tamquam hæreticos judicasset, anathema esse a Christo. Qua quidem blasphemia non solum hos Christi pauperes, sed & Romanam Ecclesiam impetit, quæ hunc vivendi modum approbavit. Insuper & bonos viros catalogo Sanctorum adscriptos, & quod majus est ipsos Apostolos, qui, ut ex superioribus claret, in extrema paupertate vixerunt, quibus etiam tamquam duodecim filiis Israel in superhumerali Summi Pontificis Christi conscriptis, & per propria nomina designatis, summa paupertas indicitur. Sic enim scribitur in Matthæum: Apostolorum nomina sunt hæc, Simon primus, qui dicitur Petrus, & dehinc ceteris nominatis subjungit: Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis: Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, &c. In quibus superhumerale vitæ Apostolicæ cum rationali perfectionis & paupertatis altissimæ, per charitatem regni cœlestis, tanquam vitta hiacynthina, indissolubili junctura constringit, cum interponit, Gratis accepistis, gratis date. Hoc autem superhumerali, & rationali verus Pontifex Christus adornatus fuit, dum sanctæ paupertatis perfectionem & verbo docuit, & exemplo monstravit, & tunc potissimum, quando ut verus Pontifex per sanguinem proprium ingressus in sancta, pauper & nudus in cruce pependit. Hoc ornamento nobili & spirituali, quo a corporalibus crucifixoribus Christus spoliari non potuit, hic velut atrocissimus prædo eum nudare contendit, & aliud quoddam confingere nititur, non vitta hiacynthina, & catenulis aureis, sed terrenarum possessionum affluentiis, tamquam junctura luteæ & viscosa constrictum, quasi Christus cum Apostolis terrena possederit, ipsaque communis possessio altius provehat, magisque ad cœlestia elevet, quam extrema, & altissima paupertas. Quod nemo dubitat falsum, nisi qui modos prorsus ignorat mentalis elevationis in Deum. Unde Hieronymus

Matt. 19

Aait: Joseph cum tunica Ægyptiam effugere non potuit. Adolescens qui opertus syndone sequebatur Jesum, quia tentus fuerat a ministris terrenum abiiciens operimentum nudus evasit. Elias igneo curru raptus in cœlum melotam reliquit in terris. Eliseus boves & juga prioris operis vertit in vota. Loquitur sapientissimus vir: Qui tangit picem inquinabitur ab ea. Quamdiu versamur in sæculi rebus, & anima nostra possessionum, & redituum procuratione devincta est, de Deo libere cogitare non possumus. Cui & Glossa consonat super illud Canticorum: Spoliavi me tunica mea, &c. Deceptus sollicitudine temporalium subsidiorum, quantumlibet eximius Doctor difficile vitat peccatum. Hæc autem idcirco non dicimus, quod dispensatio facultatum Ecclesiæ a viris sanctis administrari non possit absque detrimento perfectionis, sed ut discernamus pretiosum a vili, quia perfectionem eis non contulit temporalium bonorum administratio, sed contemptus: non temporalis affluentia, sed spiritus paupertatis, quo inter rerum affluentium copias sic vivebant, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes; quemadmodum nobilis illæ prælatus, de quo ait Hieronymus scribens ad Rusticum: Sanctus Exuperius Tolosæ Episcopus viduæ Sareptanæ imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente jejuniis, fame torquetur aliena, omnemque substantiam Christi visceribus erogavit. Nihil eo ditius, qui corpus Christi canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui avaritiam projecit de templo, qui cathedras vendentium columbas, mensasque subvertit, mammonæ & nummulariorum æra dispersit, ut domus Dei domus orationis sit, non spelunca latronum. Hujusmodi tu sectare vestigia, & ceterorum qui virtutum illius similes sunt, quos sacerdotium & humiliores facit, & pauperiores. Aut si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria & cognatione tua, si habes substantiam, vende, & da pau-

Hieron. ad Lucinum epist. 28.

Eccli. 13.

Cant. 5.

Hieron. ad Rust. ep. 4. cir. fin.

peribus: si non habes, grandi onere liberatus es. Nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia. In his sacer Hieronymus distinguit pretiosum a vili, simulque ostendit, quod aliud competit perfectioni prælati, qui est persona communis, aliud perfectioni personæ privatæ. Et ideo quamquam ratione prælationis, quisquis religiosus a statu paupertatis ad dispensationem temporalium possit assumi, impium tamen est hoc ad consequentiam trahere. Sicut enim prælatis ratione curæ pastoralis, competit extrinsecis interdum implicari negotiis salva perfectione, nec tamen inferri potest, quod in persona privata æque perfectum sit per extrinsecas occupationes erga plurima turbari cum Martha, velut per intimas, fervidas, & jucundas sursum actiones secus pedes Domini quiescere cum Maria; sic & in proposito intelligendum. Licet igitur Pontifices, sive summi sacerdotes, quia curam habent, non solum quantum ad perfectos & validos, verum etiam infirmos & imperfectos, quos pascere debent exemplo, & verbo, & pro loco & tempore, corporali subsidio, salva perfectione possessiones susceperint ad sustentationem pauperum & Ecclesiæ ministrorum, non tamen ex his quibuslibet privatis personis, in quolibet Ecclesiæ statu ascribi potest nec debet, quod in tanto sint perfectionis culmine cum amplitudine possessionis, sicut cum altitudine paupertatis. In hoc autem quod laudatores paupertatis extremæ, imitatores existimat Juliani apostatæ, non solum nequitia plenum, sed etiam veritatis notitia vacuum esse se demonstrat: dum professoribus veritatis malitiose crimen impingit erroris, & ipsam perfidiam Juliani apostatæ tamquam ignorans, a laude paupertatis insinuat traxisse originem, cum tamen ipse Julianus non in hoc erraverit, quod assereret omnia temporalia relinquenda fore secundum dictamen divini consilii, ad quod nemo astringitur, nisi velit: sed potius ad suæ avaritiæ rapacitatem colorandam, & conculcan-

A dam Ecclesiam, hoc dicebat esse de necessitate divini mandati, allegans illud Christi verbum, quod scribitur in Luca: Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ex quo ipse universaliter calumniabatur Ecclesiam, quasi nulla esset differentia inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia. Verum sicut Glossa dicit ibidem, hoc distat inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, quia renuntiare convenit omnibus, qui ita licite utuntur mundanis quæ possident, ut tamen mente tendant ad superna: relinquere vero est solummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt & B solis æternis inhiant. Hæc Glossa. Ex qua manifeste colligitur, quod quisquis hoc sentit, quod perfectorum sit omnia relinquere, & solis æternis inhiare, doctrinam sequitur Jesu Christi, non perfidiam Juliani. Nam quamvis dicat omnia pro perfectionis amore debere relinqui, non tamen asserit bona Ecclesiæ dirui, quia licitum est dimittere propria, sed illicitum rapere aliena. *Luc. 10.*

RESPONSIONIS TERTIÆ

CAPUT TERTIUM.

In quo abrenuntiationis ratio falsa eliditur, & penuriosæ paupertatis duodenaria prærogativa monstratur.

C MOS perversarum mentium esse dignoscitur, si qua sententiæ suæ contraria propter illorum certitudinem inficiari non possunt, fraudulenta calliditate pervertere, & ad sensum trahere repugnantem, juxta illud Bernardi ad fratres de monte Dei. Si in lectione Deum quærit qui legit, omnia cooperantur ei in hoc ipsum; si autem in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post seipsum, nihilque tam sanum, tam pium in scripturis invenit, quod seu per vanam gloriam; seu per distortum sensum, seu per pravum intellectum non applicet suæ malitiæ vel *Bernar. ad frat. de monte Dei, de vita solitaria*

vel vanitati. Quod manifeste in adversario pauperum nunc cernimus esse completum. Cum enim certum sit, paupertatem, quæ consistit in abdicatione rerum temporalium propter Deum esse laudabilem, magistrumque Christum perfectionis, in paupertate vixisse usque ad mortem, hic in comparatione possessionum & opulentiarum sic pervertendo attenuat, ut nil sanctæ paupertati de perfectionis sublimitate relinquat. Investigans enim primo causam abdicationis temporalium, hanc dicit esse ipsorum appropriationem, seu proprietatem, quæ quoniam ex radice descendit avaritiæ, ut verbis ejus utamur, non stat cum perfecta charitate, quæ non quærit quæ sua sunt. Et ideo dicit consultam esse abdicationem proprietatis ad excludendam cupiditatem, qua extirpata, his qui ejusmodi sunt, recte committitur dispensatio bonorum temporalium, tamquam scientibus uti, & non quærentibus quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Quod per Abrahæ, Jacob, Joseph, David, Daniel, patrum scilicet veteris testamemti exempla confirmat. In his autem verbis & exemplis superficialiter consideratis nihil apparet erroneum: si tamen diligenter discutiantur, magnum invenitur latere venenum. Si enim proprietas sola causa est abdicationis temporalium, ut extirpetur cupiditas, & perficiatur charitas ad bona hujusmodi temporalia dispensanda, tunc igitur paupertas non est nisi sicut via ad abundantiam, & dispositio quædam præambula, ac per hoc nulla perfectio consistit in ea. Imperfecta igitur fuit vita Christi & falsa doctrina qua dixit: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Amplius si unum aliquod collegium, non dicam unius regni sed totius mundi bona in communi possideat, altissimum illud de paupertate consilium integerrime servat, immo quod est absurdius multo perfectiori modo, quam hi, qui in extrema rerum penuria in fame, scilicet siti, frigore, & nuditate Domino serviunt, cujusmodi fuerunt Apostoli, & hi, qui

Matt. 19
Luc. 18

A exempla eorum sequuntur. Quod cum evidenter sit falsum, restat quod hæc non sit causa præcisa, principalis abdicandi divitias, quia propriæ, sed quia illecebrosæ, ut ostensum est. Verum est quidem, quod propriæ divitiæ magis solent esset illecebrosæ, quam communes, & ideo magis est de essentia perfectionis contemptus ipsarum, non quia appropriatio sit culpa, vel semper habeat culpam annexam, sed quia, ut frequentius, solet esse occasio culpæ. Unde & ipsemet in consequentibus exemplis, sibiipsi contradicit, cum asserit illos sanctos patres, non solum sine culpa; sed etiam cum perfectione, bona hæc temporalia possedisse. Ipsi etiam Levitæ, qui uxores habebant, & filios, constat quod aliqua propria possidebant, quos tamen superius de perfectione laudaverat. Ipse etiam populus Israeliticus terram patribus repromissam adeptus, absque peccato distinctas & proprias portiones accepit. Insuper nunc revelatæ gratiæ tempore, secundum scita legum & Canonum, juste & sancte aditur & possidetur hereditas, non solum in partialibus patrimoniis, sed etiam in principatibus & regnis, sicut ipse inferius de Costantino Raymundo, & similibus fatetur. Non ergo proprietas est ratio abdicationis, sicut falso insinuat, quasi semper sibi sit peccatum annexum. Sane quod dicit Clementina, quod pro iniquitate, alius dicit hoc esse suum, alius illud, non est intelligendum generaliter, sed ut in pluribus, vel intelligendum est, quod hujusmodi appropriatio descendit ex iniquitate primorum parentum, quod nisi illi peccassent, hujusmodi appropriatio non fuisset. Non tamen ex hoc sequitur, quod omnis appropriatio sit cum peccato, quia ex prævaricatione primorum parentum, non solum peccata descendunt, sed etiam pœnæ peccatorum. Licet autem divitiæ tam communes, quam propriæ haberi & possideri valeant absque peccato, tamen eas relinquere perfectionis est, quia sicut imperfectio de se non dicit culpam, ut ex supra dictis apparet, sic & perfe-

fectio non tantum dicit justitiæ rectitudinem, verum etiam expeditionem: quam quidem expeditionem divitiæ, quia illecebrosæ & periculosæ præpediunt. Unde Gregorius libro 4. Moralium: Rarum valde est, ut qui possident aurum, ad requiem tendant, cum per semetipsam Veritas dicat: Quam difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cœlorum. Idem etiam in 4. Dialogorum: Cura rei familiaris non sine culpa agitur, etiam ab his, qui qualiter culpas declinare debeant, sciunt. Et Rabanus super Matthæum, Difficile, hoc est, maximi laboris est, pecunias habentes, vel in pecuniis confidentes exutis philargyriæ retinaculis, aulam regni cœlestis intrare. Propter quod securum est divitias fugere, & eas abdicare perfectum. Unde Hieronymus ait: Apostolici fastigii est, perfectæque virtutis vendere omnia, & pauperibus distribuere, & sic levem & expeditum cum Christo ad cœlestia subvolare. Porro exempla, quæ subjungit de patribus, inconvenientia sunt ad propositum. Primum quidem, quia non se expropriaverunt, ut hic falso confingit, dicens, quod Dominus sanctum Abraham propria hereditate derelicta, nudum de terra sua exire coegit, & præcepit. Nam & textus Geneseos aperte contradicit, ubi dicit: Egressus est Abraham, sicut præcepit ei Dominus, tulitque Saram uxorem suam, & Loth filium fratris suis, universamque substantiam quam possederant, & ingressi sunt ut irent in terram Chanaam. Quod autem Jacob, Joseph, David aliquando in paupertate fuerunt, hoc magis fuit urgentis necessitatis, quam voluntariæ expropriationis. Quod vero Daniel omnia sua vendiderat, quia de scripturis auctoritatem non habet, si sapientia Danielis fuisset imbutus, nequaquam adduxisset in medium, quia prudentius silentio tegitur quod scripturarum testimonio non probatur. Secunda ratio est, quare dictorum patrum exempla non congruunt, quia cum perfectione virtutis aliquos habuerunt actus extrinsecos, secundum exigentiam temporis, qui trahi

Hieronym. ad Demet. epist. 8.

Gen. 12.

A non possunt in exemplum perfectionis, sicut in Patriarchis pluralitas uxorum, in David strenuitas ad bellandum, & in Elia occisio prophetarum Baal, & si cum istis perfectionem servaverunt, magis admirabiles, quam imitabiles viris perfectis proponuntur. Unde Augustinus de moribus Ecclesiæ: Amisit Job omnes divitias, & factus est repente pauperrimus, sed inconcussum tenuit animum, quo animosi esse possent nostri temporis homines, cum magnopere in novo testamento ab istorum possessione prohiberemur, ut perfecti esse possemus. Hæc Augustinus. Cui consonat Gregorius in moralibus: Necdum virtus præcepti B emicuerat, quæ omnia relinqui præciperet, sed tamen eamdem præceptionis vim in corde servabat, quia nimirum substantiam suam jam mente reliquerat, quam sine amore possidebat. Ex quibus evidenter apparet, quod Job terrena possidendo, perfectus fuit solo contemptu mentis, quia nondum emicuerat consilium paupertatis, ac per hoc, sicut conjugium Abrahæ, cui non præfertur cælibatus Joannis, non est trahendum tempore gratiæ in exemplum perfectionis, sic nec patrum sanctorum possessio temporalis. Tertia quoque ratio ad hoc ipsum est, quia multa patribus in figura contingebant & umbra, quæ tempore C revelatæ gratiæ & veritatis, perfectioni non consonant, & ideo illa nunc in exemplum trahere, non modicam generat absurditatem. Unde Bernardus de colloquio Simonis & Jesu: Excusant se aliqui fortassis, dicentes: Abraham, Isaac, & Jacob, ceterique Sancti, numquid non terrenas divitias habuisse, leguntur? Sufficit nobis esse sicut illi fuerunt, neque enim sumus nos patribus meliores. Si culpabilis possessio esset divitiarum, numquam illi in divitiis tantam a Domino gratiam obtinerent. Quid respondebimus novis imitatoribus veterum Sanctorum. Imponant certe vitulos super altare Domini, mactent arietes, hircos immolent, quia & hoc Abraham fecit. Sed hæc, inquiunt, statum ultra

Bern. hom. super Ecce nos.

tra

tra non habent: ubi relevata est veritas transiere. Quid si ipsas quoque Sanctorum divitias temporales, umbram fuisse dixerimus futurorum? In figura siquidem eis omnia legimus contigisse. Denique quidni terrenas palam divitias possiderent sancti & perfecti viri, cum sola terrena palam promitterentur a Domino. Ubi sane cœlestis promissio innuit, necesse est spiritualibus spiritualia comparari, & mutari sacrificium specie mutata. Non sunt igitur hujusmodi exempla, nec etiam prælatorum, quæ consequenter annectit, cum de paupertatis perfectione agitur, adducenda in medium, ne sub specie sanctitatis Pontificalis officii, quod opulentia commutatur, & honorum parvipendatur paupertas, vilificetur humilitas, excitetur cupiditas, & ambitio foveatur, quæ omnia is cui respondemus pauperum hostis, omni qua potest virtute conatur. Nam verum justitiæ Solem, qui paupertatis & humilitatis exempla in universum orbem radios suæ lucis emisit, phantasticæ cujusdam nebulositatis objectu obscurare contendit. Quærit enim: Ut quid Christus pauper esse voluit? Ut quid Rex fieri recusavit? Et respondet, ut verbis ejus utamur, ideo pauper esse debuit, ut animi statum teneret, qui ab omnibus imitari valeret: Neque enim omnes divites esse possunt, sed si voluerint omnes pauperes fient. Postque subjungit: Quod autem ne Rex fieret, fugit, mundanas dignitates fugere docuit. Alius est enim honor Regis, alius prælati, sive sacerdotis. Hæc sunt verba illius, in quibus tam viliter & indocte sentit, & loquitur de alta & tam nobili materia, ut nos etiam pudeat, ipsius ineptias replicare. Quis enim in sacris litteris eruditus vel modicum, quis quantulamcumque ad Christum reverentiam habens, altissimi Dei benignissimam condescensionem usque ad extremæ paupertatis inopiam sic audeat parvipendere, ut putet eum hoc egisse absque ratione & causa permaxima? Quam tamen is paupertatis hostis adeo frivolam arbitratur, ut ne vereatur dicere,

A ideo Christum pauperem factum, quia non omnes possunt divites fieri. Si igitur possent omnes adipisci divitias, sicut & paupertatem assumere, æque bene vel magis secundum hanc profanam doctrinam, Christus debuisset temporalibus bonis dives esse, quam pauper. Quod si verum est, paupertas in nullo præfertur divitiis: nec magis est meritorium pro Christo pauperem fieri, quam possidere divitias. Quapropter sicut Christus dixit adolescenti diviti. Vade & vende, ita secundum hoc Antichristianum dogma, dici potest & pauperi: Si vis perfectus esse, vade & posside. Insuper cum dicit, quod omnes possunt pauperes esse, aut intelligit de paupertate quæ habet aliquid in communi, cujusmodi

B est in collegiatis Ecclesiis & tunc est falsum, quia non omnes etiam si velint admittuntur ad collegia talia: aut intelligit de paupertate in qua nihil habetur, & tunc etiam falsum est, quia non omnes salvis statibus, quos in Ecclesia universali Deus esse instituit, hanc possunt paupertatem eligere, sicut patet in regibus & principibus, militibus, popularibus, ceterisque habentibus uxores & filios. Et quoniam qui a recta veritatis via discedit, per devia vagatur errorum, hinc provenit, quod de Christi fuga in consequentibus loquens, in multa incidit falsa, dicens

C quod Christus docuit honores esse fugiendos, non Ecclesiasticos, sed mundanos; quia acceptavit honorem in Hierusalem sibi exhibitum ut Prophetæ, qui prius fugerat honorem sibi oblatum ut Regi, expresse textui contradicit Evangelico. Nam in Joanne dicitur: Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel. *Joan. 12.* Et in Marco, quod turbæ clamabant dicentes: Benedictum quod venit regnum Patris nostri David. *Marc. 11.* Super quod Beda: Non reprimit voces eorum, qui regnum Patriarchæ David in eo restaurandum, & prece benedictionis dona recuperanda concinunt. Ut quid igitur quod prius fugiendo declinavit, modo libens amplectitur? nisi ut aperte doceret, quod non temporalis & terreni, sed

æterni in cœlis Rex esset imperii, ad quod profecto regnum, per contemptum mortis & gloriam resurrectionis perveniretur? Ex his clarum est, quod Christo exhibitus fuit honor Regalis, non Prophetalis, seu Sacerdotalis, ut dicit, quem tamen acceptavit propter mysterium nostræ salutis, & propter exemplum humilitatis, ut etiam ab his oblati honoris non recusaret obsequium, a quibus paulo post crucifigendum se esse sciebat. Tunc siquidem inter laudantium, & applaudentium voces, humilitatis & pietatis non immemor, super aselli tergum sedere non erubuit, sed etiam copiosos lacrymarum imbres effudit. Per hunc etiam modum, quando discipulorum pedes humiliter abluit, se magistrum & Dominum esse, & dici debere monstravit: ut per declarationem Regiæ celsitudinis, discipulos duceret ad imitationem ostensæ humilitatis. Mira igitur perversitas est, ea quæ scriptura introducit in exemplum abjectionis, ad fomentum ambitionis intorquere, quasi non sit humilitatis virtus, honores Ecclesiasticos fugere, nec superbiæ vitium ad illos aspirare. Cujus contrarium dicit Gregorius in registro: Ego, inquit, viam Capitis mei sequens, summopere decreveram esse opprobrium hominum, & abjectio plebis. In quo manifeste ostendit quod in fuga Ecclesiastici honoris est imitatio Christi. Idemque quoque in pastorali: Nolite plures magistri fieri. Hinc ipse Dei & hominum mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum spirituum scientiam sensumque transcendens, ante sæcula regnat in cœlis. Qui enim idcirco in carne venerat, ut non solum nos per passionem redimeret, verumetiam per suam conversationem doceret exemplum se sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam luminis fugit, pœnam probrosæ mortis expetiit, ut membra ejus discerent favores fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare.

Jac. 5
Greg. pastoral. cura par. 1. c. 8

Hucusque Gregorius. Si igitur Christus in fugiendo regnum, se sequentibus exemplum dedit fugiendi gloriam, favorem, & prosperitatem, & hæc non tantum inveniuntur in dignitatibus mundanis, sed etiam Ecclesiasticis, constat, quod humilitatis est hæc refugere, ad perfectam humilitatis Christi imitationem, quantum fieri potest salvo zelo animarum salutis, & obedientia respectu superiorum, cum ipse Christus discipulis contendentibus, quis eorum videretur esse major, in Mattheo respondeat: Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno cœlorum. Quod si forte quis dicat (sicut in consequentibus conatur astruere) hoc ad humilitatem spiritualem & interiorem, non ad corporalem & exteriorem debere referri: non modicum desipit; cum universorum magister & Dominus, non solum spiritualis, sed etiam corporalis humiliationis exempla præbuit, quando discipulorum pedes lavit, & tersit, ubi & dixit: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. De quo August. Passurus Christus exitia, præmisit obsequia non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta quippe est humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi eum Deus humilis inveniret. Perierat autem superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem Redemptoris sequatur inventus. Discamus fratres humilitatem ab Excelso, faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus. Magna est hæc commendatio humilitatis. Faciant hæc sibi invicem fratres, etiam opere ipso visibili, cum se invicem hospitio recipiunt. Unde & Apostolus cum benemeritam viduam commendaret: Si hospitio, inquit, recepit, si sanctorum pedes lavit. Et apud sanctos ubicumque hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt: multo autem est melius, & sine controversia, ut etiam manibus fiat, ne dedignetur quod

Matt. 18
August. tr. 55 super Joan.
Ibidem homil. 58.
1. Tim. 5

quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus. His autem verbis ostenditur, quod humiliatio exterius facta in corpore, plurimum confert ad perfectionem veræ humilitatis in corde. Per hunc etiam modum, exterior rerum penuria quamquam de se videatur inutilis, paupertati tamen spiritus juncta, non solum ipsius auget meritum, sed etiam valet ad plurima: propter quod recte designatur per Evangelicam illam margaritam, quæ tantæ pretiositatis est, ut pro illa emenda, distrahenda sint omnia.

A

Valet enim inter alia ad quatuor, scilicet ad exterminium iniquitatis, ad exercitium perfectæ virtutis, ad possessionem internæ jucunditatis, & ad publicationem Evangelicæ prædicationis. Valet primo ad exterminium iniquitatis. Primum quidem propter expiationem perpetratarum culparum. Est enim caminus quidem purgans, & eliminans sordes peccatorum, juxta illud Isaiæ: Elegi te in camino paupertatis. *Isa. 48* Quod maxime de illa intelligi habet paupertate, quæ non tantum voluntatem interius per rerum contemptum afficit, verum etiam corpus per penuriam affligit. De qua Greg. in hom. De Lazaro & divite: Mala, inquit, Lazari purgavit ignis inopiæ, & bona divitis remuneravit felicitas vitæ transeuntis. Illum paupertas afflixit & tersit, istum abundantia remuneravit & repulit. Quicumque ergo in hac vita bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de his pertimescite, ne concessa vobis prosperitas, eorumdem remuneratio sit bonorum. Et cum quoslibet pauperes, nonnulla reprehensibilia perpetrare conspicitis, nolite despicere, nolite desperare: quia fortassis quod superfluitas tenuissimæ pravitatis inquinat, caminus paupertatis purgat. De vobis omnino pertimescite, quia nonnulla etiam male acta prospera vita secuta est. De illis vero sollicite pensate, quia eorum vitam magistra paupertas cruciat, quousque ad rectitudinem perducat. Secundo propter subtractionem occasionum peccandi, quæ sicut divitiarum affluentia crescunt, sic voluntaria paupertate minuuntur. Unde Chrysostomus dicit: *Chrys. ho. 2. super ep. ad Heb.* Christianus in pauperie constitutus, quam cum divitiis magis irradiat. Quomodo? quia excludit a se superbiæ typhum, non erit arrogans, sed patiens, obtemperans, pudicus, mitis, & sapiens. Qui vero in divitiis constitutus est, multa illum ad bona præpediunt. Inspiciamus ergo, quæ sunt quæ dives operatur: Rapit aliena, æstuat cupiditate, nefandos non desinit pertractare concubitus, maleficia cuncta committit. Nonne universa hæc ex divitiis, conspicis generari? Intueris

B

quomodo in pauperie, magis quam in divitiis virtutes facilius possidemus. Nec mihi dicas, quia in hac vita divites nullam vindictam suscipiunt. Nam cum omnibus malis suis, etiam hoc malum habent divitiæ, quia malignitate peccantes ab ultionibus tuentur, & qui divitias possidet, semper peccans nulla pœna revocatur, sed sine ullis remediis munera suscipit peccatorum, & frenum illi nullus imponit. Hucusque Chrysostomus. Quod si forte quis dicat, quod de pauperie occasionaliter multa mala oriuntur; respondet inferius. 18. sermone. Nemo causetur, inquit, de paupertate, quasi causa

C

sit multorum malorum, neque obloquatur de Christo, qui perfectionem illam dixit: Si vis perfectus esse, &c. Hoc enim in verbis dixit, & operibus ostendit, & per discipulos suos docuit. Sectemur igitur paupertatem, maximum quippe bonum est. Nihil enim opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. Valet etiam tertio propter abscissionem vitiosarum radicum. Unde & Chrysostomus sermone eodem: Abiiciamus quæcumque corpus florere faciunt, vitiant autem animam, utpote sunt divitiæ, gloria, cuncta hæc carnis sunt, & amor corporum. Itaque non amemus ampliora, sed paupertatem semper consectemur, ista enim magnum bonum est. Sed sapientia, inquit, pauperis *Eccl. 9*

pro

pro nihilo habetur. Et iterum Divitias & paupertatem ne dederis mihi. Et, Ex camino paupertatis libera me. Quare ergo hæc dicta sunt? Hæc in veteri testamento dicebantur, ubi multa ratio divitiarum, ubi paupertatis plurimus erat contemptus, ubi hæc quidem maledictio erat, illud benedictio: sed nunc nequaquam ita est. Si vis audire paupertatis prædicamenta, ipsam professus est Christus, & dixit: Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Et iterum discipulis dicebat: Nolite possidere aurum, neque argentum, Et Petrus dicebat ei, qui ex nativitate sua claudus erat: Argentum & aurum non est mihi. Et in ipso quidem veteri testamento, nonne Elias præter melotam nihil habebat? nonne Elisæus? nonne Joannes? Hucusque Chrysostomus, paupertatis tolerantiam laudat, quia corporalium per eam rerum amor abscinditur, qui est prima radix vitiorum: laudat etiam, quia per ipsam abscinditur radix secunda, quæ est timor male humilians. Unde & consequenter adjungit. Vides quia quod maxime facit fiduciam, hoc est paupertas. Dives servus est, obnoxius est istis damnis, & tribuens omni volenti eum nocere, ille autem nihil habens, proscriptionem non timet, neque condemnationem; Nequaquam ergo paupertas facit sine fiducia esse, Christus cum paupertate mittebat Apostolos, in causam opus habentem fiducia multa. Valde enim fortis est pauper, non habet unde injuriam patiatur. Hæc verba Chrysostomi intelligi non possunt nisi de paupere, qui nihil penitus habet. Ex his igitur patet, quod voluntaria paupertas non modicum valet ad exterminium iniquitatis. Valet etiam ad exercitium virtutis perfectæ. Primum quidem, quia per eam virtus acquisita probatur. Unde Ambrosius primo lib. de officiis: Non potest quis præmium accipere, nisi legitime certaverit, neque est gloriosa victoria, ubi non fuerint laboriosa certamina. Ideoque Dominus in Evangelio: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

Luc. 9

Matt. 10

Act. 3

Amb. 1 lib. offic. c. 15 & 16

Mat. 5

A Non dicit beati divites, sed pauperes. Inde enim incipit beatitudo divino judicio, ubi ærumna æstimatur. Hæc Ambrosius. Constat autem quod ærumna non est in paupertate, ratione contemptus rerum in mente, sed ratione penuriæ temporalis, quam sustinemus in corpore. Secundo etiam valet, quia per eam virtus probata custoditur. Unde Hieronymus: Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, nec putavit se virtutes posse simul, & divitias possidere. Denique & tu audita sententia Salvatoris: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da

B pauperibus, & veni sequere me: verba verte in opera, & nudam crucem nudus sequens, expeditior, & levior ascendis scalam Jacob, priusque manibus & candido pectore, pauperem te spiritu, & operibus gloriaris Valet etiam tertio quia per eam virtus custodita expeditius in finem perducitur, juxta quod dicit Chrysostomus super epistolam ab Hebræos sermone secundo: Non habentes divitias non propterea doleamus, sed gratias magis universorum Deo & Domino referamus, quia nos parvo labore eamdem mercedem poterimus, quam divites promereri, & si voluerimus etiam ampliorem. Nam ex parvis magna lucramur. Huic etiam

C Gregorius consonans in homil. Regnum, inquit, cœlorum tantum valet, quantum habes. Et iterum: Ante Dei oculos numquam est vacua manus a munere, cum arca cordis repleta fuerit bona voluntate. Quapropter cum voluntas, ubi deest possibilitas, pro facto reputetur, & facilius sit sanctis pauperibus velle quam divinitus bonis velle vel facere, multum igitur facit paupertatis inopia ad virtutis expeditionem. Si ergo voluntaria temporalium rerum penuria, virtus probatur, conservatur, & expeditur: manifeste convincitur, quod eminentia paupertatis plurimum confert ad exercitium perfectæ virtutis. Consequenter etiam valet, ad fruitionem jucunditatis internæ. Primo ratione extrinsecæ secu-

Hieron. in epist. 13 ad Paulin. non longe a pri.

cu-

curitatis. Unde Chrysostomus homil. ult. super Matthæum: divitem necesse est multis indigere, & turpiter servire, formidare & suspicari, & timere eorum qui suspicantur oculos, & calumniatorum ora, & avarorum concupiscentias, sed non paupertas est aliquid tale, sed contrarium universum: regia est, non subjecta furibus, sed munita portus tranquillus, palæstra, & Gymnasium philosophiæ. Constat autem quod paupertas furibus non subjacens ea potissimum est, in qua nihil habetur, de qua & subdit ibidem: Audite quicumque pauperes estis, magis autem qui ditari cupitis. Non pauperem esse malum est, sed non velle pauperem esse, & neque malum existimes paupertatem, & non erit tibi malum, & si philosopharis decem millium erit bonorum fons & origo. Nec tantum securitatem dat penuriosa paupertas in hoc sæculo, verumetiam in futuro iudicio. Unde Bernardus super Psalmum: Qui habitat: Felix paupertas voluntarie relinquentium omnia, & sequentium te Domine Jesu. Felix plane quæ tam securos, immo & tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo tremendo examine meritorum in illo tanto discrimine iudiciorum. Secundo ratione expectatæ mercedis. Unde super illud Job deridetur justi simplicitas, lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum, dicit Gregorius: Statutum quippe contemptæ lampadis tempus est, extremi judicii prædestinatus dies. Tunc reproborum oculis patescet, quod cœlesti potestate subnixi sunt, qui terrena omnia reliquerunt. Quisquis enim divini amoris stimulo excitatus, hic possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit, ut simul tunc cum judice judex veniat, qui nunc consideratione judicii, sese spontanea paupertate castigat. Liquet autem, quod paupertas pro qua quis deridetur & contemnitur, ea potissimum est, quæ annexam habet exteriorem penuriam, & vilificationem. Unde Bernardus: Duo habet paupertas sequentium Dominum, afflictionem scilicet, & vilitatem, de quibus Propheta: Vide, inquit, humilitatem meam & laborem meum, & propterea in terra sua, duplicia possidebunt, ut pro pudore sit honor judiciariæ potestatis, pro labore refrigerium placidissimæ sessionis. Hæc enim est, quæ castigat, purgat, probat, humiliat & exaltat. Hanc igitur rationem mercedis concomitatur lætitia mentis. Unde super illud Psalmi: Ego sum pauper & dolens, salus tua Deus suscepit me. Glossa: Laudabo in me, & in membris meis, nomen Dei cum cantico, id est, cum delectatione, quia si omnia desunt, nec tamen illi deest mentalis jucunditas, propter quod subditur: Videant pauperes & lætentur, quærite Deum, & vivet anima vestra. Tertio quoque ad hoc ipsum valet ratione superinfusæ consolationis. Unde Chrysostomus super Matthæum: Descendamus, inquit, ad paupertatis caminum, videamus qui ambulant in eo & elatorum colla conculcant, videamus miraculum, & paradoxum hominem in camino psallentem, in igne gratias agentem, paupertati ultimæ alligatum, & multam ferentem Deo laudationem. Etenim pueris illis tribus similes sunt, qui paupertatem cum gratiarum actione ferunt, nam & ignem terribilius paupertas incendere consuevit, sed pueros illos nequaquam incendit. Ita & nunc si in paupertate gratias egeris vincula dissolvuntur, & flamma extinguitur, & si non extincta fuerit, quod multo mirabilius est, pro flamma ros oritur. Quod & in philosophantibus est videre, quoniam in paupertate divitibus copiosius disponuntur, & in medio camino rore puro potiuntur. Etenim maximus est ros, non detineri concupiscentia divitiarum. Et illi tunc contemnentes regem, facti sunt Rege clariores; & tu utique si despexeris mundana negotia, omni mundo eris honorabilior secundum sanctos illos, quibus dignus non erat mundus. Ut igitur dignus cœlis efficiaris, deride præsentia, ita enim & hic clarior, & futuris potieris bonis. Hucusque Chrysost. evidenter ostendens, quod volun-

Marginalia: A; Ps. 24.; Ps. 68; B; Chrysost. ho. 4. in Matt.; Job. 12; C; Greg. l. 10 Mor. c. 17 circ. med.; Bern. serm. 151

luntaria paupertas, & rerum penuria est, quam maxime utilis ad fruitionem internæ jucunditatis. Valet quarto ad publicationem Evangelicæ prædicationis. Primum, quia facit eam magis credibilem. Unde Chrysostomus ubi supra. Talis est luminis virtus, ut non solum luceat, sed & illuc ducat illos, qui sequuntur. Cum enim viderint omnia præsentia nos contemnentes, & ad futura præparatos, ante omnem sermonem operibus nostris credent. Quis enim ita est amens, ut videns eum qui & ante lasciviebat, & ditabatur, omnia exutum, & ad famem, & inopiam, & duram vitam, sanguinem, occisionem, & omnia, quæ videntur periculosa præparatum, non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationem? Si autem nos præsentibus implicaverimus, & immiscuerimus, qualiter poterunt credere, quod ad possessionem aliam festinemus? Hucusque Chrysostomus. In his clare demonstrat, quod voluntariæ paupertatis, exemplum in prædicante, magis credibilem facit Evangelicam prædicationem. Secundo etiam valet, quam magis reddit efficacem, juxta quod Damasc. lib. 4. dicit: Evangelium agnitionis Dei prædicatum est, non bellis & armatis exercitibus, adversarios devincens, sed pauci, nudi, pauperes, persecuti, verberati, mortificati, crucifixum in carne & mortuum, & dominantem prædicantes, sapientibus, & insipientibus prævaluerunt. Hæc Damascenus. Horum imitatores illi fuerunt, de quibus Eusebius in Ecclesiastica historia lib. 3. dicit: Quidam ardentiore divinæ sapientiæ cupiditate succensi, animas suas verbo Dei consecrabant, explentes perfectionis salutare præceptum, ut facultates suas primo pauperibus dividentes, expediti ad prædicandum Evangelium fierent. Tertio, quia efficit eam magis acceptabilem. Unde Chrysost. super illud Matthæi: Dignus est operarius cibo suo, dicit: Manifestum quoniam a discipulis eos cibari oportebat, neque ipsi magna sapiant, adversus eos, qui dicebantur omnia præbentes, & nihil accipientes ab ipsis, nec illi

Damascen. l. 4. de fide orthod. c. 4

Chrys. ho. 32 in Matth.

A rursus abscindantur tamquam despecti ab ipsis. Cum igitur voluntaria rerum penuria Evangelii prædicationem magis reddat credibilem, efficacem, acceptabilem, ac per hoc auditores inducat ad fidem, erigat ad spem, alliciat ad charitatem, manifestum est, quod maxime valet ad Evangelicæ veritatis publicationem. Cujus etiam evidens indicium est, quod per Apostolos pauperes rebus, & spiritu, quamquam numero paucos, diffusa est Evangelica veritas in orbem universum, ut de ipsis vere dictum sit: In omnem terram exivit sonus eorum. Unde Chrysost. super Matthæum: Si autem homines duodecim orbem terrarum con-
B verterunt, excogita quanta est nostra malitia, cum tanti existentes, eos qui reguntur non possumus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere, & esse fermentum. Sed signa, ait, habebant. Sed non signa eos mirabiles fecerunt. Multi enim & dæmones proiicientes, quia iniquitatem operati sunt, facti mirabiles, sed puniti. Sed quid, inquam est quod eos ostendit magnos? Pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vitæ hujus negotii ereptio, quæ si non habuissent, & si decem millia mortuos suscitassent, non solum nulli profecissent, sed & seductores æstimati essent. Hucusque Chrysost. qui & his
C patenter ostendit, quod nihil tantum valuit ad dilatandum Christi Evangelium, quam perfectus contemptus rerum mundanarum. Cum igitur voluntaria & penuriosa paupertas, sicut ex prædictis elucet, valores incomparabiles quatuor habeat triplicatos, recte designantur non solum per unam Evangelicam margaritam, verum etiam per duodecim præfulgidas in portis novæ Hierusalem descendentis de cœlo, pro magno sui valore, miraque pulchritudine positas, quibus & nomina duodecim pauperum spiritu, Apostolorum scilicet in fundamentis collocata respondent, seu per duodecim lapides in typico rationali quadruplici ordinatione distinctos, quo summus noster Pontifex adornatus apparuit, quan-

Ps. 18

Chrys. hom. 46 in Matth.

quando ut nos reconciliaret Patri, A nudus in cruce pependit. Cui etiam rationali, & superhumerale exemplum, scilicet duodecim Apostolorum tamquam vitta hiacynthina, charitatis affectu copulatur. Est enim hujusmodi paupertatis pretiositas, non tantum multiplex, sed & magna, & incomparabilis omni pretiositati terrenæ, ut ait Chrysost. Quid autem si quis tibi proponeret facere fœnum, aurum, & posse omnes pecunias, ut fœnum contemnere? Non utique hoc susciperes magis, & valde decenter, etenim hoc homines utique attraxisset. Si enim viderent fœnum, aurum effici, concupiscerent & ipsi hanc virtutem, ut sic moveretur & augeretur, utique eis pecu- B niarum cupido. Si autem viderent omnes, ut fœnum aurum despicientes olim utique ab hac ægritudine eruti essent. Idem quoque homilia ultima: Si quis tibi principatus, & civiles potestates, & divitias, & lasciviam proponeret, deinde paupertatem ponens, electionem daret accipere quodcumque velles, hanc confestim raperes, si tamen cognosceres ejus pulchritudinem. Mihi autem paupertas puellæ cujusdam pulchræ & speciosæ similis esse videtur. Cum hac Elias educatus est, beata illa raptura, cum hac Elisæus claruit, cum hac Joannes, cum hac Apostoli omnes. Sed & ipsam puellæ hujus pulchritudinem intueamur. Etenim oculus ejus C est purus & præclarus, nihil habens turbulentum sed mansuetum, tranquillus, delectabilis ad omnes respiciens, mitis, humilis, nullum odio habens, nullum avertens, os illi & lingua sana est, continua gratiarum actione plena, & benedictione, & nutibus verbis amicabilibus. Si autem vis & proportionem membrorum ejus videre, longa est, & multum excelsior quam superabundantia. Si autem fugiunt eam multi, ne mireris, etenim virtutes alias fugiunt insipientes. Sed contumeliis afficitur, ais, pauper a divitibus? Rursus mihi inopiæ laudem dicis, quoniam beatus est, qui convitium patitur. Sed hoc ferre admonet inopia. Si esurit pauper, & Paulus esuriebat, & in fame erat. Sed non habet, inquis, requiem? Neque filius hominis habebat ubi caput reclinaret. In his expresse declarat Os aureum, quod voluntaria rerum inopia, non solum est magnæ pretiositatis, sed etiam pulchritudinis miræ. Est etiam, & quod plus est, magni honoris, sicut idem vir sanctus ait super Joannem: Anima inopis quidem voluntarii fulget velut aurum, splendet ut margarita fulgens, florescit autem ut rosa. Non enim est illic tinea, non fur, non solicitudo vitæ hujus negotiorum, sed sicut Angelus, ita conversatur. Vis hujusmodi animæ pulchritudinem videre, vis ipsius divitias addiscere. Non subjacet dæmonibus, sed assistit Deo, non militat cum hominibus, sed cum Angelis, non habet Arcas duas, vel tres, vel viginti, sed talem abundantiam, ut hunc mundum universum nihil esse æstimet, non habet thesaurum, sed cœlum, non indiget servis, magis autem habet servos passiones & cogitationes, quæ Regum dominantur, regnum autem, & aurum, & omnia talia quemadmodum puerorum ludibria deridet, & sicut rotas ad pilam hæc omnia æstimat esse contemptibilia. Habet enim mundum, quem neque videre, qui in his ludunt, possunt. Quid igitur hoc paupere melius est umquam? Pavimentum denique habet cœlum. Si autem pavimentum tale est, excogita tectum. Sed non habet, inquis, equos & currus. Quid autem ei his opus est, qui supra nubes vehi debet, & esse cum Christo? Hucusque Joannes Os aureum, ignitis, fulgidis, ponderosis, & pretiosis eloquiis, voluntariæ paupertatis, quæ penuriam rerum habet annexam, admirabilem celsitudinem, pulchritudinem pretiositatemque commendat. Quia tamen hæc non revelantur mundi sapientibus, juxta illud Domini in Matthæo: Abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis: non proponuntur carnalibus, sed spiritualibus, juxta illud. Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, non in-

Idem ibid. *Matt. 11* *Matt. 7*

innotescunt amatoribus divitiarum, sed paupertatem amantibus & expertis qui jam vicerunt mundum, juxta illud Apocalypsis: Vincenti dabo Manna absconditum, & dabo ei calculum candidum, & in calculo nomen meum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Ideo paupertas hujusmodi per thesaurum absconditum designatur in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius, vadit & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum. Si quis igitur sanctæ paupertatis vult nosse valorem; aut ipse in se experiri studeat, aut expertorum sententiæ acquiescat, juxta quod Bernardus in epistola quam scribit ad Thomam, qui amore scientiæ retardabat propositum veniendi ad religionem, ait: Quam salubrius disceres Christum Jesum & hunc Crucifixum, quam utique scientiam haud facile nisi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit. Falleris Fili, falleris, si te putas invenire apud mundi magistros, quam soli Christi discipuli, idest mundi contemptores, Dei munere assequuntur. Nec enim hanc lectio docet, sed unctio, non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. His sacris eloquiis Chrysostomus consonat super Matthæum, sic dicens: Verumtamen quæcumque dixero, Nihil repræsentabit tale sermo, quale rerum experientia; ideo vellem quemdam illorum, qui in illum jam devenerunt philosophiæ verticem nobis adesse, & tunc manifeste videremus hujus rei delectationem, & qualiter nulli eorum, qui diligunt paupertatem, acceptarent ditari decem millibus præbendis, tamquam qui non lamentabantur in solicitudinibus, sed rident, & saltant, & his qui diadema sibi circumponunt, magis in paupertate decorantur. Si igitur hæc rerum experientia docet, & qui divitias & honores sæculi complectuntur, nec experti sunt, nec experiri volunt, necesse habent qui ejusmodi sunt, super hac materia indicere sibi silentium, ne tamquam cæci, de coloribus syllogizare videantur. Talium etenim temeritatem Hieronymus ad

Apoc. 2

Ber. ep. 108 ad Thomam de S. Audomaro ante med.

Chrys. ho. 3º. in Matt.

Hieron. ad

A Demetriadem scribens redarguit: Quidam, inquit, cum loqui nesciant, tacere non possunt, docentque scripturas quas non intelligunt, & cum aliis persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium, prius imperitorum magistri, quam doctorum discipuli. Bonum est enim obedire majoribus, & parere perfectis, & post regulas scripturarum, vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec præceptore uti pessimo, præsumptione sua. Hoc præceptore pessimo, si is cui respondemus usus non esset, nequaquam in suggilationem paupertatis, commendationem temporalium possessionum, improba temeritate, dogmatizare præsumpsisset. Quamquam e- B nim interdum ex rerum inopia proveniant mala, & ex affluentia bona: numquam tamen mala ex paupertate dilecta proveniunt, sed odita, nec bona ex amatis divitiis, sed contemptis, Salomone testante. Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis. Constat autem, quod sicut laus alicujus rei excitat ad illius amorem, sic & vituperium ad contemptum. Cum igitur contemnere divitias, & amare pauperiem sit extirpatio vitiorum, & insertio virtutum, & e contrario contemnere pauperiem, & amare divitias, fit eradicatio virtutum, & insertio vitiorum: manifesta ratione concluditur, quod quemadmodum commendatio C paupertatis spiritualium pauperum, & vilificatio divitiarum & divitum, doctrinæ competit Christi: sic & hujus contrarium asserere, ad dogma profanum pertinet Antichristi. Unde Hieronymus de vita Paulæ: Non laudis est possidere divitias, sed eas pro Christo contemnere, non inhiare ad honores, sed eos parvipendere. Propter quod & Paulo fugiendo gloriam, gloriam merebatur, quæ virtutes quasi umbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores. Seculi homines suscipiunt eos, qui his pollent privilegiis: nos laudamus eos, qui pro Salvatore ista despexerint, & mirum in modum quos habentes parvipendimus, si habere noluerint prædicamus. Hucusque Hieronymus. Quod si forte

Demetriad. ep. 8

Eccl. 5

te hostis pauperum dicat, non se laudare honores & divitias sæculi, sed Ecclesiasticos tantum: requiremus ab eo, si credat in horum appetitu esse periculum, an indifferentiam quamdam, an meritum? Si appetere Ecclesiasticas divitias & honores, periculum credit, & tamen dum laudat appetibiles efficit, aut auditores suos decipit, aut insanit. Si vero hæc appetere indifferens æstimat, nec illas laudando persuadere conatur, quod aliquis appetat, in vanum loquitur, & frustra laborat. Si autem desiderare opes, & honores Ecclesiæ meritorium credit & sanctum, cum nullum vitium sit abominabilius cupiditate, & ambitione personarum Ecclesiasticarum, cum per hæc duo emi vel vendi soleat Spiritus sanctus, ut de domo Dei fiat spelunca latronum, non minus impugnat fundamentum Christianæ religionis, quam Evangelicæ paupertatis. In hoc igitur finis sit hujus tertiæ responsionis, quamquam non sit ejus, cui respondemus, partialis intercisio libri. Quia enim ex nunc ad ordinem spiritualem impugnandum se præparat, novam egreditur pugnam, novæ responsionis cum adjutorio Christi assumemus armaturam.

RESPONSIONIS QUARTÆ,

Caput Primum.

In quo Religio carentium loculis, ab errore defenditur, & verum jus possessionis Ecclesiasticæ declaratur.

OMnium malorum radicalis origo cupiditas, cum humanæ mentis arcem invaserit, tam dura tyrannide premit, ut ad idolorum redigat servitutem, & in bestialem transformet crudelitatem. Hujus testimonium evidens esse constat Judæ proditoris nequitiam, qui cum loculos haberet, de quibus cupiditatis suæ voracitatem famelicam mitigare volebat, modicæ tamen sibi repromissæ pecuniæ, tanto est illectus amore, ut sitiret Salvatoris omnium

A sanguinem, & Auctorem vitæ venaretur ad mortem. Hac peste laborans, & hic pauperum calumniator, tamquam Judæ discipulus, primo eis pacis osculum tribuit, ipsorum simulatorie commendando pauperiem, dehinc lethaliter percutit, dum loculis carentium pauperum professionem conatur arguere, non ut imperfectam, verumetiam ut erroneam, simulatoriam, & iniquam. Ex quibus non solum Prælatorum, sed etiam clericorum, & religiosorum possessiones habentium, nititur animos ad ipsorum exterminium concitare. Primo igitur quasi osculum præbens, quæstionem sibi proponit. Sed dices: Condemnas ne eos, qui loculos non

B habent, nec laborant? Et postea subdit: Non condemno, sed laudo, nec tamen habentibus præfero, quia non est discipulus super magistrum. Et paulo post: Etsi enim homo solus absque loculis possit vivere, tamen de congregatione cui tanta competunt credibile non est. Dehinc subdit: Respublica sunt loculi Christi. Si ergo Christi membrum es, cum Christo loculos habes. Hæc enim sunt verba illius, in quibus more Judæ, primo deosculatur, cum loculis carentes laudare se asserit, sed statim vulnus infligit, cum immediate subnectit, quod hoc Christus exemplo non docuit, ac per hæc demonstrat, quod loculis carere non

C sit perfectum, quia non est discipulus super magistrum. Certum est autem, quod nullus vir prudens abrenuntiat loculis, nisi ut Christo configuretur perfectius, omnis ergo talis secundum hoc dogma profanum, est errore deceptus. Amplius, si non est credibile, quod congregatio aliqua sine loculis vivat, ut dicit, aut asserit hoc incredibile, quia difficile, aut quia impossibile. Si quia difficile, tunc pari ratione non est credibile, quod aliqua congregatio sancte vivat & caste. Si quia impossibile, sed congregatio impossibile profitens, & se ad impossibile ligans, est superstitiosa, & vana, & fatua, ac per hoc reprobanda, quia erronea. Igitur loculos non habentes, secundum hujusmodi dogmatis assertionem

nem non sunt digni laude, sed reprobatione. Insuper, si quicumque membrum Christi est, cum Christo loculos habet ut asserit, a destructione consequentis, qui loculos non habet, non est membrum Christi. Ex quo etiam sequitur, quod omnes pauperes nihil habentes, & prorsus omnia relinquentes, alieni sunt ab unitate corporis mystici, tamquam si is qui habere pecuniam noluerit, gratiam Christi habere non possit, ac per hoc beatior fuerit Judas qui loculos habuit, quam Petrus qui dixit, argentum & aurum non est mihi. Dum etiam secundum hanc profanam sententiam, ipse Dominus Jesus non nisi in loculis inveniat locum, qui tamen per Isaiam Prophetam locum suæ requietionis, asserit super pauperculum & contritum. Ecce qualis pauperum collaudator, qui etiam ut sui pectoris virus abundantius evomat, eosdem nititur de hæresi duplici in consequentibus notabiles reddere, cum subjungit allegans auctoritatem Augustini de hæresibus, & etiam contra Faustum, quod quædam est hæresis, nudis pedibus ambulantium, non quia propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia divina testimonia taliter intelligunt, sic & Manichæi judicantur hæretici, non quia pecunias, aut loculos non habeant, sed quia testimonia divina etiam ad hoc referre nituntur. Hæc verba illius, in quibus foveam erroris aperit, quam non claudit. Nam ex his manifeste relinquit, quia si qui nudis pedibus incedunt & loculis carent, & ad hoc divina testimonia referunt, in duplicem hæresim incidunt, scilicet nudis pedibus ambulantium, & Manichæorum. Constat autem, quod hujusmodi pauperes ideo nudis pedibus incedunt, & loculis carent, ut illud Evangelii verbum ad litteram impleant, quod Dominus dixit discipulis, ut non ferrent æs in zonis, nec calceamenta in pedibus. Ideo secundum assertionem hujusmodi dogmatis impii, in duplicem hæresim sunt lapsi. Quod si verum est, per omnem modum Apostolica erravit Ecclesia, quæ statum talium approbavit, & auctores hujusmodi hæresum catalogo Sanctorum ascripsit. Erraverunt nihilominus Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Beda, Rabanus, & Bernardus, qui omnes affirmant, quod documentum Christi ad Apostolos de non ferenda pecunia, sit intelligendum ad litteram, sicut manifestum est ex prægallegatis auctoritatibus ipsorum, in præcedentis responsionis particula prima. Quod quia profanum est sentire de Sanctis, necesse habet hic impositor errorum, ad piam redire intelligentiam veritatis, si justa non vult feriri sententia damnationis. Attendat igitur insensatus & perfidus; quod divina testimonia dupliciter his aptari possunt, per modum videlicet consilii, vel præcepti. Si quis igitur ad nuditatem pedum & carentiam loculorum sic divina coaptat eloquia, ut ea per Scripturam astruat esse præcepta, & necessaria ad salutem, tamquam nullus salvari possit, nisi pedibus nudis incedat & loculis careat, dupliciter errat. Si quis vero ad hoc aptare nititur divina testimonia tamquam sint consulta, & supererogatoria, & ad salutem expedientia, non est censendus hæreticus, sed verus Christi discipulus, non Manichæus, sed verus Christianus. Et quod hic fuerit intellectus pii doctoris Augustini, manifeste colligitur ex verbis ipsius quinto libro contra Faustum. Nam præmittens verba Fausti, in quibus se gloriatur Evangelium accipere, quia argentum & aurum dejecit, & æs in zonis habere destitit, & cetera his similia, postmodum respondet hoc ordine; primo ipsum ostendens hypocritam & mendacem, & tandem hæreticum: in hoc videlicet quod Ecclesia distinguit in modo accipiendi Evangelium, quantum ad perfectos & imperfectos, sed Manichæi nequaquam. Ait enim sic: Quam multi in nostra communione veraciter faciunt sublimia illa præcepta, de quorum specie fallitis imperitos. Et assignatis paulo post in Ecclesia differentiis, subdit. Neque enim illi soli, qui ut sint perfecti vendunt & dimittunt omnia sua, & se-

Marginal notes: Act. 4 — Aug. de hære' ad quod vult heresi. 68 c. 6. — Matt. 10 — Aug. l. 5 cont. Faust. c. 1. t. 6 — Ibid. c. 9 in princ.

sequuntur Dominum, pertinet ad regnum cœlorum; sed huic militiæ Christianæ propter quoddam commercium charitatis, subjungitur etiam quædam stipendiaria multitudo, cui dicetur in fine: Esurivi & dedistis mihi manducare, sitivi & dedistis mihi bibere. Alioquin damnandi erunt illi, quorum domos tam diligenti cura componit Apostolus, monens mulieres subditas esse viris suis, viros diligere uxores, filios obtemperare parentibus. Sed absit ut istos a mandatis Evangelicis alienos, & a vita æterna separandos judicet, quia ubi Dominus ait. Si quis non tulerit crucem suam & secutus me non fuerit, non potest meus esse discipulus, exhortans firmiores ad perfectionem ibi statim & istos consolatus est, dicens: Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Quid autem fallitis auditores vestros, qui cum suis uxoribus & filiis & familiis, domibus, & agris, vobis serviunt, si quisquis omnia ista non dimiserit, non accipiat Evangelium. Sed quia eis non resurrectionem, sed revolutionem ad istam mortalitatem promittitis, ut vita electorum vestrorum vivant, tam vana, inepta & sacrilega, qua & vos vivitis, quando valde laudamini, merito eos a mandatis Evangelicis alienatis. Hæc Augustinus. In quibus aperte demonstrat, quod aliqua Evangelii documenta perfectis conveniunt, sine quorum observantia imperfecti salvari possunt, & quod sententia Manichæorum fuit ad hoc omnes indifferenter astringi. Non ergo dicit Faustum errasse, quia diceret hæc intelligenda ad litteram, sed quia discernere voluit inter consilia & præcepta. Per hunc etiam modum quod testimonium illud, de non portandis calceamentis sit ad litteram intelligendum, multiplici patet attestatione sanctorum. Nam sacer Ambrosius in lib. de fuga sæculi, sic ait: Jesus discipulos sine calceamentis & pecunia misit, ne secum terrena portarent. Hieronymus etiam ad Eustochium scribens: Moyses & Jesu Nave nudis in terra pedibus jubentur incedere, & discipuli sine calceamentorum onere & vinculis pellium, nudi ad prædicandum destinantur: & milites vestimenti Jesu forte divisis, caligas non habebant, quas tollerent. Nec enim habere poterat Dominus, quod prohibuerat in servis. In his ostendit Hieronymus, quod non solum discipuli, sed etiam ipse Christus nudis pedibus incessit. Et quod ad litteram debet intelligi. Idem quoque ad Ageruchiam de Monogamia: Discipuli toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. Joannes Chrysostomus super Matthæum: Apostoli una tunica induti, & discalceati circumierunt, & omnes superaverunt: Idem quoque, dixit Jesus discipulis: Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos & discalceatos? Eusebius etiam Ecclesiasticæ historiæ lib. 6. in laudem Origenis pro eo tempore quo Catholicus erat, sic ait: Ante omnia vero præcepta Evangelica, & voces Salvatoris, summo amore & studio implendas esse dicebat, quibus præcipitur, duas tunicas non habendum neque calceamentis utendum, neque de crastino cogitandum. Et paulo post: Denique per multos annos traditur absque omni calceamento nudis pedibus incessisse. Ex quibus & antedictis luce clarius constat, quod Christus nudis pedibus incessit, & Apostoli ad mandatum ipsius. Quod si quem forte movet verbum Baptistæ dicentis. Cujus non sum dignus, solvere corrigiam calceamenti, consideret textum & glossam. Nam Joan. ibi verbis mysticis, & parabola utitur, cum Christum dicit habere in manu ventilabrum & securim, propterea sicut per hoc intelligi debet districtio futuri examinis; sic per calceamenti corrigiam mysterium Incarnationis. Unde Glossa: Calceamentum, Incarnationis mysterium, corrigia, mysterii ligatura. Non ergo valet Joannes corrigiam calceamenti solvere, quia mysterium Incarnationis non sufficit explicare. Et alia Glossa: Non sum dignus corrigiam calcea-

Mat. 25 — *Coloss. 3* — *Luc. 14* — *Aug. ibid. c. 11* — *Amb. l. de fug. sæculi c. 4. Hie. ad Eustoch. ep. 22* — *Hier. ad Ageruch. ep. 11 post med.* — *Chrys. ho. ult. super Mat. Luc. 22.* — *Euse. l. 6 hist. Eccl. c. 3 in fin.* — *Luc. 3*

ceamenti solvere, id est nomen sponsi mihi non usurpo. Est autem præfatum verbum, tamquam mysticum spiritualiter intelligendum. Si quis vero contendat, intelligendum hoc esse ad litteram, secundum usitatum modum loquendi, attendat, quod conditionalis est hujusmodi sermo, quo quis eum quem vult excellentem ostendere, dicit quod non sit dignus eum discalceare, etiam si calceamentis non utatur, quia hoc intelligitur si uteretur. Verum si quis urgeat, quod Angelus dixit ad Petrum, calcea te caligas tuas, ac per hoc, quod Petrus non fuerit discalceatus, nec Apostoli alii: audiat Bedam super hunc locum in originali dicentem: Pro caligulis vel caligis ut quidam habent, Græcus habet sandalia, hoc enim genus calceamentorum in Evangelio legitur Apostolis fuisse permissum. Hæc Beda. Cui etiam consonat & Papias grammaticus dicens: Caligæ vel caligulæ, id est, sandalia, dicta sunt a callo pedum, vel quasi a colligando, quia ad pedes ligantur. Porro si quis sensu carnis inflatus, asserat non esse conveniens, Dominum ad litteram indixisse Apostolis nuditatem pedum tamquam vile aliquid, & Apostolicæ dignitati dissonum, & a tramite discretionis alienum, intelligat quod multiplex est ratio hujus informationis. Prima est ad indicium paupertatis extremæ. Unde in Luca: Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? Quod pertractans Chrysostomus ait: Fortasse dicet aliquis, quoniam alia Christi præcepta rationem quidem habebant, non habere autem peram in via, neque calceamenta, neque duas tunicas, qua de causa jussit? Et respondet: In omnem indigentiam exercitare eos volens, qui & superius, nec de supervenienti die sollicitos esse concessit. Secundo vero hoc persuasit in incitamentum humilitatis pœnitentiæ, secundum illud: Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens & flens, & operto capite, & nudis pedibus incedens. In quo Rex ille nobilis totius pœnitentiæ, & humilitatis exemplar, vere pœnitentibus præbebat exemplum. Cui etiam consuetudo Ecclesiastica consonat, quæ ad iram Dei placandam in processionibus pedes nudat. Tertio ad testimonium obedientiæ. Unde super illud Isaiæ: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, & discalceatus. Glossa: Ecce obedientia. Iste de regio semine fuit, & tamen per civitatem Hierusalem nudus pedes incessit. Quarto ad exercitium vitæ austeræ. Unde super illud Matthæi. Neque calceamenta in pedibus. Glossa: Et Plato dicit duas corporis summitates non esse velandas, nec assuetam fieri debere mollitiem capitis & pedum. Cum enim hæc habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt. Quinto in signum elongationis ab omni carnalitate. Unde super illud Exodi: Solve calceamentum de pedibus tuis, &c. Glossa: Quia nullus Deo assistere, vel Deum videre potest, nisi cuncta desideria carnalia deponat. Sexto ad perfectæ virtutis insigne. Unde Gregorius Nazianzenus in laude religiosorum quorumdam sui temporis, post ipsorum dispersionem lugens & flens. Desiderabam, inquit, & intentis ac pendentibus oculis requirebam sanctum illum canentem chorum, laudem & gloriam offerentium Deo qui in lege Domini meditantur die ac nocte, qui ad exemplum & commotionem melioris vitæ omnibus vivunt, legis Dei atque Evangelii Christi taciti prædicatores. In quibus ipse quoque habitus præfert virtutis insignia, hirsutum caput, incultis & horrentibus comis, pedes nudi, & Apostolis similes. Indumenti vilitas, arrogantiam sæculi superbiamque condemnans, zona ipso suo neglectu pretiosior, parum quid cohibens necessitati. Ne igitur nuditas pedum quæ de se afflictiva, & despicabilis est, tamquam inutilis, & erronea, detestabilis habita tollatur de medio. Idcirco in medium has Patrum auctoritates adduximus, non quia calceamenta reprobanda censeamus, nec quia calceatos de imperfectione notemus, cum & calceatorum & discal-

Act. 12. *Luc. 22.* *Chrys. ho. 22. in Matt.* *2. Reg. 15* *Isa. 20* *Matt. 10* *Exod. 3* *Greg. Nazian. orat. 12 non lon. ge a prin.*

calceatorum habitus, & loculos habentium & non habentium, professiones considerationibus, & causis diversis Domino placeant, & multiformi quadam varietate sponsam Christi circumdatam, decoram, perfectam, & admirabilem reddant.

Frustra igitur ad contumeliam nil habentium pauperum, quos supra de hæresi, ac simulatione notaverat sanctam matrem Ecclesiam vanis, & falsis quibusdam laudibus, quasi mendacio suo indigeat, a vitio simulationis excusat, cum subsequenter annectit: Sancta vero mater Ecclesia supra montem posita, hæc se non habere non simulat, non quia harum rerum dominium habeatur, sed pro capite suo legatione fungens, eas fidelissime dispensat. Hæc verba ipsius, in quibus duo contraria simul implicat, cum dicit, quod Ecclesia hæc se non habere non simulat, & postea subdit, quod nequaquam harum dominium habeat. Si enim ostendit Ecclesia se habere & sine simulatione, veraciter igitur habet, quia possidet jure, ac per hoc rerum dominium sibi veraciter vendicat. Qualiter igitur dicit, non quia rerum dominium habeat, sed quia dispensat. Non enim dicimur veraciter habere, quæ dispensamus tamquam aliena, sed quæ possidemus tamquam nostro jure mancipata. Porro si Ecclesia ostendit res temporales habere, & tamen non habet, contraria Manichæis simulatione laborat, dum illi simulant se non habere quod habent; hæc autem simulat habere in specie, quæ tamen non habet in veritate. Si autem Ecclesia non se habere asserit, non secundum veritatem, ut dicit, aliquid habet, non habere temporalia bona, ac per hoc nec etiam loculos sanctæ matri Ecclesiæ veraciter competit. Ut quid igitur non habentes loculos, & se non habere profitentes, & simulatores & hæreticos criminatur & damnat? Si vero, ut diximus, & vere habet, & veraciter habere se asserit, falso igitur bonorum Ecclesiæ dominium ab Ecclesia tollit, & sibimet etiam contradicit. Amplius si rerum dominium non competit sanctæ Ecclesiæ, ut dicit, quicumque rei alicujus dominium habent, exclusi sunt ab Ecclesiastica unitate, quod absque dubio spectat ad impietatem Manichæorum, sicut evidenter patet per allegatam superius auctoritatem Augustini contra Faustum. Dum igitur Christi pauperibus Manichæorum impietatem impingit, in eam quam facit foveam incidit, & in lacum demergitur quem effodit. Quod si dicat se non intelligere de universali Ecclesia, sed particulari, utpote Ecclesia clericorum, adhuc false, & impie sentit, dum omnes clericos habentes proprium, ab Ecclesiæ unitate secludit. Nequaquam igitur asseri potest, Ecclesiam temporalia hujusmodi universaliter non habere, nec ejus contrarium, scilicet universaliter habere, cum quidam salva veritate Evangelii, & statu salutis, veraciter habeant sicut propria, quia sunt communia, quidam etiam utrisque careant, secundum quamdam perfectionis Evangelicæ formam superius jam expressam. Verum quidem est, quod decimæ, & oblationes Domino debentur, & jure divino deputantur Ecclesiæ, verum etiam nihilominus est; quod possessiones immobiles, ut agri, villæ, castra, civitates, comitatus, non tantum in jure divino, sed etiam humano in possessionem transeunt Ecclesiarum. Quod quamquam prudentibus omnibus virisque peritis luce clarius constat, tamen ad imperiti, & procacis hominis revellendam proterviam, sacris Canonibus ostendendum est. Nam si quis de clericis documenta, quibus possessio Ecclesiæ firma tenetur, aut supprimere, aut negare, avertere, aut fortasse tradere damnabili & punienda obstinatione præsumpserit, quidquid pro absentia documentorum damni Ecclesiæ illatum est, de propriis facultatibus reddat. Item ait Gregorius dicens: *Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore, alienas invadere non oportet.* Amplius ex concilio Aga-

Greg. Reg. l. 2. ind. ep. 43. ad Bonifacium epis. & refer. 12. q. 2. c. Sicut.

thensi: Si servos Ecclesiæ libertate Episcopus donaverit ea quæ in manumissione data illis fuerant, perpetua firmitate tenebunt. Hæc Canon. Habet igitur Ecclesia servos. Sed ubi vera servitus, ibi verum dominium. Si igitur Ecclesia habere potest servos originarios, & ascriptitios, veram concluditur habere proprietatem, veramque possessionem. Insuper quod distinctis Ecclesiis distincta dominia competant, aperte probatur per jura. Nam 16. q. 2. Nicolaus Papa: Si quis Episcoporum in alienæ civitatis territorio, pro quacumque suorum infirmitate Ecclesiam ædificare disponit non præsumat dedicationem facere, quæ illius est, in cujus territorio Ecclesia surget. Item eadem causa q. 3. Gelasius: Istud annecti placuit, ut si, quod absit, facultates Ecclesiæ necnon diœceses ab aliquibus possidentur Episcopis, jure sibi vendicent, quod lex decimalis conclusit, quia & filiorum nostrorum principum ita mandavit auctoritas. Amplius quæstione eadem inter memoratos, ubi dirimitur quæstio limitum ait Innocentius: Si limes legitimus eamdem Basilicam non concludit, & tamen longi temporis probatur objecta præscriptio, appellatio præsentis Episcopi non valebit, quoniam illis tricenalis objectio ponit silentium. Hæc etiam sæcularium edicta principum præcipiunt, & præsulum Romanorum decrevit auctoritas. Hæc Canon. In quibus non solum astruitur quod Ecclesiæ verum dominium habeant atque distinctum, quia mutuo inter se præscribunt, verum etiam quod id habeant secundum jus divinum pariter & humanum, pro eo quod præscriptio, sicut ex præallegato Canone patet, ab edicto principum trahit originem, approbato nihilominus per summi Pontificis auctoritatem. Hoc autem probatur patentius 11. quæst. 1. ex verbis Ambrosii contra Auxentium: Si tributum Imperator petat, non negamus, agri Ecclesiæ solvant tributum. Sed qui ad tributum Cæsaris tenetur ratione prædiorum, prædia illa non tam divino jure possi-

A det, quam humano, Salvatore teste, qui ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Amplius distinctione 8. ex verbis Augustini super Joannem: Quo jure defendis villas Ecclesiæ divino aut humano? Divinum jus in divinis scripturis habetur, humanum in legibus regnum. Unde quisquis possidet quod possidet, nonne jure humano? Nam jure divino, Domini est terra, & plenitudo ejus. Hæc Augustinus. Idem quoque super Joannem: Noli dicere quid mihi & regi? Quid ergo tibi & possessioni? per jura enim regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa jura

B humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. Quid his clarius dici potest, ad ostendendum, quod Ecclesia temporalia bona veraciter possidet, jure divino pariter & humano? Verum quia sacri Canones asserunt, quod ea quæ offeruntur Ecclesiis Domino consecrantur, & quod earum dominium non habent, igitur Ministri earum ea proprietate damnabili vendicant, & quod bona hujusmodi magis sunt cœlestia quam humana magis communia quam privata; ideo ut omnis contradictionis & dubietatis caligo tollatur de medio, intelligendum est, quod quadruplex est temporalium re-

C rum communitas, ex quadruplici jure manans. Prima namque communitas, quæ manat ex jure necessitatis naturæ, qua fit ut omnis res ad naturæ sustentationem idonea, quantumcumque sit alicui personæ appropriata illius fiat qui ea indiget necessitate extrema. Et huic communitati renuntiare non est possibile pro eo quod manat ex jure naturaliter inserto homini, quia Dei est imago & creatura dignissima, propter quem sunt omnia mundana creata. Secunda communitas est, quę manat ex jure charitatis fraternæ, qua fit ut omnia sint justorum & communione quadam charitatis quæ sunt propria singulorum, fiant universorum communia, secundum illud

Apo-

1 Cor. 3 Apostoli: Omnia vestra sunt. De qua Augustinus ubi supra loquens contra hæreticos Donatistas. Veniant, inquit, ad Catholicam fidem, & nobiscum habeant non solum terram, sed eum qui fecit cœlum & terram. Et huic communitati renuntiare, est omnino illicitum, quia manat ex jure divinitus infuso, per quod est unitas in columba, idest in universali Ecclesia, a qua unitate & communione nullus potest discedere, servata divina lege, quæ tota completur charitate. Tertia est communitas, quæ manat ex jure civitatis mundanæ, qua fit ut unius imperii regni, vel civitatis una fiat respublica, vel unius societatis, mercatorum vel pugnatorum commune fiat lucrum vel damnum, vel unius indivisæ familiæ una sit communis hereditas. Et huic communitati renuntiare est de perfectionis Evangelicæ necessitate, quia talis communitas personalem includit proprietatem, quæ manat ex jure humanitus instituto, cui etiam annexa sunt quæ occasionaliter inducunt difficultatem ad bonum, & pronitatem ad malum, ac per hoc perfectioni Evangelicæ adversantur. Et ideo animæ sanctæ hujusmodi suadetur dimissio, ut in Psalmis:
Psal. 44 Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. Quarta communitas est, quæ manat ex jure dotationis Ecclesiæ, qua fit, ut omnia bona, quæ conferuntur Ecclesiis, Domino dedicentur, ad communem sustentationem ministrorum suorum, & pauperum. Et hæc communitas est in omnibus Ecclesiis collegiatis habentibus possessiones. Et huic communitati renuntiare, non est perfectioni necessarium, quia teneri potest salva perfectione, sicut apparet in Prælatis, & in Religiosis perfectis & sanctis: quia talis communitas manat ex jure divinitus ordinato, ut de altari vivat, qui altari servit, & illis sunt omnia communia, quibus cor unum & anima una, unus pater spiritualis, & una norma vivendi. Huic tamen communitati renuntiare non est perfectioni contrarium, quin potius faciat ad Evangelicæ perfectionis cumulum, pro eo scilicet quod talis communitas quamquam manat ex jure divino, manat etiam ex humano, ut quia non solum spiritualis, verum etiam temporalis, & quia licet in ea non concludatur personalis proprietas, includitur tamen proprietas collegialis, cujus etiam quælibet persona de collegio particeps esse dignoscitur: non solum quantum ad usum, verum etiam quantum ad dominium, dum unusquisque ipso jure actionem habet ad res Ecclesiæ suæ recuperandas, & exceptionem ad defendendas, quod vere declarat dominii rerum ipsarum agentem, vel excipientem aliqualiter esse participem.

B Quoniam igitur valde difficile est, omnibus abdicatis in sola paupertate gaudere; difficile nihilominus omni proprietate exclusa, sola Ecclesiastica esse contentum: ideo utrumque perfectum, non secundum humanam traditionem, ut adversarius pauperum asserit, sed secundum jus divinitus institutum: maxime cum hoc comitetur castitatis votum cum propriæ voluntatis abnegatione. Si quis vero pro sola abdicatione mundalium facultatum, cum retentione quantalibet Ecclesiasticorum redituum clericos asserat esse perfectos, eos vero solos imperfectos & claudos, qui quantumcumque exiliter de patrimonio vivunt, sicut hic calumniator
C pauperum dogmatizat, Ecclesiasticæ perfectioni non modicum derogat. Quis enim quantumcumque parum intelligens non advertat, hoc esse insanum dicere, quod aliquis clericus de patrimonio victitans, vix habens victum & vestitum, sit imperfectus & claudus; qui autem quantoscumque reditus habet Ecclesiæ, si paternis bonis renuntiet sit rectus atque perfectus? Quis ita claudus mentalibus pedibus, qui non libenter statum hunc mutaret in illum? Numquid talis est Evangelicæ veritatis perfectio, quam velut sublimem & arduam Christus commendat & prædicat, ad qualem quis infirmus, imperfectus, claudus, cupidus, superbus, carnalis aspirat: Mirum certe si via hæc nova, per quam aut nul-

nullus, aut rarus, perfectus, sive imperfectus incessit, antiquis præferenda est semitis, ut clericus sumptus ad Ecclesiasticos reditus, omni se denudet proprietate. Quis enim sæcularium clericorum nostris temporibus hoc perfecit? quis proposuit, quis etiam somniavit ut in susceptione Ecclesiastici beneficii, paterna bona cum his quæ habere posset, distraheret & erogaret pauperibus? & ipse deinceps voveret nihil habere proprium, soloque foret victu atque vestitu contentus. Hujusmodi propterea statum, qui vix aut numquam in aliquo reperitur, extollere nihil aliud est, quam corvinam albedinem prædicare, nil certe aliud quam proprii capitis sententiam veritati jam notæ præponere, ut sic filii hominum gravi corde diligentes vanitatem, & quærentes mendacium a Christi vestigiis avertantur, suaque sequantur phantasmata, errantes in invio, & non in via. Nec tamen negamus, eos qui bonis Ecclesiasticis contenti sola necessaria retinent, & reliqua omnia pauperibus conferunt, ad quamdam perfectionem pertingere: perfectioni tamen religiosorum pauperum nullatenus coæquandam, sicut supra monstratum est tertia parte responsionis primæ. Huic ergo suisque complicibus a Salvatore veraciter dicitur: *Matt. 23* Væ vobis hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis intrare. Si enim per hanc venenatam doctrinam nonnulli credentes in sæculo se esse perfectos, retrahantur a religionis ingressu, nulli dubium est, quin sanguinem animarum illarum, quæ propter hoc in suorum peccatorum fæcibus remanserint, justus judex de ipsorum manibus in examine districto requirat, nisi per suam clementiam, ut oramus, eosdem veritatis suæ luce perfusos dignatus fuerit ab erroris devio revocare.

RESPONSIONIS QUARTÆ,

Caput Secundum.

In quo professio fratrum Minorum veraciter carere ostenditur, & appropriatione rerum immobilium sive mobilium, & proprietate pecuniarum, tam in proprio, quam in communi.

Arrogantium hominum tumidæ mentes, qui mundi hujus vanitate pascuntur, gloriam sibi videntur conquisivisse non modicam, si veram simplicium sanctitatem visi fuerint simulationem dolosam arguere, eorumque prudentiam spiritus, ut insaniam reprobare. Quod ut efficacius perficere queant, bona frequenter in mala convertunt, & in electis maculam ponunt. Verum est quidem, quod propter humanæ infirmitatis corruptelam, vix reperiri potest aliqua persona, vel status, ab omni macula reprehensionis immunis, sed & nos veraciter inficiari non possumus, quin inter perfectionis Evangelicæ professores perversi sint aliqui, & imperfecti quamplurimi. Si igitur is cui respondemus, insolentium vitia reprehenderet, præconia laudum reportare deberet, si etiam generaliter in personas maledicta congereret, deceret Evangelicos viros ori suo silentium imponere, præsertim si divino motu id ageret, & per patientiam dissimulando convitia pro maledicente rogare. Nunc autem quia in totam Christi pauperum religionem, venenatorum eloquiorum tela convertit, eorumque professioni erroris, & simulationis crimen impingit, necesse habemus, procacitati ipsius resistere, non quia velimus maledictiones pro maledictionibus reddere, sed quia sacram religionem intendimus ab objectis criminibus excusare. Assumens ergo personam Ecclesiæ adversus pauperes præfatos invehitur, velut contra hostes ipsius. Num, inquit, derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere

nere cum canibus gregis mei, aperte insinuans per hoc religiosos contra quos loquitur objurgandos, ut Ecclesiæ inimicos, & adversus Ecclesiam insurgentes, ipsamque ut irrisores habentes contemptui, cum tamen, ut dicit vita ipsa, (putentur indigni, steriles egestate ac fame, & in terra penitus non parentes. Quod quidem nihil aliud est, quam patrem suum Christi Vicarium a quo status hujusmodi approbatus est, subsannando despicere, & partum sacræ Matris Sponsæ Christi Ecclesiæ irridere. Et ideo juxta Salomonis sententiam, ipsius est oculus a corvis & aquilis, veritatis scilicet æmulatoribus eruendus, ac per hoc veraciter contra hunc & complices ejus, novorum dogmatum inventores dicere potest Ecclesia: Nunc derident me juniores tempore, ut sic ictu proprio iniquus oculus eruatur, dum sagitta ferire nititur, ipse feritur. Dehinc zelum & verbum Apostolicum sibi usurpans, cum tamen Apostolicæ perfectionis impugnator magis sit quam imitator, subsequenter annectit: Utinam sustineretis me modicum. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Quid vos præ ceteris jactatis de perfectione? Hæc verba ipsius. In quibus Apostolicæ humilitatis oblitus, illud omittit quod potissime potuit dicere modicum quid insipientiæ meæ, dumque non insipienter, sed sapienter loqui se reputat, justo Dei judicio stultus effectus, in multas & magnas prorumpit insanias. Omnia enim fere quæ subsequenter allegat, non solum insipientiam, sed & nequitiam sonant. Nequaquam enim, ut dicit nos præ ceteris de perfectione jactamus, quamquam paupertatis celsitudinem, tamquam veræ perfectioni consonam commendemus. Nam sicut veraciter præfertur virginitas cuilibet gradui pudicitiæ, nec tamen ex hoc sequitur; quod status sacrarum virginum præferatur statui prælatorum vel virorum quorumlibet, qui ad hanc minime stringuntur, sic & circa differentias & gradus paupertatis oportet intelligi. Unde nec ille ait, ut asserit, quod hic

Prov. 30

Job 30.

2. Cor. 11

A status pauperum sit perfectior aliis, qui sibi aliquid retinent, nisi cum hac conditione, paribus conditionibus aliis ad perfectionem requisiti, sed nullus est omnino status, in quo conditiones omnes cum statu præfato per omnia parificentur. Non ergo potest ex hoc argui, quod omnibus statibus, vel alicui omnium, præferat statum suum. Magnæ ergo fuit malignitatis occasione unius sermonis veracis, & humilis, librum plenum invectionibus, & criminationibus falsis componere adversus totum ordinem pauperum, quasi parum superbo visum fuerit, in unum Mardochæum, mittere linguæ manum. Propter quod & detractiones

B in libello conscriptæ manifeste declarant auctorem non æmulatione Dei fuisse succensum, sed potius stimulatione illius cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. Ceterum confusionis Babylonicæ filius, ut universos confundat Ecclesiæ status pro viribus conatur astruere, quod nullus sit gradus, nullaque differentia in paupertatis professione. Nam quibusdam frivolis interpositis, subsequenter subjungit: In quo ergo gloriamini contra ministros Ecclesiæ? quia sicut nec vos, ita nec ipsi sunt possessores, quibus Dominicarum possessionum tantum usus conceditur non dominium, in tantum beatiores ac præferendi, quod res quibus utun-

C tur æternum habent dominium, sed vestræ res sub potestate sunt terrestrium dominorum. Hæc verba ipsius. In quibus omnia confundit, atque in tantum pervertit, ut in paupertate gradus non sit, aut si est, præferendus sit status clericorum Ecclesiasticis reditibus affluentium, statui quantumlibet pauperum, & pro Christi amore nihil habere volentium, quia illi utuntur rebus cœlestis, & sempiterni dominii, hi terreni, quasi Christus exclusus sit a dominio rerum, quas laici possident, cum tamen sit Dominus universorum, & quasi Ecclesia non habeat rerum temporalium verum dominium, cujus contrarium evidenter monstratum est supra, & in hoc ipsius matris paupertatem fallaciter insinuat, ut po-

testatem veraciter impugnet. Denique si verum est quod Ecclesia non habet cum suis ministris rerum dominium, sed tantum usum, ut quid consequenter professionem calumniatur pauperum, dicentium se nullarum rerum habere dominium quamvis habeant usum dicens, quod omnibus videatur hoc esse ridiculum, cum eorum quæ per ipsum usum penitus consumuntur, ab usu dominium inter homines nullatenus distinguatur? Et dehinc irridendo subjungit: Ceterum quorum sunt pecuniæ quas per provincias non cessatis a divitibus petere, & in unum congregare, nisi aliquid habeatis commune? Ut igitur præfatis, & his similibus cavillationibus malignis, & subdolis imponatur silentium, intelligendum est, quod cum circa res temporales quatuor sit considerare, scilicet proprietatem, possessionem, usumfructum, & simplicem usum, & primis quidem tribus, vita mortalium possit carere, ultimo vero tamquam necessario egeat: nulla prorsus professio potest esse, omnino temporalium rerum abdicans usum. Verum ei professioni, quæ sponte devovit Christum in extrema paupertate sectari, condecens fuit universaliter rerum abdicare dominium, arctoque rerum alienarum, & sibi concessarum usu esse contentam. Unde & in ipsorum regula continetur: Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Porro ne quis forte proprietatem interdictam in his verbis credat non collegio, sed privatis personis; audiat quid super hoc Gregorius IX. fratrum consultationi respondet. Dicimus, inquit, quod nec in communi, nec in speciali, debent proprietatem habere, sed utensilium, & librorum, & eorum quæ licet habere: ordo usum habeat, & fratres secundum quod Generalis, vel Provinciales ministri disponendo duxerint, his utantur. Nec debent vendi mobilia, vel extra ordinem commutari, aut alienari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis gubernator Generali, vel Provincialibus ministris, auctoritatem

A super hoc præbuerit, vel assensum. Hæc verba rescripti Papalis. In quibus sapiens, & pius antistes, proprietatem separavit ab usu, illam sibi, vel Ecclesiæ retinens, hunc autem fratrum necessitati concedens, sancte quidem, sapienter & pie. Si enim temporalia bona pro aliis possidere ac dispensare, ubi etiam temporale recipitur emolumentum atque solatium, nihil de ratione perfectionis in prælatis diminuit, sicut ex tertia responsione clarescit; quanto magis cum solum præsidium impenditur, & nullum temporale commodum expectatur, ipsius summi Pontificis salvatur perfectio, & ei accrescit meritum ante Deum? Quod si

B forte his quisquam conetur obsistere, ex eo quod jure cautum est, usum non posse perpetuo a dominio separari, respondebimus quod lex ista civilis non habet hic locum, quia hoc ideo jus civile decrevit, ne dominium inutile videatur, ac per hoc inane sit omnino: Nam retentio dominii hujusmodi rerum, cum concessione usus facta pauperibus non est infructuosa, cum sit patri pauperum meritoria, & professioni filiorum Christo famulantium opportuna. Nec obstat quod adversarius obiicit de rebus quæ usu consumuntur, quod in eis proprietas non separatur ab usu. Hoc enim fallit in peculio profectitio filii familias, ubi filius familias

C usum habet, & tamen proprietas, nec ad momentum residet penes ipsum. Sic & de ordine hujusmodi pauperum, respectu Romanæ Ecclesiæ intelligi debet. Sunt quippe de jure communi omnes Christi fideles summi Pontificis filii, peculiari tamen quodam jure hi sunt ejus obedientiæ subditi & curæ commissi, & ideo cum alii sint tamquam filii emancipati, quibus licet auctoritate juris eis indulta, de bonis Ecclesiarum suarum sine dilapidatione disponere, hi sunt tamquam parvuli & filii familias totaliter ipsius regimini deputati. Propterea sicut lege cavetur quod filius familias, nec retinere, nec recuperare possessionem rei peculiaris potest, sed patri per eum quæritur, sic & in his pauperibus

in

intelligendum est, quia rerum eisdem collatarum ad sustentamentum ipsorum, patri pauperum deputetur dominium, illis vero usus. Sane quemadmodum essentiale cujuslibet religionis statui esse dignoscitur, quod nulla persona privata possideat aliquid proprium, sic nec hujusmodi pauperum religio tota, quæ quidem ad abdicationem proprietatis censetur, sicut una persona. Quemadmodum igitur monachus, vel quivis religiosus utitur vestibus, calceamentis, cibis, ac ceteris quæ usu consumuntur, ita tamen quod nihil sibi appropriat quo ad privatum dominium, nec propter talem usum efficitur proprietarius, quia proprietas semper collegio reservatur, sic & de collegio istiusmodi pauperum, summoque Pontifice intelligere debet, quicumque de professione ipsorum sentire vult tam vere, quam pie. Et propterea, sicut illud quod datur Monacho, qualiscumque sit intentio dantis, non in ipsius transit dominium, sed totius collegii, & subjacet dispositioni Abbatis, etiam si dans nihil de collegio cogitet, sic quidquid, congregationi minorum fratrum, in jus, dominium, & proprietatem summi Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ transit: præcipue cum ipsi fratres jus, seu proprietatem alicujus rei, sibi acquirere nulla ratione intendant. His autem quæ dicta sunt, suffragatur legis naturalis dictamen, evidenter explicatum per jura civilia. Nam lege cavetur, quod non potest libertas nolenti acquiri, & quod beneficium invito non datur, & quod nemo donatum assequi, & damnosam seu lucrosam hereditatem nemo adire compellitur. Insuper sicut rerum universitas, puta hæreditas solo animo acquiritur, ita solo animo contrario repudiatur, & sicut nuda voluntate extraneus heres fit, ita ex contraria destinatione statim ab hereditate repellitur. Propter quod & Jurisconsultus Julianus ait: Pro herede gerere, non tam facti, quam animi est. Cui & alius, scilicet Jurisconsultus, consonat dicens: Furiosus & pupillus sine tutoris auctoritate non possunt incipere possidere, quia affectionem tenendi non habent, licet res suo corpore contingant, sicut si dormienti aliquid in manu ponatur. Patet igitur per hæc verba legis expressa, neminem posse proprietatem, sive dominium, immo, nec possessionem acquirere, nisi vere, vel interpretative, animum habet acquirendi. Cum igitur fratres minores animum acquirendi non habeant, quin potius voluntatem contrariam, & si res corpore contingant, nec dominium, nec possessionem acquirunt, nec rerum hujusmodi possessores, vel domini dici possunt. His aut robur præbet Pontificalis auctoritas, quæ tam eminens est, ut omnia jura humana transcendat, ut extra, de majoritate & obedientia, cap. Solitæ. Ad firmamentum cœli, id est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est, duas instituit dignitates quæ sunt Pontificalis auctoritas, regalisque potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est, quæ autem noctibus, id est carnalibus, minor: ut quanta est inter Lunam & Solem, tanta & inter reges, & Pontifices differentia cognoscatur. Cum igitur tantæ sit auctoritatis potestas imperialis, ut non arctetur legibus, sed ipsa sit legis origo, & in tantum possit, ut ea quæ fuerunt, pro non factis habenda statuerit, ut patet in lege postliminii, qua bello captus & servus effectus, decernitur semper fuisse liber & præsens, & ea quæ non fuerint pro factis habenda decernit, sicut patet C. de inofficioso testamento, in quo de postliminio nulla fit mentio, & tamen judicatur mentio facta. Si inquam, tantum potest Regalis potestas, multo fortius Pontificalis auctoritas, quantumcumque usus & dominium in aliquibus rebus secundum jus civile censeantur esse conjuncta, decernere poterit in personis aliquibus esse separata. Quod circa Ordinem prædictorum fratrum Minorum Christi Vicarius sua auctoritate confirmans, sic esse decrevit, cujus diffinitioni contraire nullatenus licet. Nam Gregorius ait: Nulli fas, vel velle, vel

posse

posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis voluerit Apostolicæ sedis contraire decretis. Nulla igitur possunt ad hujus status impugnationem allegari jura civilia, nulla etiam jura canonica. Nam extra de electione, can. Romanæ Ecclesiæ, legem nulla concilia præfigunt, cum omnia concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem & facta sint, & robur acceperint, & eorum statutis Romanæ Ecclesiæ patenter excipiatur auctoritas. Nulla etiam præcedentium Pontificum statuta obsistunt, ut extra de electione cap. Innotuit, ubi dicit Innocentius tertius. Per prædecessorem nostrum non fuit nobis adempta facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari post eum immo eadem potestate functuris, cum non habeat imperium par in parem. Et hæc quidem dicta sufficiant, ad cavillationes malignantium hominum revellendas. Nam quantum ad testimonium veritatis summi legislatoris Christi Solisque justitiæ exemplum sufficit, atque consilium. Qui cum sit juris naturalis, civilis, canonici, ac divini principalis origo, sacro suo sanxit eloquio temporalium rerum dominium abiiciendum esse præfectis, cum tamen sufficientiam quantum ad usum eisdem concesserit, promiserit, atque persolverit. Insuper ut quod docebat verbo, confirmaret exemplo, alieno cibo voluit sustentari, sicut Evangelica narrat historia. Et Hieronymus ad Nepotianum dicit, & evidentius patet ex præcedenti responsione.

Porro de dominio pecuniarum, quæ ad sustentationem præfatis fratribus conferuntur, indubitanter tenendum est, quod nullatenus ad ipsorum collegium spectat, cum in ipsorum regula sit præceptum, quod fratres nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. Et ut omnis tollatur de medio calumniandi materia, intelligendum est, quod persona interposita, cui pecunia dispen-

A sanda committitur, intelligi potest recipere, ac tenere ipsam auctoritate dantis, vel auctoritate illorum, pro quorum necessitate relevanda donatur. Si auctoritate dantis retinet & dispensat, sic ipsius est procurator, seu nuntius, & dans potest repetere, recipere, & agere contra eum in causa, ad recuperationem pecuniæ, non autem ille pro quo dispensanda committitur. Et hoc non debuit, nec potuit inhiberi pauperibus mendicantibus, quin per interpositam personam, ipsorum valeat relevari necessitas, quia valde absurdum est intelligere, quod cuivis diviti non liceat eleemosynam per seipsum, aut per alterum, pro sua vo-

B luntate conferre. Quod si reservet auctoritate illius pro quo dispensanda est, ei competit, & in causam trahere, & cetera agere, quæ potest quisquis, verum rei sibi vendicavit dominium. Et hoc, quia professioni fratrum nullatenus convenit, beatus Franciscus expresse inhibuit, quia secundum veritatem quantum ad proprietatem rei non refert, utrum quis hoc modo recipiat per propriam manum, vel alienam. Hanc autem differentiam, & naturalis ratio docet, & jus scriptum Papale declarat. Sicut enim multum refert, utrum qui ministrat alicui, sit ipsius servus, vel alicujus excellentioris personæ minister, pro cu-

C jus voluntate & imperio ministerium illud impendit: quemadmodum differunt ministerium servile & liberale, ministerium humanum & Angelicum: sic multum differt utrum ille intermedius nuntius personam teneat dantis, vel accipientis. Secundum etiam jus civile multum differt, cum creditori debitor pecuniam soluturus alicui intermediæ personæ committit, utrum ille medius sit procurator debitoris, an creditoris. Si enim procurator est creditoris, & pecunia perdatur ante solutionem, ipsi creditori perditur, & jam pro soluta habetur. Si autem procurator sit debitoris, ipsi perditur, & adhuc solvenda est, non pro soluta habenda. Juxta hunc modum Dominus Gregorius IX. vir utique tam divi-

no,

no, quam humano jure peritus, qui mentem beati Francisci plenius noverat, sic diffinitive respondet: Quod si rem sibi necessariam velint fratres emere, vel solutionem facere pro jam empta, possunt vel nuntium ejus a quo res emitur, vel aliquem alium volentibus sibi eleemosynam facere, præsentare, qui taliter præsentatus a fratribus, non est eorum nuntius, sed illius potius, cujus mandato solutionem facit, seu recipientis eandem, qui eleemosynam sibi commissam potest, sicut & dominus, apud specialem vel familiarem fratrum amicum deponere per ipsum, loco & tempore pro ipsorum necessitatibus, sicut expedire viderit, dispensandam. Hæc verba rescripti Papalis. Ex quibus patenter elucet, quod fratrum Minorum regula non discordat a vita, nec communis ipsorum modus vivendi discordat a regula. Nequaquam igitur profitentur, quod nullus eis provideat, & eleemosynam faciat per se, vel per interpositam personam, quia hoc collegio mendicantium pauperum, & impossibile foret & stultum: sed quod ipsi juxta formam in Evangelio traditam, Evangelicis viris pecuniam nullo modo possideant. Si forte quis dicat, in carentia pecuniæ nullam prorsus esse sanctitatem, non tam infert calumniam regulæ pauperum, quam Evangelio Christi, in quo Apostolis inhibitam fuisse constat pecuniam, sicut & textus expresse dicit, & sanctorum testimonia astruunt. Quod quidem nullatenus a magistro veritatis credendum est perfectissimis viris fuisse propositum, nisi scivisset, per hoc meritum eis accrescere perfectæ virtutis, & præcipuæ sanctitatis. Cum enim magnæ sit difficultatis, ignotas regiones, & aridas terras, sine sufficientia stipendiorum peragrare, quia tales necesse habent, vitam istam transigere in fame, siti, frigore, & nuditate, omniumque rerum penuria, si nullum hoc modo viventibus meritum sanctitatis accresceret, hoc dicere, hoc profiteri, sic vivere, nihil aliud esset, quam insanire. Verum sicut ex ultima præcedentis responsionis particula patet, penuriosæ paupertatis duodenario Apostolorum primo impositæ, duodecim sunt utilitates eximiæ, mirique valoris, quas typici rationalis duodecim lapides pretiosi designant. Et quia illos hostis hic pauperum ignoraverat, ideo margaritas has porcorum more conculcans, ore polluto in hæc blasphemiæ verba prorumpit. Si inquit, in pecuniæ carentia, sive ut non tangeretur, S. Franciscus sanctitatem credidit, vel perfectis a Domino inhibitam sancivit, audacter loquor coram Domino, quod erravit. Sed constans est, quod beatus Franciscus non ob aliud possessionem, seu contrectationem pecuniæ, imitatoribus suis inhibuit, B nisi quia in hoc esse aliquam sanctitatem, & pia fide credidit, & certa veritate cognovit: non quia mala sit pecunia, vel quia census formaliter sive causaliter sit in culpa, vel quia pecunia & contrectari possit, & non possit absque peccato, sed quia inter cetera quæ possidentur, pecunia maxime est illecebrosa, & de facili est illectiva, & distractiva non solum imperfectorum, sed etiam perfectorum, & quia Spiritu sancto dictante percepit, quod sanctitatis est non tantum peccata cavere, verum etiam occasiones peccatorum refugere: ideo veraciter in hoc sanctitatem credidit, & non erravit. Quod igitur hunc Christi imi- C tatorem præcipuum, ipsius insignitum stigmatibus ascriptum catalogo SS. & ab universa Ecclesia in veneratione susceptum, asserit errore deceptum fuisse, maxime in professione & observantia Evangelicæ vitæ, non solum ipsum impugnat, & universalem Ecclesiam, sed quod plus est Magistri veritatis, & Apostolorum ejus doctrinam blasphemat & vitam. Insuper & professores hujus regulæ tamquam approbatores erroris; ut alter Aman superbissimus, dignos esse judicat sententia temporalis mortis, & æternæ damnationis. Super qua quidem absurditate, quam aures piæ audire vehementer abhorrent, ipsis zelatoribus paupertatis sanctæ, magis lugendum credimus, quam loquendum, magis spiri-

ri-

ritualis Esther implorandum præsidium, quam versandum in pugna verborum. Te igitur sacrosancta Romana Ecclesia, tamquam alteram Esther elevatam in populis, ut Ecclesiarum omnium matrem, reginam, atque magistram, ad defensandam, & docendam, tam morum quam fidei veritatem, fiducialiter interpellat tuorum pauperum cœtus, ut quos genuisti ut mater, educasti ut nutrix, nunc etiam ut regina patenter ac juste defendas: cum idcirco dispositione faciente divina, Pontificalis, ac Regiæ potestatis verticem supremum adipisci merueris, ut in arduis necessitatis articulis, ad defensandum Christi populum parareris. Exurge igitur sancta mater, & judica causam tuam, quia si pauperum hic ordo Minorum, recte profitetur veritatem Evangelii, tuum est: si a veritate in professione a te sancita deviat, tuum est: ac per hoc si professioni hujusmodi sanctæ error impingitur, tu quæ illam sanxisti, errasse assereris, & quæ magistra veritatis hactenus extitisti, nunc de approbatione erroris argueris, & a quibusdam modernis præsumptoribus velut juris divini, & humani nescia derideris. Sed & tu Regina mundi dignissima, defensatrix pauperum, & humilium advocata, longe sublimius quam Esther exaltata in populis, & præparata in tempore Mardochæi, tui Francisci videlicet excitare clamoribus, ut interpellare digneris ad regem quatenus pauperum statum, quem tibi voluit esse consimilem, & speciali quadam germanitate conjunctum sacris tuis meritis clarificet & conservet. Quid enim magis dat paupertatis amori fomentum, magisque declarat prerogativam & gloriam, quam tua forma vivendi beatissima Virgo, & Mater Domini nostri Jesu Christi, quod adeo fuisti paupercula, ut sicut Evangelii historia sacra testatur, in ipso sacratissimo partu non haberes ubi reclinares Deum cœli, & Dominum exercituum, nisi in via publica itinerantium, & præsepio jumentorum? Porro si tu Virgo sanctissima, omnis es perfectionis exemplar, sicut perfectis imitanda est tua cum virginitate humilitas, sic etiam penuriosa paupertas. Constat autem tam per Evangelii textum, quam per assertionem Doctorum, quod tu in extrema vixisti temporalium facultatum inopia, cum Chrysostomus dicat, quod tu vix habuisti unam tuniculam, non ad decoris ornatum, sed ad nuditatis tegumentum; & Beda, quod in oblatione & præsentatione Regis Regum in templo, nec unum valuisti agniculum offerre, ideo more pauperum obtulisti par turturum, aut duos pullos columbarum. Qui igitur desiderio, professione, signaculo habitus, & observantiæ veritatem in hac tibi pauperie configurari studiosius satagunt, vere sunt de tuorum numero spiritualium Judæorum, quorum circumcisio non est in carne, sed in spiritu per hilarem supportationem multiformium penuriarum, & universalem abdicationem omnium temporalium facultatum. Hos igitur vere ac peculiariter tuos, pio digneris misericordiæ Regina favore ab hostili incursu potenter eripere, & adversus tunc hostem ipsorum pessimum triumphaliter dimicare, non ut cum Aman suspensus intereat, sed ut ejus humilietur superbia, damnetur protervia, illustretur intelligentia, rectificetur voluntas, ut spiritus salvus fiat. Luc. 11.

RESPONSIONIS QUARTÆ

Caput Tertium.

In quo Evagelizantium pauperum fructificatio multiformis ostenditur, eorumque status a multiplicibus cavillationum versutiis defensatur.

MUltiformis calliditatis nequitia serpens antiquus, sanctæ matris Ecclesiæ partui semper insidias parans, vetustam Pharaonis impietatem novissimis his diebus renovare conatur, dum per hominem quemdam Ægyptiacæ fraudis malignitate repletum, adversus Ecclesiasticam prolem, suggerere satagit, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiici, quidquid fœminei reser-

ſervari. Quid enim eſt aliud ratio- A nes ad virilem ſanctæ paupertatis ſpiritum inducentes, calumniando revellere quam effeminatorum cordium phantaſias, qui emollientium divitiarum affluentia commendatur, approbando roborare? Ad quæ duo calumniator hic pauperum in hac extrema operis ſui parte, omnes ſui vires conflat ingenii, quoſdam cavillationum modos jam pro maxima parte, in præcedentibus diſſolutos, frequentius replicans ad oppreſſionem pauperum Chriſti, quatenus ſpiritu paupertatis extincto ſpirituales Iſraelitæ multiplicari non poſſint, fruſtra tamen, quia divina opitulante clementia, ut veritas a figura non diſcrepet, quanto magis oppreſſi fue- B rint, tanto magis accreſcent. Et ne quis hæc, velut noſtram adinventionem parvipendat, audiat Bernardum in ſermone 3. ſic dicentem: Si quid [Bern. ſer. 3 in Epipha. ante med.] ad ſalutem pertinens, ſi quid religionis oritur, quicumque reſiſtit, quicumque repugnat, planæ cum Ægyptiis parvulos Iſraelitici *a* generis necare conatur, immo cum Herode, naſcentem perſequitur Salvatorem. [a in orig. germinis.] Nequaquam ergo caſu, ſed providentia Dei geſtum eſſe credendum eſt, quod inſtar Joſeph deſcendentis in Ægyptum, ad cuſtodiendas & diſtribuendas alimonias corporum, quem ut vere filium accreſcentem, creſcere fecit Deus in terra paupertatis ſuæ, ſtatus evangeli- C zantium pauperum mitteretur in mundum, ad conſervanda, & diſpenſanda documenta ſcripturarum, tamquam alimenta ſpirituum, qui etiam & ſacerdotum Chriſti curam gregis habentium, cooperatores exiſterent in his, quæ ſpectant ad ſalutem animarum. Eſt autem ſacerdotalis officii opus præcipuum, reductio plebium ſubjectarum in Deum, per ſeptiformem influxum hierarchicum, ſcilicet per eruditionem credibilium, per inſtaurationem virtutum, per exhibitionem exemplorum, interventionem precum, curationem plagarum hoſtilium, prænuntiationem inſidiarum, & repulſationem hoſtilitatum. Et hoc quidem ſeptiforme opus ſacerdotale, ſcriptura ſacra declarat ſub ſeptemplici metaphora ſcilicet architecti, agricolæ, paſtoris, fidejuſſoris, medici, ſpeculatoris, & ducis. Deſcribitur igitur primo ſub metaphora architecti pontificale officium propter eruditionem credibilium, ſecundum illud ad Corinthios: [1 Cor. 3.] Ut ſapiens architectus fundamentum poſui, quot enim ſunt lapides in ædificio; ſunt articuli fidei in animo, in quo habitat Chriſtus tamquam in templo ſuo, ſecundum illud Apoſtoli ad Epheſios: Superædi- [Eph. 2.] ficati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu, in quo omnis ædificatio inſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Et paulo poſt: Chriſtum habitare per [Ibid. 3.] fidem in cordibus veſtris. Ac per hoc ſicut ſe habet ædificator ad ædificium, ſic & ſacerdos ad populum, in fidei veritate fundandum & promovendum. Secundo ſub methaphora agricolæ propter inſtaurationem virtutum, quas irrigare debet per documenta ſcripturarum, ſecundum illud Apoſtoli ad Corinthios: Ego [1 Cor. 3.] plantavi, Apollo rigavit. Si enim Eccleſiaſticus populus hortus eſt, & Paradiſus plantatus, & virens multiformitate virtutum, recte informator plebium in doctrina morum, dicitur agricultor deſignatus per primum hominem, quem poſuit Deus in Paradiſo, ut operaretur, & cuſtodiret illum. [Gen. 2] Tertio ſub metaphora paſtoris, propter exhibitionem exemplorum, ſecundum illud Domini in Joanne: Qui intrat per oſti- [Joan. 10.] um, paſtor eſt ovium, & cum proprias oves emiſerit, ante eas vadit. Quod quidem facit, cum eas per ſanctitatis exemplum præcedit. Ideo [Joan. 21.] Petrus, cui Dominus dixit: Paſce oves meas; hortatur ſeniores, ſive presbyteros, ut populos ſibi commiſſos paſcant, tamquam facti forma gregis ex animo. Hæc autem [1 Pet.] eſt forma ſecundum documenta ſanctorum, ut quantum paſtor eſt præcellens reſpectu gregis, tantum vita ſacerdotalis ſit ſanctior & ſublimior vita plebis. Quarto ſub metaphora fidejuſſoris, propter precum interventionem ad Deum ſecundum illud

Heb. 10. illud Apostoli ad Hæbræos: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Agit igitur Pontifex causas hominum apud Deum, agere etiam debet causam Dei apud hominem suæ curæ commissum, secundum illud: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Propter quod sapiens in Proverbiis ait: Fili si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum animam tuam. Quinto sub methaphora medici, propter curationem plagarum hostilium, secundum illud quod insinuat Lucas in parabola illius, qui incidit in latrones, quod Samaritanus allegavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: designans per Samaritanum ipsum medicum Christum, & eos qui tenent locum ejus in expurgationem vitiorum. Propter quod & Jacobus dicit: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo sancto, & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Sexto sub metaphora speculatoris, propter prænuntiationem imminentium periculorum, secundum illud Ezechielis: Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel. De quo & consequenter adjungit: Quod si gladium supervenientem, hoc est imminentia discrimina tentationum suæ curæ commissis annuntiare neglexerit, sanguis illarum animarum de suis manibus requiretur. Septimo sub metaphora ducis ferentis vexillum ad repulsionem hostilitatum, instar illius nobilis Machabæi, qui induit se loricam sicut gigas, & succinxit se arma bellica, & protegebat castra gladio. Præest enim Ecclesiæ quæ est terribilis, sicut castrorum acies ordinata, & deputatur ad Salomonis lectulum custodiendum, quem sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Est itaque opus sacerdotalis officii septiforme, sicut dictum est. Si igitur propter multitudinem errantium a fide Christianus

3 Reg. 10. Prov. 6. Luc. 10. Jac. 5. Ezec. 3. 1 Mac. 3. Cant. 6.

A populus factus est jam similis ædificio ruinoso, quis providus architectus, coædificantes, & consustentantes repellit nisi adeo sibi sapiens videatur, quod solus sibi sufficiat, vel adeo stultus sit, quod velit, ut sub manu sua domus ecclesiastica ruat? Iterum si propter defectum sapientiæ & virtutum in plebeiis hominibus, comparatur ipsa plebs horto inculto & spinoso & arido, quis diligens & laboriosus agricola servos collaborantes repellit, maxime qui laborat in opere, & doctrina, nisi in tantum desipiat, ut velit quod super humum suam spinæ & vepres ascendant? Propterea si propter deviationem a semitis divinarum legum, B multitudo populi Christiani similis est gregi errabundo, & perdito, & in medio luporum constituto, quis clemens pastor fugabit a se harum ovium reductores ad viam, & non potius gaudebit cum Angelis exemplo boni pastoris, qui dicit. Congratulamini mihi, quia inveni ovem quæ perierat. Amplius si propter multitudinem reatuum plebis transgredientis mandata Dei, populus Christianus similis est viris alieno ære oppressis, quis fidejussor sensatus abhorrebit hujus oneris alleviationem per multiplicationem intercessorum ad Deum partim impetrantium remissionem, partim inducentium & adjuvantium ad solutionem spiritua- C lium debitorum? Insuper si propter varietatem perversitatum in populo, tanta est tabes, tanta pestilentia spiritualis, ut quasi omne caput sit languidum, & omne cor mœrens, ita quod a planta pedis, usque ad verticem vix est in eo sanitas, quis fidelis medicus, non dico peritos homines in arte spiritualis medicinæ, sed vel canes ulcera lambentes audebit effugare, nisi vulneratorum, atque languentium vitam velit extinguere? Adhuc si propter multiformitatem tentationum undique circumstant insidiæ crudelium hostium, & quasi super capita civium gladii jam vibrantur, quis providus speculator, in profundæ & horrendæ noctis teterrimis tenebris habere secum vigiles recusabit, qui castra custodiant?

Luc. 15. Isa. 1.

dicant? Postremo si propter scandalorum frequentias, adinventiones scelerum & inimicorum tyrannides, innumerabilis multitudinis strages, quasi continue fit in castris fidelium, & draco cum bestia multiformium capitum Ecclesiasticam aciem nititur oppugnare, ut truculenter discerpat, occidat, & devoret, quis prudens dux exercitus Domini, recusabit commilitones secum dimicantes habere, qui ultro se discrimini offerant, & murum pro domo Israel seipsos opponant? Porro, quis affectus Pontificis, sive sacerdotis ad plebem, debet esse consimilis affectui patris ad filium, matris ad prolem, nutricis ad infantem, sicut Apostolus manifeste declarat, qui fideles per ipsum conversos modo se dicit in Christo genuisse, modo ut filios parturire, modo sicut parvulos in Christo lactare: quemadmodum filium pauperculum sustentari, invalidam prolem foveri, & gementem infantem lactari nequaquam est patri, vel matri, vel nutrici molestum, sed desiderabile, charum, & placitum: sic etiam omnibus sacerdotibus sanctis, & piis, magnum debet esse solatium, quoties salus procuratur plebium subjectarum. Propter quod Dominus in Matthæo Apostolos alloquens & successores eorum: Messis, ait, multa, operarii autem pauci, rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, insinuans, quod bonorum Pontificum, non tam est patienter ferre, quam desideranter appetere cooperatores Evangelistas, ad multitudines divinarum messium colligendas. Quod attendens Christi Vicarius Petrique successor, ut pote sancti Spiritus illustratione præventus, statum hunc Evangelizantium pauperum, qui saluti animarum intenderent, tamquam cœlitus sibi missum, cum hilaritate suscepit, pietate confovit, auctoritate roboravit, & potestate defendit, & ut Patriarcha Jacob, tamquam filios accrescentis Joseph, multipliciter benedixit: pie in hoc providens saluti animarum, & nullo præjudicans auctoritati Pontificum, tamquam ornans non deornans Ecclesiasticam hierarchiam.

1 Cor. 4. Gal. 4. 1 Cor. 3.

Matt. 9.

A Tanta enim erat in adventu hujusmodi pauperum, prædicantium raritas, ut illud Evangelicum videretur impleri, messis quidem multa, operarii autem pauci. Quod pertractans Gregorius ait: Ecce mundus sacerdotibus plenus est, & tamen in messe Dei rarus invenitur operarius. Nam & si sunt qui bona audiant, desunt qui dicant, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Quantum vero prædicationis opus sit Ecclesiæ necessarium in se, pium, & Deo acceptum, manifeste Chrysostomus ostendit super Matthæum illud tractans verbum Dominicum, B quod discipulo dixit patrem sepelire volenti: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei. Ait enim: Numquid non erat ingratitudinis naturæ, non adire cum sepeliretur pater? Prohibuit ergo eum monstrans, quod nihil cœlestibus negotiis magis necessarium esse oporteret, & neque parum tardare, & si valde inevitabilia, & incitantia fuerint quæ retrahunt. Cum igitur sepelire patrem sit magnæ pietatis opus, & secundum sapientiæ dictamen divinæ, majori bono minus præferri non debeat; relinquitur, quod majoris pietatis est prædicare verbum salutis, quam facere opus quantumcumque C misericordiæ corporalis. Digne quidem pro eo, quod spiritualiter per ipsum cibatur & potatur, vestitur & hospitio colligitur, ab infirmitate relevatur, & a vinculis & a morte redimitur spiritus ad imaginem Dei factus: Et ideo cum gravis sit sceleris, prohibere quemquam ab operibus pietatis & misericordiæ corporalis, longe majoris impietatis erit atque perfidiæ, divini verbi ministris idoneis impedimenta præbere. Pensatis igitur multiformi utilitate, ac necessitate salutis animarum, numerositate indigentium plebium, & raritate sufficientium ministrorum, nulli debet videri injuriosum, & superfluum, si cœlesti hierarchiæ complacuit, aliquos ad hoc opus, & si non necessitate constrictos, sed cha-

Greg. hom. 17 in Ev. non longe a prin.

Chrys. homil. 28 super Matth. post med. Matt. 8.

charitate inductos eligere, quos & subcœlestis Hierarchia voluit & debuit approbare. Quod si cui forte videtur ordini dispositionis Hierarchiæ nequaquam esse conveniens monasticam vitam professos, ad opus prædicationis assumi, pro eo quod Dionysius dicit, monachos in Ecclesiastica hierarchia non habere statum perficientium, sed perficiendorum: & Hieronymus asserit, quod monachus non docentis, sed plangentis habet officium: & sacri Canones decernunt, quod monachi juxta sui nominis interpretationem solitariæ vitæ deputati, intendere debent saluti propriæ, non alienæ: intelligant hujusmodi dicta patrum & Canonum, de ordine monastico pro eo tempore fuisse pronuntiata, quo erant inter eos personæ laicales & imperitæ, non sacerdotales & litteratæ. Nam sicut idem vir hierarchicus docet, quod monachorum est purgari, illuminari, & perfici, sic etiam illud non reticet, quod purgare, illuminare, & perficere, ad ordinem spectet sacerdotalem. Insuper & professio hujusmodi pauperum, non parum distat a professione monachorum, & quod majus est, hujusmodi hierarchica opera non peragunt auctoritate sua, sed Ordinariorum, & potissime summi Pontificis, cujus dispositionis auctoritas omnia jura positiva transcendit. Nec ad hoc feruntur, secundum propriæ voluntatis arbitrium, sed juxta mandatum superiorum, a quibus instituuntur, regulantur, castigantur, & transmittuntur, ut veri filii obedientiæ, non ut Gyrovagi vel Sarabitæ, non secundum numerum vagum & infinitum, sed secundum certum & determinatum, atque utinam plures essent idonei, qui possunt assumi non in uno angulo terræ, sed potius in universalis Ecclesiæ latitudine. Nimirum hoc desiderare deberet cœtus Pontificum, ac cuilibet illos prohibere volenti id respondere, quod dixit Moyses ad Josue: Quid, inquit, æmularis pro me? Quis det, ut omnis populus prophetet, & det eis Deus spiritum suum? Quamdiu ergo hujusmodi pauperes leges divinas custodiunt, & Evangelica consilia servant, quæ promiserunt, & saluti animarum intendunt, & sanctæ matri Ecclesiæ humiliter subsunt, si quis eos repudiandos censeat velut pseudo-prædicatores, & seductores, & Gyrovagos, & penetrantes domos: subjacere debet justæ damnationis judicio, tamquam Ecclesiasticæ auctoritatis contemptor, fraternæ gratiæ invidus, & Evangelicæ veritatis impugnator.

Hiero. adver Vigilantium cir. fi.

Num. 11.

Demum ut via præcludatur erroribus, respondendum est cavillationibus quibusdam magis apparentibus, quibus calumniator hic pauperum, vitam ipsorum in hac extrema sui corporis parte depravare molitur: videlicet propter defectum laboris manuum, addicationem bonorum communium, & mendicationem eleemosynarum. Nam ex eo quod Apostolus ad Tessalonicenses quibusdam præcepit, ut cum silentio panem suum manibus operando manducent, & hujusmodi pauperes manualiter non laborant, ideo ipsos nititur redarguere & de otiositate vitæ, & de mandati Apostoli transgressione. Ad quod nos e contrario respondemus, quod sicut patet ex textu, non præcipit Apostolus laborem manualem omnibus generaliter, quia tunc omnes qui non vacant laboritiis hujusmodi, essent in statu damnationis, inter quos & ipse calumniator seipsum involvit, sed quibusdam dumtaxat otiose, curiose, & inquiete viventibus opus manuum imponit & imperat, ne blanditiis adulationum, & turpi quæstu victum sibi conquirant, cum dispendio salutis alienæ. Verum quia hujusmodi pauperes, qui suis & proximorum animabus salvandis intendunt, secundum septiformem operationem hierarchicam, in antedictis expressam, id perficere nequeunt sine adminiculo scripturarum; ad quarum præclaram intelligentiam pervenire non possunt nisi per studium sapientiale, quod consistit in legendo, meditando, orando, contemplando, audiendo, referendo, prædicando, ideo recte competit ejus-

2 Thess. 3

ejusmodi studii spiritualis operatio A septiformis. Et quia difficultas hujus studii totum hominem requirit, juxta quod designatum est in Exodo, ubi præcepit Dominus, quod vectes quibus ferenda esset arca semper essent in circulis. Quod exponens Gregorius ait: Qui ad officium prædicationis excubant, a lectionis studio numquam recedant. Ignominiosum est enim si tunc quis quærit discere, cum debet quæstiones enodare. Ideo qui huic studio septiformi sollicite intendunt, quia magis est sublime in se, difficile menti, expediens Ecclesiæ, & necessarium plebi, etiam si non laborent operibus manuum, digni tamen sunt, ab Ecclesia ut sustententur, secundum illud Deuteronomii: Non ligabis os bovis triturantis in area fruges tuas. Glossa: Victum non subtrahes prædicatori, ut vacet orationi, & prædicationi. Et alia Glossa ibidem: Occupati in doctrina, non possunt sibi providere necessaria. Ex quibus breviter constat, quod studium sapientiæ cum vigilantia prædicationis, manualem laborem plene recompensat. Huic & sacer Ambrosius consonat super illud Lucæ: Maria optimam partem elegit, dicens: Nec arguas eos otiosos, & judices, quos videas studere sapientiæ, hanc enim cohabitantem Salomon pacificus acquisivit. Denique Apostoli non putaverunt optimum, relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Huic etiam concordat Hieronymus: Si autem fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultus mei comederem panem, & ventris opus sollicita mente tractarem, nullus morderet, nemo reprehenderet: nunc autem quia juxta Salvatoris sententiam, operari volo cibum, qui non perit, falsarius vocor. Ad idem quoque facit quod super illud Psalmi: Defecerunt oculi mei, dicit Augustinus: Non est otiosus, qui tantum verbo Dei studet, nec pluris est qui extra operatur, quam qui studium cognoscendæ veritatis exercet. Ipsa etiam sapientia maximum habet opus, &

Exo. 26. *Greg. cur. pastoral. par. 2. c. 11.* *Deu. 25.* *Luc. 10.* *Act. 6.* *Hieron. in prolog. super Job.*

antefertur Maria quæ audiebat, Marthæ quæ ministrabat. Hæc Augustinus: Cui etiam concordat Anselmus, in libro de similitudinibus, ita dicens: Tres sunt hominum ordines, orantes, agricultores, & defensores, quos ad diversa officia Deus in hoc mundo disposuit, monachos, ut pro aliis orent, & lacte prædicationis enutriant: agricultores, ut de suo labore ipsi & alii vivant: milites ut utrosque defendant. Si igitur nobilius est opus monachorum, quam agricultorum, seu militum, & illi officiis suis intendentes stipendia sua juste merentur, multo magis & hi qui orando Deo assistunt, & ad proximos prædicando condescendunt. Nec his obstat B Augustinus in libro de opere monachorum, cum ibi loquatur contra quosdam hæreticos principaliter, qui vocabantur Euchitæ, asserentes monachis non licere, sustentandæ vitæ causa aliquid operari, male intelligentes Evangelium Christi, quos sacer Doctor per Apostoli documenta convincit. Simul etiam arguit monachos illos, qui cum pro majori parte essent laici, nec prædicationi, nec saluti animarum intenderent, non tamen volebant corporaliter operari, & quamquam fuissent in sæculo laboriosi & pauperes, jam professi monasticam vitam, ab aliis sumptus accipere non solum licitum sibi, sed etiam debi- C tum esse censebant. Contra quos Augustinus: Isti, inquit, fratres temere sibi arrogant quantum æstimo, ut hujusmodi habeant potestatem. Si Evangelistæ sunt, fateor, habent, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, si saltem aliquid habebant in sæculo, quo facile sine artificio sustentarent hanc vitam, quod indigentibus dispertiti sunt, credenda est eorum infirmitas & ferenda. Hæc Augustinus. Ex quibus colligitur quod quatuor generibus hominum digne & juste competit ab aliis pasci, quamquam propriis manibus possint laborare, scilicet qui alios pascunt, vel verbo & doctrina, vel altaris viatico, vel divinorum dispensatione sacra-

Anselm. in lib. de similitudin. c. 126. *Aug. lib. de oper. Mon. c. 21. tom. 3*

mentorum, vel suarum distributione facultatum. Secundum hæc igitur illi, quibus aliqua prædictarum conditionum competit, digni sunt ut de Evangelio vivant, illi vero quibus plures digniores existunt, quibus autem omnes utpote qui prædicant, celebrant, confessiones audiunt, & temporalium affluentiam contempserunt, maxime digni esse probantur. Quibus vero omnes desunt & validi sunt & pauperes, ne otiosi & infructuosi sint sibi, & onerosi Ecclesiæ, juxta sententiam Augustini laborare tenentur, nisi per hoc excusentur, quod eis qui præfatas conditiones habent, deserviunt & assistunt, & ideo cum eis sustentari merentur, juxta quod mysterialiter designatur in Job, ubi dicitur quod boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos, illaque astruitur lege sancitum, qua strenuus pugnator ille, David videlicet juste decrevit, quod æqua portio esset descendentium ad prælium, & remanentium ad sarcinas. Porro si aliqui quantumlibet idiotæ, ac simplices, tantæ sunt devotionis in prece, tantæ districtionis in vita, & tantæ ædificationis in populo, quod æque fructificent solo exemplo, quantum alii exemplo & verbo, excusant eos merita vitæ, etiam si desint verba doctrinæ. Hæc autem diximus non quia otiosos, aut otium approbemus, cum potius castigandos hujusmodi, & ad opera compellendos censeamus; sed quia propter difficultatem studii spiritualis, quod requirit hominem totum, & propter debilitatem corporum, & inexperientiam artium mechanicarum, rarus invenitur, aut nullus, qui more Apostoli Pauli manuali labori, & sapientiæ studio septiformi, efficaciter possit intendere. Et ideo compellere homines huic studio aptos ad opera manualia, non est aliud quam a sapientia revocare, & filiis Israel instar Philistiim, divinorum eloquiorum arma præripere, vel more Pharaonis operibus duris luti, & lateris, jugoque servitutis importabilis, viol nter oppressos ab ingressu Religionis retrahere, & ad egressum

Job. 1.

1 Reg. 30.

A incitare, quemadmodum insinuatur in Exodo per hoc quod Pharao dixit: Quare Moyses & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. Ubi Glossa sacri Ambrosii: Hodie si Moyses & Aaron, id est, Propheticus, & sacerdotalis sermo, aliquem sollicitet ad servitium Dei, exire de sæculo, renunciare omnibus, attendere legi, & verbo Dei, continuo audiet unanimes etiam amicos Pharaonis dicentes: Videte quomodo seducunt homines, qualiter pervertunt adolescentes ne laborent, ne militent, ne agant aliquid quod eis prosit, relictis rebus necessariis, ineptias sectantur & otium, laborare B nolunt, & otii occasiones requirunt. Hæc Glossa: Qua hostis pauperum dolus patenter detegitur, quod non sicut Christi discipulus, ad exercitia virtutum conatur erigere, sed tamquam amicus Pharaonis, spirituales Israel filios impugnare. Alio quoque modo calumniator hic pauperum statum ipsorum depravare contendit, pro eo quod nihil sibi retinent in proprio, vel communi, quo non videntur virtutis tenere medium, sed vitiositatis extremum, cum dicat Ambrosius, quod non sunt effundendæ opes, sed dispensandæ. Verum consimili ratione posset sancta virginitas ostendi non laude, sed vituperio digna, quasi extremum non medium teneat, dum C ab omni concubitu, sive illicito, sive concesso, se tam mente, quam carne sequestrat. Quapropter diligens considerator advertat, quod sicut aliud est medium pudicitiæ conjugalis, aliud sanctimoniæ virginalis, sic & aliud largitatis politicæ, aliud paupertatis Evangelicæ. Largitas namque politica, quia circa mundana versatur, possessionum terrenarum nequaquam suadet abrenunciationem a Christo consultam, sed potius bonorum juste possessorum dilectionem moderatam, & dispensationem largam & piam. Propter dilectionis moderantiam dicit Salomon in Proverbiis in persona viri politici: Duo rogavi te, ne deneges mihi, mendicitatem & divitias ne de-

Exod. 5.

Prov. 30.

dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria, volens in hoc ostendere, quod virtus politica tenet medium, & fugit extrema. Propter dispensationis pietatem dicit in Ecclesiaste pro persona rectoris Ecclesiæ: Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem. Quod ideo dictum est, quia pastor sapiens, etiam absque divitiis utiliter pascit, dum gregem ædificat exemplo, & verbo: sed cum pia dispensatione divitiarum pascit utilius, dum verbo, exemplo, & temporali subsidio gregi providet sibi commisso. Et hoc est, quod Canon dicit, Expedit facultates Ecclesiæ possideri. Propterea Ecclesiastes præfato verbo paulo ante præmittit: Ne dicas, quid putas causæ est, quod præterita tempora fuerunt meliora quam nunc sunt? stulta est enim hujusmodi interrogatio. In quo arguit hæreticorum stultitiam approbantium Ecclesiæ statum antequam a principibus dotaretur, & reprobantium postquam dotata est. Quibus respondet, quod utilior est sapientia cum divitiis, hoc est, Reipublicæ sanctæ matris Ecclesiæ magis expediens propter varias conditiones, necessitates, infirmitates, & commoditates multiformium Christi fidelium congregatorum intra Ecclesiasticam unitatem, instar diversitatis animalium intra arcam Noe, quibus ipse prælatus sollicitam curam exhibens, de pastu necessario providere debet pro loco & tempore, juxta dictamen largitatis politicæ modum servando in dispensatione. Propter quod & in Agathensi Concilio, prohibentur hujusmodi, ne res Ecclesiæ sibi creditas alienare præsumant, ibique conceditur dispensationis medium, sed interdicitur dilapidationis extremum. Evangelica vero paupertas, pro eo quod ad æterna spiritum sublevat, tamquam ea, quæ in cœlis totaliter thesaurizat perfecte ipsam profitenti suadet omnibus temporalibus debere nudari, quod affectum atque dominium, & arcta sustentatione necessitatis esse contentum, quantum ad usum. Et hic est ipsius mo-

Ecclef. 7.

A dus sive medietas, quod sic relinquat dominium, quod non reiiciat usum: sic recipiat usum quod non reservet dominium: sic arctitudinem usus reservet, quod sustentationem naturæ non devitet: sic necessitati subveniat, quod ab arctitudine non recedat. Igitur propter universalem abdicationem possessionis, & depositionem affectus terreni, in persona hujusmodi pauperis dicit Sponsa in Canticis: Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Ubi Glossa: Recepta sollicitudine temporalium subsidiorum, quantumlibet eximius Doctor difficile vitat peccatum. Et de abdicatione B hujusmodi, Hieronymus ad Lucinium: Seipsum Deo offerre Christianorum, & Apostolorum est, qui duo cum vidua paupertatis suæ in gazophylacium æra mittentes, totum censum quem habuerant Domino tradiderunt, & merentur audire: Sedebitis super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. Propter arctitudinem vero sustentationis, quantum ad usum in persona hujusmodi pauperum, dicit Apostolus ad Timotheum: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus: Habentes, inquit, non quantum ad proprietatem dominii, sed quantum ad facultatem utendi, per quem modum habere C dicimur omne quo utimur, etsi non sit nobis proprium, sed gratis aliunde collatum. Hunc modum paupertatis tamquam medium virtuosum mediator Dei & hominum, Deique virtus, & sapientia Christus in seipso monstravit, qui sicut dicit Hieronymus ad Nepotianum, alieno cibo vescebatur. Hunc & Paulus Apostolus imitator ipsius præcipuus secutus est, in cujus laudibus dicit Chrysostomus, quod nihil habet nisi corpus. Sed etiam in hoc exemplum se aliis præbuit, cum ait: Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Igitur hunc vivendi modum tamquam a medio virtutis recedentem arguere, nihil aliud est, quam magistrum veritatis atque virtutis de excessu vitioso culpare. Propter quod di-

Cant. 5.

Hieron. ad Lucinium epist. 28 post med.

1 Tim. 6.

Hieron. ad Nepotian. epist. 2 post med.

diligenter oportet advertere, quod A sicut alio & alio modo tenetur medium a virtute politica, & purgatoria, & animi jam purgati; sic etiam difformiter medium tenent civiliter, largus ex rectitudine virtutis, & Christi formiter egenus, in latitudine paupertatis. Et hoc est, quod in auctoritate præmissa Ambrosius Doctor sacer insinuat, quam calumniator consueto more truncatam allegat. Ceterum, inquit, non vult Dominus simul effundi opes, sed dispensari, in quo explicat modum largitatis politicæ. Sed ne quis ex hoc crederet, quod modum paupertatis Evangelicæ non approbaret, immediate subjungit: Nisi forte ut Eliseus boves suos occidit, & pavit pau- B peres, ex eo quidem habuit, ut nulla cura teneretur domestica, sed relictis omnibus, in disciplinam se propheticam daret. Hæc Ambrosius addidit, quod ut Evangelicam paupertatem sublimiter extolleret, quæ iste dolose subticuit, quatenus profitentes subdole impugnaret. Nequaquam igitur hujusmodi pauperes possunt rationabiliter argui, quod discrimini se committant, ac per hoc, quod homicidæ sint sui, vel tentatores Dei. Si enim sufficientiam victus quantum ad usum opportunum respuerent, utique seipsos necarent. Nunc autem sic recusant possessionis dominium, quod sustentationis necessariæ non abiiciunt usum: sic se C committunt divinæ providentiæ, ut viam non spernant provisionis humanæ, quominus sustentari valeant, vel de his quæ gratis offeruntur, vel de his quæ mendicantur humiliter, vel de his quæ per laboritium conquiruntur. His enim modis vixerunt hactenus hujusmodi pauperes in magna multitudine sexaginta annis, & amplius per operis exhibitionem adeo in eis divino impleto promisso, quod nullus eorum cujus ad nos fama pervenit, ob defectum vestitus, vel victus, mortis periculum incurrit. Abscedat igitur diffidentia a prædicatoribus veritatis, perfectisque Christi discipulis, cum eis repromittatur a Domino sufficientia victus, dicaturque eis: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, præcipiaturque eis, ne quid tollant in via, nisi virgam tantum, ut habetur in Marco. Super quem locum dicit Beda: Tanta debet esse prædicatoribus fiducia in Deo, ut præsentis vitæ sumptus quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse certissime sciat; nedum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. Hoc verbum totius confidentiæ tam expressum calumniator pervertere nititur, ut sic illud exponat, quamvis non provideat, id est, tempus providendi non habeat, quasi non debeat de sufficientia victus confidentiam habere, nisi quando non potest aliud agere, ad quod non tantum prædicator veritatis, imo quantumcumque imperfectus Christianus astringitur. Propter quod ut omnis calumniandi occasio tollatur e medio intelligendum, quod duplex diffidentia est, quædam proveniens ex perversitate, quædam ex pusillanimitate. Ex perversitate venit, quando habet incredulitatem, vel desperationem annexam, utpote cum quis de Deo diffidit, vel quia non credit Deum curare humana tamquam infidelis, vel quia existimat se derelictum a Deo, propter peccata sua, tamquam desperatus. Et talis diffidentia & sollicitudo procedens ex ipsa, omnibus prohibetur, & confidentia illi opposita, cunctis præcipitur. Diffidentia autem ex pusillanimitate proveniens, est, quæ habet annexam remissionem amoris divini, & intensionem timoris humani, & hoc stare potest cum charitate imperfecta, non cum perfecta, & ideo hæc pusillanimitatis diffidentia, & sollicitudo ex ipsa proveniens Evangelicis & perfectis viris inhibetur, & confidentia eidem opposita a perfectionis magistro injungitur quatenus prædicatores veritatis, algorem pusillanimitatis sollicitantis pro cibo refugiant, & ardorem charitatis confidentis de Deo cum promptitudine ad perferendum paupertatis incommoda constanter assumant. Ad hanc quidem confidentiam, in libro de eleemosyna Augustinus invitat: Metuis, inquit, ne patrimonium tuum for-

1 Cor. 4.

forte deficiat, si ex eo operari largiter cœperis? Quando enim factum est, ut justo possent deesse subsidia? cum scriptum sit. Non occidet Deus fame animam justi. Elias in solitudine ministrantibus corvis pascitur, Danieli in lacu, ad leonum prædam jussu regis incluso, prandium divinitus apportatur, & timemus ne operanti, & Deum timenti desit alimentum? cum ipse in Evangelio ad exprobrationem illorum, quorum mens dubia est, & fides parva, contestetur, & dicat: Aspicite volatilia cœli, quoniam non seminant, neque metunt, nec colligunt in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Volucres Deus pascit, & quibus nullus divinæ rei sensus inest, eis nec cibus, nec potus deest, tu Christiano, tu Dei servo, tu operibus bonis dedito, tu Domino suo charo, aliquid existimas defuturum? An putas, quia qui Christum pascit, a Christo ipse non pascetur? Aut eis terrena deerunt, quibus divina & cœlestia tribuuntur? Unde hæc incredula cogitatio, unde impia & sacrilega ista meditatio? Hæc Augustinus. Quid facit in domo Dei tam perfidum pectus? Quid qui Christo omnino non credit, appellatur, & dicitur Christianus? Pharisæi magis tibi congruit nomen. Nam cum in Evangelio de faciendis eleemosynis disputaret, ut & nobis amicos de terrenis lucris pro vida operatione faceremus, qui nos postmodum in æterna tabernacula susciperent fideliter & salubriter præmoneret, addit Scriptura post hoc dicens; Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant eum. Quales nunc sunt in Ecclesia, quorum quosdam videmus, quorum præclusæ aures, & corda cæcata, nullum de spiritualibus, ac salutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non debemus, quia contemnant in talibus servos, quando a talibus ipsum Dominum videmus esse derisum & contemptum. Ad quorum confirmationem exemplum viduæ Sareptanæ, quæ pavit Eliam, consequenter adjungit. Quibus etiam consonat illius paupercula viduæ liberalis, oblatio, quoniam quidquid habuit, misit, divino meruit ore laudari. Tertium quoque calumniandi modum, non minus malignum aliquo prædictorum, calumniator hic pauperum assumere nititur ex mendicatione eleemosynarum, allegans primo contra eam, quod non sit opus virtutis, eo quod non habet annexum spirituale solatium, sed potius pœnalem cruciatum, ratione cujus Propheta eam imprecatur filiis impiorum, cum in Psalmis dicit: Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent. Et sacri Canones: Mendicantem clericum asserunt infelicem. Ad cujus cavillationis, & consimilium repel. pellendam calumniam, intelligendum est, quod quintuplex est mendicitatis differentia, origine, modo, ac efficacia, a se invicem desperata. Prima est quam petit calamitas, & hæc est in personis miserabilibus & egenis, annexum habens pœnalem cruciatum cum merito, cum sit cum patientia, qualis fuit mendicitas Lazari ulcerosi & pauperis, jacentis ante januam divitis Epulonis, vel cum peccato si sit cum impatientia. Et hanc imprecatur Propheta, & abhorrebat sapiens vir in persona loquens hominis infirmi, & timentis per egestatem involuntariam, ad impatientiam compelli. Unde postquam præmisit, mendicitatem ne dederis mihi, subjungit, ne compulsus egestate furer, & periurem nomen Dei mei. Et hæc est proprie dicta mendicitas, juxta quod dicit Isidorus Etymologiarum l. 10. Mendicus dictus est, quasi minus habens, unde degat, vel quasi manu dicens necessitatem suam. Secunda est, quam parit cupiditas. Et hæc est in pauperibus simulatis, habens annexum cruciatum culpabilem, quo torquentur omnes avari & cupidi, non tam fame corporalis inediæ, quam spiritualis nequitiæ per insatiabilem avaritiæ voracitatem, juxta illud Job: Attenuetur fame robur ejus, & inedia invadat costas illius. Et hanc dissuadet Apostolus ad Thessalonicenses: Nullius aliquid desideretis: Glossa, necdum rogetis vel tollatis, in quo desiderium prohibet cupiditatis rei alie-

Mat. 6. *Luc. 17.* *Psal. 108.* *Prov. 30.* *Isid. lib. 10. etym. verbo, Mendicus.* *Job. 18.* *1 Thes. 4.*

alienæ, & petitionem ex ipsa ve-
Ephes. 4. nientem, juxta illud ad Ephesios, Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret manibus suis operando, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Tertia est quam petit pigritia, & hæc est in pauperibus mendicantibus validis & otiosis, habens annexum cum cruciatu solatium, vitiosum tamen atque fantasticum. Studiosum enim refugientes laborem, & otiosam appetentes vocationem, fructuosam quietem perdunt, & perniciosam fatigationem incurrunt, secundum illud Sapientis:
Prov. 21. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus
Ibid. 20. operari. Et iterum: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo egestate, & non dabitur ei. Et hæc mendicitas non solum lege divina, sed etiam lege civili prohibetur. Et ut ab hac revocet Apostolus, laborem manualem injungit, ad Thessa-
2. Thes. 3. lonicenses, cum ait: Audivimus inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes, his autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, ut cum silentio operantes manducent panem suum. Cujus mandati Glossa rationem reddit, dicens: Qui ad alienam mensam frequenter accedit, otio deditus, necesse est aduletur pascenti se. Quarta est quam parit industria, & hæc est in pauperibus studiosis, circa disciplinam scholasticam occupatis, habens annexum cum cruciatu penuriæ, solatium veritatis inventæ, quæ adeo mentes generosas oblectat, ut multi dies ærumnis, & laboribus pleni, jucundi videantur, & pauci præ magnitudine dilectionis, maluntque ea cum rubore mendicando addiscere, quam delicate vivendo ignorare, quod in pluribus vidimus, qui cum mendicando didicerunt, postea magnum locum in Ecclesia Dei tenuerunt. Et de talibus Augustinus de opere Monachorum dicit, quod eis bona opera fidelium subsidio supplendorum necessariorum deesse non debent, cum ad erudiendum animum ita vacant, ut corporalia hujusmodi opera ab ipsis geri non possint. Quinta est quam parit

A justitia, & hæc est in pauperibus voluntariis, immunibus ab amore temporalis lucri, & torpore temporalis quietis, habens annexum cum cruciatu solatium, virtuosum & verum, pro eo quod sic mendicantes, solius moventur amore paupertatis extremæ: quam ideo amplectuntur, ut liberius sapientiæ vacent, & efficacius ad culmen virtutis attingant, quatenus in camino paupertatis electi, ipsius penuria purgentur a crimine, ipsius erubescentia humilientur in corde, ipsius parsimonia castificentur in carne, ipsius devota gratitudine concilientur ad proximum, ipsius condescensiva benignitate configurentur ad Christum, ipsius sublimi celsitudine sursum agan-
B tur in Deum. Quod autem paupertas penuriosa, & voluntaria hujusmodi efficacias habeat, supra declaratum est, per sanctorum auctoritates de laude paupertatis, tertiæ responsionis particula postrema. Quamquam nullus sane intelligens, dubitare queat, quin penuria purget, erubescentia humiliet, parsimonia castificet, gratitudo accipientis beneficium benefactori conciliet, condescensio benignitati configuret ad Christum, qui cum dives esset amore nostræ salutis, effici voluit egenus & pauper, celsitudo paupertatis, qua quis omnia calcat, & seipsum cum omnibus sursum agat in Deum, non solum propter spiritus
C libertatem, verum etiam propter experientiam incommodorum, quæ pauperes comitantur, cum dicat Gregorius, quod mala, quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt. Licet autem avaris sit molesta penuria, & superbis erubescentia, & lascivis frugalitas, & indevotis actio gratiarum, & infidelibus conformitas ad Christum, & desperatis elevatio mentis in Deum, vere tamen pauperibus, solatium est penuriam pati, humilibus despici, continentibus castificari, charitativis conciliari beneficio, credentibus configurari Christo, sperantibus sequestrari a mundo, & jungi Deo æterno. Ad quorum omnium confirmationem hoc sufficit, quod dicit Gregorius primo dialogorum. Sicut su-

superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione gratulantur, cumque se in alienis oculis vilescere sentiunt, idcirco gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se & ipsi habuerunt. Quoniam igitur huic mendicitatis modo in pauperibus veris, & humilibus annexum est cum extrinseco cruciatu intrinsecum gaudium, ideo secundum Chrysostomum recte designatur, per illum caminum in quem pueri descendentes, ne statuam auream adorarent, cœlitus irrorari meruerunt. Hujusmodi spirituale solatium, quod viri carnales ignorant, ejusque laudatores, Pharisæorum more, avari derident, mulier eximiæ virtutis, Paula scilicet, experiri cupiebat, juxta quod Hieronymus sacer in ipsius laudibus, ob hoc ejusdem desiderium admirabile prædicans, ipsamque collaudans, dicit, quod hoc habebat voti, ut mendicans pro Christo moreretur, & unum nummum filiæ non relinqueret, & in funere suo aliena sindone involveretur. Nequaquam igitur, ut calumniator astruere nititur, ea sola mendicitas approbabilis est, quæ ex mera necessitate, vel calamitate procedit, pro eo, quod multo laudabilior est paupertas voluntaria, quam coacta: nisi quis ita desipiat, ut in operibus supererogationis, necessitatis coactionem præferat promptitudini voluntatis, quod ita absurdum est, quemadmodum si passionibus martyrum præponat quis stipendia latronum, dum martyres voluntarie, latrones involuntarie patiuntur. Porro si quis astruere velit, mendicitatem non esse de genere honestorum, & laudabilium, quoniam ad ipsam ex inopia rerum, & exigentia naturæ compellimur, consimili ratione, nec martyrium sanctorum fuit perfectum, nec laudabile, quoniam ad illud perferendum compellebantur, per violentiam improbam malignitatis alienæ: cum etiam magis teneat rationem voluntariæ paupertatis penuria, quam pœnalitas passionis, pro eo quod illa voluntarie assumitur, & voluntarie perfertur; hæc autem aliunde violenter intelligitur, quamquam voluntarie perferatur.

Hier. ad Eustoc. ep. 27

Est & alia cavillatio, qua nobilis & Christo Domino accepta mendicitas, calumniose arguitur, quasi annexam habeat non Evangelicam beatitudinem, sed mentalem imperfectionem, cum in actibus Apostolorum scribitur, Beatius est magis dare, quam accipere. Ex quo sequi videtur, quod beatiores & perfectiores essent hujusmodi pauperes, si essent in statu eleemosynas dantium, quam sint in statu accipientium, beatiores utique si essent in statu eorum, qui eleemosynas liberaliter offerunt, quam qui petunt: cum dicat Hieronymus ad Nepotianum. Numquam petentes, raro accipiamus rogati. Et Augustinus: In loculis habendis, & in exigenda quodammodo annona, Christus non petendo, sed præbendo indigentias suscepit. Ex quibus videtur posse inferri, quod status clericorum præbendas habentium, Christo sit similior, & perfectior statu mendicantium pauperum. Verum si hujusmodi ratiocinationis fundamentum vigilantius discussum fuerit, magis potest ex hoc oppositum, quam propositum inferri. Si enim beatius est magis dare, quam accipere, ille minime beatus est, qui bona plurima accipit, & pauca largitur. Cum igitur omnia Ecclesiastica, sicut dicit Prosper, sint vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, sequitur quod quicumque reditus Ecclesiasticos habet, cum longe plus accipiat, quam aliis largiatur: magis erit pingui acceptione miser, quam exili donatione beatus. E e contrario verus pauper, qui omnia propter Christum deserit, & dispergit, non solum quæ habuit, sed & quæ concupiscere potuit, & paucis, & modicis est ad sustentationem naturæ contentus, erit secundum hanc rationem acceptione parcissima minime miser, & donatione largiflua maxime beatus. Cui etiam concordare videtur Evangelicus textus, qui secundum Chrysostomum habet in Græco: Beati mendici, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: ubi Latinus habet: Beati pauperes spiritu. Quibus etiam concordat sacer Ambrosius in libro de officiis dicens:

Act. 20

Hieron. ad Nepot. ep. 2

Aug. super Ps. 103 conc. 8 post med.

Prosper l. 2 de vita contempl. cap. 9

Ambr. l. 2 de offic. c. 15

cens: Pauper & si non habet unde reddat pecuniam, reddit gratiam. In quo certum est, quod plus reddat, quam acceperit. Pecunia enim nummo solvitur, gratia vero numquam exinanitur: reddendo vacuatur pecunia, gratia vero & habendo solvitur, & solvendo retinetur. Hæc Ambrosius. Ex quibus est evidens, quod prædicta veritatis auctoritas, contra Evangelicos pauperes intorqueri non potest. Unde & Glossa Bedæ ibidem: Non illis qui relictis omnibus secuti sunt Dominum, divites eleemosynarios præponit, sed illos maxime glorificat, qui cunctis quæ possident renuntiantes, laborant nihilominus operando manibus, ut habeant unde tribuant necessitatem patienti. His Cassianus consonat: Hæc est, inquit, impartientis beatior largitas, quam accipientis pecunia, quæ non de reconditis avaritiæ thesauris impenditur, sed quæ de fructibus operis proprii, & pio sudore profertur. Ex quibus habetur, quod si quis cum paupertate, & exercitio studii spiritualis, labori manuum intendens, seipsum & alios pascit, imitator effectus Apostoli Pauli, opus agit majoris supererogationis, quam qui ab aliis subsidia requirit, & accipit. Et ideo perfectionis omnis amator Franciscus, ad laborem manualem sectatores suos & filios, moderate, ac prudenter inducit, dum ad hoc idoneos informat, & excitat, quod sic laborent, quod refugiant otium, & spiritum non extinguant. Ad quod quamquam sit perfectum & sanctum universali præcepto astringere noluit, pro eo quod hanc celsitudinem supererogantis perfectionis, infirmitas corporum cum tarditate ingeniorum in hominibus nostri temporis non admittit. Esto igitur, quod hoc modo beatius sit dare, quam accipere, secundum imitationem Apostoli, non tamen ex hoc potest inferri, quod accipientes sint imperfecti, quia nec Apostoli a perfectione exciderunt in hoc, quod sustentabantur ab aliis, nec Christus imperfectionis magister fuit, qui perfectionis Evangelicæ Doctores ab aliis sustentari ordinavit, & hoc in seipso

Cassianus de institut. Monach. l. 10 c. 19

A per exemplum ostendit. Unde Augustinus super illud Psalmi, Qui producit in montibus fœnum. Quare voluit egere Dominus, nisi ut daret montibus exemplum, ut parerent fœnum, ne contra pluviam steriles redderentur? Hæc Augustinus, Per pluviam dans intelligi doctrinam qua mentes erudiuntur, & per fœnum temporalia quibus corporalia sustentantur. Sane, ut omnis calumniandi materia cesset, intelligendum est, quod quamvis accipere comparatum ad dare de genere operis minus sit beatum, atque perfectum, potest tamen ex superadjecta circumstantia esse beatius, atque perfectius, videlicet cum quis accipit extremæ paupertatis amore, secundum sex conditiones superius expressas, in quibus simul junctis integra consistit ipsius perfectio, non solum in abdicatione proprietatum, verumetiam in acceptione necessariorum, cum videlicet quis mendicat, & accipit, ut acceptione penuriosa purgetur, verecunda humilietur, attenuata restringatur & castigetur, grata concilietur ad proximum, condescensiva configuretur ad Christum, fiduciali & alta sursum agatur in Deum. Quod quidem excellentius est, quam præbere alimenta pauperibus. Unde Hieronymus ad Julianum: Extruis Monasterium, multus a te sanctorum numerus sustentatur; sed melius faceres, si & ipse sanctus inter sanctos numerareris. Et Bernardus in quadam Epistola: Volo te amicum esse pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus est proficientium, hic perfectorum. Secundum hæc igitur perfectius est cum Christo egere, & eleemosynas cum accipiente accipere, quam sit amicum esse pauperum, ipsos pauperes sustentare. Quod ergo dicit Hieronymus ad Nepotianum, quod numquam petentes debemus accipere, intelligendum est, quod loquitur Nepotiano clerico, pro his clericis qui sufficientem habent victum de bonis Ecclesiæ, qui etiam nondum conscenderant ad celsitudinem paupertatis extremæ. Et his cum habeant unde vivant, nec velint agere, turpe est accipere, turpius petere.

Aug. enar. in Ps. 146 post. med.

Hieron. ad Jul. ep. 34 post med.

Hieron. ad Nepot. ep. 2

te. Et quia hujusmodi personis nisi studii causa turpe est mendicare, ideo statutum fuit in Carthaginensi Concilio, quod Clericus pauper victum & vestitum artificiolo quæreret. Et quia difficile erat eos ad hujusmodi labores compellere, ideo statutum est, sicut patet de consecratione distinct. 1. quod nulla Ecclesia dedicetur, nisi prius dotata fuerit, ob hoc videlicet, ut clerici in ea ministrantes habeant unde sustentari possint. Simul etiam per nova jura introductum est, ut clerici sine titulis non debeant ordinari, quod si ordinati fuerint, ab ordinatoribus sustententur. Quæ quidem jura certum est, nullatenus eos astringere, qui pro Christi nomine vivere devoverunt in extrema paupertate, concurrentibus in hoc ipsum auctoritate summi Pontificis, & attestatione Evangelicæ veritatis. Qualiter autem verbum Augustini, quo dixit Christum non petendo, sed præbendo indigentiam suscepisse intelligi debeat, ipsemet aperit, cum subsequenter adjungit exempla de Christo, Elia, Zachæo, & vidua, dicens: Cum quisque sanctum suscipit, non suscepto, sed susceptori præstatur, quasi dicat, quod Dominus in suscipienda annona, non quærebat proprium commodum, sed meritum alienum, non requirebat datum, sed fructum, quo fiebat, ut Christum suscipienti plus præstaretur ex merito, quam suscepto conferretur ex dono. Quod non solum habet veritatem in ipso capite, verum etiam pro membris ipsius, pauperibus scilicet, pro quibus benefactoribus eorum in Matthæo mercedem repromittit, cum dicit: Quodcumque fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Et iterum: Quicumque dederit potum uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum, in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ubi Glossa: Minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, & judices erunt cum Christo. Valde igitur sunt pauperes, qui nihil omnino habent in mundo & calice frigidæ aquæ indigent, sed nihilominus valde sunt divites, in quorum sus-

Matt. 25

Matt. 10

A sceptione Christus se suscipi asserit, quibus etiam judiciariam potestatem se communicaturum esse prædixit. Denique pessima cavillationum omnium ea esse dignoscitur, qua oppressor hic pauperum eos esse viros sanguinum criminatur, pro eo videlicet, quod eleemosynas accipiunt, quibus sustentari deberent invalidi pauperes, qui operari non possunt, & ideo quodammodo homicidium perpetrant: dum eos eleemosynis ex pietate sibi debitis, impie defraudant, cum Ecclesiasticus dicat: Panis egentium vita pauperis est, qui defraudat eum, homo sanguinis est. Insuper & Christi Ecclesiam, ut dicit, onerant, & multis periculis se exponunt, quæ ex inopia procedunt, cum
B dicat idem Ecclesiasticus: Propter inopiam multi deliquerunt. Ex quibus & illud habet sequi, quod paupertatem hujusmodi profiteri sit impium, cum non habeat annexum meritum, sed peccatum. Et hoc est quod finaliter calumniator egentium persuadere molitur, scilicet quod status hujusmodi pauperum tamquam perversus, ab universali Ecclesia reprobetur, ut vere videatur illud Psalmi in eo esse completum: Persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare. Dicamus igitur pro causa pauperum defendenda, quod hujusmodi Evangelici viri, qui propriis facultatibus
C renuntiaverunt, & saluti animarum intendunt, non sunt viri sanguinum, sed misericordiæ, quorum oblivionem non acceperunt: quoniam ex abundante misericordia temporalia bona largiti sunt ad sustentanda corpora pauperum, & spiritualia bona continue largiuntur ad sustentationem animarum, & ideo digni sunt, ut ab Ecclesia sustententur, quia non gravant, sed alleviant, multo amplius quam illi, qui Ecclesiasticorum redituum ubertate pinguescunt, quos cum & plurimi eorum habere potuissent, multo magis pro Christo illis carere voluerunt. Hi ergo cum eleemosynas petunt & accipiunt, nullum pauperem defraudant, quin potius causas pauperum agunt cum suis sacris exemplis & monitis, impios homines

Eccl. 34

Idem. 27

Ps. 108

nes ad opera pietatis inducunt. Nulli prorsus injuriantur, quia hoc petunt & accipiunt, quod eis debetur. Sustentatio enim corporalis debetur ipsis lege misericordiæ, tamquam pauperibus: & eo magis quo pauperes voluntarii sunt, Christoque devoti. Unde Hieronymus contra Vigilantium: Non negamus cunctis pauperibus, si tanta sit largitas, stipes esse porrigendas. Apostolus docet faciendam quidem eleemosynam ad omnes, maxime ad domesticos fidei. De quibus Salvator in Evangelio loquebatur: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula. Numquid isti pauperes, inter quorum pannos & illuviem corporis, flagrans libido dominatur, possunt habere æterna tabernacula, qui nec præsentia possident, nec futura? Non enim simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu appellantur: de quibus scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquam intelligentia, sed eleemosyna opus est; in sanctis vero pauperibus beatitudo est intelligentiæ, ut ei tribuatur qui erubescit accipere, & cum acceperit, dolet metens carnalia, & seminans spiritualia. Hucusque Hieronymus. Debetur etiam eis lege justitiæ tamquam prædicatoribus veritatis: quam quidem justitiam exigere possunt, non jure fori sicut prælati, in quibus acceptio stipendiorum non est mendicitas, sed potestas, sed jure poli eam exigere possunt & debent, per modum humilitatis, scilicet pro Christi amore gratis petendo, ut alii mereantur dando, & ipsi humilientur accipiendo, & sic sustententur, ut Evangelizent, non Evangelizent, ut comedant. Unde Bernardus ad fratres de monte Dei: Cum dives esset, pauper pro nobis factus est: & qui voluntariæ paupertatis dedit exemplum, ipse in semetipso ejusdem formam dignatus est demonstrare. Ut enim sciant Evangelici pauperes quid eis faciendum sit, ipse etiam a fidelibus pasci voluit, nonnumquam & ab infidelibus, sed ut fideles faceret, vitæ necessaria accipere non recusavit. Constans est autem, quod non loquitur hic de prælatis, sed de pauperibus religiosis, quos exemplo Christi dicit de eleemosynis sustentari debere, non quidem potestative requisitis, sed pie & humiliter postulatis. Hujusmodi autem pauperes sustentare pro Christo, non minoris est meriti, quam ædificare basilicas, ut dicit Hieronymus ad Demetriadem: Alii ædificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, non reprehendo, non abnuo. Unusquisque in sensu suo abundet. Melius est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi illud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his qui tecto indigent, maxime in domesticis fidei, virginum alere Monasteria, servorum Dei & pauperum spiritu habere curam, qui diebus ac noctibus serviunt Domino tuo, qui in terra positi imitantur Angelorum conversationem, nihil loquuntur nisi quod ad laudes Dei pertinet, habentesque victum & vestitum his gaudent divitiis, qui plus habere nolunt, si tamen servant propositum, alioquin si amplius desiderant, his quæ necessaria sunt, probantur indigni. Ex his Hieronymi verbis colligitur, quod sustentare hujusmodi Evangelicos pauperes, opus est pietatis maximæ, ac per hoc ipsos persequendo calumniari, scelus est non parvæ perfidiæ. Non enim inopia voluntaria, ut is dicit, est causa malorum, & multiplicium criminum, sed ut dicit Chrysostomus, & supra habitum est, infinitorum causa bonorum. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, quæ est amor divitiarum: sic paupertas cunctorum est origo bonorum spiritualium, quæ est contemptus affluentiæ & amor penuriarum. Non ergo multi deliquerunt propter inopiam quam dilexerunt, sed propter inopiam quam oderunt; vel certe sicut Glossa dicit, verbum illud intelligitur non de inopia bonorum temporalium, sed spiritualium virtutum atque charismatum. Hæc idcirco diximus, non quia commendemus effrenatam mendicantium mul-

Marginalia: *Hieron. advers. Vigil. post med.* — *Luc. 16* — *Ps. 40* — *Hieron. ad Demet. c. 8*

multitudinem, aut omnem mendicandi modum, ut perfectum approbare velimus: sed eum dumtaxat, qui annexum habet studium sapientiæ septiforme, vel laborem manualem, cum professione & observantia Evangelicæ paupertatis, & exercitatione perfectæ virtutis. Quem quidem modum cum tota Christi vita & doctrina Evangelica comprobet, si quis ipsius contrarium evangelizaverit, juxta verbum Apostoli anathema sit. Desinat igitur persecutor hic pauperum, a malignis calumniis & verbis maledicis, nec Balaam transcendendo malitiam illis maledicat, quibus Dominus benedixit, ne benedictionem perdens cœlitus repromissam, maledictionem incurrat æternam. Quod si cessare noluerit, verus pauper clamare non cesset. Adjuva me Domine Deus, Deus, salvum me fac propter misericordiam tuam. Et dehinc media prosequens in fine concludat. Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum. Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

Gal. 1

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM

QUOD INSCRIBITUR LIBELLUS APOLOGETICUS IN EOS, QUI ORDINI FRATRUM MINORUM ADVERSANTUR.

Objectionibus & quæstionibus variis eorum, qui fratrum Minorum Ordini detrahere nitebantur respondet Auctor in hoc Opusculo: in quo & calumnias adversariorum detegit, & oblaquentium ora obstruit doctrina sua mirabili. Hic autem repetit multa, & uberius pertractat, quæ in tribus proxime præcedentibus Opusculis proposuerat: suntque utilia iis præsertim, qui regimini animarum præsunt.

Quæstio adversariorum prima.

PRÆTER hoc quod surriptis Clericis eleemosynas, quæ ipsis darentur, si vos non essetis, conqueruntur, quod detrahatis eis in populo, & confundatis eos in prædicationibus vestris, vitia eorum propalando. Insuper, quod suadeatis hominibus, ne confiteantur eis, & ne dent eis oblationes, & alia quæ deberent, cum ipsi sunt potius quam vos, qui pro animabus A eorum sunt rationem Domino reddituri.

Responsio.

Respondeo ad ista per ordinem: Omnia quæ ipsis jure debentur in oblationibus, decimis, & aliis, vel de approbata eis consuetudine dari solent a populo, non potius suademus eis dari, quam impediamus, immo hortamur populum eis ista non subtrahere, nec in alios pios usus erogare, & jus suum cuique tribuere, etiam peccatori. Si autem quandoque quærunt consilium, ubi se-

secundum Deum melius sit dare eleemosynam, ad quam non tenentur ex debito? dicimus libere, quod ibi sit melius, ubi major est indigentia, vel major Deo honor exhibetur, & ipsis dantibus, exinde efficaciora orationum suffragia provenire creduntur, vel quo ipsorum devotio ad benefaciendum pro Deo ferventius inclinatur. Quod autem Plebanis suis confiteantur, ut debent, suademus etiam his, qui nobis confessi fuerint, ut agnoscant eorum conscientias, quos regere debent, ut sciant, quibus exhibere, vel negare debeant Ecclesiastica sacramenta, nisi forte tales sint aliqui, a quibus prohibeant canones sacramenta requiri, ut suspensi ab officio, vel irregulares, vel jus ligandi, & solvendi non habentes, vel per quos animæ magis irretiuntur peccati laqueis, quam purgentur, de quibus non est nunc ulterius prosequendum.

Quod autem detrahamus eis, & confundamus eos in populo, non oportet, quod nobis hoc imponant singulariter, cum ipsi non abscondant scelera sua. Sed per facti evidentiam omnibus ea propalent, & nobis etiam tacentibus: omnibus ingerant inde materiam detrahendi. Utinam nos soli ea sciremus. Utinam ita essent occulta eorum peccata, quod nobis ea prodere volentibus, non crederetur, & mendacii, & detractionis a populo argueremur. Nunc autem tanti, & tam aperti sunt multorum excessus, quod laici arguunt nos, cum aliorum vitia in prædicatione tangamus, quare tam enormia, & aperta, & multa, & magis nociva clericorum scelera non reprehendamus, cum non debeat esse personarum acceptio apud veritatis doctorem, nec pro timore, vel favore debeat apertam veritatem tacere, & hoc gravius redarguere, quod est nocivius, & quo Deus magis offenditur in quocumque. Inde est, quod propter hoc cogimur interdum, aliquid de clericorum excessibus tangere, ne putemur ex timore tacere, vel ex privato favore, quasi cum ipsis contra laicos pariter conspiraverimus, & ut laici æquanimius ferant, si eos corripimus, videntes, quod nec clericis parcimus, & maxime ut veritas Evangelii servetur, quæ omnium peccata detestatur, ne aliter putarent simplices, quod peccata non essent Deo odibilia, quæ non audirent in clericis reprehendi, & stultæ mulierculæ putarent, non esse illicitum, cum ipsis peccare, sicut aliquibus earum notum est, ab eis, fuisse persuasum.

Quod autem non nitamur eos in prædicatione confundere, nec populos eis odibiles reddere, potest ex hoc patenter agnosci, quod multos eorum defectus scimus, & dissimulamus, nec populo propalamus expresse, parcentes eisdem. Cum etsi non in omnibus, tamen in pluribus eorum plures reperiantur, per quos fierent despecti populo, si vellemus eos publice prædicare, & hoc caute tacemus, his de causis: Una propter pacem & reverentiam cleri, ne laicos contra clericos provocemus ad discordiam, cum pro pace cleri, & etiam ædificatione populi, a Deo & a Sede Apostolica specialiter missi simus. Secunda, quod non possemus tamen per hoc emendare eos, nec haberemus alios meliores, qui eis mox substituerentur, si isti omnes qui sunt reprehensibiles abiicerentur, & est minus malum aliquo modo habere istos quam nullos, maxime cum Episcopi, & prælati non intenderent substituere meliores. Tertia, quod deferimus in hoc bonis, qui sunt inter eos, & si pauci sint qui cum ceteris confunderentur, cum rudis populus sine discretione bonos & malos persequi inciperet, & odire. Quarta, & quasi præcipua, ne si populus perderet omnino fidem in clericis, hæretici insurgerent, & attraherent sibi populum, quasi oves destitutas pastoribus, & facerent eos hæreticos, gloriantes quod nostro quasi testimonio, tam viles essent clerici, quod nullus eis obedire deberet, nec doctrinam eorum curare. Omnis enim hæreticorum intentio ad hoc tendit, quod spreto clero eis credatur, & ad hoc non convenit nos ipsorum esse cooperatores, quin potius debemus contra eos, quasi lupos

Perversa hæreticorum omnium intentio.

pos rapaces clero, & Ecclesiæ esse propugnatores, contra eorum versutias populum præmuniendo, errores ipsorum veritatis testimoniis ex Scripturis authenticis confutando. Quinta, quod lucra animarum quæ quærimus, melius promovemus cum benevolentia cleri, & assensu, quos si indiscrete agendo exacerbaremus, cum non possemus contra eos communiter prævalere, prohiberent nos animabus prodesse prædicando, & confessiones audiendo. Et sic salus multarum animarum impediretur, & fieret quasi scissio in Ecclesia, dum clerici nos quasi reprobos persequi inciperent, & laici aut nobis, aut ipsis faventes, alteros despicerent, & eis credere recusarent. Et cum non possemus eos qui nobis faverunt defendere a clero, quin eos nobiscum persequerentur, & excommunicarent, tandem omnes nos desererent, & ex odio nostri doctrinam nostram clerici infamarent, & sic hæreticis qui modo nos timent, aditus ad subversionem fidelium sine contradictione pateret: sicut lupis ubi canes non metuunt, & pastores sunt desides, datur audacia oves invadendi. Nisi enim essent isti ordines in Ecclesia, qui ex officio prædicationis fideles illuminant, cito plurimi efficerentur hæretici in his terris, ubi tam pauci inveniuntur clerici in sacra Scriptura periti, cum nescirent hæreticorum versutiis obviare. Immo ipsi clerici cito ab hæreticis subverterentur per callidas expositiones Scripturæ, in quibus nescirent eorum deprehendere fallacias, vel per promissiones seducerent eos, spondentes quod magni fierent inter ipsos. Et cum laicos attraherent clerici, etiam potius adhærerent eis, quam soli relicti perirent inopia, cum nullus curaret eos, nec daret eis oblationes vel decimas: aut certe persecutionibus eorum exterminarentur, cum jam haberent laicos adjutores contra clerum, sicut modo clerici hæreticos persequuntur.

His ergo de causis, & aliis, ut multa mala vitentur, utilius judicamus tacere quædam mala clericorum, quam populo prodere, ubi sine scandalo possumus evitare, ut sunt ista. Quandocumque habet plures Ecclesias curam animarum habentes, sine dispensatione Apostolica, omnes vacant ipso jure præter ultimam, & nullum jus habet in aliis ligandi, vel solvendi, nec ejus vicarius, nec aliquos inde reditus percipiendi. Item illegitime natus nullum jus habet in beneficio curam animarum habente. Item qui recipit Ecclesiam per quamcumque simoniam. Item qui recipit Ecclesiam ab eo, qui non habet verum jus conferendi eam. Omnis notorius fornicator, cujus criminis testis est populus, jure taxatus, sive in domo sua teneat fornicariam, sive extra, vel unam habeat vel plures, est ipso jure suspensus ab officio, ita quod subditi non debent ejus Missam audire, nec confiteri ei, nec alia ab eo sacramenta recipere, nec potest eos excommunicare, nec absolvere. Item si suspensus celebrat, & officiat Ecclesiam, vel quacumque excommunicatione ligatus, seu recipit Ordinem clericalem, aut in eo sollemniter ministravit, factus est irregularis, & non potest exercere officium clericale, etiam si jam fornicari cessavit, vel ab excommunicatione solutus fuerit, nisi cum eo super irregularitate contracta per Sedem Apostolicam dispensetur, maxime si a judice suspensionis sententia fuit lata: Hujusmodi autem sententiæ jam sæpe feruntur in clericos, & ab officialibus, & archidiaconis, & judicibus Ordinariis, vel delegatis, & parum curantur a multis. Videmus in terris istis tot esse imperitos jam clericos, in his quæ ad regimen pertinent animarum, licet forte in grammatica, vel alia scientia sint instructi, quod ubi centum, vel plures Plebani, & Vicarii conveniunt, vix pauci sint, qui vere sciant animas suas, vel alia, quæ ad salutem sunt necessaria, in his per Scripturarum scientiam expedire. Et talibus imperitis non deberent eorum subditi confiteri propter periculum, ne forte ex ignorantia relinquant eos in statu damnationis, docendo non esse peccatum, quod est mortale peccatum, aut non ostendendo formam de-

debitam ſatisfactionis de peccato confeſſo, ubi certa forma ſatisfactionis eſt neceſſaria, ut de reſtitutionibus rerum illicite acquiſitarum, certis locis vel perſonis, vel hæredibus faciendis, ubi multi ſeducuntur. Scimus etiam, quod qui ſcienter in mortali peccato poſitus celebrat Miſſam, qualibet vice mortaliter & graviter peccat, & quantum in ipſo eſt, rurſum Chriſtum crucifigit, quem & pro denariis, quos ſibi ſperat offerri, & illicite, & indigne contrectat. Qui ergo offert ei quem talem eſſe præſumit vel ſcit, & rogat eum Miſſam celebrare, facit eum Chriſto tantam inferre contumeliam, ut eum indigne contrectet, & peccat mortaliter. Sed qui facit aliquem peccare mortaliter, ipſe peccat, ubi ignorantia non excuſat, & ſecundum iſta ſi nullus offerret vel audiret Miſſas eorum, qui illicite celebrant, ceſſarent a celebratione, vel corrigerent vitam ſuam, & ſic multa peccata omitterentur. Multi etiam inordinate excommunicantes incidunt in pœnam ſuſpenſionis, & irregularitatis, & per alios actus plures inobedientiæ merentur ſuſpendi ab officio, & inefficax fit eorum auctoritas in ſubditos ſuos. Scimus etiam, quod qui eſt in peccato mortali, cum ſibi Deus iratus ſit, non placat eum pro alio peccatore. Ergo oratio clerici in peccato poſiti, inefficax eſt ſibi, & aliis qui offerunt ei eleemoſynas, ut oret pro illis. Item clericus lubricus vanus, & male expendens res Eccleſiæ, quo plura habuerit, plus peccat. Sed qui illi dant oblationes, & alia, promovent eum ad amplius peccandum, expedit ergo ei non dari. Item qui recipit pretium operis alicujus, & non deſervit, male recipit, ſed clericus habens curam animarum, & non faciens quæ debet eiſdem in doctrina ſalutis, & bono exemplo, & efficaci oratione, & debita correctione, & in aliis, peccat recipiendo ſtipendia Eccleſiaſtica, quæ non deſervit ut debet. Ergo non debet ei dari, ne daretur occaſio peccati. Quam pauciſſimi autem in terris iſtis jam reperiantur, qui debito modo miniſteria præſtent animabus ſibi commiſſis, quod nimis eſt miſerabile, & qui aut ex defectu juris, aut ſcientiæ, aut vitæ, aut diligentiæ circa eas, aut liberæ executionis officii ſui nihil habeant reprehenſibile, & quod eos tali officio reddat indignos. Quomodo vero tota Eccleſia per mala exempla clericorum & avaritiam corrumpatur, & negligentiam deformetur, & a ſtatu debito elongetur, & quanta ex hoc quotidie peccata increſcant, & quot bona negligantur per mundum, vix aliquis ſufficit æſtimare. Hæc & plura alia cum vera eſſe ſcimus, & tamen ea populo non aperte prædicemus, non debemus a clero judicari, quod confuſioni eorum intendamus, & eos populo ſtudeamus odibiles facere, ſed magis ſi haberent intelligentiam, agnoſcerent, quantum eos honoramus, & deferimus talia ſubticendo, propter cauſas ſupra notatas. Ideo tamen ſecurius iſta diſſimulamus, quod nec clericorum, nec laicorum cura nobis ita commiſſa eſt, ut de ipſis teneamur reddere rationem ſicut prælati ipſorum, ad quos ſpectat eorum correctio, niſi inquantum ex libera charitate conſideremus eis prodeſſe. Unde poſſumus tacere & loqui, quæ ſecundum Deum & nobis, & aliis expedire videmus, cum nihil a nobis amplius requiramus. Vitia autem laicorum liberius arguimus, quia & patientius ſuſtinent, & neſciunt litteras, quibus inſtruantur, quid debeant cavere vel facere, & minus periculum ſequitur, ſi eorum in publico propalentur exceſſus, & facilius emendentur. Clericis autem poſſumus in Capitulis ſuis, omnia pericula ſua in ſermonibus litteralibus ſeorſim oſtendere, cum reverentia charitatis, & maturitate benigna, & ſic magis proficimus apud eos.

Quæſtio ſecunda.

CUM ergo non ſitis judices clericorum, vel laicorum, nec ad vos ſpectet eos redarguere vel corrigere, ſed ad ſuos tantum rectores; quid uſurpatis vobis juris, etiam ſi cauſæ prædictæ non eſſent, ut alicujus vitia publice reprehendatis, ſicut

cut sæpe tangitis in prædicatione vitia quorumlibet laicorum, clericorum, & religiosorum, cum prædicator non debeat arguendo descendere ad species peccatorum, sed in genere solum ostendere vitia & virtutes, & nullum notabiliter confundere coram populo, peccata sua publice objurgando, aliis in scandalum.

Responsio.

Judicis officia.

Intelligentibus constat, quod multum differunt actio Judicis, & Doctoris. Judex enim ad quem spectat correctio delinquentium subditorum, debet investigare, excessus delinquentium audire, testes recipere, peccantem citare, crimina contra ipsum proposita ei obiicere, negantem convincere, convictum vel confessum punire, contumacem amplius, ut magis terreatur, arctare, & cogere ad satisfactionem, etiam invitum. Cum ergo formam istam omnino non teneamus in prædicando, non usurpamus nobis judicis officium judicantis super aliquem, sed imitamur tantum formam Doctoris. Doctor enim seu prædicator, qui diversi generis auditores debet instruere, ut virtutes magis reddat commendabiles necessarias ad salutem, vita his opposita quam sint nociva, & detestabilia ostendit. Et quibusdam generibus hominum quædam vitia sunt magis usitata, ut mercatoribus fraus & mendacia, militibus rapina & incendia, & ita de aliis necesse est, quod propter generalem instructionem quodlibet genus hominum specialiter arguat, & moneat sibi specialius insidiantia vitia cavere, sicut medicus ægros diversis infirmitatibus laborantes, docet a sibi magis noxiis cibis & aliis abstinere. Nihil enim prodesset infirmis si diceret, cavete ab omnibus cibis nocivis generaliter, nisi specificaret in qualibet passione quid illi specialius noxium esset, aut proficuum sanitati. Quod autem dicitur, quod prædicator debeat in genere omnes arguere peccantes, & non descendere ad species, hoc est intelligendum de notabili specificatione personarum, non vitiorum vel statuum, vel officiorum, quæ non possunt proprie describi, sine expressione officii vel statuum illorum, qui in hoc specialiter offendere consueverunt. Potest enim sic congrue generaliter dici, vos artifices peccatis frequenter in hoc, & vos milites in hoc, & vos religiosi in isto, vos clerici in illo, & sic de aliis, si sunt ibi plures de quolibet genere illorum ad quos loquitur, sive nullus, ut quisque sibi conscius talis peccati compungatur, & in se confundatur, & nullus specialiter notabilis de hoc reddatur, quem facti evidentia alias non facit notabilem, vel qui seipsum non prodit esse reum, sibi ascribendo specialiter cum murmure, quod generaliter dictum constat, juxta illud Poetæ:

Munus Doctoris, seu prædicatoris.

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.

Correctioni enim & ædificationi tantum debet intendere doctor fidelis, non confusioni vel infamationi alicujus præsentis vel absentis. Ubicumque ergo præsumitur, quod aliquis specialiter de peccato prius incognito aliis ex prædicatione reddatur notabilis, unde potest oriri gravamen, vel scandalum, melius est tacere, & alia ædificatoria magis loqui. Qui vero facere consuevit contrarium, aut contentiosum, aut invidum, aut imprudentem se demonstrat, aut vanæ gloriæ cupidum, qui non aliunde esset acceptus apud hominem, ex aliorum infamia gloriam sibi quærit. Quem confundendo exasperas, hunc tardius ædificas, & rancoris aculeo vulneras.

Quæstio tertia.

CUM in prædicatione, & confessione audienda, multa sit discretio necessaria, & peritia Scripturarum, quare ad hæc officia tam juvenes, ut videtur, & immaturos promovetis, qui & sibi, & aliis aliquando minus prosunt, & fortasse etiam obsunt, cum in clericis aliis hoc reprehendere soleatis animarum rectoribus?

Responsio.

Licet enim aliquando quod junior litteratior sit, & magis discretus sit quam senior, & facies juvenilis sæpius majorem celet ætatem, & morum

rum maturitas ætatis defectum suppleat: in plerisque tamen etiam propter hoc aliquoties ad hæc officia promovemus juniores, ut interim discant per exercitium, quia cum vident se ad hæc officia assumptos, diligentius student, qui alias forte segniores essent in studendo, & minus proficerent. Minus etiam obest, si minus adhuc perfecti sunt promoti, dum vivunt adhuc seniores, qui eos possunt informare, & corrigere, & defectus illorum in consiliis supplere, quam si illi deficerent penitus, & nemo eos tunc sciret instruere, si tunc primo exercitari deberent. Tot etiam sunt requirentes a nobis prædicationes & confessiones, & consilia, quod seniores non sufficiunt omnibus satisfacere. Ideo oportet nos de junioribus aliquos qui sperantur idonei promovere, qui onus seniorum sublevent, & petentibus satisfaciant, prout sciunt. Quamvis nullum scienter promoveamus, quem non speremus idoneum. Tamen aliquando aliquis præter voluntatem nostram, minus efficitur utilis, quia multa sunt, quæ ad idoneitatem tanti officii requiruntur, & satis est difficile, hæc omnia simul in omnibus reperiri.

Quæstio quarta.

QUÆ sunt ergo necessaria illi, qui ad prædicationis, & confessionis officium est assumendus?

Responsio.

Qualis debeat esse promovendus

Ut ad hoc sit idoneus, præter habilitatem illam quam confert gratia, quæ etiam est efficacior omnibus, quæ non in nostra potestate consistunt, sed in beneplacito Dei, singulis prout vult dona sua dividens, ista considerare in promovendis solemus ad hæc officia. Primo, quod sit competentis ætatis, non multum a tricesimo distans anno, quia quæ fiunt a pueris, puerilia reputantur. Secundo, quod non sit etiam facie, & moribus puerilis, quia ista multum minuunt auctoritatem apud homines, tam dictorum, quam factorum. Tertio, quod non sit valde notabiliter deformis in corpore, videlicet nimis brevis, vel crassus, vel gibbosus; vel aliter turpiter deformatus, ne per hoc ejus prædicatio despectui, & risui haberetur. Quarto, quod non sit etiam valde debilis corpore, cum ex hoc labores hujus officii exequi viriliter non valeret. Quinto, quod sit competentis facundiæ, ut possit ea quæ debet, proponere sine fastidio auditorum. Sexto, quod sit saltem in grammatica, & sacra Scriptura, tam sufficienter instructus, quod sine errore, vel confusione sciat coram populo & clero proponere veritatem; & in consiliis competenter satisfacere requirentibus de causis necessariis, & in confessione de pœnitentiis injungendis imponendis. Septimo, quod sit talis in vita & in moribus, quod de ipso, & fratres interius, & alii exterius nihil videant vel audiant, per quod doctrina prædicationis ejus apud audientes quoquo modo vilescat. Nam cujus vita despicitur, restat ut ejus etiam prædicatio contemnatur. Octavo, quod etiam naturali tantum polleat industria, quod per fatuam simplicitatem non reddat contemptibile, quod per acquisitam scientiam apprehendit, ut sciat se honeste gerere inter homines, & prudenter in omnibus se habere. Nono, quod non sit minus ad hoc voluntarius, ut si ad hoc motu proprio non trahitur, saltem propter obedientiæ bonum proximorum saluti intendere prædicando, consulendo, & confessiones audiendo, & alios ædificando non contentiose recuset. Gregorius: Quod mens voluntarie non recipit, congrue non disponit. Sic multi Sanctorum officium quo prodesse debebant proximis, humiliter refugiebant, & tamen ad hoc tracti per obedientiam, sollicite adimplebant, ut Moyses, Hieremias, & alii plures novi & veteris testamenti Doctores. His donis ornato, si gratia affuerit, potest & debet imponi officium prædicationis, & confessionis, in ordine ubi fuerit necessarium. Qui vero alios non idoneos pro privata societate promovent, ordini confusionem, & animabus nocumentum, & ipsis promotis detrimentum, & sibimet culpam non

Greg. hom. 3 in Ezech. ar. med. in fin.

non parvam procurant, cum negligentiæ inutilium & imperitorum tam in consiliis incautis, quam in absolutionibus inefficacibus, & in aliis nocumentis animarum ab eis, qui tales promovent, merito requirantur. Tales enim in multis sæpe possunt offendere vel scandalizare, dum non dicenda populo prædicant, vel falsa docendo errorem inducunt, vel aliter forte minus composite se habendo. Item in confessione forte nesciunt confitentes debito modo instruere, nec inter peccata gravia & levia distinguere, & aut faciunt ex nimio rigore desperare, aut cum adhuc in statu damnationis sunt, dant eis spem de salvatione, & indulgent eis corpus Domini recipere. Et maxime circa rerum injustarum acquisitionem, vel restitutionem multi seducuntur, dum non informantur, quæ sit injusta conquisitio, vel qualiter pure restituant, quibus debent. Ex moribus etiam quorumdam, & vita prædicantium, vilescit sæpe doctrina verborum, dum alta docent verbo prædicationis, sed minus ædificatoria ostendunt exemplo actionis. Unde ut diligenti examinatione indiget, qui debet esse Doctor in medicina corporum, ita multa consideratione opus est, si sit idoneus qui debet esse Doctor & medicus animarum, cum sint subtiliores & periculosiores & incurabiliores morbi peccatorum, quam passiones corporalium infirmitatum. Illi vero, qui se ad hæc officia impudenter ingerunt, indignantes si ad ea tardius promoventur, quam sint imprudentes perpendere nolunt aut nesciunt, & eo ipso se ad hoc ostendunt & reddunt indignos. Nam si digni fuerint & idonei, non debent se ad hoc ingerere, sed modeste expectare, quousque per inspirationem Dei, a prælatis suis & fratribus ad hoc suo tempore assumantur. Si autem indigni vel nondum idonei, tunc si se ingerunt, primo quidem temerarii sunt, quod antequam vocentur ad tantum officium currere præsumunt, unde Hieremias: Ipsi currebant, cum ego non mitterem eos, scilicet prædicare. Et Paulus: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Hier. 23 Tom. 10 Hebr. 5* Idem alibi: Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron, &c. & Christus dicit in Joanne: Neque enim a meipso veni, sed ille me misit, scilicet Pater. Secundo superbi, quia seipsos reputant dignos & idoneos, ad quod forte nec Deus, nec fratres, vel Prælati sui judicant eos idoneos, sicut Chore, qui voluit sibi sacerdotium vendicare. *Joan. 7 Num. 16 per totum.* Tertio stulti, quia cum talia officia sint occasio tentationis per inanem gloriam, avaritiam, luxuriam, noxiam libertatem, & internæ devotionis extinctionem, & alia plura pericula, quod ipsimet se talibus incaute ingerunt, nimis stulte se tantis periculis sine necessitate exponunt, cum fugere magis deberent a periculo, quam illud appetere nescientes, quo exitu bellum, quod sibi concitant, finiatur. Quarto, non carent rancore invidiæ, vel contra eos, qui ad hæc officia eos promovere possunt & non faciunt, vel qui forte impediverunt, imputantes illorum malevolentiæ, magis quam suæ insufficientiæ, quod non promoventur, cum ipsi sibi videantur ad hæc digniores, quam illi, quos vident jam promotos esse, quibus in scientia, & aliis se reputant aptiores.

Quæstio quinta.

CUM prudentum si non leviter retractare quæ faciunt, sed ante diligenter deliberare facienda, ne postea oporteat revocare, & vos toties mutetis Prælatos Ordinis, videmini aut inconsiderate constituere inutiles ad tantum officium, aut sine ratione utiles deiicere, & quod est signum inconstantiæ & impatientiæ, quod non possitis pati rectores idoneos, quos injuriose abiicitis, aut quod in officio ita perversi fiant, quod merito non debeant in eo diutius tolerari, aut quod tam paucos habeatis in Ordine pro Officio regiminis idoneos, quod semper quæritis meliores.

Responsio.

Sicut supra de Officiis & confessionibus dictum est, plures conditiones ad hæc forte necessarias, ita de offi- *In officio regiminis quæ sint spectanda.*

officio regiminis animarum est tenendum. Requiritur enim in Prælato ætatis maturitas, honesta admodum personalitas, vitæ irreprehensibilitas. Quarto, quod non sit idiota in litterarum scientia. Quinto, quod sit discretus & providus ex naturali industria. Sexto, quod sit zelator justitiæ & Ordinis disciplina. Septimo, quod sit tractabilis per mansuetudinis lenitatem. Octavo, quod sit compassivus pietate fraterna. Nono, quod sit devotus habens Orationis usum, & fiducialiter agens cum Deo. Decimo, ex gustu internæ dulcedinis ejus, & experimento crebro exauditionis, qui semper in Officio esse se doleat, & tamen cum ad hoc compellitur, æquanimiter illud ferat, nec propter hoc ut citius absolvatur ab officio negligentius in eo se gerat. Undecimo, quod corporis imbecillitate a communis vitæ observantia non omnino impediatur. Istæ conditiones simul omnes in paucis reperiuntur, ideo paucos stabiles in Officio possumus habere Prælatos, dum aut minus sunt corpore debiles, pro talibus laboribus & sollicitudinibus sufferendis, aut nimis involuntarii pro timore conscientiæ, dum semper timent minus quam debeant facere, aut in exterioribus provisionibus mitti, aut mores eorum in aliquo fratribus displicent, vel minus placent, aut forte in alio loco vel Officio utiliores sunt quidam, propter ista sæpe mutantur Prælati. Bonum est etiam propter hoc, ne fiant aliquando insolentes, si scirent se in dominio permansuros diu, ut sic in humilitate serventur, & subdit, quibus forte gravis esset illorum alicujus prælatio, de spe facilis absolutionis ejus consolentur. Sunt etiam quidam boni subditi, sed inutiles pro Prælatis, ideo deponentur.

Quæstio sexta.

CUR autem toties mutatis fratres aliquos de loco ad locum. Suspectum enim videtur, quasi aliquod crimen ibi commiserint, unde mutantur, vel quasi ex impatientia sua, vel aliorum non possint ibi manere, vel ex rancore non permittat eum Prælatus ibi stare, ubi diligit & consolatur esse.

Responsio.

Vix aliquid fit tam pure, quin possit ab aliquo sinistre interpretari, quasi male fiat. Sed bonum non ideo malum est, si illud mali, seu stulti dicunt malum. Sunt autem plures causæ quare fratres de loco ad locum mutantur. Aliquando consolatio ejus, qui mutatur, quia sic petivit. Aliquando consolatio ipsorum ad quos mittitur, quia hoc petiverunt diligentes eum, pro bona conversatione vel utilitate. Aliquando forsitan, quia alibi magis necessarius est, & utilis pro prædicatione & confessione, vel alio Officio domus illius. Aliquando pro majore spiritus ejus quiete, quia ibi minus a parentibus & aliis requirentibus infestatur. Aliquando pro communi recreatione, quia aer vel victualia plus ibi competunt ei, vel suppetunt pro indigentia sua. Aliquando, quia in uno loco habet aliquis tentationis alicujus materiam, quam non habet in alio. Posset etiam aliquando accidere, quod aliquis deliquisset in uno loco, quod pro sopiendo scandalo, expediret eum mutari in alium locum. Similiter posset aliquis ita esse distortus moribus, vel ex aliqua corporis qualitate onerosus, quod pro partitione oneris aliis transmitteretur ad tempus, ut alii interim ab eo relevarentur, sicut onus ab uno humero in alium commutatur. Valet etiam ad hoc maxime talis mutatio, ut fratres secundum regulam agnoscant se peregrinos & advenas in hoc mundo, non habentes hic manentem civitatem, & semper æternam patriam inquirentes. Si enim in uno loco diu stare deberent, quidam nimias ibi contraherent cum extraneis, cum potentibus, cum feminis amicitias, corporis commoda procurarent, sumptuosa ædificia construerent, & cum ibi quasi notiores magis viderentur esse necessarii, tanto vellent esse super ceteros potentiores, ita ut nec prælati auderent sine ipsis in domo aliquid ordinare, & veluti quadam diuturnitatis præscriptione stabiliti vix æquo animo ferrent, si vellent

Cur fratres de loco ad locum juste mutentur.

eos pro aliqua causa mutare, etiam si omni modo expediret. Ut ergo puritas paupertatis & obedientiæ melius observetur in ordine, & mala plurima præcaveantur, expedit fratribus aliquando a loco mutari.

Quæstio septima.

CUM potius deberetis diligere si religiosi & boni apud vos essent vicini, quam sæculares & insolentes laici, quare impeditis aliquando etiam per privilegium Papale, alios religiosos circa vestram habitationem sibi mansionem construere, nisi quod videtur invidia esse in causa?

Responsio.

Cur jure cautum est, ne monasterium juxta aliud monasterium ædificetur.

Non pro invidia, sed potius pro pace privilegium hoc a sede Apostolica datum agnoscitur, & ob eamdem causam pacis eo utimur, cum non tam nobis quam etiam aliis possit aliter in posterum turbatio & materia scandali suboriri. Si enim aliquando necesse foret eis vel nobis areas nostras ampliare, non possemus, cum alii priores eas jam occupassent. Si autem aliquæ areæ inter nos & illos essent mediæ, cum utrique eas certatim præoccupare desiderarent, ex avaritia sua venditores earum vix pro triplicato pretio eas darent. Vel si forte pauperes essent possessores earum, aliquis dives avarus eas præemeret, ut nobis eas postea carissime venderet, videns nos ipsis necessario indigere. Item forte conveniret eis, vel nobis, officinas nostras propter situm loci aliquando sic ordinare, quod essent aliis pro magno incommodo, & frequenti cordium turbatione, ut si chorus ipsorum poneretur apud locum infirmorum nostrorum, vel aliter quolibet modo, videlicet latrina, coquina, dormitorium, refectorium, capitulum, domus hospitum, quod propter pacem infirmorum cordium, magis expedit nos esse longius segregatos. Posset etiam quandoque divinum Officium apud alterutros impediri, si oratoria nimis essent contigua, cantu suo mutuo se impedientibus. Idem posset fieri de prædicatione, cum utrobique forte pro causa aliqua prædicare contingeret. Si etiam aliquis quandoque confiteretur apud illos, & placeret ei etiam alicujus apud nos consilium requirere, aut non auderet facere hoc, timens quod prior confessor indignaretur, quasi non sufficeret ei pro confessore dum quæreret alium, aut forte putaretur velle explorare, quid ille vel ille consuleret, & inde quærere materiam detrahendi. Si qui etiam magis frequentarent illos, quam istos in officio divino vel in aliis, viderentur alios minus diligere, & fieret materia murmurandi. Infirmis enim cordibus ex levi occasione plus infirmandi materia ministratur: & ideo necesse est, ut præcaveantur talia, quæ ipsis nocent, & alios scandalizant, ne postea emendari non valeat, quod in principio facilius præcavetur. Utilis etiam est hominibus civitatis, ubi fratres morantur, quod in diversis locis a se disjunctis Religiosi morentur, quam quod in uno angulo plures manerent, & alia pars inanis remaneat, per quorum vicinitatem possent spiritualiter consolari. Quod si forte tales forent Religiosi, qui apud nos habitare vellent, per quos non ædificarentur fideles, sed potius scandalizarentur, tunc omnino expedit, quod non sint nobis vicini, ne forte ipsorum insolentiæ nobis aliquando ascriberentur, aut nesciretur an ad eos, vel ad nos latenter intrarent personæ suspectæ, aut certe ipsorum dissolutio fieret aliquando novitiis nostris tentationis occasio, vel etiam aliis causa inquietudinis, & impedimentum in studio spirituali. Si autem quidam infirmi aliquando dolerent, cum forte viderent aliis Religiosis largiores eleemosynas dari quam sibi, & ex hac invidia torquerentur de vicinitate illorum, hoc nec probamus, nec omnino negamus, sed non est nostra intentio propter hoc prædicto uti privilegio, sed potius propter causas ante positas, & si quæ aliæ possunt rationabiles inveniri.

Quæstio octava.

Cur habitum nostrum ab

CUM unicuique liberum sit, vestem suam formare prout vult, & de

alliis deferri indecens sit, nec sustinendum omnino.

& de panno seu colore quolibet, videmini valde injuriari quibusdam Religiosis viris vel feminis, prohibendo ne deferant vestes in colore vel forma habitui vestro conformes.

Responsio.

Multis de causis habitum nostrum alios ferre non sustinemus, & per privilegium Apostolicum omnibus inhibemus. Una causa, quia cum simus ex professione regulæ mendicantes, si sub nostro habitu diversi hinc inde mendicarent, homines qui jam illis eleemosynam dedissent, & nos vel alii in simili habitu iterum supervenirent, putarent, quod idem ex avaritia iterum peteretur, & scandalizarentur de ipsis vel de nobis, quod nimis eos petendo gravaremus. Item cum putarent nobis dedisse, quod aliis nobis similibus dederunt, qui inter habitus nescirent discernere, recusarent nobis iterum dare eleemosynam, & sic nihil acquirere possemus & periremus. Item cum multi intelligerent, quod homines magis diligerent nos, & libentius nobis subvenirent quam aliis, sub habitu nostro per terras discurrerent, & quod nobis dandum esset, ipsi prærriperent fraudulenter, & peccarent, & nos fraudaremur, & homines gravarentur. Alia causa, quia pro ædificatione Ecclesiæ specialiter missi sumus, si sub nostro habitu alius aliquo peccato scandalizaret homines, vel nos taliter infamaret, vel suam sic nequitiam contegeret, cum rejecto habitu nostro non agnosceretur, sed frater noster Ordinis nostri putaretur hoc fecisse, Ecclesia non haberet de nobis ædificationem, sed scandalum, & nos frequentes exinde confusiones pateremur, cum multa similia attentarent, sicut comperimus aliquoties esse factum. Item posset hæreticus aliquis sub nostro habitu in locis opportunis docere hæresim, ut sic ei quasi probato fratri Ordinis nostri crederetur, & nos similiter infamaret. Item si forte aliquando ex nostris aliqui in via minus honeste se gererent, cum super hoc corriperentur a nobis, possent se excusare, quod sub nostro habitu alii hoc fecissent, cum de personis esset dubium, quæ fuissent. Ne igitur A tantus Ordo totaliter confundatur, & tot mala inde proveniant, expedit ut Ordinis nostri habitum nullus alius permittatur deferre. Quid etiam mali sequeretur, si mulieres eum ferre permitterentur, quisque prudens per se potest perpendere: & ideo est studiosissime prohibendum.

Quæstio nona.

CUM asseratis vos secundum regulam, & professionem vestram, nullos debere recipere proventus redituum, seu possessiones, exceptis domibus, in quibus habitatis, videmini transgressores regulæ vestræ, in eo quod recipitis domos vel areas non B contiguas vestris areis, in quibus habitatis. Eodem enim modo si hoc licet, poteritis etiam vineas recipere, & agros, & mansos, & similia quæque recipere, immo grangias, & villas, & castra, & terras, & oppida, & quæcumque fuerint vobis data, & sic pristina paupertas, & mendicitas, quam professi estis, paulatim evanesceret, & non eritis discipuli sancti Francisci, cum non sequamini vestigia ejus, nec ejus regulam teneatis. De domibus enim vobis contiguis potest esse excusabile, quod pro dilatanda area vestra illas quandoque recipiatis, sed de aliis non ita, in quibus homines alios pro censu locatis, quem procurator vester loco C vestri exigit, & in usus vestros convertit de voluntate vestra.

Responsio.

Si qui in talibus incaute agunt, dolemus, & contradicimus, & prohibemus. Qualiter autem in hoc licite agere possimus, adverte, & tunc non judicabis nos (si sane intelligis) transgressores. Protestamur nos secundum regulam nostram, nil debere, seu velle possessionis, vel certorum redituum recipere, vel habere. Quia vero mendici sumus & pauperes, ea quibus pro præsenti necessitate indigemus, ideo recipimus, prout licet, sive pro solvendis debitis, vel aliis necessariis procurandis. Cum ergo aliquis ex devotione vult nobis legare domum suam, vel aream non contiguam nostræ mansioni, nec reci-

Quemadmodum legata possint a fratribus recipi.

cipimus eam, nec per nos, nec per A interpositam personam ut nostram. Sed si ille eam disponit per alium quemcumque, ut ea vendita, de pretio ejus provideatur nobis ex parte sui in his quibus tunc indigemus, procurandis vel solvendis debitis, acceptamus. Si autem ille timens ne forte ejus talis dispositio per heredes suos, vel alios in posterum impediatur, & propter hoc præoccupat roborare illam sigillo alicujus judicis, vel civium, vel alterius, & committit sic alicui amico suo eam, vel fratrum, qui conservat, quod ipse disposuit de domo tali, vel area, nil ad nos, cum de rebus suis possit ordinare quod volet. Nec domum, nec locum talem dicamus esse nostrum, B cum nihil juris nos ad ea protestemur habere. Similiter si aliquis disponeret per amicum, vel alium, quod de pretio vel de proventibus illis, vel illis, darentur fratribus tot panes quotidie, vel tantum eleemosynæ singulis septimanis, aut annis, non essemus propter hoc prædii, vel redituum possessores. Nam si me petente eleemosynam, aliquis dives promittat, quod singulis annis velit dare fratribus duas tunicas, vel tantum unam, vel singulis hebdomadibus tot panes, & hoc committat Officialibus suis, ut vice sui ista dent etiam eo absente, & hoc pro fratribus recipiam, vel etiam si illi negligant dare, admonendo exigam, C numquid propterea certos reditus habere dicendi sumus, cum non ex jure, sed ex gratia solum talem eleemosynam recipiam, vel exigam? Et si post obitum illius, uxor ejus, vel alii amici pro anima illius, adhuc velint, aliquo tempore talem nobis eleemosynam per se, vel ex dispositione illius largiri, possumus similiter recipere ex eadem gratia, ita quod quandocumque nollent amplius ista dare, nil peteremus ab eis quasi ex debito, sed more mendicorum recurreremus ad domum clementis domini pro quotidiana eleemosyna, quandiu illi placeret, sed quando plus nollet, abiremus vacui, gratias agentes de dato, & non murmurantes de negato. Hæc est vera, & pura vita mendicorum, quod datur ex gratia recipere, non ex jure. De censibus vero domorum fratribus legatarum nihil quærimus, sicut nec de aliis reditibus. Si autem antequam vendantur, aliquem inde censum recipiunt, in quorum tunc potestate sunt illæ domus, nihil juris habere in eo protestamur, sed eleemosynam nobis sponte oblatam simpliciter recipimus, sicut aliunde donatam. Quia vero Dominus docet nos cavere ab hominibus, & Apostolus ab omni specie mala abstinere, ne putemur ab ignorantibus transgressores regulæ nostræ, debemus aperte protestari, nil nobis juris in talibus donationibus velle habere, sicut tenetur suspectus de fornicatione omnia illa cavere, ex quibus posset ista suspicio probabilis judicari. *Mat. 10.* *1 Thes. 5.*

Quæstio decima.

CUM nulli deberetis facere injuriam, vel damnum inferre, hoc non servatis, quia sæpe contra voluntatem Plebanorum recipitis domos in eorum parochiis, unde eis multum deperit de oblationibus, & aliis proventibus, dum vos occupatis loca in quibus alii habitarent, qui eis ista persolverent. Item sæpe sine licentia Episcoporum, intratis eorum diœceses. Aliquando inconsultis Dominis terræ, vel civitatis domos recipitis in eisdem.

Responsio.

Non omnia quæ fiunt contra voluntatem alicujus, ad injuriam ejus fiunt. Cum ergo cives alicujus oppidi nos vocant, & locant nos apud se in tali loco, ubi etiam possent Judæos locare, vel aream pro ludis facere, vel horrea seu stabula, de quibus nil proveniret Plebano loci, etiam si nos ibi non essemus, non facimus eis injuriam ullo modo. Sumus etiam non deterioris conditionis, quam alii Christiani, vel religiosi, quibus conceditur domos recipere, & loca ubicumque dantur ab eis, qui habent jus liberum dandi eis, maxime cum per Sedem Apostolicam sit Ordo noster approbatus, & in subsidium animarum in Ecclesia de-

destinatus; & hoc bonum per aliorum malitiam non debeat impediri. Si enim numquam deberemus morari, nisi de voluntate clericorum, vix umquam in Ecclesia possemus diu morari, dum per se, aut incitati per alios, eiicerent nos de parochiis suis potius quam hæreticos vel Judæos. Episcopis etiam nullam facimus injuriam, cum non gravemus eos in aliquo, sed juvemus prædicando, & consulendo eorum subditis, ut devotius obediant, & onus regiminis eorum tanto portabilius fiat eis, de quo in judicio extremo oportet eos reddere rationem. Si autem movet eos, quod sumus exempti a jurisdictione ipsorum quoad nosipsos; tunc e converso consolentur, quod liberiores sunt, quod pro nobis non tenentur reddere rationem, ut de nostra gubernatione carent honore, ita sint liberi a sollicitudine, & labore, excepta providentia pietatis, & inter nos in suæ pacis unitate servanda. Domino etiam terræ, vel villæ non facimus injuriam, si eo inconsulto, quandoque vocati a civibus, mansionem recipimus in villa, ubi liberum esset eis (si vellent) theatrum facere, vel locare Judæos, vel locum relinquere vacuum, quia de ipsius fundi possessione nil ei subtrahimus, nec aliquid proprietatis nobis de illo vendicamus, maxime cum cives amore nostræ commorationis ibidem Domino refundant aliunde, si quid forte de area nostra deberet annuos census percipere, si nolit pro Deo carere. Nam si etiam contingeret, nos post hæc a loco penitus discedere, nec venderemus aream, nec alicui partem traderemus, sed sicut concessum est nobis, eis ad quos pertinet dominium, relinqueremus. Ipsum quoque oratorium nostrum, non fit parochiali Ecclesiæ præjudicium, in quo nec oblationes ejus ad Missam percipimus, nec aliquos homines ab ipsa nobis attrahimus, quin omnia jura sua viventes & mortui, Ecclesiæ parochiali persolvant. De sepultura vero constat ex jure communi, quod si apud nos eligunt sepeliri, possent, & alibi si vellent ubicumque, sine præjudicio Parochialis Ecclesiæ hoc facere, nec ad hoc possent in aliquo impediri:

Quæstio undecima.

QUid ergo dicitis ad hoc, quod in pluribus locis dicuntur fratres vestri alios religiosos, vel clericos ejecisse violenter de propriis Ecclesiis, vel Monasteriis, & ibidem eis invitis sibi mansionem fecisse, quomodo potest hoc excusari ab injuria, & violentia?

Responsio.

Ubicumque hoc factum est, non est per fratrum violentiam factum, sed vel per Episcopum loci, vel ex jussu Domini Papæ qui intelligens clericos illos, vel religiosos ibi minus honeste se gerere, vel ad tantam paupertatem redactos esse, quod divinum servitium ibi ita esset delapsum, quod per ipsos non erat spes restaurationis, auctoritate Apostolica mandavit illos alibi locari, assignatis sibi certis reditibus, unde possent congrue sustentari, & fratres nostros ibi habitare, & divina officia celebrare, cum ad ipsum spectat de omnibus locis religiosis ordinare, ut sacra ibi Religio instauretur, sive per illius Ordinis personas sive per alias alterius Ordinis, sicut viderit, expedire.

Quæstio duodecima.

CUM deberetis omnia mala vobis illata patienter sustinere, & nullam super his apud judices querimoniam facere vel movere, quid est, quod non solum istud non facitis, sed etiam non contenti Episcoporum judiciis, obtinetis a Sede Apostolica judices, & conservatores, & ad illos quoslibet molestantes vos etiam leviter citatis, & gravatis laboribus, & expensis, donec satisfaciant vobis pro velle vestro? contra Apostolum qui ait: Delictum est in vobis, quod judicia habetis. 1 Cor. 6

Responsio.

Injurias & molestias ex quibus aliud malum non sequitur, nisi quod illa

hora sentiri potest, ut sint verba probrosa, vel damna rerum, seu verbera, & similia, possunt viri religiosi æquanimiter sustinere, quia nil aliud afferunt nocumenti. Sed ubi possunt graviora damna subsequi, videlicet animarum gravia nocumenta, ibi non est expediens talia tolerare. Nam cum simus in Ecclesia Dei, ad multarum animarum salutem a Sede Apostolica destinati, per officium docendi, & extrahendi homines a peccato, si quis infamaret Ordinem nostrum, quod essemus seductores, aut hæretici, aut criminosi, aut non habentes auctoritatem prædicandi, seu confessos nobis, & contritos absolvendi, cum a Domino Papa, vel etiam Episcopis habeamus, non solum B læderet nos sic reddendo despicabiles hominibus, quod subtraherent nobis beneficia sine quibus sustentari non possumus, sed etiam noceret omnibus, qui ex hoc inciperent nos persequi, & graviter peccarent. Et qui crederent nos tales esse, sicut & ille assereret, nec prædicationes nostras attenderent, nec consilia salutis requirerent a nobis, & jam nullus Ordinem intrare curaret, immo debiles mente Ordinem tentarentur relinquere, quem viderent ab omnibus conculcari. Insuper hæretici se detractoribus nostris libenter adjungerent sub specie amicitiæ, ut nos amplius redderent odiosos, ad hoc ut doctrinam nostram hominibus redderent odibilem, & ita astute sibi attraherent corda eorum, & paulatim ducerent in errorem, cum nos maxime timeant, modo in hoc sibi esse resistentes. Plura alia mala suscitarent nobis veritatis adversarii, si non haberemus munimen per Sedem Apostolicam, quæ non tam nobis quam Ecclesiæ, & fidei Catholicæ valde nocerent, & hæc in dedecus ipsius Sedis redundarent, quæ Ordinem plantavit, & confirmavit, & ad profectum Ecclesiæ destinavit. Nam & Apostolus Paulus, qui paratus erat omnia adversa subire pro Christo, videns obesse fidei, & Ecclesiæ si traditus fuisset a Felice, vel Festo Judæis ipsum perimere cupientibus, Cæsarem appellavit, ut legitur in A Actis. Ut ergo parcamus eis a peccato iniquæ persecutionis, & nobis a frequenti vexatione, & aliis a nocumento animarum, conservatores habemus a Sede Apostolica nobis datos, qui privilegiorum nostrorum jura defendant, & a calumniantibus tueantur.

Act. 25

Quæstio decima tertia.

Cum denarios seu pecuniam, nec per interpositam personam, ex regulæ vestræ præcepto debeatis recipere, & tamen aliqua recipiatis, quæ venduntur postea pro pecunia, non video qualiter excusemini a transgressione hujus præcepti: quia vendita re illa, sicut prius vestra fuit res ipsa ante venditionem, ita etiam erit pecunia vestra, quæ pro re data est, cum non habeat alium Dominum, nisi fratres, quod illicitum est omnibus manifeste.

Responsio.

Tria eleemosynarum genera dantur nobis. Aliqua enim recipimus quibus uti volumus, ut victus & vestitus & libri nobis utiles, & similia quæ non proponimus alienare ab Ordinis usu. Quædam autem dantur nobis, quibus numquam in illa specie uti volumus, ut vestes sæculares, & libri nobis non apti, vel etiam aliqua superflua victualia, quibus forte non C indigemus ad præsens. Ista si nolunt fratres recusare propter devotionem dantium, potest procurator ea vice illorum servare, sicut pecuniam pro fratribus ei commissam, ut suo tempore inde provideat eis, quibus indigent ex parte illorum. Quædam vero dantur nobis pro usu nostro, & ea per nos recipimus, & postmodum aliquando contingit, quod ea volumus alienare. Si illa simpliciter vendimus, tunc fiet sicut dicitis, quod illa pecunia nostra est, sicut res vendita fuerat ante nostra. Sed ne transgressores regulæ nostræ simus, recipiendo pecuniam per interpositam personam, tres vias pro hac cautela tenemus. Aut enim rem illam quæ vendi deberet commutamus pro alia, qua indigemus, non interveniente pecu-

Eleemosynarum quæ fratribus fieri solent tria genera

pecunia, ut librum pro libro, oleum A pro cera ad luminaria, & sic de similibus. Aut rem illam damus pro solutione debitorum quantum res illa valet. Aut damus eam alicui ut sua sit, & nobis pro ea de aliis quibus indiguerimus tantum acquirat, quantum res illa distracta valeret. Sive autem ille qui sic eam recipit postea vendat, sive reservet ut suam, nil ad nos, cum jam non sit nostra, sed ipsius, & ita non erimus præcepti illius de non recipienda pecunia transgressores. Qui aliter facit, videat quomodo conscientiam apud Deum justificet, & apud homines de scandalo se excuset.

Quæstio decima quarta.

Olim non mendicastis, nisi solum quo indiguistis, nunc autem non solum petitis pro futuro tempore necessaria, sed etiam de una specie tanto plus acquiritis, ut unum pro alio commutetis, ut oleum pro caseis, vel similia pro aliis in hunc modum.

Responsio.

Ut supra dixi, dum pauci eramus, paucis indigebamus, nunc autem plures facti, pluribus indigemus, & sicut aliquando mendicus per plateas discurrens (cui solum panis aridus hinc inde datur, quem communius habent homines, & paratius quam alios cibos,) dat aliquam partem panis pro buccella casei, vel ovo, vel pomo, eo quod non semper valet arido pane sustentari, cum sit inedia confectus: ita & nos, cum non inveniamus ubique singula quibus indigemus pro sufficientia ad mendicandum, eo quod in omnibus terris non omnia abundent æqualiter, & homines non habent nobis dare illa quæ non habent, & oportet nos de talibus, quæ in quolibet loco magis abundant, tanto plus petere, ut per illa & alia conquiramus, quæ aliter ibidem non possemus habere, & quibus similiter indigemus, & hoc non est avaritiæ, sed indigentiæ imputandum.

Quæstio decima quinta.

Multitudo est in causa, quod multis indigetis, quare ergo magnos conventus facitis, & non potius bini, vel quaterni, vel ad plus seni, vel octeni in domibus pauperculis habitatis, ut quietius, & in majori paupertate ibi viveretis & humilitate, quia pompositas quædam videtur gloriari de multitudine?

Responsio.

His de causis magis diligimus magnos conventus: quam parvos, videlicet, quia major disciplina potest B ibi servari, dum occupatio officiorum in plures divisa ordinatius & expeditius administratur, & coram pluribus quisque minus audet negligens aut insolens esse, & quilibet informatur ab altero moribus & scientia. Et ex his major potest esse devotio, & ordinatior vita, & officium divinum pulchrius, & major cautela contra quælibet tentamenta vitiorum, & novitii melius ibi informantur. Item, quia major provenit utilitas inde animarum, dum plures ibi stare possunt confessores & prædicatores. Vel etiam potest ibi melius teneri studium Theologiæ, in quo habiles exerceantur ad eruditionem aliorum. In parvis autem C domibus dum alii sunt in terminis, alii in villa pro eleemosyna, alii forte debiles & infirmi, alii occupati officiis in domo, nec disciplina religionis, nec studium, nec devotio in divinis valet, prout expedit, observari.

Cur magni conventus a fratribus recipiantur.

Quæstio decima sexta.

Cum videmini zelatores esse animarum, & sancti Francisci deberetis in omnibus imitatores esse, cur Ordinem illum, qui dicitur pœnitentia, quem ipse instituit, non promovetis, ut ubique dilatetur in Ecclesia, & multi salventur in eo, eum laboratis convertere & fovere ad bonum, qui vobis sunt minus ex paterna traditione annexi?

Res-

Responsio.

Cur pœnitentium ordo tertius non admodum excreverit.

Quod in aliis laboramus ut convertantur & proficiant in bono, ibi habemus fructum, & conservamus libertatem nostram, ne plus quam nobis expedit, occupemur per eos. Per istos autem pœnitentes si multiplicarentur, impediremur, quod aliis minus prodesse possemus, dum quasi ex jure exigerent a nobis, ut ad omnia, quæ tangerent eos, essemus parati. Alioquin improperaretur nobis, quare ad hunc Ordinem eos induxerimus, si curam ipsorum nollemus. Si contingeret eos aliquando astare judicio vel seculari, vel Ecclesiastico, vocarent nos, ut eis assisteremus, & pro eis intercederemus. Si aliquis impeteret eos pro debitis vel offensa, objurgarent nos, quare non faceremus ei justitiam fieri ab illo, qui in nostro regimine & obedientia conversatur. Et sive juste, sive injuste moveretur, nobis imputaret, si pro voluntate sua ei non satisfaceret, maxime si iste diceret, se nil facere nisi de nostro consilio sive jussu. Si aliquis eorum captivaretur, vel a domino suo, vel alio molestaretur, vellet quod fratres causam ejus agerent, & hinc inde discurrerent, ut eum a tali molestia liberarent. Sicut vidua ad Eliseum venit, ut eam a creditoris sui vexatione liberaret. Si aliquis inops esset nimis, & non habens aliunde subsidium corporale justum videretur eis, & aliis, quod nos sicut fratribus spiritualibus eis provideremus, & forte plures in illa spe ordinem illum assumerent, ut eis in hujusmodi subveniremus, & maxime fœminæ vel beguinæ. Si aliqua ipsarum de aliquo crimine infamaretur fornicationis, vel adulterii, statim qui nos forte non diligerent, divulgarent istud in nostram infamiam, dicentes: Ecce sorores nudipedissæ, parvulos nudipedes procreant eis. Sed a quo illos concipiunt, nisi ab eis, qui toto die occupantur cum ipsis? Et lascivi clerici vel laici in odium nostri magis essent sororibus illis infesti, ut aut corrum-

4 Reg. 4.

A perent eas, aut infamarent, cum ipsarum dedecus in nos plusquam in alios redundaret. Si quando inter eas aliqua fieret disceptatio, oporteret nos occupari in reformatione pacis inter eas, propter cavendum scandalum aliorum. Si civitas vel oppidum indigeret, non possemus eas tueri, quin oporteret eas solvere quæstas, & tallias, & observare vigilias nocturnas, & exire cum aliis ad bella, & habere arma, & equos, vel pro se mittere bellatores, vel etiam Dominis suis, a quibus haberent feuda, vel quibus aliter astricti oporteret eos in talibus deservire. Clerici etiam qui nos non diligunt, imponerent nobis, quod plebes suas
B nobis vellemus sub hoc colore attrahere, & nostræ obedientiæ subjugare, ut res eorum nobis cederent totaliter, & quæ ipsis offerre deberent, nos eis praeriperemus. Et quando nos non possent in personis nostris forte gravare, illos quacumque occasione quærerent perturbare. Infamarent etiam nos, quando haberemus cum eis aliquando secreta capitula, quasi celebraremus conventicula hæreticorum in latebris, cum ipsi potius Ecclesiæ rectores deberent eos secundum morem Ecclesiæ corrigere, si quando offenderint, & punire. Nam & ipsi eorum magistri, qui Provinciales dicuntur, cum sint laici, & aliquando uxorati, quamdam
C habent similitudinem cum hæreticorum magistris, & si non pro invidiæ pravitate, tamen in laicali habitu, nomineque hæreticorum in contemptum clerici, laicos habent magistros, & doctores. Et cum nos sub una forma vivendi, & multiplici custodia, vix conservemus Ordinem nostrum in suo vigore, ne dilabatur per negligentiam, quomodo possemus illum Ordinem in bono statu diu servare, ubi quisque vadit in domum suam, & exercet negotium proprium, & habet curam domus suæ, & uxoris, & filiorum, & versatur in sæculo, & multis quatitur tentationibus mundi & carnis? Et qui nobis non essent astricti obedire, nisi pro velle, & quos non possemus sicut expedit coercere, quin cito

cito dilaberetur sub manibus nostris disciplina & justitia. Et sic melius fuerat non incæpisse, quam non posse perficere, & tanta negotia assumpsisse per quæ dissipatur pax nostra, & fama vilescit, & inter nosipsos possunt plura scandala suboriri, præter alias occupationes, quas in confessionibus eorum & consiliis, tota die nos oporteret habere cum ipsis. Et si soli divites admitterentur, inciperent nos homines habere suspectos, quod pro avaritia faceremus, ut res eorum sic nobis attraheremus. Et clerici, & alii religiosi contra nos gravarentur, si familiares eorum eis per hoc abstraheremus, & inde lites & scandala inter nos & ipsos orirentur.

Si autem omnes passim admitterentur, fieret confusio, cum non possemus omnes regere vel corrigere, & multa inconvenientia sequerentur. De sancto autem Francisco alia fuit ratio: quia status illius terræ, & illius temporis, circa Ordinem & homines alios in multis aliter se habebat, & ipsius sancti patris Francisci, & primorum fratrum ejus diffamata sanctitas effecit, quod tunc habebatur pro bono, quod modo & in aliis terris non talem haberet successum. Qui nostræ doctrinæ volunt corrigi consilio, possunt sub alia forma & colore ita utiliter in bono per nos informari, sicut congruit cuilibet, & tamen nos prædictis implicationibus vel aliis similibus non involvemur, & ab aliis bonis vel melioribus non retardabimur.

Quæstio decima septima.

QUare ergo Ordinem sanctæ Claræ in cura habetis per quam libertas vestra similiter impeditur?

Responsio.

Ordo ille non est annexus Ordini serviliter, ut eis intendere teneamur, sed ex petitione Domini Cardinalis, qui utrique præest Ordini, Ministri constituunt eis confessores, qui Ecclesiastica interdum sacramen- A ta ministrent, & visitatores qui eas corrigant. Alii fratres non tenentur occupari pro ipsis, nisi sicut pro aliis amicis Ordinis quando volunt. Et quia clausæ manent sub uniformi conversatione hæ facilius regi possunt. Quandocumque autem Ordo noster communiter videret non expedire sibi curam illarum gerere, potest se ab eis eximere, cum ex regula nostra non simus alicui ex debito nisi Ordini obligati, & singulari libertate inter ceteros Ordines ex privilegio gaudeamus. Licet autem omnino non possumus impedire, quin aliqua fiant in terris illis prædicti Ordinis monasteria; tamen si non studiose obsisteremus, cito B multiplicarentur per concessionem Domini Papæ, vel Cardinalis, & per hoc ostenditur, quod non diligimus multum occupari cum ipsis.

Quæstio decima octava.

CUM ergo sitis informatores earum, quare permittitis, quod plures apud eas impure, id est per pecuniam recipiuntur, quæ si nihil secum ferrent nullatenus reciperentur & aperte simonia videtur.

Responsio.

Si illud alii faciunt, de hoc non a nobis, sed ab illis est ratio exigenda. Sed tamen ut satisfaciamus quærentibus, sciendum, quod quantum C spectat ad hanc materiam, quadruplex est forma recipiendi ad Ordinem qualemcumque. Prima quando aliquis recipitur, nec pro pecunia, nec cum pecunia, sed pure pro Deo: & ista est purissima coram Deo, & hominibus. Secunda, quando aliquis recipitur non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferre, tamen reciperetur pro Deo: & similiter hoc purum est coram Deo, sed est caute agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit tibi affectus avaritiæ infectus ex spe lucri. Tertia quando quis recipitur non pro pecunia, nec tamen reciperetur sine pecunia, eo quod non habent aliter ei, qui eum recipiunt in necessitatibus corporis pro- Recipiendorum ad Ordinem quadruplex forma.

providere, cum tenues facultates domus vix sufficiant jam receptis, nec ad eas audeant plures recipere, & istos suis necessitatibus spoliare, ita quod talis persona quæ sic recipitur, si abundaret locus, sine pecuniis reciperetur. Similiter aliquis duxit uxorem propter divitias ejus vel nobilitatem, quæ habet nasum, nec tamen propter hoc ducit eam, quia nasum habet, quam tamen si naso careret, nullatenus duxisset, & hoc non est impurum, licet non appareat forsitan pulchrum. Quarta, cum aliquis recipitur amore pecuniæ, ita quod si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: & hoc penitus impurum est, & simoniacum, quia ibi pecunia causa est receptionis personæ, & non e converso. Ubi ergo recipitur persona propter pecuniam simonia est, quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis societatis, pro temporali, scilicet pro pecunia. Et hoc plerique faciunt, etiam ex mera inopia optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur. De talibus dicit Ecclesiasticus: Propter inopiam multi deliquerunt. Ubi vero pecunia recipitur propter personam, quam alias libenter reciperent, si haberent unde eam pascerent, non videtur esse simonia, dummodo forma cum intentione concordet. Et hoc modo sustinemus, quod sorores sanctæ Claræ recipiunt pecuniam cum personis, si quando oportet eas plures personas recipere, quam de facultatibus monasterii congrue valeant sustentari.

Eccl. 27.

Quæstio decima nona.

CUm doctrina salutis tam necessaria est illis, qui in rure, & in abditis locis habitant, sicut illis qui morantur in bonis oppidis, & ita fructuosa esset in eis, & vos æqualiter vocati; & missi sitis ad ædificationem omnium indifferenter, videmini non digne ambulare in tali vocatione, in eo quod in bonis civitatibus & oppidis, & villis frequenter prædicatis, in aliis autem locis raro vel numquam. Videtur enim quod sitis in hoc personarum acceptores, quod pauperes contemnitis, & ditioribus prædicatis. Vel quia in civitatibus multa habetis bona hospitia, & bene procuramini, quod non alibi, vel quia plura ibi dantur munera vobis in speciali seu communi, ideo ibi sæpius prædicatis.

Responsio.

Messis quidem multa eorum, qui doctrina indigerent salutis, sed operarii pauci idonei & fideles: ideo non sufficimus omnibus qui indigent, prout vellemus docendo prodesse, cum nos pauci simus respectu illorum. In locis etiam silvestribus vel desertis, si qui sunt habitantes, ita sunt dispersi, quod vix possent ad locum congruum prædicationi convocari. Sec ned ad singula loca eorum possemus venire, ut eis prædicaremus ibidem. Raro etiam vacant ab occupationibus nisi in festo, ut prædicationi intendere valerent, & propter diem unum festivum non possemus tota hebdomada in villa morari. Non enim permittuntur fratres tamdiu extra domum suam morari, quod sic omnes villas singulariter possint visitare, nec haberent in pluribus locis, unde toto possent tempore congrue sustentari. Et si aliquando forte unus frater vellet & posset aliquamdiu pati penuriam, socius ejus forsitan hoc non posset. Et si aliqui aliunde vellent ad prædicationes nostras accedere, non invenirent ibi victualia ad emendum. In oppidis autem seu villis ubi abundant victualia, plures possunt confluere & melius sustentari, & inter plures major fructus speratur, & a quibus ministrantur nobis plura temporalia in eleemosynis, plus etiam requirunt ut eis spiritualia rependamus, non quod omnino debeamus alios in locis desertis deserere, sed prout se opportunitas obtulerit, debemus etiam eis doctrinam salutis offerre. Illos tamen prædicatores & confessores non ex-

excusat a peccato negligentiæ, quia magis pro commodo corporis frequentant loca illa, ubi sunt bona hospitia, & nolunt pro salute fraterna divertere ad villas pauperculas, & ibi pro Christo paupertatem, quam illi homines ibidem semper sustinent, apud illos aliquandiu tolerare; cum ipsi professi sint extremam & perpetuam in regula paupertatem. Indignos enim se faciunt eisdem officiis, quæ pro subveniendo omnibus susceperunt, si pro commodo temporali vel muneribus ea vendunt: *Matt. 10.* Ideo dicit Salvator in Matthæo: Gratis accepistis, gratis date: non pro munere temporali. Dicitur enim talibus in fine: Amen dico vobis, *Matt. 6.* receperunt mercedem suam, quam principalius hic & studiosius quæsierunt. *Thren. 3.* Dicitur etiam eisdem in Threnis: Dederunt pretiosa quæque pro cibo, &c. Pretiosa sunt verba Dei, & auctoritas absolvendi a peccatis confessis, quæ dat pro cibo, qui pro corporis alimento ea principaliter impendit.

Quæstio vigesima.

CUM in aliis Religionibus, & collegiis Ecclesiarum, major reverentia prioribus in ordine introitus soleat exhiberi, quod etiam inter Apostolos aliquo modo servatum videtur, videlicet in stallo chori, & capituli, & mensæ, & aliis; magna rusticitas videtur, quod apud vos nulla in his differentia servatur, *Rom. 12.* cum Apostolus dicat: Honore invicem prævenientes.

Responsio.

Sanctus pater noster Franciscus in summa voluit Ordinem puritate fundare, ut in nullo gloriarentur fratres, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, id est humilitatis, & charitatis ejus, qua pro nobis pati voluit, devota imitatione, cum in hujusmodi excellentiis qua unus alteri præfertur, in aliquo soleat animus imperfectorum sæpe pueriliter extolli. Quod autem Apostolus docet, honore invicem prævenire, non tantum ad istas extrinsecas reverentias referendum est, qua unus alteri assurgit, vel facit eum se præcedere, & in superiori loco stare, vel sedere, & similibus, sed magis ad hoc, ut quisque reputet alium, se meliorem esse. *Ibidem.* In humilitate sibi invivem superiores arbitrantes, & cetera. Ut non sit pronus ad interpretandum facta ejus, vel dicta in partem deteriorem, juxta illud: *Rom. 12.* Non ergo amplius invicem judicemus, & cetera. Ut offensus ab eo facile ei ignoscat. Donantes invicem, si quis adversus aliquem habet querelam. *Matt. 18.* Ut studiose caveat, ne in aliquo eum despiciat, vel offendat. Unde ait Dominus: Videte ne contemnatis, & cetera. Ut absenti non detrahat, nec libenter derogationem ejus audiat, *Prov. 24.* sicut dicit Salomon: Cum detractoribus ne commiscearis. Ut indigenti auxilium, & promptum obsequium libenter impendat, juxta illud Pauli: *Gal. 5.* Per charitatem Spiritus sancti servite invicem. Ut eum pure diligat, & apud Deum fideliter in quibus valet, promoveat. Qui hæc negligens, tantum illas extrinsecas reverentias (ut dixi) fratri exhibet, quas plerique magis ad hoc sibi mutuo exhibent, ne incuriales notentur, vel adulatorie, ut sibi ista vicissim reexhibeantur, verbum Apostoli debiliter de honoris præventione implevit. Inter illos igitur qui aliquid exterioribus gloriæ, vel officio dignitatis, vel ex alia intentione honesta, cupiunt habere secundum hominem, possunt istæ reverentiæ observari. Nos autem extremam, & altissimam paupertatem in regula professos decet, etiam humilitatem summam in omnibus custodire. In aliis Ordinibus, ubi tempus, & dies professionis cujusque potest observari, quis prior altero intraverit, possunt etiam in locis istam prioritatis servare distinctionem. Apud nos autem ubi sæpe de loco ad locum mutamur, sicut non possumus scire tempus introitus cujuscumque: ita nec in quo eum debeamus stallo locare, cum ex oblivione, & ambitione, seu ex humilitate plures dicerent, prius vel posterius se venisse: & aliquoties cognita veritate, contingeret ali-

aliquos postea de locis suis forte cum verecundia removeri. Et ista perplexitas frequens esset inter nos, quis videretur altero superior propter frequentes mutationes, & pro appetitu præeminentiæ sæpe conscientiæ macularentur multorum. Et majus ex his omnibus detrimentum esset in Ordine, quam utilitas hujusmodi observantiæ de prioritatis honore, cum secundum multitudinem meritorum magis, quam annorum quis sit acceptior apud Deum, juxta illud Sapientiæ: Consummatus in brevi, explevit tempora multa, placita, & cetera. Sap. 4.

Quæstio vigesima prima.

CUM deceat bonos promovere, & alios ad bonum pro posse, multum videmini ab hac forma declinare, qui scripta vestra in libris, & quaternis, tam difficulter aliis præstando communicatis, qui ex eis possent proficere, & aliis prodesse, & aut de profectu aliorum moveri ex invidia, videmini; aut ex inani gloria, ut videamini scire quæ nesciunt alii; aut alia intentione corrupta.

Responsio.

Quæ possunt etiam bona intentione, & inculpabiliter fieri, aliquando temerarium est, ea in deteriorem partem interpretari, cum cordis occulta ignoremus, & ea quæ in se indifferentia sunt, possunt sæpe pro bono fieri & licite, & bene. Scripta enim sua non communicare aliis, sicut potest fieri reprehensibiliter, ita potest etiam fieri inculpabiliter, & licite, & prudenter. Prudenter, quando scriptum nondum est bene correctum vel ordinatum, ita quod alius inde se nesciret expedire, & forte magis esset materia scandali, vel erroris aliis rescribenti, vel legenti. Item quod non competit illi, qui desiderat, magisque foret ei nocivum quam utile tale scriptum. Item si ille continuo, & frequenter indiget suo scripto, ut si alteri concederet, ipse foret neglectus, cum nemo teneatur se neglecto, alios in minus necessariis promovere. A Inculpabiliter, quando sæpius, & si non statim indiget suo scripto, & eo diu carere non potest. Item sunt in petendo multi valde importuni, sed in reddendo tardi, quod sæpius pulsati, vix tandem cum murmure concessa reddunt, & pro beneficio ingratitudinis verba impendunt. Item sæpe per scriptores polluuntur quaterni & libri, & lacerantur, vel aliter male tractantur sic concessi. Item unus concedit alterius alii, irrequisito eo qui ei scriptum concessit, & ille forsitan iterum alii, donec tandem ille nescit a quo reposcere debeat, & sic elongatur ab eo quod nullus directe ei inde respondet. Item etiam sæpe perditur, B quod ita conceditur, quia forte negligenter relictum alius quasi nulli attineat, sibi illud similiter reservat. Aliquando etiam ille, vel iste de loco mutatur, & tam longe unus ab altero disiungitur, quod non potest concessum per nuntios repetere, vel timet in via destrui, vel amitti per nuntium, aut pedonem, aut aquam. Illi autem quibus talia restituenda committuntur, quandoque volunt sibi rescribere priusquam illi restituant, vel commodant aliis, vel alicubi relinquunt, donec oblivioni tradunt, & postea negant sibi fuisse commissa. Et sic plurima perduntur, aliis commodata, aliquando est ligatum in volumine cum aliis operibus, & si C illud frater alicui concederet, oporteret eum totum librum dissolvere, cum gravi damno expensarum, & laborum in ligando factorum. Sæpe etiam cum uni rescribendum conceditur, alii nisi & sibi concedatur, indignantur, & per hoc aut diu cogitur ille scripto suo carere, aut per plures manus transiens sordidatur, & perditur. Cum ergo tot causæ sint irreprehensibiles, propter quas contingit sæpe, ut aliquis non communicet aliis scripturam suam; non oportet, ut judicentur non habere charitatem ad proximum, vel ex invidia, aut vana gloria, vel rancore, vel alia non bona intentione petentibus hoc negare, licet aliqui ab his non sunt immunes. Ille tamen non est excusabilis in hanc parte, qui etsi

etsi non ex malitia, tamen ex quadam diffidentia non communicat aliis scripta sua, timens ne si per alium prius ea prædicarentur, ipse postea non habeat cum necesse fuerit, aliqua alia quæ proponat, quasi fons charitatis, & sapientiæ Dei desiccatus sit, ut non alia pro his ei liberaliter restituat, & refundat, si pro charitate, quæ ab ipso acceperat, studeat aliis impartiri. Cum etiam libri, & quaterni fratrum sint tantum ad usum a superioribus suis concessi, & ad custodiam commissi; qui cavet commissum destrui vel amitti, quod non est ejus proprium, propter hoc non debet malevolus judicari.

Quæstio vigesima secunda.

CUM (sicut ipsi asseritis) missi sitis in adjutorium Plebanorum, non in præjudicium juris ipsorum quare non prædicatis populo jus Plebanorum, scilicet quantum, & qualiter eis subesse, obedire, & quantam habeant super eos potestatem? Videmini enim hoc tacite præterire, ideo ut vobis magis adhæreant, & ea quæ illi donarent, in usum vestrum callide retrahitis, & sic eos jure suo fraudatis.

Responsio.

Qui bene advertit, sæpe intelligit, quod etiam in prædicatione, & consiliis hortamur subditos Prælatis suis in omnibus (quibus de jure tenentur) fideliter obedire, & jura sua illis persolvere, & sententias eorum juste latas reverenter observare, & quod in hoc meritum salutis eorum ex magna parte consistit. Sed quia non valde magnificamus eos in populo, videtur eis, quod parum pro ipsis faciamus. Quare autem hoc dimittimus, plures sunt causæ. Una ne videamur hoc adulatorie potius facere (ut sic captemus eorum benevolentiam) quam pro veritatis doctrina, cum prædicatio debeat esse aliena ab adulatione præsentium, vel detractione absentium. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, ait Apostolus, neque in *1 Thess. 2.*

A occasione avaritiæ. Altera, cum ipsi per se sæpe plus amplificent jura sua super subditos suos quam oporteat, præcipiendo quod non debent, prohibendo quæ non possunt, concedendo quæ non licet, exigendo indebita, fulminando sententias duras, & laqueos multiplicando animabus, quas solvere & expedire deberent, si nos adderemus terrendo populum, & magnificando potestatem Clericorum super ipsos, provocaremus amplius quorumdam Clericorum audaciam, & aut faceremus simplices subditos pusillanimes, aut tumidos provocaremus ad proterviam majorem, ut magis contra se erigerent contra clerum. Tertia cum plures Clericorum,

B tam aperte vivant injuste, quod laici sumant inde grave scandalum, si super hoc vellemus eos magnificare in populo, scandalum suscitaremus contra nosipsos, quod tam vituperabiles laudaremus, ideo dicitur in Proverbiis: Qui derelinquunt legem, laudant impium, qui conservant, succenduntur contra eum. *Prov. 28.* Quia cum plures in clero, ut nunc, vel male, & contra formam Canonum teneant regimen populi in Ecclesia, vel propter excessus suos suspensi sint ab executione officii pastoralis, si omnes communiter magnificaremus, etiam illi qui non haberent jus, cogerent subditos in his, quæ non debent sibi obedire, quasi legitimis pastoribus.

C Si autem specificaremus quibus essent digni ad obediendum, alii graviter ferent, quod eos notabiles, & contemptibiles redderemus, ideo quasi dissimulando transimus.

Quamvis autem nonnulli de clero plus oderint Religiosos, quam Judæos Christi adversarios, tamen si saperent, potius diligerent nos pluribus de causis, tam pro temporali utilitate, quam etiam pro spirituali utilitate sua. Una, quoniam per nostram doctrinam subditi eorum plenius solvunt jura sua, & obediunt eis, & reverentur eos amplius, licet ipsi Clerici hoc non credant, dicimus enim illis dictum Apostoli: Obedite Prælatis vestris. *Hebr. 13.* Altera, quod beneficia Ecclesiastica, quæ nos teneremus si essemus cum eis in sæculo, ve-

venientes ad Religionem ipsis relinquimus obtinenda, quæ quantum diligunt se habere, tantum deberent diligere illos, qui eis ea relinquunt, nisi potius vellent nos mori, ut ea sic gaudentius possiderent. Tertia, quod sumus testes eorum in doctrina fidei, ut melius credatur eis, quod docent, obediendum sibi esse, tamquam Christi Vicariis. Sicut * hæretici, qui dicunt, quod Clerici pro suo quæstu seducant populum, ut sibi obediant, & dent ipsis oblationes & decimas, ut inde sustententur, & ditentur, & delitientur, & sine labore abundent, qui hæc aliunde, tam commode non haberent, & ideo confinxerint festa, & officia divina, animarum remedia, peccatorum pœnitentias, judiciorum Ecclesiasticorum sententias, Sacramentorum administrationes, & alias solemnitates, & institutiones S. Ecclesiæ, & Prælationum dignitates, ut horum omnium occasione exhauriant marsupia laicorum. Sed fideles cum vident Religiosos relinquere mundum, & divitias mundi, Ecclesiastica beneficia resignare, & paupertatem voluntariam profiteri, & tamen hæc eadem docere, & credere, quæ docent Clerici, aufertur eis illa hæreticorum suspicio, qua pro sola avaritia possent opinari prædicta omnia a Clericis adinventa, cum vident illos esse testes eorum doctrinæ, qui hæc temporalia pro doctrina fidei reliquerunt. Quarta, quod habeant in nobis aliquem stimulum correctionis, ut minus audeant peccare, & studiosius officium sibi commissum exerceant, & instruantur in aliquibus, quæ ignorant, & ad pœnitentiam provocentur, & in bono amplius roborentur. Quis alius argueret eorum vitia, cum in simili morbo laborans alius non præsumat curare? juxta illud: Medice cura teipsum. Item si cæcus cæco ducatum præstet, &c. Quinta, quod sumus eorum coadjutores in sublevando onere sibi imposito, ut sit eis hoc portabilius, & judicium durissimum quod fiet in his qui præsunt, aliquo modo tolerabilius sentiant in futuro supplendo eorum vices, prædicando, consulendo, confessiones audiendo, ubi aliqui eorum minus sufficiunt pro multitudine populi, vel pro perplexitate casuum minus ab aliquo imperito instrui possunt, vel parochiani minus faciunt, quam deberent, ut quando eorum subditi timent eis confiteri ex causa aliqua speciali. Sexta, si quis inter eos timore periculi in quo sunt, quærit confugere ad statum tutiorem salutis, vel desiderio vitæ melioris, vult ea quæ in mundo sunt, relinquere, & statum perfectionis Evangelicæ apprehendere, apud viros Religiosos potest quod desiderat invenire, qui sint ordinis sui fideles observatores. Sicut Loth fugiens ab excidio Sodomorum, confugit ad parvulam Segor, id est, humilem Religionem salvandus. Septima, quod si immineret aliquando Ecclesiæ necessitas, vel pugna contra hæreticos, vel alios oppressores fidelium, viri Religiosi deberent se promptius exponere, & quasi primi in acie se opponere inimicis, sicut filii Ruben, & Gad, & Manasse fuerunt fratrum suorum propugnatores, ad obtinendam terram cum pace. Octava, quod sunt apud Deum intercessores per orationis studium, & vitæ meritum, & Dominum sibi & aliis placabilem facientes pro venia peccatorum, pro gratia meritorum, pro amotione quorumcumque malorum, pro gloria cœlestium præmiorum facilius obtinenda. Quæ nobis præstare dignetur Jesus Christus. Amen. Et hæc ad præsens sufficiant pro excusatione nostra, contra calumnias exprobrantium, vel quæstiones ignorantium, qua forma, vel intentione aliqua quæ videntur, aliquando minus intelligentibus quoquo modo reprehensibilia faciamus. Qui autem voluerint, possunt plura superaddere, & ista quæ hic posita sunt melius explanare, quæ sicut impræmeditate, ita & inordinate conscripsi, sicut tunc meæ memoriæ occurrerunt, modo hoc, modo illud, sicut advertere potest legens.

Marginal notes: * Videtur aliquid deesse. — Luc. 4. Matth. 15 — Gen. 19. — Jos. 1. — A, B, C

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS,

OPUSCULUM

IN QUO DECERNITUR QUARE FRATRES MINORES PRÆDICENT, ET CONFESSIONES AUDIANT.

In hoc Opusculo determinans quæstionem propositam S. Bonaventura, & adversariorum objectionibus satisfaciens doctrinam utilissimam tradit pro materia Sacramenti Pœnitentiæ, præcipue quoad ministrum ipsius.

QUIA plerique dubitant, & quærunt, cum non habeamus curam animarum ordinarie nobis commissam, qua ratione, vel qua auctoritate, vel qua forma prædicemus, vel confessiones in populo audiamus. Quod ut plenius, & planius intelligatur, rationis hujus radicem altius inspiciamus, ab ipsa primaria Ecclesiæ institutione originem breviter colligentes.

Dominus Jesus Christus omnium creator, & gubernator, S. Ecclesiam suam ascensurus in cœlum, Apostolis regendam, & dilatandam commendavit, principaliter B. Petro Apostolo, cui de universo grege fidelium specialiter dixit tertio: Pasce oves meas. Sed ut ordinatius gubernaretur universalis Ecclesia, distinxerunt eam
Joan. 21. S. Apostoli per Patriarchatus, Primato, Archiepiscopatus, Episcopatus, Parochias, & alias Canonicas distinctiones: ut quia per unum vel per paucos non poterat singulis fidelium in omnibus saluti necessariis congrue satisfieri, plures ad hujus sollicitudinis partes per determinatos sibi limites pro utilitate animarum vocarentur, & secundum curæ Pastoralis amplitudinem, etiam quilibet istorum accepit certam auctoritatis potestatem, residente plenitudine potestatis Ecclesiasticæ apud Sedem Apostolicam Romanæ Ecclesiæ, cui Apostolus Petrus Princeps Apostolorum specialiter præsedit, & successoribus suis ibidem eamdem potestatem reliquit.

Triplex est autem hujus potestatis plenitudo, scilicet quod ipse Summus Pontifex solus habet totam plenitudinem auctoritatis, quam Christus Ecclesiæ contulit, & quod ubique in omnibus Ecclesiis habet illam, sicut in

Plenitudo potestatis Papæ triplex.

in sua speciali Sede Romana, & quod ab ipso manat in omnes inferiores per universam Ecclesiam omnis auctoritas, prout singulis competit eam participari, sicut in cœlo ab ipso fonte totius boni Christo Jesu fluit omnis gloria Sanctorum, licet eam differenter singuli participent pro captu suo.

Ratio distinctionis Ecclesiarum in plures Diœceses.

Prædicta vero distinctio Ecclesiarum, & Parochiarum triplici de causa est instituta, scilicet propter Rectorum sollicitudinem. Quod enim cuique specialius committitur, diligentius exequitur, nec expectat ut alter provideat his, qui suæ sollicitudini specialiter sunt commissi. Item propter subditorum utilitatem, quia facilius reguntur, & singulis expeditius potest satisfieri, ut dictum est, per plures ministros, quam per paucos. Sicut Moyses solus non valens onera multitudinis populi sustinere, partitus est Tribunis, Centurionibus, Quinquagenariis, ac Decanis, ut majores majora, minores minora proportionaliter expedirent, retenta sibi tamen plenitudine potestatis, in typo futuræ dispositionis Ecclesiæ militantis. Item propter deprehendendas fraudes hæreticorum, & latebras peccantium, ut quisque pastor super gregem suum vigilans, possit luporum deprehendere insidias, & errantium ovium absentiam cognoscere, & ad gregis unitatem, eas quærendo, revocare.

Exod. 18.

Officium Plebanorum quod est.

Ministerium autem officii pastoralis circa ista septem præcipue versatur, maxime Plebanorum, scilicet docere, prædicando populum, quid credere, quid facere, quid cavere, quid sperare, quid timere debeant. Item peccantes corrigere, & judicare, in confessione solvere, & ligare pro qualitate meritorum. Ecclesiam officiare, & divina celebrare, & indicere statuta Ecclesiæ de feriis, & aliis. Intercedere pro populo apud Deum orando, & gratiam eis impetrando, quasi mediator inter Deum, & eos. Sacramenta Ecclesiastica, & sepulturam eis impendere, & alia Sacramentalia. Indigentibus in Parochia pro posse in corporis necessitatibus de rebus Ecclesiæ subvenire, exemplum bene vivendi in omnibus seipsum præbere, secundum honestatem vitæ Clericalis.

Ad quid teneantur subditi Plebanis suis.

Obedientia vero populi ad Plebanos in his e converso maxime consistit, ut doctrinam eorum, & prædicationem, statuto tempore & loco auscultent. Ut de peccatis suis eorum correctioni subjaceant, juxta Canonum instituta. Ut semel in anno ad minus omnia peccata sua quæ tunc habent, eis confiteantur. Ut in præcipuis festis, secundum jura ad Parochias conveniant, Missam audituri. Ut sacramenta Ecclesiastica ab eis recipiant, & sepulturam, & hujusmodi. Ut indicta feriarum, jejuniorum, & alia denuntianda ab eis, servent. Ut decimas, oblationes, & alia debita eis persolvant, secundum Canonum instituta. Nova vero statuta populo superaddere Plebani non debent, ne fiat obedientia onerosa. Hæc debent subditi Plebanis suis, tamen cum exceptionibus juris, privilegiorum, & consuetudinis approbatæ, & licentia superiorum.

Quibus de causis statutum est, ut quilibet fidelis semel in anno proprio Sacerdoti confiteatur peccata sua.

Quod vero semel in anno quilibet confiteatur proprio Sacerdoti omnia peccata sua, his sex de causis statutum est. Primo, ut pastor cognoscat, in quo statu quilibet commissorum sibi sit, ut secundum hoc sciat ei medicinam competentem exhibere, instructionis, correctionis, consolationis. Secundo, ut noscat quibus possit Christi corpus indulgere, vel quos a Sacramentis arcere. Tertio ne per longam incuriam, multorum conscientiæ in peccato desperabiliter sordescant, expedit ut aliquando se expurgent. Ipse enim pudor confitendi plerosque a peccato deterret, & confitendo sæpe, discunt hoc esse peccatum, quod se putabant innoxie perpetrare. Quarto, ut discernantur obedientes a negligentibus vel hæreticis, per observantiam talis statuti. Quinto, ut purgent se ad corpus Dominicum digne percipiendum fideles, per confessionis medelam. Sexto, pro merito gloriæ, ut ex humilitate confessionis, mereantur in cœlo exaltari, & a peccatis citius expurgari.

Proprius Sacerdos quis.

Proprius Sacerdos dicitur, cui quisque specialiter gubernandus est commissus ab Ecclesia vice Dei. Prætermissis igitur diversis distinctionibus, quatuor sunt cujusque plebis Parochia-

chialis proprii sacerdotes. Primus, & præcipuus est Summus Pontifex, cui tota Ecclesiastici gregis cura singularissime commissa est, ita quod omnes inferiores Ecclesiæ Rectores curam, & totam potestatem quam habent super subditos ab ipso accipiunt, mediate vel immediate. Secundus est diœcesanus Episcopus, qui est ordinarius pastor omnium Ecclesiarum sub ipso constitutarum, & sui inferiores Prælati curam animarum, & auctoritatem regendi habent ab ipso. Tertius est specialis pastor cujusque Eccelesiæ ibi Canonice institutus. Quartus est, cui quisque prædictorum pro tempore vicem suam super commissos sibi, ad ligandum, & solvendum ex causa rationabili committit, cui tamen committere potest. Superiores autem liberius, & largius possunt vices suas committere, quam inferiores. Unde cum Plebanus possit aliquibus committere, ut vice sui plebi suæ prædicent, & eorum confessiones audiant, & absolvant, & pœnitentias injungant, ita quod sic absolutos non oporteat illo anno Plebanis suis iterum confiteri, nisi velint, multo magis potest hoc Episcopus, & maxime Summus Pontifex, qui sicut ubique habet potestatis plenitudinem, ita & commissam sibi gerit omnium Ecclesiarum sollicitudinem, ut ea, quæ singulis necessaria probantur, ipsius providentia suppleantur. Alioquin vacua esset apud ipsum tanta potestas, quam executionis efficacia non comitaretur. Committit autem aliis quandoque vices suas, tum pro locorum distantia, vel causarum qualitate, vel pro aliorum magis urgentium negotiorum occupatione, vel pro multitudinis requirentium frequentia, & necessitatis festinatione, vel pro corporis imbecillitate, vel certe pro liberiori spiritus vacatione expedit eum, & alios secum ad oneris pastoralis sustinentiam invitare. Nam & si Dominus solus omnia sine qualibet difficultate possit in omnibus operari, quæ voluerit, sicut ex nihilo cuncta creavit: tamen dignatur in quibusdam operibus suis habere coadjutores, & Vicarios sicut in cura animarum, & in operibus

A artificialis industriæ. In hoc dant exemplum Ecclesiæ Rectoribus, onus sollicitudinis suæ, & aliis impartiendi, ne per ipsorum absentiam, & insufficientiam, salus fidelium negligatur.

Prædictis ergo de causis in his novissimis temporibus, de quibus prædixit Apostolus, quod instabunt tempora periculosa ex multiplicatione peccatorum, & numerositate rudium populorum, & seductione hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & insufficientia Prælatorum, & perplexitate casuum emergentium, & aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium ex variis eventibus, providit Sedes Apostolica ad obviandum præfatis periculis quibuscumque remedium subventionis animabus pereuntibus, quod divina ordinatione quosdam Religiosorum ordines instituit, quod officio prædicationis, & confessionis sibi commisso, subveniant indigentiæ populorum, & insufficientiæ Clericorum, & obsistant versutiis hæreticorum, & hoc in solatium, & sublevamen oneris, non in præjudicium Plebanorum. Non enim præjudicat eis, si Dominus Papa, vel Episcopi eorum, de officio suo solliciti, quod personaliter implere non valent, aliis loco suo implendum committunt. Sicut nec hoc præjudicaret eis, si vellent personaliter in Parochiis eorum prædicare, vel confessiones audire, ita quod ipsi confessi non tenerentur tunc iterato Plebanis suis confiteri, cum ipsi Plebani sint Vicarii Episcoporum in suis Parochis, sicut Episcopi Summi Pontificis in officiis sibi commissis, quia non in diminutionem potestatis sed in adjutorium sustentandi oneris, sunt inferiores pastores superioribus subrogati.

Secundo, non fit eis præjudicium si pondus laboris quod ipsi portare tenentur, in cura animarum allevietur eis per aliorum auxilium, ut animæ salventur, pro quibus Deo rationem reddere debent in judicio, si ex eorum negligentia, vel ignorantia, perirent, ita ut pro illarum perditione ipsi damnentur. Ecce super Pastores ego requiram *Ezech. 34*

1 Tim. 3

B

C

gregem meum de manu eorum, &c. Tertio, non fit eis præjudicium quia non minuitur jurisdictionis eorum potestas ex tali cooperatione aliorum, sed tantum pondus sollicitudinis, & laboris. Temperatissime quippe sic disposuit divina sapientia, & instituit Sedes Apostolica, ut per ordines prænotatos in prædicatione, & confessione defectus cleri suppleantur, & animæ salventur, & nec in temporalibus, & spiritualibus jus Clericorum aliquatenus violetur, ne per subtractionem illorum, quæ eis jure debentur commoti, salutis profectum per fratres promovendum in Ecclesia impedirent, cum vix etiam nunc sustineant quidam, eos pro animarum salute inter homines conversari. Nam decimas eorum, nec primitias seu oblationes, nec alia debita eis præripimus, nec populum ab obedientia eorum abstrahimus, nec in debitis ministeriis suis eos ullatenus impedimus. Quod autem quandoque Religiosi ad salvandos fideles in Ecclesia essent vocandi, ostenditur in Evangelio Lucæ, cum Dominus dixit Petro: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Concluserunt autem piscium multitudinem copiosam. Rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos, & impleverunt ambas naviculas. Mare est sæculum. Navicula Petri est Ecclesia fidelium populorum. Rete est Evangelica doctrina. Per jussum Domini tot piscium multitudo concluditur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quod eam etiam hæresibus scindunt. Sed cum Petrus cum suis trahere non valeret, annuerunt sociis in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos: quia Prælati Ecclesiæ cum clero non sufficientes per se tantam plebium multitudinem trahere ad littus vitæ perpetuæ annuerunt, admittendo sociis Religiosis, scilicet Jacobo, & Joanni, activis, & contemplativis, ut venirent compatiendo animarum periculis, & adjuvarent eos, tam illos qui trahunt, quam illos qui trahuntur, illorum insufficientiam, istorum indigentiam relevando. Ambas autem naviculas implent, cum præ multitudine populi, nec Clerici, nec Religiosi plene sufficiunt omnibus satisfacere.

Luc. 5.

Cum autem prædicatio, & confessio, inter alia populo Dei exhibenda, ampliori indigeant scientia Scripturarum, & magis periculum sit ista ei non ministrare, ut expedit, cum per prædicationem informentur quid credere debeant, & qualiter vivere: per confessionem vero lapsi extrahantur de luto peccati: ista duo fratribus commissa sunt, ut in his subveniant fidelibus, & suppleant defectum Clericorum. In reliquis autem minus est periculum qualiter fiant, aut facilior executio per quemcumque fiant. Ex prædicatione ergo non fit eis præjudicium, quia non prædicamus illa hora in eorum Ecclesiis, qua ipsi solent in festis solemnibus, divina solemniter celebrare, seu prædicare, nisi ipsorum permissu. Alia hora si populus nos audire desiderat, nihil deperit eis exinde, sed accrescit. Et hoc in tribus, videlicet, quia populus eis commissus proficit in scientia veritatis, & bonis moribus. Item, cum ipsi eadem docent, quæ & nos testimonio nostro confirmamus doctrinam eorum esse veram, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Item, quia docemus populum pastoribus suis obedire, & eos revereri, & non recalcitrare, & reddere eis sua. Super his potius debent, si sapiunt, gaudere & gratias agere, quam dolere. Aliter enim cito vilescerent apud populum, propter malam vitam multorum ex ipsis. Ex confessione similiter non præjudicamus eis, quia nullum cogimus nobis confiteri de subditis suis, & confessos remittimus ad Plebanos suos, ut illis iterum se ostendant tempore suo, secundum Ecclesiæ mandatum si ante non sunt eis eo anno confessi. Nam si ægrotus vult & aliis medicis, pro uberiori consilio sanitatis patefacere infirmitatem suam præter suum medicum specialem, non fit præjudicium in hoc illi medico, nisi forte inficiatur invidia, vel cupiditate, vel pudore turbetur.

Quod

Quod autem prioribus temporibus in Ecclesia non erant vocati, vel missi a Sede Apostolica Religiosi aliique ad prædicta officia prædicationis, & confessionis, ut nunc sunt missi, ista fuit ratio. Cum morbus adhuc parvus est, paucioribus indiget remediis & levioribus, sed cum cœperit invalescere, & latius se diffundere ne desperabiliter æger periclitetur, necesse est plura, & efficaciora remedia adhiberi: ita etiam cum status mundi modo valde deterior, quam olim esse videatur, expedit plures nunc esse sublevantes, juxta illud: Messis quidem multa, operarii vero pauci, idonei, & fideles. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam. Item ad Romanos, ubi abundavit delictum, superabundet & gratia. Videmus nunc messes plebium multiplicari, & silvis succisis villas ædificari. Videmus adinventiones peccatorum succrescere, & perplexiores casus quotidie emergere. Item ex consuetudine malos incorrigibiliores magis fieri, & duriores in peccato. Item, quod Clerici plures malo exemplo infirmant laicos, tam in moribus, quam in fide. Item, quod pauci sunt inter eos periti, qui sciant, vel quibus confidatur, quod doceant, ut deberent. Item quod negligenter præsunt animabus commissis, & terrenis negotiis nimis instant. Item quod multi eorum sunt suspensi, excommunicati, & in officio suo diversimode impediti. Item quod rari sunt Pastores in Ecclesiis, sed per leves Vicarios animarum cura venalis exponitur. Item quod ipsi temporalibus curis dediti, ista dissimulant, ita quod spes correctionis vix habetur. Item, quod si aliquando vellent ista corrigere, & inutiles removere, non habent quos loco illorum substituant meliores. Cum igitur jam sit Ecclesia, quasi navis tempestate concussa, in qua remigantibus, pavore trementibus, procellæ tumentes pene operiunt navem, missi sunt fratres a summo gubernatore, fulti auctoritate Sedis Apostolicæ, ut in naviculis suis discurrentes per mundum, quos ex naufragio peccati periclitantes invenerint, rapiant ex undis, & ad littus salutis reportent.

Luc. 10. *Rom. 5.*

Nulla vero Parochia invenitur, quin habeat aut idoneum Plebanum, aut aliquo modo insufficientem, aut nullum. Bonus, & idoneus est, qui secundum formam Canonum justo titulo possidet beneficium, cui annexa est cura animarum illarum, & qui sufficientem pro regimine plebis suæ habet scientiam sacræ Scripturæ, & qui nullum habet impedimentum in omni officio Clericali, & qui debitam diligentiam adhibet animabus sibi commissis, in his quæ sunt necessaria saluti. Talium Plebanorum subditos non oportet ad alios pro confessione recurrere, nisi in his sex casibus. Primus cum de voluntate ipsius, & licentia, vel ratihabitione, expressa vel tacita, quis alteri confitetur. Secundus cum alius habet ampliorem auctoritatem absolvendi in certis casibus, quam Plebanus. Tertius, si propter abundantiorem cautelam vult etiam aliis confiteri, nihilominus tamen confiteatur etiam Plebano tempore suo. Quartus, si confitetur illis, qui habent a Domino Papa, vel ab Episcopo loci generalem auctoritatem audiendi confessiones, ut Pœnitentiarii, vel alii quidam ad hoc specialiter deputati. Et qui talibus confitentur, idem est, ac si Episcopo suo personaliter confiterentur eosdem casus de quibus eis contulit potestatem. Unde non tenentur tunc Plebanis iterum confiteri, nisi velint. Quintus, si aliquis est in peregrinatione positus, nec potest habere proprium Sacerdotem. Sextus in articulo necessitatis extremæ, tunc quilibet est ei proprius Sacerdos, si alium non habet.

Quis est bonus Plebanus.

Insufficiens Plebanus dici potest tribus modis: aut cui ab Ecclesia pro tempore sublata est executio officii sui, ut suspensus, excommunicatus, & irregularis: aut cujus subditis propter aliquod nocumentum suum non expedit ei confiteri, ut idiota, vel proditor confessionis, & confitentes sibi sollicitans ad peccatum quocumque modo: aut qui confitentibus sibi, non debitam adhibet diligentiam, sicut necesse foret. Scut qui non dat eis opportunitatem integre confi-

Insufficiens Plebanus, quis.

fitendi, vel non vult eos absolvere, nisi pro pretio, vel non informat eos in discretione peccatorum, seu satisfactionis qualitate, ut sciant quid sit peccatum mortale, quid veniale, quid enorme, quid levius, vel qualiter Deo satisfaciat, & qualiter proximo, quando publice, vel occulte. Nam in talibus negligens, tantum nocet alii, sicut idiota qui docet errare, ita negligens relinquit in errore. Exemplum de cæco duce, & qui cæcum deviantem non reducit ad viam. Subditi enim horum ipsa necessitate salutis coguntur alios confessores requirere, in quibus insufficientiæ prædictæ non videntur. Sicut qui scit medicum suum insufficientem ad curandum eum, alium necessarie quærat, si vult mortis periculum effugere. Quod si Plebanus talis nolent subdito dare licentiam idoneum confessorem quærendi, vel pro malitia, vel invidia, seu superbia sua, immo forte præcipit ne vadat ad alium: ita tenetur ei in hoc obedire, sicut servus domino, qui nollet eum pascere, & præciperet ei ne alibi sibi cibum provideret. Quod autem dicitur, quod subditus debet prius petere licentiam, ut vadat ad peritum confessorem propter cautelam factum est, scilicet ne ex contemptu quærat alium, vel ne vadat ad minus idoneum, vel ne vadat ad hæreticum, vel ne detur locus tergiversandi malignis, dum quærunt ignotis confiteri, ut correctionem sui pastoris effugiant, & ita liberius, peccent, vel ne simulent se aliis confessos, cum nulli sint confessi.

Plebanus nullus quis.

Plebanus autem nullus est, qui tenet Ecclesiam, cum sit inhabilis ad beneficium habens curam animarum, ut illegitimus filius, vel excommunicatus, vel laicus, vel qui unam habens, recipit aliam. Item qui recipit Ecclesiam non ab eo, qui habet jus conferendi, vel præsentandi ad eam, vel investiendi, vel ab excommunicato, vel quando jus est ad superiorem devolutum ex causa. Item qui tenet Ecclesiam non debita forma, simoniace per fraudem, vel violenter, vel est Vicarius alicujus istorum. Quod quisque non habet, nec potest alteri sua auctoritate conferre. Omnes isti sicut non habent jus in Ecclesiis quas tenent, ita & plebs in nullo tenetur eisdem.

Cum ergo prædictorum omnium subditi possint, & debeant aliis confiteri, potius quam illis, qui videntur esse Plebani eorum, propter præmissos eorum defectus, & laici nesciant discernere quos eligant meliores, & Clerici potius vitiosi mitterent eos ad sibi similes, quam ad idoneos, & satis rari sunt in clero jam, quos nulla prædictarum respergat macularum: missi sunt fratres a Sede Apostolica per mundum, muniti ejus testimonio, qui prædictos defectus Clericorum, ubi necesse fuerit, suppleant, & indigentiæ fidelium subveniant, & non tantum laicos, sed & ipsos Clericos, & Religiosos prædicationibus instruant, exhortationibus a malo retrahant, insuper exemplis ædificent, & orationibus gratiam eis, & veniam impetrent apud Deum. Nos enim sumus illi pauperes, qui remanentes manipulos segetum, & spicas decidentes post messores, & racemos relictos in vinea colligere debemus, id est, illas reliquias quas Plebani, qui habent officium in plebe sua docendi, & corrigendi, relinquunt, ut eas ex area Ecclesiæ ad horreum cœlestis patriæ referamus. Quia vero ad hoc non tenemur ex debito astringente, sed ex charitatis libertate, ideo similiter, & illi non tenentur nobis in corporali provisione, nisi ex libera pietate. Possunt enim nostris prædicationibus intendere si voluerint, & nobis confiteri, & eleemosynas largiri possunt, & dimittere. E contra possumus nos eis ista spiritualia beneficia impendere prædicationis, confessionis, & orationis, licet ad ea ex debito non obligemur, nisi debito charitatis.

Deut. 24.

An qui confessus est religioso teneatur iterum confiteri Plebano.

Queritur autem si illi, qui nobis confessi sunt, teneantur Plebanis suis iterum confiteri? Ad hoc dicendum, quod duplici ratione tenentur homines confiteri Sacerdotibus habentibus claves in foro pœnitentiæ absolvendi, & ligandi, ex præcepto Dei, & ex statuto Ecclesiæ. Præceptum Dei est pœnitentiam agere, cujus pars

pars est confessio facta Sacerdoti. A Unde Joannes dicit: Si confiteamur, &c. Cum ergo pœnitens confitetur nobis, & absolvimus eum auctoritate Domini Papæ, vel Episcopi, non tenetur iterum a Plebano suo de eisdem absolvi, cum sit absolutus, sed propter statutum Ecclesiæ, quo quilibet semel ad minus in anno jubetur confiteri omnia peccata sua proprio Sacerdoti, quod plerique referunt ad Plebanos specialiter, debet ei si velit iterum confiteri, ne scandalizetur, & ut melius agnoscat eum, si dignus sit, cui corpus Christi debeat porrigere, vel negare, nisi de licentia ejus alteri sit confessus, vel ratum habeat si est factum, & hoc de his Plebanis intelligendum, B qui boni, & idonei videntur, ut supra dictum est, non de aliis qui jus non habent in Ecclesiis, vel ad quos subditi pro confessione accedere prohibentur.

1. Joan. 1.

Ut autem planius liqueat, in quibus casibus, vel qua forma fratres possint audire confessiones, quædam eorum, quæ superius posita sunt, sub compendio repetantur. cum pro diversis causis aliquotiens expediat subditos Plebanorum, etiam aliis Sacerdotibus confiteri, ut promptius inveniant ad quos recurrant, missi sunt fratres specialiter ut in tali necessitate fidelibus succurrant, ad hoc a Sede Apostolica destinati.

Causæ propter quas expedit Religiosos habere copiam audiendi confessiones & causas in quibus possunt eas audire.

Primus casus, cum ex regula nostra approbata, & confirmata a Sede Apostolica, etiam injunctum habeamus prædicationis officium, ne fructus prædicationis inanis sit, possumus ex privilegio Apostolico ubi prædicamus, etiam confessiones requirentium, tunc audire, & absolvere, ac pœnitentias injungere, auctoritate Domini Papæ.

Secundus, cum ab Episcopis similiter commissum habeamus confessionis officium, non solum de communibus, sed etiam de specialibus casibus ad ipsos spectantibus, possumus absolvere juxta formam confessionis ipsorum; non tantum laicos, sed etiam Clericos indigentes.

Tertius, cum Plebanus licentiat subditum suum, ut nobis confiteatur, vel ratum habet quod factum est.

Quartus, cum pro superabundanti cautela, vel meliori consilio, etiam vult alteri confiteri, vel ex devotione, quam suo Plebano.

Quintus, cum quis vagatur per terras, potest interim aliis confiteri, dum suum non habet Sacerdotem.

Sextus, in articulo necessitatis, dum timet mori, & suum non habet Sacerdotem.

Septimus, cum Sacerdos alicujus est idiota, nec scit in necessariis saluti eum congrue expedire.

Octavus, cum est notorius fornicator, tunc subditi non debent ab eo Sacramenta requirere.

Nonus, cum consuevit revelare secreta confessionis, subditi non tenentur ei confiteri, qui hoc timent.

Decimus, cum in confessione solet aliquos ad peccatum inducere, illi non debent accedere ad eum, propter periculum utriusque.

Undecimus, cum non dat subditis copiam integre confitendi, & non informat eos de his quibus indigent ad salutem.

Duodecimus, si sacerdos est ab officio suspensus a judice, vel a jure, tunc nec potest solvere, nec ligare.

Decimus tertius, si est aliqua majori excommunicatione ligatus, quia non debent tunc subditi communicare ei quæ sciunt.

C Decimus quartus, qui est aliqua irregularitate perplexus, tunc non potest exequi officium pastorale.

Decimus quintus, si est perversor sacramentorum, vendens ea pro muneribus, tunc est suspensus, & infamis.

Decimus sextus, si tenet Ecclesiam contra statuta Canonum, tunc enim nullum jus habet in ea, ut illegitimus, simoniacus, & habens unam Ecclesiam, si recipit alteram: tunc enim prior vacat, & qui per fraudem obtinet, vel violenter intrat, vel non recipit eam a quo debet.

Decimus septimus, si est Vicarius illius, qui non habet jus in Ecclesia, quod possit alteri delegare.

Sunt alii casus, pro quibus quandoque etiam honestæ personæ timent

suis sacerdotibus confiteri, quia Vicarii sunt instabiles, & sæpius mutantur, ideo non audent eis sua revelare secreta, cum toties oporteret eos ignotos habere confessores. Item, quia plerique ipsorum tam vitiosi sunt, quod honesta fœmina timet infamari, si secrete susurraverit cum eo. Item, quia plures ipsorum ignoti sunt, & timetur, quod sunt apostatæ, vel in officio sacerdotali impediti, vel forte non habentes ordinem sacerdotii. Item, aliqui habent talia peccata in conscientia, quod potius volunt non confiteri, quam Plebanis suis ea pandere, qui semper vident eos, & coram quibus timent tota die confundi, sicut sæpe percepimus. His in tanto periculo ex compassione est succurrendum potius, quam in desperationem ponantur, hoc tali modo apte fit, ut confiteantur talibus, quos non timent, ubi consulitur ipsorum verecundiæ, & saluti. Non est leviter præcipitandus in interitum, pro quo Christus Dominus potius voluit mortem crucis subire, quam permitteret eum perire. Et rigor juris positivi, ubi expedit servandus est, ubi autem salutem impedit, remittendus est. Cum enim potestas Ecclesiastica data sit a Domino Prælatis, teste Apostolo, in ædificationem, & non in destructionem salutis animarum, ubicumque aperte quis ea utitur in destructionem, virtutem suam amittit. Sicut medicina, non sicut expedit ægro porrecta, potius lædit eum quam sanet, cum medicinæ ad sanandum & reparandum, & non ad sauciandum, vel destruendum sint repertæ. Cessante enim causa, cessat & effectus: quia rigor pro utilitate animarum statutus, sicut servandus est, ubi illa utilitas inde provenit, pro qua statuitur, ita laxandus est, ubi talis effectus non sequitur, sed potius contrarius aperte sentitur.

a Cor. 10

Quod si aliquis Plebanus prohibet quoquo modo, ne subditi sui confiteantur talibus, qui ab Episcopo, vel a Domino Papa mediate, seu immediate habent auctoritatem generalem confessiones audiendi: talis prohibitio non valet, nec pœna in

A prohibitione apposita est timenda, & hoc multiplici ratione, quarum tres tantum hic ponam. Prima, quia non potest inferior sui superioris auctoritatem cassare, ut quod ille concessit, iste prohibeat.

Secunda, quia si aliquis supradictorum defectuum inest ipsi Plebano, scilicet imperitiæ, suspensionis, irregularitatis, criminis negligentiæ, vel alterius impotentiæ, per quem subditi ab eo debito modo non expediuntur in confessione, debent etiam eo invito, ad alios idoneos recurrere, si non velit sponte concedere, nec pro ejus malevolentia seipsos salutis remedio privare.

Tertia, quia & si Plebanus satis B sit idoneus, tamen subditi postquam jus suum ei reddiderunt, confitendo, & alia debita persolvendo, si volunt & alios de salutis suæ remediis consulere, non debet, nec poterit eos prohibere. Et si pœnam aliquam propter hoc eis infligeret, tale esset sicut qui punit omnino innocentem, & damnat recte operantem, quod est error intolerabilis, & juri divino contrarius, & ideo non ferendus, immo graviter puniendus, & tenetur læso de illata satisfacere injuria, & propalavit propriam imperitiam, nesciens quid debeat, & quid possit, ac limites suæ potestatis confundens.

Cum contritio, confessio & satis- C factio sint integrales partes pœnitentiæ, & necessariæ ad salutem omni pœnitenti, sicut non contrito non datur remissio peccatorum, ita nec non confitenti peccata sua, si potest habere catholicum sacerdotem, sicut sancta constituit Ecclesia Spiritus sancti auctoritate juxta Evangelicam doctrinam, cum Christus claves regni cœlorum per Apostolos sacerdotibus tradiderit ad animas ligandas & solvendas. Cum ergo necesse sit confiteri, necesse est etiam aliquos esse, qui confitentes audiant & absolvant vice Christi. Aut ergo confitebuntur Prælatis suis tantum, aut etiam aliis sacerdotibus. Sed si prælatus alicujus est suspensus ab officio suo quacumque ex causa per Ecclesiam, vel insufficiens

est

est ad scientiam necessariam, vel aliter negligens, quod non impendit pœnitentibus debitam diligentiam, vel quocumque alio modo præstat impedimentum, quod ab eo subditis non convenit requirere absolutionis gratiam: necesse est alios institui, qui vicem illorum suppleant in hac parte. Alioquin sacramentum pœnitentiæ per subtractionem debitæ confessionis & absolutionis evacuatur, & claves Ecclesiæ otiosæ manebunt, aut jura canonica nullius vigoris erunt & auctoritatis, quæ sententias suspensionis & irregularitatis & excommunicationis frustra contra aliquos ediderunt, & absolutionis beneficium impendi contradixerunt, si ab ipsis tantum coguntur subditi istud requirere, & eis solis peccata sua & non aliis confiteri. Licet enim communiter clerici in quibusdam terris istis defectibus non valde sunt impliciti, ut in Anglia, vel Francia, vel alibi, ubi clerici sunt litterati, & clericaliter vivunt, & subditos suos bene regunt: tamen in pluribus aliis terris tanti defectus in clero repeituntur, per quos inabiles & minus idonei sint ad animas pœnitentium absolvendas, quod qui fratribus Minoribus & Prædicatoribus prohibet fideles ibidem confiteri peccata sua, videtur aut ignorare periculum, aut animarum invidere saluti, & Dei beneplacitum impedire. Si aliquis teneretur alicui providere in necessariis, & negligeret, vel non posset, & alius vellet egenti ex compassione subvenire, & illius vicem supplere qui deberet, ne iste periret: numquid ab aliquo prohibendus esset, ne proximo in necessitate subveniret? Et si hoc esset inconveniens prohibere ne liberaret proximum a periculo corporis, quanto magis incongruum est & illicitum, prohibere aliquem a liberatione animæ fratris a periculo damnationis: immo videtur error omnino non ferendus prohibere aliquem liberari a naufragii periculo, & potius permittere eum perire, quam pœnitentem a voragine peccati per confessionis tabulam extrahere. Nulla lex servanda, nulli præcepto obediendum humano, quod contra

A præceptum charitatis Dei, & contra salutem proximi aperte agere invenitur. Adversus charitatem enim, vel ceteras virtutes & fructus spiritus, teste Apostolo, non est lex. Cum ergo pastor plebis alicujus præcipit subditis suis ne alicui confiteantur alii quam sibi, subintelligendum est in præjudicium suum, ita quod si alteri confessi fuerint, nihilominus confiteantur & sibi. Nam sicut non potest eos prohibere, quin de temporali utilitate loquantur, cum quocumque voluerint: quanto magis de spirituali, & salutis consilium requirere, ubi sperat invenire? Verbi gratia, ubi decimæ debentur sacerdoti tantum, si præcipit, quod nulli dentur decimæ nisi sibi, intelli-

B gendum est hoc de decimis, quæ sibi debentur. Sed si aliquis dederit ei debitas decimas, & de residuo quod suum est, vult etiam alteri cuicumque dare aliam decimam ratione eleemosynæ, numquam potest sacerdos suus eum prohibere, ne hoc faciat.

Aliud vero est de Regularibus religiosis, qui sicut a superioribus prohiberi possunt ne vadant quoquam, vel loquantur cuiquam sine ipsorum licentia, ita possunt etiam prohiberi ne confiteantur alicui nisi per licentiam eorum, dummodo tales eis confessores assignent, per quos non negligantur in his, quæ pertinent ad

C salutem. Alioquin si prælatus religiosi præcipit ei ne confiteatur alicui præter suam licentiam, & non assignat ei confessorem idoneum, & ille indiget confessione, potest & debet alium quærere confessorem, potius quam salutem propriam negligat, quia præceptum non tenet inferioris prælati, quod præjudicat præcepto superioris. Omnis autem prælatus in Ecclesia est inferior summo Pontifice, cujus præceptum est vice Dei, ut fiat confessio peccatorum idoneo confessori, suo tempore cum potest haberi.

Quod si subditus Plebani, confessus est alteri, etiam qui ab Episcopo licentiatus est, ut possit audire confessiones requirentium, & Plebanus ex pastorali sollicitudine vult agn

ſcere oves proprias, ut ſciat quibus ſacramenta divina miniſtret, vel qualia adhibeat infirmantibus remedia, & vult conſcientias eorum etiam agnoſcere per confeſſionem ipſorum, dummodo hoc calumnioſe non faciat, vilipendendo auctoritatem alterius, cui ille confeſſus fuerat: non eſt propter hoc redarguendus, ſed magis pro ſua ſollicitudine commendandus, cum de ipſis ſit rationem Domino redditurus.

Si autem aliquando Epiſcopus præcipit ſubditis ſuis in ſynodo, quod nulli confiteantur niſi Plebanis ſuis, vel quibus ipſi licentiam dederint, non eſt intelligendum velle revocare, ſi quam auctoritatem fratribus dedit confeſſiones audiendi per ſuam diœceſim, ſed quod non confiteantur aliis in ſuorum præjudicium Plebanorum, juxta quod ſupra dictum eſt, cum ad hoc tantum debeant eis obedire.

Quod ſi expreſſe revocaret omnem auctoritatem, quam fratres habent ab ipſo de confeſſionibus audiendis, nihilominus tamen fratres quamdiu non ſunt a ſummo Pontifice prohibiti, vel a ſuis ſpecialibus prælatis, quibus obedire tenentur, poſſunt audire confeſſiones ſub hac forma, quod audita confeſſione eorum, ſi quis dignus eſt, abſolvant eum ſub ſpe ratihabitionis paſtoris ſui, ſi eſt idoneus paſtor ſecundum præſcriptam formam, vel ſi nolit habere ratam abſolutionem illam, quod iterato confiteatur eidem, ſi prius non ſit ei illa peccata confeſſus. Si autem habet ille confitens Plebanum non idoneum, vel nullum, ſimpliciter abſolvat eum: & expediat in his, quibus indiget ad ſalutem potius quam nullo ſubveniente negligatur. Debemus enim præſumere ſummum Pontificem, vel alium quemlibet bonum paſtorem animarum hujuſmodi eſſe diſcretionis, & charitatis, quod potius velit oves Chriſti per quemquam catholicum ſacerdotem ad ſalutem æternam expediri, quam negligi ab his, qui ex officio curam eorum ſuſcipiunt, ſed executionem officii circa eos non implent: alioquin ſi hoc non vellet, indignus eſſet dignitate

A Pontificalis officii, qui oves Chriſti magis perire vellet, quam erui de ore luporum, & talis ejus voluntas caret effectu paſtoralis poteſtatis, quæ ſolum in ædificationem, & non in deſtructionem animarum data eſt ab ipſo principe paſtorum Domino JESU Chriſto. Hac enim ratione provide S. Eccleſia inſtituit, quod in neceſſitatis articulo, cum proprius non habetur ſacerdos, quilibet ſacerdos abſolvat quemlibet pœnitentem ab omni vinculo peccati, & excommunicationis etiam majoris, potius quam ex defectu proprii paſtoris aliquis innodatus peccato decedat. Licet vera contritio poſſet eum abſolvere, cum non poſſet habere confeſſorem. A

B ſimili ergo cum proprius ſacerdos non poteſt, aut non curat, ſeu neſcit confitentem debito modo expedire, poteſt & alium confeſſorem quærere, qui eum expediat, cum periculoſiora ſint animæ vulnera, ſeu morbi quam corporis, ſi citius remediis debitis non curentur. Qui autem prohibet ægrotantem ne accedat ad medicum, qui eum curet, mortem deſiderare videtur, quia non vult vitam ſuam congruis remediis a morte tueri. Si vero ſententiam contra eum ferret excommunicationis, quaſi pro inobedientia, nullam habet vim taliter lata ſententia: quia pœna talis inferri non debet, niſi gravi culpa præcedente. Culpa vero

C nulla eſt, quærere ſalutis ſuæ remedium ſine præjudicio alicujus. Quod etiam quidam ferunt ſententiam excommunicationis in omnes fratrum benefactores, cum nihil habeamus, niſi quod offertur nobis a fidelibus unde vivamus: idem eſt ac ſi prohiberetur aliquis per excommunicationem, ne fratrem ſuum & proximum a ſubmerſionis, vel incendii, ſeu quolibet mortis periculo liberaret. Prohibere enim cibo reficere indigentem, eſt eum velle fame occidere, quod quam injuſtum ſit, nullus ignorat.

Quod autem dicitur, quod ſententia excommunicationis ſive juſta, ſive injuſta, ſemper eſt timenda: verum eſt, quia ſicut juſta timenda eſt promerenti, ita injuſta ferenti, vel

pro-

Casus in quibus excommunicatio non ligat.

promoventi. Sex enim modis sententia excommunicationis vim suam perdit, & plus nocet ferenti, quam patienti.

Si profertur a quo non debet, ut a non judice vel excommunicato. In quem non debet, in non subditum, vel innocentem. Quando non debet ante cognitionem causæ, vel post legitimam appellationem. Ubi non debet, non in loco judicii, vel non decenti. Quare non debet, pro bono opere, & non pro peccato, & sine ratione justa. Qualiter non debet, juris ordine non servato. Ista & alia plura non prosequor ulterius, relinquens ea a viris peritis quærenda. Qui in eum, qui peccavit, sed jam pœnitet fert excommunicationis pro eodem peccato sententiam, punit non reum, quem Deus jam a reatu peccati absolvit, & restituit innocentiæ pœnitendo, unde debet sententiam retractare, & aliam ei satisfactionem imponere pro peccato. Nam scriptum est: Quomodo maledicam, quem Deus non maledixit? &c. Melius tamen omnes adversantes nobis vincimus humilitate & patientia, quam rebellando & allegando: quia rebellando scandalizamus alios de ipsa scientia & usurpatione potestatis quasi nostræ, patiendo autem ostendimus nos non quærere quæ nostra sunt, sed quæ salutis sunt aliorum, quosdam docendo, quosdam patiendo cupimus ædificare, & Deo lucrari, & sic Deus pro quo patimur, & alii patientiam nostram videntes pugnabunt pro nobis.

Num. 23

Ut autem planius videatur, quam pauci sunt jam in istis partibus inter Plebanos, vel eorum vicarios, qui liberam habeant ligandi & solvendi potestatem, vel qui bene expediant animas in confessione, ac per hoc perpendatur quam necessarii sint fratres nostri, ut vicem eorum suppleant, & animabus pereuntibus subveniant, ex his consideretur. Omnis suspensus ab officio, vel irregularis, vel excommunicatus, vel male intrans ad regimen animarum, non habet potestatem ligandi aut solvendi, vel alia, quæ jurisdictionis sunt, a quibus est ab Ecclesia prohibitus exercendi, unde quod ligat vel solvit, vel facit in hujusmodi, nihil valet. Vide ergo plurimos nobilium & potentium, qui deberent beneficia Ecclesiastica peragere, per bella, & alios excessus frequenter incurrere excommunicationis sententiam, a jure, vel a judice latam vel aliter demereri jus conferendi ista beneficia, quia vel indignis conferunt, vel interveniente simonia, quocumque modo per ipsos vel mediatores, & si qua tunc vel taliter conferunt beneficia, vel juris percipientes ea consequuntur, cum ille conferens jus non habeat conferendi. Videmus Episcopos similiter per bella, vel alios excessus sæpe incidere excommunicationis sententiam, vel suspensionis, vel a Domino Papa suspendi seu excommunicari. Item quod aliqui vel per simoniam promoventur, vel conferunt curam animarum: Similiter alii aliqui prælati promoventur, & promovent alios per simoniæ interventum, & omnes beneficiorum collationes per tales vel taliter factæ nihil juris conferunt recipienti. Videmus pastores locare Ecclesias suas vicariis suis sub certa pensione census, & unus sæpe supplantat alium promittendo majorem pensionem pastori, ut sibi Ecclesia conferatur, & hoc sæpe incaute geritur, & cum periculo simoniæ. Videmus plurimos curam animarum suscipere contra statuta Canonum, ut non clericos, & ante ætatem debitam, vel illegitime natos, vel aliqua excommunicatione vel irregularitate ligatos, & inhabiles ad recipiendum tale beneficium. Item quod multi habent plura beneficia curam animarum habentia, qui habent aliqua obstacula, propter quæ jura prohibent aliquem eligi vel institui, ut est pluralitas beneficiorum, & similia. Nam si aliqui habent dispensationem Apostolicam, quod de proventibus Ecclesiasticis possint recipere usque ad certam summam redituum annuorum, hoc non est accipiendum summum Pontificem intendere, quod concedat alicui simpliciter tot animarum curas colligere, quod de illarum proventibus famem suæ cupiditatis possit utcumque mitigare,

gare, & animas illas sine pastore relinquere destitutas, sed de aliis Ecclesiarum proventibus potius accipiendum est, ut præbendarum & aliorum beneficiorum curam non habentium animarum, sicut meliores & peritiores exponunt. Videmus quod judices causarum, sæpe mandant Plebanis sub pœna suspensionis vel excommunicationis jam latæ, aliquas denuntiare sententias vel exequi, quas negligunt & pœnam incurrunt. Videmus quod multi recipiunt ordines contra Episcoporum prohibitionem, sub pœna suspensionis promulgatam. Videmus quod scholares sæpe manus injiciunt in acolytos per iram, & incidunt in Canonem, nec petunt absolutionem, & sic promoventur ad ordines, vel beneficia Ecclesiastica, & solemniter officiant Ecclesias, & exequuntur ordines clericales. Videmus quod in clero plurimi sunt notorii fornicatores, in domo sua vel alia concubinas habentes, vel hinc inde cum pluribus notorie fornicantes. Notorius autem fornicator dicitur, cujus crimen nulla valet tergiversatione celari, vel cujus testis est populus, qui constat ex decem hominibus secundum quosdam. Omnis autem notorius fornicator, est ipso jure suspensus, quoad se, & quoad alios. Contra aliquos etiam a suis Episcopis, vel prælatis domini Papæ aliquoties fertur sententia excommunicationis. Regulare etiam est, quod suspensus a jure, vel a Judice, vel excommunicatus, si recipit ordinem sacrum, vel ministrat in eo solemniter, est jam irregularis factus, a quo non potest absolvi, nisi per sedem Apostolicam, vel de ejus speciali mandato. Quidam tamen volunt, quod si fuit suspensus a jure non a judice, quod tunc potest secum suus Episcopus dispensare, quia mitius agit Canon quam homo. Videmus quod sæpe judices Ecclesiastici ferunt excommunicationis sententias, contra formam Decretalis illius Innocentii Papæ IV. Cum sit medicinalis. Ubi dicitur, debent congruas præmittere admonitiones prius quam aliquem excommunicent, & sententias ferre in scri-

A pto, & causam conscribere, & illa contra quem fertur sententia copiam scripti illius dare infra certum terminum, & qui aliter fert in aliquem excommunicationis sententiam præter alias pœnas, est ipso facto suspensus ab ingressu Ecclesiæ per mensem, ita quod si infra mensem ingerat se divinis, jam fit irregularis, quod non potest cum ipso super hoc, nisi per sedem Apostolicam dispensari.

Sunt adhuc plurima impedimenta clericorum, quæ præ nimietate non prosequor, sed ex his paucis adverti potest, quam multi sunt Plebani in istis partibus, vel tales, vel a talibus, vel taliter promoti, seu instituti, qui nihil potestatis in ligando

B animas habent aut solvendo, ut cognoscatur quam necessarii sunt fratres in Ecclesia Dei, qui vicem illorum suppleant, & animabus subveniant, quæ aliter possent perire. Quibus & si nulla alia suppeteret auctoritas, collata specialiter a sede Apostolica, vel Episcopis, ipsa insufficientia cleri & indigentia populi latam eis aperit audiendi confessiones populi facultatem, cum illi, qui debent, aut nesciant, aut negligant, aut nequant eos, qui sibi commissi sunt, congrue, ut in pluribus a salutis suæ necessariis expedire. Cum e tribus unum fit necessarium: quod aut pœnitentes confiteantur illis, qui sunt a jure prohibiti vel suspensi:

C aut nobis, quos Ecclesia ad hoc misit, vel clero simus in adjutorio, ubi ipsi minus sufficiunt: aut nulli. Nam laicis confiteri non licet, cum possunt haberi catholici sacerdotes. Quod enim dicitur, quod in extremis debeat homo laico confiteri, si sacerdotem non habeat, non est de necessitate, cum laicus non habeat auctoritatem aliquam absolvendi, sed est signum tantum contritionis, quo perpenditur, quod sacerdotem desideraverit, qui laico est confessus. Item cum dicat Canon, quod qui habens unum beneficium, cui sit cura animarum annexa, recipit aliud, quod primum ipso jure jam vacet, & ad quem pertinet ejusdem beneficii collatio, nisi illud infra sex menses conferat alteri idoneo, quod col-

latio

latio jam devolvatur ad alium, & A nos jam videamus plurimos plura hujusmodi contra Canones tenere beneficia, liquet quantæ jam Ecclesiæ sint vacantes, & carentes vero pastore, cum & ipsi, qui jam tenent eas, non habeant jus in eis, nec ipsorum vicarii, & quibus postmodum conferuntur ab illis, qui jam jus conferendi propter præfatam negligentiam ammiserunt, nihil juris percipiunt, cum non habeant jus illa beneficia jam conferendi. Item cum animarum cura debeat ab Episcopo committi, vel sicut in quibusdam Ecclesiis consuevit ab Archidiaconis, ut sciant quales sint quibus animas gubernandas committunt, & illi, qui jam videntur pastores in plu- B ribus terris per se, constituunt pro se vicarios in Ecclesiis, qui nec ab Episcopo vel aliis auctoritate ipsius curam recipiunt animarum, tales patet vicarios jus non habere. Nam cum in cura animarum sit requirenda pastoris idoneitas, non debet hanc curam per alium gerere, nisi pro causa rationali, & de licentia speciali, cum ipse de animabus sibi commissis sit rationem Deo in judicio redditurus. Item cum Dominus C. Portuensis Episcopus Cardinalis quondam Legatus Theutoniæ, generalem tulerit sententiam suspensionis ab officio & beneficio contra clericos sollicitantes moniales cujuscumque habitus, & excommunicationis contra omnes car- C naliter eas cognoscentes, & Dominus Papa Gregorius IX. illam confirmaverit, & paucis auctoritatem absolvendi tales concesserit, timendum est multos hujusmodi sententiis ligari, qui nec cogitant super se absolutionis vel dispensationis gratia indigere, & tamen sic ministrant, & tenent curam animarum, & percipiunt beneficia Ecclesiastica sic ligati. Item Archiepiscopi in suis conciliis, & Episcopi in synodis sæpe ferunt sententias contra diversos excessus, a quibus sunt, plures clerici non immunes.

Forma petendi ab Episcopo facultatem audiendi confessiones.

Forma ergo petendi auctoritatem ab Episcopis audiendi confessiones generaliter ista potest esse, vel alia æquipollens, Domine vos estis Pastor ovium Christi in hac diœcesi, & vobis incumbit providere animabus commissis vestræ sollicitudini, ne in aliquo negligantur. Cum igitur propter multitudinem plebium, & incrementa peccatorum & perplexitatem casuum, Plebani non possint ad plenum omnibus expediendis sufficere, placeat vobis, ut fratres qui habent inter nos confessionis officium, auctoritate vestra sint adjutores eorum, & subveniant in quibus possunt eorum insufficientiæ populi, & aliorum requirentium in confessionibus audiendis, salvo jure ipsorum, vel quorumlibet Prælatorum, cum specialiter ad hoc Ordo noster sit a sede Apostolica destinatus. Si vero dignamini nobis aliquid potestatis præter communem cursum de aliquibus majoribus ad vos specialiter spectantibus superaddendo committere, propter illos maxime quibus non facilis ad vos patet frequenter accessus, vel quibus propter alia negotia personaliter intendere non valetis, speramus Deo esse placitum, & proficuum animabus. Insuper erit vestri oneris sublevamen, hoc videlicet, & hoc expressis articulis, in scripto, & si potest fieri sub ejusdem Episcopi sigillo omnia, quæ concesserit, reserventur.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS.

OPUSCULUM,

DE TRIBUS QUÆSTIONIBUS AD MAGISTRUM INNOMINATUM.

Apud Trithemium de tribus quæstionibus reperitur hoc Opusculum inscriptum, quia in eo tribus quæstionibus satisfacit circa tres articulos, de quibus Magister innominatus dubitare se ajebat, nempe de paupertate, de labore manuum, & studio scholarium, & magistrorum: In quibus tractandis ita se gerit Auctor, ut errore contra regulam eliminato, ipsam mirifice defendat: qua de causa, tractatus iste solet etiam Defensorium Regulæ inscribi.

INNOMINATO Magistro frater Bonaventura, spiritum intelligentiæ veritatis exoptat. Proponis charissime, ut tibi tres articuli de regula fratrum Minorum absolvantur, de quibus te ostendis pluribus rationibus dubitare, scilicet de paupertate, labore manuum, & studio scholarium & magistrorum. Cum enim regula dicat, quod fratres non recipiant pecuniam per se, vel per interpositam personam, & rursum, nec locum, nec aliquam rem sibi approprient, videntur tibi fratres in hoc regulæ contraire, cum tibi videantur pecuniam per interpositam personam recipere, libros habere & domos, cum non possint harum rerum quas habent, Dominos assignare. In labore etiam manuum sibi injuncto, ut videtur sub præcepto, culpabiles tibi videntur, cum nec laici laborent in operibus mechanicis, nec Clerici manu propria in libris scribendis, quin potius cum magnis sumptibus faciunt eos scribi, ac si apud se haberent numismatum percussores. Postremo in stu-

studio, & magisterio fratres condemnas, cum regula dicat, quod non curent nescientes litteras, litteras discere; fratres plerumque tam Clerici, quam magistri, qui etiam in hoc sæculo parum aut nihil de Philosophia audierunt, student, recitant, scriptitant, immo quod pluris est, laniant, dissipant, ædificant. Nec videtur tantæ humilitatis professoribus posse competere nomen magistri, cum hoc videatur Dominus in Evangelio Matthæi, suis discipulis inhibere, quorum nos dicimur imitatores, tamquam professores Evangelii Jesu Christi. Hæc, ut asseris, tibi in corde de statu & salute fratrum scrupulum generant, & tuam conscientiam inquietant. Super hæc addis assertionem quorumdam, qui tibi nisi sunt, hanc conscientiam de fratribus fabricare.

Mat. 23

Intende igitur, in ea quæ dicturus sum, dabit enim tibi Dominus precibus gloriosæ Virginis, & B. Francisci rectum in omnibus intellectum. Supponis, quod regula paupertatem præcipit, commendat laborem, vetat curiositatem; suppono & ego. Detestaris ob hoc receptiones pecuniarum, proprietates librorum ac donorum; vitupero & ego. Immo nos omnes persequimur fortiter, & culpamus. In hoc convenimus, sed quod fratres tales credis, aut si non credis, dubitas, in hoc penitus dissentimus. Nec enim hoc credo, nec dubito, certum habens oppositum tamquam verum: non quia nullus in ordine talis sit, qui non possit culpari in aliquo prædictorum, cum nec in duodecim Apostolis talis perfectio potuerit reperiri, sed communitatem status, de qua & tu injungis defensandam, assumpsi. Vide igitur quid sentire debeas de receptione pecuniæ. Testificor coram Deo, quoniam veritatem sum expressurus secundum meam conscientiam, in omnibus quæ subjungam. Non credo te aliquatenus dubitare, quin pauperibus quantumcumque extremam voverint paupertatem, liceat recipere eleemosynam, nisi velint se occidere, quod si nefas est, licet hoc fratribus, quod nullus sanæ mentis

A ignorat. Non est igitur contra eorum professionem, si quis dives homo hanc eis ministrat manu propria. Quod si noluerit, potest eis ministrare per manum servi sui. Quod si ille servus non possit, sed committat alii, quare non liceat per manum tertiam, non videtur: quare etiam usque ad decimam manum non potest, non video. Quod si dives habens pecuniam, dat dictum aut vestitum fratribus necessarium, nonne potest ipse manu sua emere? nonne potest ipse pecuniam pro emptione alii committere, & sic per multas manus in usus fratrum expendere, pro relevandis eorum necessitatibus sine offensione fratrum? B Quis sanæ mentis hoc dubitat? cum pecunia ita sit Domini cum committitur personæ intermediæ, ac si ipse Dominus eam manu propria conservaret. Nisi forte quis ita desipiat, ut dicat, quod pecunia in manu servientis posita, transeat in ejus dominium, & desinat esse Domini, quod penitus absurdum est. Quod si dicas, quod Dominus simpliciter & absolute dare intendat fratribus, dico & ego, quod nullus sanæ mentis dare intendit fratribus, nisi prout competit regulæ & professioni eorum. Quis enim daret eleemosynam, ut eos faceret perdere vitam æternam? Dat ergo eo modo, quo fratribus expedit, scilicet committendo alicui, qui per se eam dispenset C in his rebus, quas fratribus licet accipere, & sic pecunia illa per quorumcumque manus transeat, nullo modo spectat ad fratres, quia semper est primi Domini. Et est per hoc manifestum, quod nec per se, nec per interpositam personam eam recipiunt. Fateor coram Deo, ita esse verum in conscientiis fratrum. Quod si mihi forte non credis, tamen ipsi Domino Papæ, qui in utroque jure peritus, ordinis & perfectionis æmulator, qui ut ipse testatur, in conditione regulæ B. Francisco astitit, & ejus plenum intellectum agnovit. Qui requisitus a fratribus dicit, quod fratres volentibus sibi eleemosynas facere, possunt fidelem aliquem præsentare. Qui taliter præsentatus

non

non est eorum nuntius, sed illius potius cujus mandato solutionem facit, seu recipientis eamdem. Hæc sunt verba ipsius. Quis ita desipit, ut si dicam alicui, iste fideliter exequetur vel custodiet quod ei committes, quod propter hoc quidquid ille acceperit, fiat meum, cum etiam licet hæc verba non semper exprimantur, semper tamen habetur in corde, & semper ab aliis credimus sic accipi? Quis ergo tam improbus, ut impugnaret hanc veritatem, per tantorum virorum conscientiam sanam & discretam, per tantam rei evidentiam, & ut nihil desit, per sedem Apostolicam confirmatam? Certus sum, quod talis portabit judicium.

De libris & utensilibus quid sentiam, audi. Clamat regula expresse imponens fratribus officium prædicandi, quod non credo in aliqua alia regula reperiri. Si igitur prædicare non debent fabulas, sed verba divina, & hæc scire non possunt, nisi legant, nec legere nisi habeant scripta; planissimum est, quod de perfectione sic est habere libros, sicut est prædicare. Et sicut non obstat ordinis paupertati, habere Missalia ad cantandum Missas, & Breviaria ad horas dicendas; sic non obstat & Biblias ad verba divina prædicanda. Licet igitur libros habere: Sed numquid regula sibi contraria est, quæ alibi mandat nihil habere? Absit hoc, ut in ea sit contrarietas aliqua, sicut nec falsitas, cum tota de fonte Evangelii sit extracta, sicut mihi, qui parum novi, facile esset ostendere. Dico ergo, quod fratribus horum concessus est usus, sed vetatur appropriatio. Nam non dicit regula: Fratres nihil habeant, nec aliqua re utantur, quod esset insanum; sed quod nihil sibi approprient. Cui igitur horum proprietas assignabitur? Sic respondeo ego, quod cujuscumque sit, non est mea nec ordinis, & hoc mihi sufficit ad meæ conscientiæ puritatem. Ne tamen hominibus fugam parare videar, dico harum rerum mobilium gubernatori & protectori ordinis Cardinali, potestatem & auctoritatem & providentiam a Domino Papa esse concessam. Si-

A cut enim Dominus Papa ait, nec vendi debent mobilia, vel extra ordinem commutari quoquo modo, nisi Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, qui fuerit ordinis Gubernator, super hoc auctoritatem præbuerit & assensum.

Sed dicis: Numquid qui Biblias dant fratribus, intendunt eas dare Papæ, aut Cardinali? Dico & ego: Numquid pater, qui dat Bibliam filio, intendit labefacere ordinem filii, & filium suum facere filium diaboli? Credo te dicere quod non. Dat igitur filio intendens, quod ordinis paupertas sit penitus illibata, ac per hoc ut ordo utatur, propietas autem sit ejus, cujus decreverit pastor Or-
B dinis & Ecclesiæ. An non credis, quod si pater non possit filio librum dare, nisi per manum alicujus, de quo præsumeret, quod non esset filii sui prædator, sed pastor; nonne daret? utique daret ut filio commodaret ad usum. Et in hoc melius provisum est ordini Domino faciente. Nam si librorum proprietas remaneret apud parentes, sic ministri non possent auferre fratribus libros, & essent quasi perpetui ad vitam. Nunc autem ordo nihil sibi appropriat in libris, dum ministri libros nec vendere, nec alienare auctoritate propria possunt, nec fratres subditi possunt, dum frequenter resignant, & eis pro voluntate mini-
C strorum assignantur & auferuntur. Certus sum, quod hæc est conscientia fratrum.

Ut autem nihil remaneat, audi de domibus. Dico domos non esse fratrum. Sed si de solo quæris, dico quod dantium est & patronorum. Si de ædificiis, pari ratione ædificantium, vel eorum quorum est solum: quia cedit solo unius si unus ædificat, vel plurium si plures. Mentior etenim, si non Dominus Papa dicit in regula, salvo locorum & domorum dominio illis, ad quos noscitur pertinere. In loco, intelligens solum: in domibus, ædificia superaddita. Unde nec appropriamus nobis locum, cum dicamus esse illorum qui dant impensas, vel cedit solo: nec etiam usus appropriamus, nisi pro voluntate eorum,

rum, qui fratribus concedunt prædi A cta. Certus sum enim, quod hæc est conscientia fratrum. Non obstat si aliquando vidisti contrarium, quod non credo, quia indiscretio unius, non ad omnes debet nec ad singulos retorqueri. Si dicis, nos tamquam advenas, & peregrinos debere ire de domo in domum, parcat illi Deus, qui primo hanc stultitiam cogitavit. Nonne B. Franciscus ædificavit loca? Numquid tamquam peregrinus ibat quotidie unam dietam? Numquid B. Petrus cum dicat in Canonica sua: Obsecro vos tamquam advenas & peregrinos, &c. voluit, quod omnes transirent de domo in domum? Cum enim dicat Ecclesiasticus: Vita nequam hospitari de domo in do- B mum; tam Petrus, quam Franciscus filiis & discipulis suis non sanctam vitam, sed nequam imposuissent, si secundum prædictum intellectum nos similes esse peregrinis mandarent. Sed hoc dictum intelligitur, ut non currat similitudo quatuor pedibus, sed ut domos in quibus habitamus, parum diligamus, nec proprias reputemus, sicut peregrinus qui transit in patriam, domum non diligit in via tamquam propriam, sed utitur tamquam aliena. Qui aliter sapit, ipse sua insipientia manifestat, quod nihil omnino sapit. Quomodo ergo posset esse regimen & ordo Prælatorum, qui ita districte manet in ordine B. Francisci, si omnes essent C instabiles & vagabundi per orbem? Hoc vero sentit, qui nihil vidit de ordine.

1. Petr. 2 — *Eccl. 29*

Veniam ad laborem manuum, ubi taliter insistis, utrum sit consilium, vel præceptum? Ego autem dico, non intendere B. Franciscum manualem laborem, nec præcipere, nec consulere, nec monere; sed supposita admonitione Apostoli, fratribus nimis vel minus sollicitis ad laborem, dat formam laborandi. Quidam enim sic intendebant labori manuali, ut necaretur in eis devotio orationis. Quod quia periculosum erat, cum activa debeat deservire contemplativæ, dedit eis formam sanctissimus Pater, ut si laborarent qui laborare vellent, scirent, & possent, ut sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant, Hoc enim sequitur in textu regulæ immediate. Unde attende, quod non dicit præcipio, vel consulo fratribus, quod laborent, sed quibus dedit Dominus gratiam, quod non solum includit potentiam, sed voluntatem laborandi. Sicut si diceret, fratribus quibus dedit Dominus gratiam lacrymandi, lacrymentur ita modeste, quod oculos non amittant; non præciperet lacrymari, sicut nunc intelligit. Ipse autem de labore manuum vim non faciebat, nisi propter otium declinandum: quia cum fuerit regulæ observator perfectissimus, non credo, quod umquam lucratus fuerit de labore manuum duodecim denarios, vel eorum valorem, sed potissime ad orationem monebat. Non enim volebat, quod illam extinguerent propter lucrum. Unde Provincialibus ministris relinquitur, quod non permittant fratres suos otiosos. Ego una tecum, si qui tales sunt, judico arguendos, & verberibus puniendos tamquam servos malos & pigros. Non tamen propter hoc tibi displiceat, quia satis ibi invenies copiam laborandi, tam in studio veritatis quam in exercitio humilitatis, pietatis, & cujuslibet alterius virtutis. Nam fratrum eleemosynas quærere, coquinam facere, infirmis servire, scutellas lavare, & in omnibus humilitatis exercitiis laborare, quæ dulciora fratribus sunt quam multa officia dignitatis.

2. Thess. 3

Sed quid dicemus de ascendentibus ad Cathedram, cum regula dicat, quod non curent nescientes litteras, litteras discere, &c. cum etiam Evangelium dicat, quod nolimus vocari magistri. Dico ergo, quod regula non vetat studium litteratis, sed illitteratis & laicis. Vult enim juxta Apostolum, quod unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, permaneat, ut ad Clericatum de laicatu nullus ascendat, nec vult quod Clerici fiant laici, studium recusando: alioquin ipse transgressor fuisset, qui cum paucas litteras sciret, postmodum in litteris profecit in ordine, non solum orando, sed etiam legendo. Unde ut scias quantum sibi placu-

Matth. 23 — *1. Cor. 7*

cuerit studium S. Scripturæ, audivi ego a fratre, qui vidit, quod cum novum Testamentum venisset ad manus suas, & plures fratres non possent simul habere, dividebat per folia, & singulis communicabat, ut omnes studerent, nec unus alterum impediret. Clericos etiam quos recipiebat ad ordinem, in summa reverentia habebat, & in morte mandavit fratribus, ut Doctores S. Scripturæ in summa reverentia haberent, tamquam illos a quibus reciperent verba vitæ. Unde cum nomen Doctoris veneraretur, intelligebat hoc Evangelium non vetuisse, alioquin Paulus Apostolus Evangelio contradiceret, qui se prima epistola ad
1 Tim. 2 Timotheum magistrum gentium vocat, quod majoris impudentiæ videtur, quam si ab aliis vocaretur. Dico ergo, quod secundum Evangelium pompa hujus nominis condemnanda est, & nullatenus appetenda, sed officium assumendum: Quos enim magis decet Evangelium docere, quam qui Evangelium profitentur, & servant? Nam cum dicat Evangelium:
Matt. 5 Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum; quis sanæ mentis dicat, ut magister & frater Alexander dives, debuerit prædicare, & docere: Beati pauperes spiritu, & pauper effectus debuerit reticere? Certe, si fratres decet addiscere, & ruminare tamquam munda animalia, verba divina, & sibiipsis sufficiunt in docendo; quis tam stultus est, ut dicat, quod doctrinam quam eos decet facere & docere, debeant a non facientibus mendicare? Condemno igitur tecum in magisterio pompam, sed commendo officium. Damno fratrem Minorem pomposum, & dico eum magisterio penitus indignum; sed commendo studiosum, credens quod nulli magis quam tali competat auctoritas docendi Evangelium Jesu Christi.

Restat igitur, ut de philosophantibus aliquid subjungamus. Audi charissime sicut in ceteris, sic & in hoc pariter concordemus. Fateor, displicent tibi curiositates, displicent & mihi, & displicent fratribus bonis, & displicent Deo & Angelis suis. Nec defendo circa scripta puerilia mussitantes, sed detestor eos pariter tecum. Unde & tibi & mihi consulo, ut habeamus zelum secundum scientiam, ne detestemur plus quam oportet. Fortassis enim inter peccata minuta, & venialia computandum est. Vix enim grana absque paleis colligi possunt, & verba divina sine verbis humanis. Hæc autem omnia separantur per zelum compunctionis & fletum devotionis, quæ faciunt triticum veritatis a verborum paleis separari. Et fortasse videntur aliqui curiosi, qui magis sunt studiosi. Si quis enim studeret in dictis hæreticorum, ut eorum sententias declinando magis intelligeret veritatem, nec curiosus, nec hæreticus, sed Catholicus esset. Cum verba philosophorum aliquando plus valent ad intelligentiam veritatis, & errorum confutationes, non deviat a puritate in his aliquando studens, maximæ cum multæ sint conclusiones fidei, quæ sine his terminari non possunt. Unde si velimus nimis stricte judicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, judicabimus curiosos. Nam nullus melius naturam temporis, & materiæ describit, quam Augustinus inquirendo & disputando in libro confessionum. Nullus melius exitus formarum, & propaginem rerum, quam ipse super Genesim ad litteram. Nullus melius quæstiones de anima, & de Deo, quam ipse in l. de Trinitate. Nullus melius naturam creationis mundi, quam ipse in l. de Civit. Dei. Et, ut breviter dicam, pauca aut nulla ponunt magistri in libris suis, quin illa reperias in libris Augustini. Lege Augustinum de doctrina Christiana, ubi ostendit quomodo non potest intelligi S. Scriptura sine aliarum scientiarum peritia. Ostendit etiam, quod sicut filii Israel asportaverunt vasa Ægypti, sic Doctores Theologi doctrinam philosophiæ. Unde multa, quæ non didicimus per Philosophos de dictis philosophiæ didicimus per Sanctos. Ac per hoc non debet tibi esse mirum si minus fundati intrantes, fiant in scientia in ordine fundatiores. Sed esto, quod

ista

ista sint reprehensibilia & purganda, non propter hoc retraharis, quia nullus ad hoc compellitur, sed is magis amatur, qui magis est talium aspernator. Nec Prælati talia præcipiunt, sed permittunt. Nec propter tres vel quatuor vitiosos, debet magister contemnere innocentes. Et si aliqui abundent libris ad tempus, aliis plerisque multo plus indigentibus poterunt dispensari, cum multo plures egeant quam abundent. Nec te moveat, quod fratres fuerunt in principio simplices & illiterati, immo magis debet hoc in te fidem Ordinis confirmare. Fateor coram Deo, quod hoc est quod me fecit vitam B. Francisci eligere, quod non fuit per hominum prudentiam inventa, sed per Christum: & quia opera Christi non deficiunt, ostenditur hoc opus fuisse divinum, dum ad consortium virorum simplicium etiam sapientes non sunt dedignati descendere, attendentes illud Apostoli: Si quis est inter vos sapiens, stultus fiat, ut sit sapiens. Rogo charissime, ut non nimis abundes in sensu tuo, nec credas te prudentiorem nec meliorem omnibus, quos Deus ad statum istum vocavit, & si vocaverit te, non recuses. Vale in Domino. 1 Cor.

S. BONAVENTURÆ
S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPI ALBANENSIS.
OPUSCULUM

DE EO, QUOD CHRISTUS, ET APOSTOLI, ET DISCIPULI EJUS DISCALCEATI INCESSERUNT, SIVE DE SANDALIIS APOSTOLORUM.

Joannes Trithemius in operibus S. Bonaventuræ hoc recenset, illudque inscribit: De Sandaliis Apostolorum. Hujus vero rei argumentum erudite tractatur ab Auctore multis Scripturæ locis, sanctorumque Patrum auctoritatibus adductis, & explicatis: ex quibus multa discere licet doctrina simul & eruditione plena.

TALIS lector, tali lectori, spiritum intelligentiæ sanioris.

Quoniam secundum Apostolum Joannem Deus veritas est, qui contra veritatem offendit, maxime Evangelicam, cujus Christus specialiter auctor est, contra Christum offendere comprobatur. Super eo igitur quod Christum & suos sanctos Apostolos, atque discipulos non discalceatos, sed calceatos incessisse coram peritorum multitudine prædicasti, quam temere contra veritatem Evangelicam offenderis, perpendere poteris ex subscriptis. Ait enim Chrysostomus super Matthæum: Apostoli cum una tunica, & discalceati circumibant totum mundum, & superabant. Item Hieronymus ad Ageruchiam: Apostoli toto orbe peregrini, non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus. Item ad Rusticum Monachum ponit idem. Idem in epistola ad Eustochium, dicit sic: Moyses & Jesus Nave

1 Joan. 5

Hier. ad Ageruchiam epist. 11 post med.

Idem ad Rust. ep. 4.

Ibidem ad Eust. ep. 22

Nave nudus in terra sancta jubentur pedibus incedere, Apostoli sine vinculis pellium, & onere calceamentorum ad prædicationem novi destinantur Evangelii: Milites vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habuere quas tollerent. Non enim habere Dominus poterat, quod servos suos habere prohibuerat. In hac auctoritate perpendere potest tua prudentia, quod Dominus noster Jesus non tantum calceamenta tempore passionis non habuit, sed etiam habere primo non potuit. Cœpit enim facere, & docere. Item Augustinus dicit sic, quod scribitur in Luca: Quando misi vos sine sacculo, sine pera, sine calceamentis, non tantum fuerunt Domini verba, sed & discipulorum obtemperantium facta secuta sunt. Item in vita B. Martialis: Sanctus Domini Martialis pergens ad prædicandum, non equo vehebatur aut asino, non quolibet jumento, nec calceamenta propriis induebat pedibus, sed juxta Domini, & Magistri sui Jesu Christi sententiam, quam ipse sibi & aliis Apostolis inculcare solebat, ut pergentes de civitate in civitatem, non sacculum, neque peram secum tollerent, nec calceamenta, nudis incedens pedibus, imitator Christi, atque B. Petri Apostolorum principis consanguinei sui in omnibus quæ ipse Dominus præcepit, existere curabat. Item in vita B. Frontonis discipuli scribitur sic: Beatus Fronto castra & urbes, & vicina loca calceatus tantum scandaliis peragrans, gentium catervis divini verbi semina erogabat. Item in Marthæ, & Magdalenæ vitis legitur, quod vel sandaliis utebantur, vel nudis pedibus incedebant. De scandaliis autem dicitur in Marco: Calceatos scandaliis, ubi Glossa: Ut neque pes tectus sit, neque nudus ad terram. Item ad Ephesios 6. & Matthæi 10. dicitur in Glossa: Sandaliis, vel soleis usos Apostolos fuisse. Papias autem dicit: Sandalia autem sunt calceamenta desuper corium non habentia. Item Eusebius Cæsariensis l. 6. Ecclesiasticæ historiæ, c. de laudibus Origenis, dicit sic: Ante omnia Origenis præcepta Evangelica, & voces Salvatoris summo amore, & studio implenda esse censebat, quibus præcipitur duas tunicas non habendas, nec calceamentis utendum, nec de crastino cogitandum. Et sequitur: Ita denique per multos annos absque omni calceamento nudos traditur incessisse vestigiis. Item Gregorius Nazianzenus: Optabam homines videre, qui viverent ad exemplum prædicatoris Evangelii Christi, nudis pedibus incedentes, propter regnum pauperes, propter paupertatem reges. Cernis puto si proprie sapis, quod duo illustrissimi Græcorum Doctores præceptum Evangelicum de non portandis calceamentis ad litteram censuerunt observandum. Quod si fortassis in hac sententia præsumpseris dicere, prædictos duos Doctores hæresim sapuisse, per prædictas & post dicendas auctoritates Doctorum Latinorum Catholicorum, calumniari in hac parte prædictos Doctores convinceris manifeste. Item in vitis patrum, in Monachorum perfectorum laudibus legitur in pluribus locis, quod nudis vestigiis incedebant. Item Hieronymus in libro contra Jovinianum reprehendit ipsum, quod cum prius tamquam perfectus Monachus nudis pedibus incessit, postea a perfectione apostatans Monachali, calceamenta deaurata portabat. Item in Apostolicis actis dicitur: Calceate caligas tuas. Ad hæc est una Glossa: Petrus propter rigorem carceris ligamenta ad horam laxabat, ut tunica circum pedes demissa frigus noctis ventumque temperaret, exemplum præbens infirmis, ut cum molestia corporalis vel injuria intentatur humana, liceat aliquid laxare de rigore propositi. Sicut ergo Petrus in eo quod circum pedes tunicam demisit ad horam propter rigorem carceris, exemplum infirmis præbuit, & rigorem laxavit, ita in eo quod ad horam tantum caligas habuit, si tamen habuit. In fine tamen prædictæ Glossæ, caligæ Petri spiritualiter exponuntur sic: Quod dictum est: Sint lumbi vestri præcincti, &c. Et, Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis, spiritualium virtutum,

Margin notes: Act. 1 — Aug. 22 con. Faust. c. 77 t. 6 — Luc. 22 — Mar. 6 — Act. 12 — Luc. 12 — Ephes. 6

tum, verbique prædicandi resumere jubentur insignia. Textus etiam, Calcea te, ad litteram intellectus non dissonat a prædictis auctoritatibus, & inferius annotandis, sed omnino etiam concordat. Nam ubi Latinus interpres dicit caligas, Græcus dicit sandalia. Sunt autem sandalia, sicut dicit Magister in historia, soleæ vel petones. Secundum Papiam vero caligæ dicuntur, quasi caligulæ: quia super pedem colligantur. Vel etiam quia calce ligantur, sicut cernimus in solea S. Petri, quæ usque hodie Romæ servatur. Et etiam in picturis, & in cælaturis antiquarum Apostolicarum imaginum, & novarum, in quibus omnibus vel cum soleis vel nudis pedibus exprimuntur. Non tibi blandiaris, cum audis quia sandalia sunt caligæ, quia secundum Papiam sandalia sunt caligæ, vel calceamenta desuper corium non habentia. Ridiculosum igitur est valde, quod litteratus hoc neget, quod clamant lapides, & testantur. Interlineare autem quo dicitur super illo verbo, exemplum datur non sine calceamentis ambulandi, Angelo jubente, & Apostolo complente, solvitur per principium interlinearis, ubi dicitur: Caligæ sunt calceamenti genus, & de illis intelligitur. Nec videtur authenticum, sed ponitur magistrale, vel spiritualiter intelligendum est ut est illud ad Ephesios: Calceati pedes, &c. *Ephes.* 6 Glossa: Hæc calceamenta virtutum debet habere prædicator, ne ille, qui prædicat pede mentis terram tangat, id est, pro terrenis faciat. Hac significatione dicit Marcus Apostolos sandaliis calceari vel soleis, scilicet ut neque pes sit tectus, neque nudus ad terram. Hic, ut cernis, manifeste dicit Glossa, & est Augustini, quid sunt sandalia, quia soleæ, & quod virtutum calceamentis debent veri Apostoli calceari. Amplius super illud Lucæ: Quando misi vos *Luc.* 22 sine sacculo, & pera, & calceamentis, &c. Glossa dicit sic: Non eadem vivendi regula persecutionis, quæ pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid in via tollerent,

A præcipit, instante autem mortis articulo, & tota illa gente Pastorem simul & gregem persequente, congruam tempori regulam decrevit, permittens ut tollant victui necessaria. Ex hac Glossa patet, quod ad regulam Apostolicam pertinet nihil in via tollere, & sine calceamentis incedere. Et licet persecutionis tempore aliquid in via tollere permittatur, de calceamentis tamen comportandis etiam persecutionis tempore, nec textus innuit, nec Glossa.

Ex prædictis testimoniis clarius innotescit, quid de Domini nostri Jesu Christi & suorum Apostolorum, atque discipulorum calceamentis, juxta veritatem Evangelicam, & sanctorum
B expositiones, docendum sit pariter & servandum. Sed his omnibus testificationibus firmissimis, atque claris, S. Evangelii sanctiones sunt incomparabiliter clariores. Scribitur enim in Matthæo: Nolite possidere *Matth.* 10 aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta neque virgam. Item: Præcepit eis Dominus ne quid tollerent in via nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque in zonis æs, sed calceatos sandaliis. Item ait: Nolite portare sacculum, *Luc.* 6 neque peram, neque calceamenta. Quod autem Domini hæc verba, mandata non tantum spiritualiter,
C sed etiam ad litteram fuerint observata, patet ex auctoritatibus prædictis. Patet etiam ex picturis & cælaturis antiquissimis laicorum. Patet etiam ex ipsis sandaliis Apostolorum, & Christi discipulorum, quæ usque in hodiernum diem in plerisque locis, ad hujus veritatis adstipulationem, & devotionem fidelium reservantur. Patet etiam ex Glossa Marci superius allegata. Patet etiam ibidem ex alia Glossa. Matthæus & Lucas, memorant Dominum dixisse *Luc.* 9 *Matt.* 10 discipulis, ut nec virgam ferrent. Marcus ne quid tollerent, nisi virgam tantum. Sed illi accipiunt realiter virgam, Marcus per virgam potestatem accipiendi necessaria a subditis. Ergo sicut Matthæus, & Lucas virgam realiter accipiunt, sic & calcea-

ceamenta. Plato dicit, duas summitates corporis non esse velandas, neque assuetam fieri mollitiem debere capitis & pedum; cum hæc habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt. Item Magister in historia, qui dicit sic: Non portabitis calceamenta, neque virgam. Secundum Marcum sandaliis, id est, soleis vel petonibus uti jussi sunt. Item in libro

Jos. 5 Josue dicitur: Solve calceamentum tuum de pedibus tuis, &c. Glossa: Hi sunt pedes, quos lavit Jesus. Non autem ignorat prudentia tua, Dominum Jesum non tantum pedes Apostolorum spirituales, sed etiam corporales humiliter abluisse. Patet etiam postremo per gloriosum Christi signiferum Franciscum, qui Spiritu Sancto revelante juxta litteralem intellectum prædicti præcepti ordinem suum, & regulam instituit, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, & etiam servavit. Et juxta hunc intellectum per se ad providentiam signis præcedentibus confirmationem meruit obtinere. Ceterum si præcepta Evangelica de non portandis calceamentis spiritualiter tantum ab Apostolis intellecta fuerunt & servata, ergo & illud quod ibidem inseritur, Gratis accepistis, gratis date, & illud: Infirmos curate, mortuos suscitate, & illud: Nolite possidere aurum, neque argentum, &c. Quod quam perniciosum sit, & Evangelicæ veritati adversum tua peritia non ignorat. Ubi quæso esset illud Petri: Argen-

Act. 3 tum & aurum non est mihi? Et il-

Act. 8 lud: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri, & illud: dansque illi manum erexit eam in suscitatio-

Act. 9 ne Tabithæ. Hæc ergo si ab Apostolis fuerunt intellecta ad litteram, & servata, ergo & illud de calceamentis ab Apostolis non portandis, quæ prædictis sine medio connectuntur. Præterea Græci prædicantes Evangelium, quos cernunt pecuniam non accipere, nec calceatos incedere, sed sandaliis, vel soleis uti Apostolicos nuncupant, & ut Christi discipulos venerantur. Monachi etiam Indiæ, sicut ille retulit mihi, qui

A vidit, calceamentis non utuntur, nudis pedibus incedentes. Hæc autem scripsi tuæ peritiæ, ut de cetero contra tot & tanta testimonia, Christum & ejus perfectissimos discipulos non infames & Evangelicæ veritatis regulam ut lux clarissimam, expositione tua mystica non obscures. Nam secundum quamdam Glossam super Matthæum: Pravus est auditor, qui manifesta vult obscure intelligi. Innuit etiam Gregorius in Moralibus Greg. in ep. ad Leand. in prin.

in procemio, trifariæ Scripturæ modum. Sunt enim quæ historice vel Mor. c. 3.

ad litteram intelligi nequeunt, ut illud Job: Suspendium elegit anima Job. 7

mea. Et illud: Pereat dies in qua Job. 3

natus sum. Quædam historice, moraliter, & allegorice intelliguntur.

B Quædam in quibus qui sensum litteræ negligit oblatum veritatis sibi lumen abscondit. Certum est autem ex prædictis trium Evangelistarum sententias superius allegatas, non in primo genere, sed in secundo, & tertio contineri. Ceterum quod quatuor Evangelistæ Joannis Baptistæ hu- Joan. 1

militatem admirabilem prædicantes introducunt ipsum dicentem, quod non sit dignus solvere corrigiam calceamentorum Christi, sive ipsius calceamenta portare: quod spiritualiter intelligendum sit, ex glossis sanctorum annotatis ibidem clarius innotescit. Dicitur in Evangelio Joannis: Non sum dignus ut solvam ejus cor-

C rigiam calceamenti, ubi Glossa: Non ait, non solvam, solvit enim quando ipsum manifestavit, & de divinitate & humanitate ipsius multa aperuit, sed non sum dignus scilicet ait, quia ad hoc agendum se indignum putavit. Item in Lucæ Evangelio iterum Luc. 3

dicitur: Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ubi ait Glossa: Non sum dignus mysterium solvere Incarnationis, vel nomen sponsi non mihi usurpo, nec sponsus credi, sed amicus sponsi volo. Item Marcus: Non sum dignus procum- Mar. 1

bens solvere corrigiam calceamentorum ejus, Hieronymus, id est, Incarnationis mysterium, quando Verbum caro factum est. Item Mat- Matt. 3

thæus: Non sum dignus calceamenta ejus portare. Glossa; Intendebat

hic ostendere excellentiam Christi, & sui humilitatem. Et in eadem Glossa exponitur allegorice ut prius. Forte autem Joannes Baptista in verbis propositis ad litteram intellectis non Christum calceatum dicere intendit, sed juxta prædictam Glossam intendebat, &c. Majestatem Christi magnificans, & suam humilitatem prædicans, usitatum modum loquendi tenuit, sicut de homine valde nobili non lavante manus suas posset dicere pauper humilis. Nisi sum dignus aquam effundere super manus ejus. Nisi forte quispiam verba proposita volens exponere, dicat, quod Christus eo tempore quo Joannes Baptista sententias protulit ante dictas, nondum publice prædicabat, nondum regulam ediderat, nondum in deserto exemplum dans pœnitentiæ jejunaverat. Quod utique verum est. Et ideo vult dicere, quod calceamentis tunc temporis utebatur. Quod utique videtur a glossis omnibus, & sanctorum expositionibus alienum. Sive autem hoc fuerit sive non, ex prædictis manifeste concluditur, quod post institutionem Apostolicæ regulæ Christus suique discipuli sine calceamentis ad litteram incesserunt. Nam secundum Hieronymum: Christus non habuit, quod non habendum docuit, qui primo cœpit facere & docere. Idcirco periculosum est

A valde, immo ridiculosum asserere aliter Christum, aliter Apostolos vixisse, & Christum regulam non servasse, & Apostolos aliud quam Christum habuisse perfectionis exemplum, cum discipulum esse perfectum, si sit sicut magister suus, & servum non esse Domino suo majorem Evangelica veritas contestetur, & ut simus imitatores Domini, sicut & ipse Christi, nos Paulus Apostolus exhortetur. Tu igitur qui Evangelii Doctor es & sectator, si hujus Evangelicæ perfectionis apicem non attingis usu: attingas saltem affectu pio, affatu veridico, & Catholico intelle-

B ctu, & noli Evangelii candidissimam margaritam tortis expositionibus conculcare, noli contra Evangelicorum pedum nuditatem pelles mortuas defensare. Si enim contra sententias Evangelii calceamenta defenderis, timendum est, ne duas tunicas, & cum pera pecuniam defendere contendas. Doceat ergo te unctio veritatem, ut si quid incautius Evangelium prædicasti, studeas revocare. Ne contemptum te repures, quod *Matt. 10* in hac epistola tecum singulariter sim locutus, hoc enim mihi amor charitatis privatæ suasit, præsertim quia malui consuetudinem imitari Doctorum illustrium, & sanctorum, quam vulgarem facetiam populorum. Vale in Domino.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS.

DETERMINATIONES QUÆSTIONUM CIRCA REGULAM S. FRANCISCI.

Hoc tractatu respondet S. Bonaventura objectionibus, quæ adversus Religiosos omnes præcipue contra Fratres Minores fiebant: docetque aperte his objectionibus satisfaciendo, plura quæ dubia, & mala videntur in Regula, nec dubia, nec mala esse.

Summa Quæstionum, quæ hoc Opusculo determinantur.

Cur tot existentibus sanctis, & approbatis ordinibus novam regulam facere voluerit S. Franciscus. Quæst. I.
Cur fratres Minores populo prædicent, & confessiones audiant; cum animarum curam ordinarie non suscipiant. Quæst. II.
Cur fratres Minores litterarum studio vacent. Quæst. III.
Cur fratres Minores nihil habeant proprium, nec in speciali, nec in communi. Quæst. IV.
Cur fratres Minores non degant in deserto. Quæst. V.
Cur fratres Minores habeant magnos conventus. Quæst. VI.
A *Cur fratres Minores plura colligant, vel servent, quam sufficiant ad unius diei victum.* Quæst. VII.
Quare plura nunc petunt fratres Minores, quam olim. Quæst. VIII.
Quæ sit causa impatientiæ penuriæ in fine præcedentis quæstionis dictæ. Quæst. IX.
Cur non recipiuntur omnes ad ordinem. Quæst. X.
Cur fratres Minores non laborent manibus pro victu. Quæst. XI.
An de qualibet Religione possit quis transire ad Religionem S. Francisci. Quæst. XII.
An de Religione S. Francisci post factam in ea professionem possit quis transire ad aliam. Quæst. XIII.
An liceat ordini Minorum eiicere ali- quem

quem pro demeritis, vel egresso pœnitenti, & petenti receptionem denuo denegare. Quæst. XIV.
An omnes venientes ad Religionem S. Francisci sint recipiendi. Quæst. XV.
Cur aliqui in Religione sint moribus pravi. Quæst. XVI.
Cur non omnes discoli e Religione eiiciantur. Quæst. XVII.
In quibus bona Religio cognoscatur, & una melior altera judicetur. Q. XVIII.
Quas ob causas in vita Religiosa ordines deficiant, & in quibusdam cærimonialibus proficere videantur. Quæst. XIX.
Quare inter Religiosos aliquando dissensiones sint. Q. XX.
Religiosi quæ facta sua celare debeant. Quæst. XXI.
Cur Religiosi Ordinis S. Francisci ad mensas divitum accedant. Qu. XXII.
Quare Religiosi plus honorent divites quam pauperes. Quæst. XXIII.
Quomodo possint fratres Minores domos, hortos, libros, &c. possidere. Q. XXIV.
An F. Minores transgrediantur regulare, cum pecuniæ quæ sibi pro eleemosyna erogantur per alios recipi & conservari faciant. Quæst. XXV.
An fratres Minores recipiant eleemosynam ab iis, qui injusta lucra sectantur. Quæst. XXVI.
Quare plures Clerici Religiosos odio habent. Quæst. XXVII.

PRÆFATIO.

CUM inter alios ordines Religiosorum, ordo fratrum Minorum datus sit Ecclesiæ ad ædificationem fidelium in fide, & moribus, per verba doctrinæ, & exempla bonæ conversationis, quibus, & fideles erudiantur ad imitandum, & fides muniatur contra pravitatem hæreticam, sicut lucerna fugans in domo tenebras, & operantes promovens. Ut autem eadem ædificatio afferat fructum ampliorem, necesse est ordinem ipsum quatuor ornamentis esse præditum, sine quibus minus proficeret in aliis, licet forte quoad se aliquo illorum posset carere. Primum est vita irreprehensibilis, quæ maxime sibimet prodest, & alios ædificat. Secundum scientiam sacræ Scripturæ, sine qua nec secure, nec utiliter posset alios docere. Tertium est auctoritas prædicandi, & confessiones audiendi, in quibus maxime prosunt fidelibus fratres. Quartum ratio satisfactoria, super quibusdam dubiis apud illos, qui non intelligunt qualiter fiant rationabiliter, & licite immo necessario & meritorie in ordine super quibus, aut mirantur, aut scandalizantur, ut sciant qualiter, & quomodo ista fiant rationabiliter: cum ad hoc teneamur. Nam, ut coram cæco offendiculum non ponamus, opera nostra lux debent esse coram hominibus, juxta illud Matthæi: Sic luceat lux vestra (Matt. 5.) coram hominibus. Vos estis lux mundi. Et ideo expedit in lucem ponere, & rationem ostendere de his, quæ non intellecta possent putari tenebræ, & per consequens possent aliorum ædificationem de nobis aliquatenus impedire. Sicut enim artis alicujus ignarus: videt aliqua ab illius artis opificibus instrumenta haberi, quæ non intelligit ad quid valeant: ita plerumque sæculares, & rudes mirantur, quare spirituales hæc, & hæc faciant: ita ut expediat aliqua ab eis abscondere, non ex simulationis palliatione, sed pro cautela, ne ponatur offendiculum infirmis, & pusilli intelligentia materiam scandali inde sumant. Aufer (Prov. 25.) rubiginem de argento, & egredietur purissimum vas, hoc est, tolle de bono quod facis suspicionem, rationem reddendo, & apparebit purum & bonum quod putabatur vitiosum. Unde Petrus dicit: Parati semper (1. Petr. 3.) ad, &c. Ipsa enim opera Dei purissima in se, sæpe sunt in rudibus, & in infidelibus occasio scandali, cum non intelligunt, & sinistre ac perverse interpretantur. Beatus qui non (Matth. 11.) fuerit scandalizatus in me, ait Dominus, & Propheta dicit: cum san- (Psal. 17.) cto sanctus eris, & cum perverso perverteris. Ut ergo lucerna clarius luceat, offendiculum auferas ei, & limpidius lumen effundet.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Cur tot existentibus sanctis, & approbatis ordinibus novam Regulam facere voluerit S. Franciscus.

PRIMO igitur quæritur, cum tot sancti ordines, & approbatæ regulæ fuerint, cur S. Franciscus novam regulam facere voluit, quasi non sufficerent priorum instituta sanctorum.

Ad illud tibi respondeo, quod Pater S. Franciscus Spiritu Dei plenus, & zelo charitatis Dei, & proximi totus ignitus, triplici desiderio flagrabat, videlicet ut totus posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum. Item ut totus posset adhærere Deo per assiduæ contemplationis ejus gustum. Item ut multos posset lucrari Deo, & salvare animas, pro quibus Christus voluit crucifigi & mori. Et quia non suffecit ei, ut ista in propria persona tantum ageret, voluit instituere ordinem, ut multos cooperatores haberet, non solum in præsenti, sed etiam in futuro, qui & sanctitatis ejus imitatores existerent, & alios Deo plurimos lucrarentur. Ordines autem quos ipse S. Franciscus invenit in Ecclesia, aliqua prædictorum trium ex parte habebant, ut religiosi Cœnobitæ, qui in studio virtutum Christi imitantur vestigia. Eremitæ, qui contemplationi divinæ frequentius vacant, & Clerici rectores plebium, qui animarum curam habentes ex officio, lucris animarum omni vigilantia intendere debent. Et quia hæc tria simul invenit in nullo ordine, Spiritu sancto edoctus novam condidit regulam, & novum ordinem instituit, quo in possessione Evangelicorum consiliorum, obedientiæ, videlicet, & castitatis & abdicatione proprietatis Christi vestigia sequeretur, & in officio prædicationis & confessionis animarum lucra utiliter quæreret, & in altissimæ paupertatis mendicitate libertatem spiritus retinens contemplationis supernæ apprehenderet puritatem. Nam & si actionis exterio- A ris occupatio aliquoties interrumpat otium contemplandi, ipsa tamen libertas cordis nullis sollicitudinibus temporalium distracta, spiritualis vacationis magnam præstat studiosis opportunitatem, ut orando, legendo, meditando, & contemplando. Plus enim obest ad devotionis puritatem assequendam strepitus temporalium curarum, quam exercitatio virtuosarum actionum: quia curarum importunitas in otio corporis generat mentis inquietudinem. Boni autem operis fidelis exercitatio conscientiam quietat, & impinguando elevat in superna, sicut qui laborat in præparationem convivii, in quo quietus jucunde epuletur. Unde & Dominus B per diem occupabatur in doctrina populi, & ægrotantium curatione: in noctibus orationibus in monte vacabat, sicut ait Lucas: Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte Oliveti, & Psalmista dicit: In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus. Noluit S. Franciscus esse fratres suos astrictos ad curam animarum ex debito necessitatis, sed ex liberæ charitatis affectu, & ut meritum expectarent de fructu salutis aliorum, & periculum evitarent de perditione eorum, participes in lucro, indemnes in detrimento, ut alios extrahant de naufragii, seu incendii periculo, ipsi C tuti consistentes in solido, non periclitentur cum pereuntibus in peccato.

Luc. 21. *Psal. 41.*

QUÆSTIO II.

Cur fratres Minores populo prædicent, & confessiones audiant, cum animarum curam ordinarie non suscipiant.

CUM ergo, qui animarum curam ordinarie non suscipitis, prædicatis populo, & confessiones auditis, mittentes falcem in messem alienam, cum illis proprie competat, qui animarum curam ex officio gerunt, injuriantes Plebanis, in quorum videmini præjudicium exercere officia illis commissa, & decipientes illos, quos absolvitis, super quos

quos jurisdictionem non habetis ordinariam, contra canonum instituta, & periculum animarum vestrarum?

Respondeo. Nulli in hoc facimus injuriam, nec aliquem decipimus: sed sedes Apostolica, quæ immediate curam Ecclesiæ habet, & a qua ceteri Ecclesiarum Pastores, tam majores, quam minores gubernandi suscipiunt auctoritatem, tam mediate, quam immediate, & a qua omnes canonum leges emanant, videns in his novissimis temporibus, juxta Apostolum instare tempora periculosa & laxatis Evangelicæ prædicationis retibus in capturam tantos influxisse pisces hominum ad fidei professionem quod rete fidei scinditur, messem fidelium multam, & operarios idoneos paucos eo quod peccata quotidie multiplicantur in Ecclesia, & Episcopi negotiis exterioribus dediti spiritualibus intendere nequeunt, & pauci sunt Pastores in Ecclesiis personaliter residentes, sed Vicariis & mercenariis committunt oves, sive animas regendas in quorum plurimis multi eveniunt defectus imperitiæ, & honestæ vitæ, negligentiæ, & aliorum defectuum, per quos ad gubernandas animas redduntur inhabiles, & non esse qui plebes erudiant, vel a peccati fæcibus extrahant, vocavit nos in adjutorium tam cleri, quam populi, ut per officium prædicationis, & confessionis subveniamus animabus, & onus Pastorum sublevando alleviemus, sicut Petrus, & ejus socii non valentes soli rete piscium ad littus trahere præ multitudine, annuerunt Jacobo, & Joanni sociis suis in alia navi, quæ signat Religionem, ut venirent & adjuvarent eos, ne vel ipsi mergerentur, vel pisces capti perirent. Cum ergo ex Apostolicæ sedis missione, Episcoporum benevolentia, prædicationis opera, & confessionis subditis eorum impendimus, eos ex charitate & auctoritate eorum absolvimus, & non decipimus eos, sed juvamus, & in illis fit non præjudicium Plebanis, sed beneficium, dum pro eis laboramus, & ad obedientiam debitam eorum subditos exhortamur. Nam si Plebanus potest alteri vicem suam committere, multo fortius potest hoc Papa, & Episcopi, qui pleniorem habent in omnes sibi commissos sine differentia potestatem. Et sicut ex charitatem non ex necessitate impendimus fidelibus spiritualia subsidia, docendo, & orando, & a peccatis in confessione absolvendo: ita ipsi non ex debito coactionis, sed ex libertate charitatis ministrant nobis corporalis necessitatis subsidium, cum Dominus ordinaverit iis, qui Evangelium nuntiant, de Evangelio vivere, &c.

2. Tim. 3. *Luc. 5.* *1. Cor. 9.*

QUÆSTIO III.

Cur fratres Minores litterarum studio vacent.

ITEM quæro, cum religiosi debeant simpliciter ambulare, & omnino virtutibus abundare, & ad hoc operam dare, cur rursum studio litterarum, quæ olim sancti Patres postposuisse laudantur, ut Benedictus, & alii, se modo dant, & in secreta conversatione student.

Respondeo, quod cum sicut dictum est, prædicationis officium ex regulari professione ordini annexum sit, & etiam confessionis, quæ notitiam requirunt sacræ Scripturæ, quæ subtili indiget in plerisque locis expositione, ne ex imperitia errores pro veritate doceamus, necesse est nobis sacræ Scripturæ habere studium & magistros. Hæc enim scientia non solum utilis est ad aliorum eruditionem: sed etiam ad propriam instructionem, ut servus Dei sciat seipsum bene regere, & virtutes a vitiis discernere, & notitiam Dei, & futurorum præmiorum clarius intelligere, & in omnibus cautius & fructuosius conversari. Nam & Apostolus hortatur Timotheum ad lectionis studium & sanctorum nobis diligentia in sanctarum ruminatione Scripturarum frequenter commendatur. Veritas enim fidei, & vitæ sanctitas non aliunde, quam ex Scripturarum fonte hauritur, sine quibus impossibile est quemquam salvari. Hæreticorum etiam versutiis qui in Scripturis sanctis occasionem erroris per fal-

1. Tim. 3.

falsas interpretationes assumunt, oportet per ipsarum diligentem investigationem diligentius obviare, & fideles contra illorum fraudes & latentes decipulas præmunire. Unde Hieronymus: Sancta rusticitas solum sibi prodest, & quantum ex vitæ merito Ecclesiam Christi ædificat, tantum nocet si distribuentibus non resistat. Unde Apostolus dicit: Potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere, &c. *Tit. 1.*

QUÆSTIO IV.

Cur fratres Minores nihil habeant proprium, nec in speciali, nec in communi.

ITem cum sufficiat ad religionis perfectionem nil habere proprium in speciali, & habere possessiones pro necessitate in communi, sicut omnes religiones antiquorum patrum Benedicti, Augustini, & aliorum videretur inconsultum & aliquo modo tentare Deum, quod tantus ordo exponat se mendicitati quotidianæ velut cœlitus expectet victum suum cum posset aliter habere.

Respondeo; Perfectio diversos habet gradus, & alius alio sublimior est, nec perfectioni aliorum ordinum præjudicat, quin altior possit inveniri. Tentare autem Deum, non est Christi promissionibus credere, & ejus consiliis obedire, & ejus vestigia imitari, qui dicit: Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedem, &c. Dominus autem istam paupertatem docuit, & tenuit, ut nil possessionis in terra haberet. Unde dicit: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, &c. Multis autem de causis ordo nil proprium possidet in hoc mundo. Primo, ut vestigia Christi perfectius imitetur. Si vis perfectus esse, vende, &c. Secundo, ut laqueos avaritiæ facilius declinemus. Qui volunt divites fieri incidunt, &c. Tertio, ut culpas superfluitatis plenius expiemus. Unde in Proverbiis: Omnem substantiam domus suæ, &c. Quarto, ut altioris meriti gloriam consequamur per varias virtutes paupertatis. Beati pauperes, &c. Quinto, ut liberiores simus mente ad spiritualia studia orationis, contemplationis, lectionis. Quare dicit Dominus: Nolite possidere aurum, &c. Sexto, ut prædicationis studio expeditius intendamus. Septimo, ut verbum Dei minus trepide omnibus proponamus. Octavo, ut magis confidere omnes in eum sperantes doceamus. Nono, ut occasione petendæ eleemosynæ ad aliorum ædificationem frequentius exeamus. Decimo, ut qui nobis subveniunt in temporalibus fiducialius spiritualia requirant. Undecimo, ut magis cauti simus ab omni scandalo, qui magis timemus in temporalibus deperire. Duodecimo, ut tanto humiliores simus, quanto magis subsidio aliorum indigemus. Et quia spiritualia fidelibus feminamus, non tantum ex gratia ab eis carnalia subsidia expectamus. Dignus est operarius mercede sua. Hieronymus: Redituum possessionem nobis providere non oportet, sed ad mensam Domini tamquam fideles cooperatores occurramus.

Matt. 19. *Matt. 8.* *Matt. 19.* *1. Tim. 6.* *Prov. 6.* *Matt. 5.* *Matt. 10.* *Luc. 10.*

QUÆSTIO V.

Cur fratres Minores non degant in deserto.

ITem quæro. Cum religiosi a tumultu sæcularis frequentiæ sese separare studuerint, & in solitudinibus habitare, quid est quod vos frequentius in civitatibus, & oppidis manere soletis, quasi voluptuosius ibi pascendi, & inquietius, & indevotius ibi vivatis?

Respondeo. Tres sunt causæ præcipuæ, pro quibus inter homines morari solemus. Una propter eorum ædificationem, ut promptius eis adsimus, quando requirunt a nobis pœnitentiam, doctrinam, & salutis consilium, & videant a nobis bonæ conversationis exemplum. Si enim remoti essemus ab eis, nec ipsi possent ad nos quando indigerent, commode accedere, & difficile esset nos toties vocari, & major esset nobis inquietudo continue currere, & recur-

currere, quam inter eos manere, & prius quam veniremus, affectus, & compunctio requirentium pœnitentiam sæpe tepuisset. Secunda causa est propter indigentiam victualium, quia in locis desertis non inveniremus quoties supervenientibus, vel residentibus, vel infirmis, indigeremus qui nobis necessaria vitæ ministrarent, cum per nos non habeamus. Extranei etiam qui pro consilio supervenirent, cum statim non possent expediri & recedere, cogerentur nobiscum frequentius hospitari, quod multis ex causis nullatenus expediret propter inquietudinem, suspicionem, & paupertatem. Tertia est causa propter tuitionem, quia si extra homines moraremur, nec libros, nec calices, nec vestes, nec alia necessaria tute servare possemus a latronibus; vel prædonibus, vel servientibus potentium. Nam personæ etiam sæpius essent in periculo, si quando in prædicatione forsitan aliquos offenderemus, vel filium, vel fratrem alicujus, de quo dolerent quod in Ordine reciperemus, qui etiam amicum fratrum vellet maliciose offendere, vel moleste ferret nos in terra morari, domus nostras incenderet, & numquam possemus ibi pacifice commorari. Qui autem habent possessiones, & prædia, quæ sibimet sufficiunt, possunt extra civitates morari. Similiter, & solitarii qui paucis indigent pauca ab aliis requirere necesse habent. Sunt & aliæ causæ, quas modo prætereo, propter quas convenit inter homines, potius quam in deserto juxta conditiones nostri Ordinis habitare. Sed ad præsens istæ sufficiant.

QUÆSTIO VI.

Cur fratres Minores habent magnos conventus.

ITem quæro: Cum sancti Patres laudentur, in casellis, & vilibus habitaculis habitasse, quid est, quod vos altas & magnas domos erigitis, oratoria sumptuosa, & areas latas magno pretio comparatis, cum sitis pauperes, & mendici, & con-

A temptores mundanorum esse debeatis?

Respondeo, sicut jam dictum est. Cum inter homines manere nos oporteat, aut ergo extra muros civitatis, aut intra. Si extra civitates maneremus, ubi possemus latiores areas leviori pretio comparare, videlicet in campis vel hortis, quandocumque bellum timeretur, vel guerra, cives loci formidarent, ne forte hostes domos nostras occuparent, & de illis niterentur civitatem, vel oppidum expugnare, & non auderent etiam alias quando sibi timerent, ad loca fratrum pro confessione, vel Missa, seu prædicatione securi venire, & ideo non diligunt, ut in talibus lo-
B cis commoremur. Quod si intra muros habitamus, ubi propter frequentiam populi areæ cariores sunt, oportet, & nos areas carius emere quantum sufficiant pro claustro, oratorio, & officinis congruis pro conventu, hospitibus, & infirmis, & horto herbarum, tam pro pulmentario, quam pro aeris recreatione, ut infirmi refocillentur & sani conserventur, & lassi in spiritualibus studiis recreentur. Sæculares enim qui frequenter vagantur, domi non indigent recreatione aeris. Religiosi vero, qui in cellarum reclusoriis religantur, nisi aliquam interius habeant aeris recreationem, cito languescentes tabescunt, & ad studia spiritualia inhabiles
C efficiuntur, ita quod nec sibi, nec aliis proficiunt in devotionis internæ profectu, in sapientiæ intellectu, in virtutum exemplis, & in doctrina salutis. Et quamvis perfectis omnis locus aptus sit pro disciplinæ internæ exercitiis, imperfectis tamen, & adhuc indigentibus eruditione virtutis opus est etiam exteriori distinctione officinarum claustralium, ut sciant ubi tacere debeant, ubi loqui liceat, ubi orare, ubi laborare, ubi legere, scribere, vel comedere, ubi sit requies infirmantium, ubi repausatio de labore itineris venientium, & aliorum, quæ in collegiis sunt necessaria, ne si confuse indifferenter singula fierent pro libito, jam nec disciplina, nec quies, nec devotio, nec ordo inter fra-

fratres sicut expedit, servaretur, quod A esset in magnum detrimentum Religionis, & in scandalum alienis, & in destructionem salutis, quia nec minores discerent a quo proficerent, nec perfecti alios ædificarent. Quia vero intra ambitum civitatis, ut dictum est, cariores sunt areæ, quod non possemus facile sufficientiam congruæ latitudinis habere, ut omnes officinæ deorsum collocarentur juxta se invicem, oportet aliquando ut una super alteram locetur, ita quod utraque aeris respiraculo non careat, & ex hoc domus nostræ magnæ apparent, & excelsæ ac sumptuosæ, & paupertati dissimiles, cum tamen hoc paupertas magis efficiat, quia ne circa dilatemur, inferius angustamur, B & quia circumsepti sumus domibus aliorum vicinorum, & quia in civitate sæpe insurgunt incendia late pervagantia, ne vel domus, vel Ecclesiæ, vel libri, vel alia necessaria frequenti discrimini sint exposita, & in continuo tremore infirmantium corda sint inde suspensa, & ne ipsi vicini nostri a nobis per incendia molestentur, ubi possumus, facimus domos lapideas, ut nec igne, nec vetustate citius destruantur quia non solum corporibus, sed etiam cordibus magna est destructio, nova sæpius ædificia construere, maxime illis qui non habent sumptus, nisi quantum valent colligere mendicitate. Non tamen intendo in his ex- C cusare, nisi quæ valde necessaria sunt, & rationabiliter. Ubi autem superfluitas, curiositas, & irreligiositas, & regulæ & paupertati nostræ derogantes essent structuræ, reprehendo tecum, & omnia alia quæ Deo displicent tam in moribus, quam in rebus. Quintuplicis enim peccati rei sunt, qui superflua in ædificiis, & aliis quibus utimur, procurant & acquirunt. Primo propter transgressionem, quia pompis renuntiantes sæculi, in paupertate, & humilitate vera promiserunt Domino famulari. Unde Apostolus ait: Si ea quæ destruxi, &c. *Gal. 2.* Secundo propter malum exemplum, quo alii discunt ab eis similia facere, vel scandalizantur, quando vident eos, qui hujusmodi pro Christo spernere deberent, quærere vel sectari. Tertio propter inquietudinem fratrum propter hujusmodi ædificia, & procurationes, quia, & devotio extinguitur, & disciplina Religionis plurimum dissipatur, sicut scriptum est: Venerunt structores tui *Isa. 49.* destruentes te, & dissipantes a te exibunt. Quarto propter spoliationem aliorum pauperum, quibus sæpe Eleemosynæ præripiuntur, & hujusmodi structuræ fiunt, ex quibus illi deberent vestiri, & pasci, dum quod istis datur, eis negatur, quia ad dandum utrisque sæpe deficit dantium largitas, & facultas. Quinto, quia quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devotionem ad nos prius habitam, quod nec de prædicatione, nec exemplis, nec aliis quæ facimus ædificantur. Unde cum vident nos accedere, terrentur, & timent, quod aliquid velimus ab eis expetere, quod grave sit eis dare, & erubescunt negare, & si dederint non libenter, minus merentur, & sic rebus, & devotionis merito privantur, &c.

QUÆSTIO VII.

Cur fratres Minores plura colligant, vel servent, quam sufficiant ad unius diei victum.

ITTEM quæro: Cum Dominus in *Matt. 6.* Evangelio dicat: Nolite solliciti esse in crastinum, & vos sitis paupertatis Evangelicæ professores, non debetis plura colligere, vel servare, quam quod possit quotidie ad unius diei victum sufficere. Sed videtur quod non servetis.

Respondeo: Si diligenter Evangelii dicta pensamus, sollicitudinem de crastino, sed non provisionem prohibere videtur. Unde S. Apostoli Evangelii Christi perfectissimi observatores, tam pro se, quam pro aliis Christi pauperibus, qui omnia pro Christo reliquerunt, a fidelibus subsidium pro corporum necessitate etiam in futurum petebant, & recipiebant. Sicut Paulus rogatus a Petro, Joanne, & Jacobo, collectas fieri per Ecclesias pro Christi pauperibus susten- *1. Cor. 16.* *2. Cor. 9.*

tan-

tandis mandavit. Et in aliis locis A pluribus reperitur id fecisse. Qui etiam pro acquirendis necessariis sibi, & sociis suis laboravit manibus. Act. 20. Sollicitudo enim notat curæ anxietatem, illicitam conquisitionem, avaram superfluorum provisionem. Sicut enim in operatione salutis nostræ principaliter spem in Deum jactare debemus, ita & in corporali subsidio sollicitudinem debemus ei committere, & tamen ub congrue possumus sine jactura spiritualis profectus nostri & aliorum, nobis necessaria providere, ne aliter quasi Deum tentare videamur, ut miraculose, sicut olim filiis Israel, nobis quotidie alimoniam subministret. Licet enim priorum fratrum puritas B pro majoris perfectionis ardore pauciora, quam nunc consueverint ad victum colligere necessaria, & populus propter hoc talem opinionem concepit, quod nil nobis licet reservare in crastinum: tamen nec tunc, nec nunc aliquo nobis prohibitum est statuto, quin possimus ad victum, aliqua etiam necessaria in futurum pro aliquo tempore providere, maxime de his, quæ in promptu cum indigeremus, non possemus acquirere mendicando. Sunt enim quæ nisi colligamus certo tempore quando est copia, quando inter manus communiter habentur a populo postmodum, nec pro infirmis, nec pro hospitibus, nec pro aliis sine magna difficultate, vel magno pretio poterunt haberi. Mendici enim maxime illo tempore solent necessaria petere, quo sciunt ea promptius a dantibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi. Exod. 16. Sic, & Dominus populo certo tempore præcepit mannæ alimoniam colligere, quia non omni tempore in agro etiam si quærerent, invenirent: Psal. 145. Unde: Tu das escam illis tempore opportuno. In hoc enim non tam nobis, quam illis a quibus petitur, providemus, quando tali tempore petimus, quo ipsi facilius dare possunt, & magis sunt voluntarii ad Eleemosynam largiendam.

QUÆSTIO VIII.

Quare plura nunc petunt fratres Minores, quam olim.

ITem quæro: Quid est hoc, quod modo plura petitis, quam olim, ut cum tunc vix in una, vel paucis villis, & pauca postulaveritis, modo late per terram, & oppida, & castra pervagando plurima congregatis? Videtur enim avaritia inter vos crevisse, & cura ventris hanc vobis providentiam persuasisse: videtur etiam quod spiritus extinctio vos in cella quiescere non permittit.

Respondeo: Vitiosos in hoc, & in aliis excusare non audeo, ut dixi, sed rationem pro illis, qui ratione ducuntur, & pia intentione omnia faciunt, ostendere benevolis nunc intendo: quia malevoli, qui magis facta nostra calumniari desiderant, quam agnoscere veritatem, magis dolent, si ostensa ratione, eis materia subtrahitur detrahendi. Quia inimicus vult potius causas malignandi contra eum, quem odit sibi adesse, quam abesse, ut non ex invidia, sed ex justitia eum persequi videatur. Quod autem nunc potius, quam olim videmur mendicando plura colligere, inter alias principales causas quas potes advertere veras esse, una est, quod cum olim pauci C fratres fuissent in ordine, nunc multo plures sunt ubique, & plures pluribus indigent, quanto numerus numerum excedit, & omnibus quæ necessitas requirit, est magis opus. Nam Dominus infans natus, modico diversorio, & præsepio contentus fuit: sed aggregata discipulorum turba, ad celebrationem Paschalis convivii quæsivit sibi præparari cœnaculum grande stratum. Secunda causa est, quod inter plures sunt etiam debiles, & infirmi, & maxime qui olim strenuæ Religionis, & arduæ paupertatis pondus per annos plurimos portantes, nunc ex humanæ mortalitatis defectibus lassati, cogente ipsa charitate non debent ipsi, ut infirma pecora relinqui, sed pie quamdiu poterint, fulcimentis corporalium

ne.

necessitatum pro misericordia, & pro aliorum ædificatione, & pro juniorum instructione sustentari. Et propter tales oportet, & expedit plura peti. Tertia causa, quia plures modo mendicantes sunt in Ecclesia de diversis ordinibus, & quod nobis solum dabatur integrum, nunc minutatim dividitur inter plures. Unde cogimur nunc latius tanto vagari, quo minus in locis singulis datur nobis. Quod enim aliquando offerebatur nobis non quærentibus, nunc vix per diversa minutatim colligimus cum rubore. Et oportet nos petere, quia non petentibus parum datur, dum ex multitudine petentium homines sunt lassati. Qui autem per se nihil habent, necesse est eos omnia quibus indigent ab aliis postulare, vel carere, nisi velint illicite acquirere, vel quocumque modo apud alios deservire, vel nisi gratis eis donetur. Quarta causa, non tamen omnino commendabilis, sed pro aliqua parte excusabilis accedit, quia qui non est patiens penuriæ, in his quibus indiget, plura eum conquirere oportet, &c.

QUÆSTIO IX.

Quæ sit causa impatientiæ penuriæ in fine præcedentis quæstionis dictæ.

ITem quæro: Quæ potest esse hujus impatientiæ causa nisi voluptuositas, quæ nil vult sibi deesse illorum quæ appetit, quæ omnis religiositatis est exterminium?

Respondeo: Hæc, etsi in quibusdam habeat locum, non tamen est potior causa, sed aliæ quædam. Una quia, ut dictum est, plures habemus debiles, & infirmos quam olim, cum omnes fere erant novi in Ordine: qui cum lassati jam, & exhausti sint viribus, oportet ut reficiantur, ne penitus deficiant, quod esset contra misericordiæ, charitatis, & discretionis virtutem, cum tales maxime consilio suo, & zelo, & pietatis exemplo sustentent Ordinem in suo vigore, ne subito corruat a pristina puritate. Licet virtute corporali jam non sicut olim eminenter

A æstimentur lucere, propter corporis destructionem, aut oportet, quod contra misericordiam deficere subito permittantur, & tunc ex hoc magis fovebitur in Ordine carnalitas, quia quilibet juvenis, & sanus instructus carnis prudentia, cogitabit apud se, dicens: Si tales viri pro ædificatione Ordinis corpora sua tradiderunt omnibus laboribus, modo debilitati sic permittuntur absque misericordia perire, volo mihi cavere, & parcere corpori, & illud fovendo custodire, ne mihi similiter contingat. Et sic aliquis audebit de cetero vix ferventer in Dei servitio se exercere. Si autem debent debiles misericorditer refoveri, expedit, ut etiam

B alii, qui unum corpus societatis cum eis sunt, & eis serviunt, & labores Ordinis pro eis in domo, in divino officio, in frigore, & petendis eleemosynis, & aliis obsequiis, aliquo modo mitius pertractentur, & melius reficiantur, ut minus de illis scandalizentur, & minus murmurent contra eos, quasi ipsi soli consumant omnia, quæ offeruntur, & ut patientius pro eis laborent, & hilarius ministrent, & ut ipsi debiles minus erubescant, & confidentius audeant necessitates suas accipere, cum videant alios etiam secum esse participes in consolatione. Sani ergo, & fortes non debent propter se ista appetere, nec suæ industriæ

C ascribere, quando appetentibus eis eleemosynam, ista offeruntur, sed cogitare debent, sicut, & veritas est, quod Deus ea propter debiles ministrat, & in tanta copia, quod exinde etiam sani consolentur. Propter præmissas rationes, vult etiam Deus veritatem suæ promissionis, & evidentiam suæ liberalitatis ostendere, dum nobis qui nullos certos redditus pro ipso habere decrevimus, & totam sollicitudinem in eum jactavimus, indulgentius necessaria ministrat, quam aliis quibusdam, qui lata prædia habent, & loculos plenos, ad hoc ut ei securius confidamus, & fidelius serviamus. Alia causa est, quia eorum qui nuper de sæculo venerunt, quidam delicate sunt nutriti, & cum in Ordine subito

bito contra solitum coguntur aliter vivere in labore, & victu, & coercitione magisterii, territa caro tenera languescit, & nisi clementer foveantur, donec paulatim assuescant Ordinis pati rigorem, aut semper tabescendo languescent, aut ex rigoris horrore ad vomitum revertentur. Et ideo expedit, ut supra. Tertia causa est spiritualis studii. Nam assiduum lucrum in studio sacræ Scripturæ in devotionis desiderio, in tentationis certamine, in internæ sollicitudinis vigore, ita consumit, & desiccat vires corporis, ut nisi exterius quandoque aliquatenus refocillentur, non valeant diu subsistere. Quod autem aliquando lautiores cibos, & potus habere videmur, hoc est proprie mendicorum, qui dum non reservant in posterum, ut cumulos congregent, ut prædia lata comparent, statim comedunt, & bibunt ea, quæ Dominus administrat. Et quia pro honestate, & devotione sua, plerique dant nobis non de vilioribus, sed de melioribus quæ Dominus dedit eis, etiam nos cum interim non habeamus alia quibus utamur, ne videamur ingrati, & avari, comedimus, & bibimus, quæ offeruntur nobis indifferenter, tam illa, quam alia juxta illud regulæ, De omnibus cibis, qui apponuntur vobis liceat manducare. Mendicus enim si recuset ea, quæ offeruntur, cum non habeat unde alia emat, remanebit inanis. Quia vero diversi diversa, & aliquando quasi adversa mirantur de nobis, ut cum illi reprehendant in nobis carnalitatem, alii vero duritiam, quilibet pro visu suo, & affectu: oportet nos singulis de suis quæstionibus respondere, & rationem reddere, licet sequentia præcedentibus continuato ipsis ordine ad hoc non cohæreant, sed modo de hac, & modo de alia tractemus, & cetera.

QUÆSTIO X.

Cur non recipiuntur omnes ad Ordinem.

ITem quæro: Cum omnibus debeatis cupere, ut salventur vobiscum, quare indifferenter non omnes recipitis, qui desiderant, cum non arctet vos prædiorum paucitas, sed aperta sit omnibus via mendicandi?

Respondeo: Omnes quidem cupimus salvari, & nulli prohibere possumus licentiam mendicitatis. Sed omnes passim recipere, non expedit nobis, nec Ecclesiæ Dei. Nobis non, quia variæ sunt conditiones hominum, qualitates, & mores. Multos enim sæpe reciperemus imbecilles, qui non possent rigorem Ordinis sustinere: multos pauperes, qui non pro Deo, sed pro sustentatione vitæ vivere desiderarent nobiscum: multos incompositos moribus, quos vix corrigere ab insolita consuetudine possemus, & per tales dissolveretur Ordinis disciplina, & impediretur profectus aliorum, & non sufficerent eos alii pascere, nec eis servire. Nec invenirentur tandem, qui possent eis præesse, & omnes simul in corpore, & spiritu, quasi confusa multitudo perirent, quæ nec regi valet, nec congrue sustentari. Ecclesiæ similiter non expedit, quia cum sit Ordo ad ædificationem Ecclesiæ constitutus, multitudo receptorum magis confusionem induceret, nec de conversione multorum exemplum ædificationis acciperet, sed scandalum, ubi religiositatis, excepto solo habitu, nihil inveniret. Minus enim malum est, non esse religiosos, vel nomine, vel habitu, ubi non vivunt, sicut Religionis eorum forma requirit, quam ut sint, & per vitam eorum perversam alios scandalizent. Sicut melius est lucernam non esse in domo, quam esse ibi tantum fœtidam, & non lucentem. Nimis etiam foret onerosum fidelibus, tot mendicos unius Ordinis pascere a quibus nullum, vel modicum habuerint ædificationis præsidium. Sed tot, & tales solum reci-

pi expedit, qui sine onere Ecclesiæ pasci possint, & qui valeant Ecclesiæ in spiritualibus respondere iis, quæ ab ea in carnalibus recipiunt pro corporum sustentatione, &c.

QUÆSTIO XI.

Cur fratres Minores non laborent manibus pro victu.

ITem quæro: Cur ergo non laboratis manibus pro victu, ut non sitis Ecclesiæ onerosi in Eleemosynis petendis?

Respondeo: Si de puro labore manuum deberemus vivere, tantum urgeret nos operis instantia, quod aliorum lucris intendere non possemus, B nec divina officia libere celebrare, nec orationi libere vacare. Cum enim ad confessionem, vel ad prædicationem frater vocaretur, respondere cogeretur, opus meum quo victui meo hodie deservire debeo, nondum explevi, & ille, cui laboro priusquam deserviam, non dabit mihi mercedem debitam, ideo non possum venire. Alias autem omnes præter infirmos laborant, alii in studio, ut fideles erudiant, alii in divino officio, & laudibus Dei, alii in colligendis Eleemosynis pro sustentatione communi, alii in officiis domesticis, & infirmis, & sanis, ex injuncta obedientia ministrantes: quidam qui sciunt artes mechanicas pro fratribus, & extraneis exercentes, sicut mutuo cooperantur inter se formicæ, & apes: quidam per obedientiam missi diversas terras perambulant, cum nuntios alios idoneos non habeamus, & sic nullus impune permittitur otiosus.

QUÆSTIO XII.

An de qualibet Religione possit quis transire ad Religionem S. Francisci.

ITem quæro: Si de quolibet Ordine, & Religione possit quis transire ad regulam, & Ordinem S. Francisci, scilicet fratrum Minorum?

Ad hoc sine præjudicio melioris A sententiæ, respondeo quod sic, ubi sine scandalo aliorum potest fieri. Propter quod maxime prohibetur nobis de quibusdam religiosis non recipiendis cum scandalum tale sit majus malum, quam aliorum receptio sit bonum. Cum enim tria illa principalia omnis Religionis, scilicet obedientia, castitas, & paupertas, in regula ista sint quasi altiora, & strictiora, quam in aliis ordinibus, & religionibus, sicut patet in regula ista, constat quod secundum hoc, Religio ista altior sit, & strictior aliis Ordinibus. Et ideo de qualibet Religione possunt secure ad istam intrare, dummodo non ex levitate, sed ex Spiritu Dei ducti. Nam, & si aliqua sit quibusdam corporalibus exercitationibus strictior, ut abstinentia carnium, & silentio, & officio Ecclesiastico, & similibus, quæ tamen ex sublimiorum, obedientiæ, paupertatis, & castitatis virtute, facile recompensantur, sicut modicum pondus auri in pretio prævalet magno ponderi argenti, vel alterius metalli. Corporalis enim exercitatio ad modicum utilis est, &c. *1. Tim. 4.*

QUÆSTIO XIII.

An de Religione S. Francisci post factam in ea professionem possit quis transire ad aliam.

C ITem quæro: Si de ista Religione possit aliquis ire ad aliam post factam in ea professionem?

Respondeo, salvo meliori judicio: Non, nisi per dispensationem Sedis Apostolicæ, cum hoc expresse in ipsa regula prohibeatur, ibi: *Nullo modo licebit eis, &c.* *Regula c. 2.* Nam cum non inveniatur altior regula vel strictior, seu æqualis, patet quod non licet cuiquam per seipsum ad inferiorem Ordinem transire. Omnes qui vident, *Luc. 14.* incipient illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare, &c.

QUÆSTIO XIV.

An liceat Ordini Minorum eiicere aliquem pro demeritis, vel egresso pœnitenti, & petenti receptionem denuo denegare.

ITEM quæro: Si liceat Ordini eiicere aliquem prò demeritis, vel egresso, & pœnitenti, & petenti receptionem denuo denegare? Cum enim Ordo in professione versa vice se obligaverit, ut sicut iste ligatus esset Ordini, ita e converso, videtur quod Ordo tenetur semper recipere, si exigat, ne promissum suum videatur irritare, si nollet eum tenere, quem spoponderat numquam derelinquere. Videtur etiam quod Ordo non possit talem licentiare ad alium Ordinem, quia non inveniet alibi quod hic promisit, & ita faceret eum voti sui transgressorem, & sic peccaret. Videtur etiam quod cum iste non possit compelli ad alium Ordinem, cum nulli Ordini se obligaverint nisi isti, & non debeat cogi invitus ad quod se nullo voto astrinxit, etiam si alium Ordinem inveniret isti æqualem. Videtur etiam iste Ordo esse in culpa, si talis vagetur in sæculo, cum nolit eum recipere petentem, & ad alium Ordinem non debeat, vel non possit eum compellere, & si punit eum vel excommunicat quod injurietur ei, immo si non tenetur eum Ordo recipere, nec vult, jam punit non suum subditum. Et si punit eum corporaliter, capiendo, vel castigando, videtur in Canonem incidere jam latæ sententiæ, cum sit clericus, vel regularis. Si autem Ordo non vult eum recipere, & non convenit eum aliam religionem intrare vel alii nolunt eum recipere, ad quos licentiatus est transire, & per hoc a fratribus ligatur excommunicatione, vel non absolvitur, ponitur in laqueum perplexitatis interminabilis, ut quasi ex omni parte præclusa sit ei via salutis, quod volenti salvari non potest, vel non debet fieri. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare, ait ipse Salvator. *Luc. 9.*

A Ut autem super his apertior pateat ratio, quid Ordini, vel egresso, faciendum sit in istis, nota cum aliquis ingressum petit istius Ordinis si recipitur, fit ei magna gratia, & multiplex, & de naufragio peccati eripitur, & sociatur illorum collegio qui ambulant in via Dei, tali conditione, ut & ipse gradiatur in eadem via cum eis servando illa, propter quæ Ordo est institutus. Quamdiu ergo sic graditur postquam ad professionem receptus est, non potest eum Ordo abjicere, quia sicut ipse jam ligatus est Ordini, ita, & e converso, ut neutrum liceat alterum relinquere ullo modo. Si autem frater aliter vivit, quam licet B in Ordine, & sæpius correctus, se non sufficienter correxerit, si excessus occultus sit, toleretur, & cum cautela propter scandalum, ne si abiiceretur, cum ejus culpa non pateat, videretur injuste punitus, aut peccatum injuste propalaretur, quod utrumque illicitum videtur. Si vero excessus ejus graves fuerint, & notorii, quod alii ejus exemplo possint infici, si retineatur in Ordine, & extranei scandalizentur, quod talis in Ordine sustineretur, tum propter auferendum scandalum, tum propter corruptionem Ordinis præcavendam, debet ejici prævaricator voti, & pacti sui. Quia jam Ordo non tenetur ei de promisso tenendi eum secum, C qui promissum suum prævaricando pluries violavit, cum ideo sit vocatus Ordo, quod in se nil inordinatum patiatur. Quod si Deo permittente talis seipsum eiiceret, gratiæ sunt Deo referendæ, non quia ille peccavit, sed quod oves suas a pestifera contagione liberavit. Utinam, *Gal. 5.* & abscindantur qui vos conturbant, scilicet puritatem vestram, pacem, & famam. Si autem allegatur, quod misero est miseratio adhibenda, ut iterum recipiatur in Ordinem. Dici potest: Crudelis est miseratio, unde plures, & meliores graviter offenduntur. Sicut qui furem liberaret, unde pauperes spoliarentur, maxime cum tales longo usu tepefacti, rarissime, vere, & perseveranter emendantur, & facilis remissio aliis audaciam præ-

præbeat delinquendi. Nec potest allegare sibi injuriam si non recipitur, quia ipse talem se fecit ex culpa propria, quod recipi sit indignus, quin potius Ordo habet causam contra eum agendi pro eo, quod sic se dehonestavit. Unde potest eum punire pro meritis, vel tradere cui servivit, nisi faciat quod tenetur. Sedes enim Apostolica, quæ jus suum unicuique servat, & vult Ordinem in sua puritate persistere, non cogit Ordinem tenere illos, quorum conversatio nociva esset in Ordine, quia tunc puniret innocentes, & reos foveret, & occasionem daret Ordinis corruptioni per tales pestiferos, si eos recipi opotteret. Sed ne damnabiliter vagentur in sæculo, ex gratia Sedis Apostolicæ, Ordo dat eis licentiam, quos judicat non recipiendos esse, ad alium determinatum transeundi, ubi salventur, ad quem etiam transire tenentur si possunt, alioquin non erunt in statu salutis. Sicut Lot non volens montem conscendere, concedente Angelo, in Segor parvula salvatur. *Gen. 19.* Propria auctoritate non possunt ordinem deserere, quem voverunt, nec alium intrare sine Ordinis sui licentia, vel Summi Pontificis, quia ut dictum est, ad inferiorem regulam non licet eis transire, altiora professis. Quod autem talis alium cogitur intrare ordinem, si in isto non recipitur, cum tamen alium non voverit nisi istum, inde est, quia cum vovit istum, sic alligavit se Religioni, quod secundum jus canonicum nullatenus redire potest ad sæculum, vel ad laxiorem vitam transire ei licet. Et ideo si demeretur in ordine, quem vovit non retineri, cum ex peccato suo non sit conditio ejus melior facta, ut jam possit esse liber, sed potius deterior, oportet eum alium Ordinem intrare, & illum servare, si vult salvari: & ad hoc cogit eum statutum universalis Ecclesiæ, non ordo iste, & ejus gratia permittitur ei ad inferiorem Ordinem transire, cum superiorem non invenit, ne aditus ei salutis præcludatur. Si autem velit in sæculo vagari, ex quo Ordo non vult eum recipere, nec ad religionem concedatur sibi transire in spatio temporis sibi determinato, licet jam videatur ab Ordinis jurisdictione exemptus, cum nolit eum amplius tenere, tamen ex auctoritate Summi Pontificis, cujus jurisdictioni non est subtractus, potest eum Ordo impetere, & per censuram Ecclesiasticam vel etiam ad alias pœnas corporales potest coercere eum, vice domini Papæ, quamdiu non habuerit alium judicem regularem, cui se subjecerit, regulam, & Ordinem illius stabiliter assumendo. Sponte etiam egressus Ordinem istum, si non licentia ejus intraverit alium Ordinem, ad quem licentiari posset, potest compelli, ut redeat, cum adhuc sit sub jurisdictione Ordinis istius, e qua non potest semetipsum eximere, nisi fratres dent ei licentiam ibi standi, & nolint eum recipere vel tenere. Hæc omnia jam statuta sunt, ne quis pedem ponat in lubrico, & obscuratus offendat, sumptis levibus occasionibus recedendi ab Ordine, vel ad alium prohibitum transeundi, vel etiam inordinate vivendi.

QUÆSTIO XV.

An omnes venientes ad religionem S. Francisci sint recipiendi.

ITEM quæro: Cum multitudo sit sæpe occasio confusionis, eo quod regi non possit, cur multiplicatis numerum in recipiendo inutiles, & oneratis vos ipsos, & alios?

Respondeo: Inutiles omnino scienter non recipimus, sed præpter spem nostram aliquotiens sic contingit. Quatuor enim causis solemus recipere supervenientes. Una est compassio perditionis eorum, qui vix extra Ordinem in sæculo salvarentur. Sicut qui de igne vel aqua periclitantem rapit, vel de alio discrimine. Secunda propter profectum Ordinis, qui ex scientia, & industria, morum honestate, & reverentia, quorumdam futurus præsumitur. Tertia propter aliorum ædificationem, ut multi de talium conversatione, qui aliquo modo sunt famosi in sæculo emendentur, & eorum incitentur

exemplo. Quarta propter precum instantiam, quam, ipsi faciunt pro se, & alii pro eis, nimia importunitate obtinent aliquos recipi, quibus denegari non potest. Sicut autem agricola sæpe seminat, & plantat in spe, quod omnia convalescant, quod tamen plerumque in aliquibus non eveniet: ita contingit, & in religiosis ad Ordinem receptis. Nam ait Dominus: Aliud cecidit secus viam, &c. Seminat plures sulcos, ut si aliqua pereant, alia pro illis convalescant, si tamen omnes convalescerent, seges copiosior proveniret, &c. *Luc. 8.*

QUÆSTIO XVI.

Cur aliqui in religione sint moribus pravi.

ITem quæro: Unde est, quod videmus aliquos religiosos moribus ita distortos, & rudes, sicut aliquos sæculares, superbos, vanos, cupidos, invidos, detractores, iracundos, contumeliosos, desides, dissolutos, avaros, inverecundos, delicatos, gulosos, garrulos, lascivos, & quod ex his oritur forsitan incontinentes?

Respondeo: Religio est schola virtum, in qua sicut in aliis disciplinis, & artibus discendis incumbitur. Videmus autem quod alius alio peritior est, alius rudior, alius diligentior, alius segnior. Hæc autem differentia ex quinque causatur. Una causa est, quod sicubi informatores habentur, quorum eruditionem boni discipuli nutriuntur, ubi autem non habentur, aut rudes in spiritualibus erunt discipuli, aut erroribus variis sub specie boni per sensum proprium seducuntur, habentes quidem zelum justitiæ, sed non secundum scientiam, & sic a perfectione virtutum plurimi retardantur, ut vel malum æstiment bonum, aut minus bonum putent optimum, aut aliam viam quam debeant ad perfectionem tenendam. Secunda causa est defectus, seu copia bonorum exemplorum, quia novi in Religione sæpe tales fiunt, quales alios esse vident. Sicuti A in sigillis, cera talem imaginem recipit, qualis fuit impressa. Et fiunt sancti cum sanctis; boni cum bonis, perversi cum perversis. Tertia causa est novitas in Religione, quia incipientes non possunt vel non habent illa, quæ habent perfecti. Et ignoscendum est eis in aliquibus, & patienter expectandum donec crescant, & addiscant quæ nondum apprehendere valuerunt. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, &c. Qui a puero exigit labores viri, & ab infirmo vires robusti, & a scholari unius anni vires magistri, imprudens est. Unde Apostolus: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, &c. Ex hoc arguiB tur stoliditas sæcularium quorumdam, qui dum vident aliquem religiosum in aliquo offendere, omnes religiosos despiciunt, quasi omnes tales sint: cum ipsis videretur injustum, si quis eos propter aliena vitia deteriores haberet. Quarta causa est defectus gratiæ, non enim omnes omnia possunt. Sicut enim multi vellent esse divites, & non possunt: ita non omnibus datur æqualis gratia spiritualium donorum. Velle mihi adjacet, perficere autem bonum non invenio, ait Apostolus. Quinta causa est voluptas propria. Et si non omnia adsint prædicta, dum quis diu stetit in Religione, & bonorum exempla despexit, doctrinam C non curavit, gratiam abjecit, virtuti non studuit, vitiis se subdidit, sicut heu plures sub Religionis habitu velut dealbata sepulchra in scandalum aliis conteguntur. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui estis sicut, &c. ait Dominus. *Rom. 15.* *1. Cor. 13.* *Rom. 7.* *Matt. 23.*

QUÆSTIO XVII.

Cur non omnes dyscoli e Religione eiiciantur.

ITem quæro: Cum Religio deberet esse sicut speculum in domo, in quo discant intrantes agnoscere deformitates suas, ut eas abstergant, quare non omnes dyscolos eiicitis, per quos Religionis puritas deformatur,

tur, si tamen non estis tales omnes, qui illos fovetis?

Respondeo: Bona religio malos odit non fovet, nec tamen omnes pravos eiicit, & hoc his de causis. Una propter spem correctionis sicut ægrotans non eiicitur in mare quamdiu spes vitæ fuerit. Ita, & de lapsis in ordine intellige, cum multi lapsi per pœnitentiam surgentes, postmodum sani perseverant, & aliquoties meliores fiunt, quam qui lapsi non fuerint, sicut David, & alii plures. Secunda propter defectum probationis, quia licet ex aliquibus conjecturis timeatur aliquis malus, tamen aperte non videtur communitati. Sicut si aliquis timeatur leprosus esse ex aliquibus signis, & non potest adhuc plene judicari, sed latet morbus, & ideo inter sanos adhuc toleratur. Tertio propter scandalum, quoniam fratribus tantum notum est crimen illius, sed apud extraneos reputatur honestus. Qui si viderent eum eiici, & tamen nescirent causam, putarent ex invidia fieri, vel cogitarent reliquos omnes esse tales, cum iste, de quo tantum præsumebant, occulte fuerit vitiosus. Nam Dominus cognovit Judam esse vitiosum, & in exemplum nobis toleravit eum, cum crimen ejus aliis foret occultum, donec per apertam iniquitatem prodidit semetipsum, &c.

QUÆSTIO XVIII.

In quibus bona religio cognoscatur, & una melior altera judicetur.

ITem quæro: Cum quælibet religio sibimet placeat, & aliis se præferat, quæ sunt maxime in quibus bona Religio agnoscatur, & in quibus alia melior altera æstimatur?

Respondeo: Sæpe in uno, & in aliquibus præcellit unus ordo alterum, ut iste in labore, alter in silentio, alius in abstinentia, & in similibus. Sed generaliter in istis agnoscitur, quis sit melior. Unde si in studio omnis virtutis, communiter personæ illius ordinis ferventius, & frequentius exerceantur, maxime cha-

A ritatis, & humilitatis, & internæ devotionis, est signum bonum præcellentiæ, & perfectionis. Secundum, si omnia vitia, & scandala odio habent, & sollicite cavent, & occasiones peccatorum amputant, & extirpant, & munditiam diligunt, & conservant. Tertium est, si boni apud eos diliguntur, & foventur, & despectis aliis in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maxime gubernatur Ordo. Qui negligit modica paulatim decidet. Quartum, si a sæculari frequentia se subtrahunt, & honores fugiunt, divitias non ambiunt, & conformari huic sæculo tam in moribus, quam factis seu qualibet apparentia erubescunt. Quin-

B tum, si damnum, & injurias illatas ac despectiones tacite sufferunt, nec per querimonias vindicare se cupiunt, sed Deum omnium inspectorem attendunt, qui suos cum vult potest defendere. Cum vero expedire eis noverit, permittit eos pro altiori præmio tribulari, & patienter ferunt, donec placuerit Deo aliter ordinare, quæ ista signa plenius habent Religiones meliores sunt, & quæ minus, sunt minus bonæ, & quæ nihil, nihil sunt: qui etiam singulariter in se habet, bonus est, etiam si alii communiter non habent.

QUÆSTIO XIX.

C *Quas ob causas in vita religiosa Ordines deficiant, & in quibusdam cærimonialibus proficere videantur.*

ITem videmus ordines omnes religiosorum deficere in vita religiosa, etiam si in temporalibus, & quibusdam cærimonialibus videantur proficere. Causas hujus defectus vellem scire præcipuas, aut enim non debe-retis incipere, quod non potestis perficere, aut in incœptis pro posse perseverare, alioquin prævaricatores voti merito reputabimini?

Respondeo: Omne quod non habet esse suum a se, deficiendo decidit in non esse, nisi sustentetur ab eo, qui dat ei esse. Sic & omnis ordo, & omnis homo. Unde non solum Ordines religiosorum, sed etiam Episco-

porum, & clericorum, & laicorum, A & universalis status multum deficit quantum ad communem statum, ab eo quod in principio fuit, cum omnes fideles erant perfecti, & sancti, quales nunc raro videmus. Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, &c. Act. 4 Licet autem olim communiter, omnes boni, & sancti fuerint, tamen modo multo plures sunt sancti in Ecclesia Dei. Sed quia mali plures sunt, ideo non apparent sancti, respectu multitudinis aliorum. Sanctitas etiam vera non consistit in exercitatione corporali, sed in virtutibus mentis. Et quia istæ non apparent exterius, nisi modice ex quibusdam signis operum, & sancti non quærunt videri ab hominibus ut lau- B dentur, sed occultant bona, quæ habent singulariter præ ceteris, ideo pauci sancti modo in Ecclesia vel Ordinibus esse videntur. Causæ autem quare communitas in Religione deficit, sunt magis communes inter alias. Una est multitudo intrantium, quia multi non possunt tam facile flecti, sicut pauci. Sicut navis magna difficilius gubernatur quam parva, & ubi multa capita ibi multa cerebra, quæ omnia non possunt ad unum sensum deflecti. Secunda, cum subtrahuntur qui primo tenuerunt Ordinem in suo vigore, vel cum debilitantur in corpore, non possunt junioribus ardua rigoris dare exempla sicut prius, & novi qui pro- C pria opera non viderunt, imitantur eos tantum in his, quæ nunc vident in eis, & fiunt remissi, & sub specie discretionis, ne seipsos sicut antiqui destruant, parcent corpori. Et quia internas virtutes, quas antiqui habuerunt, non agnoscunt, ubique neglecti sunt, quod nec exterius exercentur, nec interius virtutes apprehendunt. Etiam quia antiqui modo non valent eos exemplo præire, timent etiam eos in verbo corrigere: quia solent dicere juniores: Verba quidem bona sunt, quæ dicunt nobis, sed opera non ostendunt, & sic magis scandalizantur. Tertia causa est. Quod quilibet non didicit, nescit docere: ideo cum regimen Ordinis devolvitur ad istos juvenes, tales nutriunt, quales ipsi sunt, ita quod jam Prior fratrum in fabulam vertitur, non trahitur in exemplum. Immo se tantum reputant illis Prioribus meliores, quo minus agnoscunt, quæ sint perfectorum virtutes. Et dum exempla quædam exteriori disciplina conservant in choro, vel processionali ingressu, & similibus, audent asserere quod status Ordinis numquam fuerit ita bonus. Quarta causa est, quod paulatim subintrant non bonæ consuetudines, quæ statim ab aliis trahuntur in exemplum. Et si aliqui zelum Dei habentes illa redarguunt, audacter defendunt alii, quare sibi non liceat, quod alii permittitur, & pro lege tenebitur, cum ex usu jam conveniens videatur, ita quod vix de cetero poterit extirpari. Rectores quoque, & si talia non diligunt, tamen ne majus malum sequatur, dissimulant ut pacifice cum fratribus vivant. Cumque una consuetudo talis facta fuerit tolerabilis, consequenter introducitur alia, quasi cohærens priori, ut si illa admittitur, ista vetus toleretur. Quinta, occupationum frequenter emergentium, quæ corda distrahit, affectum devotionis extinguit, mores alterat, interius occasiones vitiorum inducit, & ne de sua correctione efficaciter cogitent, semper nova impedimenta religiosis innectit, donec tandem consuescant sola exteriora cogitare, & obscurato conscientiæ oculo, etiam cum desunt, occupationum causas impudenter quærere. Judic. 6 Sicut Samson cæcatus in carcere molam traxit. Sunt & aliæ speciales causæ quorumdam Ordinum, ut nimia inopia, ex qua coguntur fieri proprietarii, dum sibimet videtur quisque providere, quia non providetur eis in communi. Item nimiæ opes ex quibus fiunt carnales, superbi, & multipliciter vitiosi. Item frequentia inter sæculares, ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, & teporis. Item frequens mutatio prælatorum, quæ & si pro parte bona sit, inquantum mali abiiciuntur: tamen in eo nociva est, quod boni dum cito sperant absolvi non præsumunt aggredi, vel

non

non proficiunt, ut reforment statum Ordinis, & rebelles subditi potius laborant ut deponantur, quàm ut status debitus reformetur. Item si unus prælatus quandoque vult reformationi intendere, ab aliis quoquo modo impeditur, vel ad minus non juvatur ab his quorum auxilio indigeret, ut Prior non adiuvatur ab Abbate, vel Abbas ab Episcopo, & de similibus similiter judicetur. Unde rebelles subditi appellant ad illos, quos sciunt sibi in sua rebellione favere. Item si aliqui in uno loco diligerent reformare statum in melius, mittuntur ad alium locum, ubi non inveniunt quod quærebant. Ex his atque aliis causis, status Religionis deficit, ut non solum fiat deterior, B sed etiam quasi desperabilis, quod vix umquam nisi Deus ordinet, aliter reformetur. Sed quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quod non fit in communi, potest fieri in particulari. Quilibet proficere volens, convertit ad lucrum suum aliorum detrimentum, & omnes vias alieni defectus, ad profectum suum cum Dei gratia retorquet. Et sicut electorum gloria ex hoc major erit, quod reproborum societati admisti, eorum non imitantur exemplum, qui sunt ipsis tentationis, & exercendæ virtutis materia: ita & boni religiosi numquam tanti fuissent meriti apud Deum, si non a tepidorum fratrum defectibus ad multiplicem virtutis luctam assidue expediti fuissent. C Unde Apostolus: Inter cetera virtutum suarum merita, quibus se ministrum Christi excellenter gloriatur, enumerat pericula in falsis fratribus, eo quod ei & aliis bonis multiplex sit occasio virtutis, scilicet quod primo eorum prava exempla sunt bonis tentationis materia, & sic victoriæ causa. Item secundo, zelo justitiæ circa eorum vitia accenduntur, & uruntur scandalis infirmorum. Item tertio, eorum miseriis compatiuntur, sicut mater filio ad perditionem properanti. Item quarto, magis laborant bonis exemplis eos corrigere, & monitis, & orationibus, & beneficiis. Item quinto, distortos mores patienter tolerant, & injurias, quas eis pro justitia inferunt. Item sexto, ex eorum contubernio despectiones sustinent ab extraneis, quasi ipsi sint tales. Item septimo timidiores, ac per hoc humiliores fiunt, & ne cadant sollicitiores sunt. Item octavo Deo magis referunt gratias, quod eos ne tales essent, benigne defenderit. Item nono, ex malis juxta se positis, virtutes justorum clarius elucent, & pulchrius fulgent. Ista & alia bona sunt, quæ Deus elicit ex consortio malorum cum bonis. Sicut enim accidentale gaudium bonorum cumulat visa pœna damnatorum, ita etiam in Ecclesia quodammodo decorat rectitudinem justorum, deformitas iniquorum, disponente hoc superna sapientia, quæ nil inordinatum in omni regno dimittit, &c.

Rom. 8.

QUÆSTIO XX.

Quare inter Religiosos aliquando dissensiones sint.

Item quæro: Cum nihil debeatis appetere terrenum, nec honores, nec res pro quibus solent homines inter se contendere, & sibi mutuo invidere, quæ causa, est, quod sæpe videmus inter Religiosos esse dissensiones & invidias, sicut inter seculares, vel aliquando acriores?

Resp. De his quæ irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua. Unde si aliqui sub habitu Religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio, nisi eorum imperfectio, & quia habitus mentis non habet interius, quod ostendit habitus vestis exterius, & tonsuræ capitis. Boni autem si aliquando dissentire videntur, hoc his de causis fieri consuevit. Nam cum non omnes agnoscant æqualiter veritatem in omnibus, contingit, quod aliquis intelligit illud pro alia parte non fore expediens, vel aliud magis fore expediens quàm illud: Et dum uterque hoc quod ipse melius judicat, vult promovere, & quod nocivum credit, vult impedire, sic dissensio fit inter eos, id est diversa sensio, non perversa, cum uterque bene in-

tendit. Sicut inter Paulum, & Bar- A
Act. 15 nabam pro Joanne discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ, sed Paulus prohibuit, timens ne non perseveraret in continuatione laboris, & sic per eum impediretur, & sic dissentiebãt. Et Barnabas Joannem secum sumpsit, ubi minores haberet labores. Paulus vero Silam sumpsit pro fortioribus laboribus magis aptum ut diversis partibus divisi, pluribus prædicando prodessent. Sic in expositione B. * Gregorii orante Daniele Dominum pro populi liberatione de captivitate Babylonica, Angelus dixit, quod ejus oratio esset dudum exaudita, sed Princeps Persarum, id est Angelus illius gentis custodiæ deputatus restitit sibi vigintiuno diebus, ne statim liberarentur, sed diutius afflicti plenius a peccato purgarentur. Quid ergo mirum si boni quandoque pro bono dissentire videntur, ratione diversarum considerationum, si Apostoli & Angeli eadem ratione dissentire inventi sunt? Nam juxta hunc sensum sancti quandoque rationabiliter a Deo dissentiunt, ut cum Deus vult aliquem mori, quem ipsi diutius desiderant vivere pro aliorum profectu, vel cum ipsi putant citius mori, quos Deus vult pro eorum salute adhuc diutius in corpore laborare. Unde Apostolus dicit. Desiderium habens dissolvi, &c. Alia causa est, quando unus non videt intentionem alterius, quæ bona est, putat eum alia intentione aliquid facere, & displicet sibi, & dissentit ab eo, qui si sciret non displiceret sibi, quod facit, & esset pacatus cum eo. Sic Moyses iratus est filiis Ruben, & dimidiæ tribui Manasse, cum peterent terram Basan, & Hesebon in possessionem. Et Josue iratus est eisdem pro constructione altaris super ripam Jordanis, antequam agnosceretur, intentionem utrobique fuisse bonam: talis autem ignorantia non est semper culpabilis, dum tamen non sit judicium nimis præceps, &c.

Dan. 10
* Greg. l. 17 Mor. c. 8
Phil. 1
Num. 32
Jos. 22

QUÆSTIO XXI.

Religiosi quæ facta sua celare debeant.

ITem quæro: Cum Religiosi tam studiose solent abscondere facta sua, suspectum est apud eos, esse aliqua indecentia, cur enim sic celantur, cum bona non sit necesse celari?

Resp. Tria solent celari, & abscondi. Primum est, singularia bona, ne de singulari gloria excellentia proveniat, & meritum depereat. Unde Salvator: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, &c. Item vitia & peccata, ne percipientes, scandalizentur, & qui peccantem scandalizant, duplici reatu obligantur. Væ homini illi per quem scandalum venit. Item quædam solent abscondi a non intelligentibus, qui ea judicarent mala esse ex sua stoliditate: cum tamen coram Deo licita sint, vel etiam meritorie non propter hypocrisim, sed ne illi exinde infirmentur, & ita non propter se tantum, sed magis propter illos occultant Religiosi facta sua, ne noceant illis; quia non possunt omnium corda videre, & omnibus satisfacere, quare hoc, vel hoc fiat cum sæculares rudes, sint, & proni sæpius de Religiosis sinistra suspicari. Cum enim vident eos refectionem accipere, judicant eos carnales. Cum vident eos humiliter jucundos, judicant eos dissolutos. Cum ex zelo justitiæ vident se ab eis pro vitio suo redargui, dicunt eos iracundos. Cum vident eos necessaria vitæ hinc inde mendicare, cum aliunde non habeant, dicunt eos avaros, & sic de singulis. Etiam quæ bene faciunt, reprehendunt, propter quod oportet, ut caveant alienæ infirmitati, & occultent quæ possent ab aliis mala judicari, sic ait Apostolus: Videte ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Tribus modis sæculares judicant Religiosos. Primo, opinando de ipsis, quæ omnia sunt falsa, quæ ipsi per se confingunt, vel aliis inferentibus leviter

Matt. 6
Matt. 18

B
C

ter credunt: ut vulgus rusticanum, quod dicit nos Antichristi prænuntios, & quod omnes guerras terrarum, & principum seminemus. Secundo, quod illa quæ ipsi solent facere, non sunt peccata facere, cum vident nos aliquando facere, æstimant quod tali animo facimus ut ipsi, ut comedere delicata & bibere, alloqui fœminas, esse hilares, speciosas areas, munda ædificia ratione sani aeris, & Ecclesias decentes, & zelo disciplinæ invicem accusare & punire, & pro cautela de locis transmutare, & similia, quæ a bonis bono, & a perversis perverso animo fieri solent. Tertio cum damus ei causam judicandi, & suspicandi de nobis non bona, talia exempla eis ostendendo, quæ merito sunt reprehendenda. In primo sumus non sine culpa. In secundo indigemus bona cautela. In tertio culpa non caremus, dantes eis scandali offensionem, & ministerium Religionis vituperabile facientes, quibus debemus esse lumen sanæ doctrinæ & forma recte vivendi. Cum autem despicimur ab aliis sine causa, sive culpa nostra, ad profectum nostrum cedit multiplicem. Primo, peccata nostra per hoc purgantur. Secundo, bona nostra magis tuta sunt a vana gloria, & laude humana. Tertio, humiliores reddimur coram hominibus. Quarto, cautiores sumus in verbis & factis, ne opinionem eorum confirmemus. Quinto, minus eis sumus familiares, ac per hoc magis in cella quieti. Sexto, patientiam magis discimus ex tali despectione. Septimo interna consolatio spiritus impenditur quærentibus pro exteriori subtracta. Octavo, majus meritum ex his omnibus coram Deo accrescit. Hæc & alia bona tanta sunt, quod si non obessent aliis, libenter tolerare debemus, despici ab aliis, & reprehendi, & persecutiones pati propter Christum sine culpa, &c.

QUÆSTIO XXII.

Cur Religiosi Ordinis S. Francisci ad mensas divitum accedant?

Item quæro: Cum deberetis sicut pauperes Christi pauperibus esse familiariores, & eorum cibis contentari, quid est, quod magis frequentatis mensas divitum, quam pauperum?

Respondeo: Tria nos specialiter invitant ad hoc, videlicet nostra necessitas, quia cum itinerando per terram lassitudine, & fame fatigamur, apud illos promptius speramus obtinere refectionem, qui etiam pro honestate sua panem suum quibuslibet transeuntibus non negant, quam apud alios quos nescimus. Item pauperum inopia, quia si forte nos hilariter reciperent, expenderent nobiscum pro sua devotione in uno prandio nobis etiam dolentibus, unde ipsi pluribus vicibus refici possent. Item ipsorum divitum salus qui per occasionem concipiunt nostri familiarem notitiam, ut ad amorem Dei sic eos paulatim trahamus, & salutis doctrinam eis ingeramus, & per tale meritum Deum eis propitium faciamus; quia pauperes per se ingerunt se, & salutis consilia studiose requirunt, qui non habent in hoc mundo consolationem suam: divites autem terrenis contenti, vel mundanis negotiis occupati, vel superbia inflati, raro humiliant se ad quærendum salutis consilium, nisi per occasionem aliquam ad hoc a nobis, & Religiosis trahantur prudenter, sicut Dominus traxit Zachæum, & alios Publicanos, manducando cum eis, & docendo, licet non ignoraret, Pharisæos & Scribas inde murmurare, & materiam quærere detrahendi, &c.

QUÆSTIO XXIII.

Quare Religiosi plus honorent divites, quam pauperes?

Item quæro: Cum personarum acceptio sit apud Deum culpabilis, & ab Jac. 2

& ab Apostolo Jacobo prohibita, quare vos Religiosi magis honoratis divites, quam pauperes, & promptius eis servitis in confessionibus audiendis, & aliis consiliis, & obsequiis, sicut sæpe videmus, & scimus?

Sap. 6 Resp. Deus pusillum fecit æqualiter & magnum, & æqualiter est illi cura de omnibus, in quantum factura ejus sunt, ac ad salutem pertinent sempiternam. Ideo igitur nos omnes diligere debemus in Domino, & tam divitum, quam pauperum salutem desiderare, & pro posse nostro promovere, sicut expedit his, & illis; Unde si pauper melior est divite, plus debemus eum diligere, tamen divitem plus honorare quadruplici ratione. Una, quia cum Deus in hoc sæculo divites, & potentes prætulit pauperibus, quoad mundi gloriam, ubi est necesse alios aliis subesse, vel præesse nos honorando potentes, ejus ordinationi concordamus, quos & ipse Deus honoravit in hac parte. Alia ratio, propter infirmitatem ipsorum divitum, qui si non honorarentur, indignando magis infirmarentur, & deteriores efficerentur, & gravamen nobis, & aliis pauperibus inferrent, ne quod offendiculum demus infirmis, ne per nos deteriores fiant, qui omnes debemus potius ad meliora trahere, & provocare. Tertia, quia major utilitas provenit ex correctione unius divitis, quam plurium pauperum. Pauperis autem salus sibimet prodest, dives autem emendatus multis prodest, tam propter exemplum aliorum, qui inde ædificantur & provocantur ad bonum, quam propter alia bona, quæ per eum promoventur in Eccl. 10 aliis, & mala impediuntur. Qualis Rector civitatis, tales habitantes in ea. Conversio Constantini Imperatoris ad fidem plus profuit Ecclesiæ in pluribus, quam multorum aliorum. Quarta, cum a divitibus plus recipiamus de corporali subsidio, eo quod magis abundant in talibus, justum est, ut & eis vicem rependamus, & proniores simus eis ad obsequia specialia impendenda: pauperes etiam facilius expediuntur, quia tantis perplexitatibus non ligantur, divites vero pluribus laqueis irretiti, frequentioribus indigent consiliis: ideo necesse est nos circa illos studiosius occupari, ne profundius in peccato mergantur. Nam ut dictum est jam, qui potentem in bono promovet, multos juvat, sic e converso ipsius subversio multorum est detrimentum, &c.

QUÆSTIO XXIV.

Quomodo possint fratres Minores domos, hortos, libros, &c. possidere?

Item quæro: Cum regula dicat quod nihil proprium debeatis habere, nec in speciali, nec in communi, & vos habetis domos, hortos, libros, vestes, & alia victui necessaria, pro tempore, quomodo potestis transgressiones hujusmodi excusare bona conscientia?

Resp. Videmus in sæculo famulos Dominorum panem non suum comedere, tecto non suo contegi, & rebus alienis, videlicet Dominorum suorum uti: Sic & alii sæpe concessis utuntur tam vestibus, quam aliis rebus de illorum voluntate, quorum res sunt. Sic & nos utimur rebus necessariis pro corpore, quas tamen, nec in speciali, nec in communi nobis appropriamus. Regula enim non dicit, nos nihil debere habere, sed nihil nobis appropriare. Unde usum rerum necessariarum habere possumus non proprietatem, alioquin nec vestem, nec cibum, nec aliquid aliud in usum recipere deberemus, quod esset contra omnem rationabilem intellectum, Præsul enim Sedis Apostolicæ, qui est generalis omnium pauperum Ecclesiæ provisor, specialiter nostri Ordinis curam habens, omnium mobilium, quæ Ordini conferuntur, proprietatem sibi assumpsit, exceptis his quorum dominium sibi conferentes retinuerunt, & nobis usum earumdem rerum solum concedit, ut semper alieno victu, & vestitu, & tecto, & aliis utensilibus absque proprietatis jure, ex ipsius concessione utamur. Sicut familia patrisfamilias, quæ rebus Domini sui utitur, tam in ab-

sen.

sentia, quam ipsius præsentia corporali, secundum ipsius dispositionem. Et eleemosyna, quæ nobis, a fidelibus datur, transit in usum nostrum, & in illius dominium, qui est principalis Ordinis nostri dispensator, cui parati sumus omnia quæ habemus cum jusserit, tamquam Domino prout convenit, resignare, & nil juxta hoc proprietatis habentes, regulam nostram bona conscientia observamus, &c.

QUÆSTIO XXV.

An fratres Minores transgrediantur regulam, cum pecuniæ, quæ sibi pro eleemosyna erogantur per alios recipi, & conservari faciant.

ITem quæro: Cum iterum regula dicat quod nec per vos, nec per alios debeatis recipere denarios, vel pecuniam, videmini per contrarium hoc facere, tam petendo pecuniam, tam reponendo, quam etiam dispensando, quia etsi personaliter eam non contrectatis, tamen per alios eam servari, & recipi facitis, & distribui, sicut vultis, & tamen inhibetur sicut per præceptum, ut non habeatis super hoc potestatem dispensandi, nescio quomodo hanc transgressionem excusare potestis. Si autem non posset hoc præceptum servari, non deberetis vovere, & potius esset a regula recedendum, quam laqueus esset voventibus, cum servari non possent.

Respondeo: Multa putantur mala, quamdiu non intelliguntur, quæ intellecta, rationabilia & justa videntur. Sic & in ista quæstione apparet. Regula prohibet nec per nos, nec per interpositam personam nos recipere pecuniam, ut nostra sit, & nos Domini, & possessores pecuniæ simus, quasi rei propriæ. Sed concedit, ut per amicos spirituales, qui pro Deo nos spiritualiter diligunt, id est, caste, & juste, necessaria procuremus, quæ tali modo utraque congrue observantur, quod ea, quæ sine pecunia non possunt procurari, aut per ipsos procurentur, qui fratribus dant eleemosynam, aut per

A eorum nuntios, ut cum aliquis procurat fratribus librum scribi, vel vestem fieri, vel domum, vel aliud suis laboribus, & expensis, aut si fratres ista procurant, illi solvunt pecuniam illis qui fratribus commodaverunt. Unde ista sunt procuranda, ut cum fratres faciunt librum scribi, alius solvat expensas per se, vel per nuntium suum, aut si aliqui volunt dare fratribus eleemosynam pecuniæ, possunt committere alicui, qui nomine suo eam servet, pro utilitate tamen fratrum, ut vice illorum, qui sibi commiserunt pecuniam procuret inde fratribus, secundum quod voluerit, secundum quod a fratribus instruitur per se, vel per alios,

B qui aptius ea promovent, quæ sibi fuerant commissa. Et per omnes istos non recipiunt fratres pecuniam, sed illi per se, pro illis qui sibi commiserunt pecuniam, convertunt eam in utilitatem fratrum, vicem illorum gerentes in eo, quod servant, & distribuunt ipsam pecuniam, quæ adhuc illorum est, qui dederunt, etiam si nesciant eam adhuc servari, gerentes autem vicem fratrum in eo, quod eorum utilitatem promovent de pecunia aliorum. Fratres enim quamdiu pecunia non est redacta in rem aliam, quam eis ut licet, non habeant eam pro sua, sed illius qui deposuit eam, licet sciant eam pro sua utilitate ibi repositam. Sicut cum 1. Cor. 2.

C Dominus committit servo suo pecuniam suam, ut mihi inde emat tunicam, interim est Domini, sed empta tunica, mea erit. Secundum hanc viam, & cautelam fratres, & per amicos speciales, & quoslibet procuratores, & mediatores procurant necessaria, nec tamen recipiunt pecuniam per illos procuratores, sed illi servant illam nomine dantium, & vice ipsorum vertunt eam in utilitatem fratrum, ut dominium pecuniæ non transeat in proprietatem fratrum. Unde conditor regulæ magis intendit fratribus præcludere viam avaritiæ in possessione pecuniæ, per quam omnis Religio suffocatur, quam obstruere eis opportunitatem necessaria procurandi. Sedes etiam Apostolica cujus acta toti Ecclesiæ dijudican-

dicanda exponuntur, & veneranda, ipsam regulam confirmando non approbasset, si in ea aliquid incongruum, & inobservabile prospexisset. Ideo voventibus eam non est laqueus perplexitatis, licet indigeant diligenti cautela, ne offendant contra eam, qui debent aliqua necessaria per pecuniam procurare, quæ tamen cautela magni est meriti, quamvis illi tutius ambulent, qui se subtrahunt a talibus negotiis, qui ad ea ex officio non coguntur, &c.

QUÆSTIO XXVI.

An fratres Minores recipiant eleemosynam ab iis, qui injusta lucra sectantur.

Isa. 22 ITem quæro: Cum res male acquisitæ Deo sint odibiles, unde Dominus dicit: Ego Dominus odio habens rapinam in holocausto: cur recipitis, vel petitis eleemosynam, ab illis qui injusta lucra sectantur?

Respondeo: Quidam sunt qui solum habent res male acquisitas, & possunt certæ personæ inveniri, quibus competit recompensatio, (ubi tales scimus, de cetero non debemus ab eis eleemosynam petere, sive accipere, quia omnia quæ habent sunt aliorum, quibus tenentur reddere) vel omnes, vel aliquæ, quod si aliquæ, & non omnes, tunc vaga restitutio de eis danda est, & in pias causas eroganda. Quidam autem habent injusta bona, ita quod si dant eleemosynam, tamen per hoc non fiunt impotentes, quin adhuc habeant unde possint restituere certis personis, quibus debent, unde possunt eleemosynam facere de residuo. A primis autem non possumus recipere, nisi ignorantia, vel extrema indigentia, vel præsumptio, quod creditores velint nos recipere, nos excuset. Unde quando non constat de vero, aliquem injusta detinere bona, non tenemur leviter credere eum tanti criminis esse reum, cum de quolibet teneamur præsumere meliora. Mendicitas nostræ professionis, & quia Deo debita, pauperibus Christi largienda sunt, excusat nos

A in hac parte plenius, quam illos, qui ex aliis rebus habent, unde sufficienter valeant sustentari. Ubi tamen publica fama clamat aliquem esse de primis prædictis, etiam si aliter non constaret, propter scandalum non expedit ab eo recipere, vel petere eleemosynam, nisi forte talibus qui ex professione, vel officio habent, quod debent raptores ad restitutionem inducere, quia utiliter gerunt in hoc negotium spoliatorum. Et dignus est tunc fidelis operarius cibo suo, cum nemo teneatur suis stipendiis militare. Ad hoc autem, ut possimus peccatores ad emendationem monendo inducere, concedit nobis Sedes Apostolica, etiam

B in terris excommunicatorum libere commorari, & ab eis tunc eleemosynam recipere, maxime si aliunde non possemus sustentari. Si enim boni de medio malorum tollerentur, quis esset qui malos ad bonum verbo, & exemplo moveret, &c.

QUÆSTIO XXVII.

Quare plures Clerici Religiosos odio habent?

ITem quæro: Quæ ratio est, quod Clerici magis odiunt nos, & persequuntur, quam laici, & simplices Sacerdotes?

Respondeo: Sicut non omnes laici

C diligunt nos, sic nec omnes Clerici odiunt nos. Si qui autem videntur nos odire, hoc quinque de causis potest esse. Una, quod timent nos, quod ipsorum facta, & excessus vel defectus plenius agnoscamus, & severius arguamus, quo clarius videmus, quales esse deberent, & non sunt, per quos Ecclesia gubernatur. Secunda, quod invident nobis, quod sumus hominibus gratiores, & ipsi comparati nobis appareant in vita, vel in scientia viliores, vel etiam indoctiores in doctrina. Tertia, quod dolent, si per confessiones secreta eorum ab aliis, qui conscii fuerint percipimus, dum timent per illa magis vilescere, vel forte personas illas nostro consilio ab eis averti, & ad meliora converti. Quarta, quod timent sibi

sibi aliqua per nos emolumenta subtrahi, dum eleemosynas, quæ dantur nobis, arbitrantur sibi fore dandas, si nos non essemus. Et hæc videtur potior esse causa pluribus, qui nos odiunt, scilicet si plus inhiant lucris pecuniarum a suis subditis, quam fructui animarum, &c. Potest etiam quinta causa esse, quod divina justitia illos, qui quanto amplius cognoverunt, & spreverunt, & quibus majora beneficia contulit, & ingrati fuerunt, & gravius ceteris offenderunt, frequentius eum indigne contrectant, & percipiunt, tanto magis indurat, & profundius cadere permittit. Unde non solum ipsi sunt mali in se, sed etiam alios secum malos esse desiderant, & bonos odiunt, & quos imitari nolunt, optant non esse, & prosequuntur eos, quos sibi dissimiles esse dolent. Salomon: Gravis est nobis ad videndum. Sap. 2 Et tunc ibidem plures de prædictis tanguntur. Laici vero, quia de prædictis causis minus habent, ideo minus odiunt: immo etiam diligunt, qui sentiunt nos salutem suam diligere, & sperant per nos eam fideliter apud Deum promovendam, ore, meritis, & doctrinis. Clerici etiam qui sane sapiunt, eadem ratione nos fovent, & diligunt, quasi filios suos, & vocatores, & cooperatores tam suæ salutis, quam suæ sollicitudinis sibi commissæ in suis subditis necessarios adjutores, & oneris sibi impositi fideles sublevatores. Et de istis satis, &c.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS.

AD MINISTROS PROVINCIALES, ET CUSTODES EPISTOLA.

DE REFORMANDIS FRATRIBUS SUI ORDINIS.

Hac Epiſtola cauſas exponit, ob quas Minorum Ordo ſuo tempore deformari videbatur. Monet itidem, ac præcipit Provincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus, ut iis cauſis per regulæ obſervantiam occurrant, pœnas illis, ſi ſecus fecerint, comminando.

IN CHRISTO ſibi chariſſimis Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus univerſis, Frater Bonaventura Ordinis eorumdem Generalis miniſter, & ſervus, ſalutem & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum.

Licet inſufficientiam meam ad ferendum onus impoſitum cognoſcerem manifeſte, per debilitatem corporis, imperfectionem mentis, inexperientiam actionis, & repugnantiam voluntatis: quia tamen durum eſt contra ſtimulum calcitrare, tantæ congregationis, & ſummi Pontificis, ac per hoc, & altiſſimi Dei voluntati pertinaciter reſiſtendo, ſarcinæ gravi, & quaſi importabili humeros ſuppoſui imbecilles, ſperans de adjutorio virtutis Omnipotentis, & confidens, de adminiculo veſtræ ſollicitudinis in idipſum. Nam & ſi ſit impoſſibile homini quantumcumque forti, induſtrio, & experto totam tanti oneris ſarcinam ſuis humeris bajulare, ſi tamen diviſa in partes, & humeris impoſita diverſorum viriliter a quolibet importetur, non eſt quantumcumque debili capiti, horrore quodam rei inſolitæ deſperandum. Quoniam igitur de veſtra præſumo induſtria, ſollicitudine, & zeli vivacitate, quod prompti ſitis ad extirpanda mala, promovenda bona, refovenda debilia, & fortia conſervanda, videns me ſpeculatorem da-

da-

datum domui Israel, ne sanguis animarum de manibus meis requiratur, cogitavi quædam vobis breviter scribere, quæ verbotenus, si in capitulo generali fuissem, libentius enodassem. Nunc autem quia pericula temporum urgent, & læsiones conscientiarum, necnon & scandala mundanorum, quibus cum ordo deberet esse sanctitatis totius speculum, in diversis orbis partibus in tædium vertitur, & contemptum. Quæ mihi de consilio discretorum visa sunt corrigenda, nec penitus tacens, nec omnino exprimens, nec nova statuens, nec vincula superinducens, nec onera gravia alligans aliis, & imponens; sed tamquam annuntiator veritatis breviter explico, videns illa nullatenus reticenda. Sane perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obscuratur, Ordo exterius inficitur, & nitor conscientiarum interius defœdatur, occurrit negotiorum multiplicitas, qua pecunia, nostri Ordinis paupertati super omnia inimica avide petitur, incaute recipitur, & incautius contrectatur. Occurrit quorumdam fratrum otiositas, quæ sentina est omnium vitiorum, qua plurimi consopiti, monstruosum quemdam statum inter contemplativam, & activam eligentes, non tam carnaliter quam crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, gravando eos per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitæ, sed scandala potius animarum. Occurrit importuna petitio, qua omnes transeuntes per terras adeo abhorrent fratrum occursum, ut eis timeant, quasi prædonibus obviare. Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa & curiosa, quæ pacem fratrum inquietat, amicos gravat, & hominum perversis judiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam regula nostra prohibet, ex qua suspiciones, infamationes, & scandala plurima oriuntur. Occurrit improvida commissio officiorum, qua fratribus nondum usquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis, imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam sepulturarum, & testamentorum avida quædam invasio, non sine magna turbatione cleri, & maxime sacerdotum. Occurrit mutatio locorum frequens & sumptuosa, cum quadam violentia, & perturbatione terrarum, cum nota inconstantiæ, non sine præjudicio paupertatis. Occurrit tandem sumptuositas expensarum. Nam cum fratres paucis nolint esse contenti, & charitas hominum refriguerit, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur. Licet autem plurimi reperiantur, qui non sunt culpabiles in aliquo prædictorum, tamen omnes involvit hæc maledictio nisi a non facientibus, his qui faciunt resistatur; cum luce clarius omnia supradicta in maximum, & nullo modo dissimulandum vergant nostri Ordinis detrimentum, licet tepidis & indevotis, & secundum carnem sapientibus, considerantibus consuetudinem, & allegantibus multitudinem, quasi facilia & excusabilia, etiam irremediabilia videantur: Excitetur ergo cordis nostri devotio, & fervor ad zelum, & ejectis negotiatoribus de domo Patris cœlestis, fratres omnes ad orationis & devotionis studium accendatis, restringatis receptionem multitudinis, quia modis omnibus volo, quod constitutio de receptione stricte servetur. Pravas prædictorum vitiorum consuetudines resecetis, quia licet videatur fratribus grave, requirit tamen hoc perfectio professionis nostræ, requirit tribulationis incursus, requirit mundus. Clamat hoc beatus Franciscus, & sanguis Christi aspersus, & Dominus de excelsis. Otiosos stimuletis ad laborem, vagantes compescatis ad quietem, importune petentibus imponatis silentium, intentos exaltandis domibus profundius deprimatis, familiaritates quærentes arceatis ad solitudinem. Officia prædicationis & confessionis cum multo examine imponatis. Constitutionem de testamentis olim factam, & de novo de sepulturis, faciatis arctius observari. Locorum vero mutatio-

nem, nullatenus concedatis alicui ante Capitulum generale. Nam de consilio discretorum, propter scandala vitanda juxta prædecessoris mei mandatum, hoc mihi reservo districte per obedientiam jubendo, ut nullus deinceps locum mutet sine mea licentia speciali. Discant etiam fratres modicis esse contenti, quia vehementer & sapientibus, & rationabiliter formidatur, quod oportebit eos modicis esse contentos, velint, nolint. Si igitur obedientes fueritis verbo per epistolam, & hoc per visitatores intellexero, quos volo super prædictis corrigendis, tam in capitibus, quam in membris diligentius vigilare, gratias agam omnium Conditori, & vobis. Quod si alter, quod Aabsit, acciderit: indubitanter sciatis, quod nullatenus patietur conscientia mea, prædicta sub silentio pertransire. Licet enim non sit mei propositi novis vos vinculis innodare, oportet me tamen conscientia compellente, totis viribus extirpationi intendere prædictorum, quatenus vitatis scandalis, ut tenemur, regulæ quam vovimus, sine cujus observatione salvari non possumus, veritatem perspicaciter videamus: & impleamus professionem, & totis viribus puritatem custodiamus, quæ impugnatur evidenter ex omnibus supradictis. Datum Parisiis, &c. Hanc autem litteram legi in singulis Conventibus vestræ Provinciæ faciatis.

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS.

AD QUEMDAM PROVINCIALEM MINISTRUM.

EPISTOLA.

Hac epistola S. Bonaventura præcipit, ut fratres sui Ordinis caveant a frequentia discursuum, ab importunitate quæstuum, a sumptuositate ædificiorum, librorum, vestium, ac ciborum, a prædicatione contra prælatos coram laicis, & a litigiosa invasione sepulturarum & testamentorum.

IN CHRISTO sibi charissimo Fratri B. Saucelis Provinciæ Ministro, Frater Bonaventura Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, & servus, Salutem & pacem in Domino sempiternam.

Quoniam ad hoc potissimum invigilare debet sollicita cura rectoris, ut in commisso grege meritum virtutis accrescat, claudatur via vitiis, & detur moribus disciplina, diligenti deliberatione præhabita, visum est tam mihi, quam diffinitoribus capituli Generalis, ut Ministris singulis aliqua ibidem examinata & discussa, litteratorie demandarem, ipsosque sollicitos redderem, ad eos potissimum abusus tollendos de medio, quibus sinceritas Religionis inficitur, perfectionis celsitudo deprimitur, & sanctitatis claritas offuscatur. Sane cum Evangelici culminis observata perfectio, hactenus spectabiles & amabiles nos mundo reddiderit, omnique favore ac reverentia dignos, ecce jam nunc multitudine in proclivia tendente, & remissius agentibus his qui præsunt, vitiorum quædam sentes cernuntur succrescere, quæ dum sacrum hoc venerandumque collegium, despicabile & onerosum reddunt populis, convertunt in scandalum, qu d cunctis esse debuerat in exemplum. Nam frequentia discursus, & importunitas quæstus, viles nos & graves efficiunt, pro eo A videlicet, quod dum parvis nolumus esse contenti, & edificia sumptuosa conamur erigere, vilia summo studo quæritantes, nobilia per incuriam perdimus, cum murorum curiosa constructio, destructionem pariat animarum. Perhorreo quorumdam procacium audaciam, qua contra Patris nostri doctrinam coram laicis prædicando in Ecclesia contra prælatos, ipsorum acta sugillando consurgunt, nonnisi scandala, jurgia, & odia seminant, & non solum ipsorum, verum etiam Dei provocant iram, cum divina constet lege sancitum, ne quis maledicat surdo, nec ponat offendiculum coram cæco. Sed & sepulturarum ac B testamentorum litigiosa & avida quædam invasio, cum exclusione illorum, ad quos animarum cura spectare dignoscitur, non modicum nos clero toti fecit exosos, sicut experientia docente, percepimus, & ipse sanctissimus pater Pontifex summus dominus Clemens, fratres omnes ad cavendum hujusmodi, pia providentia, per me voluit commonere. Horum autem omnium hanc puto potissimam rationem & causam, quod ea, quæ provida cura, per totius Ordinis Providentiam in Generali capitulo statuuntur, parvipenduntur a fratribus & habentur pro nihilo. Nec tamen transgressores hujusmodi, disciplina debita castigantur. Sicque fit divini permissione judicii,

cij, ut spernentes modica, in maxima decidant. Quia cum disciplina negligitur, insolentiæ crescunt, ac per hoc interior negligentia circa exercitationem virtutum, exterius procedit in scandalum per eorum patentem ruinam, qui stare videbantur in oculis aliorum. Ex quo fit, ut sanctæ Religionis splendor præfulgidus in pallorem degeneret, sanctitatis pulchritudo sordescat, bonæ opinionis odor computreat, & nomen Domini blasphemetur. Ne igitur sanguis animarum non solum nostræ sollicitudini commissarum, sed etiam omnium quæ ad lumen sanctæ Religionis per viam salutis incedunt, de nostris manibus requiratur, charitatis tuæ zelum, quantum possum, efficaciori mandato duxi præsentibus excitandum, adjurans te per aspersionem sanguinis Crucifixi, & per stigmata passionis ejus, quæ in sacro Patris nostri corpore indubitabili claritate fulserunt, ut sicut Christi servus fidelis & prudens, ad præfatarum extirpationem pestium toto te animi vigore succingas, tota mentis attentione invigiles, totoque fervore spiritus succendaris. Et primum quidem ad sanctæ orationis studium, fratres tuæ curæ commissos efficaciter incitans, ad regulæ promissæ observantiam sinceram inducas pariter & compellas, pestiferos, & insolentes nullius ferendo faciem evellens & destruens, dissipans & disperdens, vel carcerali mancipando custodiæ, vel a communitate sacri collegii expellendo, juxta quod pietatis & justitiæ lex exposcit: ne dum crudeli misericordia uni membro putrido parcitur, in totius corporis sospitatem putrens corruptio diffundatur. Et quoniam paupertas est nostræ Religionis prærogativa sublimis, ne nobilis hæc margarita conculcanda porcis viliter exponatur,

A tur, discursuum causam & quæstuum, sumptuositatem, scilicet ædificiorum, librorumque, vestium, ac ciborum, sic studeas amputare, quod a professionis excellentia vitæ observantia non discordet. Fœdum est enim, profanumque mendacium summæ paupertatis voluntarium professorem se asserere, & rerum penuriam pati nolle, interius divitum instar affluere, & exterius more pauperum mendicare. Inhibeas etiam fratribus firmiter & districte, quia tam divino, quam canonico prohibetur imperio, ne prælatorum vitam coram populo carpant, sed potius reveren-

B tiam exhibeant, non tantum bonis & modestis, verum etiam dyscolis, quia etiam hoc exigit sacrum mysterium Christificæ unctionis. Mandes etiam fratribus universis, ut pacem clericorum omnium tam in testamentis, quam in sepulturis, quantum in eis est, sic studeant observare, ut nullam habeant contra nos occasionem justæ querelæ, simulque sæculo toti clarescat, quod non commoda rerum, sed lucra quærimus animarum. Denique quia his & aliis deordinationibus innumeris, per statuta Ordinis via præcluditur, volo

C ut per loca fratrum ea sic diligenter conscribi, legi facias & servari, ut sicut professione virtutum præcipui credimur, nequaquam morum incompositione postremi merito censeamur. His igitur charissime frater, tam efficaci studio non cesses intendere, quod Deus gratum habeat, ut ego tuæ obedientiæ promptitudinem, & sollicitudinis vigilantiam, zelumque Ordinis sacri, possim non immerito commendare. Et ut hoc melius fiat, volo ut præsens series omnibus fratribus tuæ provinciæ per te, vel per Custodes, quotiens opportunum fuerit, explicetur.

1 Petr. 1

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS, EPISTOLA.

AD ABBATEM BEATÆ MARIÆ BLESENSIS.

Confirmat cessionem ipsi factam a Petro ministro provinciali.

Anno 1273 Ex cartario Burgimedii.

VENERABILI & religioso viro domino abbati sanctæ MARIÆ de Burgo medio VVesensis ordinis sancti Augustini, ceterisque canonicis conventus ejusdem, frater BONAVENTURA ordinis fratrum Minorum generalis minister & servus salutem & pacem in domino sempiternam.

Desiderio multo desideravi, atque desidero quod omnis turbationis materia, propter quam de fratribus nostris Blesensibus visi estis hactenus conqueri, de medio, quantum possit secundum Deum fieri, tolleretur, essentque vobis fratres prædicti subjectibiles, quantum decet, omni humilitate, sicut olim amicabiles & devoti: ut sic illibata omnino fraterna staret inter vos & illos charitas, & illa CHRISTI pax quæ superat omnem sensum. Cupiens igitur & volens id facere, quoad possum, concessionem illam domorum, arearum & platearum, seu rerum quarumlibet aliarum, quas frater Petrus nostri ordinis minister provincialis in Turonia cum beneplacito & assensu fratrum nostrorum conventus Blesensis vobis libere fecit, prout manifeste apparet in litteris præfati ministri provincialis, expressam de iis omnibus facientibus mentionem approbo & confirmo, & prædicta omnia quæ dominus comes Blesensis, seu quisque alius nomine elemosynæ fratribus contulit memoratis, volo & decerno quod habeatis & libere teneatis, vobisque assero quod nec ego per me faciam, nec per fratres nostros scienter fieri permittam aliquid contra concessionem prædictam, aut per quod dictarum facta vobis concessio videatur quomodolibet impediri, & ut teneatis & indubitanter credatis quod vos tamquam patres, in CHRISTO amicos & dominos, sicut decet, habere intendimus, & pacificationem perpetuam vobiscum desideramus, omnem assecurationem quam possum ex parte mea & fratrum facio vobis auctoritate præsentium super omnibus superius memoratis.

Datum Parisius XIII. Calendas Aprilis, anno Domini MCCLXXIII.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS, EPISCOPI ALBANENSIS, OPUSCULUM.

QUOD INSCRIBITUR, AMATORIUM.

Prologus hujus Opusculi satis docet Auctoris scopum, qui propositis beneficiis, quibus homo a Deo est affectus, eumdem allicit ad Dei amorem: ideoque Amatorium hoc inscribitur opusculum. Quod quia ex variis Auctorum locis constituitur, non sine magno labore suo pristino nitori quantum fieri potuit, restitutum est, conquisitis locis eorum, qui citantur. Erant enim antea in eo multa perturbata, tum quia uni Auctori ascribebatur, quod alterius erat: id quod ex indiligentia provenit Impressorum, qui appositos e contra in margine Auctores, ut se fecisse S. Bonaventura in prologo scribit, intra textum præpostere collocarunt. Tum quia marginales notationes ex incuria itidem in textum irrepserunt, quæ omnino sententiam pervertebant: quibus eliminatis, & Auctoribus e contra in margine debito loco appositis textus integer est redditus.

PROLOGUS.

PRÆSENS opusculum, qui legerit, intentionem esse sciat opifices, quasdam sanctorum aiuctoritates sub continuatione ordinare studuisse, eorumdem nominibus e contra in margine intitulatis,
A quæ animum legentis vel audientis, ad amorem sui Conditoris efficacius debeant inclinare, sumpta primitus materia de excellentia primæ conditionis, homini collata, consilio totius sanctæ Trinitatis, & opere Majestatis divinæ: Deinde hominem alloquitur solum, ostendens ei, & astruens, homines ceteros non

non tantum ac universa ad obsequium ipsius, & solamen condita vel creata: immo & amoris privilegio singularis, speciali ei munere data. Prosequitur deinde consequenter, tam necessitatem, quam piam liberalitatem incarnationis Christi, & passionis pro homine: quæ duo potissimum ingratitudinem expellunt, & cor humanum efficacius ad amorem sui Conditoris inducunt. Ex quibus quatuor præmissis, dignitate videlicet primæ creationis, privilegio singularis amoris, dignitate piæ redemptionis, peccator meditando in se reversus, plerumque compungitur, & abjecto quidquid mundanum sapit, totus ad Christum convertitur, quem sui totius non ignorat auctorem, & benefactorem, & omnium bonorum largitorem. Et fit, ut tanto plus per humilem satisfactionem Deo fiat propinquus, quanto per inobedientiam prius ab eo extitit alienus. Et hoc quidem fuit principale intentum in hoc opere, ut ex recognitione beneficiorum Dei circa homines, & amoris, alter ad alterum quasi confabulando degenerem se agnosceret, pro ingratitudine sua, filiali potius quam servili contritione cumpunctus, tam pium patrem, tam ingratus filius se excitaret filialiter ad amandum. Ratio ergo intentionis opificis, hominem sui Creatoris provocare satagens ad amorem, præsenti labori Amatorium nomen imponit.

AMATORIUM.

AD te sermo meus dirigitur, quisquis primæ conditionis tuæ dignitatem ignorans, tuæ reformationis laborem, & pretium non attendis: ut consideratione tantæ dignitatis, & dignationis tantæ, tam beneficum Deum, tam benignum Dominum, mutuo intuitu discamus pariter amare, cui pro universis suis beneficiis semper hucusque indevoti fuimus, & ingrati.

Anselm. In primis igitur te admoneo, ut sine intermissione recorderis, quam dulcis, & quam bonus sit ega te Creator tuus, quanta bonitas ejus fuit, quod te cum non esses, creavit, & quod te non pecus aut creaturam in- A sensibilem, sed etiam creaturam fecit, qua eum posses intelligere, amare, & cum eo suam æternitatem, æterna, & felix possidere. Et quod intantum te dilexit, ut cum multa contra suam voluntatem acturam sciret, voluit te tamen facere, & esse. Et quod tecum tanta mansuetudine, ut pius, & misericors adhuc patitur, expectans tuam emendationem, quia nullo modo te cupit perdere, sed adhuc te patitur vivere, adhuc tibi ea, quæ sunt necessaria ad sustentationem hujus vitæ, non desinit ministrare. Et sicut rebus ipsis experiri potes, peccatis tuis non potes ejus bonitatem vincere, ne suhuc te velit, sicut promeruisti, conerndere, vel ex toto destruere. B C tissimum est ergo illum pium esse erga te, qui tanta bona tibi largitur, nec adhuc de tuis iniquitatibus se quærit vindicare. Præterea de ejus benignitate adhuc cogita. Ut autem communia replicem; quot sun membra in corpore, tot beneficia invenies magna, & pro minimo membro plus debes amare Deum, quam multi amant eum, pro cunctis beneficiis, quæ ab eo recipiunt. Si quis amisisset oculum, quantum amaret eum, qui sibi illum restitueret? Et si quis meruisset amittere eum, quantum amaret illum, qui sibi oculum conservaret? Nec minus amandus, qui eum ab initio dedit, & qui datum conservavit, cum multoties utendo C eum contra Deum amittere meruit. Quod dixi de oculo, de ceteris membris cogita. Si vero tantum amandus est, qui dedit corpus, quantum amandus est, qui dedit animam, quæ in infinitum melior est corpore? Quæ si amisisset usum rationis, quantum amares illum, qui illum restitueret? Quantum ergo amandus est, qui tibi rationem dedit? Item. Quantum amandus est ille, qui mirabiliter corpus, & animam conjunxit, & hanc conjunctionem tibi servavit, cum peccando mortem multoties meruisses?

Cogita igitur, & recogita, tantam erga tui Creatoris benignitatem, & erige te sicut erectus es, & omnes sensus tuos ad ejus ineffabilem dilectionem. Nihil enim justius, nihil *August.*

salubrius, nihil utilius, & dulcius, quam quod ex toto homo diligat, quem sui totius noverit non solum auctorem, sed, & conservatorem. Si vero naturaliter amat filius patrem, a quo habet corpus, quanto magis Deum amabit, qui corpus ejus, & animam ex nihilo fecit?

Ausust. Et si amandus est genitor, tamen præponendus est Creator.

Bern. de diligendo Deo ante med. Ut quid non amaret opus artificem, cum haberet unde id posset? Et cur non quantum omnino posset, cum nihil omnino nisi ejus munere posset?

Idem in Cant. serm. 20 in prin. I. amic. Ps. Qui habit. ser. 14. statim a princ. Valde igitur mihi amandus est, per quem sum, vivo, & sapio.

Parumne videtur tibi hoc? Cogita qualem te fecit. Nempe secundum corpus egregiam creaturam: secundum animam magis, imagine Creatoris insignem, rationis participem, C beatitudinis æternæ capacem. Porro cohærere sibi fecit artificio incomprehensibili, sapientia investigabili. Nec tamen ante promeruit, qui ante non fuit. Nec spes retributionis fuit, quoniam bonorum nostrorum non eget.

Idem ser. 51 sup. Cant. circ. med. Disce igitur in referendo gratiam, non esse tardus aut segnis. Disce ad singula dona gratias agere. Diligenter considera, quæ tibi apponuntur, nulla Dei dona gratiarum actione frustrentur.

Aug. lib. de spir. & ani. c. 35. 10. 3. Tanta namque dignitas conditionis humanæ esse cognoscitur, ut non solo jubentis sermone, ut alia sex dierum opera, sed consilia sanctæ Trinitatis, & opere Majestatis divinæ creatus sit homo: ut ex primæ conditionis honore intelligeret, quantum suo Conditori deberet: dum tantum in conditione mox dignitatis privilegium præstitit ei Conditor, ut tanto ardentius amaret Conditorem, quanto mirabilius se ab eo conditum esse intelligeret. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Gen. 1.* Nec hoc solum, quod sanctæ Trinitatis consilio, sic ab excellentia Conditoris conditus est: sed etiam quod ad imaginem & similitudinem suam ipse Creator omnium, eum creavit, quod nulli alii ex creaturis donavit, Quæ imago diligentius est in interioris hominis nobilitate consideranda. Primo siquidem ut sicuti Deus unus semper ubique totus est omnia vivificans, movens, & gubernans, quia in eo vivimus, movemur, & sumus: sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens & gubernans. Neque enim in majoribus sui corporis membris major, & in minoribus minor, sed in minimis tota est, & in maximis tota. *Act. 17.* *Et infra eodem.* Et hæc est imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se, quæ etiam sanctæ Trinitatis quamdam habet similitudinem. Primo in eo, quia sicut Deus est, vivit, & sapit: ita anima secundum suum modum est, vivit, & sapit. Est quoque in anima similitudo Trinitatis, in eo quod ad imaginem sui Conditoris perfectæ, scilicet & summæ Trinitatis, quæ est in Patre & Filio, & Spiritu sancto, condita est. Et licet unius naturæ sit illa, tres tamen dignitates habet, id est, intellectum, voluntatem, & memoriam: sine quibus anima perfecta esse non potest. Quod idem, licet aliis verbis in Evangelio designatur, cum dicitur: *Matt. 22.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, id est, ex toto intellectu tuo, & tota voluntate tua, & ex tota memoria tua. Imago est in substantia, similitudo in moribus. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioque procedit Spiritus B sanctus: ita per intellectum generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria, sicut facile a sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus, nec horum trium unum aliquod quantum ad suam beatitudinem pertinet, sine aliis duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dii sunt, sed unus habens tres personas: ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria est: nec tres tamen animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates, atque in his tribus imaginem gerit ejus mirabilem

in

in sua natura noster interior homo. Ex his quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere Deum, ut inquantum intelligitur, diligatur: & inquantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit intellectus, nisi fiat voluntas in amore ejus. Imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate, & misericordia: ita nullum sit momentum, quo præsentem eum non habeat in memoria. Et hæc habe de imagine. Nunc vero de similitudine aliqua intellige, quæ in moribus credenda est. Ut sicut Deus qui hominem ad similitudinem suam creavit, charitas est, bonus & justus, patiens & mitis, mundus & misericors, & cetera insignia virtutum suarum, quæ de eo leguntur: ita homo creatus est, ut haberet charitatem, ut bonus esset & justus, patiens ac mitis, mundus & misericors foret. Quas virtutes quanto plus quisque in seipso habet, tanto propior est Deo, majorem sui Conditoris similitudinem gerit. Si vero quod absit, aliquis per devia vitiorum & divortia criminum, ab hac nobilissima sui Conditoris similitudine degener oberrat, tunc fiet de eo, quod scriptum est: Homo cum in honore esset, non intellexit, &c. (*Psalm. 24*) Quis major honor potuit homini esse, quam quod ad similitudinem sui Factoris conderetur, & iisdem virtutum vestimentis ornaretur, quibus & Conditor? Quod quidem nulli alii ex creaturis, nisi soli homini concessit. De quo legitur: Dominus regnavit, decorem indutus est, &c. id est, omnium splendore virtutum, & totius bonitatis decore ornatus. Vel, quod majus homini potest esse dedecus, vel infelicior miseria, quam, (*Psal. 92*) ut hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa ad informem & irrationabilem brutorum animalium delabatur similitudinem? Quapropter o homo diligentius attende primæ conditionis tuæ excellentiam: & venerandam sanctæ Trinitatis imaginem in teipso cognosce, honoremque similitudinis divinæ, ad quam creatus es nobilitate morum, exercitio virtutum, & dignitate meritorum, habere contende: ut quando apparuerit qualis sit, tunc similis ei appareas, qui te mirabiliter jam ad similitudinem suam in primo Adam condidit, & etiam mirabilius, ut infra patebit, in secundo reformavit. In prima namque conditione gloria præventus est & honore, in secunda pietate prosecutus est & amore, ut ingratitudinem tuam erubesceres, & ad Conditorem tuum amorem tuum totum converteres, qui tanto artificio utebatur, ut nullum alium præter ipsum amares. In primo opere conditionis tuæ de limo terræ plasmavit hominem Deus & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. (*Gen. 2*) Ecce qualis artifex, qualis unitor rerum: ad cujus nutum sic conglutinantur sibi, limus terræ & spiritus vitæ. Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio Deus creavit cœlum & terram. At spiritus sane non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur.

Quem cum in hominem inspirasset, dedit ei sensum & intellectum, (*Aug. de spir. & ani. c. 14 circ. med. t. 3*) ut per sensum lutum sibi associatum vivificaret, & per intellectum regeret. Et ut per intellectum intus ingrederetur, & contemplaretur Dei sapientiam, & per sensum foris egrederetur, & contemplaretur opera sapientiæ: intellectu intus illustravit, sensu foras decoravit, ut in utroque refectionem inveniret, intus ad felicitatem, foris ad jucunditatem. Sed quia bona exteriora diu stare non possunt, jussus est homo ab exterioribus ad interiora redire, ab inferioribus ad superna ascendere. Tantæ siquidem dignitatis est humana conditio, ut nullum bonum præter summum ei sufficere possit.

Agnosce igitur o homo dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis tuæ. (*Bern ser. 2. in Natal. Dom. non longe a princ. sparsim.*) Est & tibi de mundo corpus, sed tibi sublimius est aliquid, nec omnino comparandum ceteris creaturis. Compacta & confœderata sunt in

in te caro & anima, illa plasmata, hæc inspirata. Quis non videat, quantum corpori præstat anima? Numquid non truncus esset insensibilis, caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas visus, & sonus vocis. Denique sensus omnis ab anima est, & per sensus progreditur ad corpus movendum & vivificandum.

Aug. ibid. ubi supra ſſo cap. 9. Cujus duplex est vita, alia qua vivit in carne, alia qua vivit in Deo. Duo siquidem sunt sensus in homine, unus interior, & alter exterior, & uterque bonum suum habet, in quo reficiatur. Sensus interior reficitur in contemplatione divinitatis, sensus exterior in contemplatione humanitatis. Propterea enim Deus homo factus est, ut totum hominem in se beatificaret, & tota conversio hominis esset ad ipsum, & tota dilectio esset in illo: cum a sensu carnis videretur per carnem, & a sensu mentis per divinitatis contemplationem. Hoc erat totum bonum hominis, ut sive ingrederetur, sive egrederetur, pascua in factore suo inveniret. *Joan. 10* Pascua foris in carne Salvatoris: pascua intus in divinitate Creatoris. Sed heu hoc magnum bonum secutum est malum, quoniam perdito bono quod intus erat, egressa est anima ad bona aliena, quæ foris erant, & pactum fecit cum delectationibus sæculi, requiescens super illas, non attendens absentiam boni sui interioris, eo quod consolationes suas cerneret in bonis alienis. Nam cum exterior sensus carnalis bono suo utitur, interior sensus mentis quasi obdormit. Non enim cognoscit bona interioris sensus, qui jucunditate exteriorum bonorum capitur. Nam qui carne vivit, in carne sentit, & dolores carnis fugit, in quantum potest: vulnera autem animæ prorsus ignorat, nec medicinam quærit in eis. Cum autem mortuus fuerit sensus animæ, quo vivit in carne, tunc vivificari incipiet sensus ille, quo sentit semetipsum. Et tunc scient dolores suos, & sentire incipiet vulnera sua, tanto gravius, quanto propius. Sic enim ad intel- A lectum revocata a corruptione carnalium affectionum se studet mundare, & ad naturam propriam qua Deum suum, qui eum possedit, fecit, & creavit, agnosceret, seipsam incitare, intelligens, quod vita ipsius dilectio est.

Unde scire potes homo & intelligere, quod vita animæ tuæ dilectio est, & quod sine dilectione esse non potest, eo quod vita ipsius est. *Hug. de arrha ani. in prin. fere*

Cum anima ad solum Deum appetendum sit creata, jure ei nihil sufficit, quod Deus non sit. *Greg. lib. 16 Mor. c. 16. cir. med.*

Restat igitur, ut verum amorem tuum in melius mutare studeas, eo quod in temporalibus & mundanis verus & permanens amor non est: *Hug. de arrha ani. non longe a prin. sponsum.* B quibus animæ palatus infatuatur, ne sentiat amorem per desiderium, nec suavitatem per dulcedinem Conditoris sui. Non enim dubito, quin multis jam experimentis didicisti, fallacem esse, & fugacem amorem hujus sæculi, quem semper vel cum perit id quod tibi elegeris, perdere, vel cum aliud quod magis placet, supervenerit, cogeris mutare. Sic desideriis intus fluctuas, dum nec sine amore esse potes, nec verum amorem invenis. Idcirco quasi in exilio erras, quia dum traheris per concupiscentias temporalium, amorem non invenis æternorum. O si teipsum suspiceres, o si animam tuam videres, quæ specie sua omnium visibi- C lium decorem & pulchritudinem vincit, agnosceres certe, quanta reprehensione dignus fueris, cum aliquid extra te amore tuo dignum existimabas. Ideo tibi injuriam facis, qui vel inhonesta, vel certe ea, quæ amore tuo digna non sunt, in societatem dilectionis admittis. Nunc vero quia faciem tuam, & speciem vultus tui, quæ in anima est, qualis sit contemplari non potes, facilius in ea, quæ foris admiranda videntur, affectum dilectionis extendis. Præsertim, quia amor numquam solitarius esse patitur, quia & in hoc ipso jam quodammodo amor esse desinit, si in alterum parilitatis consortem, vim dilectionis non diffundit. Scire tamen debes, quod idcirco vis dilectionis non extinguitur, si a re-

bus

bus abjectis & vilibus appetitus ejus cohibeatur. Immo ille magis sibi injuriam facit, qui vel inhonesta, vel certe ea, quæ amore suo digna non sunt, in societatem dilectionis admittit. Primum igitur necesse est, ut teipsum consideres, & cum cognoveris dignitatem tuam, quam proposui superius, imo & illam, quæ patet inferius, nec injuriam facias amori tuo, abjectiora te non ames. Nam & ea, quæ per se considerata pulchra sunt, pulchrioribus comparata, vilescunt. Non vis habere amorem solitarium, nec enim potes, noli tamen habere prostitutum. Quæras ergo unicum, quæras & unice dilectum. Scis enim quia amor ignis est, & ignis quidem fomentum quærit. Sed cave, ne injicias quod fumum potius, aut fœtorem ministrat. Ea vis amoris est, ut talem te esse necesse sit, quale est illud quod amas, & cui per affectum contigeris in ipsius similitudinem, ipsa quodammodo dilectionis societate transformeris. Similitudo namque causa est amoris. Tuæ igitur pulchritudinem animæ attende & intelliges, qualem debeas pulchritudinem diligere. Sponsum habet, sed nescit: pulcherrimus est omnium, sed faciem ejus nondum vidit. Ille eam vidit, quia nisi eam vidisset, non eam diligeret. Sed vidit, quia eam creavit, quæ ipsius amore digna foret: Noluit adhuc seipsum ei præsentare, sed munera misit, arrham dedit, pignus amoris, signum dilectionis. Si cognoscere illum posset, speciem ejus videret, non amplius de sua pulchitudine dubitaret. Sciret enim quod tam pulcher, tam formosus, tam elegans, tam unicus in suo affectu captus non esset, nisi eum singularis decor, & ultra ceteros admirandus traheret. Nunc videre illum non potest, qui absens est, & ideo non timet, neque erubescit illi injuriam facere, quia singularem ejus amorem contemnit. Si vero adhuc scire non potest qualis ille sit qui eam diligit, consideret saltem arrham, quam dedit. Fortassis in ipso munere ejus quod penes eam est, poterit agnoscere quo affectu eum diligere, quo

A studio & diligentia, se illi debeat conservare. Insignis est arrha ejus, nobile donum ejus, quia nec magnum decuit, ut parva daret, nec pro parvo sapiens magna dedisset. Magnum ergo est quod illi dedit, sed majus est quod in ipsa diligit. Respice universum mundum istum & considera si aliquid in eo sit, quod tibi ob causam amoris illius non serviat. Omnia propterea facta sunt, ut serviant homini. Omnis natura ad hunc finem cursum suum diligit, ut obsequiis tuis famuletur, & utilitati deserviat, tuisque oblectamentis pariter & necessitatibus, secundum affluentiam indeficientem occurrat. Hoc cœlum, hoc terra, hoc

B aer, hoc maria, cum eis, quæ in eis sunt universis explere non cessant. Hoc circuitus temporum, annuis innovationibus, & redivivis partubus, antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta restaurans, pastu perpetuo subministrat. Quis ergo putas hoc instituit, quis hæc naturæ præcepit, ut sic uno consensu tibi serviat? Beneficium accipis, & auctorem ejus non cognoscis. Donum in manifesto est, largitor occultus. Et tamen ipsa te ratio dubitare non finit, hoc tuum non esse debitum, sed beneficium alienum. Multum igitur tibi contulit, qui hoc totum & tantum, & tibi dedit. Multo ergo diligendus est, qui tantum dare

C potuit: & qui tantum dare voluit, multum dilexit. Tantum ergo diligens & tantum diligendus, dono suo demonstrat, ut quam stultum est amorem tam potentis non ultro concupiscere, tam impium sit atque perversum, tam diligentem non amare. Vide ergo quid agis, cum in hoc mundo amari, & amare concupiscis. Totus mundus tibi subjectus est, & tu, non dico totum mundum, sed nescio quam aliam mundi portiunculam, quæ nec specie pulchra, nec utilitate necessaria, nec quantitate magna, nec bonitate optima antecedat, in societatem tui amoris admittere non aspernaris. Certe si hæc diligis ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut munera amici, ut beneficia Domini. Sic tamen

ut

ut semper memineris quid ibi debeas: nec ista pro illo, nec ista cum illo, sed ista propter illum, & per ista illum, & supra ista illum diligas.

Aug. de civ. Dei. Quia amor quo aliquis amat Deum propter temporalia, contumeliosus est Deo. Temporalia qui sic amant, præferunt ei. Propter quod enim unumquodque amatur, illud magis amatur. Unde boni ad hoc utuntur mundo, ut fruantur Deo. Mali autem e contra, ut fruantur mundo uti volunt Deo. Uti namque est quod in usum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum est: alias abuti est.

Hug. ubi sup. longe a prin. Non ergo munera dantis, plus quam amantis affectum diligas. Majorem charitati ejus injuriam facis, si dona illius accipis, & tamen vicissitudinem dilectionis non rependis. Aut dona illius si potes respue, vel si dona respuere non potes, vicissitudinem amoris repende. Dilige illum, dilige te propter illum, dilige dona illius propter illum. Dilige illum, ut fruaris illo, dilige te, ut diligaris ab illo.

August. Hugo. ibid. Ex hoc enim diliges te, quod diligis Deum ex toto te.

Dilige in donis illius, quod data sunt ab illo. Illum tibi, & te illi dilige: dona illius ab illo tibi, propter te.

Bernardus. Anima temporalia amans quasi inquinata, indigna est Dei amore.

Aug. Solil. lib. 1 c. 13 statim a pri. to. 1. Si alicujus pulchræ fœminæ flagrares amore, jure se tibi non daret, si aliud quidquam præter se a te amari comperisset. Sic qui in bonis temporalibus amorem suum ponit, Dei amore indignus est.

Anselmus. Amor illius nullam vitiorum patitur fœditatem, nullam consentit secum esse carnalium desideriorum voluptatem. Dicis mihi forte.

Aug. ubi sup. ante med. Cum superius dixeris, non solum unicum, sed unice electum esse debere amorem, id est, in solum dilecto, & solum diligendo constitutum, eo quod perfecte laudabilis amor non sit, si vel alter cum solo diligitur: vel qui summe diligendus non solus amatur. Ecce ego unice dilectum, & unice electum diligo: sed hanc

A hujus dilectionis meæ injuriam patior, quod solus diligens, solus non amor. Nam hanc dilectionis ejus arrham, quam mihi obiicis, quot sunt, vel certe quales sunt, cum quibus hæc mihi communis est, tu ipse agnoscis. Quomodo igitur de privilegio singulari potero gloriari, qui hoc quod tam magnum asseris, non dicam cum bestialibus, sed & cum ipsis bestiis commune accepi? Quid mihi lux solis amplius confert, quam reptilibus & vermibus terræ? Omnia similiter vivunt, omnia spirant, idem pastus, idem potus omnium. Non ita satis congrue diligendum singulariter probas, si non & ipsum quoque vel in aliquo singulariter dilexisse demonstras. Ad quod respon-

B deo. Tria quædam sunt, in quibus id, quod te movet invenis. Discerne, quæ dona a Deo tuo accepisti. Alia communiter, alia specialiter, alia singulariter data sunt. Communiter data sunt, quæ omnibus propter te tecum serviunt. Specialiter vero data sunt, quæ multis, non tamen omnibus propter te tecum concessa sunt. Singulariter data sunt, quæ tibi soli sunt data. Numquid ideo minus te diligit, quia quædam dona sua tecum simul cum omnibus concessit? Numquid feliciorem te fecisset, si tibi soli mundum dedisset? Astrueris homo, quod omnia propter te singulariter facta sunt, &

C singulariter tibi data sunt? Ecce non sint creati homines super terram, non sint bestiæ, solus mundi divitias possides. Ubi igitur illa grata, & utilis societas humanæ conversationis? ubi solatia? ubi oblectamenta quibus jam frueris? Vide igitur, quia & in hoc tibi multum contulit, quod hæc ad solamen tecum creavit. Si mundus iste & hæc omnia tibi serviunt, quomodo etiam omnia ad obsequium tuum facta non sunt? Numquid paterfamilias solus panem suum comedit? numquid solus poculum suum bibit? numquid solus vestimentis suis induitur; numquid solus calefit igne suo? numquid solus habitat in domo sua? Totum tamen non immerito ejus dicitur, quidquid habent ii, qui ei vel per dilectionem, vel

vel per subjectionem famulantur. Sive igitur illa, quæ tibi serviunt, sive illa quæ tibi servientibus necessaria sunt, omnia tibi data sunt, omnia tibi obsequia impendunt. Dicis adhuc forte. Tuæ rationes hoc persuaserunt, ut illa quoque singulariter mihi donata crederem, quæ in usum servientium mihi communiter donata viderem. Hinc doceor omnia, quibus vita irrationalium fovetur, meæ potius ditioni esse assignanda, propterea quod illa quoque, quæ in his aluntur, in usum meum sunt deputata. Privilegium tamen singularis amoris exinde non astruitur, quia hoc non solum mihi, sed cunctis similiter hominibus, & multis vero amplius subjecta esse noscuntur. Est namque specialis quidam amor ad homines, quo quidem ipsi homines aliis creaturis, non autem ad invicem amplius gloriari habent. Nam quod in assertione singularis amoris dicis, etiam mihi inter cetera donatam esse societatem hominum, cum tam mea illis quam illorum mihi donata sint, nihil in hoc singulare reperire possum. In qua societate non solum me lædit amissa gloria singularitatis, sed vilitas participationis. Quot enim increduli sunt, quot scelesti, quot impuri sunt, qui in societate similiter gloriari possunt? Sed te turbare non debet, quod in usu rerum temporalium, eadem bonis & malis conditio concessa est, nec idcirco eos similiter a Deo amari existimes, quia his omnibus tecum similiter communicare vides. Nam sicut bestiæ non propter se, sed propter homines creatæ sunt: ita mali homines non propter se, sed propter bonos vivunt. Et sicut vita eorum utilitati bonorum deservit: sic omne quo vita eorum alitur, dubium non est, quin ad ditionem bonorum referendum sit. Idcirco autem mali inter bonos vivere permittuntur, ut societas illorum, bonorum vitam exerceat, quos & felicitate sua admonent potiora his, & quæ mali communicare non possunt, bona quærere, & iniquitate sua cogunt arctius virtutem amare. Postremo, ut dum illos divina gra- A tia destitutos vident, per quælibet abrupta vitiorum ruere, discant quantas pro sua salute debeant Creatori gratias referre. Ratio siquidem divinæ dispensationis ad nostræ salutis augmentum, & glorificationis documentum hoc exigebat, ut sicut in vita bestiarum dicimus summam felicitatem non esse his uti: ita quoque in vita malorum hominum discamus, non esse summam felicitatem his dominari. Similiter ergo bonis & malis ista concedi debuerunt, quia aliter boni potiora sibi servari non crederent, nisi ista tam bonis, quam malis communia esse viderent. Nihil igitur o homo amplius de societate aut felicitate malo- B rum conqueraris; immo multum tibi placeat, & ad amandum creatorem tuum arctius hoc te excitet, eo quod sunt flagella Patris misericordiarum, erudientis filium suum ex amore paterno.

Omnis namque malus, aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum boni exerceantur. *Aug. enarr. in Psal. 54. to. 8.*

Nec idcirco in privilegium singularis amoris tecum abscribendos putes, quia in usu eos & dominio rerum transeuntium socios habueris: quia etiam in hoc, sicut jam dixi, saluti tuæ proficiunt, quod istis tecum non tantum uti, sed & dominari possunt. Quid autem de societate bonorum dicam? Dixi autem so- C cietatem hominum dono tibi Creatoris esse concessam, ut inde solamen vitæ accipias, ne quadam solitaria & inerti vita destitutus, contabescas. Sicut igitur vita malorum tibi est exercitium, sic solamen est vita bonorum: qui certe tales sunt, quos nec felicitatis tuæ participes, nec amoris tui debeas aspernari consortes. Nam si vere bonos diligis, quidquid illis beneficii impenditur, inde charitas, quæ in te est, non quasi de alieno, sed quasi de proprio gloriatur. Licet igitur beatum esset, isto amore vel solum perfrui, multo beatius in ipso cum multorum bonorum congratulatione delectari: quia cum in eos, qui etiam comparticipant affectus dilectionis, expanditur charitatis gaudium, & suavitas am- *Hugo ubi sup. non longe a med.*

plia,

pliatur. Spiritualis namque amor tunc A melius cuique fit singularis, quando omnibus est communis nec participatione plurium minuitur, cujus fructus unus & idem totus in singulis reperitur: ac per hoc etiam singulariter diligit te, quia nil diligit sine te. Sic igitur singulis adest quasi omnibus, quia nec alium nec majorem dilectionis affectum singulis impenderet, si absque cunctorum participatione singulos amaret. Nihil ergo de privilegio singularis amoris tui societas bonorum præscribit, quia amator tuus in omnibus diligit te, quia nihil diligit sine te. Non autem timeas animum illius in amore plurium quasi per affectum distrahi, & idcirco minorem esse ad singulos, quod partitus quodammodo & divi- B sus videatur in cunctos. Ergo omnes unum unice diligant, ut omnes ab uno unice diligantur. Quia nec alius præter unum, unice ab omnibus diligendus est, nec alius præter unum, unice omnes diligere potest. Omnes autem in uno se quasi unum diligant, ut unius dilectione unum fiant. Iste amator unicus est, non tamen privatus: solus, non tamen solitarius: participatus, nec divisus: communis, & singularis: cunctorum singularis, & singulorum totus, nec participatione decrescens, nec usu deficiens, nec tempore veterascens, antiquus & novus, affectu desiderabilis, experientia dulcis, fructu æternus, jucunditate plenus, reficiens & C satians, nec unquam fastidium generans. Ut autem tibi plenius satisfaciam, demonstrabo qualiter iste sponsus & amator castitatis, singulis quos diligit, quasi omnibus affectu, & effectu adsit. In hoc quoque providit tibi Deus, optimus amator tuus, ne nihil esset, in quo singulariter de ipso gloriari non possis? sed sicut communia & specialia dedit, sic & singularia tribuit. Communia quidem sunt ea quæ in usum universorum veniunt, sicut est lux solis, spiramen aeris. Specialia vero, ut ea, quæ non omnibus, sed quasi cuidam societati concessa sunt, sicut est fides, sapientia, & disciplina. Singularia autem, ut ea, quæ unicuique propria impartita sunt, sicut Petro principatus in Apostolis, Paulo Apostolatus in gentibus, Joanni privilegium amoris. Considera ergo, quæ communia cum omnibus, quæ specialia cum aliquibus, quæ singularia solus acceperis. In omnibus his te dilexit, quæ vel communiter cum omnibus, vel specialiter quibusdam, vel singulariter tibi soli tribuit. Cum his omnibus rursum te dilexit, qui de patticipatione doni sui sociavit. Præ his omnibus te dilexit, quibus singularis dono gratiæ te prætulit. In omni creatura dilectus es, cum omnibus bonis dilectus es, præ omnibus malis dilectus es. Et ne parum tibi videatur, quod præ omnibus malis dilectus es, quanti boni sunt, qui minus te acceperunt attende. Nec parum existimes vel in tantis, & cum tantis esse dilectum, nisi & bonos omnes habeas socios, malos vero & quæ condita sunt universa subjectos. Vidisti ergo quanta sunt in quibus dilectus es, vidisti quales sunt cum quibus dilectus es. Nunc quod præ omnibus dilectus es, considera quantum potes. Tu enim nosti quid acceperis, & necesse habes adhuc melius nosse, ne incipias vel de his, quæ non accepisti præsumere, vel de his, quæ accepisti gratias non referre. Nam & ipse idcirco hæc tibi dedit, ut tu ea semper in memoria habeas, & numquam ab eis amore oblivione tabescas. Primum cogita homo, quod aliquando non fueris, & ut esse inciperes, hoc ejus dono acceperis. Donum ergo ejus erat, ut fieres. Sed numquid tu ei aliquid dederas priusquam fieres, quod tibi hoc ab eo redderetur, ut fieres? Nihil prorsus, nihil tu dederas, nihil dedisse poteras plusquam fieres, sed gratis accepisti, ut ab eo fieres. Cui ergo prælatus es, in eo quod factus es? Quis minus accipere potuit, quam qui ut fieret, accepit? Et tamen nisi hoc esset, aliquid accipere, non poterat, qui non erat, & nisi incipere esse quam non esse melius esset, nihil ille, qui est, eo qui non est, amplius accepisset.

Cur ergo homo totum ei te debere non attendis, quem tui totius non ignoras Auctorem? Quid ergo tu *Bern. de diligendo Deo ante med.*

tu qui Deum tuum tenes, non solum gratuitum vitæ tuæ largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, & glorificatorem? Dignus plane est morte, qui ei recusat vivere. Quid retribues Domino pro omnibus his?

Hug. ibi. Sed quare fecit te Deus tuus, nisi quia esse magis quam non esse voluit te? Et plus dilexit te omnibus his, quæ accipere non meruerunt illud ab illo. Cum ergo Deus tuus esse tibi dedit, bonum, & magnum bonum, & pulchrum bonum dedit tibi. Et te cum hoc tibi daret, prætulit omnibus, quibus hoc tantum bonum suum dare noluit. At Deo nostro a quo facti sumus, qui non fuimus, omnibus qui facti non sunt, amplius accepimus. Qui utique si amplius nihil dedisset, pro eo ipso tamen semper a te laudandus & diligendus esset.

Augustinus. Merito igitur totum exigit te qui fecit te.

Hugo ibid. Nunc autem amplius dedit, quia dedit non solum esse, sed pulchrum esse, quoad animam dico, & formosum esse: quod quantum superat nihil per existentiam, tantum antecedit aliquid per formam, in quo multum placeat id, quod est, & amplius quod tale est. In quo omnibus te prælatum aspice, quos tale & tam excellens bonum existendi vides non accepisse. Sed nec hic terminari potuit munificentia largitoris optimi. Adhuc aliquid plus dedit & magis nos ad similitudinem suam traxit. Voluit enim ad se trahere per similitudinem, quos ad se trahebat per dilectionem. Dedit ergo nobis esse, & pulchrum esse, & vivere, & ut præcellamus, & iis, qui non sunt per essentiam, & iis, quæ inordinata aut incomposita sunt per formam, & quæ inanimata per vitam. Magno ergo debito obligatus es. Multum accepisti, & nihil a te habuisti, & pro his omnibus non habes quid retribuas, nisi tantum ut diligas. Accepisti autem hoc totum per dilectionem.

Ber. ser. 83 sup. Cant. cir. med. Amor per se sufficit, is per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium est sibi. Magna res amor. Solus ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus in quo potest creatura, & si non ex æquo, respondere Auctori. Verbi gratia. Si mihi irascatur Deus, num ego illi similiter redirascar? Non utique sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur a me, nec si me judicabit judicabo ego eum: si dominatur, me oportet servire: si imperat, me oportet parere, & non vicissim a Domino vel servitium exigere, vel obsequium. Nunc videas jam de amore quam aliter sit, nam cum amat Deus, nihil aliud vult, quam amari. Quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint. Magna igitur res est amor, sed si fuerit purus. Purus amor mercenarius non est, purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit.

Hugo parum ante med. ubi sup. Scias igitur, quia quod per dilectionem datum est, nec melius nec decentius, quam per dilectionem rependi potest.

Bernard. Quia non solum Deum hominem amare voluit, sed etiam ab eo vult amari. Nam cum ipse immensus sit, tamen amorem suum ponere voluit in hominem, qui est quasi putredo & vermis: Quanta dignatio, quanta dilectio!

Hug. ibid. Et hoc considera: Poterat autem etiam Deus aliis creaturis suis dedisse vitam, sed amplius in hoc dono dilexit te. Nec ideo plus dilexit te, quoniam plus diligendum invenit in te: sed quia gratuito plus dilexit te. Talem fecit te, ut jam merito plus diligat te. Quid hæc omnia faciant diligenter considera, nisi invenerint considerantis animum, ab omni penitus pravo vendicatum amore, & ad se mirabiliter rapiunt, & vehementer afficiunt?

Bern. de diligendo Deo ante med. Vide ergo quomodo, imo quam sine modo a nobis Deus amari meruerit, qui prius dilexit nos, tantus & tantum, & gratis tantillos & tales. Modus idcirco diligendi Deum esse debet, sine modo diligere. Cum ve-

vero dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum, nam & immensus & infinitus est Deus, quisnam, quæso, debeat finis nostri esse, vel modus amoris?

Aug. l. 10 Conf. c. 29 Modus tamen diligendi Deum est, ut ipse ametur super omnia, & propter se. Quia minus eum amat, qui cum eo aliquid amat, quod propter eum non amat.

t. 1. Hugo ubi sup. prom. Præpterea post esse, post pulchrum esse, & post vivere datum est sentire, datum est & discernere: & per eamdem dilectionem datum est: quæ nisi præcessisset, nihil a largiente datum nihil ab indigente acceptum fuisset. Quam sublimis & quam decorus in anima factus es. Quid sibi iste ornatus tantus ac talis voluit, nisi quia idem ipse, qui induit consortem suo palatio, suæ gloriæ præparavit? Novit ad quod opus te conderet, novit qualis ornatus illud opus deceret, & ideo dedit quod decuit, & quod tantum decuit, ut & ipse diligeret hoc, qui dederit. Sensibus foris decoravit, intus sapientia illustravit. Sensus dans, quasi interiorem ornatum, sapientiam, quasi interiorem habitum: Sensus quasi quasdam gemmas fulgentes, appendens exterius: sapientiam, quasi naturali pulchritudine, faciem vultus tui decorans intus. Ecce ornatus tuus omnium gemmarum vincit pulchritudinem. Ecce facies tua omnium formarum superat decorem. Talem te omnino esse decebat, qui ad cœlestis palatium curiæ introducendus eras. Quantum dilectus es, & præ quantis dilectus es, quando talis factus es? Quam singulare donum, quod non omnibus concessum, non nisi dilectis, & diligentibus concedendum. Multum gloriari poteras, & multum custodire debueras, ne tale donum perderes, ne tale ornamentum fœdares, ne tantum decorem corrumperes, & eo amisso vel imminuto amplius miser fieres, quam eo non accepto, vel non perfecto miser fuisses: ne te cum damno amissæ pulchritudinis, simul torqueret confusio fœditatis, & abjectus vilior fieres, quam si receptus non fuisses.

A Istud custodiendum, & illud cavendum fuerat, ut istud custoditum persisteret, & illud cautum non eveniret. Sed vide quid fecisti. Dereliquisti Deum amatorem tuum, & cum alienis prostituisti amorem tuum, fœdasti pulchritudinem tuam, dispersisti ornatum tuum. Oblitus es Domini Creatoris tui, & pro tantis beneficiis condignas grates non egisti. Ideo vero ad majorem confusionem tuam hæc dixi, ut eo magis odio dignum ostenderem, quo tantis beneficiis acceptis, & non custoditis ingratum comprobarem, & ut magis de cetero illi fias obnoxius, qui te fecit cum non eras, & redemit cum perieras. Nam illud quoque B in assertione amoris illius commemoravi, ut inde occasione accepta, tibi narrare incipiam, quantum amator tuus, qui tam excelsus apparuit cum te conderet, humiliari dignatus est, cum repararet. Illic tam sublimis, hic tam humilis, non tamen hic, quam illic minus amabilis. Illic potenter tibi magna contulit, hic misericorditer pro te dura sustinuit. Ut enim te relevaret illic unde cecideras, ipse descendere dignatus est huc, ubi jacebas. Et ut tibi juste redderetur, quod perdideras, ipse dignatus est, pie pati quod tolerabas. In primis vero quod nullo modo poterat homo labore, pœna, vel merito, dignitatem quam C peccando amiserat, promereri, ostendam tibi qua necessitate vel ratione Deus, cum sit omnipotens, humilitatem, & infirmitatem humanæ naturæ pro ejusdem restauratione assumpserit.

Oportebat namque, ut sicut per hominis inobedientiam mors in humanum genus intraverat, ita per hominis obedientiam vita restitueretur. *Anselm. l. 1 cur Deus homo c. 3* Et quemadmodum peccatum, quod fuit causa nostræ damnationis initium habuit a femina: sic nostræ justitiæ, & salutis Auctor nasceretur de femina. Et ut diabolus, qui per ligni gustum, quem persuasit, hominem vicerat: ita per passionem ligni, quam intulit, ab homine vinceretur.

Sed ipsa hominis liberatio nec per aliam, quam per Dei personam fieri decuit, nec potuit: quia quæcumque *Idem. ibi. c. 3*

que

que persona alia hominem a morte A æterna redimeret, ejus servus idem homo recte judicaretur. Quod si esset, nullatenus restauratus esset in illam dignitatem, quam habiturus erat, si non peccasset: cum ipse, qui non nisi servus Dei, & æqualis Angelis bonis per omnia futurus erat, servus esset ejus, qui Deus non esset, & cujus Angeli servi non essent.

Idem ibi. c. 18 longe post med. Quod vero homo per aliam, quam per Dei personam, liberari non potuit, manifeste verum esse attende. Constat Deum proposuisse, ut de hominibus Angelos, qui ceciderant, restauraret. Tales ergo oportet esse homines in illa civitate superna, qui pro Angelis in illam assumentur, B quales illi futuri erant, pro quibus ibidem erunt, id est tales, quales nunc sunt boni Angeli. Alioquin non erant restaurati, qui ceciderunt: & sequetur, quod Deus aut non poterit perficere bonum, quod incœpit, aut pœnitebit eum tantum bonum incœpisse, quæ duo absurda sunt. Oportet ergo, ut æquales sint homines bonis Angelis. Cum ergo boni Angeli numquam peccaverint, potesne cogitare, quod homo, qui secundum quod homo aliquando peccavit, nec unquam Deum pro peccato satisfecit, sed tantum impunitus dimittitur, æqualis sit Angelo, qui numquam peccavit? Minime. Non ergo decet Deum, hominem peccantem C sine satisfactione, ad restaurationem Angelorum assumere perditorum, quoniam veritas non patitur eum levari ad æqualitatem beatorum. Considera etiam in solo homine, sine hoc quod debet Angelis æquari, utrum eum taliter Deus ad beatitudinem illam, vel talem qualem habebant antequam peccarent, debeat

Exempl. I provehere? Ponamus per exemplum, aliquem in manu tenere margaritam pretiosam, quam nulla unquam pollutio tetigit, & quam nullus possit alius amovere de manu ejus, nisi ipso permittente: & eam disponat recondere in thesaurum suum, ubi sunt charissima & pretiosissima, quæ possidet. Quod si permittat ipse eamdem margaritam ab aliquo invido excuti de manu sua in cœnum, cum prohibere possit, ac postea eam de cœno sumens, pollutam, & non lotam in aliquem mundum & charum locum, deinceps illam sic servat, & recondit, putabisne illum sapientem? Non, si recte sapis: An non similiter faceret Deus, qui hominem Angelis sociandum sine peccato quasi in manu sua tenebat in paradiso, & permisit ut accensus invidia diabolus eum in lutum peccati, quamvis consentientem dejiceret. Si enim prohibere vellet diabolum, non posset tentare hominem, nonne inquam similiter faceret ac si hominem peccati sorde maculatum, sine omni lavatione, id est, absque omni satisfactione talem semper mansurum, saltem in paradisum, de quo ejectus fuerat, reduceret,

Tene igitur certissime, quia sine satisfactione, id est, sine debiti solutione spontanea, nec Deus potest peccatum impunitum dimittere, nec peccator ad tantam beatitudinem, vel talem qualem habebat antequam peccaret, pervenire. *Ibid. c. 19 in prin.*

Firmiter igitur crede, ne dubites, quia secundum mensuram peccati oportet satisfactionem esse. Et tu quid solves pro peccatis? Forsitan dices pœnitentiam, cor contritum, & humiliatum, abstinentias, & multimodos labores corporis & misericordiam dandi & dimittendi obedientiam. Quid in omnibus his das Deo? Vide & diligenter considera, quia cum reddis Deo aliquid quod debes, & si non peccasti, non debes hoc computare pro debito. Omnia autem illa debes Deo, quæ dicis. Tantus namque debet esse in hac mortali vita amor, & ad quod pertinet oratio & desiderium perveniendi ad hoc, ad quod factus es, & dolor, quia ibi non es, & timor ne non pervenias, ut nullam lætitiam sentire debeas, nisi de his, quæ tibi auxilium, aut spem dant perveniendi. Quid ergo das Deo, quod non debes, cui totum quod es, & quod habes, & quod potes, debes: ne pecces? Nihil igitur in omnibus das Deo, quod non debes. Quid ergo solves Deo pro peccato *Ibid. c. 20 in prin.*

tuo, cum nihil habeas, quod pro peccato solvas.

Ibid. c. 11 post med. Et si graviter peccamus quotiescumque scienter aliquod, quamlibet parvum contra voluntatem Dei facimus, quid faciet miser homo peccator, quid Deo pro peccato solvet, qui tot & tanta non solum gravia, sed & enormia sciens, & prudens commisit per longum tempus immo fere tota vita sua, & quasi sus in volutabro luti delectabiliter in eisdem jacuit? Si secundum quantitatem peccati exigit Deus satisfactionem, nec satisfacis si non reddis aliquod majus, quam id pro quo peccatum facere non debueras, quia sic ratio exigit: quid facies, quid solves Deo tot malis obvolutus.

Ibid. c. 22. in prin. Item homo in paradiso sine peccacato factus, quasi positus est pro Deo inter Deum &. diabolum, ut vinceret diabolum, non consentiendo suadenti peccatum ad honorem Dei, & ad confusionem diaboli, cum ille infirmior in terra non peccaret, eodem diabolo suadente, qui fortior peccavit in cœlo nullo suadente. Et cum hoc facere posset, nulla vi coactus, sed sola suasione sponte vinci permisit, ad voluntatem diaboli, & contra voluntatem Dei & honorem. Judica ergo homo tu ipse, si non est contra honorem Dei, ut homo reconcilietur illi, cum calumnia hujus contumeliæ Deo irrogatæ, nisi prius honoraverit Deum vincendo diabolum, sicut illum inhonoravit victus a diabolo. Victoria vero talis debet esse, ut sicut fortis ac potestate immortalis consensit facile diabolo ut peccaret, unde juste incurrit pœnam mortalitatis: ita infirmus & mortalis, qualem ipse se fecit, per mortis difficultatem vincat diabolum, ut nullo modo peccet, quod facere non potest quamdiu ex vulnere primi peccati concipitur, & nascitur in peccato. Adhuc accipe unum, sine quo non reconciliatur homo, nec minus impossibile.

Ibid. c. 23 in prin. Quid abstulit homo Deo, cum vinci se permisit a diabolo? Nonne abstulit Deo, quidquid de humana natura facere proposuerat? Intende industriam, & justitiam, & judica

A secundum illum, utrum ad æqualitatem peccati homo satisfaciat Deo, nisi idipsum quod permittendo se vinci a diabolo, Deo abstulit, diabolum vincendo restituat: ut quemadmodum per hoc quod est victus rapuit diabolus quod Dei erat, & Deus perdidit: ita per hoc quod vincat, perdat diabolus, & Deus recuperet. Nullatenus ergo debet aut potest accipere homo a Deo, quod Deus illi dare proposuit, si non reddit Deo totum quod illi abstulit, ut sicut per illum Deus perdidit, ita per illum recuperet. Quod non aliter fieri valet, nisi ut quemadmodum per victum tota humana natura corrupta & quasi fermentata est peccato, cum

B quo nullum Deus assumit ad perficiendam illam civitatem cœlestem, ita per vincentem justificentur tot homines, quot illum numerum completuri erunt, ad quem complendum factus est homo. Et hoc facere nullatenus potest peccator homo, quia peccator peccatorem justificare nequit. Nihil ergo justius, nihil impossibilius.

Attende adhuc. Si homo dicitur injustus, qui homini non reddit quod debet, multo magis iniustus est, qui Deo quod debet, non reddit. Quod si reddere non potest, quomodo injustus est? Audi. Forsitan si nulla est in illo causa impotentiæ, aliquatenus excusari potest. Sed si in ipso *Ibid. c. 24.*

C impotentia culpa est, sicut non levat peccatum, ita non excusat non reddentem debitum. Nam quis injungat opus aliquod servo suo, & præcipiat illi, ne se dejiciat in foveam, quam illi demonstrat, unde nullatenus exire possit & servus ille contemnens mandatum, & monitionem Domini sui, sponte in monstratam se mittat foveam, ut nullatenus possit opus injunctum facere, putasne aliquatenus illi impotentiam illam ad excusationem valere, cum opus injunctum non faciat? Non. Immo dupliciter peccavit, quia & quod jussus est facere, non fecit, & quod præceptum est, ut non faceret, fecit. Ita homo, qui se sponte obligavit illi debito, quod solvere non potest, & sua culpa dejecit se in hanc impotentiam, ut

nec

nec illud possit solvere quod debebat A ante peccatum, id est, ne peccaret, nec hoc quod debet, quia peccavit, inexcusabilis est. Ipsa namque impotentia culpa est, quia non debet eam habere, immo debet eam non habere. Nam sicut culpa est, non habere quod habere debet, ita culpa est, habere quod debet non habere. Sicut igitur culpa est homini non habere potestatem illam quam accepit, ut posset cavere peccatum: sic culpa est illi habere impotentiam, qua nec justitiam tenere, & peccatum cavere, nec quod pro peccato debet reddere potest. Sponte namque fecit, unde perdidit illam potestatem, & devenit in hanc impotentiam. Illud enim est non habere potestatem, B quam debet habere, & habere impotentiam, quam debet non habere. Quapropter impotentia reddendi Deo quod debet, quæ facit ut non reddat, non excusat hominem si non reddit, quoniam effectus peccati non excusat peccatum quod facit. Injustus est ergo homo, qui non reddit Deo quod debet, & injustus est, quia reddere nequit. Et nullus injustus admittetur ad beatitudinem, quoniam quemadmodum beatitudo est sufficientia, in qua nulla est indigentia: sic nulli convenit nisi in quo ita pura est justitia, ut nulla sit injustitia. Cum igitur videas peccatorem hominem, hoc debere Deo pro peccato quod vel reddere nequit, & C nisi reddiderit, salvari nequit, instruendus es: ne forte desperes, qualiter Deus misericordia salvet hominem, cum peccatum non dimittat illi, nisi reddiderit propter quod illud debet.

Ibid. l. 2. c. 1. in prin. Rationalem naturam a Deo factam esse justam, ut illo fruendo beata esset, dubitari non debet. Ideo namque rationalis est, ut discernat inter justum & injustum, inter bonum & malum, & inter magis bonum & minus bonum. Simili ratione probat, quod ad hoc accepit potestatem discernendi, ut odisset, & vitaret malum, ac amaret & eligeret bonum, atque majus bonum magis amaret, & eligeret. Sed non convenit, ut Deus potestatem tantam frustra dederit. Ad hoc itaque factam esse rationalem creaturam, certum est, ut summum bonum super omnia amaret & eligeret, non propter aliud, sed propter ipsum. Si enim propter aliud; non ipsum, sed aliud amat. Ut igitur frustra non sit rationalis, simul ad hoc rationalis, & justa facta est. Quapropter rationalis natura, justa facta est, ut summo bono, id est, Deo fruendo beata esset. Homo ergo qui rationalis creatura est, factus est justus ad hoc, ut Deo fruendo beatus esset.

Quod autem factus sit talis, ut necessitate non moreretur, hinc facile probatur, quia sapientiæ & justitiæ Dei repugnat, ut cogeret mortem pati sine culpa, quem justum ad beatitudinem fecit. Sequitur ergo, quia si numquam peccasset, numquam moreretur. *Ibid. c. 2*

Unde aperte quandoque futura resurrectio mortuorum probatur. Quippe si homo perfecte restaurandus est: talis debet restitui, qualis futurus erat, si non peccasset. Nihil ergo justius, aut convenientius intelligitur, quam ut sicut homo si perseverasset in justitia totus, id est, anima & corpore, æterne beatus esset, ita si perseverat in injustitia, totus similiter miser sit. *Ibid. c. 3.*

Ex his enim facile est cognoscere, quoniam aut hoc de humana perficiet Deus natura, quod incœpit, aut in vanum fecit tam sublimem naturam ad tantum bonum. Aut si nihil pretiosius cognoscitur Deus fecisse, quam rationalem creaturam, ad gaudendum de se: valde alienum est ab eo, ut illam rationalem creaturam penitus perire sinat. Necesse est ergo, ut de humana natura, quod incœpit, perficiat. Hoc autem fieri, sicut dixi, nequit nisi per integram peccati satisfactionem, quam nullus peccator facere potest. *Ibid. c. 4.*

Si vero intelligis necesse fuisse, ut Deus perficeret quod incœpit, forte cogitas dicens: Quam gratiam debeo pro eo, quod fecit me propter se? Aut quomodo imputabo meam salutem ejus gratiæ, si me salvat necessitate? Sed attende quod est necessitas, quæ benefacienti gratiam aufert. *Ibid. c. 5.*

fert aut minuit, & est necessitas, qua major ex beneficio gratia debetur. Cum enim aliquis ea necessitate, cui subiacet, invitus benefacit, aut nulla, aut minor illi gratia debetur. Cum vero ipse sponte necessitati benefaciendi se subdit, neque invitus eam sustinet, tunc utique majorem beneficii gratiam meretur. Non enim hæc est dicenda necessitas, sed gratia: quia nullo cogente illam suscepit aut servat, sed gratis. Quare multo magis si Deus facit bonum homini, quod incœpit, licet non deceat eum a bono incœpto deficere, totum gratiæ debemus imputare: quia hoc propter nos, non propter se, nullius egens, incœpit. Non enim illum latuit, quid homo facturus erat, cum illum fecit: B & tantum bonitate sua illum creando, sponte se, ut perficeret incœptum bonum quasi obligavit. Denique Deus non facit necessitate, quia nullo modo cogitur, aut prohibetur facere aliquid. Et cum dicimus Deum aliquid facere quasi ex necessitate vitandi inhonestatem, quam utique non timet, potius intelligendum est: quia hoc facit necessitate servandæ honestatis. Quæ scilicet necessitas non est illud, quam immutabilitas honestatis ejus, quam a seipso & non ab alio habet: idcirco improprie dicitur necessitas. Dico tamen, quod necesse est, ut bonitas Dei propter immutabilitatem suam perficiat de homine, quod incœpit: quamvis totum C sit gratia bonum quod facit.

Ibid. c. 6. Hoc autem fieri nequit, nisi sit qui solvat pro peccato hominis aliquid majus, quam omne, quod Deus non est. Illum quoque, qui de suo poterit Deo dare aliquid, quod superat omne, quod sub Deo est, majorem esse necesse est, quam omne, quod non est Deus. Nihil autem est super omne, quod Deus non est, nisi Deus. Non ergo potest hanc satisfactionem facere, nisi Deus. Sed nec facere illam debet, nisi homo. Si ergo, sicut constat, necesse est, ut de hominibus proficiatur illa superna civitas, neque hoc esse valet, nisi fiat supradicta satisfactio, quam neque potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo, necesse est, ut faciat A eam Deus homo. Investigandum nunc est, quomodo esse possit Deus homo.

Divina enim natura & humana non *Ibid. c. 7.* possunt in invicem mutari, ut divina fiat humana, aut humana divina: nec ita misceri, ut quædam tertia fiat ex duabus, quæ nec divina sit omnino, nec humana. Denique si fieri posset, ut altera in alteram converteretur, aut esset tantum Deus, & non homo, aut solum homo, & non Deus. Aut si miscerentur ita ut fieret ex duabus corruptis quædam tertia (quemadmodum ex duobus individuis animalibus diversarum specierum, masculo & femina nascitur tertium, quod nec patris integram, neque matris servat naturam, sed ex utraque tertiam mixtam) non homo esset, nec Deus. Non igitur potest fieri homo Deus, quem quærimus ex divina & humana natura, aut conversione alterius in alteram, aut corruptiva commixtione naturæ utriusque in tertiam, quia hoc fieri istæ duæ naturæ nequeunt: aut si fieri valerent, nihil ad hoc, quod quærimus, valeret. Si autem ita quolibet modo conjungi debent hæ duæ integræ naturæ, ut tamen alius sit Deus, alius homo, & non idem sit Deus, qui & homo: impossibile est, ut ambo faciant, quod fieri necesse est. Nam Deus non faciet, quod non debebit, & homo non faciet, quia non poterit. Ut ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eumdem ipsum esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facturus est, quoniam eam facere non potest, nisi verus Deus, nec debet nisi verus homo. Quoniam ergo servata integritate utriusque naturæ, necesse est inveniri Deum hominem, non minus est necesse, has duas naturas integras convenire in unam personam, quemadmodum corpus & anima rationalis conveniunt in unum hominem, quoniam nequit aliter fieri, ut idem ipse sit perfectus Deus, & perfectus homo.

Restat nunc quærere, unde & quomodo assumet Deus humanam naturam? Aut enim assumet eam de Adam, aut faciet novum hominem, quemadmodum Adam fecit de nullo alia ho- *Ibid. c. 8.*

homine. Sed si novum hominem faciat non ex Adæ genere, non pertinebit ad humanum genus, quod natum est de Adam. Quare non debebit satisfacere pro eo, quia non erit de eo. Sicut enim rectum est, ut pro culpa omnis homo satisfaciat, ita necesse est, ut satisfaciens idem sit, qui peccator, aut ejusdem generis. Aliter namque nec Adam, nec genus ejus, satisfaciet per se. Ergo sicut de Adam & Eva peccatum in omnes homines propagatum est, ita nullus nisi vel ipsi, vel qui de illis nascitur, pro peccato hominum satisfacere debet. Quoniam ergo illi nequeunt, necesse est, ut de illis sit, qui hoc faciet. Amplius sicut Adam & totum genus ejus per se stetisset sine sustentatione alterius creaturæ, si non peccasset: ita oportet, ut si idem genus resurgit post casum, per alium resurgat ac relevetur. Nam per quemcumque in statum suum restituatur, per illum itaque stabit, per quem statum suum recuperabit. Deus etiam quando humanam naturam primitus fecit in solo Adam, nec feminam, ut de utroque sexu multiplicarentur homines, facere voluit, nisi de ipso, aperte monstravit; se non nisi de Adamo voluisse facere quod de natura humana facturus erat. Quapropter si genus Adæ per aliquem relevatur hominem, qui non sit de eodem genere, non illam dignitatem habebit, quam habiturus erat, si non peccasset Adam: & ideo non integre restaurabitur, & Dei propositum deficere videbitur, quæ duo inconvenientia sunt. Ergo necesse est, ut de Adam assumatur homo, per quem restaurandum est genus Adæ. Pinge igitur in animo non super fictam vanitatem, sed super solidam veritatem, & dic, quia valde convenit, ut quemadmodum hominis peccatum, & causa nostræ perditionis principium sumpsit a femina; ita medicina peccati, & causa nostræ salvationis nascatur a femina. Similiter & hoc: Si Virgo erat, quæ causa fuit humano generi totius mali, multo magis decet, ut Virgo sit, quæ causa erit totius boni. Hoc quoque similiter: Si mulier, quam Deus fecit de viro sine femina, facta est de Virgine, convenit valde ut vir quoque, qui fiet de femina sine viro, fiat de Virgine.

Nunc tibi quoque dicendum est in qua persona Deus, qui est tres personæ, hominem assumat: plures enim personæ nequeunt unum eumdem hominem assumere in unitate personæ, quare in una persona tantum hoc fieri necesse est. Sed de hac unitate personæ Dei & hominis, & in qua persona Dei, hoc magis fieri oporteat, breviter tango, cur videlicet potius Filii persona debeat incarnari, quam Patris, aut Spiritus sancti. Si quælibet alia persona incarnaretur, erunt duo Filii in Trinitate, Filius scilicet Dei, qui & ante Incarnationem Filius est, & ille, qui per Incarnationem, Filius erit Virginis; & sic erit in personis, quæ semper æquales esse debent, inæqualitas secundum dignitatem nativitatum. Digniorem namque nativitatem habebit natus ex Deo, quam natus de Virgine. Est & aliud cur magis conveniat Filio incarnari, quam aliis personis; quia convenientius sonat Filium supplicare Patri, quam aliam personam alii. Item: Homo, pro quo erat oraturus, & diabolus, quem erat expugnaturus, ambo falsam similitudinem Dei propria voluntate præsumpserant. Unde quasi specialius adversus personam Filii peccaverant, quia vera Patris similitudo creditur. Illi cui specialius fit injuria, convenientius attribuitur culpæ vindicta, aut indulgentia. Quapropter cum nos ratio inevitabilis perduxerit ad hoc, ut necesse sit divinam & humanam naturam in unam convenire personam, nec hoc fieri possit in pluribus personis Dei, & hoc convenientius fieri pateat in persona Verbi, quam in aliis; necesse est, Verbum, Deum, & hominem in unam convenire personam. *Ibid. c. 9*

Igitur sempiterna & summa essentia, quæ se sic ad humani generis inclinavit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat esse, non destitit. Quod enim Verbum caro factum est, non hoc significat quod in carnem sit Dei na- *Leo ser. 7 in Nat. Dom. c. 1 & 2.*

tura mutata, sed quod a Verbo in unitatem personæ sit caro suscepta, in cujus utique nomine homo totus accipitur.

Idem ser. 8 in nat. Domini non longe a prin.

Unde utrique naturæ in suis proprietatibus permanenti, tanta est unitas facta & communio, ut quidquid ibi est Dei, non sit ab humanitate disjunctum, quidquid autem est hominis, non sit a divinitate divisum.

Ber. ser. 3 in vig. nat. Dom. post med. Leo ser. 4 in nat. Dom. c. 2.

Verbum enim & anima, & caro in unam convenere personam, & hæc tria unum, & hoc unum tria sunt, non commixtione substantiæ, sed unitate personæ.

Et in hoc homo considera, quod cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum servili formæ ipse se Deus coaptavit. Quamvis enim ex una, eademque pietate sit, quidquid creaturæ Creator impendit; minus tamen mirum est hominem ad divina proficere, quam Deum ad humana descendere.

Idem ser. 2 de Passione Dom. c. 2.

Quis enim ab impietate ad justitiam, a miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi & justus ad impios, & beatus inclinaretur ad miseros?

Libet idcirco in hujusmodi consideratione aliquantulum immorari, eo quod tam ipsius obstupenda dignatio, qua nostrum sibi associavit jumentum, quam copiosa redemptio apud eum, qua humiliter crucis subivit tormentum, meditandi materiam ministrat abundanter. Nescio namque si ulla esse possit efficacior, ac suavior morum ædificatio, quam Verbi incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim hominem sic excitare potest ad amorem Dei, quam præveniens amor Dei, tamque vehemens ad hominem, ut homo propter hominem velit fieri? Quid autem nutrit ita amorem proximi, quam similitudo & natura proximi in humilitate Dei? Nam humilitatis exemplum nec cogitare posse majus aliquid existimo, quam exinanitionem Dei in formam servi, & servitutem, plusquam servi.

Guerricus.

Venit igitur Filius Dei de corde Patris, in uterum Virginis Matris. Venit a summo cœlo in inferiores partes terræ. O inæstimabilis dignatio & penitus inexcogitabilis, quod in carceris hujus horrorem, fœtoremque nostræ mortalitatis, tanta dignata est descendere celsitudo! Mira quærentis Dei dignatio, mira dignitas hominis sic quæsiti, in qua si gloriari voluerit, non erit insipiens: non quod aliquid esse videatur tamquam a semetipso, sed quod tanti fecerit eum.

Bern. ser. 1 in Adven. Dom. sparsim.

Leo ser. 1 in nat. Dom. circa fin.

Agnosce igitur ex his dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem utilitatem degeneri conversatione redire.

Bern. ubi sup. prox.

Omnes namque divitiæ, omnis gloria mundi, & quidquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam, immo nec aliquid in ejus comparatione.

Guerricus Igniacensis ser. 3 in nat. Dom. circa med.

Præterea non tam admiranda, quam etiam obstupenda intueor in hac gloria. Nam cum humanarum infirmitatum vel injuriarum, quas pro nobis pertulit divina dignatio, sicut tempore primam, sic humilitate fere maximam existimo, quod in utero concipi, in utero novem mensibus majestas illa incircumscripta passa est contineri. Ubi enim sic se exinanivit, ut quasi penitus a seipso defecisse visus sit. Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili majestas, quæ clausa latet, proditur. Nam in cruce visus est infirmus, ubi quod infirmum fuit ipsius, statim fortius apparuit omnibus hominibus, quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat Centurionem: quando horarius dolor passionis ejus non solum compati facit elementa creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æternorum passioni dolorum. In utero sic est, quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & Verbum æternum sub silentio se premit.

Exinanivit igitur semetipsum formam servi accipiens, & cum tota multitudine miserationum suarum de thalamo prosiliit virginali.

Dependet Deus ad ubera, ponitur

in præsepe, diligatur in cunis, pannis involvitur, & laxatis fasciolis felices manus & sancta brachia per cunarum parvitatem expandit. Nulla ibi domus ambitio ubi reclinatorium in stabulo, Mater in fœno, Filius in præsepio. Tale elegit mundi fabricator hospitium, hujusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro bysso in ornatu regio laciniæ congeruntur. Genitrix est obstetrix, & devota dilectæ soboli ipsa exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, jungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio, nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pedissequas substantia familiaris non patitur mancipiorum obsequia sumptus tenuis, & inops mensa excludit. Nullum domus arcta diversorium occupabat, nec secreti recessus erant illius casulæ incastraturam, tectum, & soli parietes per circuitum vestiebant. Nec ibi locus erat lavacris, quæ solent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ injuria Matrem Domini læserat, quæ sine tormento pepererat, quæ in conceptione caruit voluptate. Et quamvis in propria venerit, qui omnia continet, quidquid circa ipsum vel ipsius Genitricem impendabatur officii, non tantum pauperrimum extitit, sed etiam alienum.

Bernardus. Et de quo dicebatur, Quis Deus magnus sicut Deus noster? & magnitudinis ejus non est finis: jam non prædicatur magnus Dominus, & laudabilis nimis, sed parvus Dominus, & amabilis nimis. Alludit ut parvus, Virgini Matri arridet, & blandientes oculos in Mariam intorquet. Stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, & nativitatem pueri: & miratur, quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Et certe cum totus sit dulcedo, & sic subvenire nobis voluit, dulciorem cum mihi facit teneritudo membrorum. Dulcedo hæc incomparabilis, & pietas ineffabilis, ut Deum qui creavit me, videam puerum creatum propter me, Deusque majestatis & gloriæ non solum similis mihi fiat corporis veritate: sed etiam miserabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmæ. O duritia cordis mei!

Idem in Cant. serm. 64 circ. fin. Quid hoc faciat? Amor certe dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax. Quid amore violentius? Triumphat de Deo amor, quia semetipsum exinanivit, & scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est quod altitudo adæquata, quod singularitas associata est.

Bernard. Quid igitur ad hæc dormitat tua affectio, immo non dormitat, sed mortua est.

Guerricus ser. 3 de Nat. Dom. sparsim. Ut te lucrifaceret, ut me ad amorem suum traheret, omnem pulchritudinem divinitatis in hominem transfudit. Transfusum Deum in hominem dico, quia non ad mensuram datum homini video, nec de omni plenitudine sua penes Deum aliquid resedit, quod in hominem, cui unitus est, non effudit, dum omne, quod in divinitatis thesauro pietatis inventum fuit totum in utero Virginis aggestum. Ita enim Deus funditur, Deus amatus in hominem effusus est, quod tamquam a sua propria virtute sit exinanitus, dum videlicet in ea humilitate, qua tibi consulit, non solum Patre, sed etiam seipso factus sit inferior. Quæ vero major exinanitio in oculis videntium, quid efficacius ad Creatorem tuum reamandum, quam quod pro te splendor gloriæ, & figura paternæ substantiæ, formam præferat servilem, & in ipsa non habens speciem neque decorem? Qui enim quasi parum esset exinanitus si homo solum fieret, etiam humanæ carnis ita funditus in se formam & speciem vacuavit, sapientiam infatuavit, virtutem infirmavit, minuitque magnitudinem, ut & in nativitate minimum, & in passione se novissimum virorum hominibus exhiberet. Unde nec reputaverunt eum. Obstupesce ergo homo tanta pro te mirabilia, tanta beneficia pro te exhibita. Cogita quantum te diligat, qui tanta dignatus est facere pro te. Considera diligenter Dominum Sabaoth, qui cœlum & terram implet, jacentem in præ-

ſepio infantulum, imo cujus Majeſtati anguſta eſt omnis cœli latitudo, pannis involutum, & qui cœlis tonat, ſub cujus vocis tonitruo Angelicæ poteſtates ſubmittunt alas ſuas, vagientem; ut ipſius amoris ardore totus accenſus, ad tanta beneficia, tua uſque huc ingratitudo erubeſcat, quia ipſe tuam naturam divinæ voluit aſſociari in una perſona, numquam ab eo ſeparandam, ſignum amoris, ut ſic ſaltem eum amares, a quo te agnoſceres ſic amari.

Leo ſer. 4 in Epiph. Dom. c. 4

Pro his ſemper gratus eſto, indeſinenter gratias age. Et cave ne indignum videri velis, ut credatur Deus Dei Filius femineis ſe inſeruiſſe viſceribus & Majeſtatem ſuam huic contumeliæ ſubdidiſſe, ut naturæ carnis immixtus, in vero humanæ ſubſtantiæ corpore naſceretur: cum totum hoc opus non injuria ſit ipſius; ſed potentia, non credenda pollutio, ſed glorioſa dignatio. Si enim lux iſta viſibilis nullis immunditiis, quibus ſuperfuſa fuerit, violatur, nec radiorum ſolis nitorem, quem corpoream creaturam eſſe non dubium eſt, loca nulla ſordentia vel cœnoſa contaminant; quid illius ſupernæ, ſempiternæ, & incorporeæ lucis eſſentiam potuit, qualibet ſui qualitate polluere, quæ ſe ei, quam ad imaginem ſuam condidit ſociando creaturæ, purificationem præſtitit, maculam non recepit, & ſic ſanavit vulnera infirmitatis, ut nulla pateretur damna virtutis?

Guer. ſer. 3 de Nat. Domini non longe a pri.

Quam felix proinde, quam amabilis nativitas tua, puer Jeſu, quæ nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præjudicium ſolvit, chirographum damnatæ naturæ reſcindit; ut ſi quem piget damnabiliter eſſe natum, poſſit feliciſſime renaſci. *Et infra:* Vere tu puer miſericors, quem ſola miſericordia puerum fecit, licet pariter miſericordia & veritas in te obviaverunt ſibi. Vere, inquam, tu miſericors puer natus es nobis, non tibi: lucra noſtra, non augmenta tua naſcens de nobis quæſiſti, qui ad hoc ſolum naſci dignatus es, ut nos minoratione tua proveheres, humiliatione glorificares. Dulce certe, proinde dulce,

A & ſapidum cogitare, & recogitare puerum Deum, quin etiam efficax, & operatorium ad medendum ac dulcorandum, ſi qua in nobis eſt, peccatorum amaritudinem, pœnitentiæ auſteritatem. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit dulciſſimam? Et inter hæc conſiderata, ſemper recurro ad hoc quod dulcius ſapit, & familiarius adhæret, videlicet, quod ideo voluit in ſimilitudinem hominum fieri, ut hominibus eſſet amabilior. Similitudo enim ad amorem efficacius operatur. Ideo non me capio præ lætitia, quod illa Majeſtas naturam ſuam natura meæ carnis, & ſanguinis ſuperveſtit, & me miſerum in divitias gloriæ ſuæ non ad horam, ſed in ſempiternum includit: fit frater meus,

B Dominus meus, & timorem Domini fratris vincit affectus. Ideo Domine Jeſu libenter audio te regnantem in cœlis, ſed libentius naſcentem in terris. Hæc enim meditatio rapit affectum meum, & hujus memoria concaleſcit cor meum, viventis & vividæ potionis aſperitate purgatum. Erat utique Dominus meus inter Angelicos ordines, audiens hymnum gloriæ ſuæ admirabilis, illi mirabili creaturæ faciens mirabilia in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Ego autem in luto fæcis, & miſeriæ obvolutus, miſer & miſerabilis, & omnem ſpem egrediendi perdideram. Ille in glo-

C ria, ego in miſeria, admirabilis ille, ego miſerabilis. Sanctum, & terribile nomen ejus, quod vix audeat illud dignior nominare natura. Nomen illud clauſum & integrum, quomodo capere poteram, quod vix Angelicus oculus proſpicere, necdum perſpicere poteſt, ille, qui erat admirabilis agminibus Angelorum, inclina cœlos, & fit conſiliarius hominum. Majeſtativum nomen, in precativum effunditur, & qui mirabilis eſt in cœlis, conſulere venit in terris. Abſcondit purpuram ſub miſeriæ veſtimentis, & ad lutum ubi jacebam, inclinatur, non mergitur. Et ſi audeo dicere, infixus ſum in limo profundi. Operi manuum ſuarum porrigit dextram, de profundis

aqua-

aquarum extraxit, extractum abluit, A ablutum induit, indutum reparat, reparatum confirmat. Porrigit dexteram cum nascitur, cum loquitur extrahit, abluit cum moritur; induit cum resurgit, cum ascendit, reparat, confirmat cum Spiritum sanctum emittit de cœlis.

Ber. ser. 3 in vig. Nat. Dom. cir. med.

Et ut agnoscas plenius homo dignitatem tuam, agnoscas & gloriam conditionis tuæ vel humanæ; tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione carnis nostræ, ita mirabiliter singularia, & singulariter mirabilia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint super terram. Conjuncta sunt quippe adinvicem Deus & homo, Mater & Virgo, fides & cor huma- B num. Admirabiles istæ mixturæ, & omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa adinvicem potuerunt conjungi. *Et infra*: Huic limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus & medicina. Adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solum jam vitam habeant, sed & sentiant quinque partita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui jam non solum vivant, sentiant, sed & discernant inter commodum, & incommodum, inter bonum & malum, & C inter verum & falsum. Voluit quoque adhuc infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & contraxit se Majestas, ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret: miscerentque se invicem Deus & limus, Majestas, & infirmitas, tanta vilitas, & sublimitas tanta.

Aug. de spi. & ani. c. 44. & 3

Et vide, quod si mirabilis fuit conjunctio prima, videlicet inter animam & corpus, sed mirabilior fuit secunda inter Deum & limum, nec minus mirabilis erit & tertia, cum homo, Angelus, & Deus, unus erit spiritus. Confundatur ergo superbia hominum, & ad humilitatem Dei noverit de se humilia sapere lutum.

Ber. ser. 3 in vig. Nat. Dom. post med.

Nihil enim Deo sublimius, nihil vilius limo, & tamen tanta dignatione descendit Deus in limum, tantaque dignitate limus ascendit in Deum, ut quidquid fecit Deus, limus fecisse credatur, quidquid limus pertulit, Deus pertulisse dicatur, tam ineffabili, quam incomprehensibili sacramento. *Et infra*: Adverte ergo homo, quia limus es, & non sis superbus; quia Deo conjunctus es, & non sis ingratus.

Ber. super Can. ser. 12 ante med.

Verum quoniam bona, quæ largiri mortalibus non cessat misericos & miserator Dominus, recolere, & recolligere omnia omni homini impossibile est, id saltem quod præcipuum est maximum opus, videlicet redemptionis, a memoria tua aliquatenus non recedat.

Aug. ser. 1 in. feri a 2 post Dom. Pal. de temp. 120 post med. tom. 10

Agnosce igitur quantum valeas, & quantum debeas, & dum pretium tui cogitas, tibi vilis esse desinas.

** Faustinus Aug. ubi sup. prox.*

* Perspice homo quantum valeas, ut tandem, inquam, vilis tibi esse desinas, ut per hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris, ac Reparatoris dignitate metiris.

Reus namque eris, non parvi pretii, sed sanguinis Christi, qui violas, & maculas animam, Christi sanguine mundatam, & passione redemptam.

Leo ser. 1 in Nat. Dom. cir. fin.

Memento cujus sis capitis, & cujus corporis membrum. Reminiscere, quia morte Christi, erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum: quia pretium tuum sanguis est Christi, qui veritate te judicabit, qui misericordia te redemit.

Idem de passione Dom. ser. 13. c. 1

Miserendi enim nostri Deus causam, nisi in sua bonitate, non habuit. Mirabilior est secunda hominum generatio, quam prima conditio: quia plus est in novissimis sæculis reparasse Deum, quod perierat, quam a principio fecisse, quod non erat.

Ber. ser. 11. in Cant. cir. fin. sparsim.

Memento te, & si de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At vero per triginta tres annos, operatus est salutem

tem tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens carnis necessitates, & hostis tentationes. Quis vero inter cetera digna penset, quantum fuerit humilitatis, mansuetudinis, & dignationis, Dominum Majestatis indui carne, mulctari morte, turpari cruce? Numquid non valuit opus suum reparare absque ista difficultate? Valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitudinis ultra reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus & ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo gravamine auctoris, vel labore. Siquidem dixit & factus sum, quemadmodum universa. Quid magnum est, quamlibet magna, quod in verbi facilitate donaverit? Sic beneficium Creatoris attenuans humana impietas, ingratitudinis materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat; idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed luce clarius patet, quantum homo pro te factus dispendium fecit, de Domino servus, de Dei Filio, hominis Filius fieri non despexit.

Ber. de diligendo Deo ante med. Et qui te semel tantum & solum dicendo fecit, in reficiendo profecto multa & gessit mira, & pertulit dura: nec tantum dura, sed etiam indigna. Et ideo licet multum possit hominem incitare ad amandum Deum, quod ipse eum fecit, tamen multo amplius debet eum incitare, quod ipse eum refecit, quia non tam facile refectus, quam factus. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus, quæ tribuit mihi? In primo opere me mihi dedit, in secundo se, & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro se? Nam etiamsi me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? *Et paulo ante:* Quid igitur magnum tanto recompensator amori, si pulvis exiguus totum se ad reamandum collegerit, quem illa nimirum Majestas in amorem præveniens, tota in opus salutis ejus intenta conspicitur?

Ecce Domine, quia tu me fecisti, debeo me ipsum amori tuo totum: quia me redemisti, debeo meipsum amori tuo totum: quia tanta promittis, debeo meipsum amori tuo totum. Immo & tantum debeo, plus quam meipsum, quantum tu es major me, pro quo dedisti teipsum, & cui promittis teipsum. *Anselm. de med. redem. hum. c. 7*

Et hæc tria considero, in quibus tota spes mea consistit. In charitate adoptionis, veritate promissionis, & potestate redemptionis. Scio igitur cui credidi, & certus sum, quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, & quia potens in exhibitione. *Bern. ser. 3 in Dom. 6 post Pent. cir. fin.*

Cogita igitur quantum diligat te, qui tanta pertulit pro te, & tanta facere dignatus est propter te, & qui tanta tibi dare promittit. Primo namque pulcher factus fueras ejus munere, postmodum vero fœdus factus es tua iniquitate. Sed iterum mundatus es, & formosus factus es ejus pietate, operante tamen utrobique charitate. Olim cum non esses, dilexit te, ut conderet te; postea cum fœdus factus esses dilexit te, ut pulchrum faceret, & ut ostenderet tibi quantum te diligeret: non nisi moriendo a morte te liberare voluit, ut non tantum pietatis impenderet beneficium, verumetiam charitatis ostenderet affectum, immo & tam sincera charitate diligit, ac si semper cum eo perstitisses, nec exprobrat tibi reatum, nec improperat tibi beneficium. Et si deinceps cum eo fideliter perseverare, ipsumque ut decet, amare, & tuum illi amorem incontaminatum servare volueris, majora prioribus se daturum promittit. *Hugo de arrha animæ post med.*

Quia gemina dulcedo suavitatis exuberat in pectore Jesu, longanimitas videlicet in expectando, & in donando facilitas. Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis a contemnente, ut quandoque gratiam exhibeat remissionis in pœnitente. Non vult enim mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. De pœniten- *Ber. in Cant. ser. 9 circ. med.* *Ezec. 18 Ibidem.*

tendi, facilitate audi: Quacumque hora peccator ingemuerit, peccatum suum remittetur ei. Et David paucis comprehendit utrumque. Longanimis, inquit, & misericors.

Ps. 102

Et ideo misericors est, quod tardius videtur ei peccatori veniam dare, quam ipsi peccatori accipere. Sic enim festinat absolvere reum a tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciet eum passio miseri, quam ipsum miserum passio sua. Et ut hoc evidentius intelligas, attende.

Idem l. de interiori do. no. c. 37

Abieras siquidem & perieras, & quia in peccatis tuis venumdatus eras, ultra se continere non potuit. Venit igitur ille post te ut redimeret te, & tantum dilexit te, ut sanguinis sui pretium appenderet pro te, talique pacto, & reduxit de exilio, & redemit de servitio: Nulla ergo dilectio major, nullus amor sincerior, nulla charitas sanctior, nullus affectus ardentior. Mortuus est pro te innocens, nihil quod in te amaret inveniens. O cor induratum, cor plus quam lapideum, eo quod in morte amatoris tui, quam pro amore tuo sustinuit, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt. Cur non datum est mihi intelligere Deum Creatorem meum pro amore meo quasi infatuatum, & tamquam ad nihilum videre redactum?

Hugo ubi supra post med.

Quidnam invenisti in me Domine Deus, quod diligeres, & tantum diligeres, ut morereris pro me?

Hugo ib.

Quod tale in me invenisti, pro quo tanta & tam dura & dira sustinere voluisti? O bone Jesu, si mihi saperet etiam præter hæc, quam dulciter cum hominibus conversatus es, quam magna etiam abundanter eis largitus es, dura & aspera pro eis passus es, dura verba, duriora verbera, durissima & horrenda crucis tormenta. Flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, patibulo affixus, opprobriis saturatus, omnium tamen immemor dolorum, ait Pater ignosce illis. Expansis pro eis in cruce manibus, dedit risum malignantibus, & fletum fidelibus, factusque omnibus est derisui, qui solus potuit esse terrori. Quid igitur magis admirandum? quid amplius de-

Bernardus

Luc. 23

A testandum? quid gravius puniendum, quam, quod videns Dei Filium, summum in regno Angelorum, novissimum in regno hominum, apponit se magnificare homo super terram? Quid superbis terra & cinis?

Quarto enim se minorem fecit in humilitate, tanto se majorem ostendit in bonitate, & quanto pro te est vilior, tanto tibi debet esse carior.

Idem ser. 1. in Epiph. Dom. adie med.

Quæ major iniquitas, quam ut inde Creator a te contemnatur, unde plus amari merebatur? Attende amorem, quo se totum tibi impendit, nihil sibi retinens. Attende, & humilitatem qua servivit tibi, nihil sibi dominationis vendicans.

Bernardus

Primo omnia sua tibi dedit, deB hinc & seipsum exposuit utilitatibus tuis, non parcens sibi propter te, in jejuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame & siti, etiam in frigore & nuditate.

Nam omnes infirmitates nostras, quæ veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit: ut & famis ac sitis, somni & lassitudinis, mœroris ac fletus, affectionibus non careret, doloresque sævissimos usque ad mortis extrema pateretur. Ministerium vero suum implevit, humilians semetipsum, & obediens factus Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. Sed parum tibi forte videtur, quod cum esset Filius & C coæqualis, tamquam servus servit Patri, si non & servo suo, plusquam servus servivit. Factus quidem erat homo, ut Creatori serviret. Et quid justius, quam ut servias illi, a quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatius aut sublimius, quam servire illi, cui servire regnare est? Non serviam, inquit homo Creatori: ego igitur serviam tibi Creator hominum. Tu recumbe, ego ministrabo, ego tibi pedes lavabo. Tu quiesce, ego languores tuos feram, & infirmitates tuas portabo. Utere me ut libet in omni necessitate tua, non modo ut servo tuo, sed etiam ut jumento tuo, ut peculio tuo. Si fatigatus autem & oneratus es, ego te & onus tuum feram, ut legem meam primus impleam. O duritia cordis mei, ad

Leo ser. 14 de Pass. Domini c. 4

di-

dignationem tantam tam inopinatam! A O detestabilem superbiam hominis servire contemnentis. Dorsum etiam posuit ad flagella, & plagis vapulavit non paucis, nec parvis. Indicio sunt rivuli sanguinis, qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia, & tormento interrogatus fuit, veluti servus aut latro. Subditur quæstioni, qua confessio extorquebatur criminis. Numquam igitur recedet a memoria tua, tam debita miseratio, tam probata dilectio.

Anselmus. Scio namque Domine, quia licet multæ sint causæ, multæ sint rationes, quare te deberemus diligere, nulla tamen major, causa, nulla cogentior ratio, quam nostræ redemptionis modus. Debemus diligere te, B quia nos creasti, quia nutrivisti, quia pascis & vestis. Sed ideo maxime, quia redemisti nos tali modo, scilicet morte tua, & tali genere mortis, quod tunc temporis erat vilissimum genus mortis, quo puniebantur latrones, & qui magna scelera commiserant. Quanto enim abjectiora pro hominibus pati dignatus es, tanto magis ab hominibus honorari, & diligi dignus es. Quis enim tantæ duritiæ est & obstinationis, ut non possit animum suum inclinare ad te diligendum, qui tantum dilexisti nos, ut nos lavares a peccatis nostris in sanguine tuo? Quis est, qui non possit ferventius & diligentius & dulcius diligere, quando recordatur, quod in cruce brachia tua expandisti, desiderans nos amplecti, & recipere omnes, qui ad te confugere volunt?

Ber. in Cant. ser. 61. ante med. ibi. ser. 20 non longe a princ. In nullo vero clarius, quam vulneribus tuis eluxit, quod tu Domine suavis es, & mitis, & multæ misericordiæ.

Idcirco super omnia reddit te amabilem mihi, bone Jesu, calix quem bibisti, opus redemptionis nostræ: Hoc omnino amorem nostrum vendicat facile totum sibi. Hoc, inquam est, quod nostram devotionem, & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementius. Multum quidem laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. In dictis suis sustinuit contradictores, in factis observatores, in tormentis illusores & in morte exprobratores.

Idem in ser. de tri. duplici debito sparsim. Cum igitur devoveris quidquid es, quidquid potes, nonne sic est quasi stella ad solem, quasi lapillus ad montem, & quasi gutta ad fluvium? Si perpenderes, quam multa, & quam multis debeas, videres, quam nihil sit quod facis, quam nec etiam inter minima computandum, ad comparationem debitorum tuorum. Quod si nescieris & scire volueris, respice mentali oculo, quanto remunerationis debito astringaris Domino patienti.

Bernardus. Volve & revolve Dominicum corpus, a latere usque ad latus, a summo usque deorsum, & ubique invenies dolorem. Respice sudorem sanguineum, alaparum contumeliam, flagellorum instantiam, spineam coronam, sputi ludibria, crucis angariam, patibuli suspendium, oculos languentes, oris pallorem, fellita cibaria, acida pocula, caput inclinatum, geniculationes irrisorias, titulum famosum, vestimenti sortem, & geminatum, crucifige. Quid plura? Vilissimum mortis supplicium, & probra nefandissima. Vide Christum in cruce pendentem, capitis inclinationem ad osculum, brachiorum extensionem ad amplexum, lateris apertionem, & totius corporis confixio- C nem ad effectum. Considera Filium Virginis illitum sputis, lividum plagis, clavis confixum. Attende rectorem cœli stantem in cruce, pallidum in morte, & carne deformem. Ne pertranseas Dominum Angelorum, virum percussum a Deo & humiliatum virum quasi leprosum, & omnibus detrimentis expositum. Copiosa namque apud eum redemptio. Et *Ps. 129.* vere copiosa, quia per quinque partes de corpore ejus unda sanguinis emanavit, cum ad redemptionem totius orbis una pretiosissimi sanguinis sui gutta sufficeret. Sed ideo data est copiosa, ut virtus dilectionis in beneficii redundatione claresceret.

Idem ser. 3. in Nat. Dom. post med. Agnosce etiam, quam gravia sunt illa vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari. Si

hæc

hæc omnia non essent ad mortem, mortemque sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur.

Hugo. Hæc quanti valeant frequenter cogita, & in statera charitatis appende, & quidquid amoris impendendum habes, illi repende. Inspice diligenter vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis.

Bern. ubi supr. prox. Et quia Filius Dei occidi jubetur, ut pretiosi sanguinis sui balsamo vulneribus tuis mederetur; numquam a corde tuo recedat, quatenus toto tibi figatur in corde, qui pro te totus fixus est in cruce.

In qua Christi fixione tria diligenter considera, ut illi arctius per amorem adhæreas, triplicem videlicet vilitatem, triplicem asperitatem, & triplicem paupertatem. Prima vilitas fuit alaparum, & colaphorum & arundinis percussio, tamquam in ribaldum. Secunda fuit major, scilicet tamquam in buffonem, vel aliquod sordidum aut fœtens sputi exscreatio. Tertia fuit maxima, videlicet inter latrones matris turpissimæ condemnatio. De triplici autem asperitate vide diligenter. Prima asperitas fuit spinarum per medium cutis capitis, ad modum coronæ crudelis infixio. Secunda major, totius videlicet corporis usque ad sanguinis effusionem ligati & non potentis ire quo vellet, crudelior flagellatio. Tertia vero & maxima, omnium membrorum in cruce violentissima distensio, maxime cum talem distensionem comitata fuerit manuum, & pedum crudelissima transfixio. Nam si ad se membra traheret, propria vulnera in loco sensibilissimo, ut ita dicam, propter nervorum sensibilium concursum & causam mortis augmentaret: si autem distenta permitteret, dolorem ex distensione, vel quasi dissociationem omnium juncturarum sentiret. Nam non sunt veriti, membra ejus intantum distendere, ut omnia ossa ejus possent dinumerari. De paupertate vero considera. Prima paupertas fuit, quod tantum non habebat, quod in propria domo suum caput reclinare posset. Secunda vero major juxta crucem, quod vestes non habebat, quibus membra tegere posset. Tertia autem maxima, quod nec spatium pedis voluit in terra habere, unde in aera ascendit, quando in cruce pro te pendere voluit.

Tamen in his omnibus non est divina natura humiliata, sed humana est exaltata: nec est imminuta, sed ista est misericorditer adjuta. Nec humana natura in illo homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate: nec ulla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi Pater, ut moreretur, cogens præcepit: sed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Nec eum ad hoc Pater potuit cogere, quod ab eo exigere non debuit. Sic itaque Patri obedientiam liberam exhibuit, cui hoc placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique quando Pater hanc bonam illi voluntatem, quamvis liberam dedit, non immerito dicitur, quia eam velut præceptum Patri accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri usque ad mortem; & sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit, & calicem, quem dedit illi Pater, bibit. Hæc est enim perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit, & cum acceptam bonam voluntatem sine omni exactione, spontanea libertate opere perficit. Sic homo ille redemit omnes alios, cum hoc, quod sponte dedit Deo, computat pro debito, quod illi debeant. Quo pretio non semel tantum a culpis homo redimitur, sed etiam, quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur: quæ tamen pœnitentia peccanti non promittitur. Lætare igitur pro libertate tua, & esto semper gratus illi, qui sic gratis sua morte ad vitam te restauravit. Sed o tu Domine, tu qui ut ego viverem mortem suscepisti, quomodo lætabor de libertate mea, quæ non est nisi de vinculis tuis? Qualiter gratulabor

Anselm. de meditatione redem. humanæ c. 3 4 5 & 6

Joan. 14

Joan. 18

de salute mea; cum non sit nisi de doloribus tuis? Quomodo gaudebo de vita mea, quæ non est nisi de morte tua? An gaudebo de his, quæ passus es, & de crudelitate illorum, qui ea tibi fecerunt? quoniam nisi illi fecissent, tu passus non esses: & si tu passus non esses, hæc mea bona non essent. Sed certe illorum nequitia nihil facere potuit, nisi quod tu sponte permisisti, nec tu passus es, nisi quia tu pie voluisti. Ergo tu peccator redemptus, illorum crudelitatem dimitte Dei judicio, & tracta de his, quæ debes Salvatori tuo. Intuere necessitatem tuam & bonitatem ejus, & vide quas gratias reddas, & quantum debeas amori ejus.

Hugo de arrha animæ post med. O si attenderes quot & quales in comparatione tui abjecti sunt, qui hanc, quæ tibi data est, gratiam per mortem videlicet Filii Dei consequi non potuerunt. Certe audisti ab initio usque ad hanc diem, quam multæ generationes hominum perierunt, quæ etiam omnes sine cognitione Dei, & pretio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Omnibus illis Redemptor & amator tuus te prætulit, quando tibi hanc gratiam largitus est, quam nullus hominum percipere meruit. Et quid dices? Quare putas quod prælatus es omnibus illis? Numquid tu fortior illis? numquid tu sapientior? numquid nobilior? numquid ditior omnibus illis fuisti? quia hanc præ omnibus illis specialem gratiam sortiri meruisti? Quot fortes, quot sapientes, quot nobiles, quot divites ibi fuerunt, & tamen universi relicti, & abjecti perierunt. Tu solus præ omnibus illis assumptus es, & quare hoc in te factum sit, nullam præter gratuitam Salvatoris tui charitatem causam invenire poteris. Elegit ergo, & præelegit te in omnibus, & assumpsit te ex omnibus & amavit te præ omnibus: Nomine suo vocavit te, ut memoriale ejus semper esset apud te, voluit te participem esse in nomine, participem esse in nominis veritate, quoniam unxit te illo quo & ipse erat unctus oleo lætitiæ, ut ab uncto sis unctus, qui a Christo diceris Christianus.

Adhuc diligentius ac plenius attende, quanta tibi contulit hic amator tuus, ut in omni statu, omni tempore, ipsius beneficia, atque circa te solicitudinem recognascas.

Semper cogita quantam tecum misericordiam fecit, & in hoc perpende quantum ab ipso diligeris, quod ejus beneficium numquam tibi defuisse cognoscis. *Ibid. iterum post med.*

Non enim tibi inter cætera parvum æstimandum est beneficium, quod bene utens malo parentum tuorum, creavit te de carne illorum, & inspiravit in te spiraculum vitæ, discernens te ab illis, qui vel abortivi projecti sunt ab utero, vel qui inter materna viscera suffocati pene videntur concepti non vitæ. *Et infra:* Quid etiam quod integra tibi, & sana membra creavit, ne esses parentibus tuis dolori, & opprobrio alienis? Magnum certe, & hoc. Sed considera illud, quam fuerit inæstimabilis bonitatis, quod eo tempore, & inter tales nasci voluit, per quos ad fidem suam, & sacramenta pervenires. Unde innumerabilibus millibus hominum hoc negatum, quod tibi gratularis esse concessum, cum quibus tecum, cum una esset, eademque conditio, illi derelicti per justitiam, tu vero vocatus es per gratiam. Procede & adhuc intuendo munus ejus fuisse, quod educatus a parentibus fuisti, quod te flamma non læsit, quod non absorbuit aqua, quod non vexatus a dæmone, quod non percussus a bestiis, quod præcipitio non necatus, quod usque ad congruam ætatem in ejus fide & tuitione nutritus. *Aug. lib. de diligendo Deo c. 11. 9*

Hugo ibid. ubi supra prox. Ecce natus es, fons baptismi tibi positus est, & lavacrum regenerationis, in quo sordes præteritorum criminum abluis. Deinde chrisma & oleum, in cujus unctione Spiritu sancto liniris. Post hæc delibutus & inunctione profusus ad mensam venis, & percipis ibi alimentum corporis & sanguinis Christi, quo interius saginatus & refectus, noxiam illam præteritorum jejuniorum maciem depellis, & pristina pulchritudine atque fortitudine reparatus, rursus quodammo-

modo juvenescis. Deinde vestimenta bonorum operum induis, & cum jejuniis, cum vigiliis, aliisque operibus misericordiæ, vel pietatis, quasi vario ornatu decoraris. Ad ultimum sequuntur aromata virtutum, quorum odor suave spirans, omnem illum antiquorum sordium fœtorem fugat, ita ut quodammodo tibi totus mutari, & in alium transformari videaris, & magis lætus, magis alacris, magis sospes efficiaris. Datur etiam tibi speculum sancta Scriptura, ut ibi videas faciem tuam, ut neque minus neque aliter quam deceat, habeat compositio ornatus tui. Quid dicis igitur homo? Scis utrumne aliquid horum perceperis? Certe in fonte ablutus fuisti, certe chrismatis unctionem percepisti, certe de mensa Christi pretiosum cibum comedisti, sed forte iterum pollutus es, habes lacrymas, quibus te iterum abluas. Iterum unctio emarcuit in te, per piam & bonam devotionem iterum te ungas. Vide quam pia tibi dispensatione, ubique concurritur. Non habuisti, & datum est tibi; perdidisti & restauratur tibi; nusquam derelinqueris, ut scias quantum ille te diligat, a quo amaris. Non vult te perdere, & ideo tanta patientia te expectat, & concedit pie, negligenter toties amissa, iterum atque iterum si tu volueris reparare. O quot jam perierunt, qui ista tecum acceperunt, sed amissa iterum recipere non meruerunt. Plus ergo omnibus dilectus es, quia tam benigne amissum redditur, quod illis perditum tam districte negabatur. Numquid tibi gratia bene operandi nulla data est? Tamen voluntas bona ipso largiente negata non est. Si magna opera facis, misericorditer sublimaris: si non facis magna opera, fortassis salubriter humiliaris. Melius novit ille, quid tibi expediat, quam tu: & ob hoc si vis de illo bene sentire, totum quod ab illo tibi fit, bene fieri intellige. Forte gratiam virtutum non habes, sed dum vitiorum impulsu concuteris, melius in humilitate solidaris. Suavius redolet Deo humilitas infirma, quam virtus elata. Nihil ergo dispositioni ejus

A præjudicare audeas, sed semper cum timore & reverentia ora eum, ut quemadmodum ipse novit, tibi subveniat, si qua adhuc in te mala permanserint, pie diluat, si qua inchoata sunt bona, benigne perficiat, & ea, qua ipse voluerit via te ad se perducat. Quid tibi amplius dicam? Est ne aliquid adhuc, quod dicere possim ad ostendendam dilectionem? Tibi loquor peccator. Quid dices? Si tua dicis, aliena non poteris. Si aliena & tua, non tamen omnia. Quis enim omnia dicere potest? Et tamen scimus, quia omnium origo est charitas. Ecce duo nati sunt, eadem utrisque nobilitas generis, eadem hora nativitatis. Alter in paupertate relinquitur, alter divitiis sublimatur, & utrumque charitas operatur: quia & hunc paupertate humiliat, & illum abundantia consolatur. Iste debilis est, & ille fortis. Iste tenetur ne malum perficiat; ille roboratur ut ad bonum opus convalescat: utrumque charitas probat, nec reprobat. Alter per sapientiam illuminatur, alter in simplicitate sensus sui relinquitur. Iste ut seipsum despicere, ille ut Creatorem suum studeat agnoscere: utrique tamen voluit charitas adesse. Talis est amor Dei in nobis ne quidquam omnino humana infirmitas toleret, quod ipse quantum in bonitate sua est, ad bonum nostrum non disponat. *Et infra*: Anima adverte igitur, sicut superius memoravi, & vide, quod merito amor iste singularis Dei, qui cum se in multos diffundat, ita tamen unice singulos amplexatur. Vere pulchrum & mirificum bonum, quod commune est omnium, & totum singulorum, cunctis præsidens, singulos implens, ubique præsens, omnium curam gerens, & tamen singulis quasi omnibus providens. Sic certe mihi videtur, cum ejus miserationes circa me attendo, quod, si fas est dicere, quodammodo nihil aliud faciat Deus, nisi ut saluti meæ provideat, & ita totum ad custodiam meam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit. Semper præsentem se exhibet, semper paratum se offert, quocum-

cumque vertero me non deserit, ubi- A cumque fuero non recedit, quidquid egero pariter assistit. Et quod tandem cunctis actionibus, sive cogitationibus meis perpetuis sit inspector, & quantum ad bonitatem suam pertinet individuus cooperator assistit, ipso operis sui effectu patenter ostendit. Ex quo constat, sicut præmisit, quod licet facies ejus a nobis non possit videri, numquam tamen possit præsentia ejus evitari. *Et paulo ante hæc*: Confiteor igitur tibi miserationes tuas, Domine Deus meus, quia non dereliquisti me. Quid retribuam tibi, pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Vis ut diligam te? Et B quomodo diligam te? Et quantum diligam te? Et quis sum ego, ut diligam te? Quid faciemus Domino Deo nostro, a quo tot & tanta bona suscepimus? Neque enim contentus fuit ea, quæ & ceteris, bona nobis tribuere; sed in malis quoque nostris eum singularem dilectorem agnoscimus, ut eum tam de bonis, quam de malis nostris omnibus singulariter diligamus. Tu dedisti mihi Domine, ut te cognoscam, & ut præ ceteris multis de tuis secretis revelata intelligam. Alios coætaneos meos in tenebris ignorantiæ dereliquisti, & mihi præ illis lumen sapientiæ tuæ infudisti. Tu dedisti mihi verius cognoscere te, purius diligere te, sincerius credere in te, ardentius sequi te. Tu dedisti sensum capacem, intellectum facilem, memoriam tenacem, linguam disertam, sermonem gratum, doctrinam laudabilem, efficaciam in opere, gratiam in conversatione, profectum in studiis, effectum in conceptis, solamen in adversis, cautelam in prosperis, fortitudinem in adversis, & quocumque vertebam me, ubique gratia tua & misericordia præcessit me. Et sæpe cum mihi videbar consumptus, subito liberasti me.

Quando errabam, reduxisti me; quando ignorabam, docuisti me; quando peccabam, corripuisti me; quando contristabar, consolatus es me; quando desperabam, confortasti me; quando cecidi, erexisti me; quando steti, retinuisti me; quando ivi, duxisti me; quando veni, suscepisti me. Hæc omnia & multa alia fecisti mihi Domine Deus meus, de quibus mihi dulce erit semper cogitare, semper loqui, semper gratias agere, ut te laudem, & amem pro omnibus beneficiis tuis Domine Deus meus. Amen.

Aug. l. de dilig. Deo c. 9 t. 9 & l. Solil. c. 12 et l. & l. de spi. & ani. c. 17 t. 3

S. BO-

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS.

EXPOSITIONIS IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

PROLOGUS.

Sap. 6 DILIGITE *lumen sapientiæ omnes, qui præestis populis*. Quoniam eodem habet res formari, & deformata reformari; & omnia leguntur per sapientiam esse facta, *Ps. 103* *Aug. l. de Spir. & an. in prin. c. 6. t. 3* secundum illud Psalmi, Omnia in sapientia fecisti; necesse est omnia per sapientiam reformari. Imago ergo rationalis animæ, quæ ad totius sapientiæ similitudinem legitur esse facta: per peccatum vero postmodum *Matt. 22* deformata in tantum, ut merito possit quæri: Cujus est imago, hæc & superscriptio? per sapientiam est necessario reformanda. *Animæ reformationi duo sunt necessaria.* Item, quia ad ejus reformationem duo sunt necessaria, scilicet malitiæ expulsio, & perfecti boni introductio, ut eo informetur, & ei, cujus est imago expresse conformetur, sapientia autem est malitiæ expulsiva, unde: *Sap. 7* Sapientia vincit malitiam. Item perfecti boni introductiva: quia sapientia est, in qua perfecti boni forma *Hug. l. 1 Didascha. c. 2* consistit, ut dicit Hugo. Et quoniam imago divina per peccatum in anima deformata, reformatione indiget secundum omnes suas tres partes, quæ secundum Augustinum *Aug. l. de Spir. & an. c. 35. t. 3* sunt, intelligentia, memoria, & voluntas: idcirco Sapiens ad sapientiam tripliciter allicit, & invitat, scilicet ad sapientiæ studiosam acquisitionem, & hoc quantum ad intelligentiam: ad acquisitæ sapientiæ firmam retentionem, & hoc quantum ad memoriam: ad acquisitæ sapientiæ, & memoriter retentæ dilectionem: & hoc quantum ad voluntatem. Ad sapientiæ studiosam ac-

A quisitionem: Stude sapientiæ, fili mi. Filium vocat, quemcumque *Prov. 27* paterna affectione informat, sive sit juvenis, sive senex. August. Ad discendum, quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest. Quia si senes magis docere deceat, quam doceri: magis tamen decet eos discere, quam quid doceatur, ignorare. Stude, inquit, in hoc innuens vehementem debere esse diligentiam circa acquisitionem sapientiæ adhibendam: studium enim ut ait Tullius, *Cic. l. 1 de Invent.* est vehemes applicatio animi cum summa voluptate ad aliquid agendum. Hæc autem vehemens applicatio requirit vacationem ab B exterioribus occupationibus. Imperitus enim efficitur ad singula, qui confusa mente dividitur ad multa, ut dicit Gregorius. Propter quod: Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, *Eccl. 38* id est, vacationis ab opere exteriori: qui enim minoratur actu, scilicet exteriori, percipiet sapientiam, ut dicitur in eodem.

Ad sapientiæ firmam retentionem: *Eccl. 14* Beatus vir, qui in sapientia morabitur. *Prov. 3* Item Describe eam in tabulis cordis tui, id est, in tribus partibus Dominicæ imaginis, & specia- C liter in memoria, eam firmiter retinendo. Propter quod dicit: Describe, quod enim scribitur, firmius & diutius retinetur. Ecce descripsi *Prov. 22* eam tibi tripliciter, id est, in intelligentia per studiosam acquisitionem: in memoria per firmam retentionem: in voluntate per dilectionem. Ad quod monet in verbis propositis, dicens: *Diligite lumen sapientiæ*, &c. *Sap. 6*

In quibus nobis quatuor causæ

hujus operis innuuntur, scilicet causa efficiens, ex persona, quæ loquitur, dicens: *Diligite*: formalis, id est, modus agendi per lumen, innuitur: materialis, nomine sapientiæ exprimitur: finalis ex ordine, seu comparatione loquentis ad personam, ad quam sermo dirigitur, intelligi potest, cum dicitur: *Omnes, qui præestis populis*. De primo notandum, quod triplex est causa efficiens hujus libri: Prima per modum inspirantis, scilicet Deus: unde: Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam. Item. Omnis sapientia a Domino Deo est: sicut, videlicet omnis essentia ab ejus essentia, & ab ejus veritate omnis veritas, & ab ejus bonitate omnis bonitas. Primum enim in unoquoque genere eorum, quæ post ipsum sunt, causa est: & omne perfectum a perfecto causatur, secundum Boetium. Secunda causa efficiens per modum invenientis est ipse Salomon: unde in Ecclesiastica Historia omnis antiquorum chorus librum, qui sapientia intitulatur, Salomonis esse dixerunt. Unde liber ipse, Sapientia Salomonis inscribitur: & more Ecclesiastico, lectionibus, de hoc libro, sumptis; præmittitur: Dixit Salomon filiis Israel, quia de ejus sententiis liber iste compilatus fuit. Proxima causa efficiens, per modum compilantis, fuit Philo sapientissimus Judæorum; qui temporibus Apostolorum fuit, ut refert Ecclesiastica Historia; qui ab amore sapientiæ non immerito est Philo appellatus. Rabanus etiam librum istum potius asserit non a Salomone, ut putatur, sed a Philone sapientissimo Judæo fuisse conscriptum, id est, compilatum.

Causa efficiens hujus libri triplex.

Job. 32

Eccl. 1

Aristot. 2. Meta. tex. 32

Euseb. l. 2 Ecc hist. c. 5 & Nice. l. 2 c. 9

Causa autem formalis, id est, modus agendi, ut dictum est, per *Lumen*, innuitur; quia sicut lumen habet radicalis suæ originis occultationem, in egressu claram manifestationem, in fluxu continuationem, sic & iste liber Sapientiæ habet in sententiis profundam difficultatem, & originis occultationem, secundum illud; Trahitur sapientia de occultis. In sermonibus claram manifestationem; Clara est, & quæ numquam marcescit sapientia. Clara, inquam, per eloquentiæ venustatem; stylus enim hujus libri, secundum Hieronymum, Græcam redolet eloquentiam. In processu rationum consequentiam, & ordinatam continuationem. Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, continue fluendo, non stillando: & consilium illius, sicut fons vitæ, permanet.

Causa formalis libri

Job 28

Sap. 6

Hieron. in prologo in lib. Sap. Eccl. 21

Causa vero materialis nomine *Sapientiæ*, exprimitur. Sapientia autem secundum Augustinum, est divinarum rerum cognitio: res autem divinæ sunt Dei potentia, sapientia, & bonitas: de quibus agitur in hoc libro; quamvis principalius de Sapientia intendatur. Potentiam Dei notificat in punitione rebellium, ut patet 1. 2. 3. 4. 5. capitulis. Sapientiam in illuminatione humilium, ut patet 6. 7. 8. capitulis. Bonitatem in collatione beneficiorum, quantum ad utrosque ut patet a 10 c. & inde. Agitur autem hic non tantum de sapientia increata, ejus laudibus insistendo: sed etiam de creata; ejus utilitates ostendendo: unde infra, scilicet post præmissa verba thematis, subditur: *Quid autem* id est, qualis, *est sapientia* scilicet increata: *Et quemadmodum facta sit*, scilicet creata. *Referam*, &c. Quamvis illud totum possit intelligi de sapientia, tamquam de subjecto.

Causa materialis libri:

Aug. l. 14 de Trin. c. 1

Sap. 6

Causa finalis intelligi potest ex ordine personæ loquentis ad illos, ad quos dirigitur sermo: qui tanguntur, ibi; *Omnes qui præestis populis* Sicut enim est in illuminationibus Angelicis, quod divinæ lucis radium secundum B. Dionysium, primo recipiunt Angeli de prima Hierarchia: secundo illi de media: ultimo illi de postrema. Lex enim ut ipse dicit, divinitus promulgata est, per prima media, & per media postrema reducere. Unde in Psalmo: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: id est, superioribus Angelis inferiores. Sicut enim videmus in illuminationibus corporeis: quia primo derivatur solis illuminatio ad loca superiora, & cælo vicinio-

Causa finalis libri.

Dion. de cælest. hier. c. 10

Ps. 75

niora, deinde in media; ultimo in postrema: Sol enim tripliciter exurens montes, radios exsufflat, scilicet in valles. Sic etiam debet esse in illuminationibus humanis, ut primo in supremos, id est, in Prælatos, deinde in medios, id est, eorum ministros, tertio in postremos, id est, eorum subditos lumen sapientiæ diffundatur, secundum illud Psalmi: Suscipiant montes pacem populo. Hic enim est processus sapientiæ: si quidem attingit a fine, scilicet supremo usque ad finem ultimum, & disponit omnia, scilicet media suaviter. Propter hoc dicebat Plato, beatas, vel bonas fore Respublicas, si eas sapientes regerent, aut earum rectores sapientiæ studerent, sicut ait Boetius. Secundum enim judicem populi, sic ministri ejus: & qualis rector civitatis: & inhabitantes in ea. Ubi tangit tres ordines, scilicet judicum, ministrorum, & subditorum propter prædicta. Auctor iste primo, & principaliter intendit diffundere lumen sapientiæ in loca excelsa, id est, in superiores, & per eos in inferiores. Unde patet, causam finalem hujus doctrinæ esse exhortationem, seu provocationem Principum, Prælatorum, & per consequens omnium ad studium, & amorem sapientiæ.

Eccl. 43
Ps. 71
Sap. 8
Plato l. 5 de Rep. bonae post med.
Eccl. 10

EXPOSITIO IN PRÆFATIONEM S. HIERONYMI

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

Liber Sapientiæ, &c. Hic est prologus quem præmittit Hieronymus, libro Sapientiæ: & primo ostendit hujus libri originem, dicens: *Liber Sapientiæ apud Hebræos nusquam est. Unde & ipse stylus*, id est ipsum dictamen, quia tam elegans est? *Magis Græcam eloquentiam redolet*, id est, sapit: *Quam Hebræam*. Græci enim sunt magis eloquentes, & in sententiis profundiores, quam Hebræi. Unde cum liber iste habeat elegantissimum stylum, & maximam profunditatem sententiarum, patet ipsum potius in lingua Græca, quam Hebræa fuisse traditum. Secundo nominat ejus Auctorem dicens: *Hunc*, scilicet librum Sapientiæ: *Judæi Philonis esse*, scilicet tamquam compilatoris: sed Salomonis esse tamquam inventoris, ut dictum est. Hic Philo, licet esset Judæus, fuit tamen in Græca lingua peritus. De ipso dicit Hieronymus in libro de Viris illustribus, quod fuit Judæus, natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum. Tertio assignat tituli rationem, dicens: *Qui liber*, scilicet Sapientiæ, *proinde Sapientia nominatur: quia in eo adventus CHRISTI, qui est sapientia patris, & passio evidenter*, id est, diligenter, *exprimitur*, &c.

Hieron. in l. de viris illustribus

LIBRI SAPIENTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

DILIGITE justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes: quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, & non liberabit maledicum a labiis suis quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ ejus auditor: Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditor ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non absconditur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminii, nec infernorum regnum in terra. Justitia enim perpetua est, & immortalis: injustitia autem mortis est acquisitio: impii autem manibus, & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam morte digni sunt, qui sunt ex parte illius.

EXPOSITIO IN CAP. I.

QUoniam, sicut dictum est, Principes, & Prælati, & per consequens omnes provocantur in hoc libro ad studium, & amorem sapientiæ: cumque sapientia sine observantia justitiæ haberi non possit: *in malevolam enim animam non introivit sapientia*, &c. infra hoc eodem capite. Et: Fili, concupiscens sapientiam, serva justitiam. Ideo, secundum Glossam, primo hortatur ad justitiam scilicet usque ad 6. cap. secundo, ad sapientiam, scilicet a cap. 6. usque in finem. In prima parte primo facit tria, secundum tres partes justitiæ generalis: primo enim agit de justitia hominis, Eccl. 1

A quoad Deum cap. 1. Secundo, de justitia, quoad proximum c. 2. & 3. Tertio de justitia hominis, quod seipsum cap. 4. & 5. In prima ergo excitat ad justitiam cordis: secundo, oris: *Benignus est*: Tertio, operis: *Nolite zelare*. In prima primo ponit exhortationem ad justitiæ bonum: Secundo, utilitatem acquiescentium. *Quoniam invenitur*: Tertio, detrimentum contemnentium. *Perversæ enim cogitationes*. In prima primo, quantum ad rectam affectionem, dicens: *Diligite justitiam*: Secundo quantum ad rectam æstimationem: *Sentite de Domino*: Tertio, quantum ad rectam æstimationem: *& in simplicitate*.

Dicit ergo: *Diligite*, & cætera. Glossa, non solum facite: non enim est

est meritorium opus justitiæ, non fiat
Greg. hom. 2 in Evan. ex amore justitiæ. Gregorius: Non
habet aliquid viriditatis ramus boni
operis, nisi manserit in radice charitatis. *Justitiam*, scilicet increatam,
quæ est rectitudo divinæ voluntatis:
& creatam, quæ est rectitudo humanæ, secundum Anselmum. *Diligite*,
Ps. 10 inquam, justitiam, ut Deo conformemini: quia justus Dominus, &
justitias dilexit: item ut spirituali
lætitia impleamini, secundum illud
Ps. 44 Psalmi: Dilexisti justitiam, & cætera, propterea benedixit te Deus,
Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Item, ut beatificemini, se-
Matt. 5 cundum illud: Beati, qui esuriunt,
& sitiunt justitiam.

Qui judicatis terram, specialiter vos
B Prælati, qui iudicatis terram judicio
publico: *Terram*, subjectæ plebis.
Glossa: quibus data est potestas judicandi: subjectæ, inquam, merito
peccati. Dicit enim Gregorius: Ubi
Greg. in past. part. 2 c. 6 non delinquimus, ibi pares sumus.
Et ideo bene dicit: *Terram*, id est,
1 Cor. 2 terrena diligentes: non cœlestes, quia
opus non est. Spiritualis enim homo
dijudicat omnia, scilicet in spe: &
a nemine judicatur, id est, judicari
debet: sed bestiales, secundum Glossam super illud: Bestias terræ, id
Gen. 1 est, bestialiter viventes. Item vos omnes generaliter, qui judicatis judicio privato, *Terram*, proprii corpo-
Rom. 12 ris. Glossa, id est, qui corpus discrete reprimitis, ita quod rationale
C sit obsequium vestrum.

Notandum autem, quod legitur
esse quadruplex terra, scilicet terra
Ps. 26 superior: terra, inquam, viventium
de qua in Psalmo: Credo videre bona Domini in terra viventium. In-
Ezech. 32 ferior terra, scilicet mortuorum. Ecce deductus es cum lignis voluptatis
ad terram ultimam. Exterior etiam
terra, scilicet morientium, scilicet
Apoc. 8 præsens mundus: Væ, *væ*, væ habitantibus in terra, id est, in mundo. Interior terra, scilicet mortis,
id est, corpus mortale, & terrenum:
Eccl. 10 Quid superbis terra, & cinis: Prima terra non subjacet nostro judicio, quia non est in potestate nostra: & ideo bene dictum est Petro:
Matt. 16 Quodcumque ligaveris super terram:

A non, super cœlum. Secunda jam judicata est, nec potest pœnitere: Qui Joan. 3
non credit, jam judicatus est. Tertia judicanda est judicio justitiæ, secundum illud Psalmi: Recte judica- Ps. 57
te filii hominum. Quarta judicanda
est judicio disciplinæ discretæ, secundum illud: Cibaria, & virga: & o- Eccl. 33
nus asino: panis, & disciplina: &
opus servo, id est, corpori, quod
spiritui servire cogendum est exemplo B. Martini, qui artus, febre fatiscentes, spiritui servire cogebat:
item exemplo Pauli, dicentis: Ca- 1 Cor. 9
stigo corpus meum, & in servitutem:
in qua scilicet erat in statu innocentiæ, redigo per virtutem, & opera
pœnitentiæ. Prædicto servo debetur
sustentatio panis, ne deficiat: virga
disciplinæ, ne lasciviat, & occupatio sancti operis, ne torpeat. *Sentite*,
scilicet recte æstimando. *De Domino* Scriptura sacra pie legenda, & intelligenda.
in bonitate, id est, bene, non male, ut hæretici. Monet autem ad
bene sentiendum, & sensu exteriori
pie divinas scripturas legendo: &
sensu interiori pie intelligendo. Unde Glossa: Scripturam pie legite, &
intelligite: pie scilicet; devote approbando, & exequendo, quod intelligitis: & non redarguendo, vel
condemnando, quod non intelligitis. *Et in simplicitate cordis quærite
illum*, ad ipsum, scilicet totam cordis intentionem dirigendo. Unde
Glossa: Voluntati ejus vos subiicite.
Quod non faciunt hypocritæ, & ideo
inconstantes sunt, secundum illud
Jacobi: Vir duplex animo inconstans Jac. 1
est omnibus viis suis: & propter
hoc, væ eis secundum illud Væ duplici corde. Cor duplex est, quando Eccl. 2
partes ejus ad diversa feruntur principaliter, quod est occasio mortis spiritualis, secundum illud: Divisum Osee. 10
est cor eorum, nunc interibunt. Simplex autem est cor, quando omnes
partes ejus ad unum simplicissimum
feruntur, scilicet ad Deum, secundum illud Ecclesiastici. Congrega
cor tuum in sanctitate. *In simplicitate cordis*, id est, in simplici unitate Eccl. 30
cordis. Hanc unitatem faciunt, fides in rationali secundum: illud:
Unus Dominus, una fides, &c. charitas in concupiscibli: Qui adhæret Ephes. 4 1. Cor. 6 Ephes. 4

Domino, unus spiritus est: pax in irascibili: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Prima unitas prohibet divisionem errorum in intellectu; secunda desideriorum in affectu: tertia schismatum in effectu. Et bene dixi; in simplicitate, &c. *Quoniam invenitur*, in præsenti per gratiam, secundum illud Cantici;
Cant. 3 Inveni, quem diligit anima mea; *Ab iis*, *qui non tentant illum*, ad exterius prætendendo, ad interius intendendo; sicut Scribæ, & Pharisæi Christum tentantes, & hoc dicit contra hypocrisim, & duplicitatem.
Matt. 22 Quid me tentatis hypocritæ? *Apparet autem*, scilicet in futuro per gloriam;
Joan. 3 Cum apparuerit, similes ei
Coloss. 3 erimus. Cum autem Christus apparuerit, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria; *His, qui fidem habent in illum*. Hoc dicit contra hæresim, & infidelitatem. Et nota, quod dicit; *In illum*: quia non sufficit credere illiusmodi illum, sed credere in illum, quod est actus fidei for-
Aug. tract. 29 In Jo. prope fi. t. 9 matæ secundum Augustinum. Vel, invenitur propter devotionem affectus, apparet per contemplationem
Ps. 33 intellectus. Psalmus; Gustate, scilicet affectu, videte, scilicet intellectu. Notandum autem, quod secun-
Greg. l. 3 Moral. c. 6 dum Gregorium, tentare, est callide experiri; & secundum hoc, contingit Deum tentare quadrupliciter, scilicet, vel indebite volendo experiri ejus potentiam, sicut illi, qui tentantes Christum, de cœlo signum
Matt. 22 quærebant. Vel ejus sapientiam; ut
Matt. 12 Saducæi proponentes ei quæstionem de resurrectione, secundum judicium eorum, insolubilem ponentibus resurrectionem; vel ejus justitiam; ut
Matt. 22 Pharisæi de solutione tributi, quæ-
Ibid. rendo: Scimus, quia verax es, *&c.*
Joan. 8 vel ejus misericordiam; ut Judæi de judicio mulieris in adulterio deprehensæ, interrogando. Et quia omnis talis tentatio ex diffidentia venit, & de Deo nullatenus est diffidendum; ideo prohibetur omnis talis tentatio, unde; Non tentabis Dominum
Deut. 6 Deum tuum. Item; Noli esse, qua-
Eccl. 18 si homo, qui tentat Deum. *Perversæ enim cogitationes*. Hic tangit multipliciter detrimentum contemnentium exhortationem ad bonum justitiæ; quorum primum est exclusio a consortio Dei. *Perversæ enim cogitationes*: secundum, exclusio a consortio sapientiæ. *Quoniam in malevolam animam*: tertium exclusio a consortio Spiritus sancti. *Spiritus enim sanctus*. Primum pertinet ad patrem, secundum ad filium, tertium ad Spiritum sanctum; quorum præsentia per dilectionem justitiæ habetur; unde; Si quis diligit me, & cætera, Joan. 14
absentia vero, vel carentia per odium justitiæ. *Perversæ enim*, & cætera. Bene dixi, quod apparet his, qui fidem habent in illum, & non aliis. *Perversæ enim cogitationes*, scilicet perversitate fidei, vel morum: *Separant a Deo*, quoad pœnam damni. Quæ societas lucis ad tenebras? 2 Cor. 6
Qui perversi cordis est, non inve- Prov. 17
niet bonum. Item; Iniquitates ve- Isa. 59
stræ diviserunt, &c. *Probata autem*, & cætera. Quasi dicat, nec hoc sufficit ad pœnam; *Autem*, pro sed; *Probata virtus*, id est, vera virtus: secundum Glossam, scilicet divina virtus *Corripit*, puniendo. Psalmus; Ps. 6
Domine, ne in ira tua corripias me. *Insipientes*. Glossa hoc dicit, quantum ad pœnam sensus. *Quoniam in malevolam animam*. Bene dixi, quod separant, & cætera. *Quoniam in malevolam animam*, quod spiritualia peccata, *Non introibit sapientia*, se illi infundendo; sapientia, inquam quæ desursum est, quæ primum quidem pudica est, &c. quamvis introeat illa; quæ de deorsum est, terrena, scilicet, alias, diabolica. *Nec habitabit*, permanendo; *In corpore subdito peccatis*. Hoc dicit, quantum ad peccata carnalia, quæ licet sint minoris culpæ, sunt tamen majoris infamiæ, ut dicit Gregorius. Objicitur Greg. in 1
tamen quod bonum omnia exoptant: Reg. c. 7 l. 3 c. 1
ergo nulla anima est malevola, id est; malum volens. Dicendum, quod nullus vult malum per se, sed per accidens; quia scilicet vult illud, quod est malum, scilicet actionem malam, non in eo, quod mala, sed in eo, quod delectabilis, vel apparens bona. Rursus dubitatur: Cor- Dubitatio.
pus non potest esse habitaculum sapientiæ, nec subjectum peccati, vel in-

insipientiæ, vel gratiæ: ergo falsum supponit cum dicit: *Nec habitabit*, &c. Ad hoc dicendum, quod corpus, ibi, non appellatur pars hominis corporea tantum, sed per synecdochen, secundum quam, pas solet poni pro toto, sumitur hic corpus pro toto homine, inquantum sentit passiones corporis. Unde Glossa, qui peccatis subjacet corpus, non spiritus est. In tali non habitat sapientia, unde Glossa. Frustra sibi blandiuntur hæretici, Pharisæi, falsi Christiani: soli enim mundo corde sapientiam Dei possunt accipere. Et bene dixi, quod *Non habitabit*, &c. *Spiritus enim Sanctus disciplinæ*. Glossa qui docet omnem disciplinam, secundum illud: Docebit vos omnem veritatem, scilicet rationalem, naturalem, & moralem. Psalmus: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. *Sanctus* in quantum purgat, & revocat, secundum illud Psalmi: Emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ, *Disciplinæ*, inquantum ignorantiam tollit, & sapientiam donat, secundum illud. Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, &c. *Effugiet*, id est, in præsenti longe fugiet, *Factum*, id est, peccatorem; secundum illud Psalmi: Longe a peccatoribus salus, & præcipue hypocrita, qui proprie fictus est. Non veniet in conspectum ejus omnis hypocrita: *Et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu*, id est, falsis, & erroneis; intellectus enim verorum tantum est. *Auferet se*, &c. ecce pœna damni: *Et corripietur*, &c. ecce pœna sensus, Item notandum, quod auferre se dicitur: quia naturaliter commissio culpæ præcedit subtractionem gratiæ; Deus enim primus est in accessu, & ultimus in recessu. Et quod se auferat ab eis: non tamen remanebunt immunes, unde subdit: *Et corripietur*, &c. correctio fit verbis, correptio fit flagellis: *Corripietur*, inquam scilicet fictus in futuro, id est, punietur, *A superveniente iniquitate*, id est, propter supervenientem iniquitatem. Unde Glossa fictus, cum dies retributionis venerit, pro iniquitate punietur. *Superveniente*, id est, opprimente, propter quod superveniens dicitur: sicut qui opprimit, supervenit. Vel, *Corripietur*, id est, simul in anima, & corpore rapietur ad supplicium.

Solutio.

Synecdoche.

Joan. 10

Ps. 118

Ps. 103

Isa. 11

Ps. 118

Job. 13

Arist. 1 Post. text. 44

Correctio in verbis: Correptio in flagellis.

Benignus enim, &c. Hic monet ad justitiam locutionis, retrahendo a sermonibus malis. Et primo removet ab ipsis maledictis impunitatis confidentiam; secundo prædicit eorum pœnam. *Propter hoc qui loquitur*; tertio monet ad pravarum locutionum cautelam: *Custodite*, &c. In prima primo removet impunitatis confidentiam, quæ posset oriri ex judicis misericordia: *Benignus*, secundo, ex ejus ignorantia. *Quoniam revelabit*, &c. tertio ex ejus impotentia. *Quoniam spiritus Domini*. Dicit ergo: *Benignus enim est spiritus*. Bene dixi, quod corripietur fictus, &c. benignus enim est spiritus sapientiæ, scilicet increatæ, scilicet filii, a qua datur, scilicet Spiritus sanctus: vel creatæ, quam ipse dat. O quam bonus, & quam suavis est, Domine spiritus tuus in omnibus Psalmus: Spiritus tuus, &c. *Et tamen non liberabit maledictum*, &c. quamvis sit benignus: quia, sicut dicit Gregorius, disciplina, & misericordia multum destituitur, si una sine alia teneatur. Vel sic, & quia benignus, non liberabit maledictum, &c. quia benignitas malitiæ contraria est, ut dicit Glossa Non liberabit, inquam, maledicentem: quando maledictus est, quia fecit contra Dei mandatum, qui prohibet maledicere. Psalmus: Maledicti, qui declinant a mandatis tuis; ecce maledictio in præsenti. Item: Discedite a me maledicti in ignem æternum, &c. ecce maledictio in futuro. *A labiis suis*, id est, a peccato labiorum suorum, vel a pœna, quam meruit peccato labiorum suorum. Ex verbis tuis condemnaberis. Item in Psalmo: Labor labiorum suorum operiet eos: Et notandum, quod ponitur consequens pro antecedente, cum dicit, maledictum, pro maledicente. *Quoniam renum*, &c. Quasi dicat, revera pu-

Sap. 12

Ps. 142

Greg. in 1 Reg. c. 16 l. 6 c. 2 post med.

Ps. 118

Matt. 25

Matt. 12

Ps. 139

punietur pro peccatis suis, licet occultis, quoniam renum illius, id est, affectionum, sed delectationum carnalium, quarum sedes est in renibus, *Testis est Deus*, id est, cognitor certus, sicut testis de re, pro qua facit testimonium. Ego sum testis, & judex, dicit Dominus: *Et cordis illius*, id est, cogitationum de corde exeuntium. *Scrutator est verus*, id est, inquisitor infallibilis: unde spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Ego Dominus scrutans corda, & probans renes. Psalmus; Scrutans corda & renes Deus. *Et linguæ ejus*, id est, locutionum, quæ lingua formantur: *Auditor*, id est, cognitor immediatus sine narratione alterius. Psalmus: Qui plantavit aurem, non audiet? quasi dicat, sic. Et notandum, quod ponit instrumenta pro operationibus ab ipsis procedentibus, eo quod sicut instrumenta immediatius se habent ad animam, quam eorum operationes, sic Deus immediatius, quam aliquis alius cognoscit omnes hominis actus, tam interiores, quam exteriores, *Quoniam spiritus Domini*, &c. quasi inferret: bene dixi, quod hoc potest spiritus: *Quoniam spiritus Domini*, intransitive, id est, qui est Dominus, secundum illud Athanasii: Dominus pater, Dominus filius, Dominus spiritus sanctus. Vel transitive, id est, spiritus qui est a Domino, secundum illud: Spiritus Domini super me, &c. Item Joannes: Spiritum veritatis, qui a patre procedit. *Replevit orbem terrarum*, sua præsentia rebus omnibus assistendo, & ea continendo. Numquid non cœlum & terram ego impleo? Quia secundum Gregorium: Ubique est Deus, intra omnia non inclusus, extra omnia non exclusus, supra omnia non elatus, infra omnia non depressus: *Et hoc, quod continet omnia*, scilicet Spiritus sanctus omnia continens, sua potentia conservando. Sicut enim probat Boetius in Libro de Consolatione: Mundus ex tam diversis, contrariisque partibus in unam formam non convenisset: & conjuncta discors diversitas dissociaret, nisi esset unus, qui conjungeret: & quod contexuit, contineret. *Scientiam habet vocis*, id est, omnium locutionum, & linguarum, omnia cognoscendo. Et hoc patet, quod potest cognoscere, & punire omnia, tam facta propter universalem præscientiam, quam dicta, propter universalem notitiam. Vel secundum Glossam: *Hoc quod continet omnia*, id est, Spiritus sanctus, quia continet omnia, id est, Ecclesiam, extra quam, quod est, nihil est, sicut extra arcam Noe: *Scientiam habet vocis*, causaliter loquendo, id est, intelligentiam scripturæ præstat hominibus. Vel formaliter. *Scientiam habet vocis*, id est ejusdem scientiæ est cum voce, id est, cum verbo, & Dei filio: de quo Joannes: In principio erat verbum, &c. Allegorice secundum Gloss. potest exponi de temporali adventu Spiritus sancti. Et primo tangitur persona missi, cum dicitur: *Spiritus*: secundo, ejus æterna origo, *Domini*; tertio temporabilis missio, *Replevi*; quarto missionis manifestatio: *Et hoc, quod continet omnia*. Dicit ergo: *Spiritus Domini replevit*. Gloss. donis: *Orbem terrarum*, id est, Ecclesiam per omnes terras dilatatam, ut dicit Glossa: *Et hoc quod continet omnia*. Gloss. id est, homo, qui convenientiam habet cum omni creatura: propter quod omnis creatura appellatur secundum Gregorium. *Scientiam habet vocis*. Gloss. diversarum linguarum a Spiritu sancto, ut patet. Orbi vero terrarum comparatur Ecclesia primitiva, primo propter sui dilatationem, secundum illud Psalmi: In omnem terram exivit sonus eorum. Secundo propter sui perfectionem, quæ per orbis rotunditatem intelligitur. Una est columba mea, perfecta mea. Tertio propter sui stabilitatem: Terra enim in æternum stat. Quarto propter sui compressionem & attritionem: Puto, quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos, &c. Sicut terra novissimum est corporum: unde ab omnibus teritur, & conculcatur. Quinto propter humani generis sustentationem, & vivificationem: quia de terra vivit, & a terra sustentatur, sicut ab Ecclesia primitiva. Sub quo curvantur, qui portant or-

Marginalia: Hier. 29; Matth.; Hier. 17; Psal. 7; Psal. 93; Athanas. in Symb.; Isa. 61; Joan. 15; Hier. 23; Greg. lib. 3 Moral. c. 16; Boet. l. 3 de consol. phil. prosa 12; Joan. 1; Greg. hom. in cap. 16 Matth.; Act. 2; Psal. 18; Cant. 6; Eccl. 1; 1 Cor. 4; Job 9.

orbem, scilicet Apostoli, & eorum A sequaces: nec tamen franguntur quia in Psalmo: Ego confirmavi columnas ejus. Sexto propter ornatum omnium virtutum, & productionem secundum illud: Germinet terra herbam virentem, &c. Septimo propter aquarum, id est, sapientiæ doctrinæ salutaris originem, secundum illud: Fons ascendebat de terra, irrigans universam superficiem terræ.

Psal. 74

Gen. 1

Gen. 2

Propter hoc, qui loquitur, &c. Remota impunitatis stulta confidentia, hic prædicit malæ locutionis pœnam. Et primo quia in Judicium deducetur: secundo, quia a judice discutietur: *Cogitationibus impii*, tertio, quia omnibus publicabitur: *Quoniam aures zeli*. Dicit ergo: *Propter hoc*: quia B scilicet Spiritus sanctus habet scientiam vocis, id est, omnis locutionis: *Qui loquitur iniqua*; de quibus in Psalmo: Obstructum est os loquentium iniqua. *Non potest latere*, scilicet Spiritum sanctum in præsenti, unde: Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus. Item: Omnes viæ hominum patent oculis ejus. *Nec præteriet*, scilicet dissimulando: *Eum*, scilicet iniqua loquentem: *Corripiens*, id est, puniens, *vel Corripiens* id est, simul rapiens corpus ejus, & animam: vel cuncta ejus opera mala, & dicta & cogitata. *Judicium*, scilicet futurum: cuncta enim, quæ fiunt, adducet Deus in judicium, ut habetur. *In cogitationibus enim impii*, C id est, de cogitationibus impii, in quibus minus peccatum est, quam in pravis sermonibus: *Et interrogatio*, id est discussio judicis & examinatio, secundum illud Psalmi: Dominus interrogat justum, & impium. Scio, quod nulla te latet cogitatio. Et si erit discussio de cogitationibus, multo fortius de locutionibus, propter hoc subdit: *Sermonum autem*, &c. Quasi dicat, non solum de cogitationibus. *Autem*, pro sed, *Sermonum illius auditio*, id est, examinatio ad Deum, tamquam ad examinatorem, & judicem veniet: *Et ad correptionem*, id est, punitionem: *Iniquitates illius*, quas commisit, iniqua loquendo. Clamor Sodomorum; & Gomorrhæorum multiplicatus est,

Psal. 62

Heb. 4

Prov. 16

Eccl. 12.

Psal. 10

Job. 42

Gen. 18

&c. Et benedixi, quod veniet, &c. *Quoniam auris zeli*, zeli, inquam, Dei, animas tamquam sponsas zelantes: *Audit omnia*, id est, novit, sicut ille, qua audit omnia, scilicet tam mala, quam bona, quam indifferentia, sicut zelo typus diligenter audit, & notat verba sponsæ, & loquentium cum ea. Ego sum Deus fortis zelotes, &c. *Et tumultus murmurationum*, quibus homines murmurant contra Deum. Præcordia fatui quasi rota plaustri. Et dicitur, *Tumultus*, quia homo murmurans, quasi intra dentes suos tumultuet, non clare enuntiat. *Non abscondetur*: sed toti mundo propalabitur. Nihil opertum quod non reveletur, neque absconditum, quod non sciatur. Audivi murmurationes filiorum Israel.

Exod. 20

Eccl. 33

Luc. 12

Exod. 16

Custodite, &c. Hic monet ad pravæ locutionis cautelam: & primo ponit suam exhortationem, secundo exhortationis necessitatem. *Quoniam sermo*, &c. Construendum autem, sive continuandum sic: *Ex quo non abscondetur tumultus*, &c. *Custodite ergo vos a murmuratione*, scilicet contra Deum. *Quæ nihil prodest*, immo multum obest. Unde: Quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. *Et a detractione*, scilicet contra proximum. Quare detraxistis sermonibus sanctis veritatis, *Parcite linguæ*, non dicitur parcite proximo, sed linguæ, scilicet vestræ: quia detrahens alteri, primo seipsum lædit. Unde pejor est detractio serpentino veneno, Seneca: Illud venenum, quod serpentes in aliorum perniciem ferunt, sine sua continent malitia: ipsa detractio partem sui veneni bibit. Glossa perniciosæ sunt murmurationes, & detractiones: Detractores Dei odibiles. Detractores dicit pluraliter: quia detractio fit pluribus modis, scilicet, vel cum occultum bonum negatur, vel cum apertum diminuitur, vel cum occultum malum propalatur, vel quando apertum amplius divulgatur. Et bene, dixi, parcite: *Quoniam sermo obscurus*. Glossa, otiosus, ut est verbum murmuris: *In vacuum non ibit*, id est, sine pœna non remanebit: quia nec sermo otiosus: Matthæus:

1 Cor. 10

Job. 6

Rom. 1

Detractio multiplex.

De

De omni verbo otioso, &c. ergo multo magis de verbo malitioso. Verbum otiosum, ut dicit, ibi Glossa, est, quod dicitur sine utilitate loquentis, vel audientis. Hieronymus: Omne quod non ædificat loquentes, in periculum vertitur loquentium. *Os autem, quod mentitur*, scilicet detrahendo, *Occidit animam*, Glossa, mucrone peccati animam mentientis. Psalmus: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Et notandum, quod loquitur de mendacio perniciosó, quod est mortale: non de jocoso, vel officioso. Unde Glossa: Est mendacium, levioris culpæ, cum quis præstando beneficium, mentitur. Sed videtur, quod aliquod mendacium sit bonum, & meritorium, quia obstetrices mentientes meruerunt præmium apud justum judicem: scilicet Deum, qui falli non potest, ut patet. Dicendum secundum Glossa quod non est remunerata mendacii, sed pietatis earum benevolentia. Sed numquid unum, & idem factum, fuit peccatum, & tamen habuit benevolentiæ meritum: Et videtur, quod sic: dicit enim Glossa: Deus unum idemque factum propter bonum, malum condonat, & bonum remunerat. Dicendum, quod unum fuit connexione, non indivisibile: quia aliud fuit intentio liberandi, aliud voluntas mentiendi, licet coordinata.

Matth. 12. Hieronym. in c. 12. Mat. to. 6. Psal. 5. Exod. 1. Dubitatio. Solutio. Dubitatio. Solutio.

Nolite zelare, &c. Hic hortatur ad justitiam operis: & primo per rationes sumptas ex parte creationis: secundo ex parte retributionis, ibi: *Justitia enim*, &c. Ex parte creationis primo per rationem sumpta ex bonitate creatoris. *Quoniam Deus*, secundo per rationem sumpta ex parte finis creationis, *creavit* tertio per rationem sumptam ex parte conditionis creaturæ, *non est in illis*. *Nolite zelare*, &c. quasi dicat, quia mendacium occidit, nolite zelare, id est, diligere, vel aperte affectu, *mortem*, scilicet animæ, quam per culpam incurrit: secundum illud: Vera mors est, quam homines non timent: separatio, videlicet animæ a Deo, qui est beata vita animarum: sicut mors corporalis est separatio corporis ab anima. *Mortem*, dico, *in errorem vitæ vestræ* causaliter constitutam, secundum illud: Errant, qui operantur malum, omnis enim malus errans, secundum Philosophum. *Neque acquiratis*, in effectu, *perditionem*, æternæ pœnæ, quod est in vestra potestate, secundum illud: Perditio tua Israel: tantummodo auxilium tuum ex me. *In operibus manuum vestrarum*, causaliter, id est, merito operum vestrorum. Sed obiicitur secundum Augustinum: Omnes appetunt vitam, & beatitudinem: ergo nullus mortem, vel perditionem. Dicendum, quod verum est per se, sed per accidens & ex consequenti dicuntur eam appetere, qui appetunt actum, quia est causa mortis, & perditionis. Unde ponit consequens pro antecedente, subdens: Bene dixi, errorem causam mortis esse, & opera mala causam perditionis. *Quoniam Deus*, qui auctor est omnium, secundum illud Joannis: Omnia per ipsum facta sunt *mortem non fecit*, scilicet præsentem. Sed contra: Vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt. Dicendum, quod hic loquitur de morte culpæ: vel si de morte naturæ, loquitur quantum ad privationem, non quantum ad sensum doloris. De morte etiam gehennæ verum est, quod hic dicitur, *Deus mortem non fecit*. Sed contra: omnis pœna justa & omne justum bonum, & omne bonum est a Deo. Dicendum, quod cum dicit, omnis pœna justa intelligit per se, scilicet secundum quod est pœna, non secundum id, quod est: unde non potest concludi, quod simpliciter sit a Deo, sed dicendum quod pœna est. *Nec lætatur in perditione vivorum*, scilicet futura. Contra: Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c. Dicendum, quod non delectatur in pœna, inquantum est perditio naturæ, sed inquantum est effectus justitiæ. Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Et bene dixi, quod non delectatur, vel lætatur in perditione, quia est via ad non esse: *Creavit enim Deus omnia, ut essent*, Glossa, non ut perirent: unde & natura-

Aug. quæst. 32. ad Oros. tom. 4. Prov. 14. Arist. lib. 3. Eth. c. 1. Osee. 13. August. de morib. Eccl. cap. 3 to. 1 & lib. 13. to. 4 & in ps. 32 to. 8. Joan. 1. Eccl. 11. Dubitatio. Solutio. Dubitatio. Solutio. Prov. 1. Dubitatio. Solutio. Isa. 1.

ralem appetitum existendi omnibus A indidit, id est, intus dedit. Et quia communis conceptio animi est, secundum Boetium, omne, quod est, ad bonum tendere, & omnia tendunt ad esse; probat, quod esse omnium est bonum. *Et sanabiles*, id est, in spirituali sanitate creatas per innocentiam, & ad sanitatem reducibiles per pœnitentiam, ne perirent: non enim vult mortem peccatoris &c. Sanabiles, inquam, *fecit nationes orbis terrarum*, id est, omnes, quotquot nascuntur in orbe terrarum. Insanabilitas ergo earum ex ipsis est, non ex Deo: Insanabilis est fractura tua, pessima plaga tua. *Non enim est in illis*, &c. Glossa, in natura illorum, scilicet nationum, *mendicamentum exterminii*, id est, poculum peccati secundum Glossam, quod est causa exterminii in præsenti morte. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Exterminium dicitur peccatum, quia extra terminos gratiæ ponit. Item mors temporalis, quia extra terminum vitæ naturæ ponit. Item mors gehennalis, quia ponit extra terminos gloriæ: & loquitur per antiphrasim: sicut si venenum appellaretur medicamentum: & sicut piscina vocatur aqua carens piscibus. Sed obiicitur de hoc, quod dicit: *Non est in illis* & cætera, quia: Eramus natura filii iræ. Sed dicendum, quod hic loquitur de actuali peccato, vel de natura instituta, id est, ante lapsum, non destituta per peccatum: de qua loquitur Apostolus: *Nec infernorum regnum*, id est, perditio æterna, *in terra*, id est in homine facto de terra. Firmavit Deus hominem de limo terræ. Intendit ergo ostendere, quod mors peccati & perditio supplicii æterni non sunt a natura, sed a voluntate perversa. De morte peccati patet per Glossam, quæ dicit: non peccamus necessitate, sed voluntate perversa. De perditione supplicii patet per aliam Glossam, quæ dicit: nihil diabolus homini nocuisset, nisi homo acquievisset.

Boet. lib. 4 prosa 3 de consol. phil. — Ezech. 33 — Hier. 13 — Baruc. 3 — Exterminium unde dicatur. — Ephes. 2 — Gen. 2

Justitia enim perpetua est, &c. Hic monet ad justitiam operis ex retributionis consideratione: & primo tangit præmium justitiæ: secundo supplicium injustitiæ, *in justitia autem*, &c. tertio æquitatem justitiæ seu pœnæ inflictæ. *Impii autem*. *Justitia enim perpetua est*, &c. Quasi diceret, bene dixi, quod mors non est a Deo, nec a natura, sed ab injustitia perversæ voluntatis: justitia enim perpetua est, vitam perpetuam tribuendo, secundum illud: In semitis justitiæ vita, vel semita: *& immortalis*, a perpetua morte liberando, unde: Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. *Injustitia autem mortis est acquisitio* mortis, scilicet temporalis & æternæ, unde: Stipendia peccati, mors. Item: Iter devium B ducit ad mortem.

Mors unde sit. — Prov. 12 — Sap. 3 — Rom. 6. — Prov. 12

Impii autem, &c. Hic ostendit retributionis æquitatem, quam scilicet impii hic meruerunt, primo injustitiam faciendo, propter quod dicit: *Impii autem manibus*. Secundo familiariter amando, ibi, *& æstimantes*, &c. Tertio inseparabiliter adhærendo: *& sponsiones*, &c. Quarto fortiter defendendo: *quoniam morte digni sunt* &c. *Impii igitur*, &c. Bene dixi, quod mors non est a Deo, vel a natura. *Autem* pro sed, impii in Deum & proximum *manibus & verbis*, Glossa, factis & dictis, *accersierunt*, quasi diceret, non se ingessit, sed ipsi advocaverunt *illam*, scilicet impietatem, & mortem, & C patet in primis parentibus, *& æstimantes illam amicam*, id est, utilem, nec damnosam, Glossa, quia putant se impune peccare, *defluxerunt*, id est, fluxerunt deorsum, Glossa, in mortem æternam: sed primo in mortem culpæ: secundo in mortem temporalis pœnæ: tertio in mortem æternæ pœnæ. Oportet nos observare, quæ audivimus, ne forte pereffluamus.

Gen. 3 — Heb. 2

Et sponsiones posuerunt ad eam, id est, fœdus inseparabile, quasi desponsationis per obstinationis impœnitentiam, Glossa, ne separentur. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Et merito defluxerunt in mortem, *quoniam morte digni sunt*, *qui sunt ex parte illius*, scilicet injustitiæ. eam scilicet

Isa. 28

licet tenendo, & defendendo, sicut homo defendit partem, de qua est: Rom. 1 Qui talia agunt, digni sunt morte. Potest autem hic notari processio in Eccl. 10 peccatis, de qua: Est processio in malum viro indisciplinato: Quia primo est impietas in corde per consensum iniquitatis: deinde in manu A per consummationem operis: deinde verbum defensionis, vel gloriationis: deinde amicitia, & spes impunitatis: postea defluxus per iterationem pravæ consuetudinis: deinceps sponsio per obdurationem mentis, postremo mors impœnitentiæ finalis.

CAPUT SECUNDUM.

DIXERUNT enim impii cogitantes apud se non recte: Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus. & post hoc erimus, tamquam non fuerimus: quoniam fumus afflatus est in naribus nostris: & sermo scintillæ ad commovendum cor nostrum: quia extincta cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis & a calore illius aggravata: & nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso, & unguentis non impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Gravius est nobis etiam ad videndum: quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur, patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sint, & tentemus, quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit illum de manu contrariorum Contumelia, & tormento interrogemus eum ut sciamus reverentiam ejus, & probemus potentiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitaverunt & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

EXPOSITIO IN CAP. II.

SUpra egit de justitia hominis ad Deum: hic principaliter de justitia hominis ad proximum. Et primo ab justorum similitudine retrahendo: hic in secundo hoc Cap. Secundo ad justorum similitudinem provocando, scilicet in tertio Cap. In prima, id est, a parte justorum, proponit injuste vivendi causam motivam: secundo, describit vitam injustam, ibi: *Venite ergo*, &c. tertio, ostendit eam non esse imitandam, ibi *Hæc cogitaverunt*, &c. In prima tangitur triplex causa motiva: prima

ma ex parte status: secunda ex parte naturæ: *Quia ex nihilo nati sumus*, tertia ex parte nominis, sive famæ. *Et nomen nostrum oblivionem*, &c. Ex parte status, triplex, primo quoad statum mundi, ibi: *Exiguum, & cum tædio*, &c. secundo quoad statum paradisi: *Non est refrigerium*, &c. tertio quoad statum inferni. *Et non est, qui agnitus sit reversus ab infernis*, &c.

Dixerunt autem impii, cogitantes apud se non recte, &c. Bene dixi, quod impii manibus, & verbis accersierunt injustitiam & mortem: nam dixerunt impii, id est, carentes pietate in Deum & proximum. Glossa, vox est perditorum, qui tamquam bruta animalia, quæ præsentia sunt, amant, & futura despiciunt: nec post hanc vitam requiem æternam sperant. *Apud se*, quia aperte non audent, secundum illud Psalmi [Psal. 13]: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Si enim aperte dicerent, pœnam incurrere timerent: *non recte cogitantes*, immo male. *Exiguum est*, propter brevitatem, secundum illud [Job. 14]: Breves dies hominis sunt. [Ibid.] *Et cum tædio*, propter pœnalitatem. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis: *tempus vitæ nostræ*, Glossa præsentis, quam sibi vivunt, non Deo, ideó addunt, *nostræ*. Contra quos [2 Cor. 5]: Qui vivunt, jam non sibi vivant: sed ei, qui pro eis mortuus est, & resurrexit. *Et non est refrigerium in fine hominis*, Glossa, id est, quies post mortem: Quod tamen est falsum: quia dicitur in Psalmo in persona sanctorum [Psal. 65]: Transivimus per ignem & aquam, & deduxisti nos in refrigerium. Item [Hier. 6]: Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & invenietis refrigerium animabus vestris. Item [Apoc. 14]: Beati mortui, qui in Domino moriuntur, &c. ut requiescant a laboribus suis, *non est, qui agnitus sit reversus ab infernis*. Per hoc intendunt excludere infernum esse. Sed eadem ratione possunt dicere mortem non esse [Arist. in Post. præd. c. de opp.]: quia nullus mortuus revertitur ad vitam. Unde ratio eorum [Job. 7] non valet, quia si a privatione A ad habitum non est regressus secundum naturam; & ideo de inferno inferiori nullus revertitur secundum legem: unde: Qui descendit ad inferos, non ascendet. Aliqui tamen leguntur reversi privilegio gratiæ, ut Trajanus, quem Gregorius, &c. de inferno vero superiori reversus est Christus, & multi alii per ipsum, vel per ejus Apostolos, suscitati.

Quia ex nihilo nati sumus, &c. Hic ponitur causa motiva ex parte naturæ: & primo ex consideratione humanæ originis: secundo ex consideratione compositionis, ibi: *quoniam fumus*, tertio ex consideratione resolutionis, *quia extincta*; B Bene dixi, quod non erit refrigerium, nec supplicium: quia nec subjectum susceptibile talium: *quia ex nihilo*, [2 Mac. 7] origine immediata quoad corpus. Intelligas, quia ex nihilo fecit ea Deus, & hominum genus, *& post hoc*, id est? post hanc vitam *erigimus, tamquam non fuerimus*, quasi dicat, in nihilum revertemur, secundum illud Damasceni: Omne, [Jo. Damasc. in Dial. advers. Man. longissime a medio. Aug. de fid. ad Per. cap. 5 & 3 Greg. 16 Mor. c. 18.] quod a versione incœpit, versioni subjectum est. Item Augustinus: Naturale est, quod ex nihilo est, in nihilum posse resolvi. Quod intelligendum est de possibilitate primæ aptitudinis, non necessitatis: quia manu creatoris tenentur, ne in nihilum cadant, sicut dicit Gregorius. C *Quoniam fumus*, scilicet quantum ad spiritum vitalem corporeum intrinsecum: fumus enim est vapor igneus, & spiritus vitalis est corpus subtile igneum, *& flatus*, id est, ventus, quoad spiritum exteriorem corporeum, qui spiratur. Quæ est vita [Jac. 4] vestra, vapor est ad modicum parens [Job. 7]. Ventus est vita mea. Psalmus [Psal. 101]: Defecerunt sicut fumus dies mei *in naribus nostris*, hoc dicit spiritualiter a parte totum corpus dans intelligere propter facilem exitum, qui esset in naribus: item propter manifestationem, quia ibi inspirando, & respirando magis manifestatur. *Et sermo scintillæ ad commovendum cor nostrum*, id est, anima, scintillæ comparabilis, ut dicit Glossa: unde: Quærunt extinguere scintil- [2 Reg. 14]

lam

lam meam. Anima autem, *sermo* dicitur, secundum reputationem infidelium: quia secundum eos nihil est in re, sed tantum secundum nomen: vel sermonem: scintillæ autem comparatur, quia secundum aliquos Philosophos, anima dicta fuit (*Arist. lib. 2 de Anima ex op. aliorum.*) igneæ esse naturæ. Vel melius, potest dici anima sermo, ab effectu, quæ scilicet habet vim sermocinandi: scintillæ autem comparatur propter naturæ subtilitatem, & motus (*Sap. 3*) agilitatem. Unde: Et tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Item, propter durationis brevitatem secundum infideles. Unde Glossa, Scintillæ comparabilis, quæ statim nihil. *Ad commovendum cor nostrum*, id est, vivificandum, vel vegetandum, secundum Glossam respiratio est *in naribus nostris*, id est, in corporibus nostris, ita prompta ad exeundum de corpore, sicut flatus de nare. Sequitur, *qua extincta*, &c. Bene dixi, quod anima comparatur scintillæ, quod cito extingueretur: quia corpus nostrum erit *cinis extinctus*, scilicet post animæ extinctionem, quæ secundum infideles, in morte extinguitur.

Sed verior littera est, *qua extincta*. Secundum quam lectionem, sive litteram, dicendum, quod hic tangit causam motivam ex consideratione resolutionis: & primo ex consideratione resolutionis, quantum ad corpus; secundo, quantum ad spiritum, ibi: *spiritus diffundetur*; tertio, quantum ad vitam: *& transibit vita nostra*, &c. Dicit ergo, *qua*, scilicet anima *extincta*, secundum eos, *cinis erit corpus nostrum*. (*Eccl. 17*) Omnes homines terra, & cinis. Item: (*Gen. 18*) Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis? Per consumptionem enim humidi naturalis, a calore corpus consumitur, & in cinerem vertitur *& spiritus*, corporeus vitalis *diffunditur*, scilicet redeundo in sua principia componentia, *tamquam aer mollis*, id est, faciliter, & invisibiliter: mollis autem dicitur aer, quia non resistit tactui. Vel *spiritus* incorporeus, sive anima *diffundetur*, id est, evanescet, & dissolvetur secundum (*Psalmo 102*) eos, juxta illud Psalmi: Spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & cetera. *Et transibit vita nostra*, id est, per annihilationem suorum principiorum totaliter desinet. *Et sicut vestigium nubis*, quod non apparet post nubis resolutionem: Velut (*Job. 30*) nubes pertransiit salus mea, scilicet (*Job. 7*) temporalis. Sicut consumitur nubes, & pertransiit; sic, qui descendit ad inferos non ascendet; *& sicut nebula dissolvetur*, quæ scilicet, est reliquia nubis; nubes enim ex vapore grossiori, & depressiori consistit; nebula vero ex rariori, *quæ* scilicet nebula, *fugata est a radiis*, *solis* calore continentis aeris, adunante partes, & fugante partes frigidi vaporis; *& a calore illius aggravata*, eodem calore frigus nubis ad interiora fugante; & sic per accidens partes illius nebulæ condensante, & sic aggravante, & in aqua postea resolvente. Subito aer cogetur in nubes, & ventus (*Job. 37*) transiens fugabit eas.

Et nomen nostrum, &c. Hic ostenditur causa motiva ex parte famæ, vel nominis, & primo tangitur famæ abolitio; secundo, abolitionis ratio, ibi: *umbra enim transitus*. Dicit ergo; *Et nomen*, quasi dicat, non tantum essentia, vel substantia nostra transibit in nihilum, sed *& nomen nostrum*; id est, fama, quoad personam, *oblivionem accipiet per tempus*, id est, temporis diuturnitatem: Nomen impiorum putrescet, (*Prov. 10*) *& nemo habebit memoriam operum nostrorum* quoad vitam. Memoria ejus pe- (*Job. 18*) reat de terra. Item in Psalmo; Pe- (*Psal. 9*) riit memoria eorum cum sonitu. Et e contra; In memoria æterna erit (*Psal. 111*) justus. Sed obiicitur, quod opera multorum reproborum, scilicet Cain, (*Gen. 4*) Pharaonis, Neronis, &c. adhuc me- (*Exod. 14*, *Jer.*) morantur. Dicendum, quod verbum istud est verbum reproborum: & ideo non est inconveniens dicere illud esse falsum. Vel dicendum, quod non memorantur memoria laudabili, vel eis utili: de hac autem loquitur hic. Sed obiicitur, quod multorum reproborum facta celebria, & laudabilia memorantur. Ad hoc dicendum, quod ipsorum non fuerunt, sed Dei in ipsis, secundum illud: Omnia opera nostra operatus es no-

Isa. 26 nobis Domine. Ad memorandum autem duo requiruntur, scilicet fortis impressio, & frequens reiteratio: & utrumque excludit, cum subdit: *umbræ enim, transitus* propter transeundi velocitatem. Dies nostri sicut umbra super terram, & nulla est mora: *umbræ*, inquam, *transitus est tempus nostrum*, id est, quod ad voluntatem nostram faciendam, non Dei expendimus: sed dominus quandoque sibi accipiet ipsum tempus. Psalmus: cum accepero tempus, ego &c. *Et non est reversio finis nostri*, propter redeundi impossibilitatem. Antequam vadam, & non revertar, &c. *quoniam consignata est*: scilicet reversio nostra, id est, sub sigillo clausa. Glossa, consignata, quasi non apparens, quia non est: *& nemo revertitur* ad vitam scilicet secundum communem legem. Psalmus: Sepulchra domus illorum in æternum, scilicet secundum opinionem istorum: sed secundum veritatem omnes quandoque resurgent per virtutem divinam. Unde: Omnes quidem resurgemus.

Memoria duobus excolitur. — 2 Paral. 29 — Psal. 74 — Job. 10 — Psal. 48 — Cor. 15

Notandum autem, quod vita, & status impiorum comparatur fumo propter rationabilis obcæcationem. Infra hoc eodem capite: *Excæcavit eos malitia eorum*. Item: Obscuratum est insipiens cor eorum. Assimilatus flatui, propter inquietam irascibilis perturbationem. Impii quasi mare fervens. Scintillæ propter concupiscibilis inflammationem: Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur. Aeri, propter intentionis vacuitatem. Cineri, propter operum infructuositatem. Opera eorum inutilia. Nubi densiori, propter gratiæ oppositionem. Nebulæ leviori, propter mentis elevationem, sive elationem. Umbræ, propter exteriorem simulationem.

Rom. 1 — Isa. 57 — Eccl. 23 — Sap. 3

Venite ergo, &c. Hic describit vitam injustam, & primo tangitur injustorum concordia, & mutua cohortatio ad propriæ vitæ dissolutionem: secundo justorum oppressio, ibi: *opprimamus*, &c. Primo ergo cohortantur se ad vacandum dissolutioni, primo celeriter, secundo abundanter, ibi: *vino pretioso*, &c. tertio evidenter, ibi: *coronemus*; quarto communiter, vel universaliter, ibi: *nemo nostrum*; quinto hilariter, ibi: *ubique relinquamus*. Dicunt ergo, ex quo præsens vita transit, & futuram non speramus, venite ergo, &c. *Venite*, dicit, quia inquit Seneca: Nullius rei possessio jucunda est sine socio: & ideo mutuo se hortantur: hoc enim est invitatorium in matutino diaboli. Notandum enim, quod sicut Ecclesia justorum, secundum diversa festa diversa habet invitatoria, & Venite: Sic & Synagoga peccantium. Unum est vanitatis: Venite & faciamus nobis civitatem & turrim. Aliud iniquitatis: Venite & occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem. Tertium avaritiæ, & cupiditatis: Veni nobiscum, &c. Quartum voluptatis, de quo hic scilicet, *venite, & fruamur bonis, quæ sunt*, &c. Iis respondet illud: Discedite maledicti in ignem, &c, *Fruamur*, inquam, amando affectu, nihil umquam desiderando. Frui enim est alicui rei amore inhærere propter se. *Bonis, quæ sunt*, id est, bonis præsentibus, *& utamur* delectando in effectu. Augustinus: Uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis. Item: Totum malum hominis est frui utendis, & uti fruendis, *utamur*, inquam, creatura, scilicet contempto creatore: aliter namque non esset peccatum uti creatura. *Namquam in juventute*, id est, quamdiu sumus juvenes: quia sensus juvenum magis percipit delectationem, quam senum. Unde, Octogenarius sum hodie, numquid vigent sensus mei, &c. Ideo Lætare juvenis in adolescentia tua, *celeriter* Glossa, ne nos & illa ante transeamus, quam illis fruamur, secundum illud: Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur: *vino pretioso* interius, quoad gustum, excitando calorem ab interiori, *& unguentis* exterius, quoad tactum, excitando calorem ab exteriori: *impleamus nos* per usum superfluum & immoderatum. Bibentes in phialis vinum, & optimo unguento delibuti, &c. *& non prætereat nos flos temporis*, id est, amœnitas, quoad aspectum. Date florem Moab: &c.

Nullius rei possessio jucunda sine socio. — *Invitatoria diversa.* — Gen. 11 — Gen. 37 — Prov. 1 — Matt. 25 — Aug. lib. 1 de doctr. christ. c. 3 & lib. 10 de Trin. c. 11. tom. 3 — Eccl. 12 — Isa. 22 — Amos 6 — Hier. 48

Ta-

Tales non curant de fructu autumni A cœlestis, sed tantum de flore veris præsentis, *coronemus nos rosis, antequam marcescant*. Cecidit flos. Et: Væ flori decidenti, ad delectandum quoad odoratum. Sed væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim. *Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra*, id est, nullus locus amœnus: hoc dicit quantum ad universalitatem loci: In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix. *Nemo vestrum*, hoc dicitur quantum ad universalitatem personarum. Talis erat Sodoma, in qua nec decem justi poterant inveniri, ut patet: *nemo* inquam *exors sit luxuriæ nostræ*, id est, sine forte, hoc est expers, vel immunis. B *Ubique relinquamus signa lætitiæ nostræ*, hoc dicitur quantum ad universalitatem in facto: Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis, *quoniam hæc*, scilicet vita dissoluta *est pars nostra* scilicet ex parte animæ *& hæc est sors nostræ*, scilicet ex parte corporis. Vel, idem sunt in re, pars, & sors; sed differunt ratione: quia pars nominatur ex parte recipientis, sors ex parte dantis: In partibus torrentis pars tua, & hæc est sors tua. E contra dicit vir justus. Dominus pars hæreditatis meæ. Item: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Isa. 40
Isa. 28
Ibidem.
Hier. 2
Gen. 18
Ezech. 16
Isa. 57
Psal. 15
Psal. 321

Opprimamus pauperem justum, &c. C Hic describit vitam injustam, quantum ad bonorum oppressionem, Primo, quia opprimunt sine reverentia personæ: secundo, quia sine timore justitiæ, ibi: *Sit autem fortitudo*; &c. *opprimamus*, Glossa, vox perditorum est, *pauperem justum*, quemcumque scilicet. Oppresserunt pariter mansuetos terræ, *& non parcamus viduæ*, Psalmus: Viduam & advenam interfecerunt, *nec veterani revereamur canes multi temporis*, id est, quemcumque senem. Non sunt reveriti senem. *Sit autem fortitudo nostra lex injustitiæ*, id est, totum reputemus licitum, quidquid possumus facere: Factum est judicium, & contradictio potentior. *Vel justitiæ*, unde Interlinearis: quasi fortitudinem pro justitia habeamus, id est, quod poterimus facere per justitiam, faciamus per violentiam. *Quod enim infirmum est* &c. quasi dicat, non opprimamus tantummodo pauperes, & debiles: ut viduas & senes; se quousque poterimus *quod enim infirmum est*, scilicet in se, ut vidua, pauper, & senex *inutile invenitur*, scilicet aliis: unde de talibus parum, vel nihil est curandum. Non sic Dominus sentiebat, qui infirma mundi elegit, &c. Non sic Paulus, qui dicebat, quod virtus in infirmitate perficitur. Allegorice exponitur hoc de Hæreticis, qui non parcunt pauperi justo, id est, populo Christiano: nec viduæ, idest Ecclesiæ: nec veteraneis, id est, Apostolis, & Prophetis.

Job. 24
Psal. 93
Baruc. 4
Abac. 1
1. Cor. 1
2 Cor. 12

Circumveniamus ergo justum, &c. Hic specialiter describit Christi persecutionem; & primo tangit causam: secundo, finem, ibi; *Videamus ergo si sermones*, &c. tertio, mundum, ibi: *Contumelia & tormento*, &c. Causam, propter quam Judæi persecuti sunt CHRISTUM, tangit tripliciter, primo ex parte suarum operationum: secundo ex parte suarum cogitationum, ibi: *factus est nobis*: tertio ex parte suarum locutionum; ibi: *tamquam nugaces*. In prima parte ex parte operum tangit duplicem causam, quarum prima est operum Judæorum detestatio: secunda traditionum CHRISTI commendatio, *promittit se*, & cætera: *Circumveniamus ergo*: & cætera, quia dixi, *fortitudo nostra sit lex injustitiæ*, & non possumus nisi justum circumveniamus; *circumveniamus ergo justum*, ut scilicet fortitudinis nostræ legem libere exercere possimus. *Circumveniamus*, inquam, per fraudulentiam, *justum*, id est, Christum, qui per antonomasiam justus appellatur. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus noster. Quia peccatum actuale non fecit, nec originale contraxit in conceptione. Justitia oriatur simul, &c. Vel, *Circumveniamus*; &c potest esse vox quorumlibet malorum contra quemlibet justum, contra quod monet Apostolus dicens: Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum: sicut

Hier. 23
1 Pet. 2
Isa. 45
1 Thess. 4

2 Cor. 7 ſicut nec ipſe fecerat, unde: Nos
neminem læſimus, ſcilicet facto, ne-
monem corrupimus exemplo pravo:
nominem circumvenimus, ſcilicet
verbo: *Quoniam inutilis eſt nobis* Gloſ-
ſa, cum tamen utilitatem ejus in
omnibus viderent, ſecundum illud:
Act. 10 Qui pertraſiit benefaciendo, & ſa-
nando omnes oppreſſos a diabolo.
Sed inutilem ſibi reputabunt in tem-
Pſal. 11 poralibus, unde: Venient Romani
& tollent locum noſtrum & gen-
tem. *Et contrarius eſt operibus no-
ſtris*, ſcilicet ſicut bonum eſt contra-
Eccl. 33 rium malo, ſecundum illud: Con-
tra malum ſtat bonum, & contra
virum juſtum peccator, *& imprope-
rat nobis peccata regis*, quia pecca-
mus, transgrediendo legem, unde:
Joan. 7 Nonne Moſes dedit vobis legem, &
nemo ex vobis facit legem? *& dif-
famat in nos*; id eſt, contra nos,
vel in nos retorquendo, *peccata di-
ſciplinæ noſtræ*, id eſt, dicendo, quod
peccamus, traditiones noſtras, vel
tenendo vel teneri faciendo, unde:
Matth. 15 Quare transgredimini mandatum Dei
propter traditiones noſtras?

Promittit ſe ſcientiam Dei habere
Gloſſa, id eſt, omnia ſe ſcire, tam-
quam Deus: & hoc quantum ad eſ-
ſentiam: *filium Dei ſe nominat*, id
eſt, Deo conſubſtantialem, & coæ-
Joan. 5 ternum quoad perſonam. Patrem
ſuum dicebat Deum: æqualem ſe
faciens Deo. Sic quilibet juſtus ſcien-
tiam Dei habet in intellectu, filius
Dei eſt per gratiam in affectu, un-
Pſal. 81 de Pſalmo: Ego dixi, dii eſtis, ſci-
licet ſcientes bonum & malum: &
filii excelſi omnes.

Factus eſt nobis in traductionem.
Hic ponitur cauſa movens ex par-
te cogitationum: & primo tangitur
cogitationum Judæorum per Chriſtum
manifeſtationis effectus, non ex par-
te Chriſti cauſatus, ſed ex parte
Judæorum, ſcilicet invidia eorum,
ibi: *Gravis eſt*, &c. Factus eſt nobis
in traductionem, id eſt, in propa-
Matth. 9 lationem: *cogitationum noſtrarum*, Gloſ-
ſa, cogitationes noſtras traducit in
lucem, id eſt, extra ducit in noti-
Matth. 1 tiam: Ut quid cogitatis mala in
Aug. lib. 7 conf. c. 16 tom. 1 cordibus veſtris? Sic accipitur *tra-
ducere* ſcilicet pro manifeſtare, ubi

A dicitur: Noluit eam traducere *Gra-
vis eſt etiam nobis ad videndum*, ſci-
licet propter manifeſtationem pecca-
torum ipſorum. Auguſtinus: Oculis
ægris odioſa eſt lux. Qui male agit,
odit lucem. Hoc autem quod ipſum Joan. 3
videre non poterant, ſignum erat 1 Reg. 18
invidiæ, unde: Non rectis oculis
Saul aſpiciebat David, ſcilicet quia
invidebat ei. *Quoniam diſſimilis eſt
aliis vita illius*, vita ſcilicet tota ex-
terior, ſeu converſatio. Contra: Heb. 2
Debuit per omnia fratribus aſſimi-
lari. Dicendum, quod Apoſtolus lo-
quitur de ſimilitudine paſſibilis na-
turæ: hic de ſimilitudine culpæ. Iſa. 6
Notandum autem, quod diſſimili-
tudinis fuit vita, ſive converſatio
B ejus aliis, & quantum ad initium,
quia ſine peccato conceptus, & na-
tus. Semen ſanctum eſt, quod ſte-
terit in ea, id eſt, in Maria. Quod Matth. 1
in ea natum eſt, de Spiritu ſancto
eſt. Et quantum ad medium, quia
ſine peccato converſatus. Peccatum 1 Pet. 2
non fecit, nec inventus eſt dolus,
&c. Et quoad terminum, quia mor-
tuus eſt ſine mortis debito. Pſal-
mus: Quæ non rapui, tunc exſol- Pſal. 68
vebam. *Et immutatæ ſunt viæ illius*,
Gloſſa, diſſimiles factæ ſunt ſcilicet
facta, & diſciplina ejus: Non enim Iſa. 55
cogitationes meæ cogitationes veſtræ,
neque viæ meæ viæ veſtræ, dicit
Dominus.

Tamquam nugaces, &c. Hic tan-
C gitur cauſa movens ex parte locu-
tionum: & primo ponitur ipſorum
reprobatio: ſecundo, aliorum appro-
batio, ibi: *Et præfert noviſſima*; &c.
tertio, ſui commendatio, ibi: *Et* Sopho. 3
gloriatur patrem ſe habere Deum. Tam-
quam igitur nugaces æſtimati ſu-
mus ab illo, id eſt, inania facien
tes, & dicentes. Nugas, qui a lege
receſſerant, congregabo: *Et abſtinet
ſe a viis noſtris*. Gloſſa, id eſt,
actionibus, & traditionibus noſtris:
Tamquam ab immunditiis, Et qui-
dem juſte: quia vere immunditiæ
erant. Unde: Juxta immunditiam Ezech. 36
menſtruatæ facta eſt via illorum co-
ram me. *Et præfert noviſſima juſto-
rum*, id eſt, finem. Et merito qui-
dem, quia mors peccatorum peſſi-
ma: ſed mors juſtorum pretioſa, ſe-
cun-

Psal. 115 Num. 23 cundum illud Psalmi: Pretiosa in A conspectu Domini mors sanctorum ejus. Ideo: Dicebat Balaam: Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Vel secundum Glossam, *Praefert novissima justorum*, id est, vitam aeternam voluptati. *Et gloriatur patrem* Joan. 8 *se habere Deum*. Est pater meus, qui glorificat me.

Videamus ergo, si sermones, &c. Hic in persona Judaeorum, primo tangit finem persecutionis Christi, qui erat, quod de Christo veritatem scire volebant: secundo subditur, qualiter hoc scire poterant, ibi: *Si enim est verus filius Dei*, &c. *Videamus*, &c. quasi dicant, ex quo ita gloriatur, videamus, quasi a remotis de mor- B te ejus tractando. Collegerunt Pon- Joan. 11 tifices, & Pharisaei consilium adversus Jesum. *Videamus*, inquam: *Si sermones illius veri sunt*, scilicet, quod Matth. 27 sit vere filius Dei. Hoc vidit & cognovit ille Centurio, quia videns eum clamando expirare, & motum terrae, aliaque signa, ait: Vere filius Dei erat iste: *Et tentemus*, de prope, eum scilicet crucifigendo, & morti exponendo, *Quae ventura sunt illi*, scilicet si poterit se liberare: Matth. 27 Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. *Et sciamus*, vel *Ut sciamus, quae erunt novissima illius*, scilicet si resurget: & hoc sciemus Matth. 27 ejus sepulchrum custodiendo. Unde: Domine, recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens, post C tres dies resurgam. *Si enim verus est filius Dei*, ut praedixit non per gratiam adoptionis ut nos, sed per naturalem proprietatem aeternae generationis: *Suscipiet illum*, scilicet in gloria. Ecce servus meus, suscipiam Isa. 42 eum: *Et liberabit eum*, scilicet a poena: & hoc est, quod sequitur. *De manibus contrariorum*, id est, crucifixorum, qui erant contrarii. Utrumque fecit ei Deus, ipsum enim liberavit a poena, secundum illud Psal- Psal. 17 mi: Liberator meus de inimicis meis iracundis, scilicet ipsa die passionis, postquam temporalem mortem sustinuit; sed non statim, at tertia die, Soph. 3 secundum illud; Expecta me in die resurrectionis meae; & ipsum cum gloria suscepit in die Ascensionis, unde in Psalmo; Cum gloria susce- Psal. 72 pisti me.

Contumelia, & tormento interrogemus, &c. Hic tangit specialem modum oppressionis; & primo quantum ad ipsa disponentia ad mortem; secundo, quantum ad ipsam mortem; *Morte turpissima*, &c. Dicit ergo. *Contumelia*, scilicet verborum; Heb. 11 *Et tormento*, scilicet verberum. Sancti ludibria, & verbera experti. *Interrogemus eum*, id est, examinemus. Sic factum est, ut patet, quia illu- Matth. 27 Joan. 19 sus est verbis contumeliosis, & caesus flagellis, & tandem affixus clavis in patibulo crucis. *Et sciamus reverentiam ejus*, id est, humilitatem; qua Deum reveretur. Exau- Heb. 5 ditus est pro sua reverentia; *Et probemus patientiam ejus*, scilicet per tormenta, id est, si vere humilis & patiens est. Et vere sic, quia cum 1. Petr. 2 malediceretur, non maledicebat, cum Greg. lib. 1 Dial. cap. 5 in fin. pateretur, non comminabatur. Gregorius. Qualis unusquisque apud se lateat, contumelia illata probat. *Morte turpissima*. Glossa, id est, morte crucis quae usque ad passionem Christi poena fuit reorum, nunc autem est victoriae trophaeum, & gloria Ecclesiae. Augustinus. Crux de Aug. enarrat. in Psal. 36 tom. 8 Philip. 2 poenis latronum transiit ad frontes Imperatorum. Et quia turpissima erat mors crucis; ideo ad ostendendum utilitatem mortis Christi; dicit Apostolus: humiliavit semetip- Matth. 27 Joan. 19 1 Pet. 2 sum, &c. Fuit autem mors Christi turpissima ratione loci, qui extra civitatem in loco Calvariae, ubi projiciebantur capita decollatorum. Ratione temporis, quia die solemni, & hora majori, scilicet hora sexta. Ratione instrumenti, quia in ligno Luc. 23 Matth. 27 crucis. Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Ratione consortii, quia inter latrones. Ratione opprobrii, quia multa opprobria pendenti illata sunt, ut patet. *Condemnemus eum*. Notandum, quod ipsum condemnavit Pilatus, auctoritate; Judaei, persuasione. *Erit enim ei respectus ex sermonibus illius*, id est, cognitio veritatis sermonum illius. Glossa; videbimus, si post mortem valeat resuscitare carnem, dixit enim:

enim: Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud.

Hæc cogitaverunt, & erraverunt. Hic ostendit talium vitam esse fugiendam, tamquam erroneam: primo tangit causam erroris eorum meritoriam; secundo erroris materiam: *Et nescierunt*, &c. tertio erroris auctorem, *Invidia autem diaboli*, &c. Hæc scilicet prædicta, *Cogitaverunt*, scilicet impii, & perfecerunt: *Et erraverunt*, unde: Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ, & lumen non luxit nobis: Item: Errant, qui operantur malum. *Excæcavit enim eos*, scilicet oculum eorum interiorem: *Malitia eorum*, Unde in oratione Hieremiæ: Væ nobis, quia peccavimus: propterea obtenebrati sunt oculi nostri. Item: Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium: *Et nescierunt sacramenta Dei*, id est, sacra, & secreta consilia, & dispositiones de passione, & resurrectione Christi: Notum mihi factum est sacramentum, quod aliis generationibus non est agnitum. *Neque mercedem speraverunt justitiæ*. Glossa id est, mortis Christi, scilicet exaltationem ejus per mortem: de qua; Propter quod, & Deus exaltavit illum, *Nec judicaverunt*. Glossa, id est, intellexerunt: *Honorem animarum sanctarum*, id est, salutem

Sap. 5
Prov. 14
Thren. 5
2 Cor. 4
Ephes. 3
Phil. 2

A animarum per mortem Christi, & resurrectionem obtinendam: Unde: Glossa, non intellexerunt, quia mors Christi honor est, & salus animarum. Psalmus: Nimis honorati sunt, &c. Item: Vobis igitur honor est, &c. Et bene dixi, *Honorem, quia Deus creavit hominem inexterminabilem*, id est, potentem non mori, ex parte corporis: *Et ad imaginem*, scilicet ex parte animæ: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ad imaginem, scilicet in naturalibus. *Similitudinis suæ*, scilicet in gratuitis. Vel ad imaginem in potentia cognitiva, ad similitudinem in potentia affectiva: imago enim est principium cognoscendi, B similitudo ratio diligendi: Omne enim animal diligit sibi simile. *Fecit illum, Invidia autem diaboli*, qui scilicet invidit felicitati primorum parentum: *Mors intravit in orbem terrarum*. Contra: Per unum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors. Dicendum, quod intravit, per diabolum suggerentem, & per hominem consentientem. *Imitantur autem illum*, scilicet diabolum invidendo justis: *Qui sunt ex parte illius*, scilicet impii, qui sunt de parte diaboli: ipse enim est caput omnium iniquorum, ut dicit Gregorius.

Psal. 138
1 Pet. 2
Gen. 1
Eccl. 13
Rom. 5
Greg. lib. 13 Mor. cap. 5

CAPUT TERTIUM.

JUSTORUM autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio, exitus illorum. Et ab itinere justo abierunt in exterminium, & quod a nobis est iter exterminii: illi autem sunt in pace. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi quoniam donum & pax est electis ejus. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, corruptionem habebunt: quia neglexerunt justum, & a Domino recesserunt. Sapientiam enim, & disciplinam qui abjicit infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Mulieres eorum insensatæ sunt & nequissimi filii illorum. Maledicta creatura eorum: quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima: dabitur

enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidit radix sapientiæ. Filii autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et siquidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis alloqutionem: Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

EXPOSITIO IN CAP. III.

IN præcedentibus retraxit a malorum imitatione: hic provocat ad bonorum imitationem. Et primo per status eorum, commendationem: secundo per status oppositi, reprobationem, ibi: *Impii autem secundum quæ cogitaverunt*, &c. In parte prima ex parte retributionis justorum tangitur primo eorum liberatio a malo: secundo eorum præmiatio in bono. *Fulgebunt justi*, &c. In prima primo tangitur eorum liberatio a malo æternæ damnationis: secundo a malo mortis temporalis, ibi: *Visi sunt oculis*, &c. Tertio a malo præsentis B vexationis vel tribulationis. *Et si coram hominibus tormenta passi sunt.*

Justorum animæ in manu Dei sunt, &c. Rabanus sic continuat: in priori capite iniquorum sententia expressa est, quam circa Christum protulerunt: nunc condemnantur stultitiæ, quia sanctos interire putant, quos pro ejus confessione trucidant. Sed potest continuari hoc modo: Bene dixi; quod imitantur diabolum, qui sunt ex parte illius. *Autem*, pro, sed *Justorum animæ*, & cætera, id est, martyrum, secundum Glossam, quod etiam verum est de aliis justis. Sed martyres dicuntur specialiter justi, quia justus est, qui negligit damnum propter amicum, ut
Prov. 12 habetur in Proverbiis, & hoc præcipue faciunt martyres, quia pro CHRISTO negligunt damnum rerum, & amicorum carnalium, & etiam propriorum corporum, ut patet apud Paulum, *Justorum*, inquam, *Animæ*.
Heb. 11 Non dicit corpora: quia terra, id est, corpus de terra factum, tradita est in manus impii. Non dicit tem-
Job. 9 poralia. Ecce omnia quæ habet, in
Job. 1 manu tua sunt, &c. Sed animæ in manu Dei sunt, id est protectione,
Psal. 90 & ideo sunt securæ. Psalmus: Qui A habitat in adjutorio altissimi, &c. Non rapiet eas, quisquam de manu Joan. 10
mea. *Et non tanget illos tormentum mortis*, scilicet æternæ, ut dicit Glossa. In sex tribulationibus liberabit Job. 5
te, & in septima non tanget te malum, id est, mors gehennæ. Hoc tormentum describit Job, dicens: Ab aquis nivium transiet ad calo- Job. 24
rem nimium. Item in Psalmo: Pluet Psalm. 10
super peccatores laqueos ignis, &c. Nomine autem mortis, in sua communitate sumpto, intelligitur hic mors æterna, quia illa est vera mors: temporalis autem est, quasi umbra mortis: est enim quidam transitus ad vitam, secundum illud Joannis; In judicium non venit, sed transit a Joan. 5
morte in vitam.

Visi sunt oculis, & cætera. Notandum, quod mali, & increduli mortem sanctorum reputant mortem in separatione conjunctionis animæ ad corpus: afflictionem in dolore conjuncti, exterminium in perditione animæ, quam putant cum corpore interire: *Iter exterminii*, quantum ad sequentem incinerationem corporis. Legendum igitur sic: *Visi sunt* id est, justi *oculis insipientium mori*, scilicet morte æterna, cum transeant ad vitam meliorem. Unde Augusti- C nus: Tantam præstitit Deus gra- Aug. lib. 13 de civ. Dei
tiam fidei Christianæ, ut mors, cap. 4 in
quam vitæ constat esse contrariam, fin. tom. 5
instrumentum fieret, per quam transiretur ad vitam. *Oculis*, inquit, *insipientium*, qui oculos suos statuerunt Psalm. 16
declinare in terram, id est, qui solum considerant præsentia, nec futura, & ideo talibus videntur prorsus mori: sed oculis sapientium videntur nasci: propter quod obitus sanctorum vocatur Natale, secundum illud: Cum te consumptum pu- Job. 11
taveris, orieris ut lucifer, *Et æstimata est*, scilicet ab impiis *Afflictio*, scilicet sola sine aliqua utilitate;

Ex-

Exitus illorum, de corpore: cum transit illius consolatio, secundum illud: Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Bernardus: Sancti habent mortem in desiderio, vitam in patientia. Reprobis autem est afflictio exitus suæ mortis: & hoc quia, ut dicit idem Bernardus, est eis dolor in exitu, horror in transitu, pudor in Dei conspectu. Philip. 1

Et ab itinere justo, id est, a via justitiæ, *abierunt in exterminium* Glossa, id est, reputatione malorum, quia palmam martyrii afflictionem putant, & exterminium, id est, secessum in nihilum: & repete, *abierunt justi*, reputationem impiorum, *in iter exterminii*, id est, incinerationem, quantum ad corpus: quod exterminium, sive iter exterminii, *est a nobis*, id est, a primis parentibus. Per unam hominem mors intravit in mundum. Vel exterminium vocat mortem temporalem, quia excludit a vita præsenti: iter autem exterminii vocat mortem æternam: quia excludit a vita æterna. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Et cum hoc ibi transitur, vel itur a pœna mortifera in pœnam mortiferam, secundum illud: Ab aquis nivium transiet ad colorem nimium. Tales errant sic æstimando, unde: Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Rom. 5 Baruch. Job. 24 Sap. 9

Illi autem sunt in pace. Glossa perpetuæ quietis, nunc in spe, tandem in re. Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Terminus enim justorum est pax, unde: Erit opus justitiæ: pax. Apoc. 14 Isa. 32

Et si coram hominibus, & cætera. Hic tangitur liberatio a malo præsentis vexationis: & primo liberatio in spe; secundo in re, ibi; *Ibi in paucis vexati*, & cætera: tertio causam utriusque, ibi: *Quoniam Deus tentavit eos*, & cætera. Dicitur ergo: *Et si*, pro quamvis, *coram hominibus*, Glossa, quia coram Deo corona gloriæ, *tormenta passi sunt*, scilicet gravia & varia, ut patet in martyribus, de quibus: Lapidati sunt, secti sunt, &c. *Spes illorum*, scilicet justorum, secundum illud: Justus sperat in morte sua, *immortalitate plena est*, immortalitate, inquam, non qualis fuit immortalitas primorum parentum, scilicet cum possibilitate moriendi: non qualis damnatorum in inferno, scilicet cum moriendi perpetuo desiderio: Desiderabunt mori: & fugiet ab eis mors: non qualis parvulorum in lymbo, scilicet cum defectu vitæ gloriosæ: sed qualis beatorum in cœlo. Gloriamur in spe filiorum Dei. Et merito sperant, quia, *in paucis vexati*, Glossa, corporaliter, *in multis bene disponentur*. Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Ego dispono vobis regnum, &c. Quæ autem sint ista multa, dicitur: Oculus non vidit, Deus, absque te: quæ præparasti expectantibus te. Hebr. 11 Prov. 14 Apoc. 9 Rom. 5 Matth. 25 Luc. 22 Isa. 64

Sed dubitatur de hoc, quod dicit: *In paucis vexati*, &c. quia dicitur: Lapidati sunt, secti sunt, &c. Dicendum, quod multa fuerunt eorum tormenta in se: sed pauca in comparatione. Primo in comparatione suæ reputationis, secundum illud; Videbantur enim, scilicet Jacob, dies pauci præ amoris magnitudine. Secundo passionis Christi: O vos omnes, qui transitis per viam. Item: Absorpti sunt juncti petræ, scilicet Christo, judices eorum, id est, ipsi Apostoli, & alii majores. Tertio in comparatione futuræ mercedis: Non sunt condignæ passiones, &c. Item: id, quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quarto in comparatione æternæ afflictionis. Qui timet pruvinam, irruet super eum nix. Quinto in comparatione debiti, & obligationis, id est, pœnæ debitæ, propter dimissa, & obligationis propter commissa: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi. Hebr. 11 Gen. 29 Thren. 1 Psalm. 140 Rom. 8 2 Cor. 4 Job. 6 Psalm. 115

Quoniam Deus tentavit eos, &c. Hic tangitur causa prædictorum: & primo eorum castigatio: secundo eorum purgatio, ibi: *Tamquam aurum in fornace*, &c. tertio futura remuneratio, ibi: *Et in tempore erit* &c. Bene dixi, quod in multis bene disponentur: *quoniam Deus tentavit eos*, Glossa, id

id est, castigavit variis tribulationibus. Ut castigati, & non mortificati. Sed contra, quia Deus neminem tentat, ut habetur apud Jacobum: Dicendum, quod non tentat ad addiscendum, ut homo: Tenta nos obsecro, &c. nec ad condemnandum, ut diabolus: Accedens tentator dixit ei, &c. Item: Ne tentet vos satanas: sed ad erudiendum, ut magister discipulum. Proba me Domine & tenta me, &c. *Et invenit eos dignos se*, scilicet participatione beatitudinis suæ quæ per tribulationes acquiritur. Unde: Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cœlorum. Item: Si in probatione fuerit, coronabitur, *tamquam aurum in fornace probavit illos*, scilicet ex parte animæ, eos per ignem tribulationum purgando, sed non consumendo. Glossa, sicut aurum in fornace non uritur, sed probatur: ita Martyres non deficiunt, sed ad gloriam præparantur. In igne probatur aurum & argentum, homines vero receptabiles in camino humiliationis, quæ scilicet est per tribulationes præsentes. Probavit me quasi aurum, quod per ignem transiit. *Et quasi holocausti hostiam*, quæ tota incenditur in sacrificio Dominici corporis, *accepit eos*, scilicet ex parte animæ, eorum devotionem approbando, vel acceptando. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, *& in tempore*, scilicet retributionis. Glossa: Non est perpetua mors sanctorum, sed in die judicii copiosa remuneratio, *erit respectus illorum*, id est respicientur a Deo, scilicet oculo misericordiæ, quod petebat, dicens: Respice in me, & miserere mei. *Respectus*, inquam, eorum, id est, justorum, qui modo videntur derelinqui a Deo, secundum illud: Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti. Item, contemni, secundum illud: Quare faciem tuam avertis.

Fulgebunt justi, &c. Postquam egit de liberatione a malo, hic subdit de præmiatione in bono: primo, quantum ad stolam corporis: secundo, quantum ad honorem judiciariæ potestatis, ibi: *Judicabunt nationes*, &c. tertio, quantum ad gloriam divinæ fruitionis, ibi; *Qui confidunt in illo*, &c. Bene dixi, quod erit in tempore respectus illorum quia, *Fulgebunt justi*, scilicet dote claritatis in judicio, quoad substantiam corporis secundum illud: Fulgebunt tunc justi, sicut sol: sol autem septempliciter, quam modo, unde: Erit lux lunæ, ut solis, & lux solis septempliciter: *& tamquam scintillæ discurrent* id est, ad discurrendum habiles per dotem agilitatis, & hoc quoad operationem, vel motum corporis, secundum illud; Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ. Augustinus, ubi voluerit spiritus, protinus erit, & corpus. *Tamquam scintillæ*, inquam, *in arundineto*, quod incendent, & consument. Arundinetum vocat hic collegium reproborum; quia est exterius per similitudinem splendidum, interius veritate vacuum, nullo fructu boni operis onustum, palude carnalis concupiscentiæ assidue irrigatum, a vento superbiæ agitatum, æternæ combustioni aptum. In hoc arundineto dicuntur Sancti discurrere, eos conculcando. Calcabitis impios. In scintilla vero quatuor dotes corporis notari possunt, scilicet per ignem, claritatem, subtilitatem, agilitatem, & virtutem activam, per quam impassibilitas potest intelligi. *Judicabunt nationes*. Hoc specialiter dicitur de sanctis perfectis, qui judicabunt, & non judicabuntur. Quatuor enim ordines in judicio erunt, ut dicit Glossa super illud: non resurgent impii in judicio. Sed quomodo judicabunt sancti cum scriptum sit; Pater omne judicium dedit filio? Dicendum, quod est judicium auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas: disceptationis, quo solus Christus homo; assessoriæ dignitatis, quo soli sancti perfectiores; approbationis, quo omnes boni; comparationis, quo boni; id est, minus mali. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, *& dominabuntur populis*, scilicet post judicium. Regnabimus super terram, id est, ter-

terrenos. Vel, *dominabuntur populis*, A post mortem. Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, id est, nos de beneficiis beatorum, *& regnabit cum eis, vel in eis Dominus illorum*, scilicet Christus Rex regnabit, &c. *In perpetuum*. Regni ejus non erit finis. Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.

Matth. 15.

Apoc. 11 Luc. 1 Psal. 144

Qui confidunt in &c. Hic tangit gloriam fruitionis: & hanc tangit in tribus, scilicet in cogitatione veritatis, in inhæsione bonitatis, ibi: *Et fideles in dilectione*, in perfectione comprehensionis, ibi: *Quoniam donum, & pax est*, &c. Dicit ergo, *qui confidunt*, &c. quasi dicat, non solum judicabunt; sed etiam qui confidunt in illum, scilicet, DEUM in præsenti, secundum illud. Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, *Intelligens veritatem*, aperta visione. Videbimus eum, sicuti est. Glossa, secundum confidentiam veram datur intellectus veritatis, *& fideles in dilectione*, id est, fideliter illum diligentes, & inseparabiliter, sicut Apostolus, qui dicebat: Quis nos separabit a charitate CHRISTI, &c. Amico fideli nulla est comparatio, *acquiescent illi*, Glossa, quia in futuro ab ejus societate non poterunt avelli, quam hic fide, & spe jam tenebant: Succedet ergo intelligentia fidei, quies in Deo per dilectionem, *quoniam donum*. Glossa, æternæ societatis. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Item: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ. *Et pax*, æterna, secundum Glossam: Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Item: Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, *& electis ejus*, sanctis, quos Deus elegit de hoc mundo. Non me elegistis: sed ego elegi vos de mundo. Potest etiam hoc exponi de merito præsenti, quod consistit in cognitione veritatis per fidem, in conformitate humanæ, & divinæ voluntatis per amorem: ita quod donum referatur ad fidei cognitionem, & pax ad amoris tranquillitatem, & quietem.

Psal. 124

1 Joan. 3

Rom. 7

Psal. 15

Isa. 32

Philip. 4

Joan. 15

Impii autem secundum quæ cogitaverunt, &c. Hic ponit oppositi status reprobationem. Et primo ostendit falsum esse impiorum errorem de sua impunitate: secundo erroneam esse eorum opinionem de præmio continentis vitæ, ibi; *Quoniam felix est sterilis*, tertio de supplicio incontinentiæ, ibi; *Filii autem adulterorum*. &c. In prima parte tangit primo eorum punitionem in seipsis; secundo æquitatem punitionis, ibi: *Sapientiam enim, & disciplinam* &c. tertio punitionem exuberantem etiam in suis, ibi; *Mulieres enim insensatæ*, &c. Sequitur igitur: *Impii autem*, &c. Bene dixi, quod justi sic præmiabuntur, *autem*, pro sed, *Impii secundum quæ cogitaverunt*, id est, merito malarum cogitationum, lo- B cutionum, & operationum, ex malis eorum cogitationibus procedentium, *habebunt correptionem*, id est, pœnam, ut dicit Glossa, unde dicit: Cum justi intrabunt in requiem, impii ibunt in supplicium æternum, *qui neglexerunt justum*; neutraliter, id est, justitiam: vel masculine justum, id est, ipsum DEUM, secundum Glossam, & hoc bonum omittendo. Maledictus, qui facit opus Hier. 48
Domini fraudulenter, Seneca: Gravis jactura est, quæ per negligentiam fit, *Et a Domino recesserunt*, malum aperte committendo. Quoniam malum, & amarum est, te Hier. 2
dereliquisse DEUM tuum: malum propter pœnam damni; amarum, pro- C pter pœnam sensus. Glossa dicit, a Domino recedunt, qui disciplinam, & sapientiam abiiciunt. Hoc autem valde malum. *Sapientiam enim*, &c. enim, pro quia, *qui abiicit* Glossa, male operando, *sapientiam*, de æternis, *disciplinam*, de temporalibus: vel potius, *sapientiam*, fidei, *disciplinam*, morum, *infelix est*, scilicet ejus, id est, felicitate indignus. Sed econ- Prov. 3
tra, Beatus homo qui invenit sapientiam; & ideo ibidem: Discipli- Ibid.
nam Domini, fili mi, ne abiicias. Item: Noli negligere disciplinam Heb. 12
Domini, *Et vacua est*, scilicet effectu, *spes illorum*, Glossa, qua putabant temporalia fore æterna, & peccata fore impunita. Vana spes, & Eccl. 10
mendacium homini insensato, *& labores*, in sustinendo, *sine fructu*, Glos-

Eccl. 10 Glossa, mercedis æternæ. Labor stultorum affliget eos. Econtra justo dicitur. Labores manuum tuarum quia
Psal. 127 manducabis, beatus es, unde infra:
Sap. 5 Ambulavimus vias difficiles, sed scilicet infructuosas, unde; Laborabunt
Abac. 2 enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient, & *inutilia opera ejus*, in agendo: inutilia, quia cœlestem habitationem
Galat. 5 non merentur: ut dicit Glossa. Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ex prædictis patet, quod tales consequentur quatuor mala, quæ sunt, personæ infelicitas, spei vacuitas, laboris infructuositas, operis inutilitas, id est, opus demeritorum. *Mulieres*, &c. quasi dicat, nec solum ipsi, sed & mulieres, id est, uxores, *eorum insensatæ sunt*, id est, sapientia carentes, *& nequissimi filii eorum*, quia paterni sceleris imitatores: sceleris, inquam, in se, & in proximum & in Deum, & ideo nequissimi. *Maledicta creatura eorum*, id est, factura, secundum Glossam. Sapientia enim quæ Deus benedicendo creavit, non maledicit: sed operationem reproborum maledictione æterna dignam ostendit. Secundum Glossam, hæc allegorice de hæreticis exponi possunt, ut dicamus: *Mulieres*, id est carnales voluptates, vel pravæ interpretationes, vel dogmata: & *filii*, id est, opera prava, & *creatura eorum*, id est, discipuli: vel *maledicta creatura* non simpliciter, sed *eorum*, inquantum venit in abusum eorum.

Quoniam felix sterilis, &c. Hic ostendit præmium continentis vitæ, quod reprobi putabant nullum esse. Et primo illud ostendit ex parte sexus fœminei: secundo ex parte sexus virilis, *& spado*, &c. Dicit igitur, *quoniam*, &c. quasi bene dixi, quod mulieres eorum, & filii ex eorum luxuria procreati sunt maledicti: quoniam econtra *felix sterilis*, id est, casta corpore: & ponit consequens, pro antecedente, *& incoinquinata mente*.
Luc. 23 Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, *quæ nescivit* scientia experientiæ, *thorum in delicto*, adulterii, dicit Glossa: Quantum autem sit peccatum adulterii, tangitur in

A Ecclesiastico versus finem, quasi per totum: Non grandis culpa est, cum Eccl. 41
quis furatus fuerit, &c. Et infra.
Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. Prov. 6 Ibidem
Glossa etiam hæc exponit de adulterio spirituali, dicens: Felix anima casta, & continens, quæ nec hæresi, nec idololatria polluitur, *habebit fructum*, Glossa, æternæ beatitudinis fructum, scilicet vel trigesimum, qui debetur conjugatis, vel sexagesimum, qui viduis, vel centesimum, qui in virginibus. De hoc multiplici fructu dicitur in parabola de semine. Et ortum fecit fructum, &c. Luc. 8 Fructus multiplex.
Et respectione animarum sanctarum, Glossa, in die judicii, quando Deus
B respiciet animas sanctas, eas remunerando: & ipsæ respicient eum contemplando.

Et spado, &c. Hic ex parte sexus virilis primo tangitur continentiæ meritum: secundo præmium, ibi: *Dabitur*, &c. tertio ratio præmii: *Bonorum enim*, &c. Sequitur igitur: *Et spado*, qui scilicet castravit se propter regnum cœlorum. *Qui non operatus est per manus suas iniquitatem*, Matth. 19
id est, peccatum incontinentiæ non perpetravit opere, sed mundus est corpore: *Nec cogitavit adversus Deum nequissima*, id est, nec peccavit consensu, vel volutate, sed est mundus corde: utraque enim munditia requiritur, unde Augustinus: Ubi Domi-
C nus judicans mentis corruptionem invenerit, simul & corporis corruptionem damnabit. *Spado*, inquam, talis: *Felix est*, modo in spe, sed tandem in re. *Dabitur enim illi*, in præsenti, scilicet: *Fidei donum electum*, fidei, inquam, quæ in spe beatificat, secundum illud: Beati, qui Joan. 20
non viderunt, & crediderunt. Donum electum, vocat donum Dei, quia ex divina electione datur, & homines electos facit: Vobis datum Phil. 1
est non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: *Et sors*, id est, portio in futura: *In templo Dei*. Glossa, cœlo: Dominus Psal. 10
in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes ejus. Sed contra, quia: Templum non vidi in ea, scilicet Apoc. 21
in civitate superna. Dicendum, quod

non

non est ibi templum materiale, sed spirituale: *Acceptissima*. Notandum, quod sors accepta est in bonis naturæ, acceptior in bonis gratiæ, acceptissima in bonis gloriæ. Hæc, est datum optimum, de quo: *Bonorum enim laborum gloriosus est fructus*. Glossa, id est, æternum gaudium. Unusquisque mercedem accipiet secundum laborem suum: *Et quæ non concidit radix sapientiæ*, intransitive: sapientia enim radix hujus fructus. Hæc radix non concidit, quia perpetuæ salutis fructum affert, secundum Glossam. Radix sapientiæ timere Dominum. Hæc radix paucis est nota. Non est timor Domini ante oculos eorum. Radix sapientiæ, cui revelata est?

Jac. 1
1 Cor. 3
Eccl. 1
Eccl. 1

Filii autem adulterorum, &c. Hic determinat pœnam incontinentiæ, quam putabant reprobi nullam esse: & primo tangitur pœna eis infligenda in futuro: secundo, inflicta in hoc mundo, ibi: *Siquidem*: tertio, pœnæ ratio, ibi, *Nationes*, & cætera. Dicit igitur, filii, & cætera: bene dixi, quod continentes remunerabuntur: *Autem*, pro sed, *filii adulterorum*, imitatores, scilicet paternæ incontinentiæ, *In consummatione erunt*, id est, æterna consumptione, secundum Glossam. Vindicans peccata patrum in filios, scilicet imitatores paterni sceleris, *& ab iniquo thoro*, scilicet adulterii, *semen*, supple, productum, *exterminabuntur*, Glossa in futuro: quando scilicet extra terminos viventium projicientur, unde: Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Glossa vero aliter exponit de filiis, & semine, id est, de discipulis hæreticorum, quibus comminatur hic pœnam sensus, & pœnam damni, quia adulterant verbum Dei. De talibus dicitur: Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, *Et si quidem longæ vitæ erunt* scilicet in hoc mundo, *in nihilum computabuntur*, scilicet sine ullo valore in se. Augustinus, nihil sunt, & nihil fuerunt homines, cum peccant. Vel, *in nihilum computabuntur*, secundum Glossam, id est,

Exod. 20
Baruc. 3
2 Cor. 2

A memoria eorum in æternum benedictione carebit. *Et sine honore*, scilicet ab aliis exhibito. Qui contemnunt me, erunt ignobiles. Sine honore, inquam. *Erit novissima senectus illorum*, quæ tamen deberet esse reverenda, unde. Honora personam senis. Item: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. *Et si celerius defuncti fuerint*, scilicet morte præoccupati, secundum illud Psalmi: Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. *Non habebunt spem*, id est, rem speratam post mortem, scilicet vitam æternam: quia Spes impiorum peribit: *Nec in die agnitionis*, scilicet universalis, quæ erit

1 Reg. 2
Levit. 19
Sap. 4
Ps. 54
Prov. 10

B in judicio, secundum Glossam: Dies autem judicii dicitur dies agnitionis quoad bonos, quia tunc a Deo cognoscentur, sicut fratres Joseph ab ipso. Item quoad malos: quia occulta eorum cognoscentur. Illuminabit abscondita tenebrarum, & cætera. Item quoad ipsum Deum, quia a sanctis cognoscetur. Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum. Item quoad Christum hominem, quia tunc a cunctis aperte videbitur. Videbit omnis caro, quod os Domini locutum est. Item: Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Item: Videbit eum omnis oculus. Item quoad ipsum mundum, in quo nihil est, quod tunc latebit, vel abscondetur, secundum illud Psalmi:

Gen. 42
1 Cor. 4
1 Cor. 13
Isa. 40
Isa. 52
Apoc. 1

C Revelata sunt fundamenta orbis terrarum. *Nec in die*, inquam, *agnitionis* repete, habebunt; *Allocutionem*, id est, blandam, vel consolatoriam: sed asperrimam licentiam, unde: Discedite a me maledicti, & cætera. *Nationes enim iniquæ*, id est, iniquitatis actores: *Diræ sunt consummationis*, id est finis, scilicet asperitatem pœnæ habent in fine; quidquid sit de principio, vel de medio, quia:

Non eodem cursu respondet ultima primis.

Filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii.

Psalm. 17
Matt. 25
Eccl. 41

CAPUT QUARTUM.

Hic primus versus non est in codice græco, sed sumptus est ex Ecclesiastic. 9 in fine.

O Quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam, & apud Deum nota est. & apud homines Cum præsens est, imitantur illam: & desiderant eam, cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Etsi in ramis in tempore germinaverint: infirmiter posita, a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filii, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis; & ætas senectutis, vita immaculata. Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona: & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia. Consummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum: populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia. Quoniam gratia Dei, & misericordia in sanctos ejus, & respectus in electos illius. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celerius consummata longam vitam injusti. Videbunt enim, finem sapientis, & non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus: Videbunt enim, & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit: & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumeliam inter mortuos in perpetuum; quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos a fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

EXPOSITIO IN CAP. IV.

HIc agit de justitia hominis ad seipsum. Commendat autem justitiam, reprobat injustitiam, comparando statum justorum, statui injustorum: primo ante judicium, scilicet in hoc capitulo, secundo, in judicio, capitulo sequenti. Ante judicium tripliciter: primo, quantum ad statum vitæ præsentis: secundo, quantum ad statum mortis. *Justus in morte*, tertio, quantum ad statum post mortem: *Condemnat*, &c. In prima parte, primo ostenditur status justorum commendabilis ex se: secundo est status oppositi scilicet injustorum reprobatione; *Multigena*, &c. Statum justorum primo commendat a decore, secundo ab immortalitate: *Immortalis est*; tertio ab ædificatione, *Cum præsens*, &c. quarto A a remuneratione, *Et in perpetuum*, &c.

O quam pulchra, &c. quasi dicat, bene dixi, quod nationes impiorum sunt diræ consummationis: sed o quam pulchra, & cæt. admirando, hoc dicit: *Pulchra*, quantum ad opera: *Casta*, quantum ad innocentiam mentis: *Cum claritate*, quantum ad virtutum nitorem, secundum Glossam. Tota pulchra es amica mea, &c. Item: Sint lumbi vestri præcincti, per innocentiam, & lucernæ ardentes per virtutum nitorem: & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, per bonorum operum sollicitudinem. Et bene dixi, quod pulchra est, scilicet pulchritudine spirituali: *Immortalis enim est memoria illius*, per felicem recordationem. Memoria justi, cum laudibus: *Quoniam apud* Cant. 4 Luc. 12 Prov. 10

Deum nota est per approbationem. Novit Deus, qui sunt ejus: *Et apud homines*, scilicet ratione utentes, & sapientes per laudem, seu laudis continuationem. Sapientiam, scilicet sanctorum ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia. Et bene dixi, quod immortalis est, &c. *Cum enim præsens est*, scilicet in vita præsenti: *illam imitantur*; quasi exemplar pulcherrimum. Imitatores mei estote; *Et desiderant eam*, scilicet justorum pulchram, & castam generationem videre, scilicet ad imitandum, *Cum seduxerit*, de vita ista per mortem. Transierunt, quasi naves poma portantes, quæ scilicet post suum transitum relinquunt odorem. Curremus in odorem unguentorum tuorum. Notandum, quod justos educit Deus de vita præsenti effective, secundum illud Psalmi: Educ de custodia, vel de carcere animam meam. Ipsi autem educunt seipsos consentiendo, vel hæc desiderando, & petendo, in Psalmo: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei: *Et in perpetuum coronata*, scilicet corona vitæ perpetuæ. Esto fidelis, usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: *Triumphat*, id est, triumphando acquirit: *Præmium incoinquinatorum certaminum*, id est, quod debetur certaminibus incoinquinatis, id est, non inquinatis per defectum perseverantiæ, *præmium* inquam, *vincens*: præmium datum, pro certamine certatorio, ut dicit Glossa, unde: illi, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Vel, *præmium vincens*, id est, superans magnitudinem persecutionum, secundum illud: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: unde Glossa, præmium, quod majus est illis certaminibus, & persecutionibus, quas sustinuerunt in præsenti.

1 Tim. 2 · Eccl. 44 · Phil. 3 · Job. 9 · Cant. 1 · Psal. 141 · Psal. 41 · Apoc. 2 · 1 Cor. 9 · Rom. 8

Multigena, &c. Hic tangit statum injustorum reproborum, ipsum vituperando: primo in seipsis: secundo in ramis: *Et si in ramis*: tertio in fructibus, *Et fructus*, quarto in posteris, *Ex iniquis*, &c. *Multigena autem*, &c. quasi dicat, talis est pulchra, & casta justorum generatio. *Autem*, pro sed, *multigena*, *multitudo impiorum*. &c: Stultorum infinitus est numerus. Tangit autem hic triplicem pluralitatem, seu multitudinem impiorum, in tribus verbis, scilicet qui spargitur per diversos errores, quoad rationabilem, contra quod: Nolite plures magistri fieri. Item per diversos appetitus, quoad concupiscibilem: Divisum est cor eorum, nunc interibunt. Item per diversa odia, quantum ad irascibilem: Hierusalem in acervum lapidum erit, id est, sine cœmento charitatis. Primam tangit, vel innuit per hoc, quod dicit: *Multigena*, id est, multos generans errores: secundam, per hoc, quod dicit: *Multitudo*, quasi sine charitate, unitate, vel vinculo: tertiam, per hoc, quod dicit: *Impiorum*, pluraliter, id est, sine pietate, sed cum multa crudelitate, *Multigena* inquam, *multitudo impiorum non erit utilis*: immo nociva, ut dicit Glossa, non fuerunt in auxilium & in aliquam utilitatem. Sed contra, quia sicut dicit Augustinus, si pauciores essent mali, quam boni, non auderent exercere bonos: hoc autem exercitium est bonis utile: quia dicit Gregorius, quod Abel esse non potest, quem Cain malitia non exercet. Item in psalmo: Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, scilicet coronam perpetuam mihi. Sed dicendum, quod hanc utilitatem non consequentur justi ex impiorum intentione: quia non intendent eis prodesse: sed ex sua bonitate, vel ex sua bona voluntate, malis eorum bene utente: *Et spuria vitulamina non dabunt radices altas*; Ita habet littera Rabani, & omnium antiquorum. Item Ambrosius in quadam epistola dicit quibusdam: Vos estis nobilia vitulamina, id est, nobiles plantationes. Sed Augustinus dicit, quod melius diceretur, adulterinæ plantationes: & propter hoc remansit in textu, *adulterinæ plantationes*, in novis Bibliis. Notandum autem, quod vitulamina sunt plantæ infructuosæ, quæ nascuntur juxta truncum vitis, unde dicitur vitula-

Eccl. 1 · Jac. 4 · Osee. 10 · Mich. 3 · Isa. 60 · Aug. serm. 254 t. 10 · Greg. l. 1 in Ezech. homil. 9 longe post med. · Psal. 128 · Aug. l. 2 de doct. Chr. c. 12 t. 3

lamen a vite. Vel secundum quosdam dicitur a vitulo, quia talis planta nascitur in terra, vitulis, sive bobus arata. Spurius autem dicitur idem, quod ignobilis, vel degenerans: unde spuria vitulamina, id est, plantationes degenerantes, vel innaturales, & adulterinæ plantationes, id est, generationes impiæ de spirituali adulterio natæ, scilicet per propagationem impietatis multiplicatæ. Generatio adultera signum
Matt. 12 quærit. *Non dabunt radices altas in se*, id est cogitationes, & affectiones in cœlum tendentes, sed in terra defixas: homo enim secundum Philosophum est arbor eversa: unde radices suas debet mittere & figere sursum, scilicet suum intellectum, & affectum. Unde in psalmo Me-
Ps. 18 ditatio cordis mei in conspectu tuo
Ps. 121 semper. Item Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.
Psal. 37 Item: Domine ante te omne desi-
Coloss. 3 derium meum. Item: Quæ sursum sunt, quærite, scilicet investigando intellectu: quæ sursum sunt
Psal. 33 sapite, saporando affectu. Gustate, & videte: *Nec stabile firmamentum, vel, fundamentum*, scilicet recte fidei ad Deum, *collocabunt*; fides enim est fundamentum spiritualis ædificii, unde: Fides est substantia
Heb. 11 rerum sperandarum, &c. Funda-
1 Cor. 3 mentum nemo potest ponere aliud, præter id, quod positum est, Christus Jesus, id est, fides de Christo Jesu. Aliter secundum Glossam exponitur de hæreticis, & eorum discipulis. Sequitur: *Et si in ramis*, id est, exterioribus bonis, &c. Tales erant rami illius babylonicæ ar-
Dan. 4 boris, scilicet Nabuchodonosor: *In tempore germinaverunt*, id est, ad tempus modicum aliquod principium boni ostenderunt, secundum illud:
Isa. 18 Immatura perfectio germinavit, *Infirmiter posita*, id est, ad horam, ut dicit Glossa, vel, *infirmiter posita*, id est, debiliter in bono radicata, *a vento commovebuntur*, id est a tentatione leviori, secundum
Ezech. 17 illud: Nonne cum tetigerit eam ventus urens, siccabitur? *Et a nimietate ventorum*, id est, persecu-

A tione graviori, *eradicabuntur*, Glossa, penitus evellentur. Omnis plan- Matt. 15
tatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur. *Confringentur enim rami inconsummati*, id est, doctrinæ eorum, vel operationes carentes perfectione. Super omnia charitatem habete, quæ est Coloss. 3
vinculum perfectionis: *Et fructus illorum* scilicet proprii, id est, opera eorum mala, secundum illud: Arbor mala fructus malos facit, *inu-* Matt. 7
tiles, ut non reficiant. Opera eorum opera inutilia, *& acerba ad* Isa. 59
manducandum, ut non delectent, sed torqueant. Uva eorum, uva fellis, & botrus amarissimus. Patres Deut. 32
comederunt uvam acerbam, &c. *Ad* Ezech. 18
B *nihilum apti*, ut in nullo de se proficiant. Cum esset integrum, non erat aptum ad opus: quando magis Ezech. 15
cum ignis illud devoraverit *Ex iniquis*, &c. quasi diceret, vere multigena multitudo impiorum non erit utilis, &c. *Ex iniquis enim omnes filii, qui nascuntur*, non solum nativitate propagationis: sed etiam imitationis, de qua: Vos ex patre diabolo estis. *Testes sunt nequitiæ ad-* Joan. 8
versus parentes, per pravitatis similitudinem, *in interrogatione sua*, id est, in judicii divini examinatione: quoniam Deus justus judex interrogabit opera eorum. Item eorum ver- Sap. 6
ba: De omni verbo otioso, &c. Matt. 12
Item eorum cogitationes, supra: In Sap. 1
C cogitationibus impii interrogatio erit, &c.

Allegorice exponit hoc Glossa de hæ- Hæretici.
reticis, qui sunt multigena multitudo, quia per diversas sectas diversorum hæresiarcharum dividuntur; qui inutiles sunt Ecclesiæ, immo nocivi, quia eam persequuntur. Adulterinæ plantationes sunt eorum discipuli, qui ex eorum doctrina erronea generantur. Radices altas non dant, qui in Christo Deo, & homine non collocantur. Eorum rami sunt instabiles: quia sicut boni habere videntur, tempore persecutionis ab Ecclesia avelluntur. Fructus eorum sunt, & cætera: quia doctrinis eorum, & expositionibus homines simplices invenenantur. Filii eorum sunt

te-

testes nequitiæ adversus parentes, A
quia ex multiplicatione discipulorum
errores magistri gravius damnabuntur.

Justus autem, & cætera. Hic ponit comparativam commendationem
justorum, quoad statum mortis. Et
primo ostendit hic non esse sanctis
damnosa temporalis mortis acceleratio: secunda subditur accelerationis
ratio; ibi: *Placens Deo:* tertio populi aspicientis stulta opinio. *Populi
autem videntes*: Dicit ergo: Justus
autem, & cætera: quasi dicat, sic
est de iniquis: *autem*, pro sed, *Justus si morte præoccupatus fuerit*, id
est, accelerata ante tempus morte
Isa. 38 præventus, secundum illud: Dum
adhuc ordirer, succidit me, unde B
dixit: *Præoccupatus*, quia subita morte, id est, improviso non potest
mori justus: quia dicitur de persona
Ps. 15 justi. Providebam Dominum in conspectu meo semper, & cætera. Item:
Ps. 118 Anima mea in manibus meis semper: quasi dicat, paratus sum red-
Ps. 65 dere eam, quandocunque Deo placuerit, quod ego moriar. Justus, inquam, si præoccupatus fuerit, *in refrigerio erit*, scilicet æternæ quietis.
Transivimus per ignem, & aquam,
& eduxisti nos in refrigerium. *Senectus enim est* & cætera: quasi dicat,
nec obstat præoccupatio ætatis: *Senectus enim venerabilis*, & cætera. Glossa non ætas corporis, sed vitæ maturitas, & morum probitas laudatur: C
venerabilis, inquam, digna veneratione apud Deum & Angelos, &
homines justos: *Est enim diuturna*,
Job 32 multitudine dierum. Non sunt longævi sapientes: *Nec numero annorum
computata*, id est, nec multitudine
Isa. 63 annorum: Morietur enim puer centum annorum. *Cani enim sunt sensus
hominis*, id est, loco canorum. Glossa, quasi bene est canus, qui bene
Dan. 13 est sensatus. Tibi dedit Deus honorem senectutis, id est, discretionem,
& sapientiam, quæ solet esse in se-
Job. 12 nibus, secundum illud: In antiquis
Eccl. 25 est sapientia, & in multo tempore
prudentia. Item: Corona senum in
multa peritia: *Et ætas senectutis*, id
est, ætatis vicem supplens, *vita immaculata*. Quasi dicat, bene est senex mundus & simplex. Corona dignitatis senectus, quæ in viis justi- Prov. 16
tiæ reperiatur. *Placens Deo*. Hic ponitur multiplex ratio accelerandæ
mortis: quarum prima est justorum
dignitas: secunda mortis vilitas, *raptus est*, & cætera: tertia vitæ periculositas, *Fascinatio*, & cætera: quarto temporis opportunitas, *consummatus*, &c. quinto beneplacita Dei voluntas, *placita*, & cætera. Ergo placens Deo, scilicet per veram fidem, Heb. 11
secundum illud: Sine fide impossibile est placere Deo, *factus dilectio*,
propter perfectam dilectionem, secun-
dum illud: Ego diligentes me dili- Prov. 8
go, *vivens*, scilicet per gratiam, non
moriens per culpam, *inter peccatores*
scilicet impollutus: quod valde magnum est, cum scriptum sit: Cum Ps. 17
perverso perverteris: sed justus, quasi lilium inter spinas, quia nec amittit suæ puritatis candorem, nec suæ
famæ odorem. Sicut lilium inter
spinas, & cætera: *Translatus est*, Cant. 2
de exilio hujus mundi ad patriam
cœlestem, de morte ad vitam, de
certamine ad coronam. Notandum
enim, quod multiplex est translatio:
prima de culpa in gratiam. Nos scimus, quia translati sumus de mor- 1 Joan. 3
te, scilicet culpæ ad vitam gratiæ:
quoniam diligimus fratres: Secunda
de gratia imperfecta ad perfectam
gratiam. Transformamur in eamdem
imaginem a claritate in claritatem, 2 Cor. 3
tamquam a Domini spiritu. Tertia
de gratia perfecta ad gloriam: de
qua hic, *translatus est*, *raptus est*:
quasi dicat, non solum est translatus, sed cito, quia cito mortuus,
& quasi præter naturæ debitum,
per violentiam sublatus. Est autem
raptus sanctorum in vita sua, & in
morte: de quo hic, *raptus est*, & cætera: & post mortem: Rapiemur 2 Cor. 12
cum illis in nubibus obviam Chri- 1 Thess. 4
sto in aera. *Raptus est*, inquam, *ne
malitia* id est, aperta iniquitas, *mutaret intellectum ejus*: ipsum a veritate, & sanctitate fidei avertendo,
aut ne fictio, id est, simulata æquitas,
de qua Augustinus: Simulata æquitas Augustin. enarrat. in
non est æquitas, sed duplex iniquitas: ps. 63 t. 8
quia est iniquitas, & simulatio. *Ne fictio
inquam deciperet*, id est, corrumperet,
ani-

animam illius, scilicet affectum ejus a dilectione Dei avertendo. Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, *fascinatio enim* & cætera; quasi dicat, bene erat ei necesse, ut sic raptus esset, & cætera: *Fascinatio enim nugacitatis*, ab exteriori, id est, nugax, & adulatoria laudatio, secundum quod homines maligni dicuntur laudando pueros, fascinare ipsos, *obscurat bona*, scilicet justorum, etsi non destruat illa: obscurat, inquam, quia facit non videri defectus, & imperfectiones ipsorum bonorum, & per hoc superbire de ipsis. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit? & cætera. Corrumpunt bonos mores colloquia prava, *& inconstantia concupiscentiæ* ab interiori, scilicet concupiscibili, quæ facit hominem inconstantem. Vir duplex animo, scilicet qui partim sequitur rationem, partim sensualitatem, inconstans est in omnibus viis. Inconstantia, inquam concupiscentiæ, id est, concupiscibilis, *transvertit*, scilicet a bono in malum, *sensum sine malitia*, id est, prius bonum; & simplicem. Unusquisque tentatur a concupiscentia sua attractus, & illectus, *consummatus in brevi*, id est, perfectus in gratia modico tempore. Consummatio abbreviata innundabit justitiam. *Explevit tempora multa*. scilicet expletione meriti, quia acquisivit meritum, quod alii acquirunt, per multa tempora: vel expletione premii, quia adeptus est æternitatem, quæ perfectione superat tempora multa.

2 Cor. 11

Gal. 3

1 Cor. 15

Jac. 1

Ibidem.

Isa. 10

Placita enim erat Deo anima ejus, ecce causa consummationis, scilicet gratia, & dilectio divina. Placita, inquam, per fidem cordis intus, & mansuetudinem morum exterius. Beneplacita est Deo fides, & mansuetudo, *propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*, id est de mundo, qui plenus est iniquitate. Totus mundus in maligno positus est, *populi autem*, Glossa persecutores, *videntes pœnam & non intelligentes*, futuram gloriam, *nec ponentes sunt in præcordiis suis*, id est, intus in corde, quamvis aliunde audiant prædicari. Justus perit, & non est, qui recogitet, *talia*, scilicet, quæ consequuntur. Supra: Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *Quoniam gratia Dei*, scilicet ad bene operandum. Non ego, sed gratia Dei mecum: *Et misericordia est in sanctos ejus*, ad liberandum de malis. Liberasti me secundum multitudinem nominis tui, *& respectu in electos illius*, scilicet ad præmium consequendum. Glossa prima condigna retributio. Et nota, quod sancti dicuntur per præsentem justitiam, electi per æternam prædestinationem, secundum illud. Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate.

Eccl. 1

1 Joan. 5

Isa. 57

Sap. 3

1 Cor. 15

Eccl. 51

Ephes. 1

Condemnat autem, & cætera. Hic ponitur comparativa commendatio justorum, quantum ad statum post mortem: & primo in comparatione justorum adhuc viventium: secundo in comparatione morientium, *& post hæc*, &c. tertio mortuorum, *quoniam disrumpet*, &c. quarto resurgentium, *venient in cogitationibus peccatorum*. In prima parte tangitur. Primo impiorum a justis condemnatio: secundo condemnationis ratio: *Videbunt enim finem sapientis*. Dicitur ergo: *Condemnat autem justus mortuus vivos impios*. Glossa martyr persecutores suos, scilicet comparatione melioris facti, sicut Ninivitæ. *Et juventus celerius consummata*, scilicet hominis justi, *longam vitam injusti*, Glossa, id est, persecutores, quia plus boni fecit tempore modico, quam ille multo, unde districtius judicabitur. Dedi enim tempus, ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere, &c. *Videbunt*, &c. Hic ponitur duplex ratio prædictæ condemnationis, scilicet ignorantia, & contemptus. Primam ponit, dicens: *Videbunt enim*, scilicet impii, *finem*, id est, mortem, &c. ut dicit Glossa, *Sapientis*, Glossa, id est, Martyris, unde de Martyre legitur illud. Beatus vir, qui in sapientia morabitur. *Et non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus*, id est, quid ei cogitaverit dare in futuro, secundum Glossam, scilicet vitam æternam.

Matt. 12

Apoc. 2

Eccl. 14

Prov. 8

nam. Viri mali non cogitant judicium: *Et quare munierit illum Deus*, Ephes. 6 Ibid. scilicet in præsenti, Glossa, armis fidei, secundum illud: In omnibus sumentes scutum fidei. Item: Induite vos armaturam fidei. Deinde ponit secundam rationem, dicens: *Videbunt eum*, quasi dicat, & quia hæc non intelligunt, videbunt eum, Glossa mori, *& contemnent illum*, unde Sap. 5 Job 12 infra. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, &c. Item: Deridetur justi simplicitas. Sic contempserunt Judæi Christum morientem. *Illos autem*: scilicet impios, *Dominus irridebit*, Glossa, in judicio, id est, dignos irrisione judicabit, ut fatuos. Ps. 2 Qui habitat in cœlis, irridebit eos, &c. *Et post hæc*, scilicet, post bonorum persecutionem, & Domini irrisionem, id est, postquam bonos in præsenti afflixerit, & ipsi a Deo in morte derisi fuerunt, *erunt decidentes*, id est, deorsum per casum mortis in infernum cadentes. Quemadmodum Ps. 36 olera herbarum cito decident, *sine honore*, scilicet societatis beatorum, *& in contumelia*, scilicet confusionis reproborum, *inter mortuos*, Glossa, damnatos, *in perpetuum*, id est, sine fine. Hier. 23 Dabo vos in opprobrium sempiternum, & in contumeliam sempiternam, quæ numquam oblivione delebitur.

Quoniam disrumpet, &c. Hic tangitur commendatio justorum in comparatione impiorum mortuorum. Et primo tangitur separatio a corpore: secundo evulsio a mundo, *& commovebit*: tertio, exclusio a gloria, *& usque ad summum, vel supremum*: quarto detrusio in pœna, *& erunt gementes*, quinto, deletio ab hominum memoria, *& memoria eorum peribit*, &c. Sequitur igitur: *Quoniam disrumpet*, &c. Bene dixi, quod erunt decidentes, &c. *Quoniam dis-* Osee 13 1 Cor. 5 *rumpet eos*, scilicet Dominus, secundum Glossam: Disrumpam interiora jecoris eorum. Illos, inquam,

A inflatos vento superbiæ. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, *sine voce*, excusationis. At Matt. 22 ille obmutuit, *& commovebit illos a fundamentis*, Glossa, evertet vitam illorum, quam stabilem esse putabunt. Qui sublati sunt ante Job. 22 tempus suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum: *Et usque ad supremum desolabuntur*, id est, in tantum, quod locum supremum amittent, id est, usque ad hoc, quod a celsitudine gloriæ excludentur, sicut fatuæ Virgines, quibus legitur, quod clausa est janua: *Et* Matt. 25 *usque ad summum desolabuntur*, id est, punientur quousque reddant quadrantem novissimum, id est, pœ-
B nam pro omni peccato, tam magno, Matt. 5 quam minimo. Non exies inde, donec reddes novissimum quadrantem. Prima tamen expositio magis concordat, cum divisione prædicta: *Et erunt gementes*, Glossa, in pœnis: quia nulla consolatione revelabuntur, *& memoria eorum*, non quæcumque, sed felicis recordationis, *periet*, apud Deum & homines, secundum illud: Vultus Domini su- Ps. 33 per facientes mala, ut pereat de terra memoria eorum, *venient tandem*, scilicet in fine mundi: unde Glossa, ad judicium: tunc enim de inferno exibunt. *Veniant*, inquam, *in cogitatione peccatorum suorum*, remordente eos conscientia, *timidi*,
C de pœna inferenda. Videntes tur- Sap. 15 babuntur timore horribili: *Et traducent illos*, Glossa, in ignem æternum, *ex adverso*, Glossa, accusantes illos, sicut adversarius accusat adversarium suum, *iniquitates ipsorum*, id est, peccata ab eis perpetrata, corde, ore, vel opere: Arguet te Hier. 2 malitia tua. Peccata autem dicuntur accusare reprobos, quia erunt materia accusationis, & damnationis eorum. Cogitationum inter se Rom. 2 accusantium, aut etiam defendentium, &c.

CAPUT QUINTUM.

TUNC stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, gementes præ angustia spiritus: dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes dicentes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis: Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transierunt omnia illa, tamquam umbra, & tamquam nuntius præcurrens: & tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire: neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut avis, quæ transvolat in aere cujus nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem, commotis alis, transvolavit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius: sic & nos nati continuo desivimus esse, & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt: quoniam spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur & tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur: & tamquam fumus, qui a vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum: & cogitatio illorum apud Altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos, & in brachio sancto suo defendet illos. Et accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum: sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directæ emissiones fulgurum, & tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et a petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitatis illorum, & malignitas evertet sedes potentium.

EXPOSITIO IN CAP. V.

TUnc stabunt, &c.) Hic comparat statum justorum statui injustorum in ipso judicio. Et primo tangit justorum constantem accusationem: secundo reproborum coactam confessionem, *videntes turbabuntur*, tertio utrorumque justam retributionem. *Justi autem in perpetuum vivent.*) *Tunc stabunt*, &c. quasi sic venient impii ad judicium timidi, *tunc*, Glossa, cum judicabuntur impii, scilicet in die novissimo. Et dicit, *tunc*, indeterminate, quia de die illa nemo scit. Item: Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, *stabunt*, scilicet, qui in præsenti visi fuerant cadere, vel jacere: Erat quidam mendicus Lazarus, qui jacebat ad januam ejus. E contra mali, qui nunc videntur stare, tunc jacebunt. Jacebunt mali ante bonos. *Stabunt*, inquam, *justi in magna constantia*, id est, constanter, & audacter, propter confidentiam, quam habebunt. Mat. 24 Act. 1 Luc. 16 Prov. 14

Ex septem confidentia sanctorum in judicio surget. Ex justitia causæ suæ. Si fuero judicatus, scio, quod Job. 13

Psal. 7 quod justus inveniar. Item: Judica me secundum justitiam meam. Secundo ex sufficientia, seu copia probationum: habebunt enim paratam probationem per scriptum instrumentum. Job. 31 Librum scribat ipse, qui judicat, & Apoc. 20 cætera. item: Judicati sunt mortui ex iis, quæ scripta erant in libris. Ibid. Item per testes: Ecce testis meus in Hier. 29 cœlo, scilicet ipse Deus, unde: Ego sum judex, & testis, dicit Dominus. Tertio ex fidelitate advocatorum: 1 Joan. 1 Advocatum habemus in cœlo Jesum Christum. Item Spiritum sanctum: Rom. 8 Spiritus postulat, & cætera. Item beatam Virginem: unde clamamus: Advocata, &c. Quarto ex impoten- Psal. 1 tia adversariorum, secundum id: Non resurgent impii in judicio, scilicet ad accusandos justos. Apoc. 12 Projectus est accusator, & cætera. Quinto ex amicitia, & affinitate judicis ipsorum. Gen. 37 Caro nostra, & frater noster est. Bernardus: Puto, spernere me non poterit, os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Sexto ex benevolentia assessorum, id est, Apostolorum. Matt. 19 Sedebitis & vos super sedes duodecim Job. 36 judicantes, &c. Item: pauperibus judicium tribuit. Septimo ex familiaritate officialium judicis, scilicet Angelorum. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum. *Adversus eos*, Glossa persecutores suos. *Qui se angustiaverunt*. Glossa, in martyrio eos personaliter affligendo. Anheb. 11 gustiati, afflicti, & cætera; *Et qui abstulerunt labores illorum*, corporales, scilicet eos per violentiam spoliando: cum tamen sancti gaudenter hæc su- Heb. 10 stinuerint, unde: Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio. Vel, *Labores*, spirituales, eorum fructum auferre conando, scilicet provocando eos ad peccatum, de hoc fructu su- Sap. 3 pra: Bonorum laborum gloriosus est fructus. Vel utrosque simul, secundum Glossam, eorum scilicet labores corporales, & spirituales vanos, & stultos judicando.

Videntes turbabuntur, &c. Hic tangit reproborum coactam confessionem. Et primo tangit motivum ad confessionem talem: secundo confessionis materiam. *Hi sunt quos aliquando*: tertio confessionis suæ approbationem:

A *Talia dixerunt*, &c. Motivum confessionis tangitur dupliciter, scilicet afflictio de vera bonorum felicitate, & anxietas de propria infelicitate. *Dicentes intra se*, &c. Sequitur igitur: *Videntes*, Glossa, se de gloria ad pœnam perductos, & adversarios suos de pœna ad coronam translatos: *Turbabuntur timore horribili*. Tunc Exod. 15 conturbati sunt principes Edom. Item: Conturbatio super conturbationem Ezech. 7 veniet, scilicet conturbatio de afflictione reassumpti corporis super conturbationem prius habitam de afflictione animæ prius cruciatæ in gehennalibus flammis, *timore horribili*, scilicet propter constantiam suorum accusatorum: de quibus supra immeB diate. Secundo propter severitatem divinorum judiciorum, juxta illud: Horrendum est incidere in manus Heb. 10 Dei viventis. Item: Horrende, & Sap. 6 cito apparebit nobis. Tertio propter præsentiam horribilium tortorum: Vadent, & venient super eum hor- Job. 20 ribiles. Vel sic, *turbabuntur*, propter remordentem conscientiam, *timore*, propter judicis irrevocabilem sententiam, *horribili*, propter suppliciorum præparatorum, & tortorum horribilium visam præsentiam. *Et mirabuntur in subitatione*, id est, subita adeptione: *Salutis*, scilicet justorum: *Insperatæ*, id est, non æstimatæ ab ipsis impiis: speratæ tamen a justis: secundum illud Psalmi: In te spera- Ps. 21 C verunt patres nostri, &c. *Gementes* interius; *Præ angustia spiritus*, ex consideratione gloriæ, & salutis illius, quam perdiderunt. Ingemue- 1 Reg. 4 runt Philisthiim, dicentes: Væ nobis, & cætera. *Dicentes intra se*.) *inter se*, verior littera, scilicet dictione interiori forte propter vehementiam doloris: *Pœnitentiam agentes*, de malo, quod fecerunt; *Pœnitentiam*, sed tardam: sicut pœnitentia divitis, de quo: Pater Abraham miserere Luc. 16 mei; *Agentes*, immo potius patientes. Hæc est pœnitentia desperationis, sicut pœnitentia Judæ, de quo legitur: Quod pœnitentia ductus re- Matt. 27 tulit triginta argenteos; *Et præ angustia spiritus gementes*, de malo pœnæ, quam incurrerunt. Præ contri- Isa. 65 tione spiritus ululabitis: *Et præ angu-*

gustia, &c. Hæc non habet Rabanus, quia idem est supra.

Hi sunt quos aliquando, &c. Hic ponit materiam confessionis impiorum confitentium errorem proprium: primo circa justorum vitam: secundo circa vitam propriam; *Lassati*, & cætera. In prima, primo confitentium sanctorum contemptum præteritum, & irrisionem. Secundo statum illorum reprobationem. *Nos insensati*, &c. Tertio eorum tunc præsentem exaltationem; *Quomodo ergo computati sunt*. Quarto concludunt suum errorem; *Ergo erravimus*. Hi sunt ergo, scilicet irrisoria demonstratione digni, secundum judicium impiorum: *Quos aliquando habuimus in derisum*, factis, & signis. Deridetur justi simplicitas. Item: Omnes videntes me, deriserunt me, &c. *Et in similitudinem improperii*, improperando verbis. Impróperia exprobrantium tibi ceciderunt super me. Sed eum improperatur homini opus bonum, quod potius est materia laudis, non est verum improperium, sed similitudo improperii: propter, quod dicitur hic, *in similitudinem improperii*. Per infamiam, & bonam famam, &c. Ibant Apostoli gaudentes, &c. *Nos insensati*, &c. Insensatorum infantium more viventes. *Insensati*, inquam, quia non sentiebamus de rebus, sicut erant, In iis omnibus insensatum est cor. Nolite esse pueri sensibus: *Vitam illorum*, id est, conversationem, quæ erat in paupertate, labore, vilitate, jejuniis, &c. *Æstimabamus insaniam*, unde David ab Achis reputatus est insanus. Sic & Christus: Quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. Item: Dæmonium habet, & insanit. Sic nuntius Helisæi. Quid venit insanus iste ad te? Scito te Israel stultum Prophetam, & insanum virum spiritualem: stultum, scilicet in temporalibus, insanum secundum judicium mundanorum. *Et finem illorum*, id est mortem; *Sine honore alicujus*, scilicet remunerationis. Contra quod dicitur. Nimis honorati sunt amici tui Deus. Item. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus; qui in cœlis est. *Quomodo ergo computati sunt inter filios Dei*, per gratiam. Non accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, &c. Item: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, &c. *Et inter sanctos sors illorum est*, id est, portio gloriæ, de qua in Psalmo: Portio mea Domine sit in terra viventium. Item: Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Et hæc duo sunt contra duo, quæ dixerat: dixerat enim vitam illorum insensatam, & finem contumeliosum.

Erravimus, &c. Concludunt sibi ipsis, unde verificatum est illud Psalmi: Infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. *Erravimus*, inquiunt, falsa enim pro veris approbaverunt: Augustinus autem dicit, quod falsa pro veris approbare, erroris proprium est. Errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens, *A via veritatis*. Glossa, Evangelii, & divinæ legis ad credendum. Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit; *Et justitiæ lumen*, ad operandum. *Justitiæ lumen*, intransitivæ, id est justitia, quæ lux est, secundum illud Psalmi: Lux orta est justo. Item: Justorum semita, quasi lux splendens, &c. *Non luxit nobis*. Expectavimus lucem, & ecce tenebræ. Hæc fuit causa erroris eorum, sicut defectus luminis est causa deviationis: *Et sol intelligentiæ*, scilicet ad inflammandum. Glossa, Christus sol justitiæ, qui oritur timentibus Deum, ut habetur: *Non est ortus nobis*. Notandum, quod non est defectus ex parte Solis, sed ex parte ipsorum in tenebris jacentium, nec surgere volentium, nec oculos aperire quærentium. Supercecidit ignis invidiæ, & non viderunt solem justitiæ. Sol materialis oritur bonis & malis, ut patet: Qui solem suum facit oriri super bonos, & malos: sed sol intelligentiæ solis bonis oritur, ut patet hic. Christus autem dicitur sol: quia sol dicitur, quasi solus lucens: Christus autem singulariter lucet, id est, præ omnibus aliis tamquam oculus mundi. Erat lux vera, quæ illuminat omnem ho-

hominem venientem in hunc mundum, illuminationis cognitionis naturalis: ipse enim est magister, qui *Aug. l. de disc. Chri. prope finem c. 9* cathedram habet in cælis, corda hominum in terris, ut dicit Augustinus: Item. *Joan. 8* Ego sum lux mundi. Item: qui illuminator est Ecclesiæ. *Eccl. 50* Sicut luna plena in diebus suis lucet, scilicet ex irradiatione solis. Item, quia est fons totius caloris, id est, amoris spiritualis: *Ps. 118* In sole posuit tabernaculum suum Et post: *Ibidem.* Non est qui se abscondat a calore ejus: *2 Mac. 1* Tempus affuit, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo: & accensus est ignis magnus, &c. Item: *Luc. 12* Ignem veni mittere in terram, id est calorem. Item, quia ipse est pater plantarum spiritualium, id est, totius pullulationis spiritualis. *Joan. 15* Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Sol autem intelligentiæ dicitur, quia solo oculo intelligentiæ lux ejus apprehenditur, quia per ejus radium, scilicet per spiritum intellectus, intelligentia illustratur.

Lassati sumus, &c. Hic tangit confessionem erroris impiorum circa propriam vitam. Et primo confitentur propriæ vitæ laboriositatem: secundo cæcitatem, *Vitam autem Domini*: tertio inutilitatem, *Quid profuit nobis*, &c. quarto instabilitatem. *Hier. 9* *Transierunt*, Lassati igitur sumus virtute nostra: *In via iniquitatis*, quo ad culpam in præsenti. Ut inique agerent, laboraverunt: *Et perditionis*, *Prov. 2* quo ad pœnam in futuro impii de terra perdentur; & qui inique agunt auferentur ab ea. Nec mirum si lassati sumus virtute nostra, quia: *Ambulavimus vias difficiles*, de sui natura, scilicet viam peccatorum, quæ multum affligunt animam in præsenti, per conscientiæ remorsum. Non enim patitur ordo divinæ justitiæ, ut vel ad momentum sit culpa sine pœna. *Aug. l. 1 confess. c. 12* Unde Augustinus, Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sibi sit ipse inordinatus animus. *Eccl. 21* Via peccantium complanata lapidibus. *Matt. 7* Sed contra: Lata porta, & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem. Dicendum, quod facilis est in ingressu,

A quasi strata floribus, scilicet præsentis delectationis dulcore, & temporali jucunditate; sed difficilis in progressu propter remorsum conscientiæ, difficilior in egressu propter separationem a præsenti voluptate: sed difficillima post egressum, propter tormentum gehennæ: *Viam autem Domini*, scilicet qua Dominus venit ad nos, qua nos imus ad eum, scilicet charitatem secundum illud Apostoli: Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, *1 Cor. 12* *Ignoramus*, scilicet, ignorantia crassa, & affectata, unde: Qui dicunt Deo: Recede a nobis: scientiam viarum tuarum nolumus. *Job 21* Ignorans tali ignorantia ignorabitur, ut *1 Cor. 14* dicit Apostolus: *Quid nobis profuit superbia*. scilicet in honorum excel-

B lentia, quasi dicat, nihil: immo potius nocuit: quia dicitur in psalmo: Retribuet abundanter facientibus superbiam. *Ps. 30* Contritionem præcedit superbia. *Prov. 16* Dispersit superbos mente *Luc. 1* cordis sui. *Aut divitiarum jactantia*, scilicet de exteriorum bonorum abundantia, *Quid contulit nobis*, quasi dicat, nihil: Qui amat divitias, fructum *Eccl. 5* non capiet ex eis. Item: Væ vobis *Luc. 6* divitibus, &c.

Transierunt, &c. Hic tangit confessionem instabilitatis status reproborum, sub multiplici metaphora: primo sub metaphora umbræ: secundo nuntii, *Tanquam nuntius*: tertio navis, *Et tamquam navis*: quarto avis,

C *Ut avis*: quinto sagittæ, *Aut tamquam sagitta*: *Transierunt igitur omnia illa*, scilicet divitiæ, deliciæ, & honores sæcularis potentiæ, unde: Omne, *1 Joan. 2* quod est in mundo, &c. & ibidem infra: Transit mundus & concupiscentia ejus, id est, concupiscibilia quæ in eo sunt, scilicet quantum ad exteriorem figuram, non quo ad substantiam, unde: Præterit figura hujus *1 Cor. 7* mundi, *velut umbra*, scilicet mentem obscurando: *Eccl. 34* Quasi qui apprehendit umbram, &c. sic qui attendit ad insana mendacia: quia anima ex conversione sui ad terrena obscuratur, & eclypsatur per interpositionem terræ inter eam, & verum solem. *Et tamquam nuntius præcurrens*, suo transitu mentem amovendo: *Job 9* Dies mei velociores fuerunt cursore, *Et tamquam*

navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, tribulationes multas sustinendo. Turbaris erga plurima, *Cujus cum præteriit, non est vestigium invenire*, scilicet in aqua. Tria sunt mihi difficilia, &c. Via navis in medio mari, *Neque semitam carinæ illius in fluctibus*, id est, parvæ navis, quæ majorem navem solet comitari ad evasionem periculi. Vel carina potest dici media pars, vel medius locus navis, secundum illos versus.

Prora prior pars est navis, pars ultima puppis.
Dic latus esse ratem, ventrem dic esse carinam.

Aut avis, scilicet cor in superbiam, & lasciviam exaltando. Quia innititur mendaciis, hic pascit ventos: idem sequitur aves volantes, *Quæ transvolat in aere*, scilicet velociter, *cujus nullum invenitur argumentum*, scilicet certum signum, *Itineris illius, sed tantum sonitus*, auditur sonitus, inquam, *Alarum verberans levem ventum*, id est aerem motum, secundum illud Damasceni: Ventus est aer motus. *Et scindens*, id est dividens *Per vim itineris aerem*, scilicet quietum. Sic sonus levis famæ impios comitatur, secundum illud psalmi: Vocaverunt nomina sua in terris suis. Væ terræ cymbalo alarum, &c. *Commotisque aliis transvolavit*, scilicet ad locum alterum. Ephraim quasi avis evolavit. *Et post hoc nullum signum*, id est, certum indicium: *Invenitur itineris illius*. Tria mihi sunt difficilia, &c. via aquilæ in cœlo. Item: Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis. *Aut tamquam sagitta*, scilicet cor lætaliter vulnerando, *Emissa in locum destinatum*, a sagittario: Donec transfigat sagitta jecur *Divisus aer*, scilicet per motum sagittæ; *continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius, sic & nos nati continuo desinimus esse*, id est cito post nativitatem: vel statim desinere incipimus, secundum illud Augustini: Quid est vita nostra, nisi continuus cursus ad mortem? Glossa; Sic vitæ hujus incertus, & instabilis est cursus. Homo natus de muliere, &c. & fugit velut umbra. Vel, desinimus esse continuo pro peccati acceleratione, *Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere*, scilicet in vita nostra, per bonam conversationem. Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur. Stigmata Domini Jesu in corpore meo porto, *In malignitate enim nostra, consumpti sumus*, per impœnitentiam finalem, Qui quasi putredo consumendus sum. In peccato vestro moriemini.

Talia dixerunt, & cætera. Ecce confirmatio confessionis eorum per exempla convenientia; primo per exemplum lanuginis; secundo spumæ; *Et tamquam spuma*, tertio fumi; *Et tamquam fumus*, quarto hospitis, *Et tamquam memoria*, & cætera. Talia ergo dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt, dixerunt, inquam, dictione interiori per conscientiæ remorsum; & si non forte dilectione exteriori, cum sint in inferno sine corporibus usque ad diem judicii; & sine organis corporeis, licet non sine potentiis organorum: Elevans oculos, id est, potentiam visivam, quæ organis oculorum usa fuerat in præsenti; *In inferno*, & cætera. Quomodo sciebat auctor iste, quod ita dixerunt in inferno, cum numquam ibi fuisset; nec alius inde venisset, qui ei retulisset, unde & supra; Non est agnitus, qui reversus sit ab inferis. Potest dici, quod hoc sciebat ex revelatione Spiritus sancti: quia secundum Ambrosium. Omne verum a quocumque dicatur, a Spiritu sancto dictante profertur. Item: Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, vel: *Dixerunt*, id est, dicere potuerunt, *Quoniam*, &c. quasi dicat, & verum dixerunt, *Quoniam spes impii*, id est, temporalis prosperitas, in qua spem ponunt impii. Posuimus mendacium spem nostram, *Tamquam lanugo*, id est, flos cardui, quoad carnis fragilitatem, *Quæ a vento tollitur*, id est, modico flatu. Glossa, lanugo carnis fragilitatem exprimit, quæ vento ægritudinis, vel molestia cito tollitur. Omnis caro fœnum, & cætera. Et bene comparatur carnis fragilitas flori cardui, quia cito spinas & tribulos tentationum generat; unde: Spinas & tribulos germinat ibi: *Et*

A *Et tamquam spuma gracilis*, ex agitatione generata. *Quæ a procella dispergitur*, & cætera: dicit quantum ad jactantiæ vanitatem. Unde Glossa: Hic est appetitus humani favoris, & jactantiæ vulgaris, quæ a procella dispergitur tribulationis, & adversitatis alicujus præsentis, vel
Osee. 10 æternæ. Transire fecit Samaria regem suum, sicut transit spuma super
Hier. 23 faciem aquæ. Item. Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempestas erumpens super caput impiorum veniet, *Et tamquam fumus, qui a vento diffusus est*, quantum ad vitæ brevitatem. Quæ est vita ve-
Jacob 4 stra? Vapor ad modicum parens. *A vento diffusus est*, quia enim in altum tollitur, evanescere cogitur jux-
B
Ps. 36 ta illud Psalmi: Mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes, quemadmodum fumus, deficient. Glossa, sicut fumus vento dissolvitur, sic humana vita temporum mutatione. *Et tamquam memoria hospitis, unius diei prætereuntis*, quantum
Job. 13 ad famæ modicam durationem. Memoria vestra comparabitur cineri. Hospiti comparat in hac vita existentem: quia peregrini & hospitæ quasi in aliena domo sumus, secun-
Ps. 38 dum illud Psalmi: Advena sum ego apud te, & peregrinus sicut omnes
Heb. 11 patres mei. Item: Confitentes, quia peregrini, & cætera. *Prætereunti*, quia quotidie de vita ad mortem tran-
C
Thren. 1 simus. O vos omnes qui transitis per
Eccl. 1 viam, &c. Generatio præterit, &c. *Unius diei*, quia parum hic stamus,
Heb. 13 unde, Non habemus hic manentem civitatem, &c.

Justi autem in perpetuum. Hic ponit justorum & reproborum condignam & justam retributionem. Et primo præmium justorum: secundo, supplicium reproborum, *Et accipiet armaturam*. Justorum præmium duplex tangit: primo pro operatione boni: & secundo pro victoria mali, *Deo accipient*, & cætera, *Justi autem*, &c. quasi talis est vita impiorum, *Autem*, pro, sed justi econtrario, *In perpetuum vivent*. Glossa, vivent
Joan. 17 vita æterna, de qua: Hæc est vita æterna, & cætera: *Et apud Dominum*, id est, in ipso Domino per spem, secundum Glossam in Psalmo:
Mihi autem adhærere Deo, scilicet Ps. 72
per charitatem, bonum est ponere in Domino Deo spem meam, *Est merces eorum*, Glossa, laboris præmium, ipse enim est merces sanctorum. Ego
protector tuus, & merces tua magna Gen. 15
nimis. Item: Ego pars & hæreditas Num. 18
tua, in medio filiorum Israel: *Et cogitatio eorum*, & cætera: quasi dicat, & merito apud Dominum est merces eorum, quia: *Cogitatio eorum*, id est, tota sollicitudo, & intentio eorum per fidem: *Apud Altissimum* se-
cundum illud Psalmi: Jacta cogita- Ps. 54
tum tuum in Domino, &c. vel *Cogitatio Apud Altissimum* solum: justi enim solum de Deo, vel de iis, quæ ad ipsum habendum conferunt, cogitant juxta illud: Quæ sine viro
mulier, cogitat quæ Domini sunt: Et, 1 Cor. 7
quia tales sunt in præsenti, ideo, *Accipient regnum decoris*, id est, regnum decorum, quantum ad auream, sive
essentiale præmium. Beati pauperes, Matt. 5
& cætera. *Et diadema speciei*, id est, speciosum. Glossa de victo hoste: & hoc quantum ad aureolam, sive quan-
tum ad præmium accidentale. Re- 2 Tim. 4
posita est mihi corona justitiæ. *De manu Dei*, vel, *Domini*, id est, a Christo, qui dicitur manus, & brachium, & dextera Dei patris. Est enim manus operando: Omnia namque per ipsum
facta sunt. Brachium protegendo, se- Joan. 1
cundum illud Psalmi: Brachium meum Ps. 88
confortabit eum. Dextera præmian- Matt. 25
do. Statuet, oves a dexteris. *Quoniam dextera sua teget eos*, hic, & in futuro ab ira superni judicis. In umbra
manus suæ protexit me. Tegimen ar- Isa. 49
doris, & umbraculum: *Et brachio san-* Eccl. 34
cto suo, id est, suæ sanctæ potentiæ: *Defendet illos*, scilicet ab impugnatione
adversarii, secundum illud Psalmi: Ps. 26
Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo?

Et accipiet armaturam, & cætera. Hic tangit supplicium reproborum sub metaphora regis, arma moventes contra suos adversarios. Et primo describit regis propositum: secundo, ejus apparatum. *Donec*, & cætera: tertio, bellum, *Ibunt directe*: quarto, belli effectum, *Et ad eremum perducet*: quinto, belli remedium. *Melior est* sa-

Prov. 6
Sap. 16
Psal. 93
2 Cor. 6
Isa. 59
Prov. 16
Isa. 11
Ezech. 21
Exod. 15
Greg. hom. 31 in Ev. non procul a princ.
Job 40
Eccl. 43

sapientia: *Et accipiet armaturam*, scilicet contra adversarios, *Zelus illius*. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: Arma autem ejus sunt veritas, justitia, & judicium secundum Glossam. *Et armabit creaturam*, scilicet tamquam exercitum suum, secundum illud infra: Creatura tibi factori deserviens exardescit adversus injustos, ad ultionem inimicorum. Deus ultionum, &c. *Induit pro thorace justitiam*, Loricæ comparatur justitia, sive thoraci: quia sicut lorica totum corpus protegit: sic justitia undique animam, unde: Per arma justitiæ a dextris, & a sinistris. Justitia indutus est pro lorica: *Et accipiat pro galea judicium rectum*, vel certum, judicium rectum, id est, discretio: & comparatur galeæ, quæ munimentum est capitis, id est, rationis: Divinatio in labiis regis, in judicio non errabit os suum: *Sumet scutum inexpugnabile æquitatem*, scuto, quod defendit loricam, comparatur æquitas: quia justitiam facit irreprehensibilem. Arguet in æquitate pro mansuetis terræ, *Acuet autem diram iram*, diram, dicit ad differentiam iræ levis, quo modo irascitur: *In lanceam*. Ita Dei, lanceæ comparatur; quia attinget etiam quæcumque remota, & penetrabit. Gladium exacutus, & cætera. Ideo. Misisti iram tuam, quæ devoravit eos, sicut stipulam: *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Gregorius: Offenso creatore, omnis creatura ostenditur. Glossa, creator per creaturam sibi subjectam corripit delinquentes. Horribile bellum erit illud, de quo: Memento belli, nec ultra addas loqui.

Ibunt directe, & cætera. Hic describit bellum novissimum, secundum diversas acies creaturarum. Et primo introducit ignem impios debellantem: secundo, aerem. *Et petrosa*; tertio aquam. *Et candescet*; quarto, ventum, seu turbinem, de terra procedentem. *Contra illos stabit spiritus virtutis*. Ibunt ergo, scilicet contra illos; *Directæ emissiones fulgurum pro voto*. Glossa, id est, pro voluntate ductoris: Accelerat coruscationes emittere judicii sui, Item; Fulgura coruscationem, & dissipabis eos. *Et tamquam a bene curvato arcu nubium*, id est, tamquam Iridis lineæ depressæ sole superveniente. *Exterminabuntur impii*; quasi dicat; sicut cito, & faciliter dissolvitur arcus cœlestis, sic impii cito, & faciliter exterminabuntur, id est, extra terminos vitæ præsentis, & æternæ ponentur. Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. Arcum suum tetendit, & cætera. *Et ad certum locum insilient*, scilicet ad malos tantum; ita quod bonos non tangent. Supra; Non tanget eos tormentum mortis; *Ad certum locum*. Glossa; Quemcumque necesse erit; non enim potest esse confusum, quod divina sapientia est ordinatum. Unde; In Ægypto terra Gessen, nihil mali patiebatur a plagis Ægypto inflictis. *Et a petrosa ira*, petrosa dicitur ira illa propter effectum; quia petris se manifestabit, vel quia infrangibilis, & dura, sicut lapis, vel quia infertur a Christo, qui petra dicitur. Petra autem erat Christus, *Plenæ mittentur grandines*; id est, grossæ & magnæ, vel: *Plene*, id est plenarie, sive abundanter. Ignis, grando, nix, glacies, & cætera. Numquid ingressus est thesauros nivis? Grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines. Græci autem sic habent; *Et tamquam a bene curvato arcu nubium, ad certum locum insilient: & a petra jacente ira plene*. Hic littera planior est, & videtur verior, cum in Græco videatur compilatus liber iste: *Et candescet*, id est, fervebit: *In illos*, id est, contra illos: *Aqua maris*, fiet enim fervidum, turbidum, & spumosum. In terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum. Erit enim unum de quindecim signis, secundum Hieronymum, quod mare se eriget super altitudinem montium: *Et flumina*, aquarum dulcium: *Concurrent duriter*, id est, fortiter: Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus vel: *Aqua maris*, id est, amaritudo infernalis: *Candescet in illos*, id est, stridebit, & fervescet, sicut aqua per injectionem ferri calidi. Infernus subtus te contur-

Psal. 143
Baruch. 3
Sap. 3
Exod. 9
1 Cor. 10
Psalm. 148
Job. 38
Apoc. 16
Luc. 21
Exod. 15
Isa. 14

turbatus eſt: *Et flumina*, ſcilicet an A guſtiarum, *Concurrent duriter*, quia ibi erit dolor de bonis amiſſis: pudor de malis commiſſis: timor de præſentibus ſuppliciis: *Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis*, id eſt, fortis ventus ſecundum illud. Flavit ſpiritus Exod. 15 tuus, &c. procedens de cavernis terræ, ſecundum illud Pſalmi: Qui Pſ. 134 producit ventos de theſauris ſuis. Item; In ſpiritu vehementi conteres Pſalm. 47 naves Tharſis. Item; Ventus Job 1 vehemens irruit a regione deſerti; hic eſt ſpiritus procellarum, de quo Pſ. 148 in Pſalmo; *Et tamquam*, tamquam eſt expreſſivum veritatis non nota ſimilitudinis; *Turbo venti*, id eſt, impulſus compoſitus ex contrariis ventis pulvere mixtis: *Dividet eos*, &c. B vel ſpiritus poteſt dici ſententia judicis ſecundum illud: Spiritu oris ſui interficiet impium. Et tunc, ly Iſa. 11 *Tanquam*, nota eſt ſimilitudinis non expreſſivum veritatis, cum dicitur: *Et tamquam turbo venti dividet eos*, ſcilicet a bonis; Tollet eum ventus urens, & velut turbo rapiet de loco ſuo. Job. 27 Ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus. *Et ad eremum*, id eſt, locum horribilem, & ſterilem, & omni bono carentem; de tali loco: In loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: *Omnem* Deut. 32 *terram*, id eſt, terrenos, *Perducet iniquitas illorum*, id eſt; propria iniquitas non aliena erit cauſa, quare illuc perducentur; ſecundum illud Iſaiæ: Ambulate in flammis, quas Iſa. 50 ſuccendiſtis vobis, vel ſecundum aliam litteram, *Terram iniquitatis eorum dicit*, quia ſecundum Pſalmum: Ignis Pſ. 96 ante ipſum judicem præcedet; qui ſuperficiem terræ, in qua factæ ſunt iniquitates eorum, exuret, & aridam reddet; *Et malignitas*, quam exercuerunt, quæ ſonat in deterius: *Evertet*, id eſt, cauſa erit evertendi; *Sedes potentum*, id eſt, regna, civitates, & caſtra, turres, & tribunalia. Sedes ducum ſuperborum Eccl. 10 deſtruxit Deus. Aliter exponit Gloſſa, præcedentia, ſcilicet de præſenti expugnatione impiorum infidelium, & hæreticorum per Chriſtum & Eccleſiam coruſcatione miraculorum, grandine increpationum, inundatione tribulationum, turbine perſecutionum, depreſſione potentium. *Melior eſt ſapientia*, &c. quaſi dicat, ex quo ſic tractantur potentes inſenſati, *Melior eſt*, id eſt, utilior: *Sapientia* de divinis, quæ ſecundum Gloſſam interlinearem ſemper animam bene regit: *Quam vires corporis*, quæ ſæpe in peccata præcipitant. Dicebam ego meliorem eſſe ſapientiam fortitudine. *Et vir prudens*, in rebus humanis, ſecundum Gloſſam, non tantum Eccl. 9 eloquio: *Magis quam fortis*, Gloſſa, corpore. Unde in tali fortitudine non eſt gloriandum, ſecundum illud: Non Hier. 9 glorietur fortis in fortitudine ſua.

Hic verſus eſt initium capitis ſequentis, in Bibliis vulgatæ editionis.

CAPUT SEXTUM.

Melior eſt ſapientia, quam vires: & vir prudens, quam fortis. Audite ergo reges, & intelligite; diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende, & cito apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus. Fortioribus autem fortior cruciatio. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Qui enim cuſtodierint juſtitiam: juſte judicabuntur: & qui didicerint juſta, invenient quid reſpondeant. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam. Clara eſt, & quæ numquam marceſcit, ſapientia, & facile videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut

illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet: Cogitate ergo de illa, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. Quoniam dignos se ipsa circuit quaerens, in viis ostendit se illis hilariter, & in omni providentia occurret illis. Initium enim illius verissima est disciplinae concupiscentia. Cura ergo disciplinae dilectio est: & dilectio, custodia legum illius est: custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est: Incorruptio autem facit proximum esse Deo. Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus, & sceptris, o reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. Diligite lumen sapientiae omnes, qui praeestis populis. Quid est autem sapientia, & quemadmodum facta sit, referam: & non abscondam a vobis sacramenta Dei, sed ab initio nativitatis investigabo, & ponam in lucem scientiam illius, & non praeteribo veritatem: neque cum invidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps sapientiae. Multitudo autem sapientium, sanitas est orbis terrarum: & rex sapiens stabilimentum populi est. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

EXPOSITIO IN CAP. VI.

AUdite ergo reges, &c. Postquam monuit principes, & potentes ad justitiam, hic incipit eos monere ad sapientiam inquirendam, & amandam. Et primo ratione sumpta ex periculo officii eorum, quos monet: secundo ratione sumpta ab exemplo ejus, qui monet, scilicet cap. 7. tertio ratione sumpta a multis beneficiis sapientiae, ad quam monet, scilicet a decimo capite usque in finem. In prima, primo tangit insipientium rectorum poenam, & supplicium: secundo econtra sapientium rectorum praemium. *Ad vos ergo*, tertio monet utrosque concupiscere sapientiam. *Concupiscite*, &c. quarto promittit se docere eam. *Quid est autem sapientia.* In prima, primo petit a rectoribus audientiam; secundo subdit audiendi causam. *Quoniam data est*, &c. *Audite ergo*, &c. quasi dicat, ex quo ita est utilis sapientia: audite ergo auditu exteriori, *Reges*, Glossa, praelati, *Et intelligite*, auditu interiori. Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Qui habet aures audiendi audiat. *Discite judices finium terrae*, id est, terrarum distinctarum, seu provinciarum. Reges dicuntur praelati a bonum dirigendo: judices inter bonum & malum discernendo. Discite, inquam, sapientiam: quia judicibus necessaria est, unde: Date ex vobis viros sapientes & gnaros: *Et praebete aures vestras*, scilicet exteriorem, & interiorem. *Qui continetis*, a malo cohibendo: *Multitudines populorum*, vobis commissas. In multitudine populi dignitas regis: *Et placetis vobis in tenebris regionum*, id est, praelatiis vestris gloriamini: contra, quod dicit Gregorius in pastorali: Toties praelatus in apostasiae crimen labitur, quoties praeesse hominibus delectatur. *Quoniam data est*, & caetera. Hic subdit audiendi causam, scilicet, ut possint evadere poenam pro abusu potestatis infligendam. Et primo tangit collationem potestatis: secundo abusum collatae. *Quoniam cum essetis*, tertio judicium pro abusu, *Horrende*, &c. quarto judicis aequitatem, *Non enim subtrahet*. *Quoniam*, &c. Et audire debetis: *Quoniam data est vobis a Domino potestas*, unde: Non est potestas, nisi a Deo. *Potestas*, Glossa, judiciaria in terra, scilicet quoad sententiae diffinitionem. Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum tibi esset desuper; *Et virtus*, Glossa, puniendi quoad potentiae executionem, vel potestas in causis civilibus: virtus in causis criminalibus: *Ab altissimo*, scilicet Deo supra nos constituto: Tu Dominus altissimus super omnem terram. *Qui interrogabit*, Glossa, in judicio. Redde rationem villicationis tuae. *Opera vestra*, scilicet exteriora, cuncta, quae fient, adducet Deus in judicium, &c. Non enim ita dedit potestatem, quin exigat rationem, ideo: Ante judicium interroga teipsum; & ante Deum invenies propitiationem. *Et cogitationes* scru-

Marginal references: Prov. 1; Matt. 13; Deut. 1; Prov. 14; B; Rom. 13; Joan. 19; Psal. 82; Luc. 16; Eccl. 18

scrutabitur, id est, opera interiora. Glossa, tamquam de omnibus judicaturus, supra: In cogitationibus impii interrogatio erit; *Scrutabitur*, Scrutabor Hierusalem in lucernis. Nec solum scrutabitur, sed etiam manifestabit, unde: Illuminabit abscondita tenebrarum; & manifestabit consilia cordis. Notandum autem, quod triplex fiet prælato interrogatio. Prima qualiter intravit: Amice quo modo huc intrasti, &c. Secunda qualiter vixit: Quid tu hic? quis hic? Tertia qualiter rexit, & custodivit gregem sibi commissum. Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? *Quoniam cum essetis*, &c. Bene dixi, quod interrogabit, &c. Et merito, *Quoniam cum essetis ministri*, tum domini; *Regni illius*: id est, Ecclesiæ militantis. Non dominantes in clero; sed forma facti gregis ex animo. Item: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, &c. *Non recte judicastis*, scilicet alios, unde: Pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos. Item: Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt. *Neque custoditis legem justitiæ*, scilicet vobis ipsis. Non custodierunt testamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare. Conversum est retrorsum judicium, & justitia longe stetit. Item: Hi magis confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis*, peccando contra Deum: Abierunt in voluptatibus, & pravitate cordis suæ mali, vel potest dici, quod tangit triplicem modum, quo dicitur sententia injusta: primo ex causa, quando scilicet non subest causa justa: secundo ex ordine, ut quando non servatur ordo juris; tertio ex animo, ut quando corrupta intentione proceditur contra aliquem: contra quod dicitur. Juste, quod justum est, exequeris, *Horrende*, id est, terribiliter. Horrendum est incidere in manus Dei viventis; *Et cito apparebit vobis*, unde: Juxta est dies Domini magnus, & velox nimis. Et licet dies judicii generalis longe sit, tamen dies particularis judicii, id est, mortis; prope est, unde. Memor esto judicii mei; sic enim erit & tui; mihi heri, & tibi hodie. Et vere horrende apparebit vobis prælatis; *Quoniam judicium durissimum in suis*, qui præsunt, fiet. Durum quidem, quia male intraverunt, durius quia male vixerunt, durissimum, quia male rexerunt. Vel, durum propter peccata subditorum, durius propter peccata ministrorum, durissimum propter multitudinem & enormitatem propriorum peccatorum. Durius puniuntur prælati, quam cæteri, primo ratione commissi, secundum illud. Cui plus commodaverint, plus petent ab eo. Ratione peccati, quia cæteris paribus gravius est peccatum prælati, quam subditi. Ii magis fregerunt jugum, &c. Ratione damni, quia, scilicet alios suo exemplo corrumpunt. Gregorius: Cum pastor per abrupta graditur, necesse est, ut in præcipitium grex sequatur. Ratione scandali; quia Ecclesiam scandalizant, unde: Scandalizastis plurimos in lege. Ratione judicii, quia scilicet hic non judicamur, secundum illud psalmi: Tibi soli peccavi, &c. & ideo in futuro simul & totaliter durius judicabuntur, secundum illud: Non enim sicut in aliis Dominus patienter expectat, ut cum judicii dies advenerit, eos in plenitudine puniat. Ratione officii: quia etiam officium suum indigne exercendo, peccant. In quo alium judicas, teipsum condemnas. *Exiguo enim*, id est, infimo & humili, unde Glossa: Iis, qui per ignorantiam, vel fragilitatem, vel necessitatem peccaverunt, & humili pœnitentia doluerunt, *Concedetur misericordia*, Glossa, remissio peccatorum, quoad pœnam; sive ex toto, sive ex parte, hic, vel in futuro. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, &c. *Potentes autem*, id est, potestate abusi in peccatum, *potenter*, id est, fortiter illata, *Tormenta patientur*, quia pro peccatis suis, & subditorum suorum, unde: Tolle cunctos principes, & suspende eos contra solem in patibulis. Item: Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Item: Loquentur ei potentissimi

Marginalia: Sap. 1; Soph. 1; 1 Cor. 4; Matth. 22; Isa. 22; Hier. 13; 1 Cor. 4; Isa. 1; Hier. 7; Psalm 77; Isa. 59; Hier. 5; Hier 7; Deut. 16; Heb. 10; Soph. 1; Eccl. 38; Luc. 12; Hier. 5; Mala. 2; Psal. 50; 2 Mac. 6; Rom. 2; Num. 25; 3 Reg. 20

mi robustorum, de medio inferni. A *Non enim subtrahet Dominus*, scilicet a punitione & tormento, *Personam cujusquam*, scilicet parvi vel magni privato amore: Unumquemque juxta vias suas judicabo domus Israel, dicit Dominus. Non est personarum acceptor Deus. Deinde reddit causam, dicens; *Qui est*, id est, quia ille est: *Omnium dominator*. Rex regum, & Dominus dominantium. *Nec verebitur magnitudinem cujusquam*, scilicet ex timore, quoniam ipse est Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, ut dicitur, & iterum: Magnitudinis ejus non est finis, unde improportionabiliter superat omnem aliam magnitudinem, *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit*. Numquid B non unus est pater omnium vestrum? numquid non unus Deus creavit nos? & quia omnes creavit, ideo omnes tam parvos, quam magnos sicut creaturas suas judicabit. Vidi mortuos pusillos, & magnos stantes in conspectu throni; *Et æqualiter est cura de omnibus*. Contra: Numquid de bobus cura est Deo? quasi dicat, non. Dicendum, quod cura disciplinæ solum est Deo de rationalibus: sed cura providentiæ est illi de omnibus. Sed si æqualis est ei cura providentiæ de bonis, & malis: ergo non differt apud illum bonum esse vel malum. Respondeo, dicendum, quod loquitur de providentia naturali, non de gratuita, vel: *Æqualiter*, id est, similiter. Et quamvis æqualiter sit ei cura de omnibus, non tamen omnes puniet æqualiter; *Autem*, pro sed; C *Fortioribus*, in malo. *Fortior instat cruciatio*, in supplicio, ut patet in lucifero, & aliis dæmonibus.

Ezech. 32
Ezech. 18
Act. 10
Apoc. 19
Psal. 144
Mala. 2
Apoc. 20
1 Cor. 9
Dei cura duplex.

Ad vos ergo, &c. Hic determinat, & ostendit sapientium rectorum præmium: & primo excitat ad sapientiam; secundo sapientium subdit mercedem, vel mercedis declarationem. *Ad vos ergo*, &c. quia fortioribus fortior instat cruciatio. *Ad vos ergo o reges*, &c. Glossa, finito sermone ad potentes convertit se ad rectorum Ecclesiæ exhortationem. Glossa; *O reges*, id est: Ecclesiæ rectores, vel omnes, quibus animarum suarum regimen commissum est. *Ad vos hi sermones mei*, scilicet de studio, & amore sapientiæ, unde sequitur: *Ut discatis sapientiam*. Glossa, divinam non mundanam, De utraque. Si quis videtur inter vos esse sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens. *Hi sermones*, audiendi, & retinendi, & opere implendi, secundum illud. Inventi sunt sermones tui, & comedi eos; *Et non excidatis*, scilicet a justitia per prævaricationem mandatorum Dei, secundum Glossam, Sapientia enim est sal, custodiens a putrefactione peccati: negligentia autem sapientiæ facit ruere in peccatum, unde: Qui evitat discere, incidet in mala: quia in malum culpæ: & in malum pœnæ, Et bene dixi, ut discatis sapientiam, ne excidatis a justitia: *Qui enim custodierint justitiam*, quæ est via ad sapientiam, secundum illud. Filii concupiscens sapientiam, serva justitiam: *Juste judicabuntur*, Glossa: Justitiæ suæ præmium accipient, scilicet in bono, unde: Dicite justo, quoniam bene: quoniam fructum adinventionum suarum comedet, Item: Justitia justi super eum erit. In qua mensura mensi fueritis. *Et qui didicerint*, scilicet per sapientiam: *Justa*, Glossa, rectam fidem & opera, *Invenient, quid respondeant in judicio*, scilicet de peccatis sibi objectis. Super custodiam meam stabo, &c. Contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi. Et quid respondeam ad arguentem me.

1 Cor. 3
Hier. 15
Prov. 17
Eccl. 1
Isa. 3
Ezech. 18
Luc. 6
Abac. 2

Concupiscite, &c. Hic monet rectores tam bonos, quam malos concupiscere sapientiam. Et primo ponit exhortationem ad concupiscendum eam. Secundo facilitatem acquirendi ipsam. *Clara est*, &c. Tertio utilitatem acquirendi ipsam. *Cogitare*, &c. Quarto monet diligere eam; ibi: *Si ergo delectamini*. *Concupiscite ergo*, &c. ex quo tam utilis est sapientia, quod facit non excidere a justitia, &c. *Concupiscite ergo sermones meos*, audiendos de sapientia. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. *Et diligit illos*, scilicet jam auditos, secundum illud Psalmi: Dilexi mandata tua super aurum, &c. *Et habebitis disciplinam*.

Eccl. 24
Psal. 118

sci-

Joan. 14 scilicet per ipsos sermones meos. Qui diligit sapientiam, servat in moribus disciplinam, secundum illud: Si diligitis me mandata mea servate.

Clara est. Hic ostendit facilitatem acquirendi sapientiam. Primo per hoc, quod clara est ad videndum: secundo, quod est spontanea ad se ostendendum, *Præoccupat*; tertio quia proxima ad ingrediendum; *Qui de luce vigilaverit*, &c. *Clara est*, &c. quasi dicat, & debetis eam concupiscere: quia, *Clara est sapientia*; sui scilicet pulchritudine & evidentia, quia scilicet lux est, unde: Proposui pro luce habere illam. *Et quæ numquam marcescit*, id est, a sua pulchritudine deficit, unde Glossa: Decor sapientiæ immarcescibilis est. Non enim subjacet tempori, sed est supra tempus, scilicet divina sapientia: *Et facile*, &c. quasi dicat: Nec desperandum de ea acquirenda, *quia facile*, videtur oculo, scilicet intellectus. *Ab iis, qui diligunt illam*, affectu, unde: Qui diligit me, diligetur a patre meo; & ego diligam eum: & manifestabo ei me ipsum. Dilectio enim purgat, & illuminat interiorem oculum ad videndum, unde: Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra. *Et invenietur ab iis, qui quærunt eam*, effectu. Quærite, & invenietis, scilicet quæratur ubi debet. Non enim invenietur in terra suaviter viventium, sed in asperitate victus, & pœnitentiæ, unde Daniel: Inveniet sapientiam merito abstinentiæ suæ, ut patet: *Præoccupat*, scilicet antequam studio quærentis inveniatur. Glossa, gratis se offerens: ipsa enim est vita, unde per eam itur ad ipsam, & pervenitur, *Præoccupat*, inquam, id est, prævenit eos: *Qui se concupiscunt*, ut illis se prior ostendat: quia illam non invenirent, nisi præventi & illuminati ab ea: sicut lux solis illuminat ad se ipsam videndum. Bernardus: Vera sapientia, quæ Christus est, inveniri potest, præveniri non potest. *Qui de luce*, &c. Bene dixi, quod invenitur a quærentibus, quia, *Qui de luce*, id est, statim cum lux oritur, Glossa, a principio lucentis fidei non de nocte, sicut peccatores semper in nocte manentes: sed sicut justi, de quibus: Justorum semita quasi lux splendens, &c. Omnes filii lucis estis. *Vigilaverit ad illam*, contra negligentiam: Qui mane vigilaverint ad me, invenient me. *Non laborabit*, quia dulcedo rei quæsitæ, & inventæ. *Alleviabit laborem*. In opere ejus exiguum laborabis, & cito edes de generationibus illius. *Assidentem autem*, &c. hoc est in quiete & sine motu paratam intrare, sicut solis radius assidere fenestræ clausæ. *Assidentem*, inquam, illam, *foribus suis*, scilicet spiritualibus, intellectui, scilicet & affectui: *Inveniet eam*. Ego sto ad ostium, pulso, &c. ipsa etiam fores habet per quas intratur ad eam, unde: Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, quæ sunt, fides, & charitas: per fidem intrat ad eam intellectus, per charitatem affectus. *Cogitare quoque de illa*, &c. hic ostendit acquirentium utilitatem. Primo in præsenti, secundo in futuro. *Initium*, &c. Utilitas in præsenti ostenditur quadruplex. Primo, sensus in rationali; secundo, securitas in irascibili. *Et qui vigilaverit*, tertio, hilaritas in concupiscibili. *Quoniam dignos*, & cætera: quarto, providentia futurorum. *Et in omni providentia*.

Cogitare quoque de illa, quasi dicat, non solum vigilanti, & quærenti datur: *Sed & cogitare de illa*, non simplici cogitatione, sed affectiva, unde Glossa divinæ contemplationis. Beatus vir qui in sapientia morabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. *Sensus est consummatus*, id est perfectus, quia sapientia perficit sensum hominis: quia secundum Hugon. de S. Vict. sapientia est, in qua perfecti boni forma consistit. Vel, *Cogitare de illa sensus est consummatus*, id est, tunc perfecte sensus ordinatus, cum studet sapientiæ, secundum illud Augustini. Finis hominis in via, perfecte quærere veritatem: *Et qui vigilaverit*, Glossa, in intensione mentis propter illam acquirendam vel custodiendam, cito erit securus, scilicet a malo: quia

Marginalia: Sap. 7; Joan. 14; Eccl. 2; Luc. 11; Job. 28; Dan. 1; Prov. 4; 1 Thess. 5; Prov. 8; Eccl. 6; Apoc. 3; Prov. 8; Eccl. 14; Aug. lib. 1 cont. Acad. c. 3 tom. 1

quia ejus adeptio est vera securitas. secundum Glossam: Qui cavet laqueos, securus erit. Hæc est bona securitas, de qua: Secura mens, quasi juge convivium. *Quoniam dignos se*. Quasi bene dixi, quod cito erit securus. *Quoniam dignos se ipsa*, scilicet mundos corde & corpore, unde: in malevolam animam non introibit sapientia, &c. *Circuit quærens*, id est, ex omni parte continue se offerens, & indesinenter, quæ indesinentia & continuatio datur intelligi per hoc, quod dicit: *Circuit*, motus enim rectus non sic potest continuari sicut circularis. Sic circuibat sapientia incarnata, ut patet, *& in viis suis*, scilicet præceptis, & consiliis observatis, de quibus: viæ ejus, viæ pulchræ; & semitæ illius pacificæ, *ostendet se illis*, secundum illud Psalmi: A mandatis tuis intellexi, *hilariter*, eos lætificando, scilicet de hoc, quod ipsa gratis se dat eis. Hilarem datorem diligit Deus: sic etiam homo; unde Seneca: quantum addis moræ tantum subtrahis gratiæ; *Et in omni providentia*, de futuris, perfecte eis providendo necessaria ad salutem; *occurret illis*, Glossa Adiutrix, sicut sapientia incarnata resurgens occurrit mulieribus.

Prov. 11 Prov. 15 Sap. 1 Marc. 6 Prov. 3 Psal. 118 2 Cor. 9 Matt. 28

Initium, &c. Hic tanguntur gradus gloriæ per sapientiam acquirendæ. Et primo tangit initium. Secundo, profectum, ibi: *Cura ergo*. Tertio, consummationem, *custoditio autem legum*, &c. Quarto consummationis finem, *concupiscentia igitur*, Gradus ergo primus, id est, initium sapientiæ, concupiscentia disciplinæ: ex concupiscentia disciplinæ, dilectio: ex dilectione, custodia legis Dei: ex custodia divinæ legis, incorruptio mentis, & proximitas divinæ similitudinis: ex divina similitudine, gloria regni cœlestis: ergo a primo, ex concupiscentia sapientiæ, habetur gloria cœlestis, hoc est, quod vult dicere; *Initium enim illius*, scilicet sapientiæ, &c. quasi dicat, ita occurrit, & ostendit se sapientia. Nec est inutilis ejus ostensio, & occursus: *Enim*, quia, *initium illius*, scilicet per quod homo incipit fieri sapiens. Nemo repente fit summus, ut dicit Glossa, *est verissima*

A *disciplinæ*. id est, sapientiæ, *concupiscentia*. De hac concupiscentia dicitur in Psalmo: Concupivit anima mea desiderare, &c. Concupiscentia enim sapientiæ, est aliqua pars sapientiæ, secundum illud: Si dilexeris audire, sapiens eris. Sed videtur: quod timor, non amor, sit sapientiæ initium: quia dicitur: Initium sapientiæ timor Domini. Dicendum, quod timor est initium primum; sed amor proximum; vel, timor initium extrinsecum, amor initium intrinsecum. Verissima autem concupiscentia dicitur hic contra triplicem vanam concupiscentiam, de qua dicitur: Omne, quod est in mundo aut est concupiscentia carnis,

Ps. 118 Eccl. 6 Eccl. 1 1 Joan. 2

B &c. quæ est ex triplici vanitate; de qua: Vanitas vanitatum, &c. *cura ergo*, quasi dicat, ex quo ita est, quod concupiscentia disciplinæ est initium sapientiæ, *ergo cura disciplinæ*, id est, concupiscentia disciplinæ, *est dilectio*: id est, causa dilectionis ipsius sapientiæ: quod enim concupiscimus, diligimus cum habemus. Et nota, quod idem vocat sapientiam & disciplinam: quod idem sunt, in re, licet differant ratione; quia sapientia dicitur in quantum mente interius delectabiliter afficit disciplina in quantum actiones exteriores ordinat & disponit. Vel sic, concupiscentia, &c. est dilectio, id est, causa dilectionis divinæ, infra: Neminem diligit Deus, nisi eum, qui

Eccl. 1 Sap. 7

C cum sapientia inhabitat: quod si extra disciplinam estis, ergo non filii, sed adulteri estis. *Et dilectio*, *custodia legum illius*, id est, causa custoditionis. Plenitudo legis est dilectio, id est, causa impletionis divinæ legis. Finis præcepti est charitas, *legum*, scilicet naturalis, Mosaycæ, & Evangelicæ; de quibus: Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. *Custoditio autem legum*, *consummatio incorruptionis*, id est, causa consummatæ incorruptionis spirituali, scilicet tam mentis, quam corporis in præsenti, vel incorruptionis, id est, immortalitatis in futuro secundum glossam. Custodi legem meam: atque consilium meum, & erit vita

Heb. 12 Rom. 13 1 Tim. 1 Isa. 24 Prov. 3

ani.

animæ tuæ. Incorruptio autem facit
esse proximum Deo. Unde de vir-
Apoc. 14 ginibus cantatur, quod sequuntur
agnum, quocumque ierit. Concupi-
scentia utique sapientiæ, quæ est ejus
initium *deducet ad regnum perpetuum*.
Glossa, quod est in cognitione divi-
Joan. 17 nitatis; secundum illud: Hæc est vi-
ta æterna, ut cognoscant te Deum
verum. &c. *si ergo delectamini*, &c.
quasi dicat, ex quo dat regnum per-
petuum; *ergo si delectamini in sedi-
bus*, *& sceptris*, Glossa, reges admo-
net diligere sapientiam, sine qua re-
gnare non possunt: tunc enim bene
regitur Respublica, cum Philosophi
regnant, & Reges philosophantur.
Merito ergo rectores Ecclesiæ assidui
sint in divinæ legis meditatione: qui
enim eam discendo, docendo, ope-
rando sequitur, regni cœlestis coro-
nam assequetur. *Si ergo delectamini
in sedibus*, judiciariæ potestatis, *&
in sceptris*, regiæ dignitatis, secun-
Matth. 23 dum illud: Amant primas cathedras,
&c. Alia littera habet, *in sensibus*,
quoad discretionem, *& in schemati-
bus*, quo ad dignitatem, *si delectami-
ni*, inquam; o reges populi, id est,
rectores majores, & prælati, tam sæ-
culares, quam ecclesiastici, *diligite
sapientiam, ut in perpetuum regnetis*.
Prov. 8 Per me reges regnant. *Diligite lu-
Sap. 7 men sapientiæ*, ad illuminationem
animarum, infra, luci comparata
invenitur prior: quia illuminat spi-
ritualia, quod majus est, quam il-
luminare corporalia, *omnes qui præe-
stis populis* &c. id est, vos etiam mi-
nores principes, & prælati.

Quid autem est. Hic ultimo se pro-
mittit docere sapientiam: Et primo
tangit doctrinæ manifestationem: se-
cundo, docendi fidelitatem, *& po-
nam in lucem*; tertio, audiendi uti-
litatem, *multitudo autem*, &c. Quar-
to, subjungit suam ad audiendum
exhortationem. Ergo accipite. *Quid
autem est sapientia*, quasi dicat, in-
vitamini vos ad sapientiam, & ut
acquiescatis, *referam*, &c. Vel sic
continuandum; hucusque monui ad
sapientiam. *Autem*, pro sed, a mo-
do, *referam quid est sapientia*, &c.
Job. 28 Ecce magna promissio. Abscondita
enim est ab oculis omnium viven-

A tium. Veruntamen revelatione Spi-
ritus sancti nosci potest, *quid est*,
inquam, *sapientia*, increata, id est,
qualis: de ipsa enim non potest sci-
ri, scilicet secundum essentiam quid
sit, nec dici: sed qualis; quoniam
bona æterna, omnipotens, &c. De
sapientia vero creata sciri potest, &
dici quid sit. Unde Augustinus. Sa-
pientia est cognitio rerum divina-
rum, *& qualiter*, *& quemadmodum
facta sit*, id est, qualiter genita de
patre, scilicet æterna sapientia, quæ
est Dei filius: Christum Dei virtu- 1 Cor. 1
tem, & sapientiam, *vel quemadmo-
dum facta*, id est, creata: si expo-
natur de creata. Primo omnium
creata est sapientia. Item: Ab ini- Eccl. 1
B tio, & ante sæcula creata sum, id
est, disposita creari. *Et non abscon-* Eccl. 24
dam a vobis sacramentum Dei, id est,
sacra, & secreta opera sapientiæ Dei.
Contra: Sacramentum regis abscon- Job. 12
dere bonum est. Dicendum, quod
tentatoribus debet abscondi, amato-
ribus debet revelari. Unde. Vos au- Joan. 15
tem dixi amicos, quia omnia, quæ-
cumque audivi a patre meo, nota
feci vobis. Item, abscondenda su-
perbis sapientibus, sed revelanda par-
vulis humilibus. Unde: Abcondisti Matth. 11
hoc a sapientibus & prudentibus, &
revelasti ea parvulis, id est, humi-
libus. Item, non gulosis, sed absti-
nentibus: ut patet, *sed ab initio na-
tivitatis*, id est, humanæ, vel ipsius
C sapientiæ, *investigabo*, ostendendo Dan. 1
ipsam a Deo patre procedere. *Et
ponam in lucem*, scilicet manifesta-
tionis, *scientiam illius*, clare docen-
do. Qui elucidant me, vitam æter- Eccl. 24
nam habebunt, *& non præteribo veri-
tatem*, falsa admiscendo: Ante omnia Eccl. 37
opera verbum verax præcedat te.
Augustinus: Bonorum ingeniorum
insignis indoles est, in verbis verum
amare non verba. *Neque cum invidia
tabescente*, id est, tabescere faciente.
Putredo ossium invidia. Item in Psal- Prov. 14
mo; Peccator videbit, & irascetur, Psalm. 111
dentibus suis fremet, & tabescet,
Iter habeo, quia pessima est socia:
devorat enim hominem sicut fera.
Fera pessima comedit eum: bestia Gen. 37
devoravit Joseph. Talis erat Moy-
ses, id est, non invidus; dicebat
enim:

Num. 11. enim: Quis mihi tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis spiritum suum, *quoniam talis homo*, scilicet invidus, *non erit particeps sapientiæ*. Unde supra: In malevolam animam, &c. Homini livido, id est, invido, ad quid aurum id est, sapientia, quæ aurum appellatur, propter suam pretiositatem: Pretiosior est enim cunctis opibus. *Multitudo autem*, &c. quasi, & debetis audire, *autem*, pro quia, *multitudo sapientium*, Glossa, cœtus prædicatorum, *sanitas est orbis terrarum*, id est causa sanitatis: Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem ubi multa concilia. Qui ergo obviat sapientium multiplicationi, vel multitudini, obviat orbis saluti. Et ideo talis debet esse odio toti orbi. Tales erant, de quibus dicit Apostolus infra: Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur. *Et rex sapiens populi stabilimentum est*. Judex sapiens judicabit populum suum: & principatus stabilis sensati erit. Hoc autem maxime competit Christo, in cujus persona dicitur: Salus populi ego sum. Et quia ita utilis est sapientia, *ergo accipite disciplinam*, id est, sapientiam, *per sermones meos* excitative, sive occasionaliter: sed per inspirationem divinam effective, & causaliter. Unde: Omnis sapientia a Domino Deo est. *Et proderit vobis*, quia dicitur: Verba sapientum, quasi stimuli, scilicet provocando ad bonum. Et quasi clavi in altum defixi, præservando a casu in malum.

(Marginal references: Sap. 1; Eccl. 14; Prov. 3; Prov. 11; 1 Thess. 2; Eccl. 1)

CAPUT SEPTIMUM.

SUM quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conveniente. Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans. In involumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus. Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi: & venit in me spiritus sapientiæ: & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætatus sum in omnibus: quoniam antecedebat me ista sapientia & ignorabam quoniam horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo. Infinitus thesaurus est, hominibus: quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna horum quæ mihi dantur, quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator. In manu enim illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientiæ disciplina. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporum, morum mutationes, & divisiones temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones: naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa & improvisa, didici. Omnium enim artifex docuit me sapientia: Est enim in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spir-

spiritus, intelligibilis, mundus subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit: candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. Et cum sit una, omnia potest: & in se permanens, omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, & Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia

EXPOSITIO IN CAP. VII.

SUM *quidem & ego*, &c. Supra monuit rectores ad acquirendam sapientiam, & amandam, per rationem sumptam ex periculo officii sui: hic exemplo sui. Et primo ostendit, qualiter sapientiam acceperit, scilicet in isto capite. Secundo, quantum eam amaverit, scilicet cap. VIII. Tertio, quantum devote eam a Domino quæsierit, scilicet cap. IX. In parte prima, ut ad propositum descendat, primo humanæ fragilitatis miseriam describit: Secundo ostendit, quod hæc occasio, ipsum ad acquirendam sapientiam provocavit. *Propter hoc optavit*, &c. Tertio ostendit, a quo edoctus fuerit: *Mihi autem*. In prima primo, tangit naturæ humanæ defectibilitatem. Secundo conceptionis humanæ utilitatem: *Et in ventre*. Tertio nativitatis conditionem: *Et ego*. Quarto educationis laborem: *In involumentis*. Quinto miseriæ communitatem: *Nemo enim*, &c.

Sum quidem, &c. Ita monui vos accipere disciplinam sapientiæ per sermones meos: & hoc potestis non solum per sermones meos, sed etiam exemplo meo, quia *& ego sum*, quidem, hoc est certe, *mortalis homo*, sicut vos: *mortalis*, inquam, id est, potens mori ex prima conditione, sed necesse habens mori ex prima transgressione: homo enim, secundum Boetium, est animal rationale, mortale. *Boetius in Prædicab. c. de Diff.* Item: Corpus quidem mortuum est propter peccatum, id est, necessitati moriendi addictum, *Rom. 8* *similis hominibus*, aliis in hac conditione mortalitatis. *2 Reg. 14* Omnes morimur, & quasi aquæ, dilabimur in terram, quæ non revertuntur. *Et ex genere*

A *terreno illius*, scilicet Adæ prævaricatoris, *qui prior factus est*, de terra scilicet. Unde: Formavit Deus hominem de limo terræ. *Gen. 2* Item: Primus homo de terra terrenus. *1 Cor. 15* Qualis terrenus, tales & terreni. *Et in ventre matris figuratus sum caro*. Secundum enim Augustinum primis *Aug. in Enchir. cap. 86 to. 3 & lib. 4 de Trin. c. 5 tom. 3 & fusius in 83 q. lib. q. 56 tom. 4* sex diebus semen est, quasi lac: reliquis 9. convertitur in sanguinem: reliquis 12. figuratur in carnem: reliquis 18. formatur in corpus organicum. Et tunc anima circa 45. vel 46. diem infunditur corpori: toto vero reliquo tempore post animæ infusionem corpus vegetatur, & augetur,

B *decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine hominis*, secundum physicos; ut dicit Glossa, mulieris sanguinolentum est, semen viri candidum: ex quorum commixtione unius tamquam passivi, & alterius tamquam activi fit coagulatio: Nonne sicut lac *Job. 10* mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti. Hæc autem coagulatio fit in prima parte decem mensium: ipsa vero tota mora formationis tempus est novem mensium. Unde: Miserere mei, fili, quæ te novem mensibus portavi. *2 Mach. 7* Ratio; sicut dicit Glossa, quidam nascitur mense septimo,

C quidam octavo, quidam nono: sed qui in decimo, perfectiores, & sanitativi, esse dicuntur. CHRISTUS autem, secundum Glossam, fuit in utero matris novem mensibus, & sex diebus. Unde quod ait: *decem mensium*, synecdochice accipitur: fuit enim ab octavo Kalendas Aprilis, usque ad octavum Kalendas Januarii. *Et delectamento somnii convenientes, vel convenientis*, id est, actu delectabili communis dormitionis viri cum muliere. Hæc autem delectatio comparatur delectationi somnii: quia ratio-nem

nem ligat, & cito transit, sicut delectatio somnii; *& ego natus accepi communem aerem*, ad necessitatem respirationis. Similiter spirant omnia, *& similiter decidi de ventre*, matris, Eccl. 3 *in terram factam*, scilicet a Deo, & hoc quantum ad necessitatem vitæ, & sustentationis: *& primam vocem similem de omnibus*, scilicet nascenti- Gen. 1 bus, *emisi plorans*. Dicit Augustin. quod puer a ploratu suo incipit esse Propheta suæ calamitatis: solum autem quando natus est, ferunt, id est, dicunt, risisse Zoroastrem regem Bactrianorum. Solus enim Joannes Baptista contra legem nascentium nativitatem suam lætitia, & Luc. 1 exultatione prævenit: Exultavit in gaudio infans in utero meo, *in involumentis*, scilicet pannorum nutritus Luc. 2. sum. Pannis eum involvit, *& curis magnis*. Triennio lac dedi, & in hanc ætatem perduxi. *Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium*, quia in naturalibus non est differentia inter reges & subditos, sed in bonis fortunæ. *Unus ergo est introitus ad vitam*, scilicet per temporalem nativitatem ita vilem, ut dictum est, *& similis exitus*, scilicet per mortem, ita asperam, sicut describitur Ecclesiastici ultimo. Item: *unus est introitus*, scilicet per pauperem nativitatem: *& similis exitus*, scilicet per mortem pauperrimam. Job. 1 Eccl. 5 Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur.

Propter hoc optavi, &c. Hic ostendit, quod hæc occasio ad acquirendam sapientiam eum provocavit. Et primo tangit sapientiæ optatæ adeptionem: Secundo adeptæ æstimationem: *præposui illam*; tertio æstimatæ dilectionem: *super salutem*, quarto habitæ & dilectæ communicationem, *quam sine fictione didici*.

Propter hoc, id est, propter dictarum miseriarum considerationem pulsatus, *optavi*, scilicet sapientiam. *Et datus est mihi sensus*, id est, sa- Prov. 10 pientia. Desiderium suum justis dabitur. *Et invocavi*, Glossa, Domi- Jacob. 1 num: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, *& venit in me*,

A invocantem, *spiritus sapientiæ*, secundum illud Psalmi: Os meum ape- Psalm. 118 rui, & attraxi spiritum. Item: In Eccl. 15 medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & implevit eum Dominus spiritu sapientiæ, *& præposui illam*, in æstimatione valoris, *regnis*, id est, dignitatibus regum. *Et sedibus*, id est, dignitatibus judicis. Et merito, quia dicit: Per me reges regnant. *Et divitias nihil esse duxi in comparatione illius*. Pretiosior est cunctis opibus: Quid Prov. 8 enim prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit? *Nec comparavi illi*, id est, ejus pretio vel virtuti, *lapidem pretiosum*, in Psalmo: Dilexi mandata tua super Psal. 118 aurum & Topation. Item: non con- Job. 28 feretur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonico pretiosissimo, vel B Saphyro, non adæquabitur ei Topatius de Æthyopia. *Quoniam* &c. Quasi dicat: & merito, *quia omne aurum*, id est, totum aurum, quod est in mundo, *in comparatione illius, arena est*, id est terra infructuosa. Bernardus: Quid est aurum, nisi Job. 28 terra rubra? *exigua*, id est, parvi ponderis. Non dabitur aurum obrizum pro ea. *Et tamquam lutum*, id est, nullius valoris. *Æstimabitur argentum in conspectu illius*. Non appre- Prov. 3 hendetur argentum in communicatione illius. Melior est acquisitio illius negotiatione auri, & argenti, &c. Luto vero comparatur argentum: quia inquinat manus, & animum. Usquequo aggravat contra se densum Abac. 2 lutum. Notandum, quod sapientia C præponitur argento, & auro, & omni mundano thesauro; primo ratione originis: quia mundanus thesaurus est de terra Habet argen- Job. 28 tum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur, ima terra, secundum beatum Bernardum. Sapientia autem de cœlo Jacob. 3 est, ut patet. Secundo, ratione naturæ: quia thesaurus mundanus, est res corporalis: sapientia vero, res spiritualis. Unde: Requiescit super Isa. 11 eum spiritus sapientiæ, &c. Tertio, ratione virtutis: quia thesaurus, finitus, sapientia vero infinita est. Unde infra hoc eodem cap. Infinitus thesaurus est hominibus: quo qui usi

usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Quarto, ratione operationis: quia thesaurus pauca potest efficere: sed hæc scilicet sapientia, omnia. Unde infra: Quid locupletius sapientia? quæ omnia operatur. Quinto, ratione æstimationis: quia thesaurus cadit sub æstimatione: illa non: Non confertur tinctis Indiæ coloribus, &c. Sexto, ratione utilitatis: quia sapientia sine divitiis prodest: divitiæ vero sine sapientia non prosunt, sed nocent. Unde: Divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Septimo, ratione durationis: quia sapientia clara est, & quæ non marcescit: divitiæ vero corrumpuntur. Unde: Divitiæ vestræ putrefactæ sunt. Item: Dives in itineribus suis marcescet. Octavo, ratione inclinationis: quia sapientia cum sit de sursum, sursum elevat: sed aurum, & argentum deorsum trahunt, scilicet ad terram, unde. Qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.

Sap. 8 · Job. 28 · Eccl. 5 · Jacob. 5 · Jacob. 1 · Baruc. 3

Super salutem, &c. Hic ostendit sapientiæ æstimatæ dilectionem. Et primo ostendit hujus dilectionis mamagnitudinem: secundo rationem. *Venerunt mihi*, &c. *Super salutem*. Glossa, corporis scilicet interiorem. Quia vana salus hominis, *& speciem*, Glossa, rerum corporalium, scilicet exteriorem pulchritudinem: quia fallax gratia, & vana est pulchritudo: *dilexi eam*, scilicet sapientiam: quia quanto spiritus melior corpore, & magis chare diligendus: tanto magis spiritualia meliora sunt corporalibus, & magis diligenda. Et in tantum dilexi eam, quod, *proposui pro luce habere illam*, quæ inquam, lux, est pulcherrimum, & delectabilissimum, & optimum inter corporalia, secundum Augustinum. Sic sapientia inter spiritualia lux est animæ: In sapientia ejus luxit anima mea, & ignorantias meas illuminavit. Infra. Specisior est sole. Sequitur: *quoniam inextinguibile est lumen ejus*, scilicet quantum est de se, infra: Luci comparata, invenitur prior, illi enim succedit nox, *venerunt mihi omnia bona*, scilicet gratiarum intra me absolute, *pariter cum illa*, scilicet cum sapientia increata, id est, filio Dei. Unde: Qui proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo etiam non omnia nobis cum illo donavit? Glossa: Quicumque Christi percipit notitiam, omnium virtutum pariter habet gratiam, & in futuro vitam æternam, vel *cum illa*, id est, cum sapientia creata: quia ipsa est perfectissimum donorum. Hoc etiam expertus est Salomon: cui petenti sapientiam Dominus addidit divitias, & gloriam: *& innumerabilis honestas*, exterius in comparatione ad illos, *per manus*, id est, opera, *illius*, supple venit mihi. Unde Infra: Honestavit illum in laboribus, &c. *Et Lætatus sum*, id est, lætitia repletus, *in omnibus*, scilicet sapientiæ donis: Lætatum est cor meum in ea: *quoniam antecedebat me ista sapientia*, dirigendo gressus meos. Suscipit exquirentes se, & præibit in via justitiæ: Hæc est columna ignis, & nubis præcedens filios Israel per noctem, & diem. *Et ignorabam*, scilicet antequam haberem eam. Glossa, processu meditationis intelligit se tantum profecisse, ut priorem scientiam posteriori comparando, ignorantiam putet. *Ignorabam*, inquam, *quoniam horum omnium*, scilicet bonorum, *mater est*. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, &c. Item: In me omnis gratia, &c.

Psal. 59 · Prov. 31 · Eccl. 51 · Sap. 7 · A · B · C · Rom. 8 · 3 Reg. 3 · Sap. 10 · Eccl. 51 · Eccl. 4 · Exod. 14 · Eccl. 24

Quam sine fictione, &c. Hic primo tangitur liberalitas communicationis sapientiæ: secundo, ratio, communicandi. *Infinitus enim thesaurus*. Quoniam sine fictione, id est, toto corde, *didici*, sciens quod Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, supra. Item: Si quæsieris illam, &c. *& sine invidia communico*, scilicet utilia non subtrahendo, supra: Neque cum invidia tabescente iter habebo. Item: Deriventur fontes tui foras, *& honestatem illius*, id est, pulchritudinem *non abscondam*, verbis obscuris velando. Non abscondas sapientiam tuam in decore ejus: Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ uti-

Sap. 1 · Prov. 2 · Sap. 6 · Prov. 5 · Eccl. 4 · Eccl. 20

utilitas in utrisque? *Infinitus enim thesaurus est in illa hominibus*. Unde, & inexhaustibilis est, per communicationem: & ideo dicitur quod scientia est nobilis thesaurus animæ, quæ distributa recipit incrementum, & avarum dedignatur possessorem, nisi publicetur. Unde Au-

Eccl. 1 gustinus: Omne bonum, quod dando non deficit, si habetur, & non datur, non dum habetur qualiter habendum est. Omnem domum illius implebit a generationibus, & receptacula a thesauris illius, *quo*, scilicet thesauro sapientiæ: qui usi sunt, secundum illam se regendo, *participes facti sunt amicitiæ Dei*. Unde infra: *Amicos Dei, & prophetas constituit propter disciplinæ*, id est, sapientiæ, *dona*, quæ habent non per suam industriam, sed Spiritus sancti distributionem, secundum il-

1 Cor. 12 lud: Hæc omnia, scilicet, dona gratiarum operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult. *Commendari*, id est, commendabiles effecti, scilicet Deo, & ho-

2 Cor. 10 minibus. Non enim, qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

Mihi autem dedit Deus, &c. Hic ostendit, a quo sapientiam didicerit. Et primo ostendit, quis eum docuit: secundo, qualia docuit: *ipse enim mihi*, &c. Tertio, per quod medium ipsum docuit: *omnium enim artifex*, &c. *Mihi autem*, &c. Bene dixi: *quo qui usi sunt*, &c. ego autem usus sum: *autem*, pro quia: *mihi dedit Deus dicere*, id est non tantum sci-

Isa. 50 re: sed etiam docere. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo, *dicere*, inquam, *ex sententia*, &

Prov. 12 diffinitione firma. Labium veritatis

Psalm. 63 firmum erit in perpetuum. Os justi meditabitur sapientiam: & lingua ejus loquetur judicium: id est, firmam sententiam: *& præsumere*. Notandum, quod est præsumptio arro-

Judith. 6 gantiæ, de qua, Præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias. Et præsumptio confidentiæ de virtute divina, & misericordia: de qua ibidem: Ideo derelinquis præ-

Judith. 9 sumentes de te, &c. Item: Exaudi

A me miseram de tua misericordia præsumentem, *Et præsumere*, id est confidenter agere, *digna*, scilicet opera, *horum, quæ mihi dantur*, id est, facere opera strenua, & decentia, secundum dona mihi collata: cui enim plus committitur, plus ab eo requiretur. *Quoniam ipse*, scilicet, Deus, *sapientiæ dux est*, Glossa, id est auctor: Omnis sapientia Eccl. 1

a Domino Deo est. Item: dator: Si Jacob. 1

quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo &c. *& sapientium emendator*, id est, corrector: Ego, quos Apoc. 3

amo, arguo, &c. scilicet si eos errare in aliquo contingat:

---- *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Horat. de Arte Poet.

Item Augustinus: Errare potero, hæreticus numquam ero. *In manu enim illius*: &c. Benedixi, quod dux est, & emendator sapientium, *in ma-*

B *nu enim illius*. Glossa, id est, in potestate: *& nos*, qui sapientiam habemus, Sicut lutum in manu figuli: Hier. 18

sic & vos in manu mea. Item: Sicut Prov. 21

divisiones aquarum: ita cor regis in manu Domini: *& sermones nostri*. Ho- Prov. 16

minis est præparare animum, Domini gubernare linguam: Non estis qui Matth. 10

loquimini, sed Spiritus patris vestri; &c. *& omnis sapientia*, quæ scilicet est cognitio rerum divinarum, & operum scilicet humanorum, *scientiæ disciplina*: Omnia opera nostra operatus es nobis Domine. Isa. 26

Ipse enim mihi dedit, Hic ostendit, quæ & qualia docuit eum Deus: & primo docuit eum scientiam rerum temporalium causarum: Secundo tem-

C poralium transmutationum: *initium & consummationem*. Tertio temporalium effectuum, *naturas*, animalium, *ipse enim*, scilicet Deus, qui solus corda docet, secundum illud Augustini. Cathedram habet in cœlo, qui Aug. de discipl. chr. c. 14. tom. 9

corda docet, *dedit mihi horum quæ sunt*: id est, rerum existentium: quia de non existentibus non est scientia: Unde dicit Philosophus, quod non Arist. 1 Post. tex. 10

est, non est scire. Unumquodque Arist. 2 Met. tex. 4

enim sicut se habet ad esse, sic se habet ad veritatem; sicut ipse dicit: *scientiam veram*, id est, cognitionem certam, & nulli falsitati permixtam: Dedit Deus sapientiam Sa- 3 Reg. 4

lomoni, & prudentiam multam nimis,

mis; *ut sciam dispositionem orbis terrarum*, id est, cœli ambientis mundum. (*Eccl. 24.*) Gyrum cœli circuivi sola: *Et virtutes Elementorum*, id est, qualitates, & speciales rationes; & connexiones, & contemperantias Elementorum. (*Prov. 8.*) Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos: *initium & medietatem & consummationem, temporum* scilicet, quatuor temporum, seu partium genera, quia causantur per motum solis, secundum quatuor quadras Zodiaci, *vicissitudinum permutationes*, successionem dierum, & noctium, quibus qualitas aeris permutatur, scilicet a claritate in obscuritatem, & econtrario, *& consummationem temporum*, id est, mensium tam solarium quam lunarium. Aliqui addunt hic, *morum mutationes & divisiones temporum*, morum mutationes, id est, humanarum consuetudinem, secundum diversos status hominum, *divisiones temporum*, id est, ætatum mundi, vel hominis: *anni cursum*, id est, tempus causatum a motu solis totum per Zodiacum. (*Gen. 1*) Ut sint in signa, & tempora, & dies, & annos: *stellarum*, scilicet aliarum a sole, *dispositiones*, quoad qualitates noctium, in Psalmo. (*Psalm. 135*) Lunam, & stellas in potestate noctis, *naturas animalium*, scil. mitium, *& iras bestiarum*, id est, motus ferocium animalium, & leonis, & hujusmodi. Et notandum, quod dicit, *naturas animalium*, *& iras bestiarum*, quantum ad sensibiles substantias. Deinde subdit, quantum ad res inanimatas, *vim ventorum*, qui sunt duodecim, quatuor principales, & octo collaterales. Et sunt magnæ virtutis, ut patet in libro Job, (*Job. 1*) & in desiccatione maris, (*Exod. 14.*) & in multis aliis locis. *Et cogitationes hominum*. (*1 Cor. 2.*) Contra: Solus Deus novit corda hominum. Unde quis scit hominum quæ sunt hominis, nisi Spiritus, qui in ipso est? quasi dicat nullus, nisi Deus. Dicendum, quod hic loquitur de scientia conjecturæ, vel certitudinis: vel dicendum quod per sapientiæ revelationem sciri possunt ab homine, non per naturam, vel propriam industriam. *Differentias virgultorum*, id est: plantarum: *virtutes radicum*, scil. herbarum. (*3 Reg. 4*) Disputavit de omnibus lignis a cedro Libani usque ad hyssopum, &c. *& quæcumque sunt abscondita vel absconsa* a suis causis, *& improvisa hominibus didici*. (*Eccl. 7*) Lustravi universa in animo meo, ut scirem & considerarem, & quærerem sapientiam. *Omnium enim artifex*, &c. hic ostendit, puod per medium edoctus est, scil. per sapientiam increatam, a patre genitam, & quod docere potuit, scivit & voluit, primo ostendit per Spiritum sanctum, qui est ab illa: secundo per naturam, & virtutem, quæ est in illa, *omnibus enim mobilibus*, &c. In prima primo tangit Spiritus sancti ab increata sapientia processionem: Secundo, effectum ejus in nobis multiplicem. *Sanctus multiplex*, &c. Tertio, ejus in natura propria bonitatem. *Incoinquinatus*, Quarto, ejus sufficientiam universalem: *omnium habens virtutem*. Effectum ejus in nobis tangit quadruplicem, scilicet emendationem culpæ, cum dicit. *Sanctus:* multiplicationem gratiæ, cum dicit, *multiplex*: unitatem concordiæ, cum dicit, *unicus;* subtilitatem intelligentiæ, cum dicit, *subtilis*, exteriorem triplicem scilicet modestiam, cum dicit, *modestus*; eloquentiam, cum dicit, *disertus*; obedientiam, cum dicit *mobilis*; *omnium artifex*, scil. superiorum, mediorum, & inferiorum: scil. Deus, *docuit me sapientia*, id est, per sapientiam: Glossa, quia per ipsum cognitio veritatis datur: quia exterius potest docere homo, sed non interius. Unde Gregorius: Nisi intus sit qui doceat, exterius in vacuum doctoris lingua laborat. *Est enim illa*, &c. quasi dicat: Et bene potuit me docere. *Est enim in illa*, scilicet in sapientia, *Spiritus*, &c. in ipsa scilicet secundum humanitatem habitando: (*Isa. 11*) Requiescet super eum spiritus Domini. In ipsa secundum divinitatem ab ea emanando. *Spiritus*, inquam dator intellectus; (*Job. 32*) Inspiratio omnipotentis det intelligentiam, *Sanctus:* Glossa, sanctificans omnia, (*Sap. 1*) supra. Spiritus sanctus disciplinæ, &c. *multiplex*, Glossa multiplices gratias dans. (*1 Cor. 12*) Divisiones gratiarum sunt &c. hæc autem omnia operatur unus atque idem spi-

spiritus, dividens singulis, prout vult, *unicus*, Glossa, vivens bonus: Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Subtilis*, id est, faciens penetrare occulta. Spiritus scrutatur omnia, id est, scrutari facit etiam profunda Dei. Item *subtilis*, id est, subtilitatem vel perspicacitatem intelligentiæ præbens. Unde de vocatur spiritus intellectus. *Modestus*, id est, modos tenere docens in omnibus. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. *Disertus*, id est, disertos faciens, infra: Linguas infantium fecit disertas. *Mobilis*, id est, mobiles faciens per obedientiam: Quocumque ibat spiritus, pariter, & rotæ elevabantur, sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis. *Incoinquinatus*, &c. hic describit bonitatem ejus in natura propria; & primo bonitatem absolutam in se. Secundo bonitatem in comparatione ad nos, *amans bonum*. Tertio, utriusque immutabilitatem, *stabilis*. Bonitatem absolutam tangit in tribus, scilicet in puritate cum dicit: *incoinquinatus*. In veritate: *certus*. In tranquillitate, cum dicit: *suavis*, dicit ergo *incoinquinatus* Glossa, id est, sine macula, unde & maculas mundat in baptismo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, &c. Item: per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, &c. *certus*. Glossa nec fallit nec fallitur, unde dicitur: Spiritus veritatis: *suavis*, id est, tranquillus: nihil habens asperitatis. Glossa, mitis, & misericors, O quam bonus & suavis est Spiritus tuus in nobis, Domine. *Amans bonum*, &c. hic ostendit bonitatem ejus in comparatione ad nos. Primo, in boni dilectione. Secundo, in ejus promotione, *qui nihil*. Tertio, in sui communicatione, vel communione, *humanus*, Quarto, in suorum communicatione, *qui benignus* &c. Dicit ergo, *amans bonum* actum. Non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati, *quia nihil vetat benefacere* immo juvat. Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Noli prohibere benefacere, &c. *humanus*. Glossa, communis omnibus. In veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus. Vel *humanus*, id est, compatiens, cujus signum est, quod dicitur: Spiritus postulet pro nobis gemitibus inenarrabilibus Vel *humanus*, id est, in hominibus libenter habitans. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum, *benignus*, id est, liberalis innata benignitate supra: Benignus est spiritus sapientiæ, &c. Item: *Benignus*, mala remittendo, bona dando, ad patriam dirigendo. Unde benignitas, dicitur esse fructus spiritus *stabilis* scilicet in se secundum illud: Stabilisque manens &c. Item stabilis in donis promissis. Nec mirum si hic dicatur stabilis, & supra eodem mobilis qua hic dicitur quantum ad diversos effectus, de quibus in Psalmo: Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, *vel mobilis*, in aliis sanctis. Unde: Super quem videris spiritum manentem. Vel sic, *stabilis*, in bonis, *certus*, id est, constans in vero, *securus* a malo secundum illud Psalmi: Non accedet ad te malum: Et sicut in se stabilis est, & certus: sic & quos inhabitat, stabiles facit in bono: certos in vero, securos a malo. In fide fundati stabiles, & immobiles a spe Evangelii. *Omnem habens virtutem*, hic ostendit ejus sufficientiam universalem. Primo, in bonitate. Secundo, in sapientia, *omnia perspiciens*. Tertio in potestate, *qui capiat omnes spiritus intelligibiles*. Dicit ergo *omnem habens virtutem*. Unde: Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Sed contra: Quia non habet fidem, cum fides sit ænigmatica cognitio, & virtus imperfecta. Dicendum quod loquitur de omni virtute, non qualibet, sed perfecta *omnia prospiciens*. Super omnes cœlos considerat & lumen ejus super omnes terminos terræ: Item: Omnia nuda & aperta oculis ejus, *& qui capiat omnes spiritus*, scilicet angelicos, quia intra ipsum currunt quocumque mittantur, secundum Bedam super illud: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: *spiritus autem*, dicuntur angeli quantum ad suam substantiam, & naturam, *intelligibiles*, quantum ad suam

suam potentiam, vel quia corporib. per naturam non unibiles, *vel capiat*, id est, capere faciat *omnes spiritus*, id est, omnia dona spiritus, scil. de quibus. Requiescet super eum spiritus Domini. Spiritus sapientiæ & intellectus, &c. *Mundos*, scilicet per innocentiæ puritatem. Sunt enim angeli, secundum Dionysium specula pura, & clarissima, & addit *Mundos*, ad differentiam spirituum immundorum, id est, dæmonum, *subtiles* per intelligentiæ perspicacitatem. Vel *subtiles* per sapientiam. Gregorius: Quid est hoc quod non videant, qui videntem omnia, vident? Aliqui libri habent, *mundum subtilis*, mundus est spiritus intelligentiæ, quia sine materiæ feculentia. Subtilis, quia pura forma. Sed prima littera verior est, quia ita habet Rabanus in textu, & in expositione. Vel, mundus dicitur spiritus, scilicet quia lavat a peccatis præteritis, & præservat a futuris. Vel quia in præsenti purgat a culpa, in futuro a pœna, *incoinquinatus*, quia nec in se, nec ab alio immunditiam contrahere potest: *subtilis*, quia omnia penetrat, vel quia in nobis operatur subtilitatem, affect. quoad donum sapientiæ, & intellectus quo ad donum intelligentiæ: *Omnibus enim nobilib.* hic ostendit, quod sapientia per naturam, & virtutem, quæ est in ea, potuit esse medium, quo edoctus est. Et ad hoc ostendendum, primo allegat ejus mobilitatem: Secundo, ejus puritatem, *Attingit autem*. Tertio, ejus potestatem, *& cum sit una*. Quarto, ejus speciositatem, *est quidem speciosior*. Bene dixi, quod in illa est spiritus, &c. *omnib. enim mobilibus*, quocumque genere motus, scil. sive in substantia, sive in qualitate, sive in quantitate, sive in loco, *mobilior est sapientia*, id est, velocior in operando. Glossa: nihil subtilius, & mobilius sapientia, quæ omnia creavit, regit, & ordinat, mobilior, inquam, non quia moveatur, sed quia omnia movet, immobilis manens; secundum illud Boetii: — *Stabilisque manens das cuncta moveri.* Item: In ipso vivimus, movemur, & sumus. *Attingit autem*, &c. hic ostendit ejus puritatem. Primo, per hoc quod a purissimo fonte procedit, vel emanat. Secundo, quia fontis claritatem in se repræsentat, *candor autem*, &c. Ita dixi, quod *omnibus mobilibus*, &c. nec solum, *autem*, pro sed: sed quod plus est, *attingit ubique*, id est, a fine supremæ creaturæ, usque ad extremam creaturam Ambrosius: Usque ad locustam divina sapientia penetravit. Sed contra: Abyssus dicit, non est in me: mare loquitur, non est mecum. Respondetur immo, quod ibi loquitur non de creaturis, sed de creaturarum vitiis. Vel melius dicendum, quod Deus, non est in aquis, vel mari per continentiam, cum a nullo possit contineri, sed est per præsentiam, secundum illud Psalmi: Si ascendero in cœlum, &c. si descendero in infernum, ades: *propter suam munditiam*, id est, abstractionem ab omni materiæ feculentia, quia enim est omnino immobilis, ideo est incircumscriptibilis, secundum Damascenum: *vapor est enim virtutis Dei*, id est, a Deo patre emanans, sicut vapor a calore. Glossa, id est, ad calefaciendum frigus infidelitatis nostræ, quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam: *Et emanatio quædam est charitatis omnipotentis Dei*, id est, emanans a Deo patre, ut splendor a luce scilicet, ad illuminandum tenebras intellectus nostri. Qui cum sit splendor gloriæ, &c. Donec egrediatur, ut splendor justus ejus *sincera* sine admixtione tenebræ. Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Iste autem processus est sine diminutione paternæ substantiæ, vel separatione: sed cum personali distinctione secundum illud Athanasii. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes: & quia sicut lux procedit, quæ contaminari non potest, *ideo nihil inquinatum*, inquinatione scilicet culpabili, vel etiam naturali: *incurrit in illam*, scilicet sapientiam, increatam. Glossa, summo bono non appropinquat malum, & vere, *nihil inquinatum incurrit in illam*. *Candor enim est lucis æternæ*, id est, lux purissima de luce æterna, scilicet a patre procedens. Un-

Marginalia: *Isa. 11.* *Dionys.* *Greg. lib. 4 Dial. c. 33 in fine.* *Boet. lib. de consol. phil. Metr. 9* *Act. 17* *Ambros. in Hexaem. lib. 5 c. 12. tom. 1* *Job. 28* *Psal. 138* *Damasc. l. 1 de fid. orth. cap. 8* *Eccl. 24* *Heb. 1* *Isa. 62* *1 Joan. 1* *Athanas. in Symb.*

de cantatur: Lux de luce apparuisti Christe. In ista luce, lux æterna videtur, secundum illud Psalmi:
Psal. 35 In lumine tuo videbimus lumen.
Joan. 14 Item: Qui videt me, videt & patrem; *est ergo candor lucis æternæ*, quantum ad repræsentationem sapientiæ. *Et speculum sine macula majestatis Dei*, quoad repræsentationem divinæ majestatis & potentiæ, secundum il-
Joan. 5 lud: Quæcumque enim ille, scilicet pater, fecerit, hæc & filius similiter facit, *sine macula*, inquam pec-
1 Petr. 2 cati, quia peccatum non fecit, &c. *& imago bonitatis illius*, Glossa. Et plena repræsentatio bonitatis ejus:
Coloss. 1 Quæ est imago Dei invisibilis. Notandum quod speculum est Dei filius immaculatum actu, & potentia. B
Speculum. Speculum etiam est Angelus secundum Dionysium purum, & clarissimum: licet immaculatum actu, maculatum tamen potentia, saltem remota. Speculum etiam est spiritus humanus, in quo relucet imago divina, maculatum actu & potentia. Speculum etiam dicitur omnis creatura, quia per eam, tamquam per ejus vestigium, repræsentantur Dei
Rom. 1 invisibilia: Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, a creatura mundi in-
1 Cor. 13 tellecta conspiciuntur: Videmus nunc per speculum in ænigmate. Speculum etiam est sacra Scriptura: hic com-
Jacob. 1 paratur viro consideranti vultum nativitatis scilicet in speculo. *Et cum sit una*, scilicet in essentia cum pa- C
Joan. 10 tre, secundum illud: Ego & pater unum sumus, *omnia* potest, id est, eamdem potentiam habet cum pa-
Sap. 18 tre. Unde infra: Omnipotens sermo tuus Domine a regalibus sedibus venit, sed si omnia potest, ergo potest mentiri, vel mori: quod falsum est. Dicendum, quod omnia potest, quæ bonitati suæ non repugnant: vel quæ posse, est potentia aliqua non impotentia. *Et in se permanens*, scilicet invariabilis, secun-
Jacob. 1 dum illud: Apud quem non est transmutatio & cætera; *omnia innovat*, scilicet temporalia per continuam ge-
Eccl. 1 nerationem: Generatio præterit, generatio advenit, & spiritualia per
2 Cor. 5 spiritualem regenerationem. Si qua in Christo nova creatura est, vete- A ra transierunt Ecce nova facio omnia, Apoc. 21
& per nationes, carnales, vel potius spirituales, de quibus: Nisi quis re- Joan. 3
natus fuerit ex aqua, &c. *In animas sanctas*, id est, a peccato mundus se transfert per spiritualem adventum gratiæ in mentem: Ad eum Joan. 14
veniemus, &c. Notandum autem, quod transferre se dicitur non per novum situm, vel mutando locum, sed per novum effectum. Unde sequitur, *amicos Dei*, per inflammationem affectus. *Et prophetas constituit*, per illuminationem intellectus: Jam non dicam vos servos, sed ami- Joan. 15
cos: quia omnia quæcumque audivi a patre meo, nota feci vobis *Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientia inhabitat*. Permanendo scilicet cum illo, Qui in le- Psal. 1
ge Domini meditabuntur die ac nocte, secundum Glossam: Ego sa- Prov. 8
pientia habito in consilio & eruditis intersum cogitationibus. Et si Eccl. 14
Deus neminem diligit, nisi qui cum sapientia inhabitat: Beatus ergo vir, qui in sapientia morabitur. *Neminem diligit Deus*, &c. contra infra: Diligis omnia, quæ sunt, & ta- Sap. 11
men non omnia cum sapientia inhabitant. Sed dicendum, quod ibi loquitur de dilectione naturali, hic de gratuita. *Hæc speciosior*, &c. hic agit de sapientiæ speciositate, præferendo eam speciositati solis. Et primo ponit comparationem: secundo comparationis probationem: *Illi enim succedit nox*, bene dixi, quod eum diligit Deus, qui cum sapientia inhabitat, & merito. *Est enim hæc* scilicet sapientia, *speciosior sole*, quia pulchritudo spiritualis præfertur corporali: supra eodem; super salutem & speciem dilexi eam, *sole*, scilicet materiali, quia est pulchritudo Solis justitiæ, de quo: Orietur vobis timentibus nomen me- Malach. 4
um sol justitiæ, *& super omnem stellarum dispositionem speciosior est*, repetendum. Ipsa enim stellas fecit, & constans est; & plus de pulchritudine sibi retinuit, quam stellis dederit: ideo supra; Quam pulchra Sap. 4
est casta generatio cum claritate scilicet sapientiæ, *luci comparata*, scilicet tam solis, quam stellarum, *in-*

ve-

venitur prior, scilicet æternitate, dignitate, causalitate. Ego feci ut oriretur in cœlo lumen indeficiens, Glossa, lux corporalis, quæ modo occidit, modo oritur, luci spirituali comparata scintilla videtur. Christus quoque sanctorum claritatem longe transcendit, *illi*: enim scilicet luci corporali: *succedit nox*, secundum illud: Nox, & dies non requiescent. Venit mane & nox. Sed luci spirituali non succedit nox. Unde sequitur: *sapientiam autem*, quæ est lux spiritualis, *non vincit*, malitia, quæ est tenebra spiritualis, secundum Joannem Damascenum. Unde lux in tenebris lucet.

Eccl. 24 Gen. 8 Isa. 21 Joan. 1

CAPUT OCTAVUM.

ATTINGIT, ergo a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Hanc amavi, & exquisivi eam a juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius. Et si divitiæ appetuntur in vita; quid sapientia lucupletius quæ operatur omnia? Si autem sensus operatur, quis horum quæ sunt magis quam illa, est artifex? Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis: scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum. Proposuit ergo hanc adducere mihi ad convivendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis: & acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero: & facies principum mirabuntur me, tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinantem me plura, manus ori suo imponent. Præterea habebo per hanc, immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. Disponam populos, & nationes mihi erunt subditæ. Timebunt me audientes reges horrendi in multitudine videbor bonus, & in bello fortis. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa, non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo, quoniam immortalis est in cogitatione sapientiæ, & in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia & præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem. Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientia scire, cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

EXPOSITIO IN CAP. VIII.

ATTINGIT ergo, &c. ostensio qualiter sapientiam acquisierit, hic ostenditur quantum ipsam amaverit. Et hic ostendit ex tribus. Primo ex desiderio habendi: Secundo ex proposito acquirendi: *Proposui ergo*. Tertio ex studio inveniendi: *Hic cogitans*, &c. In prima ostendit desiderium habendi causatum in se, primo ex ejus valore absoluto: secundo ex ejus valore comparato: *Et si divitiæ*, valorem absolutum ostendit primo ex ejus virtute: secundo ex ejus formositate. *Hanc amavi*, &c. Tertio ex ejus nobilitate, *Generositatem*, quarto ex ejus utilitate: *Doctrix est enim*, ergo quia talis est sapientia, ut dictum est: *attingit*, contactu virtuali, non corporali, secun-

3 Reg. 10 cundum illud: Quorum Deus teti-
gerit corda. *A fine usque ad finem.*
Glossa ab æterno in æternum. Vel
a principio mundi usque ad adven-
Rom. 10 tum Christi. Finis legis Christus,
&c. *Fortiter*. Glossa quia Dei virtus
1 Cor. 1 est. CHRISTUM DEI virtutem, &
sapientiam. *Et disponit omnia*, scili-
licet suprema, media, & infima:
Suaviter. Glossa, quia Dei sapientia
est. *Fortiter disponit omnia* per justi-
tiam, & *suaviter*, per misericordiam.
Psal. 24 Psalmista: Universæ viæ Domini
misericordia, & veritas, scilicet ju-
Psal. 102 stitiæ. Item: Misericordia Dei ab
æterno, & usque in æternum, &c.
& justitia illius in filios filiorum,
&c. Nota, quod sapientia, id est,
Dei filius, attingit fortiter ea, quæ
in cœlo, superbum diabolum cum
Job. 12 suis sociis expellendo: Prudentia ejus
Ezech. 28 percussit superbum: Peccasti ei, o
Cherub: ea quæ in mundo, mun-
di principem superando, & eiicien-
Joan. 12 do: Nunc princeps hujus mundi eii-
cietur foras: ea, quæ in inferno,
spolia inferni auferendo, secundum
Zach. 9 Glossam: Tu autem in sanguine tuo
eduxisti vinctos de lacu, in quo non
est aqua. Disponit autem suaviter
ea, quæ in cœlo, Angelos stantes
in gratia confirmando. In Psalmo:
Psalm. 32 Verbo Domini cœli firmati sunt.
Quæ in mundo, genus humanum
1 Pet. 1 proprio sanguine redimendo. Non
corruptibilibus auro, vel argento re-
dempti estis, &c. Sed pretioso san-
guine, &c. Quæ in inferno, san-
ctorum animas de limbo educendo,
Zach. 9 secundum illud: Tu autem in san-
guine testamenti eduxisti vinctos de
Psal. 67 lacu, &c. Item in Psalmo: Ascen-
disti in altum, cœpisti captivita-
tem, &c. Vel sic cum sapientia in-
creata sit media in Trinitate perso-
na, potest dici, quod *attingit a fine*
usque ad finem, id est a Patre us-
que ad Spiritum sanctum, scilicet
per identitatem substantiæ, ita, quod
non intelligatur distantia localis:
sed distinctio personalis, *Fortiter*,
quoad patrem, cui attribuitur po-
tentia. *Et disponit omnia suaviter*,
quoad Spiritum sanctum, cui attri-
buitur benignitas, Vel *attingit a fine*
usque ad finem, id est, a divinita-

A te usque ad humanitatem, scilicet
in incarnatione, in qua una sum-
mis unita sunt. *Fortiter*, quia per
potentiam infinitam. In Psalmo:
Excita potentiam tuam, & veni. Psal. 79
Glossa, tu ipse in carnem. *Et dis-*
posuit omnia suaviter. In redemptio-
nis humanæ procreatione: Discite a Matth. 11
me, quia mitis sum, & humilis cor-
de: mitis fuit in futura humana as-
sumptæ, est enim homo animal na- Hom.
tura mansuetum, ratione discretum
statura erectum. In conversatione.
Unde Joannes Baptista quadam die
videns eum ambulantem, ait: Ecce Joan. 1
Agnus Dei &c. In prædicatione:
Venite ad me omnes, qui labora- Matth. 11
tis, & onerati estis, & ego refi-
B ciam vos. In peccatorum dimissio-
ne: Vade & amplius noli peccare Joan. 8
Item: Dimittite, & dimittetur vo- Luc. 6
bis. In passione, unde: Sicut ovis Isa. 53
ad occisionem ducetur &c. Item:
Ego quasi agnus, qui portatur ad Hier. 11
victimam. Sequitur. *Hanc*, scilicet
sapientiam, quia tantæ virtutis est.
Amavi, scilicet affectu cordis. Un-
de supra: Super salutem, & spe- Sap. 7
ciem dilexi sapientiam. *Et exqui-*
sivi, id est, extra quæsivi, effectu
boni operis, secundum illud: Non 1. Joan.
diligamus lingua, neque verbo, sed
opere & veritate. *A juventute mea*,
quasi dicat in flore ætatis meæ: Qui Prov. 8
mane, scilicet juventutis vigilave-
rint ad me, invenient me. Ideo:
C Fili a juventute tua excipe doctri- Eccl. 6
nam; *Et quæsivi*, scilicet studio le-
ctionis, & orationis: Quærite & in- Luc. 11
venietis. *Sponsam mihi assumere*,
sponsam dicit, ratione amoris: Dic Prov. 7
sapientiæ, soror mea es, & pruden-
tiam voca amicam meam. Item ra-
tione delectationis: Lætare cum mu- Prov. 5
liere adolescentiæ tuæ. Ratione in-
separabilitatis: Non enim sponsam Matth. 19
licet dimittere: nisi causa fornica-
nicationis: sed hoc in sapientia lo-
cum non habet, nihil enim inquina-
tum incurrit in illam, supra. Ra-
tione generationis: Transite ad me Sap. 7
omnes, qui concupiscitis me, & a Eccl. 24
generationibus meis implemini. *Et*
amor factus sum formæ illius, id est
pulchritudinis sapientiæ. Et hoc per-
severantia, & ferventis dilectionis
amo-

Zach. 9 amore eam, quasi inhabitum convertendo. Quid bonum, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? id est, nisi sapientia, quæ reficit affectum, & castificat, vel purificat intellectum a corruptione erroris. *Generositatem:* &c. Ita amavi sapientiam, &c. merito, quia sapientia increata: *Habens contubernium*, id est, consortium, & cohabitationem *Dei*, Glossa, patris: quia est ei coæterna: Ego in patre, & pater in me est. Item: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum *Glorificat generositatem illius*, id est repræsentat generositatem patris, secundum Glossam. Ipse enim filius Dei in se patris gloriam repræsentat: quia est splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, ut habetur. Item, secundum aliam litteram: Gloria patris filius sapiens. Item ejus gloriam mundo manifestat. Unde. Ego gloriam meam non quæro, sed honorifico, &c. *Sed & omnium Dominus*, scilicet pater, de quo: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, &c. *Dilexit illam*: Pater diligit filium, & merito. *Doctrix enim est disciplinæ Dei*. Homo adinvenit omnem viam disciplinæ, &c. disciplina duplex est: scilicet factorum, & verborum. Unde; Disciplina tua correxit me in finem: Et disciplina tua ipsa me docebit: Propter hoc dicit; *Doctrix*, &c. scilicet verbis. Et nota, quod disciplina Dei est fides formata, quæ facit discipulos Dei: Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Domini, id est, fideles. *Et eletrix operum illius*, id est, disciplinæ, quæ est in factis: *Et eletrix operum illius*, id est, eligere, docens opera disciplinæ fidei: Fides enim sine operibus mortua est. *Et si divitiæ appetuntur*, hic ostendit desiderium causatum ex sapientiæ valore comparato. Et primo in comparatione ad pecuniam, quæ est perfectio fortunæ. Secundo in comparatione ad industriam, quæ est perfectio naturæ. *Si autem sensus*. Tertio in comparatione ad virtutem, quæ est perfectio gratiæ: *Et si justitiam*, Quarto in comparatione ad scientiam, quæ est perfectio intelligentiæ. *Et si multitudinem. Et si divitiæ appetuntur*, quamvis appetendæ non essent: Qui enim volunt divites fieri incident in tentationem & in laqueum diaboli. Item in Psalmo: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere: *In vita*, scilicet præsenti pro ejus sustentatione, & sufficientia. *Quid sapientia locupletius? quæ omnia operatur*. Pater meus usque modo operatur, & ego operor; ego, scilicet sapientia increata, nec potest esse pauper, quia omnia operatur, Sic enim est facere argentum, & aurum & hujusmodi. Ideo dicit: Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes supernæ. Augustinus: Nimis dives est christiana religio, cui datum est in omnium possessore, omnia possidere. *Si autem sensus*, id est naturalis, vel acquisita industria: *Operatur*: quia ars imitatur naturam in operando, secundum Philosophum. *Quis horum, quæ sunt magis, quam illa est artifex*: quasi dicat nullus. Unde in Psalmo: Omnia in sapientia fecisti. Unde sapientia replevit Dominus Beseleel, ut sciret fovere opera tabernaculi, ut habetur; *Et si justitiam quis diligit*, scilicet generalem, id est, humanæ vitæ rectitudinem, de qua supra: Diligite justitiam, & cætera, *Labores hujus*, scilicet sapientiæ, quibus pro ipsa habenda laboratur, & dicit. *Labores*, pluraliter, quia pro ipsa habenda oportet multum laborare: In laboribus plurimis: *Magnas virtutes habent*, id est, acquirunt. Glossa, nihil iners, nihil desidiosum in operibus ejus. *Scribentem enim*, &c. Glossa quatuor virtutes principales ponit: *Sobrietatem*, id est, temperantiam, in cavendo superfluum malum, infra: Deducet me in operibus meis sobrie, & *Sapientiam*, in discernendo, & diligendo bonum; *justitiam*, in reddendo debitum; *Virtutem*, id est, fortitudinem, cui magis convenit nomen virtutis; quasi vi tuentis in sustinendo difficile, & aggrediendo arduum. De iis tribus: Mea est æquitas: mea est prudentia: mea est fortitudo; Glossa, has virtutes nullus habuit, nisi qui omnium virtutum origo: Deus contulit quocumque tempore, qua-

Marginal references: Joan. 14; Joan. 1; Heb. 1; Prov. 10; Joan. 8; Psal. 2; Joan. 5; Baruc. 3; Ps. 17; Act. 9; Jac. 2; 1 Tim. 6; Ps. 61; Joan. 5; Prov. 8; Arist. 2 Phys. tex. 7; Ps. 103; Exod. 31; Sup. c. 1; 2 Cor. 11; Sap. 9; Prov. 8.

quacumque lege, quacumque gente: A Quidam tamen speciem pietatis habentes virtutem ignoraverunt. Sed numquid Philosophi virtutem habuerunt? & videtur, quod sic, quia secundum Philosophum, habetur per acquisitionem. Dicendum quod non habuerunt virtutes perfectas, sed imperfectas, quia sine merito, & informes: vel habuerunt eas a Deo per gratiam gratis datam, sed non per gratiam gratum facientem. *Quibus nihil est utilius in vita hominibus*, id est: in vita humana hominis ad hominem. Sed numquid Theologicæ virtutes meliores non sunt, & utiliores? Dicendum, quod sicut tactum est, loquitur in vita humana hominis in comparatione ad hominem, B non ad Deum, quoniam præsupponit: iis autem nihil est utilius hominibus, quia proficiunt homini in agendo, & in patiendo. In agendo, quia per prudentiam est in agendo recta electio, per justitiam recta executio: in patiendo, quia per temperantiam recte nos habemus ad passiones mulcebres, per fortitudinem ad passiones tristabiles. Ideo dicit Glossa, qui temperans, est prudens, & fortis, & justus, quid illi deest? *Et si multitudinem scientiæ*. Aliqui habent? *Et similitudinem scientiæ*, sed falsa est littera illa, quamvis præsens scientia hominis magis possit dici similitudo scientiæ, quam scientia, eo quod multæ dubietati, & C multæ ignorantiæ est permixta: *Si multitudinem*, inquam, *Scientiæ*, scilicet speculativæ, *Desiderat*, quis secundum illud Philosophi: Omnes homines scire desiderant; *Scit præterita*, scilicet sapientia ipsa. *Et de futuris æstimat certitudinaliter*, cum tamen sint occulta ex conditione temporis; quia præterita jam transierunt, futura vero nondum evenerunt, *Scit*, inquam, *Præterita*, &c. unde per ipsam edoctus Moyses prophetavit de præteritis: In principio creavit Deus cœlum, & terram. Item de futuris: Prophetam suscitabit Dominus de gente tua, & de fratribus tuis. *Et versutias sermonum* id est, simplicium propositionum, ut ænigmatum obscuras astutias, nec tantum simplicium propositionum versutias, sed & compositarum. Unde sequitur, *Et dissolutiones argumentorum*, id est, rationum, quæ tamen latent ex perplexione humanæ calliditatis: Occulta proverbia exquiret scilicet sapiens, & in absconditis parabolarum conversabitur. Unde Christus, in quo erant thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi, in sermone capi non potuit, ut patet apud Matthæum. Et Salomonem edoctum sapientia nullum verbum reginæ Saba latere potuit, ut patet in libro Regum; *Signa*, scilicet minora, quæ præter naturam fiunt, *Et monstra*, quæ contra naturæ communem cursum fiunt; *Scit antequam fiant*, ita bene sicut quando jam facta sunt. De iis duobus: Si signa & prodigia videbitis, non creditis. Hæc autem similiter occulta, ratione naturalis difficultatis, quia miraculum, secundum Augustinum est opus arduum, & insolitum supra spem, & facultatem admirantis; *Et sæculorum*, id est sequentium, quæ eveniunt in æternitate, & in futuro, hæc autem nosse non est hominis. Unde: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate: hæc autem occulta sunt ratione causæ latentis, *Proposui ergo*, &c. supra ostendit, quantum amaret sapientiam, & hoc ex desiderio habendi, hic ex proposito acquirendi. Et hoc propter bona, quæ ex ipso proveniunt: & primo propter bona pertinentia communiter ad utramque vitam: Secundo, propter pertinentia ad vitam activam, *Habebo per hanc*. Tertio, propter pertinentia specialiter ad contemplativam; *Intrans in domum*. Ergo quia talis est; *Proposui*, id est, firmiter in corde meo disposui *Hanc*, scilicet sapientiam divinam non aliam adulterinam, ut poeticas disciplinas, quas vocat Boetius de Consolatione meretriculas; *Adducere mihi*, non tantum alteri, contra illos, qui tantum alios docent, se ipsos non docent quos arguit Apostolus dicens: Qui alium doces, cur te ipsum non doces? *Ad convivandum*, id est, ad reficiendum, scilicet affectum, non tantum ad illu-

Marginalia: 2 Tim. 3; Arist. 2 Eth. c. 11; 1 Meth. p. tex. 1; Gen. 1; Deut. 18; Eccl. 39; Coloss. 2; Matt. 12; 3 Reg. 10; Joan. 4; Aug. l. de util. credendi c. 16; Act. 1; Boet. de consol. l. 1 Pro. 1; Rom. 2

lustrandum intellectum, sicut multi, qui nullo modo afficiuntur in sacra scriptura: Videbis oculis tuis, & inde non comedes. (4 Reg. 7) Item; *Ad convivandum*, dicit, id est, ad communiter, & simul reficiendum, quia in bonis sapientiæ pascimur, & reficimur, unde: Comedite panem, & bibite vinum, quod miscui vobis: & (Prov. 9) illa in bonis nostris, unde: Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. (Prov. 8) Debemus ei ministrare primum ferculum, quasi de herbis confectum, de liliis honestatis: Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies: &c. (Cant. 2) Secundum de carnalibus hœdinis, id est, detestationem omnis peccati & iniquitatis, tam carnalis, quam spiritualis: iis duobus hœdis libenter vescitur: Sicut Isaac. (Gen. 27) Tertium de piscibus assis patientiæ, & tribulationis. Obtulerunt ei partem piscis assi. (Luc. 24) Ultimum de fructu spiritus, id est, de operibus devotionis: Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum. (Cant. 5) *Sciens quoniam mecum communicabit de bonis*, scilicet suis, hæc est invitatio symbolica: Cœnabo cum eo, & ipse mecum. (Apoc. 3) Et dicit; *De bonis*, pluraliter, quoniam, & de bonis præsentibus, & futuris. *Et erit allocutio*. Glossa, id est, alleviatio; *Cogitationis*, id est, afflictionis in cogitando, quoad intellectum, secundum illud: Frequens meditatio carnis est afflictio: (Eccl. 12) *Et tædii mei*, in operando. Et hoc quantum ad affectum: Supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere. (2 Cor. 1) *Habebo*, &c. hic tangit bona pertinentia ad vitam activam præcipue necessaria Prælatis: & primo quantum ad actum judicandi: secundo, quantum ad actum loquendi, *Tacentem me*, &c. tertio, quantum ad actum conservandi: *Præterea habebo*, &c. quarto, quantum ad actum regendi, *Disponam populos*. Quantum ad actum judicandi tangit duo, primo auctoritatem: secundo discretionem; *Juvenis, & acutus*, &c. *Habebo per hanc*, scilicet sapientiam, quæ clara est, ut habetur supra: *Claritatem*, scilicet famæ: (Sap. 6) Luceat lux vestra, &c. (Matt. 5) Inter quos lucetis sicut luminaria in firmamento, &c. (Phil. 2) *Ad turbas*, id est, ad minores. *Et honorem*, scilicet reverentiæ: *Apud seniores*, id est, quod majores. Videbant me juvenes, & (Job 29) abscondebantur, & senes assurgentes stabant. Ex iis duobus fit homo magnæ auctoritatis, scilicet ex fama minorum, & reverentia majorum; *Juvenis*, id est, fortis, & diligens investigando, *Et acutus*: id est, subtilis in penetrando, & inveniendo. *Inveniar in judicio*. Glossa, omnia secundum leges dijudicans, talis fuit Daniel, ut patet. (Dan. 13) Et supple, ideo: *In conspectu potentium*, id est, minorum Prælatorum. *Admirabilis ero, & facies principum*, id est, majorum Prælatorum: *Mirabuntur me*, hoc ad litteram fuit verum de Salomone, ut patet. Ubi dicitur, quod Regina (3 Reg. 10) Saba, audita fama Salomonis, &c. ait: Majorem sapientiam inveni, quam rumor, quem audivi. Hoc etiam verum fuit de nostro Salvatore, unde: Audivit Tetrarcha famam (Matt. 14) de Jesu; & ait pueris suis, &c. Hoc etiam verum est de perfecto sapiente. In medio populi sui exaltabitur, (Eccl. 24) & in plenitudine sancta admirabitur. *Tacentem me*, id est, quod doceam præmeditatam, in Psalmo: Os justi meditabitur sapientiam. (Ps. 36) *Sustinebunt*, id est, in silentio exspectabunt, non audentes loqui secundum Glossam. Expectabant me, sicut pluviam: (Job 29) & aperiebant os suum, sicut ad imbrem serotinum; *Et loquentem*, &c. taciturnitatem recte præmisit locutioni, quia, secundum Hieronymum, (Hier. in Eccl. c. 3 v. 8) doctrina Pythagoræ erat tacere per quinquennium, & postea eruditos loqui, *Et loquentum me respicient*, scilicet diligenter, & hoc in signum attentionis: Intenti tacebant ad consilium meum: (Job 29) *Et sermocinante me plura*, sed non superflua, sive multa, quia, in multiloquio, sive in superfluitate verborum, non deerit peccatum. (Prov. 10) Nota, quod pluralitatem continent duo, vel tria, sed non multitudinem; *Manus ori suo imponent*. Glossa, non audentes resistere mihi: Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. (Job. 29) *Præterea per hanc*, scilicet per sapientiam, *Habebo immortalitatem*, scilicet gloriæ æter-

Pro. 3 æternæ in cælo. Lignum vitæ est iis, qui apprehendunt eam; *Et memoriam*, Glossa, meorum operum, & virtutum, *Æternam*, id est, perpetuam, quamdiu durabit mundus. *Iis, qui post me futuri sunt, relinquam* Prov. 10 Memoria justi cum laudibus, in Psal Ps. 111 mo: In memoria æterna erit justus. *Disponam*, &c. hic tanguntur bona per sapientiam habita, quoad actum regendi. Et primo respectu subditorum: Secundo respectu extraneorum, *Timebunt*, &c. dicit ergo; *Disponam* Glossa, erudiam regendo, scilicet & gubernando. *Populos*, legem habentes. Populus Populus enim est multitudo hominum sub una lege viventium, ut Judæi sub lege Moysi. *Et nationes*, id est, gentiles legem non habentes, & dicuntur nationes, quia non renati: sed in nativitatis præputio, Ps. 46 & vitio permanentes, unde: Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus Isa. 55 nostris. Et Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus. *Nationes*, inquam, *mihi erunt subditæ*, per obedientiam, *Timebunt me audientes reges horrendi* 3 Reg. 9 id est, tyranni, & impii. Unde omnes reges per circuitum facti sunt Isa. 60 tributarii Salomoni. Item. Venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te: *Et in multitudine*, scilicet fidelium: *Bonus videbor*, id est, benignus, *& in bello*, scilicet adversariorum. *Fortis*, hæc omnia spiritualiter, secundum Glossam, impleta sunt in Christo, & de ipso exponi possunt, ut patet inspicienti Glossas. *Intrans in domum meam*, id est, conscientiam, scilicet redeundo de Luc. 10 causa exteriori ad interiorem. Sicut discipuli post prædicationem ad Dominum sunt reversi cum gaudio, ut habetur. Præmisit autem actionem contemplationi, ratione temporis, Gen. 29 non ratione dignitatis. Sicut Lia ante Rachel: *Conquiescam cum illo*, id est simul quiescam in illa mecum, vel in me. Præcurre prior in domum tuam, & illic advoca te, & illic lude, &c. bene dixi; *Conquiescam cum illa*, non enim habet amaritudinem exterioris turbationis, *Conver-* Eccl. 24 *satio illius*, id est cohabitatio. Spiritus meus super mel dulcis: *Nec tæ-* A *dium*, scilicet interioris afflictionis, *Convictus illius*. Qui edunt me, adhuc esurient, contra fastidium. Ibidem. Hæc duo, scilicet amaritudo exterioris turbationis, & tædium interioris afflictionis repugnant quieti. Et ideo illa removet, subjungens duo apposita, cum dicit: *Sed lætitiam*, scilicet interior: *& gaudium*, scilicet exterius. Jucunditatem atque gaudium dabit. Item: Implevit eum Dominus Eccl. 1 spiritu sapientiæ, & cætera. Jucunditate, & exultatione, &c. Eccl. 15 *Hoc cogitans*, &c. Hic tertio ostendit, quantum amaverit sapientiam, & hoc est studio quærendi eam. Et circa hoc primo ostendit diligentiam quærendi. Secundo aptitudinem suscipien- B di. *Puer autem eram*. Tertio fiduciam impetrandi *& ut scivi*. In prima ponit tres causas moventes ad quærendum scientiam: Primo effectum sapientiæ in corde. Secundo effectum in opere, *Et in operibus*. Tertio effectum in locutione, *& in certamine loquelæ*. Hæc, scilicet præmissa, *cogitans apud me*; frequenter de his meditando. *Et commemorans in corde meo*, scilicet frequentia ea, ne obliviscar in memoriam redeundo: animal enim, quod ruminat, Levit. 11 & findit ungulam: scilicet memorando, & discernendo, mundum est: Maria conservabat omnia verba hæc, Luc. 2 &c. *Quoniam immortalis est*, scilicet per naturam, vel per effectum im- C mortalitatis, quem confert, supra eodem; *Habebo*, per hanc, immortalitatem. *In cognitione sapientiæ*, id est intellectu: Glossa, quidquid de natura ejus cognoscitur, totum immortale, & semper vivere invenitur. Infra: Scire justitiam & vir- Sap. 15 tutem tuam radix est immortalitatis, *& amicitia illius*, scilicet quando amatur. *Delectatio bona*, scilicet in affectu. *Bona*, dicit contra delectationem peccati, quæ mala est, quia ducit ad æternum cruciatum secundum illud Gregorii: Momentaneum est, quod delectat: æternum, quod cruciat. Item Glossa: corporales deliciæ corpus gravant: spirituales vero mentem relevant, & tanto magis esuriuntur, quanto magis comeduntur. In illis appetitus placet, ex-

experientia displicet. Spirituales vero deliciæ augent desiderium, & quo magis sumuntur, eo avidius amantur. *Et in operibus manuum illius*, id est in operibus bonis, quæ fiunt per manus illius, id est virtute, & po-
Joan. 15 tentia ejus. Sine me nihil potestis facere. *Honestas sine defectione*, id est, perfecta honestas: virtus enim, & opus virtutis sunt de genere honesti,
Sap. 10 infra: Honestavit illum in labori-
Sap. 7 bus. Item supra: Innumerabilis honestas per manus illius. *Et in certamine loquelæ illius*, scilicet quæ est ad modum disputationis, in qua est quoddam certamen opponentis, & respondentis. *Sapientia*, id est, scien-
Eccl. 51 tia supple acquiritur. Colluctata est anima mea cum illa, *& præclaritas*, id est, claræ virtutis evidentia: *In communicatione sermonum illius*, qui scilicet communicantur per modum
Eccl. 24 simplicis collectionis: Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Item:
Dan. 12 Qui ad justitiam erudiunt plurimos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Circuibam*. Glossa, diligenter, & stu-
Cant. 3 diose. Surgam & circuibo civitatem. *Quærens*; scilicet sicut mulier, de
Luc. 15 qua: Quæ lucernam accendit, & evertit domum, quærens diligenter, donec inveniat: *Ut illam mihi assumerem*, scilicet in sponsam. Unde supra eodem: *Quæsivi eam mihi sponsam assumere*. In prædicto textu tan-
Prædicatori octo valde utilia. guntur octo utilia prædicatori, vel doctori circa sapientiam addiscendam, sive circa sapientiæ acquisitionem. Cognitio de ea per investigationem: commemoratio, per frequentationem: delectatio per amorem: operatio per impletionem: concertatio per disputationem: communicatio per collationem; circuitio per interrogationem: assumptio per incorporationem. *Puer eram*, &c. hic tangit aptitudinem suscipiendi: primo ex parte naturalis industriæ: *Quia puer eram ingeniosus*. Secundo ex parte gratiæ: *Quia animam bonam sortitus*. Tertio ex parte munditiæ: *Quia cum essem magis bonus; veni ad corpus incoinquina-*

A *tum*, dicit ergo: *Puer eram ingeniosus*. Nota, quod loquitur in persona Salomonis. Ingeniosus per naturalem industriam. Ex studiis suis intelligi- Pro. 20
tur puer, si munda, & recta sint opera ejus, *& sortitus*, id est, sortem divinæ electionis adeptus. Cecidit Act. 1
sors super Matthiam: *Animam bonam*, scilicet per gratiam. Dilexit Salo- 3 Reg. 3
mon Dominum, ambulans in præceptis David patris ejus, *& cum essem magis bonus*, scilicet ex gratia superaddita, quam essem prius ex industria naturali. *Accessi*, &c. secundum enim Augustinum, bona temporalia sunt bona infinita, naturalia media, gratuita summa. *Accessi*, inquam, mentis proposito, & studio. *Ad cor-*
B *pus incoinquinatum*, supple habendum & conservandum per munditiam. Sed Glossa opponit, quod hoc de Salomone vix possit ad litteram intelligi: quia mulieres adamavit etiam 3 Reg. 11
alienigenas, ut patet. Sed solutio patet per distinctionem temporum. In juventute enim dilexit munditiam sed in senectute luxuriam. Melius tamen possunt hæc de Christo intelligi, *& ut scivi*, scilicet certissima cognitione fidei, & rationis: *Quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det*. Omne enim datum optimum, Jac. 1
& omne donum perfectum, desursum est, &c. Continentia autem est donum perfectissimum. Non est digna ponderatio continentis animæ,
C *& hoc ipsum erat sapientia*, id est, quidam effectus sapientiæ in me scilicet, *scire, cujus esset hoc donum*, super eodem: Doctoris est disciplinæ Eccl. 26
Dei. *Ut scivi*, inquam, &c. *Adii Dominum*, intentione mentis non passibus corporis. In Psalmo: Accedite Ps. 33
ad eum & illuminamini: *Et deprecatus sum*, scilicet verbo orationis vocalis. Si quis vestrum indiget sa- Jac. 1
pientia, postulet a Deo: *Et dixi ex totis præcordiis meis*, scilicet fervore devotionis, secundum illud: Sed & Isa. 26
spiritu meo de mane in præcordiis vigilabo ad te. in Psalmo. Clamavi in Psal. 118
toto corde, exaudi me Domine.

CA-

CAPUT NONUM.

DEUS patrum meorum, & Domine misericordiæ tuæ, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est, ut disponat orbem terrarum in æquitate, & justitia, & in directione cordis judicium judicet: da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis: quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii, & legum. Et si quis erit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur. Tu elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum & filiarum: & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio: & tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit, tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret: ut sciam quid acceptum sit apud te. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobrie, & custodiet me in sua potentia. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum juste, & ero dignus sedium patris mei. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam: & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis? & si correctæ sunt semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines? Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi. Domine a principio.

EXPOSITIO IN CAP. IX.

DEus patrum meorum, &c.) Postquam ostendit qualiter sapientiam accepit, & quantum acceptam amaverit: hic ostendit, quam devote eam a Deo petierit, & primo tangit petitionis formam. Secundo, exauditionis rationem: *Tu autem elegisti*. Tertio petitionis finem: *Mitte illam*. Quarto, finis difficultatem: *Quis enim*, &c. In prima parte decorem laudat. Secundo, domum specificat: *Da mihi sedium*. Tertio, se humiliat: *Quoniam servus*. Quarto, indigentiam insinuat, *& si quis*, &c. *Deus patrum meorum*, scilicet per gratiam electionis: *Patrum*, scilicet antiquorum. Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, &c. Vel Deus, *Patrum meorum*, id est qui fecisti patres meos, & elegisti, & sanctificasti eos: *Domine misericordiæ*, id est, Domine misericors, ita quod sit intransitiva constructio, vel, *Domine*

Exod. 3

A *misericordiæ*, actor ita quod sit transitiva: in Psalmo. Miserator & misericors Dominus, *Domine*, inquam, misericordiæ per effectum remissionis peccatorum, & justificationis, misericordia respicit miseriam: Miseros autem facit populos peccatum. *Qui fecisti omnia*, scilicet per opus creationis, ut patet. In Psalmo: Dixit, & facta sunt, *Verbo tuo*, id est, per filium tuum: In principio erat verbum, *& post*. Omnia per ipsum facta sunt, *& sapientia tua*, id est, eodem filio tuo, secundum illud in Psalmo. Omnia in sapientia fecisti. *Constituisti*, id est, ex partibus valde B diversis composuisti, scilicet ex spiritu rationali, & luto terrestri: *Hominem*. Deus de terra creavit hominem. Et nota, quod cætera dicit facta solo verbo, sed hominem sapientia, quasi opus nobilius, quia capax sapientiæ, tam creatæ, quam increatæ. Et ideo, quasi opus majori excogitatione faciendum, propter quod

Ps. 110
Pro. 14
Gen. 1
Joan. 1
Psal. 103
Eccli. 17

quod Dominus, quasi deliberans, Gen. 1 ait: Faciamus hominem ad imaginem, &c. *Ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est*, creaturæ sed non spirituali, scilicet Angelicæ, sed corporali, & hoc per potentiam: Gen. 1 Dominamini piscibus maris: *Ut disponat orbem terrarum*, scilicet per sapientiam, est enim homo positus in hoc mundo, sicut rex in regno: *In æquitate*, id est, misericordia, & justitia: hæc enim duo in disponendo jungi debent. Greg. in l. 1 Reg. c. 6 post med. Gregorius: Disciplina, & misericordia conjungi debent, ita ut una cum altera semper teneatur: *& in directione cordis*, scilicet per bonitatem, & hoc per rectam ad Deum intentionem, in Psalmo: Psal. 118 Confitebor tibi in directione cordis. Job. 34 Si direxerit ad Deum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet: *Judicium judicet*, scilicet super subvertitos. Nomine autem judicii simpliciter dicti, intelligit judicem verum, vel justum. Jac. 2 Sicut enim homo pictus, vel mortuus non est homo: sic injustum, vel falsum judicium non est judicium. *Da mihi*, a quo Sap. 7 omne datum optimum. *Sapientiam*, scilicet intellectum, *sedium tuarum assistricem*, id est, sanctarum animarum inhabitatricem, supra. Per nationes in animas sanctas se transfert: sanctæ autem animæ dicuntur sedes Dei, quia in eis sedet Deus, & quiescit præsidens, & imperans omnibus earum moribus, & affectionibus. Isa. 66 Cœlum mihi sedes est. Glossa anima justi sedes est sapientiæ, & *noli me reprobare* dando mihi bonitatem, & gratiam in affectu. *Noli*, inquam, *reprobare me*, sicut illos, de quibus: Rom. 1 Tradidit illos in reprobum sensum. Hier. 6 Argentum reprobum vocate eos. *A pueris tuis*, scilicet a puerorum tuorum numero, & consortio excludendo, Isa. 8 de quibus: Ecce ego, & pueri mei, &c. *Quoniam*, &c. quasi dicat, ideo peto, ut des mihi sapientiam: *Quoniam servus tuus sum ego*, id est, Ps. 118 tibi paratus servire, in Psalmo: Servus tuus sum ego, da mihi intellectum. 3 Reg. 10 Beati servi tui, qui audiunt sapientiam tuam: *Et filius ancillæ tuæ*, id est, synagogæ, de qua; Gal. 4 Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit. Secundum Glossam, verba ista sunt filii ad patrem, secundum quod homo sapientiam pro membris petentis, servum ejus secundum humanitatem non filium allegantis. Servus meus es tu Israel: Isa. 49 quia in te gloriabor: *Et filium ancillæ tuæ*, id est, virginis secundum illud: Ecce ancilla Domini: Luc. 1 *Homo infirmus*, ex parte corporis, propter corporis fragilitatem, in Psalmis: Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum. Ps. 6 *Et exigui temporis*, propter vitæ brevitatem. Job. 14 Homo natus de muliere brevi vivens tempore, & *Misericordiam*, ex parte animæ, id est, ex naturali virtute insufficiens: *Ad intellectum*. Glossa, ad percipienB dum: *Judicii*, id est, judiciorum tuorum, quorum exemplo judicandum est. *Et legum*, tuarum, scilicet æternarum, quarum regulatione judicandum est. Rom. 11 O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. *Et si quis*, &c. in hoc innuitur charitas: *Erit consummatus*, id est, perfectus: Glossa, in judicio, *inter filios hominum*, qui ex viro, scilicet & muliere nascuntur ad differentiam filii hominis, id est, solius virginis de quo: Matt. 16 Quem dicunt homines? Et dicit; *Consummatus inter filios hominum*, quoniam potest esse purus homo per naturam: *Si ab illo fugerit, vel aufugerit*: scilicet tamquam ab indigno, & pecca- C tore secundum illud supra: Sap. 1 In malevolam animam non introibit sapientia. *Sapientia tua*. Glossa, Hier. 4 divina non mundana. Mundana enim propter peccatum non fugit. Sapientes sunt, ut faciant mala. *In nihilum*, scilicet more naturæ: *Computabitur*, scilicet apud Deum, & sanctos ejus. Sap. 13 Infra: vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: 1 Cor. 15 per gratiam enim est homo, id quod est, quantum ad esse hominis. 1 Cor. 13 Unde: Gratia Dei sum id, quod sum. Item sine charitate homo nihil est, ut patet. Et secundum Augustinum peccator nihil est, scilicet in eo, quod talis. *Tu autem elegisti*, &c. hic subdit multiplicem rationem exauditionis, quarum pri-

ma est injunctum officium regni: secunda est mandatum templi ædificandi: *Et dixisti*, &c. *Tu autem*, &c. quasi dicat: Ita sum per me insufficiens sine sapientia, *Autem*, pro sed, nihilominus: *Tu elegisti me*. Glossa, Salomonem, vel Christum. *Regem populo tuo*, id est, in te credenti. Ps. 2 In Psalmis. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion, &c. *Et judicem filiorum tuorum, & filiarum*, scilicet tuarum, id est, fidelium secundum illud Joannis: Joan. 1 Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus. Regis officium est, in negotiis regni suum exercere judicium: judicis vero spiritualiter est, in causis populi: *Et dixisti*. Glossa, jussisti. 2 Reg. 7 David enim, qui vir sanguinum erat, non fuit permissum templum ædificare. Sed Salomon pupillus ad hoc fuit electus, ut patet. 1 Paral. 29 *Et dixisti*, inquam, *Ædificare me templum in monte sancto tuo*, id est, in monte Moria, ubi sancta fieri voluisti. *Et in civitate habitationis tuæ*, scilicet Hierusalem, ut habitare dicebatur: quia ibi excellentius colebatur: *Altare*; scilicet holocaustorum. Holocaustorum dico ad differentiam altaris ænei, quod erat in atrio ante templum sub dio: *Similitudinem tabernaculi tui sancti*, id est, ad ejus exemplar de quo: Quod factum est ad exemplar cœlestis tabernaculi. Unde ibidem Exod. 25 inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte demonstratum est: *Quod præparasti*. Glossa, per Moysen: *Ab initio*, non creationis, sed dationis legis. Unde Glossa, cum educeres filios Israel de Ægypto, tabernaculum in deserto, ut dicit Glossa, signabat Ecclesiam militantem, sed templum in Hierusalem triumphantem. Ratio hujus est: quia tabernaculum in deserto erat mobile, sed templum in Hierusalem immobile. *Et tecum*, scilicet præparavit: *Sapientia tua*, scilicet increata, id 1 Cor. 1 est, filius tuus, de quo: Christum Dei virtutem atque sapientiam: *Quæ novit opera tua*, quasi cooperatrix omnium, Psal. 103 secundum illud Psalmi: Omnia in sapientia fecisti: *Quæ affuit*, tecum præsens: *Tunc*, scilicet Prov. 8 cum orbem terrarum faceres. Quando appendebat fundamenta terræ, eram cum eo cuncta componens. Et in eodem: Delectabar cum eo, per singulos dies, ludens in orbe terrarum: *Et sciebat, quod in placitum esset oculis tuis*, scilicet quoad consilia: *Oculis tuis*, scilicet intellectus, & affectus tui, id est, misericordiæ, & veritatis tuæ. In omni enim opere Dei misericordia, & veritas. Invenit gratiam coram oculis Domini, Eccl. 2 secundum aliam translationem: *Et quod directum*. Glossa id est, rectum, & justum. *In præceptis tuis*. In Psalmo: Justitiæ Dei rectæ lætificantes Ps. 18 corda. *Mitte illam*, hic ostendit finem petitionis, id est, ad quid sapientiam quæsierit, & primo petit sapientiam ad sciendum, & faciendum Dei voluntatem: Secundo ostendit, quod videlicet ad talis finis adeptionem: *Scit enim*, dicit ergo: *Mitte illam*, scilicet sapientiam, &c. Notandum quod duplex est missio sapientiæ, scilicet una visibilis in carnem, de qua: Quem pater sanctificavit, & misit in mundum: Joan. 10 alia in mentem, quam petit hic. *De cœlis sanctis tuis*, id est, de te ipso, qui cœlum, & omnia contines. In Psalmo. A summo cœlo egressio ejus. Ps. 18 Item Quæ desursum est sapientia: Jac. 3 primum quidem pudica est, &c. Dicit autem. *De cœlis*, pluraliter propter multitudinem contentorum, & effectuum in contentis, sicut dicuntur dies æternitatis pluraliter. Mich. 5 Et egressus ejus sicut a principio dierum æternitatis. *Et a sede magnitudinis tuæ*. Glossa, a te ipso, quia sedens, & quietus omnia gubernas. Isa. 18 Ego quiescam, & considerabo in loco meo sicut lux meridiana clara est. Et notandum; quod sapientia increata, quandoque dicitur esse in sinu patris, ut: Joan. 1 Unigenitus, qui est in sinu patris, enarravit nobis: Aliquando gigni ex utero. Ps. 109 In Psalmo: Ante luciferum genui te. Aliquando ex Eccl. 24 ore patris procedere. Ego ex ore Altissimi prodii primogenita ante omnem creaturam. Aliquando de cœlo menti, ut hic. Aliquando sedere in sanctis animabus. Unde supra eodem. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam*, &c. Primum propter oc-

occultationem, secundum propter
consubstantialitatem, tertium propter
manifestationem, quartum propter
illuminationem, quintum propter
tranquillitatem: *Ut mecum sit*, scili-
cet intus in animæ essentia, & per
gratiam inhabitando, & informan-
Eccl. 24 do. In Jacob inhabita, &c. *Et me-*
cum laboret, motivam animæ poten-
Eccl. 51 tiam ad opus perficiendum. Memo-
ratus sum misericordiæ tuæ Domi-
ne, & cooperationis, quæ a sæculo
sunt: *Ut sciam*, id est, ut scire me
facias, meæ animæ potentiam cogni-
tivam illustrando: *Quid acceptum sit*
coram te, vel apud te. In Psalmo:
Ps. 142 Doce me facere voluntatem tuam:
Scit enim omnia illa, omnia scilicet
ad scientiam rationis pertinentia,
sicut sunt inferiora, *& intelligit o-*
mnia, scilicet pertinentia ad intelli-
gentiam intellectus, ut sunt superio-
Sap. 7 ra, supra: Omnia prospiciens. *Et*
deducet me in operibus meis sobrie,
Glossa, ne offendam dirigendo in
Sap. 8 opere bono. Supra: Sobrietatem do-
cet, &c. *Et custodiet me in sua poten-*
tia: Glossa, ab adversariis protegen-
Psal. 126 do. In Psalmo: Nisi Dominus cu-
stodierit civitatem, &c. Item: Ecce
non dormitabit, neque dormiet, &c.
Et erunt accepta opera mea, Glossa,
coram Deo, tamquam facta pure ex
amore suo. *Et disponam populum tuum*
juste, scilicet recte subditos guber-
Sap. 8 nando. Unde supra. Disponam po-
pulos, & nationes: *Et dignus ero se-*
dium patris mei, ipsum imitando:
Sedium, dicit pluraliter, quia sedes
præsentis regni, secundum illud.
Pro. 8 Per me reges regnant: Et futuri,
Unde Glossa, remuneratione cœle-
stis regni. *Quis enim hominum*, &c.
Hic ostendit finis difficultatem, pri-
mo ostendens, quod Dei voluntas si-
ne sapientia sciri non potest, secun-
do quod solum per eam sciri potest:
Sensum autem tuum, quod sine illa
sciri non possit: ostendit primo ex
divini sensus profunditate: Secundo
ex sensus humani imperfectione: *Co-*
gitationes enim. Tertio ex rerum sen-
sibilium comparatione ibi: *Et diffi-*
cile æstimamus, &c. Bene dixi, *Mitte*
illam, &c. *Quis enim hominum*, sci-
licet purus homo. *Poterit scire*, sci-

A licet sine sapientia tua: *Consilium*
Dei, quod est in prævidendo, & dis-
ponendo fienda. Quis audivit spiri- Isa. 4
tum Domini, aut quis consiliarius
ejus fuit? *Aut quis poterit cogitare*,
id est, cogitando nosse, *Quid velit*
Deus, scilicet operando prævisa? qua-
si dicat nullus, unde: O altitudo di- Rom 11
vitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei,
&c. *Cogitationes enim mortalium*, sci-
licet quandiu sumus in statu morta-
litatis: *Timidæ*. Glossa, id est, fra-
giles: & hoc quantum ad ea quæ
sunt supra rationem: *Et incertæ pro-*
videntiæ nostræ. Glossa: quia anima
mutabilis est, & caro corruptibilis
& hoc quantum ad ea, quæ sunt sub
ratione, & veri cogitatione. *Corpus*
B *quod corrumpitur*, id est, quod conti-
nuæ corruptioni subjacet, propter
quod putredini comparatur. Homo Job 25
putredo, & filius hominis vermis:
Aggravat animam, scilicet affectum
ejus a cœlestibus retrahendo. Caro Galat. 5
concupiscit adversus spiritum. *Cor-*
pus, quod corrumpitur, aggravat ani-
mam. Notandum quod corpus ani-
mam peccato originali maculat. Quis Job. 14
potest facere mundum de immundo
conceptum semine? Item necessitati
peccati venialis obligat. Quod odi Rom. 7
malum illud facio. Item ad pecca- Gen. 8
tum mortale inclinat. Proni sensus,
& cogitatio humani cordis in ma-
lum prona sunt ab adolescentia. Item, Sap. 2
intellectum a contemplatione verita-
C tis obnubilat, supra: Umbræ transi-
tus tempus nostrum. Umbræ scilicet
interpositione corporis opaci inter ani-
mam, & solem justitiæ. Item affe-
ctum ab amore cœlestium retardat,
ut hic: Corpus, quod corrumpitur,
aggravat animam. Item, potentias
motivas a bono impedit, & ligat?
in Psalmo: Educ de custodia, vel Ps. 141
de carcere animam meam. Item,
Non quod volo bonum hoc ego. Rom. 7
Item, spiritu continuum bellum su-
scitat. Caro concupiscit adversus spi- Galat. 5
ritum. Item, cura sui spiritum sol-
licitat, contra quod. Nolite solliciti Matt. 6
esse, &c. Item, suis molestiis ani-
mam perturbat. Angustiæ mihi sunt Dan. 13
undique. Item, sui mutabilitate ejus
quietem turbat, & variat. Et num- Job. 14
quam in eodem statu permanet: &

terrena inhabitatio deprimit, id est, deorsum premit a contemplatione æternorum retrahendo, id est, ad terrena inclinando: *Sensum*, id est, intellectum humanum. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt in malum ab adolescentia. Ideo: Infelix, &c. *Sensum*, inquam, *Multa cogitantem*, id est temporalia, quæ multa sunt, non æterna, quæ unum sunt, secundum illud: Turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. *Et difficile*, &c. quasi dicat: Et hoc patet: quia *difficile æstimamus* id est, æstimatione non certitudinaliter cognoscimus. Cunctæ res difficiles: *Quæ in terra sunt*, id est, sensibilia inferiora, *& quæ in prospectu sunt*, id est, in aperto, sicut naturæ rerum sensibilium superiorum. *Invenimus cum labore*. Est homo, qui diebus, ac noctibus somnum non capit oculis: & intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem. Philosophus: Sicut se habet oculus noctuæ ad lucem solis sic intellectus noster ad manifestissima naturæ. *Quæ autem in cælis sunt*, *quis investigabit*? cum sint tam remota a nobis. Altiora te ne quæsieris. Deus in cælo, & tu super terram. Idcirco pauci sint sermones tui. *Sensum autem tuum*, &c. Hic ostendit, quod voluntas divina potest solum sciri per sapientiam. Hic autem ostendit appropriando ei triplicem effectum, scilicet effectum instruendi intelligentiam, corrigendi culpam. *Et sic correcte*, sanandi naturam, ibi: *Nam per sapientiam*, &c. Sensum autem tuum, id est, consilium: & voluntatem. *Quis sciet?* quasi dicat nullus. *Nisi tu dederis sapientiam*, illuminantem intellectum. Secundum datum suum præbet illam diligentibus se. Dat omnibus affluenter. Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. *Et miseris Spiritum sanctum tuum*, inflammantem affectum: quasi dicat, nullus. Sicut enim homo non scit ea, quæ sunt hominis, nisi specie hominis, quæ est in illo, ut habetur. Sic nec ea, quæ Dei sunt, nisi Deus & cui voluerit revelare, *de altissimis*, id est, de te, qui altissimus es, & de filio, qui altissimus est: & vos duo altissimi, adjective, non substantive: *Ut sic*, scilicet per donum sapientiæ, & spiritus, scilicet remissionem: *Correctæ sint semitæ*, id est, operationes: *Eorum, qui in terris sunt*, id est, hominum. & hoc per revocationem a malo, Ille arguet mundum de peccato. Et bene dicit. *Semitæ eorum qui in terris sunt*, id est, peccantium, corrigi non possunt. *Et qui tibi placent didicerint homines*, per informationem in bono. Spiritus paraclitus, &c. Docebit vos omnia. *Nam per sapientiam*, &c. bene dixi. *Et sic correctæ sunt*, &c. *Nam per sapientiam sanati sunt*. scilicet a pravitate intellectus, & corruptione affectus. Ego quasi fluvius Dorix, quod interpretatur medicamentum generationis. *Quicumque placuerunt tibi Domine a principio* scilicet mundi, secundum Glossam. Infra: Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, &c. In Psalmo: Misit verbum suum, & sanavit eos. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam. Hinc est, quod canes spirituales, id est, sapientiæ doctores, & prædicatores habent linguas medicinales: & dicit, omnes, quia secundum Augustinum eadem fides Mediatoris, quæ salvavit antiquos, salvat & nos.

Margin: Gen. 8; Rom. 7; Luc. 10; Eccl. 1; Eccl. 8; Arist. l. 2 Met. tex. 1; Eccl. 3; Eccl. 5; Eccl. 1; Jac. 1; Dan. 1; 1 Cor. 2; Joan. 16; Joan. 14; Eccl. 24; Sap. 16; Ps. 106; Prov. 3; Aug. l. 18 de civ. Dei c. 47. & 5

CAPUT DECIMUM.

HÆC illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac, ut recessit injustus in ira sua per iram homicidii fraternitas deperiit. Propter quod cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. Hæc & in consensu superbiæ, cum se nationes extulissent, scivit justum, & conservavit sine querela Deo, & in filiis misericordiam fortem custodivit. Hæc justum a pereuntibus impiis.

piis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim: quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & in certo tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. Sapientiam enim prætereuntes non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus liberavit. Hæc autem profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius, in fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum. descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam. Hæc populum justum, & semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. Intravit in animam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis, & signis. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem, & transtulit illos per mare rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, & decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter, quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.

EXPOSITIO IN CAP. X.

HÆC *illum*, &c.) In præcedentibus monuit specialiter rectores ad acquirendum sapientiam, & hoc per rationes sumptas ex periculo officii eorum, quos monet, scil. capite sexto. Secundo per rationes sumptas ab ejus exemplo, qui monet, septimo, octavo, 9. ca. Hic tertio hortatur eos, ad hanc eamdem per rationes sumptas a multis effectibus & beneficiis sapientiæ. Est autem sapientia benefica, & sapientes, scil. amicos suos promovendo, & insipientes adversarios sapientium puniendo. Et primo agit de beneficiis pertinentibus ad amicorum Dei promotionem, sc. in capite isto. Secundo de pertinentibus principaliter ad adversariorum punitionem, scil. capite undecimo, & deinceps. In prima, primo determinat beneficia, collata singularibus personis. Secundo beneficia exhibita uni populo: *Hæc populum justum* In prima ostendit beneficia sapientiæ in sex singularibus personis patriarcharum antiquorum. Primo in persona Adæ cum dicit. *Hæc illum, qui primus*, &c. Secundo in persona Noe, ibi: *Ab hac ut recessit*, Tertio in persona Abrahæ, *Hæc*, & A *in conspectu superbiæ*, Quarto in persona Lot. *Hæc justum a pœnitentibus*, Quinto in persona Jacob: *Hæc autem profugum*, &c. Sexto in persona Joseph: *Hæc venditum justum*. In prima Adæ ostendit beneficium, primo gratiæ, secundo naturæ: *Et eduxit*, &c. *Hæc illum* bene dixi, quod per sapientiam *Sanati sunt omnes*, quod patet per exempla: *Hæc enim*, sc. sapientia *Illum*, sc. Adam: *Qui primus*, omnium hominum, *Formatus est a Deo*, sc. immediate: Manus tuæ fecerunt, *Job* 10. &c. *Pater orbis terrarum*, id est, totius generis humani futurus. Numquid *Mal.* 2. non unus est pater omnium vestrum? *Cum esset solus creatus*, sc. ante formationem mulieris: Formavit igitur Deus *Gen.* 2. B hominem de limo terræ: *Et creatus*, ex parte animæ: Creavit Deus ad ima- *Gen.* 1. ginem & similitudinem suam, &c. *Cum solus*, inquam, *creatus esset custodivit*, scil. a peccato in terrestri paradiso in statu innocentiæ. Posuit e- *Gen.* 2. nim eum in paradiso, ut operaretur & custodiret illum: *Et eduxit illum*, scilicet jam facta muliere, effectum *Gen.* 3. transgressorem: *A delicto suo*, scil. per immissionem pœnitentiæ & remissionem culpæ. Et notandum, quod hic habetur expressius de pœnitentia Adæ,

quam alibi: *Et eduxit illum de limo terræ*, scilicet ex parte corporis. Deus de terra creavit hominem: *Et dedit illi virtutem*, id est, potestatem continendi omnia, & dominandi omnibus, & hoc ex parte animæ, scilicet per rationem, secundum illud: Dominamini piscibus maris. Item in Psalmo. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. *Abrahæ*, &c. Hic ostendit beneficium sapientiæ specialiter factum ipsi Noe, & iis, qui cum eo fuerunt in arca, quando liberavit ipsum a diluvio, & malos perdidit. Et primo tangit primam causam perditionis malorum. Secundo primam causam liberationis bonorum, ibi: *Propter quod*, &c Dicit ergo, *ab hac*, scilicet sapientia *ut recessit*, &c. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt; per hoc enim, quod receditur a sapientia, receditur a Deo supra: Perversæ cogitationes separant a Deo. *Injustus*, scilicet Caim, qui scilicet injustus Antonomastice, quia caput fuit & exmplar injustorum: *In ira sua*, qua scilicet iratus est contra fratrem suum Abel: Quare natus es, &c. *Per iram homicidii*, id est, quæ ira fuit homicidium spirituale, secundum illud. Qui odit fratrem suum, homicida est, vel transitive ut sit sensus: *Per iram homicidii*, id est, per iram quæ fuit causa homicidii corporalis, unde: Consurrexit Caim contra Abel fratrem suum, & interfecit eum. *Fraternitas deperiit*, id est, societas fraternitatis: Abel corporaliter mortuo: & Caim spiritualiter: *Propter quod*, &c. scilicet peccatum, illud enim peccatum, fuit prima causa corruptionis posteritatis Caim, a qua derivata est corruptio usque in magnam partem posteritatis, Seth. Et impletum est illud: Omnis caro corruperat viam suam: *Cum aqua deleret terram*, delendo scilicet hominem, quem creavit, a facie terræ: perierunt enim omnes qui scripti erant in rerra, scilicet mali, de quibus. Recedentes a te, in terra scribentur. Delendo etiam omnem carnem in terra viventium, secundum illud: Consumpta est omnis caro, quæ movebatur in terra: *Sanavit iterum*, scilicet mundum, sicut scilicet prius sanaverat Adam, *Sanavit*, inquam mundum, scilicet ipsum a malis hominibus purgando: *Per contemptibile lignum*, id est, per arcam contemptibilem, immundam, & contemptam ab illis, qui eam frustra ædificari credebant, *Justum* scilicet Noe, de quo: Noe vir justus, &c. *Gubernans*, scilicet aquarum inundationes, ipsum a submersione liberando. Octavum Noe justitiæ præconem custodivit, mundo diluvium. Inducens. Lignum autem illud signabat crucem, quia contemptibilis est infidelibus, licet fidelibus sit venerabilis, unde: Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est, &c. Item: Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum. *Hæc & in consensu*, &c. Hic tangit beneficium sapientiæ collatum in personam Abrahæ: Primo quo ad se: Secundo in sua posteritate, *Et in filiis*, &c. dicit ergo, *Hæc*, scilicet sapientia, & etiam: *Cum se nationes*, id est, illius temporis homines in vitio nativitatis perdurantes: *Extulissent*, id est, extra mensuram suam elatione cordis, & conatu operis tulissent: contra quod dicitur in Psalmo: Domine non est exaltatum cor meum: &c. *in consensu superbiæ*, id est, ex superbia veniente, quo scilicet consensu, vel qua superbia voluerunt turrim ædificare pertingentem usque ad cœlum, & nomen suum celebrare: quorum utrumque superbia fuit. *Cum se*, inquam, *Nationes extulissent*, &c. *Scivit*, scilicet sapientia approbando, & eligendo, & a malis separando. Novit Dominus, quæ sunt ejus: econtra malis dicitur, Numquam novi vos: *Justum* scilicet Abragam, qui justus dicitur Antonomastice: *Et conservavit sine querela Deo*, in medio pravæ & perversæ nationis, quod fuit difficile: Erant ambo sine querela. *Et in filiis*, id est, posteris: *Misericordiam fortem custodivit*, scilicet eos ex misericordiæ suæ multitudine & fortiter ab adversariis defendendo: & tandem eis terram promissionis conferendo, sicut promiserat: *Hæc justum a pereuntibus*, Hic ostendit beneficium sapientiæ collatum in persona Lot, de subversione Sodomæ, libe-

liberati: & primo tangit Lot liberationem. Secundo aliorum punitionem: *Descendente*, &c. Tertio punitionis æquitatem. *Sapientia autem*.) *Hæc* scilicet sapientia: *Justum*; scilicet Lot, ut dicit Glossa. Item dicitur de ipso: Aspectu, & auditu, justus erat, *A pereuntibus impiis*, scilicet de consortio impiorum pereuntium, id est, Sodomitarum, *Liberavit*, & a consortio culpæ, secundum illud: Justum Lot, oppressum a nefandorum injuria, ac luxuriosa conversatione eripuit, & a consortio pœnæ. De utraque liberatione habetur in Genesi. *Descendente igne*, de cœlo non de terra, immisso: Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham, sulphur, & ignem &c. *In Pentapolim*, Glossa id est, in regionem, scilicet quinque civitatum, scilicet Sodomam, Gomorrham, Segor, Seboim, & Adamam. *Quibus*, scilicet pereuntibus. *In testimonium nequitiæ*, ardentis, scilicet & fœtentis luxuriæ: *Fumigabunda*, id est, de se fumum emittens. Unde in psalmo: Ascendit fumus in ira ejus *Constat deserta terra*, scilicet a plantis, & arboribus: Terra, de qua oriebatur panis in loco suo, igni combusta est. Item: Terram fructiferam in salsuginem a malitia inhabitantium in ea: *Et incerto*, scilicet determinato tempore. *Fructus habentes arbores*, inutiles ut dicitur: quia referuntur, poma ibi nasci exterius setosa, intus cinerea & favillosa Glossa ostendunt, quod sine fructu pœnitentiæ damnatæ animæ in inferno ardebunt in æternum; *Figmentum*, id est, statua: *Salis*, ad condiendum omnes audientes sale sapientiæ, contra putredinem carnalis concupiscentiæ, vel insipientiæ: *Figmentum*, dico: *Stans memoria*, id est, recordatio. Memores estote uxoris Loth: quæ retro respexit, nolens credere Angelo prohibenti, ut patet. Notandum autem, quod terra deserta testificatur eorum ad bona opera inutilitatem, fumus, eorum a carnali concupiscentia excæcationem, fructus inutiles, eorum malam conversationem: statua salis, eorum per carnalem concupiscentiam defluxum, & concupiscentiæ putredinem: *Sapientiam enim*, &c.

[Margin: 2 Pet. 2; Ibidem.; Gen. 19; Ibidem.; Ps. 17; Job. 28; Ps. 106; Luc. 17; Gen. 19]

quasi dicat: E merito sic puniti sunt. *Sapientiam enim prætereuntes*, id est, abiicientes Sodomitæ, & ideo infelices, unde supra. Sapientiam & disciplinam, qui abiicit, infelix est: ideo etiam perierunt, secundum illud: Quia non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam. Nec tantum perierunt, quia sapientiam præterierunt, sed & suæ insipientiæ memoriam reliquerunt. Et hoc est, quod subdit: *Non tamquam*, &c.) *Sapientiam*, inquam prætereuntes: *Non tantum in hoc lapsi sunt, ut ignorarent*, ignorantia scilicet, de qua: Si quis ignorat, ignorabitur: *Bona*, scilicet pertinentia ad vitam, & salutem propriam: *Sed insipientiæ suæ*, quia comparati sunt jumentis insipientibus, & similes facti sunt illis: *Reliquerunt hominibus memoriam*, quoad malam famam: ita videlicet: *Ut in iis, quæ peccaverint*, id est, ut in iis peccatis, quæ fecerint *Nec latere potuissent*, quia noluerunt latere. Sed publice peccaverunt, Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt. Et ideo, Dominus peccata eorum, toto mundo voluit publicari per publicum supplicium. Latet peccatum, peccandi calliditate: Tu fecisti abscondite, ego vero faciam verbum illud in conspectu omnis Israel. Sanctitatis simulatione: Similes estis sepulchris dealbatis, &c. Dignitatis, vel prælationis auctoritate, secundum illud Gregorii: Nullus in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet, hunc quippe redarguere nemo præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis honoratur. *Sapientia autem*, quasi dicat, sicut illi injusti puniti sunt propter contemptum sapientiæ: *Autem*, pro, sed econtrario: *Sapientia hos, qui se*, scilicet sapientiam: *Observans* id est, diligenter corde, ore, & opere servant: *A doloribus liberavit*, scilicet pœnarum æternarum, de quibus: In doloribus dormietis, Item: Circumdederunt me dolores mortis. *Hæc autem profugum*, &c. hic tangit multiplex beneficium sapientiæ: factum in persona Jacob: quorum primum

[Margin: Sap. 3; Baruc. 3; 1 Cor. 14; Ps. 48; Isa. 3; 2 Reg. 12; Matth. 24; Isa. 50; Ps. 17]

mum fuit ejus promotio in bono, secundum, conservatio ejus a malo, *In fraude circumvenientium*, eum: tertium, adjutorium in triumpho, *Et certamen*. *Hæc*, scilicet sapientia: *Profugum iræ fratris*, scilicet fugientem, & declinantem ab ira fratris; sive a fratre suo irato: Ecce frater tuus minatur, ut occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum: *Justum*, scilicet Jacob, secundum illud: Respondebit mihi cras justitia mea: *Deduxit per vias rectas*. Glossa, per Mesopotamiam Dominus solus dux ejus fuit: *Rectas*, dicit: quia recta est semita Dei, ut habetur in Isaia: *Et ostendit illi*, scilicet omnia per imaginariam visionem: *Regnum Dei*, quia vidit scalam pertingentem usque ad cœlum: Diabolus vero ostendit regnum mundi, unde; Ostendit illi omnia regna mundi; *Et dedit illi scientiam sanctorum*, id est, intelligentiam sacrarum rerum; quia, intelligentia opus est in visione, ut habetur in Daniele, rerum, inquam, sacrarum, quas viderat, dedit ei intelligentiam, id est, ut intelligeret, quid significet scala, quam viderat; & ascensus, & descensus angelorum; scala namque est obedientia, per quam ascendunt angeli ad Deo assistendum, & descendunt ad nobis ministrandum. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. *Honestavit illum*, Glossa, id est, ditavit, secundum illud; Facile est in oculis Domini subito honestare pauperem, & loquitur secundum humanam consuetudinem, quæ divites solet reputare honestas personas; *In laboribus*, id est, propter labores suos, non per justitiam & rapinam, sicut multi se ditant. Sed tales divitiæ in non honestant, nec beatificant, sed proprii labores, sive divitiæ acquisitæ ex justis laboribus; Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, &c. *Et complevit*, id est, ad optatum finem perduxit, scilicet ipsum reducendo ad patrem suum in terra Chanaam; *Labores illius* Glossa; quos in pascendis ovibus sustinuit, de quibus dicitur; Die, noctuque æstu urebar & gelu; *Hat profugum*, &c. Ab hoc loco usque ibi; *In fraude circumvenientium*: tangitur beneficium, quod Dominus facit sanctis suis quorum primum est justificatio in principio suæ conversionis. Quos vocavit, illos, & justificavit. Et hoc tangitur, cum dicit; *Justum*, secundum, est deductio in profectu conversationis; *Deduxit*, &c. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Tertium, est ostensio regni in gratia, vel in secreto contemplationis; *Ostendit*, Ostendam tibi omne bonum. Quartum, instructio in agnitione divinæ voluntatis: *Et dedit illi scientiam sanctorum*, Beati sumus Israel: quia, quæ Deo placent, nobis manifesta sunt. Quintum, est honestatio, id est, ditatio in abundantia meriti & virtutis: *Honestavit* &c. Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Sextum, completio in præmio: *Et complevit*. &c. Consummatus est in brevi, explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius. Item: Bonorum laborum gloriosus est fructus: *In fraude convenientium*, id est, convenire eum volentium, scilicet Laban & filiorum ejus, ut dicit Glossa, *Illi affuit*, scilicet custodiendo eum, ne deciperetur, vel damnificaretur. Tulit Jacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illis facultatibus ditatus, factus est inclytus. *Custodivit illum ad inimicis*, scilicet a Laban & ejus filiis ipsum persequentibus, & spoliare ipsum volentibus: Nisi Deus patris mei affuisset mihi, forsitan me vacuum reliquisses: *& a seductoribus tutavit illum*, scilicet ab Esau, & suis, qui forte intendebant eum capere, quando veniebant in occursum ejus. Sed Dominus immutavit cor Esau per oblationem munerum, quæ præmisit ei Jacob, ut patet in Genesi. *Et certamen, forte dedit illi*, Glossa exponit hoc de certamine contra Laban, & filios ejus, vel contra Esau. Vel verius potest intelligi de certamine, quo luctatus est cum Angelo, cum Angelo, inquam fortiori se. Nam si Angelus malus ita fortis est, quod non est potestas super terram,

Gen. 27; Gen. 30; Deut. 32; Isa. 26; Gen. 28; Matt. 4; Dan. 10; Dan. 7; Eccl. 11; Ps. 127; Gen. 31; Rom. 8; Ps. 142; Exod. 33; Baruc. 4; Job 5; Sap. 4; Sap. 3; Gen. 31; Gen. 31; Gen. 31; Gen. 33; Gen. 32; Job 41

ram, quæ ei comparetur, ut habeatur apud Job, quanto magis angelus bonus: *ut vinceret*, scilicet ipsum certamen: In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit, &c. *ut vinceret*, inquam, & sic, scilicet victoriam obtinendo, per sapientiam scilicet: *Quoniam potentior omnium est sapientia*, quia potens est liberare a quocumque homine malo, unde: Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? *Hæc venditum justum*, hic ostendit beneficium factum in persona Joseph, & primo in ejus liberatione: secundo, in liberati sublimatione, *Donec afferret hæc*, sapientia scilicet, *Justum* id est Joseph: pro justitia enim fratrum suorum crimina accusabat apud patrem suum. Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo, *Venditum*, scilicet a fratribus suis, quia eum vendiderunt transeuntibus Ismaelitis: *Non dereliquit* scilicet ab ipso recedendo. Non derelinquet Dominus sanctos suos in æternum. *Sed a peccatoribus liberavit eum*; ab uxore Phutifaris & servis ejus cum accusaretur de adulterio. *Descenditque cum illo in foveam*, Glossa, carceris: traditus enim fuit in carcere, in quo vincti regis custodiebantur, ubi cum illo sapientia descendit, quod patuit, quia gratiam principis ei dedit: *Et in vinculis*, carceris. *Non dereliquit eum*, quia per sapientem somniorum interpretationem a vinculis liberavit eum. *Donec afferret illi sceptrum regni*, id est, principatum totius Ægypti post Pharaonem, unde: Tu eris super domum meam. *Et potentiam* scilicet judicandi vel vindicandi se, si voluisset. *Adversus eos, qui eum deprimebant*, id est, contra fratres suos, qui eum depresserant, quibus terrorem magnum incussit, ut patet in Genesi. *Et mendaces ostendit, qui maculaverunt eum*, scilicet macula infamiæ, uxorem scilicet Phutifaris, & servo ejus. Prius ostendens vos fabricatores mendacii & cultores perversorum dogmatum. Nam per ejus divinam exaltationem ostensum fuit, & creditum totum esse mendacium. ipsa etiam muliere postea forte hæc

[Margin: Osee. 12 — Gen. 32 — Gen. 37 — Ibidem. — Psal. 36 — Gen. 39 — Ibid. — Gen. 41 — Ibidem. — Gen. 42 — Job 13]

A recognoscendi. De hac macula infamiæ: Posuisti maculam in gloria tua: *Et dedit illi claritatem æternam*, scilicet perpetuæ famæ secundum illud: In memoria æterna erit justus: vel æternæ gloriæ, quando scilicet Christus cum cæteris patribus de inferno in gloriam induxit, Ascendens in altum captivam duxisti captivitatem. Notandum autem, quod in prædictis sex personis tanguntur sex modi, quibus sapientia liberat sanctos, secundum illud: In sex tribulationibus, & in septima non tanget te malum. Liberat enim a tentatione hostis, ut Adam. A tentatione corruptionis fomitis, ut Noe cæteris pereuntibus propter

B corruptionem carnis. Item a tentatione superbiæ & elationis interioris, ut Abraham a gigantum superbia imitanda vel superbiæ imitatione: Item a tentatione, exteriore, scilicet pravi exempli & corruptæ conversationis, ut Lot. Item a tentatione humanæ fraudis & circumventionis, ut Jacob. Item a tentatione mundanæ adversitatis, ut Joseph. Item notandum, quod tres sunt hostes nostri, scilicet diabolus, caro, & mundus significati per tres hostes Salomonis, de quibus in libro Regum. Tentatio vero dæmonis, duplex est, scilicet exterior & visibilis, interior & invisibilis. Liberatio a prima significatur in libe-

C ratione Adæ. A secunda in liberatione Abrahæ. Carnis vero tentatio duplex, scilicet secundum naturam & contra naturam. Liberatio a prima, significata fuit in liberatione Noe. Secunda in liberatione Lot. Mundi vero tentatio duplex, scilicet per fraudulentiam, & per violentiam. Nam liberatio a prima signata est in liberatione Jacob. A secunda in liberatione Joseph. *Hæc populum justum*, Postquam ostendit beneficia sapientiæ collata singularibus personis, hic ostendit beneficium factum uni populo. Et primo tangitur beneficium generale: secundo speciale: *Intravit*, &c. tertio gratiarum actio per utrosque. *Ideo justi*, &c. *Hæc* scilicet sapientia. *Populum justum*, scilicet popu-

[Margin: Eccl. 47 — Ps. 111 — Ps. 67 Sapientia quot modis liberet. — Job. 5 — Tentatio dæmonis, carnis, & mundi. — 3 Reg. 11]

Rom. 5 lum Israeliticum, per fidem justificatum, secundum illud: Justificati ex fide, vel, *Justum*, per operationem boni: *Et semen sive querela*, scilicet per declinationem mali: *Semen*, scilicet Patriarcharum, ut dicit Glossa. Item: Filii sanctorum sumus: *Liberavit*, &c. hujus liberationis præmisit duplicem causam, scilicet populi bonitatem, cum dicit: *Populum justum*: secundo patrum sanctitatem, cum dicit: *Et semen sine querela liberavit a nationibus*, id est, ab Ægyptiis, in vitio nativitatis suæ permanentibus: *Quæ illum opprimebant*, id est, vexabant, scilicet in luto, & latere, & paleis, ut patet in Exodo. Et nota, quod per hanc oppressionem, vel vexationem, potest intelligi vexatio diaboli qua vexat servos suos in operibus luti luxuriæ, & lateris avaritiæ, & palearum superbiæ. Videns vidi afflictionem populi mei, &c. *Intravit*, &c. hic tangit specialia beneficia. Primo facta in Ægypto: secundo post exitum de Ægypto: *Et reddidit*. Tertio in ipso exitu *Et transtulit*, &c. *Intravit*, id est, ipsa sapientia: *In animam servi Dei*, Glossa, id est, Moysi: Per nationes in animas sanctas se transfert. Item: Ego ero in ore tuo, & docebo te, quid loquaris: *Et stetit*, scilicet constanter, unde: Stetit Moyses coram Pharaone: *Stetit*, inquam: *Contra Reges horrendos*, Glossa, Pharaonem & alios principes: *In portentis*, id est, in majoribus miraculis: *Et signis*, minoribus, quæ fecit in Ægypto, unde, Multiplicabo signa & ostenta mea in terra Ægypti: Magnificavit eum in conspectu regum. Timebunt me reges horrendi: *Et reddit*, justis Glossa, Israelitis: *Mercedem laborum suorum*, Glossa, terram promissionis, quam eis prius promiserat. Semini tuo dabo terram hanc: *Et adduxit illos*, scilicet ad terram prædictam: *In via mirabili*, Glossa, per desertum: In terra deserta, invia, & inaquosa hæc autem via fuit mirabilis, quia nullo modo pervia tanto exercitui sine multis miraculis. Unde sequitur: *Et fuit illis in velamento diei*, id est, æstus

Margin notes (left column): Rom. 5; Tob. 2; Exod. 1; Exod. 3; Sap. 7; Exod. 4; Exod. 7; Exod. 7; Eccl. 45; Sap. 8; Gen. 12; Ps. 62

A diurni, scilicet per columnam nubis: *Et in luce stellarum nocte*, id est, loco lucis stellarum. Et hæc per columnam ignis, ut dicit Glossa; Numquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem. Item: Creabit Dominus super omnem locum montis Sion, &c. nubem per diem, &c. *Et transtulit illos*, &c. scilicet in exitu de Ægypto, *Per mare rubrum*, Divisa est aqua, & ingressi sunt filii per medium sicci maris. Dicitur autem, *Mare rubrum*, a colore, quem trahit, ex terra rubra adjacente. *Et transvexit illos per aquam nimiam*, scilicet ipsius maris; cujus aquæ erant eis muro a dextris & a sinistris. Et nota, quod dicit B per mare rubrum, quoad qualitatem; per aquam nimiam, quoad quantitatem; *Inimicos autem illos*, scilicet Ægyptios; *Demersit in mare*, Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare. Item; Submersi sunt, quasi plumbum, &c. *Et ab altitudine*, id est, profunditate infernorum, id est, ineffabilium afflictionum, ut dicit Glossa; *Eduxit illos*, scilicet filios Israel in hoc, scilicet quod inimicos eorum, qui eos volebant illuc mittendo occidere, illuc transmisit, vel projecit. De altitudine ventris inferi, & a lingua coinquinata, & a verbo mendacii, *Ideo justi*, scilicet quia cum illis erat sapientia: *Justi*, scilicet filii C Israel: *Tulerunt spolia filiorum*, Glossa, vasa aurea, & argentea Ægyptiorum, ut patet in Exodo. Custoditur justo substantia peccatoris. Nota, quod non dicit abstulerunt, quia de mandato superioris scilicet Dei hæc fecerunt: & ideo furtum, vel rapinam non commiserunt saltem illi, qui non cupiditate, sed intentione obediendi, hæc fecerunt: *Et decantaverunt*, id est, devote cantaverunt, scilicet post transitum maris rubri: *Domine nomen sanctum tuum*, Cantemus Domino, &c. Dominus quasi vir pugnator: omnipotens nomen ejus. Sic autem: *Decantaverunt*, pro sua liberatione: *Et victricem manum tuam*, id est, potentiam: *Laudaverunt pariter*, id est, simul scil. pro suorum adversariorum dejectione, unde

Margin notes (right column): Exod. 13; Isa. 4; Exod. 14; Ibid.; Exod. 15; Ibid.; Eccl. 51; Exod. 12; Prov. 13; Exod. 15

Ibid. unde: Dextra tua Domine magnificata est in fortitudine. *Quoniam sapientia*, &c. quasi dicat & merito decantaverunt & laudaverunt, &c. quoniam sapientia eos, scilicet liberans, aperuit, scilicet in laudem nominis divini: *Os mutorum*, prius præ timore obmutescentium. Viderunt filii Israel Ægyptios post se & Exod. 14 timuerunt valde: *Et linguas infantium*, id est, fari nequeuntium, *Fecit disertas*, id est, eloquentes fore, ad litteram, linguam puerorum Hebræorum, secundum illud: Ex ore infantium, &c. vel, *Infantium*, id Psal. 8 est, imperitorum, loqui nescientium ad modum infantium, secundum illud: Nescio loqui, quia puer ego sum. Ego dabo vobis os, & sapien- Hier. 1 tiam: &c. Qui fecit os hominis? Luc. 21 Glossa, sine sapientia Dei, humana Exod. 3 mens nec cogitare aliquid, nec digne proferre potest. Ab ipso ergo, & sapientia, & eloquentia petenda est.

CAPUT UNDECIMUM.

DIREXIT opera eorum in manibus Prophetæ sancti. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas. Steterunt contra hostes, & de inimicis se vendicaverunt: Sitierunt, & invocaverunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de lapide duro. Perquæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, a defectione potus sui in eis cum abundarent filii Israel, lætati sunt. Per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis: Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate: & ostendens per sitim, quæ tunc fuit quemadmodum tuos exaltares, & adversarios illorum necares. Cum enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur. Hos quidem tamquam pater monens, probasti: illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti. Absentes enim & præsentes similiter torquebantur. Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum. Cum enim audirent per sua tormenta, bene secum agi, commemorati sunt Dominum admirantes in finem exitus. Quem enim in expositione prava projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt: non similiter justis faciens: pro cogitationibus autem insensatis iniquitates illorum. Quod quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam: ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum, ex materia invisa, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis ira plenas, aut ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed aspectus per timorem occidere. Sed & sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Multum enim valere tibi soli supererat semper: & virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tamquam momentum stateræ sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quo modo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas.

EX-

EXPOSITIO IN CAP. XI.

Direxit *opera eorum*. Hic agit de beneficiis pertinentibus ad adversariorum punitionem, & primo de pertinentibus ad punitionem, per pœnas graviores ordinatas ad condemnationem, scilicet capite decimotertio. *Et deinceps*. In prima, primo agit principaliter de punitione Ægyptiorum, Israelitas injuste deprimentium. Secundo de punitione Chananæorum, eorum terram injuste detinentium, scilicet capite duodecimo. In prima primo agit de punitione Ægyptiorum propter filiorum Israel depressionem injustam. Secundo, propter idololatriam: *Quod quidam errantes*. In prima primo ostenditur erga filios Israel, quos detinere volebant, Dei misericordia. Secundo contra Ægyptios volentes injuste detinere eos, Dei justitia: *Per quæ enim*. In prima primo tangitur Israelitarum in via directio. Secundo impedimentorum in via occurrentium expeditio, sive amovitio: *Steterunt*. Tertio, ipsorum in via refectio: *Sitierunt*. Dicit ergo: *Direxi*, quasi dicat, non solum prædicta beneficia fecit sapientia populo Israelitico, sed etiam: *Direxit opera illorum*. Glossa: Israelitarum post recessum scilicet eorum de Ægypto, *in manibus*, id est, in potestate, & regimine: *Prophetæ sancti*, Glossa, Moysi, qui fuit Propheta, quoad
Deut. 18 doctrinam. Prophetam sicut me, suscitabit tibi Dominus. *Sanctus*,
Exod. 33 quoad vitam. Invenisti gratiam coram me, hic eos docebat & regebat non solum verbis, quia Propheta, sed etiam exemplis, quia sanctus, ut possit dici de eo illud:
Luc. 24 Fuit Propheta potens in opere, & sermone. *Iter fecerunt*, Glossa, properantes ad terram promissionis: *Per deserta*, id est, per plura loca derelicta, scilicet cultoribus: *Quæ non habitabantur*, scilicet ab incolis hominibus. Et hoc factum est sapientia dirigente eos per manum Moysi,
Psal. 76 secundum illud: Deduxisti populum tuum sicut oves in manu Moysi, & Aaron. Quod non recognoverunt

A multi, unde: Non dixerunt ubi est Hier. 2
Dominus, qui transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem & inviam: *Et in locis desertis fecerunt casas*. Glossa, tabernacula id est, pauperes domunculas, & dicuntur casæ a cadendo, quia de facili cadere possunt. Similiter legitur de Abraham, quod habitavit in casu- Heb. 11
lis. Et hæc fecerunt per duas & Num. 33
quadraginta mansiones, quæ determinantur in numeris: *Steterunt contra hostes*, scilicet contra Amalechitas cum eis pugnando: Et contra Num. 13
Madianitas: *Et de inimicis*, scilicet Amalechitis. *Se vendicaverunt*, scilicet triumphando, & eos occidendo, & hæc per orationem Moysi, &
B elevationem manuum ejus, ut patet in Exodo: *Sitierunt*, scilicet ex par- Exod. 17
te corporis, propter aquæ penuriam: *Et invocaverunt te*, scilicet ex parte Ibidem.
animæ. Et hæc per seipsos, vel per Moysen, unde: Domine Deus audi Num. 10
clamorem populi hujus. Clamave- Ibidem. Psal. 16
runt ad Dominum, cum tribularentur. *Et data est eis aqua de petra al-* Exod. 17
tissima, id est, de petra valde alta. Percuties petram, &c. Item: Loqui- Num. 20
mini ad petram, & illa dabit vobis aquas: *Et requies sitis*, id est, sedatio sitis per potum aquæ: *Et de lapide duro*, repente: *Data est eis*, Per- Psal. 77
cussit petram, & fluxerunt aquæ. Item: Egressæ sunt aquæ largissimæ, Num. 20
ita, ut biberet populus & jumenta:
C dicitur autem petra altissima, id est, valde alta, vel altissima ratione significati, scilicet quia significabat Christum, unde: Petra autem erat 1 Cor. 10
Christus: de hac petra egrediuntur spirituales aquæ gratiarum. Qui bi- Joan. 4
berit ex aqua, quam ego dabo illi &c. Item. Si quis sitit, veniat ad Joan. 7
me & bibat: *Per quæ enim*, hic ostenditur divinæ justitiæ effectus contra Ægyptios, qui Israelitas detinere volebant. Et primo tangitur per defectum aquæ, Ægyptiorum punitio. Secundo, congruentia pœnæ: *Nam pro fonte*. Tertio intentio punientis. *Qui cum minuerentur*. Quarto, gravitas punitionis: *Hoc quidem*, quinto, effectus impuniti: *Cum enim audirent, per quæ*, &c. Glossa memoratis beneficiis priori populo datis.

tiŝ, narratur pœna inimicorum: *Per* A *quæ enim*, &c. quasi dicat. Israelitis data est aquarum abundantia, *enim*, pro quia: per hæc, pœnas passi sunt inimici illorum, scilicet Ægyptii: *A defectione potus sui*, scilicet tota aqua Ægypti versa in sanguinem, ut de ea non possent bibere, ut patet. *Et in eis cum abundarent filii Israel*, scilicet in aquis, quæ in terra Gessen abundabunt, vel secundum Glossam, quæ fluxerant de petra: *Lætati sunt per hæc*, scilicet per aquas: *Cm illis deessent*, scilicet aquæ, Glossa Israelitis: *Bene cum illis actum est* quia defectus ille per miraculum suppletus est. *Nam pro fonte*, &c. quasi dicat, bene & congrue Ægyptiis defectus aquæ. Israelitis vero B aquarum abundantia condonata est. *Nam pro fonte quidem*, certe: *Sempiterni fluminis*, id est, Nili a principio mundi continue fluentis: est enim de fluminibus paradisi: *Humanum sanguinem*, id est, speciem humani sanguinis: *Dedisti injustis*, id est, Ægyptiis, quoniam secundum Glossam, aquæ eorum in sanguinem versæ sunt, ut patet in Exodo: *Qui scilicet*, filii Israel: *cum minuerentur in traductione infantium*, *occisorum*, id est, propalatione & occisione infantium, quæ fiebat, ne populus multiplicaretur, sed minueretur, ut patet in Exodo. *Dedistis illis*, scilicet filiis Israel, *Abundantem aquam insperate*, id est, ex improviso, quia C in deserto, & de petra fluente per miraculum in deserto. Miraculum est opus arduum, & insolitum supra spem, & facultatem existens admirantis; *Humanum sanguinem*, &c. quasi vellet dicere, secundum Glossam. Ægyptiis pro aqua sanguinem: Israelitis pro sanguine puerorum effuso aquam dedisti: *Ostendens*, O Domine: *Per sitim, quæ tunc fuit*, in Ægypto, Ægyptiis, *&* in deserto Israelitis: *Quemadmodum tuos exaltares*, scilicet in futuro, cum Torrente voluptatis tuæ potabis eos. In hoc scilicet, quod tam mirabiliter potasti eos in præsenti. *Et adversarios eorum necares*, Glossa, siti æterna: sicut divitem epulonem. Item Ecce mei servi bibent, vos sitietis.

Exod. 7. Num. 20 Gen. 2 Exod. 7 Exod. 1 S. Aug. util. cred 16 tom. 6 Psalm. 35 Luc. 16. Isa. 65

Vel secundum litteram per hoc figurabantur Ægyptii in mari rubro necandi, & Israelitæ liberandi. *Cum enim tentati sunt*, scilicet filii Israel in deserto tentationibus multis, & plagis. Glossa, Israelitas peccantes dignis plagis corripuit Deus & consolatus est, unde sequitur: *Et quidem*, id est, certe: *Cum misericordia disciplinam*, cum misericordia consolante disciplinam corripientem: vel misericordem, & levem correptionem, seu flagellationem pro culpis suis: & ideo ipsam abiicere non debuerunt: Fili mi disciplinam Domini ne abiicias. Et: Quod si extra disciplinam estis, adulteri estis, & non filii. *Scierunt*, scilicet per experimentum. *Quemadmodum cum ira*, id est, quam aspere: quod timebat Propheta, dicens: Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. *Judicati impii*, scilicet in præsenti: *Tormenta paterentur*, scilicet in futuro incomparabiliter graviora: Pluet enim super peccatores laqueos, &c. *Scierunt*, inquam, per experimentum, & in hoc, quod tam aspere correcti sunt: Si in viridi ligno hoc fuerit, in arido quid fiet; Item: Si justus in terra recipit, quanto magis impius, & peccator? Item: Ecce in civitate, in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere: & vos quasi innocentes immunes eritis? quasi dicat non, *Hos quidem*, Glossa, Israelitas: *Tamquam pater monens*, scilicet ad majorem profectum, vel ad proficiendum in melius, *Probasti*, id est, de sua correctione monendo, probatos reddidisti. Flagellat enim Dominus omnem filium, quem recipit. Et: Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Item: Tamquam aurum in fornace probavit illos: *Illos autem*, Glossa: Ægyptios aut Chananæos: *Tamquam rex durus*, per effectum, scilicet punitionis, qui in natura tua benignus es: *Interrogans*, pœnis scilicet & quæstionibus tormentorum, sicut scilicet latrones, & malefactores ponuntur in quæstionibus & torquentur. Gregorius: Pœna interrogat, si quis quietus veritatem amat. *Condemnasti*,

Prov. 3. Heb. 12 Psal. 6 Psal. 10 Luc. 23 Prov. 11 Hier. 25 Heb. 12 Prov. 3 Sap. 3

sti, quia per flagella non sunt emendati, sed deteriorati. Multo labore
Ezech. 24 sudatum est, & non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem.
Hier. 6 Item: Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos: *Absentes enim*, &c. quasi dicat, bene dixi, quod dure condemnasti eos: *Absentes enim*, scilicet Ægyptii a præsentia Moysi, & Pharaonis vel
Exod. 7 a filiis Israel. *Et præsentes*: scilicet malitiæ Pharaonis expresse consentientes, vel secundum Glossam Chananæi sive qui ab Israel occisi sunt, sive, qui victoriam aliorum audierunt: *Similiter torquebantur*, quia plagæ erant in tota terra Ægypti: ut patet de plaga sanguinis. Vel, *Præsentes torquebantur*, corpore, *absentes*: qui hoc audiebant, torquebantur mente.
Dubitatio. Sed tunc quæritur, quo modo ergo similiter torquebantur si absentes mente torquebantur, præsentes vero corpore:
Solutio. Dicendum, quod similiter in genere scilicet quantum ad hoc, quod tam illi, quam isti torquebantur, sed non similiter in specie vel modo: *Duplex enim illos acceperat*, scilicet quasi in possessione, *tædium*, id est, afflictio secundum illud: Induantur sicut diploide,
Psal. 108 confusione sua. Duplici contritione
Hier. 17 contere eos: *Duplex*, inquam, & pro id est, *gemitus*, de incursu malorum præsentium: *Cum memoria præteritorum*, id est, cum dolore, quem habebant ex recordatione præteritorum malorum, videntes, quod plagis plagæ succedebant. Glossa: *Duplex tædium*, id est præteritorum malorum recordatio, & præsentium tempestas. *Cum enim audirent*, &c. hic ostenditur punitionis effectus in punitis. Primo ex parte Israelitarum: secundo ex parte Ægyptiorum, *Quem enim*, &c. Tertio ex parte utrorumque, *Non similiter*, quasi hos probasti, & illos condemnasti. *Cum enim audirent*, scilicet filii Israel, Moyse hæc eis prædicante. *Per sua tormenta bene secum agi*, id est, utiliter, scilicet ad eorum salutem, secundum illud:
Rom. 8 Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: *Commemorati sunt Dominum*, quem scilicet quasi oblivioni, tradiderant: qui desperantes:

A Non sunt recordati manus ejus, &c. Psalm. 77
Item: Obliti sunt benefactorum ejus, Ibid.
& mirabilium ejus, quæ ostendit eis: postea tamen afflicti, sunt ejus recordati: Oculos enim, quos culpa claudit, pœna aperit, ut dicit Gregorius. Et rememorati sunt, quia Greg. lib. mor. cap. 1
Deus adjutor eorum est; *Admirantes*, Psal. 77
scilicet Dei potentiam & misericordiam; *In finem exitus*, id est, post Ovid. in ep. Matt. 10
finem eventus rei, ex fine enim dependet rectum judicium; Exitus enim acta probat. Unde & Christum Petrus sequebatur, ut videret finem; *Quem enim*, &c. quasi & vere ita est; *quem*, scilicet populum Israeliticum vel Moysen; *In expositione prava projectum*, id est, male & peri-
B culose projectum scilicet in flumine: *Deriserunt*, scilicet Ægyptii tamquam periturum in flumine, non obstante fiscella. *In finem eventus mirati sunt*, id est, post finem eventus rei: *Videntes*, scilicet Moysen ita sublimatum miraculis, unde: Fuit ita Moy- Exod. 11
ses vir magnus valde coram servis Pharaonis, & omni populo: *Vel in finem mirati sunt*, scilicet populum miraculose liberatum. Fugiamus enim Exod. 14
Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Sic erant impii non considerantes finem justorum, sed tantum præsentem afflictionem. Nos Sap. 5
insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. *Non similiter*, & cætera
C quasi dicat, sic impios condemnasti & justos liberasti, tu dico. *Non similiter justis faciens*, Glossa, ut injustis: quia, Septies in die cadit justus, Prov. 24
& resurgit: impii autem in malum Ad. 1
corruent. Ratio vero diversitatis non est ex parte Dei, cum non sit acceptor personarum, sed ex parte injustorum, unde sequitur. *Pro cogitationibus autem*, bene dixi: *Non similiter autem*, pro sed potius pro cogitationibus, *insensatis*, id est, in malo induratis: *Iniquitates illorum*, scilicet exteriores sunt, quasi dicat, pro malis cogitationibus promittuntur cadere in malas operationes, unde Glossa. Iniqua opera ex cogitationibus prodeunt, quia reprobi non mutant cor inter flagella Domini. Secun- Rom. 2
dum duritiam tuam, & cor impœni-

nitens thesaurizas tibi iram in die
Apoc. 22 iræ, &c. Qui in sordibus est, sordescat adhuc. *Quod quidam errantes*,
&c. hic tangitur punitio Ægyptio-
Exod. 8 rum propter idololatriam, & hoc
per immissionem muscarum. Et ostenditur hujus pœnæ congruitas, primo ex parte peccantis, secundo ex
parte judicis punientis, ibi: *Non
enim Quod quidam*, &c. quasi dicat
sicut puniti sunt pro Israelitarum punitione, *Quod* pro quia, *Quidam*,
Ægyptiorum, *Errantes*, scilicet a fi-
Prov. 14 de. Errant, qui operantur malum.
Colebant mutos serpentes, mutos dicit
ad differentiam serpentis, qui locu-
Gen. 3 tus est Evæ in paradiso terrestri. *Et
bestias supervacuas*, id est, inutiles
Ægyptiorum idololatria. ad colendum, colebant enim Ægyptii Esculapium sub specie serpentis: Mercurium sub specie canis: Jovem sub specie Arietis: Apim sub
Rom. 1 specie bovis: Mutaverunt similitudinem incorruptibilis Dei in similitudinem curruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum, & serpentum: *Immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam*, scilicet ranas, & muscas, cinifes & lo-
Psalm. 77 custas, secundum illud: Misit in
eos cynomyam, & comedit eos: &
ranam, & disperdidit eos? Et dedit
ærugini fructus eorum, & labores
eorum locustæ: *Ut scirent, quia per
quæ*, id est, per qualia: *Peccat quis,
per hæc*, id est, per similia, *&*, id
est, etiam: *Torquetur*, Glossa, ut
ex similitudine pœnæ, cognoscerent,
Hester. 7 qualitatem culpæ, sicut Aman suspensus est patibulo, quod paraverat
Judith. 13 Mardochæo. Et Holofernes proprio
pugione occisus est a muliere, quam
male concupierat. *Non enim impossibilis*, &c. Hic ostenditur pœnæ congruentia ex parte judicis punientis,
qui potius vult uti misericordia,
quam potentia. Et primo ostenditur,
quod hujus levis punitio non fuit
ex impotentia. Secundo, quod fuit
hæc misericordia: *Sed omnia*. Tertio
subditur probatio potentiæ: *Multum
enim*. Quarto probatio misericordiæ:
Et misereris. In prima ostendit, quod
poterat eos aliter punire, scilicet aut
per instrumentum vindictæ jam creatum, aut per aliud novo creandum,

A ibi: *Aut novi generis*, aut immediate per
ipsum. *Nam & sine iis*. Dicit ergo:
Non enim, &c. bene dixi, quod puniviti eos per ea, quæ peccaverant, &
hæc propter pœnæ ad culpam convenientiam, non propter impotentiam:
Non enim impossibilis erat, id est, valde
impotens: *Manus tua*, id est, filius
tuus, secundum illud: Emitte manum Psal. 143
tua de alto: *Omnipotens*, unde: *Omnipotens*, sermo tuus Domine, &c. *Quæ* Sap. 18
creavit, id est, formavit, *Orbem terrarum*, creare enim est de nihilo aliquid
facere: formare vero ex materia præ Materia prima creata.
jacente, orbis autem terrarum fuit
ex materia præjacenti, prius tamen
creata informi, unde sequitur: *Et
materia invisa*, id est, ex prima ma-
B teria, quæ invisa, id est, invisibilis
erat, tunc ex parte sui, quia carebat
forma distincta, & ex parte agentis,
quia deerat lux, quæ necessaria est ad
reducendum sensus visus de potentia
in actum, unde: Terra erat inanis, Gen. 1
& vacua, scilicet quoad primum defectum: & tenebræ erant super faciem abyssi: quoad secundum: *Immitte illis*, scilicet pro vindicta. *Multitudinem ursorum, aut leones audaces*,
quæ sunt animalia fortia, & rapacia. Propter quod de eorum superatione gloriatur David: Leonem & 1 Reg. 17
ursum interfeci: *Immittere*, inquam,
leones, &c. sicut fecit quando in
terram Samariæ misit leones, qui 4 Reg. 17
populos illuc translatos devorabant:
C quia Deum non colebant. *Aut novi
generis ira plenas, & ignotas bestias*,
& ideo terribiliores. Dentes bestia- Deut. 32
rum immittam in eos, cum furore
trahentium super terram, &c. *Aut
vaporem igneum*, vel ignium: *spirantes*, scilicet ad consumptionem. *Aut
odorem fumi proferentes*, scilicet ad
aeris infectionem: *Aut horrendas ab
oculis scintillas*, emittentes ad terrorem: *Quarum non solum læsura*, facta,
scilicet percutiendo: *Poterat illos exterminare*, id est, extra terminos vitæ ponere. *Sed & aspectus*, videndo:
Per timorem occidere, scilicet injustos
& malos, de justo enim dicitur: Su- Psalm. 90
per aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Notandum autem, quod per
diversas prædictas bestias, possunt sex
ge-

Peccata sex per totidem bestias significata. genera peccatorum intelligi; per ursum, vitium gulæ; per leonem, superbiæ; per bestias ira plenas, iræ; per vaporem igneum spirantes, luxuriæ; per odorem fumi proferentes, avaritiæ; per scintillas ab oculis emittentes, invidiæ. *Sed & sine iis*, &c. Nec solum hoc modo poteras eos punire; *Sed & sine iis*, id est, sine harum bestiarum adminiculo. *Uno spiritu poterant occidi*, Glossa, id est, una indignatione, vel jussu, sic accipitur spiritus, ubi dicitur,

Gen. 6. Non permanebit spiritus meus in homine, id est, indignatio mea, &c. vel, *uno spiritu*, scilicet angelico, sicut Sennacherib, & exercitus ejus,

Isa. 37 ut patet in Isaia, *Persecutionem*, passi, scilicet tamquam a causa meritoria; *Ab ipsis factis suis*, ita quod ipsis operibus suis perimerentur, sicut vipera suo partu perit: Genimina viperarum, &c. Secundum opera manuum eorum tribue illis. *Et dispersi*, scilicet per loca diversa extra terram suam. *Per spiritum virtutis suæ*, hoc potest intelligi intransitive, & tunc intelligitur de spiritu increato. Vidi eos, qui operantur iniquitatem, flante Deo periisse, & spiritus ejus esse consumptos, *Sed & omnia ostendit*, quod ex misericordia punivit; & punit minus, quam posset, & primo per hoc, quod non punivit ultra, quam exigeret culpæ quantitas: *Quia in mensura*, secundo per hoc, quod non punivit ultra, quam exigeret culpæ multiplicitas; *Quia in numero*, tertio quia non ultra quam exigeret peccantis conditio, vel qualitas; *Quia in pondere*, bene dixi, quod non punis secundum immensitatem potentiæ tuæ, id est, quantum posses; *Sed & omnia*, &c. quasi dicat, non tantum creaturas ipsas; sed & earum retributiones & pœnas, sint punitiones; *Dispofuisti in mensura*, ut non excedant culpæ quantitatem. *In numero*, ut non excedant culpæ multitudinem, *In pondere*, ut non excedant peccantis conditionem, vel peccati circumstantiam. Quod autem puniat secundum mensuram. Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date ei tormentum, & luctum. Item: In mensura

Luc. 3
Psal. 27
Job. 4
Apoc. 18
Isa. 27

A contra mensuram, cum abjecta fuerit, judicabit eam. Item, In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quod secundum numerum. Duplicate ei duplicia secundum opera ejus. Item; Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis, id est, duplicem pœnam, scilicet pœnam damni, & pœnam sensus; vel pœnam corporalem exteriorem & spiritualem interiorem, id est, conscientiæ remorsum, quod secundum pondus patet supra: Exiguo conceditur misericordia, potentes potenter tormenta patientur.

Luc. 6
Apoc. 18
Isa. 40
Sap. 6

Aliter potest sic exponi; *Omnia*, scilicet corporalia quantum ad suam naturam; *Dispofuisti in mensura, numero, & pondere*, quia mensura omnium corporalium sunt quatuor elementa, quæ habent numerum, pondus, & mensuram, ut patet. Vel aliter; *Pondus*, refertur ad potentiam operantis, *Numerus*, ad sapientiam ordinantis; *Mensura*, ad clementiam conservantis. Ex quo omnia, quantum ad potentiam patris: Per quem omnia, quoad sapientiam filii: In quo omnia, quoad clementiam Spiritus sancti, secundum Glossam Rabani. *In mensura*, qualitas. *In numero*, quantitas. *In pondere*, ratio. Secundum Augustinum: *Mensura*, creaturæ, est ejus certa quantitas qua dicitur magna vel parva vel mediocris: *Numerus*, certa qualitas, qua ab alia distinguitur: *Pondus*, proprietas, qua in loco suo consistit, unde secundum Augustinum, mensura idem est, quod modus: species, idem est, quod numerus: ordo, quod pondus. Hæc tria, scilicet modus, species, & ordo, ubi magna sunt: magna bona sunt: ubi parva, parva: ubi nulla, nulla sicut ipse dicit. Vel potest hoc exponi de mensura, numero, & pondere in increatis sic *in mensura*, id est, in te omnia mensurante, id est, modum rei cuilibet præfigente, *in numero*, id est, in te omnia, numerante, id est, cuilibet rei speciem propriam largiente, *in pondere*, id est, in te omnia ponderante, id est omnibus proprium, & certum ordinem assignante. Huic concordat quædam expositio Augustini

B

Rom. 11

Aug. Cont. Pelag. hær. ... in mensura

C

Aug. l. 4 in Gen. ad lit. c. 3

stini

Aug. l. 4 in Gen. ad lit. c. 4 t. 3 Et ad Oro. q. 39. t. 4 ſtini dicentis: *In menſura*, id eſt in te ipſo, qui es menſura ſine menſura, unicuique rei modum præfigurans: numerus ſine numero omni rei ſpeciem præbens: Pondus, ſine pondere omnem rem ad ſtabilitatem trahens: primum in ratione efficientis: ſecundum in ratione exemplaris: tertium in ratione cauſæ finalis. Moraliter ſic: *In menſura*, contra vitium inſluitatis: *In numero*, contra vitium ſingularitatis; *In pondere*, contra vitium levitatis.

Sed obiicitur: Si omnia diſpoſuit in menſura, numero, & pondere: ergo de menſura in menſuram, & ſic in infinitum. Poteſt dici, quod loquendo de numero, pondere, & menſura in increatis, diſtributio eſt univerſalis: loquendo vero de creatis diſtributio eſt accomoda. Ita ſcilicet, quod intelligitur fieri diſtributio pro menſuratis, numeratis, & ponderatis. Vel omnia entia completa in alio, non concreata. Talia autem non ſunt menſura, numerus, & pondus: ſed in aliis concreantur, cum non ſint non entia per ſe ſtantia, & completa. *Multum enim*, &c. hic ponitur probatio potentiæ divinæ. Primo per ejus magnitudinem. Secundo per parvitatem creaturæ, *quoniam*, tamquam, &c. *Multum enim*, &c. quaſi dicat, bene patet, quod ex impotentia non fuit, quia ſic eos punivit, *multum enim valere*, id eſt, valde poſſe, *tibi ſoli*, etiam ſine alterius adjutorio, *ſuperat ſemper*, ſcilicet propter infinitatem potentiæ

Ari 3 Phy. tex. 63 Luc. 1 tuæ. Infinitum enim eſt, cujus partes, vel quantitatem accipienti ſemper eſt accipere aliud extra. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, *ſemper*, id eſt, omni tempore, vel in æternum: ſecundum illud:

Dan. 7 Poteſtas ejus, poteſtas æterna: *Et virtuti*, id eſt, perfectæ potentiæ,

Ariſt. l. 1 de cælo tex. 116 Iſa. 51 quia ſecundum Philoſophum: virtus eſt ultimum de potentia in re, *brachii tui*, ſecundum illud: Induere fortitudinem brachii Domini, quis reſiſtet? quaſi dicat nullus poteſt, & hoc eſt, quia non patitur ab aliquo. *Quoniam*, &c. & vere *quoniam totus orbis terrarum*, id eſt, univerſitas creaturarum, *ſic eſt ante te*, id eſt, in tua diſpoſitione, vel in tua comparatione, *ſicut momentum ſtateræ*, id eſt, illud modicum, quo ſtatera huc, vel illuc inclinatur. Unde dicitur momentum a movendo, vel quia ſicut faciliter, & quaſi in momento movetur huc, & illuc: ſi divina virtute mundus ad nutum Dei movetur, unde: Ecce gentes, quaſi ſtilla ſitulæ, & ſicut momentum ſtateræ, reputatæ ſunt, & quaſi, *gutta roris antelucani*, id eſt, ante lucem cadentis, *qui deſcendit in terram*, quæ a facie ſolis facile diſſolvitur, nec ei poteſt reſiſtere. Et notandum, quod dicit creaturam eſſe, *tamquam momentum*, &c. reſpectu Dei quantum ad facilitatem agendi in ipſam, & *tamquam gutta roris*, &c. quantum ad impoſſibilitatem patiendi ab illa: Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram illo.

Momentum unde dicatur.

Iſa. 40

Ibidem.

Et miſereris omnium, &c. Hic ponitur probatio divinæ miſericordiæ, & primo probat eam per effectum diſſimulationis: ſecundo per effectum dilectionis, *diligis enim*: tertio per effectum conſervationis, *quo modo autem poſſet*, &c. quarto per effectum remiſſionis, *parcis autem*. (*Et miſereris omnium*, id eſt, in omnibus exerces miſericordiæ effectum ſecundum illud: Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Item: Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Item: Miſericordia Domini plena eſt terra, *quoniam omnia potes*. Unde omnia ſunt facturæ tuæ, & opera tua ſecundum illud: Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. *Et diſſimulas ad tempus*, ſcilicet non puniendo, *peccata hominum*, non dicit Angelorum, quia peccatum Angelorum ſtatim fuit punitum, unde: Quo modo cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris? *propter pœnitentiam*, unde. Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: Si egerit impius pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis, &c. Vita vivet & non morietur. *Diligis enim omnia, quæ ſunt*, ſcilicet bona eorum approbando, & conſervando, unde: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gloſſa, bonus opifex opus ſuum diligit: Deus au-

Pſal. 144 Pſ. 23 Pſal. 32 Pſal. 145 Iſa. 14 Rom. 2 Ezech. 18 Gen. 1

autem peccatum non fecit, unde. A Sine ipso factum est nihil, id est, peccatum, secundum Augustinum. (*Joan. 1*; *Aug. tra. 1 in Joan. c. 9*) Et ideo peccatum non diligit sed odit, secundum illud: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. (*Psal. 44*) *Et nihil odisti eorum, quae fecisti*, nullum, scilicet reprobando. Contra, quod dicitur: Iniquos odio habui. (*Psalm. 118*) Item: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. (*Psalm. 5*) Item: Altissimus odio habet peccatores. (*Eccl. 12*) Sed dicendum, quod non odit facturam suam, sed facturae vitium sicut artifex statuam; quam fecit diligit: & tamen aliquem nodum in ea ex parte materiae existentem, odit. *Non enim odiens*, id est, invitus, *aliquid constituisti*, scilicet de nihilo ipsum creando, aut fecisti de materia praejacenti formando, unde Boetius. (*Boet. lib. 3 de cons. met. 9*)

Quem non externae pepulerunt fingere causae
Materiae fluitantis opus, verum insita summi
Forma boni, &c.

unde: Universa propter semetipsum (*Prov. 16*) operatus est Dominus, *quomodo autem posset aliquid*, id est, ulla creatura, *permanere*, scilicet in suo esse, *nisi tu voluisses*, id est, nisi tua bonitate voluntarie conservares? quasi dicat nullo modo, unde Gregorius: Cuncta, quae sunt, in nihilum tenderent, nisi manu Creatoris sustentarentur, vel tenerentur, (*Greg. lib. 16 Moral. c. 16 post med.*) *aut quod a te vocatum non esset*, id est, nisi tua sapientia intuendo approbares: Qui vocat ea, quae non sunt, &c. (*Rom 4*) *Conservaretur*, quasi dicat nihil, *parcis autem omnibus*, scilicet hominibus, qui dicuntur omnis creatura, (*Homo omnis creatura*) secundum illud: Praedicate Evangelium omni creaturae, (*Mar. ult.*) *parcis*, inquam, quia tibi est proprium juxta illud: Deus cui proprium est misereri semper, & parcere. (*Ezech. 18*) *Quoniam tua sunt*, unde: Omnes animae meae sunt, *qui amas animas*, quod patet, quia animam tuam posuisti pro eis. Et: Majorem hac dilectionem nemo habet, &c. (*Joan. 15*) unde Bernardus: Majorem habuisti, eam ponens pro inimicis tuis. (*Ber. ser. de pass. Dom. non procul a princ.*)

CAPUT DUODECIMUM.

QUAM bonus, & suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus: Ideoque eos, qui exerrant partibus, corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: ut relicta malitia, credant in te, Domine. Illos enim antiquos inhabitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia injusta, & filiorum suorum necatores sine misericordia, & confessore, viscerum hominum, & devoratores sanguinis, & auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti a medio sacramento tuo, per manus parentum nostrorum, ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quae tibi omnium charior est terra, Sed & his tamquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, ut illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello subiicere impios justis, aut bestiis saevis, aut verbo duro simul exterminare: sed partibus judicans dabas locum poenitentiae, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio, nec timens aliquem: veniam dabas peccatis illorum. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, ut ostendes, quoniam non injuste judicas judicium. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti: Cum ergo sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, exterum aestimas a tua virtute. Virtus enim tua, justitiae initium est, & ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia dis-

Respondis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans, das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos servorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, dans tempus & locum, per quæ possent mutari a malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta, & conventiones dedisti bonarum promissionum? Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes: & cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam. Unde & illis, qui in vita sua insensate, & injuste vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta. Etenim in erroris via diutius erraverunt. Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes. Propter hoc tamquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti. Qui autem ludibriis, & increpationibus non sunt correpti, dignum Dei judicium experti sunt. In his enim, quæ patiebantur, moleste ferebant: in quibus patientes, indignabantur per hæc quos putabant Deos, in ipsis cum exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt: propter quod & finis condemnationis eorum veniet super illos.

EXPOSITIO IN CAP. XII.

O *Quam bonus*, &c.) Postquam egit de beneficiis exhibitis filiis Israel in afflictione, vel punitione Ægyptiorum principaliter: hic agit de beneficiis exhibitis eisdem in afflictione Chananæorum, & Amorrhæorum, terram promissionis inhabitantium principaliter. In prima, primo ostenditur illorum populorum justa punitio. Secundo misericordia exhibita in puniendi modo: *Sed in iis*. Tertio populi Dei in utroque instructio: *Tu autem Domine*. Quarto adversariorum incorrigibilium per utrumque condemnatio. *Unde, & in illis*. In prima tangitur pia intentio punientis: secundo, æquitas punitionis: *Illos enim*. Piæ intentionis primo ostendit causam, secundo signum, *Ideo*, &c. tertio finem, *ut relicta malitia*, &c. *O quam bonus*, &c. exclamatio est innuens insufficientiam loquentis, ad exprimendum bonitatem Creatoris, est enim sensus: *O quam*, &c. quasi dicat, non valeo exprimere quantum, & hoc propter infinitatem bonitatis tuæ. *Bonus*, scilicet in bona tua communicando: est enim bonum diffusivum sui, secundum Dionysium. Et: Nemo bonus, nisi solus Deus: solus enim Deus communicat sua, omnis creatura alienum, quia nihil habet suum, unde: Quid habes, quod non accepisti; *Et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus*; scilicet malis parcendo nostris. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus, *spiritus*, inquam, *tuus in nobis*, Glossa, quia amor Dei fons totius boni est. In omnibus maxime, in quibus magis apparet Dei misericordia. Nam: Suavis Dominus universis, *ideoque*, quia bonus, & suavis, *hos*, *qui exerrant*, id est, extra viam veritatis errant in fide, vel moribus: sicut illi, de quibus ait: Omnes nos, quasi oves, erravimus. Item: Erraverunt cæci in plateis, *partibus corripis*, id est, flagella per partes, non simul, & successive immittendo, secundum illud: Non eiciam eos a facie tua uno anno: sed paulatim expellam eos. Et: Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde, sed modicum, *corripis*, vel per te vel per eos, quos Spiritu sancto reples, secundum Glossam: Arguet mundum de peccato: *Et de quibus peccant*, id est, de peccatis, quibus peccant, *admones*, scilicet veniam promittendo, secundum illud: Pœnitentiam agite, &c. Et: Convertimini ad me, & salvi eritis, &c. Beati qui audiunt vocem admonentis: Aures tuæ audient verbum post tergum monentis, *Et alloqueris*, id est, pœnam comminando. Si audieritis me, bona terræ comedetis; quod si non audieritis, gladius devorabit vos, *ut relicta malitia*, scilicet pec-

Margin notes (left): Exclamatio quid innuat. — Dion. de div. nom. cap 4 — Matth. 19 — 1 Cor. 4
Margin notes (right): Psalm. 33 — Psal. 144 — Isa. 53 — Thren. 4 — Exod. 23 — Job. 1 — Joan. 16 — Matth. 3 — Isa. 45 — Isa. 30 — Isa. 1

peccati, vel infidelitatis, *Credant in te, Domine*, scil. fide formata, *in te*, inquam, te, vel tibi tantum. Dere- (Isa. 55) linquat impius, viam suam, &c. Contrarius enim est motus pœnitentiæ motui malitiæ; quia sicut ille est a bono in malum, sic iste a malo in bonum. *Illos enim*, &c. Hic tangitur æquitas punitionis. Et primo ex consideratione ipsius culpæ; Secundo ex consideratione pœnæ; *Voluisti perdere illos*, *enim*, &c. Bene dixi, *corripis*, &c. quod patet per exemplum. *Illos enim antiquos habitatores*, scil. Chana- (Gen. 15. 26. 28) næos; & Amorrhæos & alios hujusmodi, *habitatores terræ sanctæ tuæ*, id est, tuis sanctis promissæ, scilicet Abraham, Isaac, Jacob; *Exhorruisti*, in tantum, ut populum tuum eis copulari nolueris, aut misceri, secundum illud; Non inibis cum eis fœdus, (Deut. 7) nec sociabis conjugia, nec miserebe-ris eorum, *quoniam odibilia tibi opera faciebant*, scil. peccata enormia. Similiter odio sunt Deo impius, & im- (Infra 14) pietas ejus, *per medicamina*, scil. veneficiorum, *& sacrificia injusta*, idolorum, & contra Deum; erant autem, & sacrificia justa, quæ Deo offerebantur, sicut obtulit Noe. *Et filiorum suorum necatores*, & hoc con- (Gen. 8) tra proximum, *sine misericordia*, id est, sine compassione, quia in sacrificiis dæmonum immolabant eos cum multa devotione. Secundum illud; Et immolaverunt filios suos, & filias (Psal. 105) suas dæmoniis. Contra quod dicitur; Ne imitari velis abominationes illa- (Deut. 18) rum gentium; nec inveniatur apud te, qui lustret filium, aut filiam ducens per ignem, *& comestores viscerum hominum*, hoc non legitur factum, sed credendum est potuisse fieri, sicut tempore obsidionis Samariæ legitur factum esse: Et: Manus mu- (4 Reg. 6; Thren. 4) lierum misericordium coxerunt filios suos, *& devoratores sanguinis humani*, contra illud; Carnem cum sanguine (Gen. 9) non comedetis; *Et auctores*, id est, effusores sanguinis, *parentes*, id est, quamvis parentes essent sanguinis effusi; quod gravius est, sanguinis, dico, *animarum*, id est, hominum, partem enim ponit pro toto, & est syneodoche, sicut in Exodo, ubi dicitur; Omnes animæ, quæ ingressæ (Exod. 1)

A sunt cum Jacob in Ægyptum, *inauxiliatarum*, Glossa, id est, eorum, qui se non poterant defendere. Vel quibus nolebant auxiliari, scilic. propriorum infantulorum, quorum sanguinis ipsimet erant generatores, & effusores in sacrificio & comestores comedendo de sacrificato, *filiorum*, inquam, *suorum necatores*, &c. (*Perdere voluisti*, id est, expellere, *a medio sacramento tuo*; id est, a terra (Terra promissionis cur sacramentum dicatur:) promissionis sacra, & dicitur terra promissionis sacra, vel sacramentum, propter rei sacræ, id est, terræ viventium significationem. Et propter sacramentorum salutis nostræ in ea completionem: & propter sacramentorum Ecclesiæ in ea institutionem, B ut Eucharistiæ, & Baptismi: & pro- (Eucharistiæ & Baptismi institutio.) pter sacrorum hominum in ea futuram inhabitationem, ut Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & propter sanguinis Christi in ea effusionem, & irrigationem: & propter sacrorum corporum, & pulverum in ea resolutionem, scilicet Patrum antiquorum, ibidem sepultorum: & propter sacri loci in ea ædificationem, scilicet templi: & propter sancti sanctorum nativitatem, & conversationem, *per manus parentum nostrorum*, illorum scilicet qui cum Josue terram promissionis intraverunt, *ut dignam perciperent*, scilicet parentis nostri, *peregrinationem*, id est, terram peregrinationis, *puerorum Dei*, scilicet Patriarcharum, de C quibus: Confitentes, quia peregrini, (Heb. 11) & hospites sunt super terram, *quæ*, scilicet terra peregrinationis, *est tibi terra charior omnium*, scilicet terrarum, id est, omnibus terris, scil. propter salutem humani generis procurandam, secundum illud Psalmi: Operatus est salutem in medio terræ. (Psal. 73)

Sed, & iis, &c. Hic ostenditur misericordia exhibita in modo punitionis, & illius modi: primo removet causam falsam: secundo; subdit veram, *cum ergo*: In parte prima primo ostendit, quod ille modus puniendi non fuit ex impotentia, secundo, quod nec ex ignorantia, *sed partibus*: tertio, quod nec ex timore, *nec timens*: quarto: quod nec injustitia, *nec enim*. (*Sed & iis*, &c. Quamvis

vis aliqui legant hoc de patribus in-
troducendis, quorum Dominus ho-
stes prius misericorditer exterruit,
volens eos velut homines morales
exponere subitis bellorum periculis:
tamen congruentius videtur exponen-
dum de gentibus Chananæis, a fa-
cie eorum eiiciendis; Dicit ergo: *Sed
& iis*, quamvis scilicet tam enormi-
ter peccassent, *perpecisti*, scilicet non
statim, & simul omnes illos expel-
lendo, *tamquam hominibus*, carne fra-
gili indutis, & ideo ad peccandum
Gen. 8 promptioribus. Sensus enim, & co-
gitatio humani cordis in malum pro-
na sunt ab adolescentia. Hanc ra-
tionem allegat ipse Dominus in Ge-
Gen. 6 nesi: Non permanebit spiritus meus
in homine, quia caro est. *Et misi-
sti antecessores exitus tui vespas*, id
est, genus muscarum valde pungiti-
varum, Glossa dicit timores acerri-
mos, quibus corda gentium punge-
bantur: ii sunt crabrones, de qui-
Deut. 7 bus: Crabrones mittet Dominus Deus
Exod. 23 tuus in eos, donec deleat omnes,
atque disperdat. Et: Mittat terro-
Ibid. rem meum in præcursum tuum. Et
post: Emittens crabrones prius, qui
fugabunt Hevæum, &c. *ut illos*, sci-
licet Chananæos, *paulatim extermi-
naret*, id est, extra terminos terræ
promissionis ponerent, vel fugarent,
vel extra terminos vitæ præsentis,
vel extra terminos terræ viventium,
Baruc. 3 unde: Exterminati sunt, & ad in-
feros descenderunt, exclusi scilicet
a terra viventium. *Non quia impo-
tens eras in bello subiicere impios ju-
Psal. 17 stis*, secundum illud Psalmi: Præ-
cinxisti me virtute ad bellum; &
supplantasti insurgentes in me sub-
tus me. *Aut bestiis sævis*, id est, aut
per bestias crudeles, secundum illud
Hier. 5 Hieremiæ: Lupus ad vesperam va-
stavit eos, & pardus vigilans super
Sap. 11 civitates eorum. Et: Non enim im-
possibilis erat manus tua, &c. *aut
verbo duro*, id est, per visum aspe-
ros illos, *simul exterminare*, secun-
Hier. 23 dum illud Hieremiæ: Numquid non
verba mea, quasi ignis, & quasi mal-
leus conterens petras?

Sed partibus, &c. Hic ostendit,
quod hoc non fecit ex ignorantia,
scilicet culpæ eorum actualis, vel

A originalis, dicens: *Sed partibus*, &c.
bene dixi, quod non quia impotens,
&c. *Sed partibus*, id est paulatim,
vel per partes, & successive, *judi-
cans*, id est, juste puniens: Consu- Deut. 7
met nationes has in conspectu tuo
paulatim, atque per partes, ne for-
te multiplicentur contra te bestiæ
terræ, *dabas locum pœnitentiæ*, ut,
quibusdam punitis, alii corrigeren-
tur: Dedit ei Deus locum pœniten- Job. 24
tiæ, & ipse abutitur eo in super-
biam. *Non ignoras*, quia ignorantia in
Deum non cadit, sicut nec tenebra
in lucem, unde; Deus lux est, & 1 Joan. 1
tenebræ in eo non sunt ullæ, *quo-
niam iniqua est natio illorum*, per cul-
pæ malitiam, quia iniquorum pa-
B trum iniqui filii, unde: Ex iniquis Sap. 4
omnes, qui nascuntur, testes sunt
nequitiæ illorum, *& naturalis mali-
tia illorum*, id est naturali similis per
usum pravæ consuetudinis. Consue- Consuetudo altera natura.
tudo enim altera natura est: sicut
enim ea, quæ sunt a natura, diffi-
cile, vel numquam exui possunt:
Sic nec ea, quæ ex consuetudine,
unde: Si mutare potest Æthiops pel- Hier. 13
lem suam, aut pardus varietates
suas: & vos poteritis bene facere,
cum didiceritis malum. Gregorius.
Difficile surgit, quem moles consue- Greg. l. b. 4 Mor. c. 25 circ. fin.
tudinis premit. *Et naturalis malitia
eorum*, Glossa permanens inveterata,
scilicet per usum pravæ consuetudi-
nis: *Et quoniam non poterat mutari
C cogitatio eorum in perpetuum*, scilicet
propter obstinationem voluntatis eo-
rum perversæ. Glossa, indurata pro-
pria nequitia, unde: Dedit me in Thren. 1
manum, de qua non potero surge-
re. Sed contra: In libertate arbitrii
est peccare, & post peccatum pœni-
tere. Respondeo, non poterat, id
est, vix poterat: vel non poterat per
se solum, sed Deo inspirante. Ho- Psal. 77
mo enim est spiritus vadens, scili-
cet per culpam, & non rediens, sci-
licet, nisi per gratiam, *semen enim
erat maledictum ab initio*, id est, in
primo parente sui generis, scilicet
in Chanaam. Nam: Maledictus Cha- Gen. 9
naam. Vel secundum Glossam, *ab
initio*, id est, in præsentia Dei, vel
secundum Glossam, *Ab initio*, quia
ex quo fuerunt, quædam prava qua-
li-

litas in ipsis erat maledictione digna.
Nec timens, hic excludit a Deo ti-
morem quadruplici ratione, primo
per hoc, quod judicium ejus nullus
potest discutere, secundo, quia nec
ei resistere. *Aut quis dabit*: tertio,
quia nec vendicare, *aut quis in con-
spectu*, quarto, quia nec redargue-
re, *aut, quis tibi*. Dicit ergo, *nec
timens aliquam veniam dabas peccatis
eorum*, *nec timens aliquem*, scilicet
Eccl. 3 quasi potentiorem : Magna potentia
Isa. 51 Dei solius. Et : Quis tu, ut timeas
Job. 12 ab homine mortali? Item : Num-
quid timens arguet te? quasi dicat
Job. 26 non : immo etiam, Columnæ cœli
contremiscunt, & pavent ad nutum
ejus. Quanto magis columnæ terræ,
quis enim dicet tibi, id est, dicere
auderet, vel dicere rationabiliter
posset, *quid fecisti?* scilicet facti tui
rationem discutiendo, quasi dicat, nul-
Rom. 9 lus, unde : Numquid dicit figmen-
tum ei, qui finxit se, quid me fe-
Isa. 45 cisti sic? Numquid dicit lutum figu-
lo, Quid facis? *aut quis stabit contra
judicium tuum*, scilicet tuæ sententiæ
Job. 9 resistendo. Deus, cujus iræ resistere
nemo potest; & post, Si æquitas ju-
dicii quæritur, nemo audet per me
testimonium reddere. *Aut quis in con-
spectu tuo veniet*, id est, comparere
audebit, *vindex enim iniquorum ho-
minum*, id est, volens vindicare ini-
quos, te puniendo; quasi feceris eis
injuriam ipsos condemnando, quasi
Deut. 32 dicat nullus, quia : Mea est ultio, &c.
Ibidem. Item, Videte, quoniam ego sim so-
lus, & non sit, qui de manu mea
possit eruere. *Aut quis imputabit tibi*,
scilicet de culpa arguendo, quasi di-
Joan. 8 cat nullus, unde, Quis ex vobis ar-
guet me de peccato, *quis*, inquam
imputabit tibi, si *perierint nationes
quas tu fecisti*, perierint per culpam
suam, quas tu fecisti, quantum ad
eorum naturam. Glossa non est cul-
pa Creatoris, si pereunt, sed na-
Job. 12 turæ vitium. Si destruxerit, nemo
est, qui ædificet. *Nec enim*, &c. be-
ne dixi, quis aliquod prædictorum
contra tuum judicium faciet. *Nec
enim est alius Deus, quam tu*, secun-
Isa. 45 dum illud Isaiæ; Numquid non ego
Dominus, & non est ultra Deus
absque me? *Quantum*, inquam, *cui*

A *cura est de omnibus*, supra : Æquali- Sap. 6
ter est tibi cura de omnibus. Sed
contra ; Numquid de bobus cura 1 Cor. 9
est Deo? Dicendum, quod cura
providentiæ est illi de omnibus,
cura disciplinæ de solis rationali-
bus, *Ut*, scilicet per hoc ostendas,
quoniam non injuste judicas judicium,
punitionis iniquorum. Nam ; Justus Psal. 118
es Domine, & rectum judicium
tuum. *Neque rex*, &c. quasi dicat,
ita recte judicas, quod *Neque rex*,
qui bene regit, & secundum ju-
stitiam. *Neque tyrannus*, qui sci-
licet male regit, & per injusti-
tiam. *In conspectu tuo inquirent de
iis, quos perdidisti*, Glossa, utrum
juste perdideris, secundum illud
B Job ; Quis potest dicere, cur ita facis. Job. 9
Cum ergo. Hic ostendit causam
veram, quare Deus misericordiam
exhibuit in modo puniendi prædicto,
& hoc primo ostendendo, quod
Deus in omnibus exerceat justitiam:
secundo, quod nihilominus exhibet
misericordiam. *Et ab hoc* : tertio,
quod ad incredulos aliquando osten-
dit potentiam, *virtutem*, &c. *Cum
ergo sis justus*, scilicet in natura tua,
juste omnia disponis, scilicet in crea-
tura scilicet juste filium puniens in
præsenti, ut in futuro parcas ei.
Flagellat omnem filium, quem re- Heb. 12
cipit. Justus es Domine, & omnia Tob. 3
judicia tua justa sunt. Item : Judicia Psal. 18
Domini vera justificata in semetipsa.
C *Ipsum quoque*; *qui non debet puniri*,
id est, per pœnam temporalem cor-
rigi, *condemnas*, Glossa, pœna æter-
na, parcens ei in præsenti, ut in
futuro punias, unde : Auferunt a Ezech. 16
me zelus meus, & quiescam, nec
irascar amplius. *Et exterum æstimas
a tua virtute*. Glos. id est, alienum, &
indignum divina pietate. Virtus enim
Dei est pietas, secundum illud Grego-
rii. Deus, cui proprium est misereri
semper, & parcere. Ideo in Psalmo: In Psalm. 53
virtute tua, id est, pietate, judica me.
Vel sic, *& eum qui non debet puniri*,
scilicet in æternum, *condemnas*,
scil. secundum reputationem reprobo-
rum, quia ipsum in præsenti corripis,
& æstimas, id est æstimare facis alios,
talem *exterum*, esse supple, *a tua virtu-
te*, id est alienum & indignum tua pie-

tate

tate, quia tam graviter punivisti eum, *virtus enim tua*, id est, misericordia. Opus enim justitiæ dicitur alienum a Deo: Sed opus misericordiæ proprium ei. Et hoc est, quia nobis miseretur ex bonitate propria, sed justitiam in nos exercet ex causa nostra, scilicet propter nostram culpam. *Virtus*, inquam, *tua*, id est, misericordia, *justitiæ*, scil. nostræ, id est, justificationis nostræ est initium, secundum illud Apostoli; Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Item: Justificati gratis per gratiam ipsius, *& ob hoc, quod omnium Dominus es*, scil. per potentiam, *omnibus te parcere facit*, per misericordiam. Unde Glossa, ut qui præes potentia, mitescas natura: Misereris omnium, quia omnia potes, *virtutem enim tuam ostendis*, id est, potentiam in puniendo, *tu, qui non crederis*, scil. ab errantibus. *In virtute consummatus*, id est, perfectus: Quasi nihil possit facere omnipotens, æstimabant illum. *Et hos, qui te nesciunt*, scilicet infideles, *in audacia traducis*, id est, audacter ad pœnam ducis, & hoc merito iniquitatum suarum. Traducent eos ex adverso iniquitates eorum. *Tu autem dominator*, &c. Ostensa punitione adversariorum, & misericordia judicis in puniendo, hic ostendit instructionem populi Dei in utroque; & primo tangit exemplum, per quod instruit: secundo misericordiam, de qua instruit, *docuisti*: tertio modum, quo instruit, *si enim inimicos*: quarto finem, propter quem instruit, *cum ergo nobis, tu autem*, &c. bene dixi, quod ostendis incorrigibilibus virtutem tuam, & potentiam, *autem*, pro sed, *tu dominator virtutis*, &c. hoc potest intelligi intransitive, ut sit sensus, *tu dominator virtutis*, id est, Dominus virtutum omnium, scilicet tam Angelicarum, quam humanarum: Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ, *cum tranquillitate judicas*, id est, sine intellectus, vel affectus perturbatione. Apud quem non est transmutatio. Item: In veritate educet judicium, non erit tristis, neque turbulentus, *& cum multa reverentia*, in effectu, id est, cum

Isa. 28 Misericordiæ opus proprium Deo, justitiæ vero ab eo alienum quomodo dicatur. *Tit. 3* *Rom. 3* *Sap. 11* *Job. 22* *Sap. 4* *Psal. 23* *Jac. 1* *Isa. 42*

A multa moderatione, *disponis nos*, non sicut ille judex, qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur. *Subest enim tibi, cum volueris, posse*, ecce causa tranquillitatis in judicando, & reverentiæ in disponendo. Sed obiicitur, quod secundum rationem intelligendi potentia antecedit voluntatem, non voluntas potentiam. Deberet ergo dicere: subest tibi velle cum potueris non nosse, cum volueris. Dicendum, quod potentia præcedit in essendo, sed voluntas in agendo. Unde potest multa, quæ non facit, quia non vult, *Docuisti enim populum tuum*, alia enim non docentur, unde: Non erudietur, qui non est sapiens in bono: *per talia opera*, B scilicet justitiæ, & misericordiæ simul, *quoniam oportet esse justum*, quia tu justus, *& humanum*, id est, mansuetum, quia homo est animal mansuetum natura. Et hoc, quia tu misericos, non solum justus, unde: Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine. Item: Misericors, & miserator & justus Dominus. Et si Dominus, ergo & servus, unde: Nonne oportuit, & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum: Noli esse justus multum, scil. in tantum, ut misericordiam excludas a tua justitia. Samaritanus enim sauciato infudit, non tantum vinum, sed & oleum simul. *Et bona spei fecisti filios tuos*, id est, de venia consequenda fideles tuos, qui filii tui sunt, unde: C Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus, hæc est bona spes, de qua in Psalmo: Sperate in eo omnis congregatio populi. Item: In Deo speravit cor meum, & adjutus sum. Et: Sperate in eam, quæ vobis offertur, gratiam, *quoniam judicans*, id est, puniens peccatores, das locum pœnitentiæ in peccatis, scilicet expectando eos ad pœnitentiam: Propterea expectat Dominus, ut misereatur vestri. Locus pœnitentiæ est mundus iste: post egressum enim de hoc mundo, non restat pœnitentiæ locus, propter quod Ecclesiastes: Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit. Chrisostomus: Tunc non erit pœnitentiæ locus,

Luc. 18 Voluntas, & potentia quo modo inter se se habeant. *Eccl. 21* *Psalm. 100* *Psalm. 111* *Matth. 18* *Eccl. 7* *Luc. 10* *Joan. 1* *Psal. 61* *Psalm. 27* *1 Pet. 1* *Isa. 30* *Eccl. 11*

nec satisfaciendi tempus, nec resisten- A di virtus. Ideo Ecclesiastes: (Eccl. 9) Quodcumque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia apud inferos, quo tu properas, *si enim inimicos servorum tuorum*, quoad peccatum in proximum, quibus, inquam servis dicitur: (Luc. 9) Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: *Et debitos morti*, quantum ad peccatum in Deum, qui vita est animarum secundum August. (Aug. 9. 32 ad Orosium tom. 4) *debitos*, inquam, *morti*, secundum illud ad Romanos: (Rom. 1) Non solum, qui talia agunt digni sunt morte, &c. *Cum tanta cruciasti attentione*, sed non simul, sed per partes, & successive puniendo, ut patet in plagis Ægypti. *Et liberasti*, scil. illos ab illius cruciatibus temporalibus: quia orante Moyse, a singulis cruciatibus liberantur. Simile etiam contigit in Chananæos. *Dans tempus, & locum, per quæ possent mutari a malitia, tempus*, scilicet vitæ spatium, *& locum*, scilicet hujus mundi exilium. De tempore: (Apoc. 2) Dedi illi tempus, ut pœnitentiam ageret. De loco. (Job. 24) Dedit ei locum pœnitentiæ. Et ille abutitur eo in superbiam, *cum quanta diligentia judicasti filios tuos*, &c. quasi dicat, cum multa diligentia, & attentione. Secundum quæ petebat Psalmista dicens: (Psalm. 34) Exurge, & intende judicio meo Deus meus, & Dominus meus in causam meam. In figura hujus legitur in Genesi, quod (Gen. 3) Deus judicaturus peccatum Adæ, deambulabat, &c. *filios tuos*, scilicet sanctos: (Sap. 5) Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est: Vel, *filios tuos*, id est fideles tuos, secundum illud: (Joan. 1) Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus. *Quorum*, scilicet filiorum, *parentibus*, id est, Patriarchis, ut Abraham, Isaac, Jacob. *Juramenta, & conventiones dedisti*, id est, juratas conventiones, (Quid conventio, & quid juramentum.) Nota, quod conventio est simplex promissio. Juramentum vero promissio, cum attestatione rei sacræ, ut per duas res immobiles, quibus (Heb. 6) impossibile est mentiri: Deum fortissimum solatium habeamus, &c. *bonarum promissionum*, scilicet de terra promissionis, & de benedictione seminis. *Cum ergo*, &c. quasi dicat, ita beneficus es, & misericors adversariis. *Cum ergo nobis disciplinam das*, id est, pœnam emendatoriam, quæ non est abiicienda, secundum illud Proverbiorum: (Prov. 3) Disciplinam Domini fili mi ne abiicias, quia erudit, unde: (Psalm. 17) Disciplina tua correxit me in finem, &c. *Inimicos nostros*, qui scilicet nos oderunt, quamvis diligantur a nobis, secundum quod monet Dominus: (Matth. 5) Diligite inimicos vestros, *multipliciter flagellas peccatores*, Glossa, magna distantia est inter judicium electorum, & reproborum: illos enim Deus corripit, ut emendet: ii superbiæ, & perfidiæ pœnas B luunt, *ut bonitatem tuam*, scilicet in præsenti, *cogitemus judicantes*, scilicet alios, quos videmus a te flagellatos. Glossa, felix judex, qui bonitatem, & pietatem sui judicii semper inspicit scilicet ut inspecta pietate Dei judicantis discat pietatem habere, cum judicat alios. Quam (Psal. 72) bonus Israel Deus iis, qui recto sunt corde: Bonus Dominus, & confor- (Nah. 1) tans in die tribulationis, & sciens sperantes in se, *& cum de vobis judicatur*, scilicet per immissionem tribulationum præsentium, *speremus misericordiam meam*, scilicet in futuro, scilicet vitæ æternæ mercedem. Omne gaudium existimate fratres; (Jac. 1) cum in varias tentationes incideritis, &c. C Gloriamini in tribulationibus, (Rom. 5) scientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero spem: &c.

Unde, & illis. Hic tangitur condemnatio adversariorum incorrigibilium, propter contemptum utriusque, scilicet divinæ justitiæ, & misericordiæ. Et primo tangitur flagellum, quo debuerunt corrigi: secundo convenientia flagelli, *etenim*, &c. tertio, incorrigibilitas flagellatorum, *qui autem*, &c. quarto, manifestatio incorrigibilitatis. *In iis enim*, quinto, ratio, propter quam corrigi debuerunt, *per hæc quæ putabant*: sexto, contaminatio condemnationis, quia correcti non sunt, ibi *Propter quod*, &c. *Unde*, &c. quasi dicat: Ita tu das disciplinam. Unde scilicet per op-

oppositum: *Et*, id est, etiam, *illis*, qui in vita sua insensate, & injuste vixerunt, quoad errorem in fide, vel, *in vita sua*, id est, quasi sibi, non Deo vixerunt, & *injuste*, quoad errorem in moribus: *per hæc, quæ coluerunt*, scilicet per animalia bruta, *dedisti summa*, id est, valde magna, *tormenta*, ut per ranas, & muscas, & locustas, & vespas, & hujusmodi, per hæc, &c. scilicet in genere & sine numero, vel specie, *etenim ipsi erraverunt*, non modico tempore, sed, *diutius*, quorum peccatum aggravatur: quia sicut dicit Gregorius: Tanto peccata sunt deteriora, quanto diutius infelicem animam retinent obligatam: *In via erroris*, id est, infidelitatis, quæ antonomastice dicitur
Prov. 16 error. De hac via dicitur: Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem. *Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua*, id est animalia artificialiter sculpta, non naturalia. Artificialia autem animalia dicuntur supervacua, quia inutilia: naturalia autem omnia habent aliquam utilitatem,
Damasc. l. 2 de fid. Orth c. 10 ut dicit Damascenus. *Deos æstimantes*, &c. Mutaverunt gloriam incorrupti
Rom. 1 bilis Dei, in similitudinem imaginis
Psal. 199 corruptibilis hominis. Item: Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Nota, quod non dicit in vitulum, sed similitudinem vituli, quod minus est, & pejus, videlicet, *insensatorum infantium more viventes*, quoad peccata in
1 Cor. 14 moribus: Nolite pueri effici sensibus.
1 Pet. 2 Item: quasi modo geniti infantes, rationabiles, non insensati. In hoc vero, more infantium insensatorum vivebant, quia imagines ut pueri fa-
Gen. 21 ciebant, & adorabant, sicut Ismael cum Isaac, legitur lusisse, eum adorare luteas imagines cogendo, ut dicunt Hebræi, *propter hoc tamquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti*, id est, pœnam, in qua deridebantur, quia per ranas, & muscas, & hujusmodi modica animalia, & contemptibilia affligebantur: non per majora, & nobiliora, ut per leones, & ursos, ut patet: *Qui autem in ludibriis, & increpationibus*, id est, increpationibus ludibrio plenis, *non*

A *sunt correcti*, scilicet ab infidelitate, & perversitate; *dignum judicium Dei experti sunt*, scilicet condemnationis, & mortis. Ex hoc videtur innuere, quod aliqui inter flagella correcti sunt. Unde & aliqui Ægyptiorum cum Israelitis iverunt, ut colligitur in Exo-
do: Et Gabaonitæ confœderatæ sunt Exod. 12
cum eis: ut patet Josue. *In iis enim*, Josue. 9
&c. quasi dicat, & merito: In iis enim, quæ patiebantur, scilicet in flagellis divinis, *moleste ferebant*, impatienter portando. *In quibus patientes*, id est sustinentes, ita quod patientes dicantur a passione, non a patientia, *indignabantur*, scilicet mur-
murando contra Deum. Præcordia Eccl. 33
fatui, quasi rota carri: *per hæc, quæ*
B *putabant deos*, scilicet bruta animalia. *In ipsis*, id est, per ipsa, *cum exterminarentur*, id est punirentur:
Exterminati sunt, & ad inferos de- Baruc. 3
scenderunt. *Videntes illum*, id est, Deum, quasi sensibili experimento perpendentes: in se enim videri non
potest: Deum nemo vidit unquam: Joan. 1
quem olim, scilicet in prosperitate, *negabant*, se nosse, secundum illud
Exodi: Nescio Dominum, & Israel Exod. 5
non dimittam: *Verum Deum*, esse supple. *Agnoverunt*, credulitate non voluntaria: sed per pœnas extorta; ta-
lis est fides dæmonum. Dæmones Jac. 2
credunt, &c. Isaias: Domine in an- Isa. 26
gustia requisierunt te. Oculos enim, Greg lib. 23 Moral. c. 7
quos culpa claudit, pœna aperit, ut
C dicit Gregorius: Littera sic construenda: Videntes scilicet Ægyptii, & Chananæi, *illum, quem olim negabant se nosse, agnoverunt verum Deum*: Esse supple. *Agnoverunt*, inquam, *per hæc, quæ putabant deos*, id est, per bruta animalia: & hoc fuit, *cum exterminarentur in ipsis*; *propter quod*, scilicet, *quia agnoverunt Deum*, non tamen ipsum glorificaverunt, secun-
dum illud: Qui cum Deum cogno- Rom. 1
vissent, non sicut Deum glorificaverunt, &c. *finis condemnationis illorum*, id est, finalis eorum condemnatio,
de qua Matthæus: Discedite a me Matth. 25
maledicti in ignem æternum. Condemnationis initium est in separatione animæ a corpore: medium in cruciatu animæ separatæ: finis vero in resurrectione, quando cruciabitur

in inferno cum resumpto corpore, A *finis*, inquam, *condemnationis illorum*, qui in præsenti corrigi noluerunt. Greg. lib. 15 Moral. c. 23 *Veniet*, &c. Gregorius: Quos in præsenti flagella non corrigunt, ad futura transmittunt, *super illos*, quia de cœlo ad eorum oppressionem: ita quod resistere non possint, tamquam obruti, vel oppressi. In Psalmo: Pluet super peccatores laqueos ignis, Psal. 10 & sulphur, &c.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

VANI autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est: neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, & lunam lectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum, etsi specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut se virtutem, & opera eorum mirati sunt: intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis: a magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri: sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes invenire. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt: & persuasum habent, quoniam bona sunt, quæ videntur. Iterum autem nec his debet ignosci. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt? Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit, & hujus docte eradat omnem corticem, & arte sua usus diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ, reliquiis autem ejus operis ad præparationem escæ abutatur: & reliquum horum, quod ad nullos est usus, faciat lignum curvum, & verticibus plenum sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis, aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens, & faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne forte cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, & opus est illi adjutorium. Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens, inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium, inutilem invocat: & pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest, & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

EXPOSITIO IN CAP. XIII.

VAni autem &c.) Supra determinavit de punitione adversariorum per pœnas leviores ordinatas ad correctionem, hic autem de punitione eorumdem per pœnas graviores ordinatas ad condemnationem. Ordo dicendorum. Et primo determinat de merito culpæ eorum, scilicet usque ad 16. cap. Secundo de supplicio pœnæ eorum, scilicet a 16. cap. & deinceps. Meritum culpæ respectu condemnatoriæ pœnæ eorum fuit idololatria, qua honorem divinum ad creaturam transtulerunt, sive creaturæ exhibuerunt. Et ideo primo tangitur multiplex error idololatrantium, scilicet isto cap. Secundo detestatio idolorum, scilicet 14. capite Tertio condemnatio veri Dei, scilicet 15. cap. Error idololatrantium tangitur duplex, primus colentium Dei creaturas: Secundus colentium proprias facturas, *infelices autem*. In prima, primo tangitur in eis causa tanti erroris, scilicet ignorantia Dei, secundo prædictæ causæ effectus, scilicet crea-

creaturæ cultura. *Sed aut ignem*; ter- A
tio utriusque inexcusabilitas, *quorum*
si specie; quarto in comparatione ad
alios idololatrantes: *sed tamen*. In pri-
ma tangitur duplex ignorantia, sci-
licet, quia nec fide agnoscebant Deum,
nec ratione cognoscebant ipsum, &
de iis quæ videntur. Dicit ergo, *va-*
ni, &c. Ita dictum est, quod aliqui
cognoverunt Deum inter flagella:
sed eum non sunt venerati, *autem*,
Eccl. 1 pro sed, *vani sunt homines*, &c. Va-
nitas vanitatum, &c. Ambulaverunt
enim post vanitatem creaturæ, & va-
Hier. 2 ni facti sunt, ut habetur in Hiere-
mia. *Vani*, inquam vanitate cogita-
Rom. 1 tionis, unde: Evanuerunt in cogita-
tionibus suis, &c. Item in Psalmo:
Ps. 93 Dominus scit cogitationes hominum, B
quoniam vanæ sunt. Item vanitate
Ps. 11 locutionis, unde in Psalmo: Vana
locuti sunt unusquisque ad proximum
suum, &c. Item vanitate operatio-
Hier. 51 nis, unde Hieremias: Vana sunt
opera, & risu digna: *In quibus non*
subest scientia Dei, id est, cogitatio
de Deo per fidem Augustinus: Neque
quidquid sciri potest ab homine in
rebus humanis, ubi plurimum su-
pervacuæ vanitatis, & noxiæ curiosi-
tatis est, huic scientiæ tribuo, sci-
licet scientiæ divinæ: sed illud tan-
tum, quo fides saluberrima gigni-
tur, nutritur, defenditur, robora-
tur: qua scientia non pollent, &c.
Et de piis, quæ videntur bona, scili-
cet aperte, *non poterunt*, scilicet im- C
potentia sequente voluntatem, non
antecedente. Unde Glossa, non po-
terunt intelligere, &c. obstante cæ-
citate peccati, secundum illud: Ex-
Sap. 2 cæcavit eos malitia eorum. In Psal-
Psal. 52 mo: Noluit intelligere, ut bene age-
ret, *intelligere*, id est intellectu co-
noscere. Non enim sensu cognosci
Joan. 1 potest Deus. Joannes: Deum nemo
vidit umquam, *eum, qui est*, id est,
Deum, cui esse substantiale, non
accidentale, unde Hilarius Esse non
est accidens Deo: sed subsistens ve-
ritas. Item: Cui esse semper præ-
sens, numquam præteritum, aut fu-
Aug. expos. in epist. Joan. tra. 2. t. 9 turum. Deus enim secundum Au-
gustinum: semper est, non fuit, aut
erit, quia non novit, scilicet per ex-
perientiam præteritum, aut futurum.

Item, cujus esse purum est, quia
quidquid in eo est, ipse est. Augu-
stinus: Quidquid in Deo est, Deus
est. Item cujus esse ab alio non est,
immutabile est. Unde Hieronymus Hier. ep. 57 ad Dam. c. 2
ad Damasum: Deus, qui solus exor-
dium non habet, veræ essentiæ no-
men tenuit: quia in ejus compara-
tione, qui vere est, quia incommu-
tabilis: quasi non sunt, quæ muta-
bilia sunt, ut sunt omnes creaturæ,
secundum illud Psalmi: Sicut oper- Ps. 101
torium mutabis eos, & mutabuntur,
tu autem idem ipse es, &c. Item.
Ego sum Deus, vel Dominus, & Malac. 3
non mutor. Propter rationes prædi-
ctas Moysi quærenti nomen ejus, ait:
Ego sum qui sum: *Neque operibus at-* Exod. 3
tendentes, quæ, scilicet ipse fecit,
agnoverunt, quis esset, *artifex*, sci-
licet horum, & tamen faciliter po-
terant cognoscere. Invisibilia enim Rom. 1
Dei per ea, quæ facta sunt, a crea-
tura mundi intellecta conspiciuntur.
Sed aut ignem, scilicet Vulcanum, ut
Chaldæi ignem adorantes, *aut spiri-*
tum, id est, æthera, scilicet partem
aeris superiorem, quem quidem in-
telligebant per Jovem fulminantem,
aut citatum aerem, id est, partem
inferiorem, quam vocabant Junonem,
aut gyrum stellarum, id est, cœlum
stellarum, ut illi, qui adorabant mi-
litiam cœli, de quibus dicitur: Ut Deut. 17
vadant, & serviant diis alienis, &
adorent eos, solem & lunam, & o-
mnem militiam cœli, *aut nimiam a-*
quam, quam scilicet vocabant Neptu-
num, *aut solem*, quem vocabant
Phœbum: vel Apollinem quem ado-
rabant Babylonii, *aut lunam*, quam
vacabant Dianam, vel cœli reginam,
de qua in Hieron. *Rectores orbis ter-* Hier. 44
rarum Deos putaverunt, propter ali-
quos effectus eorum mundo necessa-
rios. Secundum sensum spiritualem,
ignem, colunt luxuriosi, *spiritum*,
superbi, *citatum aerem*, iracundi &
impetuosi, *gyrum stellarum*, in scien-
tia curiosi. *Nimiam aquam*, volup-
tuosi, *solem*, hæc inferiora gignen-
tem cupidi, *lunam*, pigri, & ace-
diosi.

Quorum si specie. Hic ostenditur
inexcusabilitas eorum, quia scilicet
potuerunt Creatorem cognoscere,

vel

vel per creaturarum pulchritudinem, vel per earum virtutem: quod ostenditur ibi: *Aut si virtutem*, &c. vel per utrumque simul, quod ostenditur, ibi: *A magnitudine*, &c. Dicit ergo, *quorum si specie delectati*, id est, pulchritudine. Species decepit te, &c. *Deos putaverunt*, supple ipsos esse, *putaverunt*, inquam, falsa, & erronea opinione, cum non sit, nisi unus Deus. Deus tuus unus est: *sciant quanto dominator eorum*, scilicet Creator eorum, gubernator, conservator, & possessor, secundum illud Judith: Deus cœlorum, Creator aquarum, rex universæ creaturæ tuæ, *is speciosior est*, scilicet, qui tam speciosa fecit: speciosior, inquam, infinita scilicet distantia, quia Deus speciosus per essentiam: sed creaturæ per participationem. Speciosior est sole, *speciei enim generator*, speciei. scilicet creaturæ per ejus productionem secundum illud Boetii.

Dan. 13 *Deut. 6* *Judith. 9* *Sap. 7*

Boet. de conso. phil. l. 3 Metro. 9

-----pulchrum pulcherrimus ipse,
Mundum mente gerens similique ab imagine formans.

Vel, *speciei*, increatæ, id est, filii per æternam generationem, *hæc omnia constituit*, scilicet superiora, media, & inferiora: *Aut si virtutem*, id est, potentiæ magnitudinem: *Et opera eorum*, id est effectus a potentia procedentes: *Mirati sunt*, scilicet ita, ut ipsos esse Deos crederent: *intelligant ab ipsis*, id est, ab ipsorum consideratione, secundum illud Job: Interroga jumenta, & docebunt te. *Quoniam; qui hæc fecit*, scilicet Deus: *Fortior est illis*, id est, potentior. Unde: Ipse est omnipotens supra omnia opera sua, & magnus vehementer. Item: Si fortitudo quæritur, robustissimus est: *A magnitudine enim speciei*, id est pulchritudinis: *Et creaturæ*, id est virtutis creaturarum: *Cognoscibiliter*, non sensibiliter, id est, oculo intellectuali, non sensibili: *Poterat creator eorum videri*, Augustinus. Omnia clamant: Deus me fecit: totus enim mundus est, quasi liber quidam, in quo creator potest cognosci per ejus potentiam, sapientiam, bonitatem relucentes in creaturis. Unde: Hæc omnia liber vitæ. Isidorus: Creator per creaturam suam laudatur, & quanto sit excellentior, ex operis sui conditione monstratur. *Sed tamen*, &c. Hic ostendit culpam colentium creaturas in comparatione ad alios Idololatras: Et primo ostendit respectu illorum aliquo modo excusabiles: Secundo ostendit quod tamen sunt simpliciter inexcusabiles. *Iterum autem*. *Sed tamen*, &c. quasi dicat: sic errant illi, *Sed tamen adhuc in iis*, scilicet errantibus: *Minor est querela*, id est, ratio querelæ, quam in adorantibus sculptibilia, quia sicut dicitur Baruch: Non lucebunt, ut sol: neque illuminabunt, ut luna, scilicet ipsa sculptilia. *Et hi enim*, scilicet, qui colunt creaturas: *Forsitan errant*, forsitan, est hic nota libertatis arbitrii, non nota dubitationis. *Deum quærentes*, scilicet quadam curiositate, secundum illud Actuum: Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare super universam superficiem terræ, &c. quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant. *Et volentes invenire*, scilicet intentione affectus: Surgam, & circuibo civitatem, id est, creaturarum universitatem. Secundum enim Boetium de consolatione: Mentibus hominum insita est veri, bonique cupiditas. Sed obiicitur, quia Lucæ dicitur: Omnis, qui quærit, invenit; ergo justi inveniunt verum Deum. Dicendum, quod illud intelligitur de quærentibus pie, non curiose. *Etenim cum in operibus illius conversentur*, scilicet de illis disputando, quantum ad intellectum secundum illud: Mundum tradidit disputationi eorum, & utendo, scilicet quantum ad affectum, & effectum, quia: Solem suum facit oriri super bonos, & malos. Inquirunt, scilicet ratiocinando: *Et persuasum habent*, scilicet sentiendo. *Quoniam bona sunt, quæ videntur*, Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. In hoc sunt isti meliores, sive minus mali ipsis Manichæis, qui hæc visibilia dicunt esse mala: *Iterum autem, nec iis debet ignosci*, simplex enim ignorantia meretur veniam. Unde: Misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. Sed ignorantia crassa, & supina non.

Job 12 *Eccl. 43* *Job 9* *Eccl. 24* *Isid. l. 1 sent. c. 4*

Baruch. *Forsitan nota libertatis.* *Act. 17* *Cant. 3* *Boet. de conso. phi. l. 3 Met. 10* *Luc. 11* *Eccl. 3* *Matth. 5* *Gen. 1* *1 Tim. 1* *Ignorantia duplex.*

1 Cor. 14 non. Unde: Si quis ignorat, ignorabitur. *Si enim tantum potuerant scire; ut possent æstimare sæculum*, id est naturas rerum sæcularium cognoscere. *Quomodo hujus Dominum*, scilicet sæculi: *Facilius non invenerunt*, quasi dicat: Facilius potuissent Deum
Sap. 9 cognoscere. Sed contra: Difficile æstimamus, quæ in terra sunt: quæ in cœlis sunt, quis investigabit? Dicendum, quod non vult dicere, quod facilius potuerunt cognoscere Deum esse factorem horum simpliciter: Sed ipsum potius esse Deum, quam ea, quæ colebant.

Infelices autem, &c. Hic ponitur error colentium facturas proprias. Primo facturas proprias in materia metallina: Secundo in materia lignea: *Aut si quis*. Dicit ergo: *Infelices autem sunt*, sc. per privationem felicitatis viæ, de qua
Sap. 3 supra: Sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix est. *Et inter mortuos* scilicet æterna morte: *Spes illorum*
Spes non nisi de bono proprie dicitur. *est*, id est, expectatio, spes autem hic sumitur improprie, quia spes proprie dicta non est nisi de bono: *Inter mortuos*, inquam: *Spes illorum est*, per privationem felicitatis æternæ se-
Psalm. 87 cundum illud Psalmi: Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt, de manu, scilicet misericordiæ salvantis, non de manu justitiæ punientis. Vel primum ad pœnam damni in futuro: Secundum ad pœnam sensus: *Illorum* inquam, *qui appellaverunt deos*; &c. Et bene dicit: *appellaverunt*, sunt enim dii appellatione tantum, non natura: *Opera manuum hominum*, se-
Psal. 113 cundum illud Psalmi: Simulacra gentium, argentum, & aurum, ope-
Isa. 2 ra manuum hominum: Et opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum, aurum, & argentum, id est, facta de auro, & argento, quantum ad materiam, se-
Osee. 2 cundum illud Oseæ: Argentum, & aurum multiplicavi eis, quæ fece-
Isa. 2 runt Baal. Item: Repleta est terra auro, & argento, & non est finis thesaurorum ejus, & repleta est terra ejus idolis: *Artis inventionem*, id est, figuram aliquam arte inventam, & hoc quantum ad formam: *Et si-militudines animalium*, non ipsa animalia, sed ipsorum imaginem, vel similitudinem. Contra quod dicitur: Non facietis similitudinem omnium Deut. 4
animalium, quæ in terra sunt: *Aut lapidem inutilem*, scilicet utilitatem, quam idololatræ ei inesse credunt, quamvis sit utilis, quantum ad usum naturalem. Micheas: Superfluum in
operibus Dei, cujusmodi sunt crea- Mich. 2
turæ: Dei perfecta sunt opera, non Deut. 32
superflua, nec diminuta: *Opus manus antiquæ*, id est, manus antiqui artificis, quia in antiquis est sapientia, ut dicit Job. Contra hæc omnia Job 12
dicitur in Actibus: Genus ergo cum Act. 17
simus Dei non debemus æstimare auro, vel argento, ut lapidi, sculpturæ artis, aut cogitationis hominum, divinum esse simile. *Aut si quis*, hic ponitur error colentium facturas proprias in materia lignea. Et primo tangitur eorum error in fabricando, vel carpentando. Secundo in venerando: *Et de substantia*. In prima primo tangit materiam: Secundo formam: *Et per scientiam*. Tertio situm: *Et faciet ei*, &c. Quarto impotentiam: *Imago*; &c. *Aut si quis artifex faber*, faber hic large sumitur, scilicet pro artificio in quacumque materia, sive lignea, sive alia, non tantum ferrea: *De silva lignum rectum*
secuerit: Succidit cedros, tulit ilicem, &c. Isa. 44
Hujus scilicet ligni, *docte eradat omnem corticem*, scilicet exteriorem: *Et arte sua usus*, *fabricet diligenter vas utile*. Glossa Valde utile, *in conversationem vitæ humanæ* scilicet: In magna enim domo sunt va- 2 Tim. 2
sa lignea, & fictilia, &c. *Reliquis autem hujus operis*, id est, ligni prædicti. *Ad præparationem escæ abutatur* id est, utatur, secundum illud Isaiæ: Isa. 44
Sumpsit ex eis, & calefactus est, succendit, & coxit panes: *Et reliquum horum*, horum scilicet, quæ in usus humanos posita sunt: *Quod ad nullum usum*, scilicet humanum: *Facit*, ipsum dico: *Lignum curvum*, scilicet in seipso: *Vorticibus*, id est, nobis; *Plenum*, scilicet exterius; *Sculpat*, diligenter, scilicet removendo nodositates: *Per vacuitatem suam*, quia quantumcumque ibi laboret, totus labor ejus otiositas reputatur, eo

quod

quod ille innutiliter laboret: *Et per scientiam suæ artis figuret illud*, scilicet exteriori lineatione, & hoc quo ad formam: *Et assimilet illud imagini hominis*, scilicet membrorum repræsentatione: & nota, quod non dicit assimilet homini, sed imagini hominis, quia in exterioribus, & non interioribus potest esse ista figuratio. *Aut alicui ex animalibus illud comparet*, id est, assimilet: Rom. 1 In similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, &c. Ps. 105 Item in Psalmo: Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli, comedentis fœnum: *Perliniens*: id est, exterius: *rubrica*, id est, regula, vel filo tracto colore rubeo quo fit distinctio. Dicitur enim rubrica, terra rubra, & color, qui inde fit, & regula, vel filum, quo fit, & ipsa tinctura, & debet semper media produci: *Et rubicundum faciens fuco colore illius*, fucus dicitur color innaturalis, & quasi adulterinus. Item notandum quod fucus dicitur animal api simile, quod non mellificat, sed Fucus multiplex. mel devorat. Item quædam herba, quæ tingit. Item quilibet color adulterinus. Item mendacium, sive fraus, & dolus secundum Papiam: *Et omnem maculam, quæ in illo est*, scilicet ligno: *Est perliniens terra, & faciat ei* Baruc. ult. *dignam cohabitationem*. Unde Baruch: Constitutis illis in domo, pleni sunt oculi eorum pulvere a pedibus introeuntium: *Et in pariete ponens illud*, scilicet, ut magis appareat. *Et confirmans ferro*, id est, clavis ferreis: Isa. 41 *Ne forte cadat*. Confortavit eum clavis, ne moveretur: *Prospiciens illi*, id est, prævidens, & precavens. *Sciens, quoniam non potest adjuvare se*, scilicet per seipsum. Unde in Psalmo: Ps. 113 Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, &c. Nec mirum: *Imago enim est*, id est similitudo rei, non res: *& opus est illi adjutorium*, scilicet hu- Baruc. ult. manum. Si ceciderint in terram, a semetipsis non consurgent, ut patuit de Dagon. Item: Portata tol- 1 Reg. 5 lentur, quia incedere non valent. *Et de substantia sua*, id est, de possessione exteriori: *Et de filiis suis*, id Hier. 10 est, de salute filiorum suorum: *Et de nuptiis*, scilicet contrahendis: *Votum faciens*, scilicet ei: *Inquirit*, scilicet ab eo & petit necessaria sibi, & filiis: cum tamen non sit vovendum, nisi Deo, secundum illud Psalmi: Ps. 75 Vovete, & reddite Domino Deo vestro, &c. Isa. 19 Item. Vota vovebunt Domino, & solvent: *Non erubescit loqui*, scilicet ipse animam habens: *Cum illo*, scilicet Deo falso: *qui sine anima est*. Baruc. ult. Cum audierint mutum non posse loqui, offerent ad Bel. Et: Ps. 113 Os habent, & non loquentur.

B

Et pro sanitate: id est, sua vel suorum; *Infirmum*: id est, omnipotentem: *Quidem*, id est, certe; *deprecatur*: *& pro vita rogat mortuum*; id est, vita omnino carentem; ita quod intelligitur mortuus negative, non privative. Quia si privative, tunc intelligeretur alienam vitam habuisse: sed postea privatus fuisse, quod falsum esset: *Et in adiutorium inutilem vocat*, id est, non potentem juvare se, vel alium. Baruc. ult. Unde Baruch: Habet in manu gladium, & se a latronibus non liberat, *& pro itinere*, id est, itineris directione: *Petit ab eo, qui ambulare non potest*, secundum illud Psalmi; Ps. 113 Pedes habent, & non ambulabunt, &c. Baruc. ult. Et Baruch: Sine pedibus in humeris portantur:

C

& de acquirendo, scilicet per negotiationes, *& de operando*, scilicet per mechanicas artes, *& de omnium rerum eventu*: generaliter petit ab eo, qui in omnibus est inutilis. Isa. 44 Formavit Deum, & sculptile conflavit, ad nihil utile. Sed videtur idem posse Christianis obiici imagines adorantibus. Sed dicendum, quod non est simile, quia idololatræ adorabant imagines, ut res, putantes in eis aliquod vivum esse. Christiani vero adorant, ut signa solum, & in quantum ducunt in illa, quorum sunt signa.

CA-

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

ITERUM *alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante ſe, fragilius lignum invocat. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, & artifex ſapientia fabricavit ſua. Tua autem pater, providentia ab initio cuncta gubernat, quoniam dediſti, & in mari viam, & inter fluctus ſemitam firmiſſimam, oſtendens quoniam potens es ex omnibus ſanare, etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare. Sed ut non eſſent vacua ſapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam, & exiguo ligno credunt homines animas ſuas: & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Sed & ab initio cum perirent ſuperbi gigantes, ſpes orbis terrarum ad ratem confugiens, remiſit ſæculo ſemen nativitatis, quæ manu tua erant gubernata. Benedictum eſt enim lignum, per quod fit juſtitia. Per manus autem, quod fit idolum, maledictum eſt & ipſum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus eſt: illud autem eſſet fragile, Deus cognominatus eſt. Similiter autem odio ſunt Deo, impius & impietas ejus. Etenim quod factum eſt, cum illo, qui fecit, tormenta patietur. Propter hoc & in idolis nationum non erit reſpectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium. Initium enim fornicationis eſt exquiſitio idolorum: & adinventio illorum, corruptio vitæ eſt, neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Supervacuitas enim hominum hæc adinvenit in orbem terrarum, & ideo brevis illorum finis eſt juventus. Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra, & ſacrificia. Deinde interveniente tempore: convaleſcente iniqua conſuetudine, hic error tamquam lex cuſtoditus eſt, & tyrannorum imperio colebant figmenta. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc, quod longe eſſent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tamquam præſentem colerent ſua ſollicitudine. Provexit autem ad horum culturam, & hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens plus placere illi, qui ſe aſſumpſit, elaboravit arte ſua, ut ſimilitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum abducta per ſpeciem operis, eum, qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc Deum æſtimaverunt. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deſervientes homines, incommunabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt. Et non ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiam, ſed & in magno viventes inſcientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant, Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facientes, aut inſaniæ plenas vigilias habentes: neque vitam, neque nuptias mundas jam cuſtodiunt: ſed & alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contriſtat: & omnia commixta ſunt, ſanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, perjurium, tumultus honorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconſtantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali cauſa eſt, & initium, & finis. Aut enim dum lætantur, inſaniunt: aut certe vaticinantur falſa, aut vivunt injuſte, aut peierant cito. Dum enim confidunt in idolis, quæ ſine anima ſunt, male jurantes, noceri ſe non ſperant. Utraque ergo illis evenient digne: quoniam male ſenſerunt de Deo, attendentes idolis, & juraverunt injuſte in dolo, contemnentes juſtitiam. Non enim jurantium eſt virtus, ſed peccantium pœna præambulat ſemper injuſtorum prævaricationem.*

EX-

EXPOSITIO IN CAP. XIV.

ITerum alius navigare, &c.) Postquam multiplices idololatrantium errores descripsit, hic tangit idolorum detestationem. Et primo ex inutilitate ipsorum idolorum: secundo ex offensa creatoris: *Similiter autem odio sunt*, tertio ex novitate, & modo adinventionis: *Neque enim erant*, &c. quarto ex effectu humanæ corruptionis: *Et non suffecerat errasse*. Inutilitatem autem idolorum ostendit in parte prima exemplo navigantium in mari: a quibus invocata subvenire eis non possunt. Hanc autem impotentiam ostendit esse detestandam: primo ex fragilitate idoli non valentis, secundo ex Dei potentia etiam sine nave salvantis: *Tu autem*, &c. tertio ex utilitate ipsius navis. *Sed ut non essent*; quarto exemplo arcæ Noe genus humanum conservantis. *Sed & ab initio*. Dicit ergo, *Iterum alius*, &c. quasi dicat non solum inutiliter petunt homines ab idolis adjutorium in terra: *Sed iterum*, in aqua, quia. *Alius*, scilicet homo: *Navigare cogitans*, scilicet proposito: *Et per feros fluctus*, id est, periculosos, unde in Psalmo: Mirabiles elationes maris. Item: Qui navigant mare, enarrent pericula ejus. *Iter facere incipiens*, scilicet propositi executione: *Ligno poterant se*, *fragilius lignum invocat*. *Invocat*, scilicet in auxilium: *Lignum* scilicet: idolum *fragilius ligno portante se*, id est navi. *Illud enim*, scilicet lignum idoli: *Cupiditas acquirendi excogitavit*. Unde: Dicitur avaritia idolorum servitus: *Et artifex sapientia fabricavit sua*: sua inquit quasi dicat non divina sed terrena, animalis, diabolica. Abierunt in confusionem fabricatores errorum. Et Job: Ostendens vos fabricatores mendacii. Glossa: Cum major sit, qui fecit, quam quod fit, facturam suam adorare insanire est. *Tua autem pater*: quasi dicat ita invocant illi idolum in regimine itineris: *Autem*, pro sed: *Tua pater*, creatione. Et nunc Domine, pater noster es tu, vos vero lutum, &c. Item provisione: Unde, Pater noster, &c. panem

Ordo dicendorum. Ps. 92. Eccl. 43. Ephes. 5. Jac. 3. Isa. 44. Job. 13. Isa. 74. Matt. 6.

A nostrum: &c. *Gubernas*, omnia scilicet: *Providentia*, quæ secundum Damascenum est cura Dei ad res: de qua Judith: Judicia tua in tua providentia posuisti. Ex dictis patet, quod in Deo nihil agitur a casu & fortuna: quia sicut dicit Plato: Nihil est, cujus ortum non præcesserit legitima causa. Mundum vero administrari providentia, probat Tullius sic. Melius administrantur, quæ fuerint a providentia, quam quæ a casu: Sed mundus optime administratur, ergo, &c. *Quoniam* &c. quasi dicat, hoc patet, quod omnia providentia gubernas. *Quoniam dedisti*, scilicet filiis Israel: *In mari viam*, educendo eos de Ægypto per medium B sicci maris. Et: *Inter fluctus*, scilicet fluvii Jordanis, *Semitam firmissimam*, ut patet in Josue. De utroque dicitur in Psalmo: In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis. Glossa, Israelitas per mare rubrum sicco vestigio transduxit divina potentia, & Jordanis aquas divisit: *Ostendens*, scilicet per hoc: *Quoniam potens es ex omnibus*, scilicet periculis, & casibus: *Sanare*, vel melius secundum aliam litteram: *Salvare, etiam si sine rate*, id est, navi: *Quis adeat mare*. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Unde Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur erexit: ut patet in Matthæo. Paulum, tertio naufra-C gantem, de profundo pelagi liberavit: *Sed ut non essent supervacua*, immo necessaria usui humano: *Opera sapientiæ tuæ*, id est, per tuam sapientiam adinventa. Omnia in sapientia fecisti. *Propter hoc etiam exiguo ligno*, scilicet modicæ navi: *credunt homines animas suas*, id est, viam suam corporalem, & *transeuntes mare*, in quo tamen sunt innumera pericula, *Per ratem liberati sunt*, Glossa, Creator dedit creaturæ suæ scientiam, qua sibi in præsenti consuleret, & ejus voluntati deserviret. Allegorice, exiguum lignum potest dici crux Christi propter ejus abjectionem, & vilitatem. Prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem scandalum. Gentibus vero stultitiam: *Huic credunt homines animas*

Dam. C. third. l. 1. c. 9. Judith. 9. Plato in Timæo. Tullius l. 2 de Nat. Eccl. 14. Josu. 3. Psal. 76. Isa. 43. Matt. 14. 2 Cor. 11. Psal. 103. Crux Christi commendatur.

mas

mas suas, scilicet in Christum crucifixum credendo, & creditum adorando. *Et sic transeuntes mare*, hujus mundi, scilicet crucis virtute & imitatione per ratem liberantur, & perveniunt ad portam æternæ salutis. Unde Damascenus *Dam. Orthod. fid. l. 4. c. 12* Crux est dormientium resurrectio, infirmorum baculus, pastorum virga convertentium auxilium, proficientium profectio, animæ salus & corporis, omnium malorum aversio, omnium bonorum doctrix, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ. In his autem verbis, *exiguo*, &c. primo innuitur crucis humilitas cum dicitur, *exiguo ligno*, secundo ejus veneratio, & dignitas cum dicitur; *Credunt homines animas suas*, homines, scilicet rationales, ut beatus Andreas, dicens: Suscipe me ab hominibus: tertio necessitas, cum dicitur: *Et transeuntes mare*, scilicet hujus mundi, de quo in Psalmo: *Psal. 103* Hoc mare magnum, &c. quarto ejus virtus, & utilitas cum dicitur: *Per ratem liberati sunt*. *1 Cor. 1* Prædicamus Christum, &c. item verbum crucis pereuntibus, &c. nobis autem, &c. *Gen. 6* *Sed ab initio*. Hic utilitas arcæ Noe primo ostenditur: secundo ipsa laudatur, ibi: *Benedictum lignum*, &c. tertio idolum, & ejus artifex vituperatur: *Per manus autem*, &c. *Sed & ab initio*, &c. quasi dicat non tantum liberat a periculo maris, sed etiam a diluvio, & hoc est, quod dicit: *Sed & ab initio*, scilicet in principio secundæ ætatis, scilicet tempore Noe. *Cum perirent*, scilicet in diluvio: *Superbi gigantes*, de quibus habetur in Genesi. *Gen. 6* *Spes orbis terrarum*, scilicet futuri, Glossa, seminarium generis humani, scilicet *1 Pet. 3* octo personæ, de quibus dicitur: In qua paucæ animæ salvæ factæ sunt, per quam: *Ad ratem confugiens*, id *Gen. 6* est arcam ad modum ratis factam, quia major fuit longitudo latitudine, *Remisit sæculo*, scilicet futuro post diluvium: *Semen nativitatis*, scilicet *Gen. 6* tam hominum, quam animalium, ut patet in Genesi. *qua*, scilicet arca: *Manu tua*, Glossa potentia, vel filio, secundum illud Psalmi: *Ps. 143* Emitte manum tuam, de alto, &c. *Erat*

A *gubernata*, quia nullum gubernatorem habuit nisi Deum, vel Angelum ejus: cum omnes homines extra existentes, essent mortui: existentes intra, essent clausi: *Benedictum enim est lignum*, scilicet arcæ Noe: *Per quod fit justitia*, scilicet liberationis justorum, malis submersis, quod fuit justum. De hoc ligno supra: Cum aqua *Sap. 10* deleret terram, sanavit iterum sapientia per contemptibile lignum, justum gubernans. Hoc autem lignum allegorice potest dici lignum crucis, de quo dicitur. Peccata vestra *1 Pet. 2* pertulit in corpore suo super lignum. Per illud lignum facta est: *Justitia*, quia unicuique redditum est, quod suum erat. Nam per illud. *Lignum*, destructum est peccatum B secundum illud, quod cantat Ecclesia: Mors mortua tunc est, quando in ligno mortua vita fuit. Et: O mors *Osee. 13* ero mors tua, &c. Item per ipsum est diabol. victus, secundum illud Gregorii, qui per lignum vincebat, *Greg. in Præfatione de Cruce* per lignum quoque vinceretur, Item per ipsum est homo reconciliatus. *Coloss. 2* Delens Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, affigens illud cruci. Item: Pacificans per sanguinem *Coloss. 1* crucis. Item infernus spoliatus. *Coloss. 2* Spolians principatus, & potestates, &c. Item cœlum apertum, unde latroni dictum est: Hodie mecum eris *Luc. 23* in paradiso. Et: Dabo clavem domus *Isa. 22* David. Item Christus exaltatus. C Unde: Propter quod & Deus exaltavit *Phil. 2* illum, &c. Hæc fuit virga Assueri *Esth. 15* in signum clementiæ homini ostensa, vel porrecta. Et bene dixi, benedictum esse lignum secundum quod fit justitia: *Autem*, pro sed, *Idolum quod fit per manus*, scilicet artificum. *Maledictum est*, & *ipsum*, scilicet idolum: *Et qui fecit illud*, scilicet artifex. Sed idolum cum sit *Dubitatio.* res inanimata, quo modo maledicitur? quia ista maledictio, aut intelligitur ratione culpæ quæ in idolum non cadit, aut ratione pœnæ, quæ ratione culpæ infligi habet. Dicendum *Solutio.*, quod in idolo est considerare duo, scilicet spiritum præsidentem, & figuram ligni. Ipse malignus spiritus maledictus est maledictione pœnæ, & culpæ: sed lignum maledictio.

ctione detestationis, & infamiæ, quasi A cujusdam pœnæ, non quia sit subjectum culpæ ratione cujus habet infligi, pœna, sed quia materia, vel occasio culpæ. Unde Glossa: Diabolus enim punietur, quia sibi honorem divinum usurpat: & homo, qui pro Creatore creaturam honorat. *Quia ille quidem operatus est*, scilicet idolum. Unde merito maledictus est: Ecce omnes participes ejus confundentur. *Illud autem*, scilicet idolum; *Cum esset fragile*; quia de fragili materia. *Deus cognominatus est*, scilicet sola nuncupatione, non rei veritate. Propter quod merito maledicitur. *Similiter autem*; &c. Hic tangit causam detestationis idolorum sumptam ex parte offensæ Creatoris. B Et primo tangit signum offensæ, scilicet idoli, & idololatrantis pœnam; secundo pœnæ irremissibilitatem. *Propter hoc*, &c. Tertio causam a parte idoli. *Quoniam creaturæ*. Quarto causam a parte idololatrantis. *Initium enim*, &c. Bene dixi, quod utrumque maledictum, &c. *Autem*, pro quia; *Similiter odio sunt Deo, impius*, scilicet idololatria, qui abnegat pietatem divini cultus, *Et impietas ejus*, id est, materia impietatis ejus, scilicet idolum, id est, dæmon præsidens idolo. Altissimus habet odio peccatores. Et notandum, quod odium Dei non notat, vel sonat affectum in ipso, sed effectum in eo, quem odit. *Etenim quod factum est*, scilicet idolum; *Cum illo, qui fecit* id est, cum artifice idololatra; *Tormenta patietur*, de idololatria planum est. Sed de idolo, quo modo verum esse potest, scilicet quod tormentum patiatur, cum sit res inanimata. Dicendum, quod de idolo loquitur ratione maligni spiritus in eo præsidentis, non ex parte figuræ, vel materiæ ipsius idoli. Sed contra; Idololatria non facit spiritum malignum præsidentem. Dicendum, quod licet non faciat ipsum in se, facit tamen quod in idolo præsideat; sicut Deum dicimus exaltare, & magnificare, non in se, sed in nobis; Magnificate Dominum mecum, &c. Utrumque enim punietur. Omne opus corruptibile in fine deficiet, &

Isa. 44

Deus nuncupative cuisnam sit.

Autem pro quia

Exod. 12

Dei odium quo modo sumatur.

Dubitatio.

Solutio

Ps. 33

Eccl. 14

qui operatur illud, ibit cum illo, Et; Conteretur cum delinquente delictum; *Propter hoc*, scilicet quia; *Deo sunt odio*, & id est, etiam *In idolis nationum*, id est, in dæmonibus præsidentibus in idolis gentilium, de quibus in Psalmo; Omnes dii gentium dæmonia &c. *Non erit respectus* scilicet clementiæ. Quod est contra Origenem, qui dixit ipsum pro dæmonibus in aere in fine passurum, & sic eos fore salvandos. Contra quod dicitur hic, & in Ecclesiastico: Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua. *Quoniam*, &c. Et merito. *Quoniam creaturæ Dei*, id est, a Deo factæ, sicut aurum, & argentum. Unde Oseas: Argentum, & aurum multiplicavi eis, &c. *Factæ sunt in odium*, scilicet irascibilis ut Deum, scilicet odiant homines, sicut dæmones: de quibus in Psalmo: Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. *Et intentionem animabus hominum*. Concupiscibilis, ut scilicet subderent se homines quibuscumque potestatibus libere, secundum voluntatem, vel suggestionem deorum suorum: *Et in muscipulam*, id est, deceptionem rationalis, & dicitur muscipula instrumentum, quo mures capiuntur: *Pedibus*, scilicet interioribus animæ, non exterioribus, scilicet corporis: *Insipientium*, id est, infidelium. Job: Abscondita est in C terra pedica ejus. Item Hieremias: Inventi sunt in populo meo viri impii insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. *Initium enim*, &c. Bene dixi: *quod creaturæ Dei*, &c. *Initium enim fornicationis*, scilicet spiritualis, quæ est, recedendo a Deo, est, &c. Unde Glossa, pessimum genus fornicationis est, quo anima recedit a Deo & fornicatur cum idolis, unde Hieremias: Mœchata est cum ligno, & lapide. Tales perduntur, sive destruuntur a Deo, secundum illud Psalmi: Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. *Initium* inquam, *Fornicationis*, prædictæ: *Est exquisitio idolorum*, Sed contra: Initium omnis peccati superbia. Respondeo: non loquitur hic de fornicatione, quæ est per quem-

Eccl. 21

Ps. 95

Eccl. 39

Osee. 2

Ps. 73

Muscipula

Job. 18

Hier. 5

Fornicationis genus pessimum.

Hier. 3

Ps. 72

Eccl. 10

cum-

eumque recessum a Deo, sicut est in quolibet peccato mortali: sed de illa, qua recedit a Deo, perfecto recessu, scilicet usque ad subversionem fidei, quæ est fundamentum to-
Heb. 11 tius spiritualis ædificii. Fides est sperandarum substantia rerum, &c.
1 Cor. 3 Item: Fundamentum aliud nemo potest ponere, &c. *Et adinventio illorum, corruptio vitæ est*, scilicet quoad
Rom. 1 mores. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis sui, in im-
Ps. 17 munditiam. In Psalmo: Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum. *Non enim erant*, hic tangitur tertia ratio detestationis idolorum, scilicet ex novitate, & merito suæ adinventionis. Finis adinventionis, & culturæ tangit plures causas, primo hominum curiosam otiositatem, secundo parentum ad filios defunctos affectionem. *Acerbo enim*, Tertio, tyrannorum timorem, *Deinde*, &c. Quarto, principum reverentiam, & honorem, *Hos quos*. Quinto, artificum diligentiam, & sollicitudinem, *Provexit autem*, &c. Sexto, ponit causarum principalium recapitulationem. *Et hæc fuit vitæ*, bene dixi: *Exquisitio idolorum, & adinventio*, &c. *Non enim erant a principio*, scilicet idola: quod patet, quia non sunt
Hier. 10 creatores. Unde: Dii, qui cœlum, & terram non fecerunt, pereant de terra. Nec etiam creatura, quia omnis creatura a Deo est. Sed idola
1 Cor. 9 non sunt a Deo, sed sunt hominum fictio, propter quod dicitur: Idolum nihil est in mundo, scilicet quantum ad esse divinum, quod illi creditur esse ab idololatris: *Neque erunt in perpetuum*, immo destruentur, conversis hominibus ad cultum unius
Isa. 16 Dei. Ascendet Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus: *Supervacuitas enim*, id est, otiositas: *hominum hæc adin-*
Eccl. 33 *venit*, &c. Multam malitiam docuit otiositas, scilicet otiosos, qui laborare nolebant ad quærendum unum verum Deum, & digne colendum. *In orbem terrarum*, in cœlo enim nullus error talis unquam fuit: & ideo scilicet, quia non semper fue-

A runt: *Brevis illorum finis inventus est*, scilicet apud sapientes. Cito enim deserti sunt a filiis Israel tempore Moysi, & a populo Christiano, tempore Christi, vel novæ legis. Con- Hier. 10
fusus est omnis artifex in sculptili: Vana sunt opera, & risu digna: in tempore visitationis suæ peribunt: *Acerbo enim luctu dolens pater*, scilicet de morte filii, sicut David do- 2 Reg. 18
luit de morte Absalon: Vel de mor- 2 Reg. 12
te pueri, quem primo habuit de Bethsabee. *Cito sibi rapti*, id est violentia mortis prærepti: *Fecit imaginem*. Glossa, homines defunctorum amicorum sibi simulacra finxerunt, quorum contemplatione aliquid habuerunt solatium: *Et illum qui tunc*,
B scilicet de recenti: *Quasi homo mortuus fuerat*, cujus proprietas est, esse mortalis, secundum illud: Omnes
morimur, &c. *Vivit*, id est, paulo 2 Reg. 12
post: quod est inexcusabilius: *Tamquam Deum colere cœpit*: Glossa, progressique longius per amorem, defunctorum memoriam colere cœperunt. *Et constituit inter servos suos*, timore sibi obedientes, non ratione: *Sacra*, scilicet thurificationes, & laudes: *Et sacrificia*, scilicet animalium immolationes. Primus autem, ut dicit Isydorus super illud Lucæ: In
Beelzebub principe dæmoniorum, Luc. 11
&c. Ninus rex Assyriorum Beli patris sui mortui fecit imaginem, quam tanta veneratione honoravit,
C ut etiam reis ad ipsam confugientibus parceret, propter quod homines
imperiti statuam Beli, ut Deum, Beli statua
colere cœperunt, & statuas multiplicare. Quorum quidam illud idolum vocabant Bel: quidam Baal: quidam Baalim: quidam Beelzebub: *Deinde interveniente tempore*, id est, mora temporis: *convalescente iniqua consuetudine*, quæ potius extirpanda est, quam tenenda, quia diuturnitas temporis non diminuit peccatum, sed potius auget: *hic error*, scilicet colendi idola, *tamquam lex*, sub præ-
cepto, scilicet, *custoditus est*. Leges Hier. 10
populorum vanæ sunt. Item: Væ, Isa. 10
qui condunt leges iniquas: *Et tyrannorum imperio*, id est, malorum principum: *Colebant figmenta*. Unde An-
tiochus compellebat Judæos ad cul- 1 Mach. 1
tum

[Dan. 3] tum gentium. Et Nabuchodonosor cogebat statuam suam adorare *Hos*, *quos in palam homines*, *honorare non poterant*, id est, in præsentia eorum *propter hoc*, scilicet: *quod longe essent*, *e longinquo*, scilicet loco: *figura eorum*, *allata*, scilicet in pictura: *evidentem imaginem*, scilicet sculptam imaginem dico: *regis*, *quem honorare volebant*, *fecerunt*, scilicet tribuentes di-
[Cicer. l. 1 de Natu. Deor.] vinum honorem hominibus. Cicero: Suscepit autem vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cœlum tollerent: *Ut illum*, scilicet regem: *qui aberat*, id est, absens, erat, tamen vivens: *tamquam præsentem colerent sua sollicitudine*. Glossa, propter hominum stultitiam, & pravitatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant, ipsum regem, totamque gentem summis laudibus extulerunt, ita ut etiam deos appellarent, vel pro insigni virtute, vel pro beneficiis, vel pro adulatione: *Hos*, *quos*, &c. Littera sic est construenda: Homines fecerunt evidentem imaginem, quam honorare volebant, allata de longinquo figura illorum. *Et hos*, *quos in palam*, id est, præsentialiter: *honorare non poterant propter hoc*, supple: *quod longe essent fecerunt*, inquam: *ut illum*, *qui aberat*, &c. *Provexit ad horum*, scilicet idolorum: *culturam*, *&*, id est etiam: *hos qui ignorabant*, id est ignorantes, & rudes: *eximia*, id est maxima, *artificis diligentia*. Artificis, inquam, diligenter, & curiose idolum fabricantis, & illud de-
[Hier. 10] corantis, secundum illud Hieremiæ: Argento, & auro decoravit illud.
[Isa. 44] Item. Fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo: *Ille autem*, artifex: *volens placere illi*, *qui se assumpsit*, id est conduxit, scilicet ad faciendum Idolum: hæc est mala placentia, de qua
[Ps. 52] in Psalmo: Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent. Item:
[Galat. 1] Si hominibus placerem, Christi servus non essem: *Elaboravit arte sua*, *ut similitudinem*, id est, imaginem; *in melius figuraret*, id est, meliori
[Isa. 44] modo, quo posset, Faber ferrarius
[Baruc. 6] lima operatus est. Baruch: sicut virgini amanti ornamenta, ita accepto

A auro fabricati sunt: *Multitudo autem hominum*, scilicet stultorum. Stulto- [Eccl. 1] rum infinitus est numerus; *abducta*. scilicet a veritate, *per speciem operis*, id est, pulchritudinem. Fallax [Prov. 31] gratia, & vana est pulchritudo. Species decepit te; *eum qui ante tem* [Dan. 13] *pus*, supple modicum; *tamquam homo honoratus fuerat*, scilicet honore duliæ; *Nunc Deum æstimaverunt*, honorantes eum honore latriæ; *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio*, id est causa deceptionis, causa, inquam, duplex, quasi duplex mortis, porta, [Vitæ humanæ deceptio duplex.] scilicet amor & timor, secundum Glossa super illud Psalmi Incensa [Ps. 79] igni, & suffossa &c. *Quoniam autem affectui*, scilicet proprio, in honora-
B tione amicorum: *aut regibus*, in veneratione potentum. Glossa, sic per populos, vel religiones, scilicet præ adulatione, vel præ timore varia sacra suscepta sunt, dum homines grati esse in suos principes cupiunt: *deservientes* id est, devote servientes: *homines*, contra illud: Nolite effici [1 Cor. 7] servi hominum: *Incommunicabile nomen*. Glossa, Dei omnipotentis, quia scilicet forma, a qua impositum est nomen illud: Deus, incommunicabilis [Dei nomen incommunicabile creaturis.] est creaturis, communicabilis, tamen est personis divinis: *lapidibus*, *& lignis imposuerunt*, contra illud præceptum: Non assumes nomen [Exod. 20] Dei tui in vanum. Sed contra: E- [Exod. 7] go constitui te Deum Pharaonis.
C Item in Psalmo: Ego dixi dii estis, [Ps. 81] &c. ergo nomen Dei est communicabile creaturis. Dicendum, quod Deus tripliciter dicitur, natura, ado- [Deus tribus modis dicitur.] ptione, nuncupatione. Primo modo est incommunicabile. Secundo modo non. Sed contra, quia Christo homini communicatum est nomen divinum. Unde: Dedit illi nomen, [Phil. 2] quod est super omne nomen. Sed dicendum, quod non est communica- [Christo homini, quomodo nomen Dei sit communicatum.] tum non habenti prius, Sed aliter, quam prius, quia hoc nomen, personæ convenit, non naturæ, scilicet humanæ, sed tamen habenti naturam humanam. Ad illud, quod obiicitur, Dedit illi nomen, & cætera. Dicendum, quod datio illi accipitur pro manifestatione: *Vel*, dedit illi, in natura humana, qui prius habe-

bat

bat in divina: *Et non sufficerat*, hic
tangitur ultima causa detestationis
idolorum, sumpta ab effectu humanæ
corruptionis. Et primo tangitur
in idololatris excæcatio mentis. secundo
corruptio operis; *Aut enim filios*.
Tertio rationabilitas excæcationis,
& corruptionis; *& omnia*. Quarto
causa utriusque. *Infandorum* dicit
ergo: *Et non sufficerat erasse eos*.
Glossa cum falsa religione omnibus
vitiis se subdiderint, *errasse*, inquam:
scilicet *circa Dei scientiam*, id est:
Sap. 13 fidem. Vani sunt omnes homines
in quibus non subest scientia Dei.
Sed & in magno viventis, *inscientiæ*,
id est, infidelitatis; *bello*, per quam
scilicet infidelitatem adversus Deum
Job 24 bellant. Unde: Job: ipsi fuerunt rebelles
lumini: *tot*, scilicet quoad numerum,
& tam magna, quantum
ad intentionem, vel quantum ad
durationis quantitatem: *mala*, quantum
ad deformitatem, *tot*, inquam,
& tam magna mala, in quibus scilicet
vivunt: *pacem appellant*, secun-
Job 30 dum illud. Et esse sub sentibus delicias
computabant. Et Hieremias:
Hier. 6 Dicentes, pax, pax, & non erat
pax. Glossa, sub regno diaboli, diversis
vitiis subjecti veram pacem habere
non poterant.

Aut enim, & cætera. Hic enumerat
mala, quibus opere sunt corrupti.
Primo malum specialiter commissum
in Deum: Secundo specialiter
commissum in se, & in proximum:
Neque vitam, dicit ergo:
Aut enim filios suos sacrificantes, se-
Ps. 105 cundum illud Psalmi. Et immolaverunt
filios suos, & filias suas dæ-
Ezech. 16 moniis. Et Ezech. Numquid parva
est fornicatio tua: immolasti filios
meos, & dedisti illos consecrans eis:
quia sicut dicit Glossa, in sacris Saturni
propter odium Jovis sine respectu
pietatis suos parvulos immolabant;
aut obscura sacrificia facientes,
obscura, id est, nocturna, sicut fiebat
secundum Glossa, in sacris Osiridis,
Ægyptiæ, & cæteris, quæ
sacra ardentium tædarum jactatione
celebrabantur: *aut insaniæ plenas vigilias
habentes*, in sacris enim Bacchi,
& Cybeles matris Deorum, ad exemplum
eorum, qui in festivitate sa-

A tiati noctem totam lusibus ducebant,
id est, ludebant, ut ait Glossa.
Contra hoc dicitur in Psalmo:
Beatus vir cujus est nomen Domini Ps. 39
spes ejus & non respexit vanitates,
& insanias falsas; *neque vitam*, scilicet
propriam, mundam: quia, Tradidit Rom. 1
illos Deus in immunditiam.
Neque nuptias mundas jam custodiunt,
contra quod: Honorabile connubium, Heb. 13
& thorus immaculatus: *jam custodivit*,
&c. Quia sicut dicit Glossa,
per libidinem, & immunditiam diis
suis placere putabant, & quanto quis
sceleratior erat tanto magis deo suo
placere putabat: *Sed & alius alium
occidit per invidiam*, scilicet in persona
sua, ut Caim Abel: Et Judæi Gen. 4 Matt. 27
B Christum. *Aut adulterans contristat*,
scilicet in persona sibi conjuncta:
contristat, dicit, quia magna causa
tristitiæ est violatio thori conjugalis.
Unde bene, & secundum leges civiles
data est viro licentia occidendi
adulterum, & adulteram in ipso
actu adulterii inventos. *Et omnia*,
scilicet vitia: *Commixta sunt*. Un- Osee. 4
de: Maledictum, & adulterium, &
furtum innundaverunt: *Sanguis*, hic
tangit primo quædam peccata spiritualia:
Secundo, quædam carnalia:
Animarum, & cætera. In prima primo,
quædam mala operis: Secundo,
quædam mala cordis: *Corruptio*. Tertio,
quædam mala locutionis: *Et
perjurium*, mala operis tangit qua-
C tuor, scilicet vulnerationem, cum
dicit: *Sanguis*. Occisionem, cum dicit:
Homicidium, furtum, cum dicit:
Furtum, fraudem, cum dicit;
Et fictio, bene dixi, quod, *Omnia
commixta sunt*, scilicet *Sanguis*, mutua
vulneratione. Unde Isaias: Ma- Isa. 1
nus vestræ plenæ sanguine sunt, Item
Oseæ: Sanguis sanguinem tetigit; Ose. 4
Homicidium. Unde: Vir fratrem suum Mich. 7
venatur ad mortem: *Furtum*, Et: Isa. 1
Principes tui infideles, socii furum,
In Psalmo: Si videbas furem currebas Ps. 49
cum eo. *Et fictio*, id est, dolus.
Dolus enim est cum aliud agitur, Dolus quid
& aliud prætenditur, vel simulatur;
Corruptio, hic tangit peccata cordis,
scilicet concupiscibilis potentiæ. In
Psalmo: Corrupti sunt, & abominabiles Ps. 13
facti sunt, &c. *Infidelitas*, sc.

Hier. 7 rationalis. Unde: Periit fides, & A
allata est de ore eorum: *Turbatio*,
scilicet potentiæ irascibilis. Unde:
Isa. 57 Non est pax impiis dicit Dominus.
Hæc sunt tria mala cordis. Deinde
tangit tria mala locutionis, dicens:
Perjurium, scilicet vel assertorium, si-
cut est in falsis attestationibus vel
promissorium, ut in falsis promissio-
Levit. 19 nibus, contra quod dicitur: Non per-
jurabis. *Et tumultus*, scilicet in con-
tentionibus: & discordiis. Unde:
Isa. 3 Tumultuabitur puer contra senem,
Et bonorum Dei immemoratio, id est,
ingratitudo, quia non laudatur Deus
Luc. 17 de beneficiis suis. Unde: Non est in-
ventus qui rediret, & daret gloriam
Ps. 30 Deo, &c. Et: Oblivioni datus sum,
tamquam mortuus a corde. Hæc sunt
tria mala locutionis, primum in Deum,
& proximum: Secundum in proxi-
mum: Tertium in Deum, sc. omit-
tendo. *Animorum inquinatio*, &c. Hic
tangit peccata carnalia. Primo pec-
cata libidinis interioris: Secundo com-
mixtionis innaturalis, ibi: *Nativita-
tis*, &c. Tertio bigamiæ. *Nuptiarum*,
&c. Quarto adulterii; *Inordinatio*,
&c. Quinto fornicationis; *Impudici-
tiæ*, &c. Dicit ergo: *Animarum in-
quinatio*, scilicet per internam libi-
Matt. 5 dinem. Unde: Jam mœchatus est
Hier. 4 in corde suo. Et Lava a malitia cor
Tit. 1 tuum Hierusalem, &c. Et: Coin-
quinatæ sunt illorum mens, & con-
scientia. *Nativitatis immutatio*, id
est, naturæ, sive usus naturalis. Un- C
Rom. 1 de: Fœminæ eorum immutaverunt
naturalem usum, &c. *Nuptiarum in-
constantia*, scilicet uxores pro volun-
tate accipiendo, & repudiando, cum
Gen. 2 tamen deberent esse duo in carne
Matt. 19 una: ita, quod Deus conjunxit, ho-
mo non separet: *Inordinatio mœchiæ*,
id est, adulterii contra ordinem
Exod. 10 matrimonii, contra, quod: Non mœ-
chaberis, *& impudicitiæ*, id est, for-
Rom. 13 nicationis; contra, quod: Non in cu-
bilibus, & impudicitiis; *Infandorum*,
&c. Hic ostenditur, quod idololatria
est causa hujus corruptionis. Et pri-
mo ostendit, quo modo idololatria
est causa omnium malorum in ido-
lolatris. Secundo propter quid: quo-
niam propter spem impunitatis:
Tum enim confidunt, &c. Tertio o-
stendit quod hoc ipsum est eis cau-
sa punitionis: *Utraque &c.* Quarto
ostendit, quæ sit illa punitio, scili-
cet casus, & præcipitatio in alia
peccata: *Non enim*, &c. *Infandorum*,
&c. Ita dixi, quod tot & tanta ma-
la faciunt idololatræ, *Infandorum enim
idolorum*, id est, nefandorum, id
est, nominatione indignorum, secun-
dum illud Psalmi: Nec memor ero Ps. 15
nominorum eorum per labia mea;
Infandorum, inquam, *Idolorum cul-
tura omnis malitia est*, scilicet per in-
tellectus excæcationem, & voluntatis
subversionem *& initium*, scilicet per
operis inchoationem, *& finis*, per
ejusdem completionem, sicut fides,
& cultus Dei causa est omnis boni,
B ut probat Apostol. qui ait: Fides Heb. 11
est sperandarum substantia rerum.
Sed contra: Initium omnis peccati, Eccl. 10
superbia. Item: Radix omnium ma- 1 Tim. 6
lorum, cupiditas: male ergo dicitur
hic, quod omnium malorum initium
est infidelitas. Dicendum, quod non
est inconveniens, plura esse initia Malorum
malorum, secundum diversos respe- plura ini-
ctus, sicut unius rei sunt quatuor tia.
causæ, scilicet efficiens materialis,
&c. & tamen initia in uno genere,
quia ex parte rationalis infidelitas,
ex parte concupiscibilis, cupiditas, ex
parte irascibilis, superbia: *Aut enim
dum lætantur, insaniunt*. Glos. in festis;
& ludis, & hoc quantum ad malum
in affectione: *Insaniunt*, dicit, quia
lætitia irrationalis, insania est, sicut
risus hæreticorum. Unde: Insania in Osee 9
domo Dei ejus. *Aut certe vaticinantur
falsa*, scilicet falso Prophetando. Et
hoc quantum ad malum cogitationis.
Unde: Ero spirtius mendax in ore 3 Reg. ult.
omnium Prophetarum. *Aut vivunt
injuste*, & hoc quantum ad malum
conversationis. Impius multo tem- Eccl. 8
pore vivit in malitia: *Aut perjurant*,
id est, pejerant? & hoc peccatum
locutionis. *Cito*, id est, de facili,
propter malam suam consuetudinem,
propter quod dicitur; Jurationi non Eccl. 23
assuescat os tuum: multi enim casus
in illa. *Cum enim confidunt in idolis*,
quæ sine anima sunt, quo ad vitam:
Male jurantes, scilicet ex parte rei,
quam jurant, quod falsum, contra
illud. Jurabis, vivit Dominus, in veri- Hier. 4
tate,

tate, & in judicio, & in justitia: A *Noceri se non sperant*, id est, non timent. Sed quomodo non timent, cum esse veros Deos credant. Dicendum, quod licet ipsos Deos colant, non tamen eis inesse omnipotentiam putant. Vel non credunt, quod peccata hominum puniant. Et revera eis non possunt nocere, propter quod dicitur: Nolite timere illa, scilicet Idola, quia nec male, nec bene possunt facere. Sed tamen a Deo punientur pro peccato perjurii. Unde sequitur: *Utraque ergo illis evenient*, scilicet malum culpæ, quia male jurare permittuntur: & malum pœnæ, quia propter hoc punientur: ***Evenient*** inquam, ***Digne***, scilicet pro meritis. Apoc. 22 Unde: Qui in sordibus est, sordescat adhuc. ***Quoniam male senserunt de Deo attendentes idolis***, id est, divinum cultum eis tribuendo, pejerant per idolum: ***Et injuste juraverunt in idolo contemnentes justitiam***, scilicet illicitum, vel falso jurando, & ita dupliciter errant, vel peccant, scil. quia jurant per quod non debent, & quia jurant id, quod non debent. Unde: per nomen exteriorum Deorum non jurabitis. Exod. 23 ***Non enim***: quasi dicat: Et vere peccant sic jurando. ***Non enim jurantium***, scil. sic: ***Est virtus***, id est, opus virtuosum, vel meritorium. ***Sed peccantium pœna***, id est, peccatum ipsum, quod etiam est pœna præcedentium peccatorum, & culpa in se: ***Perambulat semper***, scilicet de malo in pejus: ***Injustorum***, id est, justarum rerum scilicet mandatorum, Dei, ***Prævaricationem***, sc. peccatum. Greg. l. 25. Moral. c. 9. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit. Unde: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, &c.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

Tu autem Deus noster, suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam, & si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. Nosse enim te, consummata justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores, cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima. Malorum amatores digni sunt morte, qui spem habent in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt, sed & figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas, & de eodem luto fingit, quæ munda sunt in usum vasa, & similiter quæ his sunt contraria, horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus. Et cum labore vano Deum fingit de eodem luto: ille, qui paulo ante de terra factus fuerat, & post pusillum reduxit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum, quam habebat. Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur aurificibus & argentariis: sed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit. Cinis est enim cor ejus, & terra supervacua spes illius, & luto vilior vita ejus: quoniam ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, quæ operatur, & qui insufflavit ei spiritum vitalem. Sed & æstimaverunt lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere. Hic enim scit, se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit. Omnes enim insipientes, & infelices supra modum animæ superbi sunt inimici populi tui, & imperantes illi. Quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum visus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum, homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo sibi similem homo poterit Deum fingere. Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit: quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis: illi autem numquam. Sed & animalia miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem ejus.

EXPOSITIO IN CAP. XV. A

TU autem Deus noster, &c. Postquam ostendit idololatrantium errorem, & idolorum detestationem, hic subdit veri Dei commendationem. Verum autem Deum ostendit esse commendabilem, primo ex ipsius bonitate: secundo, ex credentium in eum remuneratione: *etenim si peccaverimus*, &c. tertio, ex idolorum utilitate, *sed & figulus*, quarto, ex idololatrantium vituperatione, *omnes enim*. *Tu autem*, &c. quasi dicat, talia sunt idola, *autem*, pro sed, *sed tu Deus noster*, Deus inquam creatione, secundum illud: In principio creavit Deus. Item gubernatione, & conservatione; secundum Damascenum Deus dicitur Θεὸς ἀπὸ τοῦ θεᾶν id est, disponere, vel gubernare: primus effectus est sapientiæ, secundus potentiæ, tertius bonitatis: *noster*, scilicet cultus appropriatione, quia tunc tantum: Notus in Iudæa Deus, ut dicitur in Psalmo: *suavis*, scilicet affectui, secundum illud: Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Supra: O quam bonus, & quam suavis est spiritus tuus in nobis. *Suavis*, inquam Glossa inæstimabilis charitatis. Gregorius: O inæstimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres, filium tradidisti, *& verus es*, sc. intellectui contemplanti. Glossa, quia nec fallit nec fallitur. Item: Est autem Deus verax: omnis homo autem mendax. Utramque autem prædictorum refertur ad bonos, *& patiens*, scilicet malæ culpæ, dissimulando scilicet, quoad malos. Unde Glossa, *patiens*, id est, diu sustinens peccantes: Patiens, & præstabilis super malitia. Et: Deus judex justus, fortis, & patiens: *& in misericordia disponens omnia*, quoad omnes, *omnia*, scilicet mala pœnæ remittendo. Unde: Miserationes ejus super omnia opera ejus. Et solem suum facit oriri super bonos, & malos. *Etenim*, &c. hic ostenditur commendabilis excolentium remuneratio. Et primo ostendi, quod peccantes, sunt Deo subjecti: Secundo, quod non peccantes, sunt Deo accepti, *& si non peccaverimus*. Tertio ostendit, quæ sit ratio hujus, quoniam notitia & cultus Dei, *nosse enim te*. Quarto ostendit qui sunt hujusmodi beneficio digni, *non enim in errorem*. Quinto qui sunt indigni, *malorum amatores etenim*, &c. quasi dicat, & vere talis es, *etiam si peccaverimus*, scilicet peccato mortali, & maxime peccato infidelitatis, quod dicitur peccatum antonomastice. Unde: Arguet mundum de peccato, & specialiter de hoc loquitur hic, *si peccaverimus*, inquam, *tui sumus*, id est, in tua potestate, & gubernatione constituti. Glossa, evadere non possumus, quia tua creatura sumus. Unde: Si ascendero in cœlum, tu illic es, &c. Item: Non est, qui de B manu mea possit eruere. *Sciens magnitudinem tuam*, magnitudinem dico non molis, sed virtutis, omnia continentem, & omnia destruere valentem. Unde: Magnus Deus, & magna virtus ejus. *Et si non peccaverimus*, scilicet peccato mortali, quod est peccatum simpliciter & maxime peccatum infidelitatis, quod est peccatum antonomastice. Peccato enim veniali carere non possumus, aut si possumus, non tamen diu. Unde: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Si non peccaverimus*, inquam, &c. *scimus*: scilicet per fidem, *quoniam apud te sumus computati*, Glossa, apud quem bonorum operum nume- C rus scitur, vel servatur. Unde: Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Nec solum numerati, sed etiam nominatim adscripti. Unde: Quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Dicuntur autem boni esse computati sicut dilecti, & electi, & bene possunt computari, quia pauci, secundum illud: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Mali autem non computantur a Deo, sicut nullus computat monetam reprobatam, ipsi autem sunt reprobata moneta, secundum illud: Argentum reprobum vocate eos. Item, quia infiniti, secundum illud: Stultorum infinitus est numerus. Hoc tamen non est ex impotentia Dei computantis, sed magis ex eorum indignitate. Peccator

Ordo dicendorum. · Gen. 1 · Dam. l. 1 Fid. ort. c. 12 citatus supr. pag. 2 col. 1 · Ps. 77 · Ps. 33 · Sap. 12 · Rom. 3 · Joel. 2 · Ps. 7 · Ps. 144 · Matt. 5 · Joan. 16 · Ps. 138 · Deut. 32 · Ps. 146 · Quod sine peccato veniali diu carere non potest. · Jo. 1 · Ps. 138 · Luc. 10 · Matth. 20 · Jer. 6 · Eccl. 1

tor enim indignus est pane, quo ve-
Sap. 15 scitur, ut dicit Augustinus. Item
infra: Luto vilior vita ejus, lutum
autem nullus computaret. *Nosse enim:*
&c. bene dixi, *si non peccaverimus*,
& maxime peccato infidelitatis, *quod*
sumus apud te computati, *nosse enim*
te; scilicet per fidem formatam,
consummata justitia est, id est, perfe-
ctio justitiæ in præsenti, & hoc in-
telligendum causaliter, ut sit sen-
sus, *nosse te*, per fidem est, *consum-*
mata justitia, id est, causa consum-
matæ justitiæ, fides enim justificat.
Rom. 5 Unde: Justificati ergo ex fide, &c.
Rom. 4 Item: Credidit Abraham Deo, &
reputatum est illi ad justitiam, *&*
scire, scilicet per fidem formatam,
justitiam & virtutem tuam, justitiam
scilicet bonitatis, *& virtutem*, pote-
statis, *vel virtutem*, id est, Chri-
1 Cor. 1 stum, qui est Dei virtus, & sapien-
tia, *radix est immortalitatis*, id est, prin-
cipium, & causa æternæ beatitudi-
Jo. 17 nis in futuro. Unde: Hæc est via
æterna, ut cognoscant te solum ve-
rum Deum &c. Radix, id est, ar-
boris spiritualis, id est, vitæ justi,
Ps. 1 qui est sicut, Lignum plantatum se-
cus decursus aquarum, & cætera.
Radix est fides, ut hic dicitur, pes
humilitas, sicut econtrario pes im-
piorum est; superbia, secundum il-
Ps. 35 lud: Non veniat mihi spes superbiæ.
Coloss. 3 Scirpus in altum se erigens, est spes.
Quæ sursum sunt quærite. Humor
interior, & viriditas hujus arboris
est gratia internæ devotionis. Et
Job. 8 Job: Numquid potest vivere scirpus
absque humore. Calor dirigens est
Luc. 12 virtus charitatis. Unde: Ignem ve-
ni mittere in terram, &c. exterior
irrigans doctrina spiritualis. Unde
Eccl. 24 Sapientia dicit: Rigabo hortum plan-
tationum mearum Rami, multipli-
Ezech. 36 catio bonæ operationis. Et: Mon-
tes Israel ramos vestros expandite.
Flores, mores honestæ conversatio-
Cant. 2 nis, Unde: Flores apparuerunt in
terra nostra. Folia, verba discretæ
Ps. 1 locutionis, secundum illud: Et fo-
Sap. 3 lium ejus non defluet. Fructus,
mentis æternæ retributionis: Bono-
rum laborum gloriosus est fructus.
Non enim, &c. bene dixi, *Quoniam*
sumus apud te computati, nos, & non

A alii, scilicet Idololatræ. *Non enim in*
errorem, scilicet idololatriæ, qui est
error præcipuus, *induxit nos*, scilicet
sicut alios, de quibus supra: Per- Sap. 14
traxit autem ad horum culturam,
& hos, qui ignorabant, artificis exi-
mia diligentia, *hominum*, scilicet
Idola fabricantium &c. *malæ artis*
excogitatio, id est, ad malum indu-
centis per deos, quia per eam figu-
rantur. Ipsa tamen ars bona est in
se, sed abusus malus. Omnis enim
scientia de genere bonorum est, sci- Scientia omnis est de genere bonorum.
licet quantum ad ipsum habitum,
cum sit a Deo: Omnis sapientia a
Domino Deo est. Et sciendum, quod Eccl. 1
duo tangit, inductiva scilicet, sive
provocativa ad idololatriam, scilicet
B artis diligentiam, cum dicit; *malæ*
artis excogitatio, & idoli pulchritu-
dinem cum subdit, *nec umbræ pictu-*
ræ, id est, pictura speciem ligni
obumbrans. Assiduitas ejus variat pi- Eccl. 38
cturam, *labor*, scilicet artificis, *si-*
ne fructu, scilicet utilitatis. Supra. Sap. 3
Vacua spes illorum, & labores sine
fructu: *effigies*, id est, imago, *scul-*
pta per varios colores, distinguentes
partes sculpturas. Supra Rubicundum Sap. 14
faciens fuco colorem ejus, *cujus a-*
spectus insensato, id est, infideli, *dat*
concupiscentiam, scilicet occasionali-
ter incitando ad malum, Unde. Va- Eccl. 34
na spes, & mendacium viro insen-
sato, *& diligit mortuæ imaginis effi-*
giem sine anima; *diligit*, inquam,
C *effigiem*, id est, figuram, ut Deum
colendo, *imaginis mortuæ*, id est,
carentis actu vitæ, & hæc carentia
negationis, non privationis, *sine ani-*
ma, id est, carentis potentia vivifi-
candi. Anima enim est actus corpo-
ris physici organici, potentia vitam
habentis, ut habetur in libro de ani-
ma. *Malorum* &c. & merito, *non in-* Arist. 2 de anima.
duxit, quia, *malorum amatores*, sci-
licet idolorum, & peccatorum ex
idolis provenientium, *digni sunt*
morte, scilicet æterna, & tempora-
li. Qui talia agunt digni sunt mor- Rom. 1
te, *qui spem habent in talibus*, scili-
cet idolis, scilicet auxilium eorum
invocando. Unde: Confundantur Isa. 42
confusione, qui confidunt in sculpti-
li, *& qui faciunt illos*, scilicet deos
hujusmodi fabricando: Similes illis

 fiant,

Ps. 134 fiant, qui faciunt ea: *& qui diligunt,*
scilicet affectu, devotionem ad idola
habendo. Supra eodem: Diligit mor-
tuæ imaginis effigiem, &c. *& qui co-*
lunt, effectu, exterius adorando;
Ps. 113 Confundantur omnes, qui adorant
Deut. 5 sculptilia, Non adorabis deos alie-
nos, neque coles. *Sed & figulus*, hic
ostenditur verus Deus esse commen-
dabilis, ex idolorum vilitate; hanc
autem vilitatem ostendit primo ex
vilitate materiæ; secundo ex artificis
vilitate: *Et cum labore*, & eam, sci-
licet vilitatem artificis ibi ostendit.
Primo ex fragilitate conditionis. Se-
cundo ex varietate intentionis mo-
ventis, *Sed est illi cura*. Tertio ex
ignorantia creatoris, *cinis est enim*.
Quarto ex errore conversationis. *Sed*
& æstimaverunt. Quinto ex compa-
ratione iniquitatis, *Hic enim scit*,
&c. *Sed & figulus*, ita dixi, quod
malorum amatores digni sunt morte,
qui idola colunt vel faciunt. *Sed &*
figulus, id est, factor vasorum ficti-
lium, supple de numero illorum
est; *figulus*, inquam, *mollem terram*
Eccl. 38 *premens laboriose*. Unde: Figulus se-
dens ad opus suum, & convertens
pedibus suis rotam, qui semper in
sollicitudine positus est propter opus
suum; *fingit ad usus nostros unum-*
2 Tim. 2 *quodque vas*. In magna enim domo
non solum sunt vasa aurea, & ar-
gentea, sed & lignea, & fictilia:
& de eodem luto fingit quæ munda
sunt ad usus, honestos & mundos.
Similiter quæ his sunt contraria, ut
sunt illa, quæ deputata sunt ad usus
Ibid. immundos. Unde: Quædam in ho-
norem, quædam in contumeliam.
Et: An non habet potestatem figu-
Rom. 9 lus de eadem massa facere aliud vas
in honorem, aliud in contumeliam?
horum autem vasorum quis usus sit,
scilicet mundus, aut immundus,
Judex est figulus, tamquam superior,
& eorum factor; non ipsa vasa.
Ibidem. Numquid dicit lutum figulo, quid
me fecisti sic? *Et cum labore vano*,
Hier. 51 id est, infructuoso. Unde: Vana
Isa. 44 sunt opera eorum, & risu digna.
Deum fingit de eodem luto? simile di-
citur de idolis ligneis, quod pars
comburitur in humanos usus, pars,
ut Deus, colitur, *Ille*, scilicet figu-

A lus, *quia paulo ante de terra factus*
fuerat, per terrenam nativitatem.
Formavit Deus hominem de limo Gen. 2
terræ: *& post pusillum*, scilicet tem-
pus. Unde: Breves dies hominis sunt. Job. 14
Item: Brevi vivens tempore, *redu-* Ibid.
xit se, scilicet merito peccatorum
suorum, scilicet in mortem. Impii Sap. 1
manibus & verbis accersierunt illam
scilicet mortem: & per mortem.
Unde acceptus est, id est, in terram,
de qua sumptus fuerat ex parte cor-
poris, secundum illud: Donec re- Gen. 3
vertaris in terram, de qua sumptus
es. Et: Omnia, quæ de terra facta Eccl. 1
sunt, in terram pariter convertentur. Eccl. 40
Repetitus animæ debitum, *quam*, sci-
licet animam, *habebat*, antequam, *de-*
B *bitum*, mutuatum, ut redderet cum usu-
ris non datum, sicut ille dives: cui di-
ctum est: Stulte hac nocte animam Luc. 12
tuam repetent a te. Et: Tenens suf- Matt. 18
focabat eum, dicens: redde quod de-
bes, scil. animæ debitum. *Sed est illi*
cura, quamvis, sc. labor sit vanus: *non*
quia laboraturus est, & vane, de quo
magis esset curandum, *laboraturus est*,
etiam inique secundum illud: Ut ini- Hier. 9
que agerent, laboraverunt, *nec quo-*
niam illi brevis est vita, cum tamen
eo magis esset ei curandum, ut eam
utiliter expenderet. Et: Quæ est vita Jacob. 4
vestra? Vapor est ad modicum parens.
Sed concertatur aurificibus, *& argenta-*
riis, decorem sui operis, & subtilita-
tem illis assimilare fatagendo. *Sed &*
C *ærarios imitatur*. Notandum, quod *au-*
rifices, vocat artifices, qui deos fa-
ciunt ex auro: *argentarios*, qui ex ar-
gento: *ærarios*, qui ex ære. Confertis Isa. 46
argentum de sacculo, & aurum statera
ponderatis, conducentes artificem, ut
faciat deum, *& gloriam præfert*, scil.
vanam suo labori vel vitæ brevitati.
Gloria est frequens fama cum laude, Gloria.
gloriam, id est de hoc gloriando, in quo
non esset gloriandum: *quoniam super-*
vacuas res, id est, inutiles, scil. idola
fingit, scil. de lutea materia facit.
Unde: Gloriam eorum in ignominiam Osee 4
commutabo. Item: Gloria in con- Phil. 3
fusione eorum, qui terrena sapiunt.
Cinis est enim, &c. quasi ita gloriatur,
enim, pro sed: vel sic: Ita gloriatur,
quod tamen non deberet facere,
enim, pro quia; *cinis*, id est, res vi-
lis,

lis, *est*, sicut, *cinis*, *cor ejus*, id est,
ejus cogitatio, quia in cinere & pul-
vere de quo deum suum fabricat,
Eccl. 10 ponit cor suum. Quid superbis ter-
ra, & cinis *& terra supervacua*, id
est inutilis, *spes illius*, id est, ejus
desiderium, & affectio, quia scilicet
ponit eam in idolo terreo, supra:
Sap. 3 Vacua spes illorum, tale enim ido
lum est terra vacua, & nihili, de
Hier. 4 qua Hieremias: Aspexi terram, &
ecce vacua erat & nihili, *& vita il-
lius*, id est, conversatio, *luto vilior*,
quia scilicet occupat vitam suam in
idolum luteum faciendo, & colen-
Psalm. 17 do. Ut lutum platearum delebo eos.
Vilius autem est lutum culpæ luto
naturæ. Unde Glossa vita illius cœ-
1 Pet. 2 no sordidior: Et sus lota in voluta-
bro luti, *quoniam ignoravit*, scilicet
1 Cor. 14 ignorantia de qua: Qui ignorat, igno-
rabitur, *qui se finxit*, id est, Deum,
qui eum fecit, de limo terræ ex
Psalm. 102 parte corporis: Ipse cognovit fig-
mentum nostrum, *& inspiravit illi*
Gen. 2 *animam*, secundum illud: Inspiravit
in faciem ejus spiraculum vitæ: *&
animam*, scilicet amat magis, quam
Deum, *quæ operatur*, scilicet idola:
& qui insufflavit ei spiritum vitalem,
repetendum, *ignoravit*, & loquitur
modo de spiritu corporeo, cum di-
Isa. 57 cit, *spiritum vitalem*, Spiritus a fa-
cie mea egredietur, & flatum ego
Psalm. 145 faciam. Et: Exibit spiritus ejus,
& revertetur in terram suam: *Sed
& æstimaverunt*, ita dixi, quod Deum
ignoraverunt, sed magis *æstimave-
runt*, scilicet idolorum fabricatores,
vitam nostram, scilicet naturalem,
lusum esse, id est, lasciviam, sicut
Exod. 32 illi de quibus: Sedet populus man-
Job. 21 ducare & bibere: Unde: Tenet tym-
panum, & cytharam, *lusum esse*, &c.
hoc dicit, quia idola facere, & co-
lere ludo puerorum videtur simile es-
se, & sic qui faciunt imagines lu-
teas & adorant, *& conservationem vi-
tæ*, scilicet moralem: *compositam*, id
est, ordinatam: *ad lucrum*, scilicet
avaritiæ, nec solum lucrum, sed il-
licitum. Unde subdit: *& oportere
undecumque etiam ex malo acquirere*,
id est, ex artificio, vel negotio illi-
Eccl. 5 cito, contra quod: Noli esse anxius
in divitiis injustis. Non enim pro-

A derunt in die obductionis, vel ultio-
nis, & vindictæ. Hæ sunt divitiæ
conservatæ in malum Domini sui.
Hic enim &c. quasi & vere ex malo
acquirunt, idola facientes: *Hic enim
scit se super omnes alios*, scilicet arti-
fices idolorum: *dilinquere hic*, in-
quam: *qui ex terræ materia*, quæ
vilior est: *fragilia vasa*, ex una par-
te: *& sculptilia*, id est, idola ex
parte alia materiæ suæ: *fingit*. Un-
de ex horum comparatione vilitatem
idolorum melius intelligit, vel in-
telligere potest. Sed quomodo potest
hoc scire, scilicet se super omnes
delinquere, cum Deum ignoret, ut
dictum est. Dicendum, quod hoc
scit, vel scire potest habitu legis na-
B turalis scriptæ in corde suo. Sed
actualiter hoc nescit, scilicet, quia
non vult hoc perscrutari, cum ta-
men possit. Vel si non potest ad
plenum, vel de facili, hoc est, quia
excæcatus est merito infidelitatis suæ.

Omnes enim, hic ostenditur verus
Deus esse commendabilis ex idolo-
latrantium fatuitate. Et primo ex fa-
tuitate idololatrantium colentium res
inanimatas, scilicet statuas. Secun-
do, colentium animatas: *Sed & ani-
malia*, in prima primo illos esse fa-
tuos ostendit, & reprehendit: quia
idola cultoribus suis multorum ma-
lorum causa sunt. Secundo, quia in
se etiam inutilia sunt homini: *quo-
niam idola*. Tertio quia ab homine
C facta sunt: *homo enim*. Quarto, quia
homine deteriora sunt, *melior est
enim*. *Omnis enim*, &c. bene dixi,
quod hic, qui de materia lutea fa-
cit idola, scit se delinquere super
omnes alios artifices: *omnes enim in-
sipientes*, Glossa, qui idola Deos pu-
tant, hoc enim est magna insipien-
tia, unde: Filii insipientes sunt, & Hier. 4
vecordes. Insipientes, dico, per de-
fectum sapientiæ, vel fidei quantum
ad intellectum: *& infelices*, quoad
affectum. Et hoc propter defectum
gratiæ, quæ felices facit. Supra:
Infelices sunt, qui appellaverunt Sap. 13
Deos opera manuum suarum. *Supra
modum animæ suæ*, id est, naturæ
suæ: *superbi sunt*, scilicet contra
Deum, & hoc fingendo sibi idola
tamquam Deus: Audivimus super- Isa. 16
biam

biam Moab, superbus est valde: superbia, & arrogantia est plus, quam fortitudo ejus, vel *infelices supra modum*, quia infinita infelicitate, quia:
Isa. 66 Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, *inimici populi tui*, scilicet persequendo credentes in Deum. Et quoad effectum: *inimici*, inquam persequendo factis.
Esth. 14 Non sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute: sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa: *& imperantes*, scilicet verbis. Unde:
Psalm. 68 Improperia exprobrantium tibi ceciderunt super me.
2. Par. 30 Sicut quidam de Ephraim, & Manasse nuntios Ezechiæ ad cultum Dei volentes eos revocare, irridebant, ut patet. *Quoniam omnia idola*, &c. vel sic bene dixi, *quod insipientes & infelices & supra modum animæ suæ superbi*, &c. *Quoniam omnia idola nationum*, id est, gentilium non per fidem renatorum, sed in vitio nativitatis manentium: *Deos æstimaverunt*, sic fecerunt Romani, scilicet omnia idola gentilium subjugatorum perperam adorando, & custodiendo: *quibus*, scilicet idolis. *Nec oculorum visus est ad videndum*, secundum illud:
Psalm. 113 Oculos habent, & non videbunt: *neque aures ad audiendum*, secundum illud:
Ibidem. Aures habent & non audient. *Neque nares ad percipiendum spiritum*.
Ibidem. Nares habent & non adorabunt: *Neque digiti manuum ad tractandum*, id est, palpandum aliud. Unde:
Ibidem. Manus habent, & non palpabunt. *Sed pedes eorum pigri*, id est, immobiles ad ambulandum.
Ibidem. Pedes habent, & non ambulabunt. Ideo dicitur:
Baruc. 6 Bestiæ meliores sunt illis, quæ possunt fugere sub tectum, & prodesse sibi: *homo enim*; cujus scilicet non est dare sensum, & motum: *fecit illos*, non genuit de substantia sua, sed figuravit de materia exteriori: *& qui mutuatus est spiritum*, scilicet a Deo illi reddendum, quando placebit ei. Unde:
Eccl. ult. Et spiritus revertetur ad Deum, qui dedit illum. *Is finxit illos*, id est, de luto fecit. *Nemo enim* &c. Quasi & vere sic sine sensu, & motu sunt: *Nemo enim sibi similem poterit fingere Deum*, similem, scilicet similitudine æqualitatis, qua homo similis est alii homini, licet similem similitudine alicujus exterioris repræsentationis. *Cum enim sit mortalis*, vitam mortalem habens: *mortuum*, id est, vita penitus carentem: *finxit manibus iniquis*. Unde:
Psalm. 25 In quorum manibus iniquitates sunt. Melius autem est mortale, quam mortuum, secundum illud;
Eccl. 9 Melior est canis vivus leone mortuo: & bene dixi *quod nemo potest sibi simile*, &c. *Melior enim est ipse iis, quos colit*. Deus vero debet esse, optimum hominis, secundum Augustinum, cum sit ejus beatitudo: *quia ipse quidem vixit*, aliunde scilicet homo: *cum esset mortalis*, quod enim
B non vivit, non est mortale: *illi autem numquam*, scilicet dii falsi. Jure autem præponuntur viventia non viventibus, sentientia non sentientibus, secundum Augustinum. Sed obiicitur, quia supra eodem dicitur: Luto vilior vita ejus. Dicendum, quod supra loquitur de vita mortali, hic de naturali.

Sed & animalia, &c. Hic ostenditur vituperatio colentium res animatas. Et primo ostenditur, in se esse miserabiles. Secundo respectu præcedentium aliquantulum excusabiles. *Insensata*, &c. Tertio simpliciter inexcusabiles: *sed nec aspectu*, &c. & ibi ostenduntur inexcusabiles. Primo per hoc quod colunt irrationalia. Secundo, quia deserunt verum Deum: *fugerunt*,
C &c. *Sed & animalia*. Glossa, non solum hominum speciem, sed & animalium imaginem, ut Ægyptii Isidem in specie bovis: Babylonii draconem, ut patet in Daniele. Dan. 14
Miserrimi colunt. Miseros facit populos peccatum. Prov. 14
Sunt quidem miseri omnes impii, & peccatores: sed miseriores omnes infideles: sed miserrimi idola colentes. Propter hoc bene dixi: *Sed & animalia miserrima colunt*. Mutaverunt gloriam suam in Psalm. 105
similitudinem vituli comedentis fœnum: *insensata enim*, enim pro sed: Enim pro sed.
insensata, id est, statuæ, *comparata his*, scilicet animalibus: *illis deteriora sunt*, qui secundum Augustinum melius est vivens non vivente, & sentiens non sentiente. Unde Glossa:

ta: In veritate viventia meliora sunt mortuis, & sensibilia insensibilibus, & rationalia irrationalibus. Sed dignum fuit, ut qui creatorem ignorabant, in creaturis distinctionem non scirent: *Sed nec aspectu*, &c. Ita dictum est, quod idola nec audiunt, nec vident aliquid, vel cognoscunt, nec solum illa nihil vident. *Sed nec aspectu aliquod ex iis animalibus bona potest conspicere. Sed nec aspectu*, quasi dicat, non solum in absentia per imaginationem, sed nec in præsentia per sensum. *Aliquod ex iis animalibus*, quæ scilicet colunt, *bona potest conspicere*, & intelligendum est de bonis honestis, quæ sunt bona simpliciter, ut sunt virtutes; & hujusmodi, non de bonis utilibus, vel delectabilibus, quæ sunt bona secundum quid, *effugerunt autem*, &c. quasi ita infirmi colunt animalia: *autem* pro sed: *effugerunt*, &c. vel *autem*, hoc est certe colendo, animalia, *effugerunt Dei laudem, & benedictionem*, quasi dicat nec ipsum Deum laudaverunt, nec benedixerunt: *laudem*, pro ejus bonitate in se: *& benedictionem*, pro ejus beneficentia ad nos. Contra quæ duo dicitur in Psalmo: Confitemini Domino, quoniam bonus, scilicet in se, quoniam beneficentia misericordiæ ejus, ad omnes se extendit, & dicit: *effugerunt*, non solum intus corde non laudantes, & non benedicentes, sed nec ore confitentes, contra quod dicitur: Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.

Bona simpliciter secundum quid.

Psalm. 105

Rom. 10

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

Propter hæc, & per his similia passi sunt digne tormenta, & per multitudinem bestiarum exterminati sunt. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, escam parans eis ortygometram: ut illi quidem concupiscentes escam propter ea, quæ illis ostensa, & missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur. Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira tua permansit: sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conversum est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem, & in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inventa sanitas animæ illorum, quia digni erant ab hujusmodi exterminari. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens, sanabat illos. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adiutorio. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo: qui sanat omnia: Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: homo autem occidit quidem per malitiam animam suam, & cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta est, sed tuam manum effugere impossibile est. Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis & grandinibus, & pluviis persecutionum passi, & per ignem consummati. Quod enim mirabile erat: in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat, vindex est enim orbis justorum. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia sed ut ipsi videntes, scirent, quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique ut uniquæ terræ nationem exterminaret. Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem.

hen-

bentem, & omnis saporis suavitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant: ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluvia coruscans. Hoc autem iterum, ut nutrirentur justi, ignis etiam suae virtutis oblitus est. Creatura enim tibi factori deserviens excandescit in tormentum adversus injustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiae tuae deserviebant ad voluntatem eorum, qui a te desiderati sunt: ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset, quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam, & ad Orientem lucis te adorare. Ingrati enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua supervacua.

EXPOSITIO IN CAP. XVI.

P*Ropter haec, & per his similia*, &c.) Postquam a 13. cap. egit de merito culpae, quoad poenas graviores ordinatas ad condemnationem impiorum, hic agit de supplicio poenae: & primo de poenis antecedentibus mortem, scilicet in isto cap. & 17. Secundo de poenis inferentibus mortem scilicet cap. 18. & 19. In prima primo agit de poena sensus, & de plagarum immissione scilicet capitulo isto. Secundo de poena damni, scilicet de lucis subtractione cap. 17. In prima primo de poena inflicta per res animatas. Secundo de poena inflicta, per res inanimatas. *Negantes autem te*. In prima primo tangitur Ægyptiorum per vilia animalia & nociva, punitio: Secundo econtra Hebraeorum per delectabilia animalia consolatio: *pro quibus*, &c. Tertio eorum ab animalibus nocivis liberatio: *etenim*, Quarto praedictae punitionis, & liberationis ratio: *in hoc autem propter hoc*, scilicet: *quia infirmi colebant idola*, sive propter idololatriae peccata: *& his similia*, id est, propter alia peccata idololatriae praedictis similia: *passi sunt digne tormenta*, Unde: propter hoc venit ira Dei in filios diffidentiae. Et: Pro mensura peccati, erit & plagarum modus. Non enim debet esse dedecus culpae sine decore justitiae, vel vindictae secundum Augustinum: *& per multitudinem bestiarum*, terram scilicet eorum vastantium, ut mu-

Ephes. 5
Deut. 25

A scarum, locustarum, & ranarum, & hujusmodi: *exterminati sunt*, id est, graviter afflicti, & forte aliqui eorum occisi, unde supra: Per haec, quae coluerunt dedisti eis summa tormenta, Et: Dentes bestiarum immittam in eos. *Pro quibus tormentis*, &c. hic tangitur Israelitarum consolatio, & primo ponitur consolationis modus. Secundo causa; *Ut illi*. Tertio celeritas: *Ii autem*, Quarto accelerationis opportunitas: *Oportebat*, &c. *Pro quib. tormentis*, id est, B loco quorum tormentorum quasi econtrario: *bene disposuisti populum tuum*, scilicet Israeliticum, qui erat ejus populus peculiaris, ut habetur in Deuteronomio. *Quibus*, id est, cui populo: *dedisti concupiscentiam delectamenti sui*, id est concupitum delectabile: Desiderium enim si completur, delectat animam, ut habetur in Proverbiis. *Novum saporem*, in cibum novi saporis: *escam parens eis ortygometram*, id est, coturnicem. C Graecus enim liber habet pro coturnice ortygometram ut dicunt ab Ortygia terra, in qua primo visa est, & inde abducta: *vel escas parans*, &c. & tunc secundum aliquos ponitur hic singulare pro plurali, cum dicit: *escas parans eis ortygometram*, id est, coturnicem secundum illud Psalmi: Petierunt, & venit coturnix, &c. Et: Factum est vespere; & ascendens coturnix, cooperuit castra. Item Ventus autem domini egrediens coturnices arreptas trans mare detulit, &c. Sed non oportet quod pro singulari ponatur plurale,

Sap. 11
Deut. 32
Deut. 7
Prov. 13
Ortygometra dicitur à ... coturnix
Psal. 104
Exod. 16
Num. 11

quia

quia potest glossari sic ; *escas*, id est,
loco escarum, *ut illi quidem*, scilicet
Exod. 16 filii Israel : *concupiscentes escam*, sci-
licet carnium Ægypti : *Propter ea*,
scilicet coturnices : *quæ illis ostensa*
sunt, scilicet ad desiderandum, scili-
cet ad comedendum : *etiam a necessa-*
ria concupiscentia, id est, valde ur-
genti : *averterentur*, id est, ne am-
plius carnes Ægypti, & reditum in
Psal. 105 ipsum desiderarent. Unde : Concu-
pierunt concupiscentiam in deserto.
Num. 11 Item : Populus flagravit desiderio car-
Eccl. 18 nium cum tamen dicatur : Post concu-
piscentias tuas non eas, & a voluntate
tua avertere : *iis autem*, scilicet filii
Israel : *in brevi inopes facti*, id est,
modico tempore, quia eorum inopia
parum duravit. Deus enim cito sub-
Isa. 65 venit, secundum illud Isaiæ : Ante-
quam clament, ego exaudiam : *ino-*
pes, id est cibo indigentes. *Novam*
gustaverunt escam, id ist, insolitam,
vel insolitarum avium : *oportebat*
enim, &c. quasi & recte sic factum;
oportebat enim, id est, optimum erat :
illis, scilicet Egyptiis, *sine excusatio-*
ne, scilicet culpæ, ex qua punieban-
Rom. 1 tur. Unde : Ita, ut sint inexcusabi-
Rom. 2 les. Item : Propter quod inexcusabi-
lis es, o homo : *supervenire interi-*
tum, scilicet pœnæ interimentis sup-
plicium a summo judice ad eorum
Job. 18 oppressionem, unde : Avellatur de
tabernaculo suo fiducia ejus, & cal-
cet super eum, quasi rex interius
Prov. 29 Item : Viro, qui corripientem dura
cervice contempserit, repentinus ei
superveniet interitus : *illis*, dico Æ-
gyptiis ; *exercentibus tyrannidem*, id
est, crudele imperium in filios Israel,
opprimendo eos duris operibus, ut
Exod. 1 patet in Exodo, & in flumine pue-
ros eorum submergendo, ut patet
Exod. 2 etiam in Exodo. *Iis autem*, scilicet
Israeliticis *tantum ostendere*, supple
oportebat : *quemadmodum inimici eo-*
rum exterminabuntur, ut sic visa eo-
rum pœna corrigerentur, secundum
Prov. 19 illud : Pestilente flagellato, stultus
Prov. 21 sapientior erit. Item : Mulctato pe-
stilente, sapientior erit parvulus.
Etenim, &c. Hic primo ostenditur
periculi gravitas : Secundo liberatio-
nis celeritas : *sed non diu*. Tertio li-
berantis virtus sive potestas : *qui enim*,

A Dicit ergo : *etenim*, quasi bene dixi :
iis autem tantum ostendere, &c. *ete-*
nim, pro quia : *cum illis*, scilicet fi-
liis Israel : *supervenit sæva bestiarum*
ira, scilicet ab offensa superni judi-
cis, quem offenderant murmurando
contra ipsum, ut patet. Unde dici-
tur : Misit Dominus in populum ser- Num. 21
pentes ignitos : *morsibus perversorum*
colubrorum, quia efficaces erant, ad
nocendum : *exterminabantur*, scilicet
aliqui eorum. Unde : Murmuraveri- 1 Cor. 10
tis, sicut quidam eorum murmura-
verunt, & a serpentibus perierunt.
Sed non in perpetuum, id est, sine
fine, ita quod pœna æterna tempo-
rali continuaretur, sicut in Herode.
Ira tua, id est, iræ tuæ effectus, non
animi tui effectus, secundum illud :
Ego Dominus, & non irascor : *per-* Act. 12
mansit, scilicet in filiis Israel. Et :
B Cum iratus fueris, misericordiæ re- Abac. 3
cordaberis. *Sed ad correptionem*, non
ad condemnationem : *in brevi*, id
est, modico tempore : *turbati sunt*,
id est, afflicti scilicet exterius ; &
inde, *turbati*, interius. Unde : Ad Isa. 54
punctum in modico dereliqui te,
&c. & in momento indignationis ab-
scondi faciem meam parumper a te,
& in misericordia sempiterna, mi-
sertus sum tui. Unde : Te autem Hier. 30
non faciam in consummationem,
sed castigabo te in judicio, ut non
videaris tibi innoxius : *signum haben-*
tes salutis, Glossa serpentem æneum,
pro signo positum, cujus aspectu sa- Num. 21
nabantur, ut patet. *Ad commemora-*
tionem mandati legis tuæ, scilicet cu-
C stodiendæ, secundum illud : Et me- Psal. 102
mores sunt mandatorum ipsius, ad
faciendum ea : *sicut puer negligens fla-*
gellatur, ut lectionem suam repetat,
& confirmet, & bene dixi : *signum*
habentes, non causam : *qui enim con*
versus est, scilicet vel interius per
pœnitentiam ad Deum vel exterius
ad serpentem æneum ad aspiciendum :
non per id quod videbatur, scilicet
oculo corporali : *sanabatur*, id est,
non per serpentem æneum : *sed per*
te Salvatorem omnium, per dictum
serpentem signatum, cui non in hoc
obediebat. Sicut Moyses exaltavit Joan. 3
serpentem in deserto : ita exaltari o-
portet filium hominis ; sicut etiam mor-
tuus

tuus non potuit suscitari per Elisæi A baculum, ut habetur in libro Regum. *In hoc autem ostendisti*, &c. hic subiungitur prædictæ punitionis, & liberationis ratio, scilicet ostensio divinæ justitiæ, & misericordiæ: & primo ex parte Ægyptiorum punitorum, ostensio divinæ justitiæ: Secundo ex parte Hebræorum liberatorum, ostensio divinæ misericordiæ, & quædam causæ aliæ. *Filios autem tuos.*) *In hoc autem*, scilicet in Ægyptiorum afflictione, & Israelitarum facili liberatione, *ostendisti*, id est, ostendere voluisti, quamvis illi non viderint. Unde non possunt conqueri, nisi de cæcitate oculorum suorum, sicut si alicui lippo ostendatur sollucens, & ille non videat, secun- B dum Augustinum: *Inimicis nostris*, scilicet Ægyptiis. Mali enim sunt inimici justorum, scilicet active, non passive, qui scilicet odiunt justos, quamvis diligantur ab eis: *ostendisti*, inquam: *quia tu es*, scilicet solus: *qui liberas ab omni malo*, Unde: Multæ tribulationes justorum &c. Contra: Cur multi non liberantur a malo? dicendum, quod sic intelligendum, liberat omnes, qui liberantur, sicut illud: Illuminat omnem hominem, &c. scilicet qui illuminatur. *Illos enim*, scilicet Ægyptios te non colentes: *locustarum & muscarum occiderunt morsus*) *occiderunt*, ad litteram aliquem eorum, quamvis non legatur alibi expresse. *Et non est in-* C *venta sanitas animæ illorum*, Ægyptiorum scilicet sicut filiis Israel a serpentibus, ut in Psalmo: Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, &c. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua: *quia digni erant* scilicet exigentibus eorum meritis. Ab hujusmodi, scilicet universalibus animalibus: *exterminari*. Unde Augustinus super Joannem: Populum superbum Pharaonis Dominus domare potuit ursis, & leonibus, sed muscas & res vilissimas immisit, ut eorum superbia domaretur: Eadem ratione, & homines pulicibus affliguntur. Quid te inflas humana superbia? pulicibus resiste, ut dormias.

Filios autem tuos, &c. Hic ostenditur multiplex ratio liberationis Hebræorum. Sed, ut ordinate procedat, primo repetit eorum liberationem: Secundo liberationis multiplicem rationem. *Misericordia enim tua.*) *Filios autem tuos*, id est, Israelitas. Nam: Primogenitus meus Israel: *filios*, inquam: *tuos*, per fidem, secundum illud: Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus. *Nec draconum venenatorum dentes*, id est, serpentum ignitorum, unde: Ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, Loquitur hic de bonis qui filii Dei sunt, non de malis. *Misericordia enim tua*: ostenditur autem hic ratio multiplex liberationis Israelitarum, quarum prima fuit pietas Dei: Secunda periculum desperationis: *In memoria enim*, Tertia virtus divini sermonis: *Etenim neque herba*; Quarta ostensio divinæ pietatis. *Tu es Domine*, Quinta humana fragilitas: *Homo autem*, &c. Bene dixi: *filios autem tuos*, id est, Israelitas: *nec draconum venenatorum dentes*, id est, morsus serpentum ignitorum: *vicerunt*. *Misericordia enim tua*, id est, effectus misericordiæ tuæ: *adveniens sanabat illos*. Unde: Si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuvabat me. Et: Obducam cicatricem tuam, & dabo tibi sanitatem. Et: Ipse enim vulnerat, & medetur. *In memoria enim sermonum tuorum*, id est, per remunerationem mandatorum tuorum: *examinabantur* aliqui scil. illorum: *& velociter sanabantur*, *vel salvabantur* scil. alii pœnitentes visa morte, vel pœna aliorum. Vel: *exterminabantur*, id est, graviter puniebantur: *& velociter sanabantur*, *ne in altam*, id est: profundam, *incidentes*, id est intus cadentes: *oblivionem*, scil. desperationis, scil. propter adiutorii, & remedii dilationem, *non possent tuo uti adiutorio*, id est, gratiæ tuæ liberantis, ipsi dico, facti indigni misericordia tua propter desperationem. Unde: Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit. Unde in psalmo: Obliti sunt Domini, qui salvat eos, &c. Et bene dixi: *in memoria sermonum tuorum*.) *Etenim*, pro quia: *neque herba*, id est, po-

4 Reg. 4 — Aug. lib. 1 de Doctrin. Chr. in prologo. tom. 3 — Psalm. 33 — Joan. 1 — Exod. 8 — Exod. 10 — Psalm. 37 — Hier. 30 — Aug. tract. 1 in Jo. tom. 9 — Exod. 4 — Joan. 1 — Deut. 8 — Psalm. 93 — Hier. 30 — Job 5 — Prov. 18 — Psalm. 105

A potio ex herbis confecta, quæ bibendo,
intra sumitur: *neque malagma*, id est,
emplastrum, quod extra loco doloris
superponitur: *sanavit eos*, scil. a mor-
sibus serpentum: *Sed sermo tuus Do-*
Num. 21 *mine*, id est, mandatum de serpente
æneo faciendo, & aspiciendo: *qui*, sc.
sermo: *sanat omnia*, scilicet quæ sa-
nantur. Unde hæc est accommoda di-
Psalm. 106 stributio. Nam in Psalmo: Misit ver-
bum suum, & sanavit eos, vel *sermo*,
Joan. 1 increatus, id est, filius, de quo: In
principio erat verbum. Iste sermo se-
cundum Gloss. curat corpora, & a spi-
ritualibus bestiis animam sanat, Un-
Matth. 4 de: Sanas omnem languorem, & om-
nem infirmitatem: *tu es Domine*, be-
ne dixi, quod sermo tuus sanat omnia:
tu enim es Domine, scilicet creator om-
nium: *qui vitæ, & mortis habet potesta-*
tem, id est, vivificandi & mortifican-
1 Reg. 2 di, secundum illud: Dominus mortifi-
Eccl. 11. cat, & vivificat, &c. Item: Mors, &
vita a Deo sunt, Sed contra, quia dici-
Sap. 1 tur supra: Deus mortem non fecit.
Respondeo dicendum, quod quamvis
mortis non sit Deus causa meritoria,
nec efficiens, quantum ad ipsam priva-
tionem, habet tamen potestatem mor-
tis: quia licet non sit causa malo-
rum, habet tamen posse super mala,
quia ex eis elicit, & potest elicere bo-
na. Ad illud quod obiicitur, quod
In morte duo sunt. mors non est a Deo, dicendum quod
in morte est, privatio vitæ, quæ ni-
hil est: & ideo causam efficientem
non habet, sed magis deficientem.
Item est ibi pœnalis afflictio, quæ ali-
quid est, & a Deo est juste infligente
eam peccatoribus merito peccatorum
suorum: *& deducis ad portas mortis*,
id est, ad extremum vitæ articulum
& reducis, scilicet sanando: ut patet
Isa. 38 in Ezechia. *Homo autem*, &c. quasi
sic potes mortificare, & vivificare:
autem, pro sed: *sed homo*, potest oc-
cidere se, sed non vivificare: &
hoc est, quod dicit: *homo autem*,
Homo ab humo dicitur. scilicet peccator dictus homo ab hu-
mo: *occidit quidem*, id est, certe per
malitiam culpæ: *animam suam*, pro-
Psalm. 10 pter quod dicitur in Psalmo: Qui dili-
git iniquitatem, odit animam suam,
est enim homicida suiipsius. Pecca
tor enim est gladius bis acutus, oc-
cidit enim corpus, & animam. Un-
de. Quasi romphæa bis acuta omnis Eccl. 21
iniquitas. *Et cum exierit spiritus*,
scilicet a corpore per mortem: *non*
revertetur, scilicet in corpus, in præ-
senti sæculo. Unde: Antequam va- Job. 10
dam, & non revertar ad terram te-
nebrosam, &c. Item: Omnes mori- 2 Reg. 14
mur, & quasi aquæ dilabimur, in
terram, quæ non revertuntur. Sed
contra, quia dicitur in Psalmo: Exibit Psalm. 145
spiritus ejus, & revertetur in ter-
ram suam, Dicendum, quod hoc in-
telligitur de reversione ad terram
suæ naturalis habitationis, id est,
corporis secundum justitiam retribu-
tionis, & hoc per virtutem divinam.
Nec revocabit, scilicet homo; *ani-*
mam, a corpore separatam: *quæ re-*
B *cepta est*, in loco suo scilicet in glo-
ria, vel in pœna. Unde: Ubicum- Eccl. 11
que ceciderit lignum, sive ad au-
strum, sive ad aquilonem, ibi erit.
Sed tuam manum, id est, potestatem,
tam in præsenti, quam in futuro, tam
in vita, quam in morte: *effugere im-*
possibile: Unde: Non est qui de ma- Job. 10
nu tua possit eruere. Ideo dicitur:
Quo ibo a spiritu tuo, & quo a fa- Psalm. 138
cie tua fugiam? Non enim est ab-
breviata manus domini, imo longis-
sima & totum continens, secundum
illud Psalmi: In manu tua Domine Psalm. 94
omnes fines terræ.

Negantes enim, &c. hic agit de pœ-
nis inflictis Ægyptiis per res inani-
matas. Et primo tangitur Ægy-
C ptiorum punitio. Secundo econtrario
Israelitarum consolatio: *per quibus*
angelorum. Tertio punitionis Ægy-
ptiorum ratio. *Nix enim*, &c. Quar-
to ratio consolationis Israelitarum:
propter, hoc & tunc. In prima ponit
punitionis Ægyptiorum causam me-
ritoriam: secundo modum & for-
mam. *Quod enim mirabile*, & cæ-
tera. Tertio diversitatem secundum
plus, & minus: *quodam enim tem-*
pore.) *Negantes enim*, &c. bene di-
xi impossibile est effugere manum
tuam. *Negantes enim te nosse impii*,
id ist, Ægyptii, scilicet Pharao cum
servis suis *Negantes*, inquam verbo.
Unde Nescio Dominum, & Israel Exod. 5
non dimittam: Et facto illi, de qui-
bus dicitur: Confitentur se nosse Tit. 1
Deum, factis autem negant: *per*

fortitudinem brachii tui, id est, per
Exod. 15 fortem potentiam tuam. Unde: Quis similis tui in fortibus Domine, &c.
Exod. 6 *Flagellati sunt*. Unde; Educam eos de ergastulo Ægyptiorum in brachio
Exod. 15 excelso. Et: Dextera tua percussit inimicum. *Novis aquis*, Et, pro, id est: *grandinibus*, grando enim est quasi aqua congelata, *& pluviis*, quæ sunt quasi aquæ fluidæ, *persecutionem*,
Exod. 9 passi sunt. Unde: Videns Pharao, quod cessasset pluvia, & grando: *& per ignem*, id est, simul cadentem: *consumpti*, Grando, & ignis mixta
Exod. 9 pariter ferebantur. Item in Psalmo:
Psal. 104 Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. Bene dixi per ignem cum grandinibus. *Quod enim mirabile erat*, scilicet contrarium a contrario non destrui, cum scriptum sit; Ignem ar-
Eccl. 3 dentem extinguit aqua. Unde sequitur; *In aqua quæ omnia extinguit*, scilicet ignita: *ignis plus valebat*, id est, fortius agebat cum aqua, *vindex enim est orbis*, id est, vindictæ instrumentum: *vindex*, inquam: *orbis justorum*, id est, vindicans justos. Unde supra:
Sap. 5 Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos. Per prædictum textum innuit quod punitio Ægyptiorum facta fuit non secundum ordinem naturæ,
Exod. 8 sed secundum ordinem divinæ justitiæ vindicantis Israelitas de Ægyptiis, qui eos oppresserant. Glos. Non mirum, quod grando ignis mixta feruntur, quia ad creatoris voluntatem omnia consentiunt. *Quodam enim tempore*, quasi dicat non semper uniformiter agebat: *enim*, pro sed. *Sed quodam tempore mansuetabatur ignis*, scil. quousque animalia timentum sermones Moysi revocarentur, vel reducerentur de
Exod. 9 agris. Unde in Exodo dicitur: Mitte & congrega jumenta tua, & omnia, quæ habes in agris, vel agro. *Et post*: qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos, & jumenta in domos. *Mansuetabatur*, inquam: *ne comburerentur animalia, quæ missa erant ad impios*, id est, jumenta, divinitus eis data. Nec solum propter hoc: *sed etiam, ut ipsi videntes*, prædictam interpolationem, *scirent*, scilicet per ipsam: *quoniam Dei judicio*, non eventu naturali: *patiuntur persecutionem*. Item, secundum Glossam, ut cognoscerent, quoniam omnis creatura parata est ulcisci injuriam Creatoris. Unde: Cognoscetur Psal. 9
Dominus judicia faciens, qui, sicut dicit Bernard. non est cognitus injurias patiens. Et notandum, quod Do- Gen. 19
minus punivit Sodomitas per ignem sine mansuetudine: & hoc quia nulli erant boni inter eos. Sed Ægyptii per ignem, cum mansuetudine, quia filii Israel erant in Ægypto, qui boni erant: *& quodam tempore*, scilicet revocatis animalibus: *in qua supra virtutem naturalem*, scilicet quia per miraculum: *ignis exardescebat undique*, scilicet per totam terram Ægypti: *ut iniquam terræ nationem exterminaret*, id est, Ægyptios, qui erant terrestris natio, non cœlestis. Contra quod dicitur: Sicut por- 1 Cor. 15
tavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis.

Pro quibus, &c. hic circa consolationem Israelitarum primo tangitur exhibitio beneficii: Secundo ratio exhibendi: *substantiam enim*) *Pro quibus*, scil. malis id est, loco quorum malorum econtrario: *Angelorum esca*, id est, manna quod propter angelos erat præparatum: *nutrivisti populum tuum*, &c. Unde in Psalmo: Panem angelorum manducavit ho- Psal. 77
mo, vel quia præfigurabat escam angelorum, sc. Panem vivum, quia Joan. 6
de cœlo descendit: *Nutrivisti*, inquam: *populum tuum*, scil. filios Israel, hoc enim cibo nutrivit eos, quousque tangerent fines terræ promissionis, ut habetur in Exodo. *Et* Exod. 16
paratum panem, id est, refectionem: *de cœlo*, scilicet aereo descendentem secundum illud Psalmi. Pluit illis Psal. 77
manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, *præstitisti illis sine labore*, Contra: quia dicitur: Circuibat Num. 11
populus, & colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas, quasi saporis panis oleati. Respondeo, *sine labore*, acquirendi per agriculturam. *Sed non sine labore*, parandi. Nos vero laborem habemus in acquirendo, & parando. Unde: In sudore vultus tui: *omne* Gen. 3
delectamentum in se habentem, id est, effe-

effectum omnis cibi delectantis, faciendo similem delectationem in comedente: *& omnis saporis suavitatem*, id est, omnem suavem saporem: taliter enim unicuique sapiebat, sicut volebat, ut dicit Gregorius. Sed contra dicitur, quod habebat saporem quasi pani oleati. Dicendum, quod de natura sua habebat determinatum saporem dulcissimum, scilicet sicut sapor simile cum melle. Sed per gratiam divinam habebat sapores diversos, scilicet secundum desideriorum diversitatem, ut tangit Glossa: super illud: Omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt. Sed contra: Quia si habebat saporem a quolibet desideratum, ergo non desiderassent carnes Ægypti, nec nauseasset anima eorum super cibo levissimo, cum tamen oppositum legatur. Dicendum, secundum Glossam: Boni saporem optimum ibi inveniebant, sed mali fastidiebant. Vel dicendum, quod requirebant in cibo non solum delectationem saporis, quoad gustum, sed etiam coloris, quoad aspectum: & odoris, quoad odoratum, Hieronymus: Aves coram divitibus in suis saporibus decoquuntur, ut visu, & odore reficiantur, sicut deliciosi in vino, cum tamen dicatur: Ne intuearis vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro, &c. *Substantiam enim tuam*, id est, tuam virtutem sustentandi: *& dulcedinem*, id est, potestatem delectandi: *quam habes in filios*, scilicet eos sustentando per cibi substantiam, & delectando per ejusdem cibi saporem: *ostendebas*, &c. unde: Parasti in dulcedine tua pauperi Deus: *ostendebas*, inquam, conferendo eis prædictam escam sustentantem, & delectantem: *& deserviens*, scilicet cibus vel panis prædictus: *uniuscujusque voluntati*, scilicet comedentium: *ad quod quisque volebat, convertebatur*, id est, ad qualem saporem: habebat enim, ut dictum est, unum saporem determinatum per naturam, sed varios per divinam gratiam. Mystice, per manna significabatur congrue Christus sub sacramento altaris. Primo quia ipse est panis angelorum, scilicet sacerdotum, secun-

Greg. lib. 6 Moral. cap. 9 — Num. 4 — Manna saporis unius, & multiplex. — 1 Cor. 10. — Num. 21. — Prov. 23 — Psalm. 67 — Christus per manna significatur.

A dum illud: Angelus Domini exercituum est. Secundo, quia cœlitus paratur, id est, quia virtute cœlesti conficitur, unde: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus. Tertio, quia comedentes ex eo pro suo desiderio, id est, devotione recipiuntur, secundum illud: Desiderium animæ ejus tribuisti ei. Item. Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo. Quarto, quia cum ipso res gratiæ descendit, & datur, sicut, & ros cum manna descendebat, ut habetur in Numeris. Et ideo panis iste Eucharistia dicitur. Eucharistia bona gratia interpreta-B tur. Quinto, quia sicut apparebat manna, ut semen coriandri albi. Sic & Christus sub nebula candida sumitur. Ecce nubem candidam, & supra nubem sedentem similem filio hominis. Sexto, quia sex diebus, & non in sabbatho colligebatur, sic Christus in præsenti sub sacramento sumitur, sed in futuro sabbatho, de quo dicitur: Erit sabbathum ex sabbatho, ad faciem videbatur. Tunc autem facie ad faciem. Item. Videbimus eum, sicuti est. Septimo, quia usque ad ingressum terræ promissionis in deserto per quadraginta annos cibo illo nutriti sunt, sic usque ad finem mundi in diserto hujus mundi fideles C Ecclesiæ nutriuntur, secundum illud: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

Malac. 2 — Joan. 6 — Psal. 64 — Psal. 20 — Psal. 77 — Num. 11. — Eucharistia, id est, bona gratia. — Apoc. 14 — Isa. 66 — 1 Cor. 13 — 1 Joan. 3 — Matth. 28

Nix autem, &c. Hic tangitur ratio afflictionis Ægyptiorum: Primo ex parte punitorum. Secundo ex parte eorum, pro quibus puniebantur: *hic autem*, Tertio ex parte Dei punientis: *creatura*. Dicit ergo: *Nix autem*: &c. Ita dictum est: *quod ignis in aqua plus valebat*;) *Nix autem*, *& glacies*, id est, grando: *sustinebant vim ignis*: id est, calorem qui est ejus qualitas activæ virtutis. *Et non tabescebant*, id est non liquefiebant, unde. Pluit Dominus grandinem super terram Ægypti: & grando, & ignis mixta pariter ferebantur: *ut scirent*, scilicet Israelitæ, *quæ modo* fru-

Exod. 9

fructus inimicorum, id est, Ægyptio- A rum: *exterminabat ignis ardens*, scilicet per calorem: *In grandine, & pluvia coruscans*, scilicet per splendo- Exod. 9 rem. Linum, & hordeum læsa sunt eo, quod hordeum virens esset, & linum jam foliculos germinaret. *Hoc autem iterum*, &c. Sciendum, quod ly, *hoc*, potest esse ablativi casus, ut sic exponatur: *hoc*, pro hoc. Vel nominativi, ita, quod sic legatur: *hoc autem iterum*, supple, factum est, *ut nutrirentur justi*, scilicet filii Israel. *Ignis etiam suæ virtutis oblitus est*, scilicet non exterminando fructus terræ justorum, ut patet. Et Exod. 9 legitur tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidisse. Sic & vim virtutis suæ oblitus Dan. 3 est ignis, quando tres pueros justos in fornace non læsit, ut patet: *Creatura enim tua*, scil. quæcumque: *tibi factori deserviens*, id est, tuæ voluntati: nam omnia fecisti, secundum illud Psalmi: Psalm. 133 Omnia quæcumq; voluit fecit: *Excandescit*, id est vehementer movetur, & concitatur: *in tormentum*, punitionis: *adversus injustos*, id est, inimicos tuos: *Et lenior fit*, id est, innociva vel noxia: *ad benefaciendum pro iis, qui in te confidunt*, id est, pro justis: obedientibus enim Deo creaturæ obediunt, ut patet Josue 10 in Josue: Ubi legitur, quomodo Sol stetit ad imperium Josue, & rebellantibus rebellavit, unde supra: Pugnabit Sap. 5 pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Propter hoc, &c. Hic tangitur ratio consolationis Israelitarum: Primo recognitio divini beneficii. Secundo exhibitio cultus divini: *quod enim ab igne*. Tertio, vitatio ingratitudinis: *spes enim*, &c. *Propter hoc*, scil. quia creatura deservit creatori: *& tunc*, scilicet quando filii Israel in deserto manna pascebantur: *omnia*, id est, omnium rerum desideratarum saporem: *transfigurata*, scilicet ipsa creatura, scilicet manna: *omnium nutrici gratiæ tuæ*, id est, gratuitæ bonæ voluntati tuæ. Ita quod intelligatur de gratia increata, unde: Contristastis nutricem Baruc. 4 vestram Hierusalem. *Deserviebant*, id est, obediebant. Glossa, Confundantur hic peccatores, quia cum cæteræ creaturæ factori suo deserviant, ipsi repugnant. Unde creaturarum omnium concordia flagellantur. *Deserviebant*, inquam: *ad voluntatem*, complendam scilicet *eorum qui a te desiderati sunt*, scilicet speciali amore delecti, ut filii Israel, unde: Te elegit Dominus Deus tuus, Deut. 7 ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram: *ut scirent filii tui*, scil. Israelitæ, secundum illud: Primogenitus meus Exod. 4 Israel. Et: Filios enutrivi: *quos di-* Isa. 1 *lexisti Domine*, scilicet æterna dilectione, & temporali, unde: Dilexi Mal. 1 vos dicit Dominus. *Scirent*, inquam: *quoniam nativitatis fructus*, id est, non naturales fructus de terra nati, secundum illud Geneseos, Germinet Gen. 1 B terra, &c. *pascunt homines*, scil. in quantum sunt homines, id est, secundum illud, quo differunt a bestiis, scil. secundum rationalem animæ potentiam, vel partem: *sed sermo tuus*, id est, creatus, id est, mandatum tuum. Nam: Non in solo pane vivit homo, &c. Vel, Matth. 4 *Sermo* increatus, id est, filius, de quo: Sermo tuus, veritas est. Et: Joan. 17 Ego sum via, veritas, & vita: *hos*, Joan. 14 *qui in te crediderunt, conservat*. unde: Dedit tibi Dominus cibum, manna, Deut. 8 quod ignorabas tu, & patres tui, ut ostenderet tibi, quod non in solo Matth. 4 pane vivit homo, sed in omni ver- Luc. 4 bo, quod procedit ex ore Dei, *Quod enim ab igne non poterat exterminari*, scilicet manna, quia ad ignem dure- C scebat: ita quod exinde fierent tortulæ, ut patet. *Statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat*, id est, liquefiebat, ut patet. Unde oportebat, quod mane colligeretur. *Ut no-* Num. 11 *tum omnibus esset*, scilicet per hoc signum: *quoniam oportet prævenire* Exod. 16 *Solem*, id est, solis ortum: *ad tuam benedictionem*, supple optinendam, hoc est ad recipiendum, & colligendum manna, ne post ortum solis liquefieret calore solis: sic ad benedictionem gratiæ obtinendam oportet prævenire solem, mane vigilando, secundum illud: Qui mane vigilaverint ad Prov. 8 me, invenient me. Et: Mane astabo Psal. 5 tibi, & videbo, &c. *ad ortum lucis*, id est, statim, ut oritur lux, vel versus orientem, ubi lux oritur: *te adorare*, scili-

scilicet pro receptione illius mannæ. Versus orientem, inquam, quia sicut dicit Damascenus: Omne melius est Deo tribuendum. Unde, quia oriens est melior pars cœli, ideo ad orientem est. Ad orientem secundum illud Psalmi: Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. Adorandi versus orientem multiplex est ratio: quarum prima est loci dignitas, quia scilicet oriens est melior pars cœli, & hanc ponit Damascenus. Secunda, est finis, propter quem adoramus, scil. ut illuminemur, unde: Accedite ad eum, scilicet per orationem, & illuminamini. Tertia, est proprietas ejus, quem adoramus, quasi scilicet ipse est verus Sol justitiæ, de quo Malachias, & Zacharias: Ecce vir oriens nomen ejus. Quarta, est situs paradisi, quem, adorando, quærimus. In cujus signum legitur paradisus terrestris plantatus ad orientem, secundum quod habet alia translatio. Quinta, contraria consuetudo Judæorum, qui adorabant ad occidentem. Ingressus enim templi erat ab oriente, ut patet: Sexta ascensus Christi ad orientem, secundum illud: Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. Septima adventus ejus ad judicium ex parte orientis: Sicut fulgur exit ab oriente, &c. ita erit adventus filii hominis. Notandum autem, quod in hoc, quod manna in ortu Solis liquefiebat, significabatur, secundum Glossam, in ortu Christi, sacramentum vetus cessaturum: quia finis legis Christus. *Ingrati enim spes*, &c. Ita dixi, quod

Damasc. Orthod. fid. lib. 4 cap. 13 — *Psalm. 67* — Adorandi versus orientem ratio multiplex. — *Damasc. ubi supra.* — *Psalm. 33* — *Malach. 4 & Zach. 6* — *Gen. 2* — *3 Reg. 6* — *Psalm. 67* — *Matth. 24*

A tabescebat calore solis, & hoc in signum hujus: *quia spes ingrati tabescet*, &c. Vel sic bene dixi quod oportet adorare ad ortum lucis, &c. scilicet pro receptione prædicti beneficii. Et hoc ad vitandam ingratitudinem, quæ valde damnosa. *Ingrati enim spes*, scilicet cujuscumque impii: vel specialiter Judaici populi, secundum Glossam: *tamquam hybernalis glacies*, Glossa, constricta frigore infidelitatis, secundum illud: Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua, *tabescet*, id est, liquefiet, id est, calore Solis justitiæ dissolvet in die judicii, vel particularis, vel universalis unde: Sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei: *tabescet*, inquam, quo ad pœnam damni, scilicet amittendo omnia bona B quæcumque habuit, vel speravit, scilicet bona gratiæ, & gloriæ: *& disperiet*, id est, dupliciter peribit, id est, in corpore: & anima patietur tormentum, & hoc quantum ad pœnam sensus: *disperiet*, inquam: *tamquam aqua supervacua*, id est, inutilis, quæ in terram effunditur, vel proiicitur. Sic & ingratus, tamquam inutilis in infernum proiicietur, juxta illud: Servum inutilem eiicite in tenebras exteriores: *ingrati ergo spes tabescet, & disperiet*, &c. Unde supra: Spes impii tamquam lanugo, quæ a vento tollitur. Item Bernardus: Ingratitudo est ventus urens, fontem pietatis exsiccans, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.

Eccl. 43 — *Psalm. 67* — *Matth. 25* — *Sap. 5* — *Bernar. in Cant. Cant. serm. 51 post med.*

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

Magna sunt enim judicia tua Domine, inenarrabilia verba tua propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, & cum admiratione nimia perturbati. Neque enim, quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pavorem illis præstabant. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis timore plenus: & timore percussi illius, quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur, & magicæ artis appositi erant deri-

derisus, & sapientiæ gloria correptio cum contumelia. Illi enim, qui promittebant timores, & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabant transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, & aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. Frequenter enim præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat scientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat. Illi autem, qui impotentem vere noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferius supervenientem eumdem somnum dormientes, aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis, & insperatus timor supervenerat. Deinde si quisquam ex illis decidisset custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, ut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum: aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo, deficientes faciebant illos præ timore, Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

EXPOSITIO IN CAP. XVII.

Ordo dicendorum.

M*Agna enim sunt*,) Postquam egit de pœna sensus, hic agit de pœna damni, id est, de lucis subtractione: & primo tangitur punitionis Ægyptiorum æquitas, quia scil. pro meritis puniti sunt: secundo, irremediabilitas, scilicet quia sine interpolatione. *Neque enim, qua continebat*; tertio, generalitas, quia omnes, ibi: *Illi autem qui impotentem*; quarto, singularitas, quia illi soli, scilicet. Ægyptii *Omnis enim*. Æquitas autem ostenditur ex causa meritoria peccatorum illorum: primo peccati in Deum: secundo, in proximum. *Dum enim persuasum*: tertio, in seipsos: *& dum putant*.) *Magna enim*, &c. bene dixi, quod Ægyptii sunt puniti, Israelitæ vero consolati. *Magna enim sunt judicia tua Domine*, Glossa quibus regis universa unde: Judicia tua abyssus multa: (Psal. 35) *& inenarrabilia verba tua*, scilicet quibus rationalem creaturam instruis; *inenarrabilia*, dico ad plenum, unde hoc: O altitudo divitiarum sapientiæ Dei, &c. (Rom. 11) *Propter hoc*, Glossa quia Creatorem suum credere, & intelligere noluerunt: *indisciplinatæ animæ*, id est, incorrigibiles

A de peccatis suis. Et processio in malum viro indisciplinato. (Eccl. 10) Item: Percussisti eos, & non doluerunt, & (Hier. 5) renuerunt accipere disciplinam. Et: Tu vero odisti disciplinam: *erraverunt* a via veritatis, supra: Ergo (Psal. 49; Sap. 5) erravimus a via veritatis, de qua Joannes. Ego sum via, veritas, & (Joan. 14) vita. Via in exemplo: veritas in promisso, vita in præmio. *Dum enim*, &c. bene dixi, quod erraverunt: *Dum enim iniqui*, scil. Ægyptii, dicti iniqui propter iniquam oppressionem Israelitarum, & submer- (Exod. 1) sionem infantium ipsorum: *persuasum habent*, id est, credunt: *posse*

B *dominari nationi sanctæ*, id est, filiis Israel; qui dicuntur natio sancta: quia erant sanctorum filii secundum illud: Filii sanctorum sumus. Item, (Tob. 2) quia per circumcisionem sanctificati, de qua sanctificatione habetur in Genesi. Tertio, quia per conversa- (Gen. 17) sationem sanctificandi, secundum illud Levitici: Sancti estote quia (Levit. 11) ego sanctus sum: *vinculis tenebrarum*, scilicet palpabilium quæ fue- (Exod. 10) runt in Ægypto: *Et longæ noctis*, id est, obscuri temporis, ac si esset nox, quod tempus longum fuit, quia tribus die- (Ibidem.) bus nemo vidit proximum suum, ut patet. *Compediti*, scil. per effectus similitudi-

tudinem: quia scilicet non poterant ire, ac si essent compediti, unde: Tribus diebus non movit se quispiam de loco, in quo erat: *inclusi sub tectis*, scilicet domorum suarum non audentes egredi: *fugitivi perpetuæ providentiæ*, scilicet quantum in eis, erat scilicet quia prævisam a Deo liberationem Israelitarum putabant impediri. Vel, *fugitivi*, &c. id est, volentes effugere Dei providentiam: quod esse non poterat, cum dicatur supra: Manum tuam effugere impossibile est, *latuerunt*, id est, latere putaverunt, vel placuerunt, scilicet in pœna, qui displicuerunt in culpa: qua per pœnam fit recordatio eorum, qui per culpam deordinati fuerunt, *&* *dum putant se latere*, scilicet Deum punitorem: cum tamen omnia nuda sint, & aperta oculis ejus: *Latere*, inquam, *in peccatis obscuris*, id est, enormibus, quæ maxime in obscuro fiunt, unde: Quæ in occulto fiunt ab eis, turpe est dicere: quia qui male agit, odit lucem: Propter hoc peccata dicuntur opera tenebrarum. *Tenebroso velamento oblivionis*, id est, tenebrarum caligine eos velante, & aliorum oblivionem immittente, dum scilicet seipsos juvare non poterant, *dispersi sunt*, scilicet unus ab altero, *paventes horrende*, id est, timore horribili, scilicet propter tenebrositatem. *Et cum admiratione nimia perturbati*, scilicet propter inconsuetam rei novitatem supra: Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur, &c. unde: In die ejus stupebunt novissimi, & primos invadet horror. *Neque enim, quæ continebat illos spelunca*: &c. hic ostenditur pœnæ irremediabilitas. Primo a loco: Secundo a contrario, *&* *ignis*, Tertio ab artificio: *&* *magicæ*, &c. *Neque enim*, &c. bene dixi paventes, horrende &c. *Neque enim spelunca*, *quæ continebat eos*, qui scilicet illuc fugerant, propter grandinem, & pluviam, & ignem. Et nota, quod singulare ponit pro plurali, cum dicit spelunca, quia non ad unam tantum speluncam fugerant, sed ad plures, & in diversis locis latebant, *sine timore custodiebat*, Glossa quia semper tenebras comitatur horror: & quanto minus discernit quisque, quæ circa se sunt, tanto magis metuit, *quoniam sonitus descendens*, scilicet in illam foveam, *sonitus*, inquam, vel tonitruorum cœlestium vel illusionum diabolicarum: *perturbabat*, id est, perfecte turbabat illos, unde: Sonitus terroris semper in auribus eius. *Et personæ tristes illis apparentes*. Sed quomodo apparebant in tantis tenebris? potest dici, quod non apparebant sensui: sed imaginationi. *Pavorem præstabant*, quia, sicut dicit Glossa potuit esse, ut dæmones aliqua phantasmata terribilia eis ingererent, quæ eos ad augmentum pœnarum exterrerent, secundum illud: Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.

Ibidem. — Sap. 16 — Heb. 4 — Ephe. 5 — Joan. 3 — Rom. 13 — Cap. 5 — Jo. 18 — Jo. 15 — Job 4

Et ignis quidem, &c. Hic ostenditur pœnæ irremediabilitas, & hoc ex parte contrarii, scilicet ignis. Primo, quia non præstabat adjutorium: Secundo, quia potius præstabat nocumentum, *apparebat autem illis*. Dicit ergo: *Et ignis quidem nulla vis poterat eis lumen præbere*. Unde deficiebat eis illuminatio a parte inferiori, & dicit: *nulla vis*, quia tres sunt species ignis, secundum Philosophum scilicet lux, flamma, & carbo, *nec siderum limpidæ flammæ*, id est, dati radii: *illuminare poterant illam noctem horrendam*. Unde patet, quod eis deficiebat lumen a parte superiori, quamvis supra sunt positæ stellæ, ut illuminent noctem. Et merito defuit eis lumen, quia scilicet rebelles fuerunt lumini. Et ideo sol justitiæ non oriebatur eis, unde supr. Sol intelligentiæ non est ortus nobis, & justitiæ, lumen non luxit nobis, *apparebat autem illis*, scilicet Ægyptiis, *subitaneus ignis*, scilicet coruscationum cœlestium, *timore plenus*, scilicet propter aspectum malorum visorum, scilicet fulgurum: quanto enim graviores sunt dolores, tanto majores timentur horrores, *&* *timore percussi* propter visionem malorum imaginatorum, *illius, quæ non videbatur faciei*, id est, phantasmatis enim nisi exterius, sed imaginati interius, quod diabolus immittebat ad magis terrendum, *æstimabant deteriora esse*, *quæ videbantur*,

Gen. 1 — Sap. 5

tur, supple quam essent, secundum rei veritatem, unde: Undique terrebunt eum formidines, & involvent pedes ejus. *Et magicæ*, &c. hic ostenditur irremediabilitas ab artificio, scilicet artis magicæ. Et primo ostenditur magorum confusio. Secundo materia confusionis, scilicet timor: *illi enim*. Tertio causa exterius timorem efficiens. *Tametsi nihil*. Quarto dispositio interius timorem augens: *frequenter*, &c. & ibi tanguntur tria timorem augentia. Quorum primum est remorsus conscientiæ: secundum est perturbatio consequens remorsum *semper enim*; tertium est diffidentia auxilii consequens utrumque *Nihil enim est timor*, &c. *Et magicæ artis*, id est, magorum ipsorum, *appositi erant*, scil. ad prædicta mala, *derisus*, in hoc scilicet quod hæc mala expellere tentabant & non poterant. Unde & ipsi vehementer timebant: Digitus Dei est hic, *& sapientiæ gloria*, id est, gloria magorum de sapientia sua: *correptio cum contumelia*, supple erat, id est, causa correctionis contumeliosæ, unde: Ubi fuerit superbia, ibi contumelia. Et: Non glorietur sapiens in sapientia sua. Et bene dixi, quod eorum correptio fuit cum contumelia ipsorum *illi enim*, scilicet magi, *qui promittebant timores*, scilicet interiores: *& perturbationes* scilicet exteriores: *se expellere*, scilicet per suam artem magicam, *ab anima languente*, scilicet præ timore, & perturbatione, *ii cum derisu*, illato ab aliis, *pleni timore*, in seipsis: *languebant*. Unde cuilibet eorum poterat verbum dici illud: Medice cura teipsum: Et: Nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens: *Nam & si nihil illos ex monstris*, id est, phantasmatibus apparentibus, vel miraculis Moysi, *perturbabat*, quia scilicet monstris erant assueti, sicut Balaam non timuit loquelam asinæ, ut patet; *Transitu tamen animalium*, scilicet subito, & impetuoso, scilicet ursorum & leonum, & hujusmodi, *& sibilatione serpentum*, vel serpentium, quos scilicet videre non poterant, *commoti*, scilicet interius, *tremebundi*, exterius, *peribant*, scilicet deficientes propter prædicta, unde: Dabit tibi Dominus cor pavidum, & oculos deficientes, & animam mœrore consumptam, & timebis nocte, & die. *Et* id est, etiam, *aerem, quem nulla ratio ne effugere quis posset*, scilicet propter necessitatem inspirationis, & respirationis. *Negantes se videre*, propter tenebras palpabiles, *frequenter enim præoccupant*, scilicet cogitando, & expectando ante eventum, *pessima*, scilicet supplicia pro peccatis inferenda. Pessima dicit, quia mala in vita, pejora in morte, pessima post mortem: vel mala innata, pejora illata ab homine, sed pessima inflicta a Deo, propter quod: Horrendum est incidere in manus Dei viventis: *redarguente*, eos, *conscientia*, secundum illud: Arguet te malitia tua. *Cum enim sit timida nequitia*, id est, habens timorem annexum eo quod malum culpæ semper consequitur, vel comitatur malum pœnæ: Unde sicut charitas perfecta excludit timorem, ut dicitur, sic iniquitas eum causat & inducit, unde: Trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Item: Terrebit eos sonitus folii volantis: *dat testimonium condemnationis*, scilicet contra actorem suum, unde: Testimonium reddente conscientia: *testimonium*, inquam, *condemnationis*, scilicet actoris sui, id est, testificatur ipsum esse dignum condemnatione, unde supra: Nos insensati, &c. Item: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum. Alii habent: *data est in omnium condemnationem*.) *semper enim præsumit*, id est antequam eveniant suspicatur, *sæva*, id est, aspera sibi eventura, *perturbata conscientia*, scilicet peccato, vel peccati remorsu, unde dicit Cain: Omnis, qui invenerit me, occidet me. *Nihil enim est*. Nota, quod hic causalis prædicatio, non essentialis habetur: timor enim non est præsumptio, sed causatur ex præsumptione, id est, præsumpta suspicione mali futuri. Unde describit hic timorem dupliciter. Primo per causam, quæ est præsumptio mali futuri: Secundo, per es-

effectum ejus, qui est perditio, vel manifestatio cogitationis deficientis auxilii: *Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adjutorium*: id est, præsumptio, sive suspicio mali futuri, vel eventuri adjuvans ad timendum, & *proditio cogitationis auxiliorum*, scilicet deficientium, id est cogitatio prodens defectum auxilii, & ipsi, timenti, & aliis, scilicet qui ejus timore percipiant deficere auxilium. Unde talis timor facit clamare petendo auxilium; ut patet in Petro, qui cum cœpisset mergi, clamavit, Matt. 14 & dixit: Domine salvum me fac. *Et dum ab intus*, scilicet in mente, *minor est expectatio*, id est, spes vel confidentia, quia caret justitia, quæ facit justos confidentes, & securos, secundum illud: Justus quasi Leo, Prov. 28 confidens absque terrore erit. *Majorem putant scientiam* id est, majorem reputant vim ad nocendum, *ejus causæ*, scilicet terribilis, *de qua tormentum præstat*, id est, imminet sibi: quia defectus majoris spei, & confidentiæ, auget timorem, facientem suspicari majus malum, quam imminet & quam sit. Aliter videtur posse exponi, secundum Glossam, ab illo: *Semper enim præsumit sæva*, &c. quasi dicat, merito, *nequitia dat testimonium condemnationis*: *semper enim præsumit sæva*, id est, promptuose extollitur ad inferendum sæva aliis, *perturbata conscientia*, id est, irata conscientia, non tranquilla, *enim* Enim pro sed. pro sed, *Nihil enim timor est, nisi præsumptionis adjutorium*, id est, medicamentum, reprimendo scilicet motum hujus præsumptionis, & *proditio*, id est, manifestatio, *cogitationis auxiliorum*, id est, infirmæ cogitationis, quæ se ante extollebat præsumendo se non indigere auxilio. *Et dum ab intus minor est exspectatio*, id est, minor operatur potestas nocendi rei, a qua punitur, scilicet extrinsecus, *majorem putat scientiam*, id est, virtutem ad nocendum sibi, quam sit secundum veritatem. *Illi autem*: &c. hic ostenditur punitionis generalitas. Primo ex parte temporis. Secundo, ex parte personarum afflictarum, *deinde si quis*. Tertio, ex parte causarum, *sive spiritus sibilans*, quasi sic terrebantur magi, *illi autem*, scilicet Ægyptii, *qui impotentem vere noctem*, id est, fortem, quia tenebrosam, valde, & longam, & nullo remedio illuminabilem: & *ab infimis*: scilicet exaltatione vaporum, & fumositatem grossarum, aerem obscurantium: & *ab altissimis*: scilicet defectu irradiationis corporum cœlestium, *supervenientem*, id est, super eos venientem, *eumdem somnum*, id est, communem, *dormientes*, quia sicut dormiebat unus, sic alius, non melius: *aliquando monstrorum exagitabantur timore*; id est, phantasmatum monstruosorum in somnis apparentium eis, unde: Terrebis me per Job 7 somnia, & per visiones horrore concuties. *Aliquando animæ deficiebant traductione*, id est, quasi imminente exitu de corpore, & hoc vigilando, quando jam excitati erant: quia sicut dicit Glossa nec vigilantes, nec dormientes quiescere poterant, quia horrendis monstris, & visionibus, & terrore inimico circumdabantur: *subitaneus enim*, id est, repentinus, & *insperatus*, id est, improvisus, quia cito, & ex improviso: *illis timor supervenerat*: id est, super a divino judicio, unde: Veniet super te Isa. 47 repente miseria, quam nescis. *Deinde*, scilicet præter prædicta mala: *si quis ex illis*, scilicet Ægyptiis, *decidisset*, scilicet in foveam, vel hujusmodi: *custodiebatur in carcere*: id est, in loco, in quo ceciderat, non valens inde exire, *sine ferro reclusus*, id est, sine vinculis ferreis: quia vinculo tenebrarum omnes erant compediti, ut patet supra eodem. *Si enim rusticus quis erat*, id est, ruris cultor, aut pastor animalium, *aut agri laborum operarius*; ut messor, vel vindemiator: *præoccupatus esset*, scilicet illis tenebris extra domum suam, *ineffugibilem sustinebat necessitatem*, scilicet penuriam, & afflictionem: quia nemo movit se tribus diebus de loco in quo erat, ut patet. *Una enim*, id est, communi: Exod. 10 *catena tenebrarum*, scilicet exteriorum, *omnes erant colligati*, id est, simul ligati. Nec tantum catena exteriorum, sed interiorum, scilicet infidelitatis, & peccatorum, unde;

Pro. 5 Funibus peccatorum suorum quisque
Ps. 118 constringitur. Item: Funes peccatorum circumplexi sunt me: *sive enim*
3 Reg. 19 *spiritus sibilans*, id est, Sibilus auræ tenuis. *Aut inter spissos ramos arborum avium sonus*, id est, cantus *suavis*; suavis, in quantum erat de se idoneus ad delectandum magis, quam ad terrendum. *Aut vis aquæ decurrentis nimium*, id est, impetuose currentis, sicut currunt aquæ torrentium; *aut sonus validus præcipitantium petrarum*, id est, impetuose de altis locis cadentium: *aut ludentium animalium cursus invisus*, scilicet propter tenebrarum densitatem. *Animalium*, scilicet mitium, ut jumentorum: *aut mugientium valida bestiarum vox*, id est, ferarum; aut ursorum, aut leonum, aut hujusmodi: *aut resonans de altissimis montibus Echo*, id est repræsentatio vocis animalium propter reverberationem montium, vel petrarum, *deficientes faciebant illos præ timore*, scilicet omnia supradicta. Unde Glossa; undique miseri cruciabantur: quidquid enim auribus, vel oculis, vel quolibet sensu percipiebant, tamquam periculosum formidabant.

Moralis expositio. Notandum autem, quod catena prædicta moraliter loquendo significat peccatorum progressum, & connexionem, de qua Isaias: Si abstuleris
Isa. 58 de medio tui catenam: *Spiritus sibilans*, significat diaboli occultam
Apoc. 16 suggestionem. Vidi de ore draconis, de ore bestiæ, & de ore pseudo-prophetæ exire tres spiritus immundos in modum ranarum: *Avium sonus suavis*, cogitationum delectationem:
Soph. 2 Vox cantantis in fenestra: *aqua decurrens*, consensum in perpetratio-
Eccl. 25 nem peccati, contra quod: Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum. *Sonus petrarum cadentium*, peccati ex-
Job. 14 teriorem operationem, unde. Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo: *cursus animalium ludentium*, pravam consuetudinem, unde:
Job. 40 Omnes bestiæ agri ludunt ibi; *Valida vox bestiarum mugientium*, apertam gloriationem de peccato perpetrato,
Ps. 51 contra quod in Psal. Quid gloriaris in malitia? *Resonans Echo*, delectabilis peccati recordatio, unde: Recor- Num. 11
cordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto.

Omnis enim &c. Hic tangitur pœnæ singularitas: Et quod opposita juxta seposita magis elucescunt. Primo tangitur illuminatio aliorum; Secundo Ægyptiorum obtenebratio, *Solis autem illis*, &c. Tertio obtenebrationis meritum, *ipsi ergo*, bene dixi Ægyptios compeditos vinculis tenebrarum, & non alios, *omnis enim orbis terrarum*; scilicet excepta regione Ægypti, *limpido*, id est claro: *illustrabatur lumine*, scilicet solis, & cœlestium luminarium, quamvis alibi essent multi peccatores in mundo. Solem suum facit oriri super bonos, Mat. 5
& malos. *Et non impeditis continebatur*, id est, conservabatur, *non impeditis operibus*, luminarium per densitatem tenebrarum, vel alio modo, *non impeditis operibus*, hominum aliorum ab Ægyptiis, propter defectum lucis, cum alibi esset claritas lucis, quæ ad operandum requiritur, unde: Operamini, dum dies est. Venit enim nox, quando nemo potest Joan. 9
operari. *Solis autem illis*, scilicet Ægyptiis, *superposita erat*, scilicet a Deo Job. 3
gravis nox, quia obscurior solito, & longior, unde: Nos quippe involvimur tenebris. *Nox*, dico existens, *imago*, id est, expressa repræsentatio, *tenebrarum*, scilicet, æternarum, *quæ* scil. imago tenebrarum, id est tenebræ imaginatæ, *superventura illis erat* scilicet in inferno, unde: Inutilem Matth. 25
servum ejicite in tenebras exteriores. Item: Terram miseriæ, & tenebrarum, &c. Et quia tam graves tenebras, &c. non immerito. *Ipsi ergo sibi erant graviores tenebræ*, id est, graviorum tenebrarum supple, quam patiebantur, id est, superventurarum sibi in inferno, unde: Novit opera Job. 34
eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur, *vel ipsi erant graviores tenebræ*, id est periculosiores, per excæcationem cordis. Excæcavit Sap. 2
enim eos malitia eorum, supra. Et Ephes. 5
eratis aliquando tenebræ; aliqui libri habent, *graviores tenebris* scilicet exterioribus, propter remorsum conscientiæ.

CA-

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem inimici audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te: & qui ante læsi erant quia non lædebantur, gratias agebant tibi: & ut esset differentia, te Deum petebant. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitii præstitisti. Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari. Cum cogitarent justorum occidere infantes: & uno exposito filio, sed liberato, in traductionem illorum multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua valida. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris: ut vere scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio Sicut enim læsisti adversarios nostros: sic & nos provocans magnificasti. Absconse enim sacrificabant justi pueri bonorum, & justitiæ legem in concordiam disposuerunt: similiter, & bona, & mala recepturos justos, patri omnium decantantes laudes. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. Simili autem pœna servus cum Domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus. Similiter ergo omnes uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant, quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est. De omnibus enim non credentes propter beneficia, tunc, cum primum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse. Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, sermo tuus omnipotens, Domine, exiliens de cælo a regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans replevit omnia morte, & usque ad cælum attingebat stans in terra. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, & timores supervenerunt insperati. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. Tetigit autem tunc & justos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo sine querela deprecari, pro populis proferens servitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat subjecit, juramenta parentum, & testamentum commemorans. Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, & amputavit impetum, & divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat. His autem cessit, qui exterminabat, & hæc extimuit: erat enim sola tantatio iræ sufficiens.

EXPOSITIO IN CAP. XVIII.

Sanctis autem tuis) Postquam egit de pœnis antecedentibus mortem hic agit de pœnis inferentibus mortem. Et primo, de exterminatione primogenitorum suorum in Ægypto, scilicet capite isto: Secundo, de subversione eorum in mari rubro, scilicet ult. cap. In prima primo tangitur Hebræorum, quos opprimebant, commendatio: Secundo, per eorum liberationem Ægyptiorum opprimentium eos digna punitio: *Digni quidem*, &c. Tertio, post Hebræorum liberationem gravis tentatio, sci-

scilicet in deserto: *Tetigit*. Circa commendationem tangitur primo, beneficii continuatione, supplicatio. *Et ut esset*. Quarto, supplicationis exauditio, ibi: *Propter quod*. (*Sanctis autem tuis* ita erant Ægyptii in tenebris. *Autem*, pro sed *Sanctis tuis* scilicet Israelitis, secundum illud:
Levit. 11 Sancti eritis, *Maxima erat lux*: quia lux exterior corporalis: unde: Ubi-
Exod. 10 cumque habitabant filii Israel, lux erat. Item lux interior spiritualis, unde Glossa, *Sanctis tuis*, id est, Israelitis, quos fides, & conscientiæ
1 Thess. 4 puritas illuminabat, unde: Omnes filii lucis estis. Item lux superior cœ-
Joan. 1 lestis: Erat lux vera quæ illuminat
Malach. 4 omnem hominem &c. Item: Vobis timentibus nomen meum orietur sol B justitiæ: *& horum quidem*, scilicet sanctorum, *vocem*, humanæ locutionis, vel divinæ laudis, *inimici audiebant*, scilicet Ægyptii, *sed figuram non videbant*, scilicet propter tenebras impedientes. Sed contra:
Dubitatio. Quia existens in tenebris potest videre illum qui est in lumine, & non
Solutio. econverso. Dicendum, quod hoc verum est, nisi sit impedimentum in ejus oculo, vel in ipso medio. Ibi vero erat impedimentum in oculo videntium, quia percussi erant, quasi quadam cæcitate: & in medio, quia tenebræ densæ, & palpabiles ibi erant: *Et quia non &c.* id est etiam, *ipsi*, scilicet sancti *pro eadem passi erant*, id est, easdem plagas, secundum Glossam, *magnificabat a te*, scilicet laudando, unde: Magnificat
Luc. 1 anima mea Dominum. Et: Quis
Eccl. 43 magnificabit eum, sicut est ab initio? *Et qui ante læsi erant*, scilicet a
Exod. 1 c. 5 Pharaone opprimente eos, & flagellante, ut patet in exodo: *Quia non lædebantur*, scilicet plagis inflictis a Deo, *gratias agebant tibi*, unde: Gau-
Isa. 55 dium, & lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. *Et ut esset differentia*, scilicet inter ipsos, & Ægyptios, *te Deum petebant*, vel, *te Deum* orabant, secundum illud
Ps. 42 Psalmi: Judica me Deus, & discerne causam meam, de gente non
Gen. 18 sancta: sicut & Abraham petebat, ne proderetur justus, sicut impius. *Vel differentia*, scilicet distantia: hoc

A Israelitis præstitum fuit, quando tollens se angelus stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israelis, ut patet in Exodo. *Propter quod*, Exod. 14
scilicet quia beneficio præstito grati erant, conferendo orabant. *Ardentem columnam ignis habuerunt*, de nocte, ut patet. *Ducem ignotæ viæ*, scilicet Exod. 13
per desertum, *& solem sine læsura*, per unam columnam, supple demonstratricem, *boni hospitii*, in termino viæ, *præstitisti*, sine læsura, inquam, de die. Et hoc, columna nubis æstum solis temperante, ut patet. Et Ibidem.
supra: Fuit eis in velamento diei, & in luce stellarum nocte. Ita quod Sap. 10
veniebant ad locum, in quo poterant competenter hospitari, & tentoria figere, unde, Creabit Dominus super omnem locum montis Isa. 4
Sion, & ubi invocatus est, nubem per diem. *Et* post: Erit in umbraculum diei ab æstu. Ibid.

Digni quidem. Hic ostenditur digna punitio Ægyptiorum Israelitas opprimentium. Et primo tangitur, quasi epilogando, pœna communiter omnium: Secundo specialiter occisorum, *cum cogitarent*; Tertio specialiter vivorum, & vigilantium, *resonabit*; Quarto vivorum dormientium, *cum enim quietum*.) *Digni quidem illi*, scilicet Ægyptii erant, supple, *carere luce*, quo ad privationem sensus, *& pati carcerem tenebrarum*, quo ad privationem motus, *qui inclusus custodiebant*, &c. non permittendo eos C exire de terra Ægypti. Nescio Do- Exod. 5
minum, & Israel non dimittam, *Sanctos filios tuos*, scilicet Israelitas in te credentes, unde: Dedit eis pote- Joan. 1
statem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus *per quos incipiebat*, &c. scilicet per illius populi præparationem ad legis susceptionem: quia nondum erat data, *incorruptum lumen legis sæculo dari*. Notandum, quod lex aliquando dicitur, Lex cur lumen dicatur.
lumen, quia illuminat intellectum, unde: Mandatum lucerna, & lex Prov. 6
lux, *incorruptum*, quia purificat, vel a corruptione conservat affectum, secundum illud: Eloquium Domini 2 Reg. 22
igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

Cum cogitarent, &c. Hic primo tangi-

gitur percussio primogenitorum Ægy-
pti: secundo præscientia percussionis,
illa enim; tertio evasio Hebræorum,
Suscepta est autem a populo; quarto,
ratio evasionis: *Absconsio enim*.) *Cum
cogitarent*, scilicet Ægyptii, *justorum*,
id est, Hebræorum, *occidere infan-
tes*, non solum cogitatione simplici,
sed etiam progressiva in opus: ut pa-
tet in Exodo, *Et uno filio*, scilicet
Exod. 1 Moyse, *exposito* scilicet a matre, &
liberato, scilicet a filia Pharaonis,
ut patet. *In traductionem illorum*, id
Exod. 2 est punitionem Ægyptiorum, *vel in
traductionem illorum*, id est Hebræo-
rum, id est, ut educeret eos de Ægy-
pto per Moysen liberatum, *multitu-
dinem filiorum abstulisti*, id est uni-
versitatem primogenitorum. *Et pa-
riter*, id est simul, *illos*, scilicet
Exod. 12 Ægyptios parentes eorum, *perdidi-
sti in aqua valida*, scilicet submer-
gendo eos in mari rubro: Nec unus
Exod. 14 & 15 quidem superfuit ex eis. Submersi
sunt, quasi plumbum in aquis ve-
hementibus, *illa enim*, pro sed, *nox*
scilicet qua occisa sunt primogenita,
cognita est autem a patribus nostris,
scilicet Abraham, & aliis unde;
Gen. 15 Scito prænoscens, quod peregrinum
futurum sit semen tuum in terra
non sua, &c. Vel ipsis, Israelitis in
Exod. 12 Ægypto. Moyse prænuntiante illis,
ut patet: *Ut vere*; id est certitudi-
naliter, *scientes quibus juramentis cre-
diderunt* id est, quam firmis Dei pro-
Gen. 22 missionibus, unde; Per memetipsum
Heb. 6 juravi dicit Dominus. Item: Ut per
duas res immobiles, *animi æquiores
essent*, scilicet in expectando imple-
tionem juramenti. *Suscepta est autem*
&c. scilicet nocte illa, vel secundum
Glossam, Lex Phasæ, nocte illa,
quasi pro magno beneficio, *a populo
tuo*, scilicet Israelitico, ut patet in
Exod. 12 Exodo ubi dicitur; Feceruntque,
&c. *Sanitas quidem justorum*, per il-
Exod. 12 lam enim salvati sunt Israelitæ ab
Ibidem. angelo exterminatore, ut patet. *In-
justorum, autem*, scilicet Ægyptio-
rum, *exterminatio*, id est, per an-
gelum exterminatorem occisio. *Sicut
enim lesisti adversarios nostros*. scilicet
ob eorum peccata occidendo, *sic nos
provocans*, supple ad meliora, scili-
cet ad fidem, & legis susceptionem,

A unde: Sicut Aquila provocans ad vo- Deut. 32
landum, &c. *Magnificasti*, scilicet ab
illo exterminio magnifice liberando.
Absconse enim, scilicet propter metum
Ægyptiorum, secundum Glossam,
sacrificabant, scilicet pascha immo-
lando; ut patet. *Justi pueri*, scilicet
filii, *bonorum*, scilicet Israelitarum, Exod. 12
cum ipsis patribus suis, propter quod
meruerunt liberari, Ægyptiorum pri-
mogenitis interfectis. *Et justitiæ le-
gem*, scilicet datam, de immolatione
Phasæ, quæ justa erat, quia justifi-
cationem per mortem Christi facien- Ibid.
dam significabat. Item lex dicebatur,
quia ligabat ad sui observantiam pro
tempore suo, *in concordi disposuerunt*
id est, concorditer susceperunt, & im-
B pleverunt, unde in Psalmo: Con-
gregate illi sanctos ejus, qui ordi- Ps. 49
nant testamentum ejus super sacrifi-
cia, *similiter*, id est æquanimiter,
bona & mala, id est prospera, & ad-
versa, *recepturos justos*, scilicet se-
ipsos, repete, *disposuerunt*, quæcumque
vellet Deus inferre, unde; Si bona Job. 2
suscepimus de manu Domini, qua-
re autem mala non sustineamus?
Item; Recepisti bona in vita tua, & Luc. 16
Lazarus similiter mala, id est, æ-
quanimiter, *patrias laudes*, id est,
a patribus institutas, & celebratas,
decantantes, id est devote cantantes,
Deum scilicet laudando tam de ma-
lis, scilicet pœnæ, quam de bonis,
scilicet gratiæ, vel fortunæ, vel na-
C turæ, unde; Semper laus ejus in ore Ps. 33
meo; semper, id est, non solum in
prosperitate, sed etiam in adversi-
tate.

Resonabat autem, &c. Hic tangi-
tur pœna Ægyptiorum viventium,
& vigilantium, scilicet luctus de mor-
te primogenitorum suorum: & pri-
mo tangitur materia luctus: secun-
do utilitas lugentium: *simili autem
pœna*, tertio causa universalitatis:
similiter ergo omnes: quarto effectus
consequens: *De omnibus enim*, &c.
Ita dixi, quod laudes patrias decan-
tabant: *resonabat autem*; fortiter per
totam terram Ægypti: *inconveniens
inimicorum vox*, id est, Ægyptiorum
vox auditu horribilis, unde: Ortus
est clamor magnus in Ægypto: *vel* Exod. 12
flebilis audiebatur planctus, id est,
fletus

fletus cum planctu, erat autem clamor vocis fletus oculorum, & planctus manuum: flebilis inquam, *planctus ploratorum infantium*, id est, de infantibus, vel pro infantibus, quos plangebant, secundum illud: Luctum unigeniti fac tibi planctum amarum, *simili autem pœna:* id est, amissione primogeniti sui: *servus cum Domino afflictus est*, in una domo: *& popularis homo Regi similia passus*, scilicet in toto Regno Ægypti, unde: Percussit omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio ejus, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, unde: Erit sicut populus, sic & sacerdos: & sicut servus, sic Dominus ejus, *similiter ergo omnes* id est, majores, & minores, & mediocres, scilicet Rex Pharao, & domini alii: & eorum servi: *habebant mortuos innumerabiles*, primogenitos omnes: *mortuos;* inquam: *uno nomine mortis*, scilicet uno genere, quia divina plaga. Et bene dicit: *omnes*, quia non erat domus, in qua non jaceret mortuus, ut habetur in Exodo: *Nec enim*, &c. & bene dixi, *innumerabiles*) *Nec enim ad sepeliendum*, scilicet mortuos, *vivi sufficiebant*, unde: Morientur parvi, & grandes, & non sepelientur, &c. *Quoniam uno momento*; scilicet una hora noctis: *quæ erat præclarior natio illorum* id est primogenitorum universitas, qui dignitate præcellunt reliquos filios: *exterminata est*, id est ab angelo exterminatore occisa, ut patet in Exod. *De omnibus enim* quasi dicat, & merito sic occidebantur primogenita: *de omnibus enim;* id est, pro omnibus plagis prius illatis: *non credentes*, scilicet Ægyptii: *propter beneficia*, scilicet eis facta in singularum plagarum relaxatione, ut patet. *Tunc cum primum fuit exterminium primogenitorum;* scilicet in ultima plaga: *sponderunt populum Dei se esse*, id est, promiserunt se Dei mandatum facere, quod erat de dimissione filiorum Israel. Tunc enim dimiserunt eos, ut patet. Vel, *sponderunt;* &c. id est promiserunt se DEO Hebræorum credere, si liberarentur, unde: Domine in angustia quæsierunt te Et: Cum occideret eos, quærebant eum.

Hier. 6 | Exod. 12 | Isai 24 | Exod. 12 | Hier. 16 | Exod. 12 | Exod. 7. 8. 9. 10. & 12 | Exod. 12 | Isa. 26 | Ps. 77

A

Cum enim quietum, &c. postquam determinavit de afflictione vigilantium pro morte primogenitorum, hic agit de afflictione dormientium. Et primo tangitur causa: secundo pœna: *tunc continuo*, bene dixi: *Tunc cum primum fuit exterminium, enim;* pro quia. *Cum quietum silentium continerent omnia, silentium;* scilicet noctis, quæ data ad quiescendum, sicut dies ad operandum, unde: Qui dormiunt, nocte dormiunt: *Et nox in suo cursu iter medium haberet*, id est, cum esset medium noctis unde: Factum est autem in noctis medio, & hoc propter improvisionem, *omnipotens sermo tuus Domine*; id est, ordinatio tua, & jussus, unde: Vivus est sermo Dei, & efficax, scilicet propter resistendi impossibilitatem: *exiliens de cœlo*, exiliens dicit: propter velocitatem: *de cœlo*; id est, in angelo exterminatore: *a regalibus sedibus*, scilicet tuis, id est, ab angelorum consortio, in quibus regnas, & sedes. Qui sedes super Cherubin, *vel exhibere de cœlo*, scilicet a te remissus, qui in cœlo sedes: Omnes enim administratorii sunt spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: *durus*, id est, implacabilis, *debellator*, scilicet Ægyptiorum propter eorum obstinationem: *in mediam exterminii terram*; id est, in terra Ægypti mortem primogenitorum exterminandam, *prosilivit*, scilicet subito, *gladius, acutus*, id est, gladii acuti officium impleturus per occisionem primogenitorum, unde: Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Item: Gladium spiritus, quod est verbum Dei. Gladius ergo acutus propter promptam nocendi facilitatem: *Insimulatum imperium tuum portans*, id est, non fictum, sed verum mandatum tuum, & potestate, quia Non est potestas, nisi a Deo. Insimulatum ergo imperium dicitur propter divinam auctoritatem, & stans propter sententiæ, immobilitatem: *Replevit omnia morte*, id est, totam terram Ægypti primogenitis mortuis.

1 Thess. 5 | Exod. 12 | B | Heb. 4 | Ps. 79 | Heb. 1 | C | Heb. 4 | Ephes. 6 | Rom. 13

tuis. Non enim erat domus, in qua
non jaceret mortuus, ut patet in
Exod. 12 Exodo. Dicit ergo; *Replevit omnia*,
&c. propter hujus plagæ universali-
Dubitatio. tatem. Sed obiicitur, quia in Exo-
Ibidem. do dicitur: Transibo nocte illa per
terram Ægypti, & percutiam omne
primogenitum, &c. non ergo stabat,
male ergo dicitur hic: *Et stans*, &c.
Solutio. Sed dicendum, quod iste status, de
quo loquitur hic, oppositus erat re-
cessui de terra Ægypti, non motui
per ipsam terram. Unde vult dicere,
quod Angelus exequens sermonem,
vel mandatum de occisione primo-
genitorum datum, stetit in terra
Ægypti, ita quod extra Ægyptum
nullus fuit occisus. Sed non vult di-
cere, quin transiret per Ægyptum
de domo in domum: *Et usque ad
cœlum attingebat stans in terra*, id est,
attingere videbatur, scilicet propter
inevitabilitatem, scilicet ne quis eva-
Psal. 138 deret, unde: Si ascendero in cœlum,
illic es: *Vel usque ad cælum*, &c. hoc
dicit, quia ille Angelus in cœlo con-
templabitur ministrans in terra, se-
Beda. cundum illud Bedæ: Intra Deum
currunt quocumque mittantur. Item:
Matth. 18 Angeli eorum, scilicet administrato-
res in cœlis, semper vident per con-
templationem faciem patris mei, &c.
Allegorica expositio. Allegorice vero describitur hic ad-
ventus Christi in carnem, qui dicitur:
Omnipotens sermo Dei, per æternam
generationem, secundum illud Joan-
Joan. 1 nis: In principio erat verbum, sed
de cœlo, a regalibus sedibus venisse
per carnis temporalem assumptio-
Psal. 18 nem, unde: A summo cœlo egres-
sio ejus. Medio noctis silentio, pro-
Galat. 4 pter temporis opportunitatem. At
Silentium triplex. ubi venit plenitudo temporis. Pri-
mum silentium fuit sub lege naturæ,
& hoc propter ignorantiam infirmita-
tis. Secundum sub lege Moysi, & hoc
propter desperationem sanitatis. Ter-
tium sub lege gratiæ, & hoc propter
adeptionem salutis: *Tamquam durus
debellator*, &c. scilicet propter dæmo-
Luc. 11 num expurgationem, unde: Cum for-
tis armatus custodit atrium suum,
in pace sunt omnia, quæ possidet
cum autem fortior eo supervenerit,
&c. *In mediam terram exterminii*, id
est, in medio mundi propter terræ, in

A qua natus est, positionem. Operatus *Psalm. 73*
est salutem in medio terræ. *Imperium
Dei secundum portasse*, propter coom-
nipotentem patri deitatem. Unde:
Et Deus erat verbum, de quo po- *Joan. 1*
stea subdit. Et verbum caro factum
est. Item Data est mihi omnis po- *Matth. 28*
testas, &c. *Omnia morte replevisse*,
propter omnium in morte ejus con-
summationem, secundum illud: Con- *Joan. 19*
summatum est. *Stans in terra cælum
attigisse*, quia anima ejus in statu
viatoris habebat continuam Dei frui-
tionem. Unde: Nemo ascendit in *Joan. 3*
cœlum, nisi qui descendit de cœlo,
filius hominis, qui est in cœlo:
Tunc continuo, scilicet ipsa hora oc-
cisionis: *Visus somniorum malorum*,
B id est, terribilium: *Turbaverunt il-
los*, scilicet dormientes, Glossa, ut
nec vigilantibus nec dormientibus
daretur requies: *Et timores insperati*,
id est, subiti: *Supervenerunt*, secundum
illud: Terrebis me per somnia, & per *Job. 7*
visiones horrore concuties. Item: *Job. 4*
In horrore visionis nocturnæ, quan-
do solet sopor occupare, supple ho-
mines, pavor tenuit me: *& alius
alibi*, scilicet quam alter: *Projectus
semivivus*, id est, in extremo vitæ
suæ: *Propter quam moriebatur*, *cau-
sam mortis demonstrabat*, scilicet aliis
indicando, sicut poterat, scilicet
propter duritiam cordis Deo He-
bræorum, & Moysi servo ejus, re-
bellantis, unde: Secundum duritiam *Rom. 2*
C tuam, & cor impœnitens: *Visiones
enim*, somniorum scilicet. *Illos tur-
baverunt.*) *Hæc præmonebant*, scilicet
causam suæ mortis: *Ne inscii*, *quare
mala paterentur*, *perirent*, & sic pro-
pter ignorantiam excusarentur de
impœnitentia, Vexatio dabit intelle- *Isa. 28*
ctum auditui. Gregorius: Oculos, *Greg. lib. 15. Moral. c. 7 post med.*
quos culpa claudit, pœna aperit:
Tetigit, &c. Hic subditur He-
bræorum post suam liberationem gra-
vis tentatio in deserto, & primo
ostenditur periculum a parte tenta-
torum. Secundo modus liberationis
a parte pontificis: *Sed non diu*. Ter-
tio causa, vel virtus liberans a par-
te ornatus pontificalis: *In veste*, &c.
Quarto effectus consecutus a parte
Angeli exterminantis; *Tetigit autem*,
&c. Ita puniti sunt Ægyptii, nec
tan-

tantum illi: *Autem*, pro sed: *Tetigit tunc*, sumitur large. Ita quod sit sensus: *Tunc*, scilicet illo tempore, quo egressi de Ægypto proficiscebantur per desertum: *Tetigit justos*, scilicet filios Israel. *Tetigit*, dicit, quia diu permansit, scilicet nec in omnibus fuit: *Tentatio mortis*, id est, ad mortem ducens, & commotio in eremo; *Facta est multitudinis*, scilicet contra Moysen, & Aaron, ita quod fugerunt ad tabernaculum Domini, ut patet. *Sed non diu permansit ira sua*, unde: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

Num. 16

Abac. 3

Properans enim, &c. Hic tangit triplicem modum liberationis eorum, scilicet devote orando: Secundo patrum commissa rememorando. *Vicit autem*. Tertio se personaliter interponendo: *Cum enim jam acervatim*. Dicit ergo: *Properans enim*, &c. bene dixit, quod non diu permansit ira sua: *Properans enim homo sine querela*, scilicet Aaron, unde: Quod cum audisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem quam jam vastabat incendium: *Properans*, in hoc innuitur fervor cordis: *Sine querela*, sanctitas conversationis: *Deprecari pro populis*, &c. Talem enim Deus exaudit, & non peccatores. Unde Joannes: Peccatores Deus non exaudit. Gregorius: Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur: *Deprecari pro populis*. Deprecatio proprie est de malis amovendis: oratio vero de bonis adipiscendis, sed communiter ponitur unum pro altero: *Proferens servitutis suæ*, *scutum*, *orationem*, &c. Oratio dicitur scutum ratione protectionis, unde: Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret positus contra me. *Servitutis vero suæ*, dicitur, quia ad hoc servitium tenebatur ratione officii Pontificalis, unde. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur: & postea sequitur: Debet quemadmodum pro populo, ita pro semetipso offerre pro peccatis. Notandum, quod scutum spiritualiter potest dici fides. Unde: In omnibus sumentes scutum fidei. Item verbum Dei, unde: Omnis sermo Domini, vel Dei ignitus clypeus est, sperantibus in se. Item oratio unde hic: *Proferens scutum servitutis suæ orationem*. Item æquitas, unde supra: Sumet scutum inexpugnabile, æquitatem. Item eleemosyna: Super scutum potentis, & super lanceam adversus inimicum tuum pugna. Item patientia: Ibi adiectus est clypeus fortium, &c. Item obedientia: Hæc est aureus clypeus Simonis mnarum mille: *Et per incensum*, id est, incensi oblationem: *Deprecationem alligans*, id est alligando proferens. Obtulit thymiama, & stans inter mortuos, & viventes, pro populo deprecatus est. Et notandum, quod oratio fuit pro remissione peccati: deprecatio pro amotione flagelli: incensum pro reconciliatione judicis offensi: *Properans*, inquam homo restitit iræ, id est divinæ percussioni.

Num. 16

Joan. 9

Deprecatio & oratio, quomodo differant.

Ezech. 22

Heb. 5

Ibidem.

Ephes. 6

Prov. 30

Sap. 5

Eccl. 29

1 Reg. 1

1 Mach. 15

Num. 16

Et finem imposuit necessitati, id est, humanæ afflictioni inevitabili: *ostendens*, scilicet facto non solum verbo, *Quoniam tuus est famulus*, secundum illud Joannis: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Ipsum elegit ab omni vivente offerre sacrificium Deo, incensum, &c. econtra conqueritur Dominus de prælatis malis: Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel. *Vicit autem turbas*, id est populum turbatum dividendo, & penetrando: *Non in virtute corporis*, sicut Samson Philisthæos: *Nec armaturæ potentia*, scilicet armatura potenti, & forti, sicut David Goliath. Non in multitudine exercitus victoria belli. Sed, *Verbo*, scilicet devotæ orationis: *Illum qui se vexabat*, *subiecit*, scilicet Angelum populum exterminantem, quod reputabant suam vexationem juxta illud: Quis infirmatur, & ego non infirmor, &c. *Juramenta patrum*, *& testamentum*, id est, promissionem factam patribus de danda eis terra promissionis, & hæreditate. Semini tuo dabo terram hanc: *Commemorans*, scilicet in sua oratione. *Cum enim*, &c. quasi dicat, bene dixi, quod vicit turbas, &c. *Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui*, *interstitit*; id

Joan. 10

Eccl. 45

Ezech. 13

Jud. 15

1 Reg. 17

1 Mach. 3

2 Cor. 11

Gen. 12

id est inter vivos, & mortuos stetit, unde: Stetit inter mortuos & viventes: *Et amputavit impetum*, scilicet ignis consumentis eos, unde: Extinxerunt impetum ignis: *Et dimisit illam, quæ ad vivos ducebat viam*, scilicet opponendo se igni in medio viæ, ne ignis a mortuis ad viventes transiret. *Num. 16* *Heb. 11*

In veste enim, &c. Hic tangitur causa liberationis a parte Pontificis: secundo ex parte Angeli exterminantis: *His autem*. *In veste enim*, &c. quasi dicat: Ideo facere prædicta potuit. *In veste enim poderis*, id est tunica talari hyacinthina. In cujus extremitate erant tintinnabula, ut mala punica. Vel secundum Josephum, totum vestimentum Pontificale interius, & exterius: *Poderis*, est linea vestis usque ad pedes descendens: unde dicitur a podos Græce, quod pedes sonat, Latine unde: *poderis*, quasi pedibus hærens. *In veste poderis*, intelligitur, quod videtur verius per sequentia. *In veste*, inquam, *poderis*, *quam habebat*, scilicet Aaron: *Totus erat orbis terrarum*, scilicet descriptus, scilicet in signo, quia sicut dicit Glossa byssum terræ tribuunt Hebræi, quia ex terra gignitur: purpuram mari, quia ex conchis ejus tingitur: hyacinthum aeri propter coloris similitudinem: Coccum igni & ætheri, scilicet ut pro toto mundo oret Pontifex: Si quidem ex terra, aqua, igne, & aere consistit mundus. Sed, secundum quod exponitur de tunica hyacinthina tantum, quæritur quo modo erat in ipsa totus orbis descriptus. Cum enim tota esset ex hyacintho non videtur in ea aliqua pars mundi descripta, nisi solum aer. Sed dicendum, quod etsi corpus tunicæ erat de hyacintho, tamen in extremitatibus ejus erant aliqua ex purpura, & bysso, & hyacintho: & cocco, sicut malagranata, & hu- *Exod. 28* *Joseph. Antiq. lib. 3 cap. 8* *Poderis vestis unde dicta.* *Dubitatio.* *Solutio.*

A jusmodi. Zona repræsentabat Oceanum: quia cingit totam terram. Superhumerale vero, & duo lapides, qui desuper erant, utrumque humerum tengentes, duo Emisphæria repræsentabant, vel solem, & lunam. Mala punica, & tintinnabula inferius posita, fulgura, & tonitrua, duodecim lapides rationalis, duodecim menses, vel duodecim partes Zodiaci. Rationale divinam providentiam, & dispositionem. Cydaris cum vitta hyacinthina, cœlum. Lamina in fronte Pontificis & nomen Dei scriptum, ibi universa, quæ in ipso Dei sunt arbitrio, gubernari; *Et parentum magnalia*, id est, magnæ auctoritatis nomina: *In quatuor ordinibus lapidum sculpta erant*, in rationali enim erant quatuor ordines lapidum pretiosorum: singulis vero erant inscripta singula nomina duodecim patriarcharum, ut patet in Exodo. Sic etiam in fundamentis Hierusalem dicuntur inscripta nomina duodecim Apostolorum. *Et magnificentia tua, in diademate illius capitis, scripta erant*, id est, nomen Dei magnificum tetragrammaton, id est, ex quatuor litteris, quæ sunt, Jod, Heth, Vau, He: quæ significant principium vitæ & passionis Christi, *His autem*, scil. ornamentis sacris, *cessit qui exterminabit*, scil. Angelus, vel ignis, vel cessando, non propter ornamenta illa: sed propter significatum, scilicet propter futurum ornamentum, id est, sacrificium summi Pontificis, scilicet Christi, secundum quod tangit Glossa: *Ex hoc extimuit*, id est, fecit quasi timere scilicet discedendo, & bene dixi, *His cœpit*, &c. *Erat enim sola tentatio iræ*, id est, incitatio, non consummatio: *Sufficiens*, scilicet ad populi correctionem, scilicet tum Pontificis intercessione. *Zona quid repræsentet.* *Superhumerale.* *Mala punica.* *Cydaris lamina.* *Exod. 28* *Apoc. 21* *Tetragrammaton.* (B, C)

CAPUT DECIMUMNONUM.

Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim & in futura illorum: quoniam cum ipsi reversi essent, & misissent, ut se educerent, & cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentiæ actus. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ, & quos

roga-

rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio: & populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi. Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio. Per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra. Tamquam equi enim depaverunt escam, & tamquam agni exultaverunt magnificantes te, Domine, qui liberasti illos: Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerunt, quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, & pro piscib. eructavit fluvius multitudinem ranarum. Novissime autem viderunt novam creaturam avium, cum adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis. In allocutione enim desiderii ascendit illos de mari ortygometra, & vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ ante facta erant, argumentis per vim fluminum: juste enim patiebantur secundum suas nequitias. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt, alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant. Et non solum hæc, sed, & alius quidem respectus illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis sævissimis afflixerunt doloribus. Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justi cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat. In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certo potest. Agrestia enim in aquatica convertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram transibant. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur. Flammæ econtrario, corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur, sicut glacies bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

EXPOSITIO IN CAP. XIX.

I*Mpiis autem usque in novissimum.*) Postquam determinavit de punitione Ægyptiorum per mortem primogenitorum, hic determinat de punitione ipsorum per mortem propriam, scilicet quando submersi sunt in mari rubro. Et primo tangitur submersio. Secundo liberatio Hebræorum. *Omnis enim creatura.* Tertio gratiarum actio pro utroque: *Videntes tua.* Quarto obedientia creaturarum in utroque: *In se enim elementa*, In prima primo tangitur gravitas punitionis. Secundo ratio ex parte punientis. *Præsciebat*, Tertio meritum ex parte punitorum: *Adhuc enim*, Quarto congruentia pœnæ: *Ducebat enim.*) *Impiis autem*, &c. quasi dicat, sic Israelitæ liberati sunt ab incendio: *Autem*: pro sed, *Impiis*, scilicet Ægyptiis carentibus

A pietate religionis quoad Deum, & compassionis in proximum, quia & Deum contemnebant, & ejus populum opprimebant: *Usque in novissimum*, id est, finaliter, undo: Novissima Prov. 5
illius amara, quasi absinthium. *Sine misericordia ira supervenit.*) *Sine misericordia*, scilicet non relaxante, sed sine misericordia liberante, & hos quia impii, & sine misericordia erant, unde: Judicium sine miseri- Jacob. 2
cordia illi, qui non fecerit misericordiam: *Ira* id est, peccati vindi-
B cta, quæ est signum iræ: *Supervenit*, id est, superno judicio Dei venit ad eorum oppressionem, unde: Lucer- Job. 18
na impiorum extinguetur, & superveniet super eis inundatio. Et: Quan- Prov. 1
do venit super vos tribulatio, & angustia. Et merito *Supervenit*, &c. *Præsciebat enim* Deus scilicet, *Et* id est eam: *Futura illorum*, scilicet peccata, antequam fierent, unde: Omnia Heb. 4

nuda, & aperta oculis ejus. Item A
Heb. 4 Intellexisti cogitationes meas de lon-
Ps. 138 ge. Item: Domino Deo nostro, an-
Eccl. 24 tequam crearentur universa, sunt agnita, &c. *Quoniam cum ipsi*, scilicet Ægyptii: *Reversi essent*, scilicet ad cor suum, secundum quod monet Isaias, dicens: Redite ad cor
Isa. 46 prævaricatores: *Reversi*, inquam ad cor, extra quod fuerant præ timore: Ut, Cor meum dereliquit me:
Ps. 39 *Et permisissent*, scilicet prius: *Ut reducerent*, id est, seorsum de terra eorum ducerent filii Israel, unde:
Exod. 12 Egredere tu, & omnis populus, qui subjectus est tibi: *Et cum magna sollicitudine*, id est, instantia: *Præmisisset illos*, scilicet compellendo eos exire de terra velociter. *Consequebantur illos*, scilicet Ægyptios, cum hoc fecissent: *Pœnitentiæ actus*, id est, dolor de recessu eorum, dolor, inquam, in corde, & confessio in ore, & ostensio utriusque, in persecutionis opere, unde: Immutatum est cor Pharaonis, & servorum
Exod. 14 ejus super populo, & dixerunt: Quid volumus facere, ut dimitteremus Israel? Et bene dixi; quod *consequebantur*: &c. *Adhuc enim inter manus habentes luctum*; id est, luctus materiam, scilicet primogenitos mortuos, vel luctum, id est, signa luctus. *Et deplorantes*; id est, valde plorantes, vel de corde plorantes, vel, *deplorantes*, id est de morte primogenitorum plorantes. Unde sequitur: *Ad monumenta mortuorum*, scilicet primogenitorum: *Assumpserunt sibi aliam cognitionem*; &c. bene dicit: *Assumpserunt*, &c. quia mala cogitatio ab homine est, sed bona a
2 Cor. 4 Deo, unde: Non quod simus suffi-
Prov. 14 cientes cogitare aliquid ex nobis,
Arist. l. 3 Ethic. c. 1 &c. *Cogitationem*, inquam, *insc ientiæ*,
& l. 6 c. 12 & 13 id est stultam: Omnis enim malus ignorans. Et Errant, qui operantur malum. Prior cogitatio stulta fuerat, qua cogitaverunt eos per vim detinere: alia etiam stulta fuit, qua cogitaverunt eos per vim revocare, vel reducere: *Et quos rogantes projecerant*, scilicet compellendo filios Israel exire, ut patet: *Hos tamquam fugitivos*, id est, quasi sine licentia eorum recedentes, quod falsum erat:

Persequebantur ut patet in Exodo: *du-* Exod. 21
cebat, &c. quasi & congrue: *Ducebat enim illos ad hunc finem*, scilicet obstinationis, & submersionis: *Digna necessitas*, non fortunæ vel fati, sed divinæ justitiæ. Sed contra: Quia Exod. 14
voluntarie ad hoc tendebant, non ergo necessitate. Dicendum, quod non fuit necessitas coactionis, sed im- Dubitatio.
mutabilitatis. Sed contra: Quia poterant pœnitere, & sic pœnam il- Solutio.
lam vitare. Dicendum, quod poterant, sed nolebant. Unde necessitas illa erat consequens voluntatem non antecedens, vel non poterant complere per se, nec petere volebant Dei auxilium: *Et horum quæ accide-* Exod. 7 8 9
rant, scilicet multarum plagarum, 10 11
B pro retentione filiorum Israel illatarum. *Commemorationem emittebant*, id est perdebant. Etsi non habitu, tamen actu, vel opere, & si non corde, unde: Elevaverunt cor suum, Osee. 3
& obliti sunt mei: *Ut quæ deerant tormentis*, scilicet procedentibus, nondum enim erant sufficienter puniti: *Repleret punitio*; scilicet assequens, & ponitur ly, *Ut*, consecutive, non causaliter. *Et populus quidem tuus* scilicet Israeliticus: *Mirabiliter transiret*, per mare rubrum sicco vestigio, unde: Filii Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus. *Illi autem* Exod. 15
scilicet Ægyptii: *Novam mortem invenirent*, scilicet novum moriendi modum, scilicet per miraculosam
C submersionem, unde: Ingressus equus, id est equitatus Pharaonis, genitivi casus, cum curribus, & equitibus in Ibidem.
mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris.

Omnis enim, &c. Hic tangitur Hebræorum liberatio. Et primo, in generali: secundo in speciali: *Nam nubes*.) *Omnis enim*, &c. quasi sic Ægyptii sunt submersi, & Israelitæ liberati: *Omnis enim creatura*, id est, omnia elementa: *Ad suum genus ab initio*; supple habitum: *Refigurabatur* id est iterum assimilabatur, in hoc scilicet, quod non nocebat bonis, sicut nec in statu innocentiæ. Unde Isidorus: Si homo non peccasset, aqua non submergeret, ignis non combureret, nec spinarum aculei vulnerarent. Ipsa dico, creatura: *Deser-*

Ps. 148 *serviens praeceptis tuis*, id est tuæ or- A dinationi, Hier. 5 & voluntati. Statuit ea in æternum, &c. Præceptum posuit, & non præteribit. Item: Qui posuit arenam, terminum maris, Isa 8 præceptum sempiternum, quod non præteribit. *Ut pueri tui*, Prov. 2 scilicet Hebræi tibi subjecti. Ecce ego & pueri mei. *Custodirentur illæsi*, Ut: Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes, simpliciter. *Nam nubes*, scilicet a Deo per Angeli ministerium data: *Illorum castra*, scilicet Hebræorum, *Obumbrabat*, stans inter castra eorum, & castra Ægyptiorum, ita ut tota nocte ad eos accedere non valerent, ut patet. *Et ex aqua*, id est: postquam secundum Exod. 14 quod dicit, ex mane fit meridies, B id est post: *Ex aqua*, inquam, *quæ ante erat*, in loco, per quem transierunt; *Terra apparuit arida*, scilicet per flatum venti exsiccata, ut patet; *Et in mari rubro*, scilicet diviso, ut Exod. 14. patet. Item: Qui divisit mare ru- Ibid. brum in divisiones: *Via*, scilicet apparuit: *Sine impedimento*, scilicet aquæ vel luti, secundum illud Psal- Ps. 135 mi: In mari via tua, &c. Viam fe- Ps. 76 cisti in mare equis tuis. Item; Po- Abac. 3 suisti profundum maris viam, ut Isa. 51 transeant liberati: *Et campus germinans*, id est via plana, & delectabilis, sicut per campum germinantem: *De profundo nimio*, id est, post nimiam profunditatem aquæ prius existentis ibidem: *Per quem*, scilicet C campum: *Omnis natio*, scilicet Hebræorum: *Transivit*, persequentibus Ægyptiis: *qua tegebatur*, id est protegebatur: *Tua manu*; id est potentia, Isa. 49 unde: In umbra manus suæ protexit me: vel filio, ut in Psal. Ps. 141 Emitte manum tuam de alto, &c.

Videntes, Ægyptii, &c. Hic subjungitur gratiarum actio. Primo pro Hebræorum liberatione: secundo pro Ægyptiorum punitione, vel submersione: *Et vexationes*. In prima, primo tangitur Hebræorum de Ægypto eductio: secundo, miracula facta pro eis in Ægypto: *Memores enim*, tertio, eorum repletio in deserto: *Novissime autem*.) *Videntes tua*, quasi non tantum audientes, sed etiam vi- 1 Joan. 1 dentes, unde: Quod vidimus, quod audivimus, &c. *Mirabilia tua, & monstra*) *Mirabilia*; scilicet minora: & monstra, scilicet majora, vel mirabilia in sua liberatione. *Monstra*, in Ægyptiorum subversione. Monstrum enim dicitur non solum quid mirabile, sed etiam horribile: *Videntes*, *inquam*, &c.) *Enim*: id est, certe: *Deposcunt escam*, scilicet in suorum adversariorum dejectione, vel consumptione. Vel hoc dicit pro tanto: quia delectati sunt in destructione eorum, sicut equi, quando escam comedunt, vel depascunt: *Tamquam equi*, quibus scilicet Dominus insidebat, secundum illud: Viam fecisti in mari equis tuis. Abac. 3 *Tamquam equi*; scilicet de suis hostibus hinniendo, secundum illud: Le- Isa. 24 vabunt vocem suam, atque laudabunt. Cum glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari: *Et tamquam agni*, scilicet simplices, & mansueti, Ps. 113 unde: Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium, id est, tam majores, quam minores eorum: *Exultaverunt*; non solum intus in corde, sed etiam extra gaudendo: *Magnificantes te Domine*, id est; magnum te prædicando, vel ma- Exod. 15 gnifice laudando, unde: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est. *Qui liberasti illos*, scilicet per mare transducendo. Qui eduxit Isa. 63 eos per abyssum, quasi equum in deserto impingentem, & quasi animal in campo, & merito te magnificabant: *Memores enim erant adhuc illorum*, scilicet signorum; *Quæ in incolatu eorum facta fuerant*, id est quando adhuc erant incolæ Ægyptii: *Quemadmodum pro natione animalium*, id est loco productionis naturalium animalium: *Produxit terra muscas*, & hic miraculose, ut patet in Exodo. Item dixit: Et venit cy- Exod. 8 Ps. 77 nomyia, & cinifes &c. *Et pro piscibus*, id est loco piscium: *Eructavit fluvius*, scilicet Nilus: *Multitudinem ranarum*: ranæ enim ascenderunt de Exod. 8 prædicto fluvio, ut habetur in Exodo: Nec est illud contrarium ei, Ps. 104 quod dicitur in Psalmo: Et dedit terra eorum ranas, &c. quia in psalmo ponitur continens, pro contento, scilicet alveus terræ, pro aqua flu-

fluminis. *Novissime autem*, id est, post prædicta nova quidem, vel prior fuerat Ægypti percussio magis nova, quam eorum eductio de Ægypto, sed novissima eorum refectio in deserto: *Viderunt*, scilicet propriis oculis: *Novam creaturam avium*, scilicet coturnicum. Sed contra: Quia in Genesi dicitur. Complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit ab omni opere, id est, novis creaturarum generibus, vel speciebus creandis, secundum Augustinum: Item: * Nihil novum sub Sole, ergo male dicit hic: *Viderunt novam creaturam*. Dicendum, quod non erat simpliciter nova, sed nova illis, quia prius ab illis invisa. Item nova in illo loco, scilicet in deserto, & nova in tanta multitudine, ad quam non solent aves accedere, sed magis fugere. *Cum adducti*, id est longe a Deo ducti: *Concupiscentia*, unde: Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus. De concupiscentia istorum dicitur: Concupierunt concupiscentiam in deserto. Unde & locus ille vocatus est sepultura concupiscentiæ: *Postulaverunt*, scilicet a Moyse: *Escas epulationis*, id est delicatas, & superfluas, non necessitatis vel educationis: *In allocutione enim desideriorum;* id est consolatione, & mitigatione: *Ascendit illis*, scilicet Hebræis, *De mari*. Vel sic: *In allocutione enim desiderii*, vel *desideriorum*, dum præ desiderio, carnium loquerentur, scilicet verba murmurationis: *Ascendit illis de mari*, hoc non dicit propter hoc, quod in mari traherent originem, sed quia de ultra mare, vel de aliqua insula maris adducebantur, secundum illud: Ventus egrediens a Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & misit in castra: *Ortygometra*, id est coturnix. Dicitur autem: *Ortygometra*, ab orthos, quod est rectum & gogos, quod est ductio, & metros, quod est mensura, quasi esca recte adducta eis mensura. Vel sicut dictum est supra, dicitur Ortygometra, ab Ortygia insula, in qua primum fuisse putantur tales aves, secundum Isidorum. Notandum, quod sicut dicit Glossa, Ini-

Exod. 16
Num. 11
Gen. 2
Aug. l. 4 de Gen. ad lit. c. 12 & 3
Eccl. 1
Jacob. 1
Ps. 105
Num. 11
Ibidem.
Sap. 16
Isidorus. Ethi. l. 12 c. 7 & l. 14 c. 6

A micis Dei, terra producit muscas, fluvius ranas: cultoribus autem Dei, terra dat fructum, & mare carnis alimentum.

Et vexationes. Hic tangitur gratiæ actio, pro vexatione Ægyptiorum, seu punitione: & primo tangitur eorum punitio: secundo justitia punitionis. *Juste enim*, tertio cæcitas punitorum: *Percussi sunt*, justitia punitionis ex hoc patet, quod male se habuerunt ad peregrinos cum eis habitantes, vel habitare nolentes, scilicet ad filios Israel, & hoc, vel eos nullatenus recipiendo, vel receptos in servitutem redigendo: *Alii autem*, &c. aut invite suscipiendo: *Et non solum*, aut eos recipientes lætanter, graviter affligendo: *Qui au-* B *tem*, &c.) *Et vexationes*, &c. quasi dicat, non tantum prædicta bona facta sunt Hebræis. *Sed & vexationes*; id est afflictiones corporis: & animæ: *Peccatoribus supervenerunt*, &c. secundum illud: Multa flagella peccatoris: *Peccatoribus*, inquam Ægyptiis, qui peccatores hic dicuntur antonomastice, & hoc propter peccatum, idololatriæ, quæ ibi vigebat: ita ut dixerit Cicero, quod Ægyptus erat templum totius mundi: *Supervenit*, inquam, id est super illas venerunt, quas passi fuerant in Ægypto, Unde sequitur: *Non sine illis*, immo, cum illis & præter illa, *Quæ ante facta erant*, *argumentis*; id est signis divinæ potentiæ, & C eorum duritiæ manifestativis, secundum illud Epheseos: Omne, quod arguitur, a lumine manifestatur: *Quæ*, inquam, *Facta erant*, id est in Ægypto: *Per vim fluminum*, scilicet quando conversa sunt in sanguinem, & quando ranæ ascenderunt de flumine. Vel sic: *Supervenerunt*, inquam, *Per vim fluminum*, id est per impetum fluminum collectorum in mari rubro, super eos redeuntium, & eos suffocantium. Et: Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. *Justi enim patiebantur hoc*, scilicet quia pro meritis peccatorum suorum. Unde subdit: *Secundum nequitias suas*, id est merita nequitiarum suarum, unde: Pro mensura peccati, erit & plaga-

Ps. 31
Ephes. 5
Exod. 15
Deut. 25

rum modus: *Etiam*, pro quia *Detestabiliorem*; scilicet cæteris: *Instituerunt*, id est quasi institutam servaverunt. *Inhospitalitatem*, contra illud; (Hebr. 13) Hospitalitatem nolite oblivisci. Item; (1 Pet. 4) Hospitales invicem sine murmuratione. Sic habent Rabanus, & Augustinus. Sed aliqui dicunt; *Indetestabiliorem*, id est valde detestabilem, ita quod præpositio notet augmentum, vel intensionem, Et dicit: *Inhospitalitatem*, vel quia non recipiebant hospites, vel quia male recipiebant: *Alii quidem*, scilicet ipsorum; *Ignotos non recipiebant advenas*, contra quod faciebat Job, (Job 31) unde; Foris non mansit peregrinus, Similes istis, erant illi de Gabaa Beniamin, (Jud. 19) qui Levitam, cum uxore sua, noluerunt recipere hospitio suo: *Alii autem bonos hospites*, receptos, *In servitutem redigebant*, vel *Recipiebant*, (Exod. 1) ut filios Israel opprimentes eos servitute luti, & lateris. *Et non solum hæc*, supple, faciebant; *Sed etiam alius erat respectus illorum*, id est perversa erat intentio ipsorum; *Quoniam inviti recipiebant extraneos*, cum tamen essent rogandi exemplo Abrahæ dicentis; (Gen. 18) Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum. Nec tantum rogandi, sed etiam cogendi exemplo duorum discipulorum, de quibus; Et coegerunt illum; (Luc. 24) super quod dicit Gregorius; (Greg.) Quod peregrini non solum sunt invitandi ad hospitium, sed trahendi: *Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant institutis sævissimis afflixerunt doloribus*, littera sic construenda: Ita dixi quod aliqui recipiebant peregrinos, sed inviti: *Autem*, pro sed *Quis eisdem usi erant institutis*, scilicet detestabilis inhospitalitatis, quibus & præcedentes: *Sævissimis afflixerunt doloribus* sævissimis dicit, quia sævus est dolor de malo illo in possessione extrinseca: sævior in persona conjuncta, scilicet in uxore: sævissimus in propria persona; *Afflixerunt hos, qui cum lætitia receperunt*, scilicet hospites, sicut voluerunt affligere Lot ipsi Sodomitæ, (Gen. 19) sicut patet: Et Beniamitæ senem illum: (Jud. 19) *Percussi sunt autem*, scilicet Ægyptii, *cæcitate*, scilicet corporali,

A per plagam tenebrarum, de quibus in Exodo. Et spirituali per mentis excæcationem; (Exod. 10) ita ut inter flagella pejores fierent. Ut: induratum est cor Pharaonis, &c. (Exod. 7) *Sicut illi*, scilicet Sodomitæ innominabiles, propter peccatum eorum innominabile, quod ipsi faciebant. Ut Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. (Rom. 1) *In foribus justi*, scilicet Lot, de quo: Aspectu, & auditu justus erat: (2 Pet. 2) *Illi*, inquam, *cum subitaneis cooperti essent tenebris*, scilicet aorisia vel audientia percussi ab angelo: *Unusquisque*, scilicet, eorum, *Transitum ostii sui*, scilicet Lot, (Gen. 19) *quærebat*, & invenire non poterat, unde: Eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate, a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.

B *In se enim elementa*, hic post Ægyptiorum punitionem, & Hebræorum consolationem, & pro utrorumque gratiarum actione, dicit hic creaturarum in prædictis obedientiam: & primo ponit hujus obedientiæ commendationem: secundo; ejus per exempla manifestationem: *sicut in organo*, tertio, populi Dei per hoc exaltationem. *In omnibus*. Exempla ponit primo in elementis inferioribus: secundo, in elemento superiore, scilicet in igne, ibi; *Ignis in aqua*, &c. tertio in elementatis: *Flammæ e contrario*. (*In se enim*. Ita dixi, quod per creaturas inferiores sunt afflicti Ægyptii, & Hebræi consolati: *elementa dum convertuntur*, id est, transeunt, unum in vim, & potestatem, seu officium, & modum alterius, & hoc miraculose: *qualitatis sonus*, id est, qualitas soni; *immutatur*, scilicet actu, id est consonantia naturalis in suis effectibus ad horam mutatur secundum voluntatem, & imperium Dei moventis. *Sicut in organo*, id est sicut in quolibet instrumento musico, quod per organum hic intelligitur, mutatur qualitas soni actu, secundum voluntatem moventis. Aliquando tamen sumitur organum pro determinato instrumento, ut in Psalmo: Laudate eum in chordis & organo: (Psal. 150) *& omnia*, id est singula elementa, & elementata: *suum sonum*, id est, harmoniam suam na-

C

tu-

turalem, & ordinem: *custodiunt*, habitu; similiter singulæ chordæ in organo suum sonum custodiunt, & tamen sonus organi mutatur secundum voluntatem moventis. Unde Glossa. Sicut in organo diversi soni ad concordiam melodiæ temperamento consentiunt, ita discrepantia elementa, salvato jure naturæ, ad creatoris voluntatem flectuntur. Non enim creaturam condit sibi contrariam, sed per omnia voluntati suæ consentaneam, *unde*, id est de quare, *æstimari*, id est, cognosci; *ex ipso certo visu potest*, scilicet aspiciendo metaphoram organi, & veritatem rei factæ in populo Dei. *Agrestia enim*, scilicet animalia; *in aquatica convertebantur*, id est, in modum aquaticorum, scilicet quando homines, & jumenta ut dicit Glossa in profundum maris rubri sicco vestigio transierunt: *& quæcumque erant natantia*, ut ranæ, *in terram transibant*, scilicet per terram deambulando, unde: Ascenderunt ranæ, scilicet de flumine, operueruntque terram Ægypti: *Ignis in aqua valebat* id est valde agebat: *supra suam virtutem*, scilicet naturalem, quæ est, ut in aqua extinguatur, secundum illud: Ignem ardentem extinguit aqua: *& aqua obliviscebatur naturæ extinguentis*, scilicet ignem, quia grando, & ignis mixta pariter ferebantur, ut habetur in Exodo. Item supra: In aqua quæ omnia extinguit, plus valebat ignis, *econtrario*, supple, quam natura earum requireret: *Non vexaverunt carnes*, scilicet urendo, *carnes*, inquam *corruptibilium animalium*, scilicet hominum, & jumentorum: *coambulantium*, ipsis flammis; hoc dicit, quia columna ignis Hebræos concomitante de nocte non affligebantur, sive non urebantur, ut patet: *Nec dissolvebant*, scilicet calore solis. *Sicut glacies*, scilicet dissolvitur a calore solis, supra: Quod enim ab igne non poterat exterminari, &c. *Bonam escam* appellat manna quia bonitatem quorumlibet ciborum repræsentabat, supra; Deserviens uniuscujusque voluntati. *In omnibus enim*,

Exod. 8
Eccl. 3
Exod. 9
Sap. 16
Exod. 13
Sap. 16
Ibidem.

A scilicet prædictis miraculis, *magnificasti populum tuum Domine*, scilicet Israeliticum, eorum adversarios deprimendo, *Et honorasti* multis beneficiis exaltando, unde: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus, &c. Item: Si quis honorificaverit me honorificabo eum, *& non despexisti eos*, scilicet in suis tribulationibus deserendo. Ut: Multæ tribulationes justorum, & de omnibus iis liberavit eos Dominus. Quis invocavit eum, & despexit eum? quasi dicat, nullus. *In omni tempore*, scilicet prosperitatis & adversitatis, unde. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. & ideo omni tempore benedicendus, secundum illud Psalmi: B Benedicam Dominum in omni loco, & in omni tempore, scilicet tam securo, quam periculoso, *assistens eis*, tamquam paratus juvare, unde: Cum transieris per aquas, tecum ero. Notandum autem, quod Dominus sanctos suos magnificat multipliciter: primo modo gratiam suam conferendo, secundum illud: Quos justificavit, illos & magnificavit. Secundo, miraculis illustrando, secundum illud: Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Item: Fuit Moyses vir magnus valde in terra Ægypti, coram servis Pharaonis, & omni populo. Tertio, dignitatibus ecclesiasticis sublimando, unde cantat Ecclesia: Ecce Sacerdos magnus. Et: Ma- C gnificatus est rex Salomon super omnes reges terræ divitiis, & sapientia. Quarto, ad cœlestis regni gloriam perducendo, secundum quod cantat Ecclesia: Magnificavit eum in conspectu regum scilicet Angelorum, & dedit illi coronam gloriæ. Et Magna est gloria ejus in salutari tuo, &c. Hujus gloriæ tanta est magnitudo, ut illius regni minimus, major sit maximo hujus mundi, unde: Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. Ad hanc magnitudinem nos perducat Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

Joan. 12
1 Reg. 2
Psalm 33
Eccl. 2
Matt. 26
Psalm. 33
Isa. 43
Rom. 8
Eccl. 48
Exod. 11
3 Reg. 10
Eccl. 45
Ps. 20
Matt. 11

ARGUMENTUM IN EXPOSITIONEM SEQUENTEM.

AD Hieremiæ lamentationes luculentam sanctus Bonaventura præfationem primum adhibet: qua legentium animis aditum patefacit ad mysticos illos sensus, quos in ipsis inesse, veterum etiam patrum monimentis traditum est. Deinde expositionem aggressus, in hac frequentius, quam in aliis, omnes sacræ scripturæ sensus ita amplectitur ut litterali dilucide explicato tropologicum, allegoricumve præclare aperiat ad patefacienda, quæ latent, divina arcana. Multiplici igitur divinorum sensuum ratione, tamquam egregius doctor, sapientibus, & insipientibus debitor, versatur quasi in viis pluribus, quibus doctrinæ suæ alumni insistendo, ad eam pervenire possint, quæ ducit ad Deum. Cum autem expositionis hujusce liber ederetur, in quo etiam præter cæteros doctrinæ egregiæ splendor magnus elucet, divina providentia factum est, ut illius auctor Bonaventura sanctissimus inter primarios Ecclesiæ Doctores a Sixto V. Pont. Opt. Max. sit sapientissime annumeratus. Quam rem commemorari libuit, ut inscriptionis, quæ S. Bonaventuræ eximii Ecclesiæ Doctoris nomine huic libro primum adhibita est, ratio inter omnes deinceps constet perpetuo.

S. BONAVENTURÆ S. R. E. CARDINALIS EPISCOPI ALBANENSIS, EXPOSITIO IN LAMENTATIONES HIEREMIÆ PROPHETÆ.

ET factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est, sedit Hieremias Propheta flens, & planxit lamentationes has super Hierusalem, & amaro animo suspirans & ejulans, dixit.

Eccl. 3 TEMPUS plangendi, & tempus saltandi. In verbo isto ostenditur libri hujus causa materialis, scilicet in planctu: & formalis, quia modum habet lamentativum: & ejus causa finalis in saltu. Materia quidem hujus operis est synagogæ, seu Ecclesiæ, seu cujuslibet particularis animæ desolatio lugubris: forma etiam lamentativa tota deducitur cum quæstionibus, & indignationibus metrice compositis. Ad quorum intelligentiam notandum, *Eccl. 3* sicut ibidem dicitur: Omnia tempus habent, & suis spatiis quæque pertranseunt. Sicut enim mundus major sensibiliter continuis successibus variatur, Deo cuncta mirabiliter gubernante: sic mundus minor, homo scilicet modo attendens, consideransque divinam severitatem, modo cernens radiare Dei benignitatem, diversimode afficitur, & divinis judiciis conformatur; ad quam variationem respiciens Salomon dixit: Tempus plangendi, & tempus saltandi. Hæc autem variatio viris sanctis, ex tribus causis solet accidere: vel ex diversitate considerationum spiritualium, vel ex diversitate eventuum temporalium, vel ex variatione statuum mundi principalium, viæ scilicet & patriæ. Primo, dico ex diversitate considerationum spiritualium: modo enim sancti convertuntur ad considerationem lugubrem peccatorum suorum, & aliorum, & hoc est plangere: modo ad contemplationem æternorum bonorum, & hoc est saltare. Ad hunc planctum invitans Hieremias, dixit: Accingite vos ciliciis, plangite, & ululate: quia non est aversa ira furoris Domini a vobis. *Hier. 4* In cilicio, omnis corporalis afflictio intelligitur: In planctu, culpæ detestatio, in ululatu, detestationis vehementia, & intensio designatur, quæ exercendæ sunt, donec spiritus sancti clementia interius experiatur: qui ut dicit Gregorius, *Hom. 30 Evang.* ideo Paraclitus, id est, consolator dicitur, quia dum spem veniæ parat, mentem a tristitia levat. Ita autem furoris est voluntas, sive animus puniendi. Istud est exercitium præcipue neophytorum, propter quod dicit idem Hieremias: Filia populi *Hier. 6* mei accingere cilicio, conspergere cinere, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum. Hunc igitur affectuosum planctum assumit Ecclesia sibi in temporibus jejuniorum. Convertimini ad me in toto corde *Joel. 2* vestro, in jejunio & fletu, & planctu. Ut per planctum veniat ad saltum gaudii spiritualis & contemplationis, dicente Psalmista: Converti- *Ps. 29* sti planctum meum in gaudium; concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Saccus co ciditur, cum post signa pœnitentiæ, signa

3 Reg. 6 lætitiæ assumuntur. De hoc genere A saltus dicitur: David percutiebat in organis armigatis, & saltabat totis viribus ante Dominum. Organa armigata, id est, ad armum ligata, significant opera fortia pœnitentiæ; ad quæ percutere, est in eis efficaciter se exercere, & in contemplationis altitudinem, quasi per saltum levare. In contemplationis altitudinem libere volant Angeli: sed saltant tantum homines miseri: quia in altam contemplationis speculam evecti, cito, corpore aggravante, coguntur relabi. In cujus figuram pisces habentes squamas, & pinnulas, secundum legem mundi reputantur: quia per vices super quas saltibus levantur; Omne, quod habet pinnulas, & squamas tam in mari, quam in fluminibus, & stagnis, comedetis. Et infra: Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram, comedere debetis. Ecce iste venit saliens in montibus, & transiliens colles. Per montes & colles intelliguntur, qui in Ecclesia sunt eminentiores: in quibus salit, quia visitationis suæ dulcedo non manet, sed transit, ut dicit Glossa: Transilit colles, quia parum elevatos relinquit suæ excessivæ dulcedinis expertes. Pro utroque contra reprobos: Cecinimus vobis, & non saltastis, lamentavimus, & non planxistis.

Levit. 11

Ibid.

Cant. 2

Matt. 11

Amplius secundo, fit hæc variatio planctus, & saltus pro diversitate temporalium eventuum. Tempus quidem plangendi est, in Ecclesiæ tribulatione: tempus saltandi, & gratias agendi, in Ecclesiæ revelatione. Ad hoc genus saltus invitavit Hieremias, dicens; Super montes assumam fletum, ac lamentum, & super sponsa deserti planctum, quoniam incensa sunt. Et infra: A volucre cœli usque ad pecora transmigraverunt, & recesserunt. Hoc dicit ad litteram Hieremias de vastatione synagogæ, facta per Chaldæos, quod potest intelligi verius de vastatione Ecclesiæ, facta per homines immundos, qui sicut synagoga, adversitate, sic adversi sunt prosperitate. Montes, id est, viri Ecclesiastici; sponsa deserti, id est, religiosi; volucres, id est, clerici: pecora, id est, laici. Unde Glossa, ibi: Super montes fletus assumitur, & lamentatio super sponsam deserti, dum peccant principes Ecclesiæ, & nihil in ea invenitur substantiæ Dei, nec auditur vox Christi Ecclesiam possidentis, & ad hoc respiciens idem Hieremias dixit: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? Planxit David hujusmodi planctum super Saul, & super Jonatha. Considera Israel pro iis, qui mortui sunt supra excelsa vulnerati: incluti Israel super B montes tuos interfecti sunt. Incluti interficiuntur super montes, quando boni mutant mores assumpti ad Ecclesiasticas altitudines, isti planctui, contrarius est saltus congaudere Ecclesiæ de sanctis, & prosperis successibus. Ad quem saltum invitans Isaias dicit; Laudate cœli, quoniam fecit Dominus: jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem saltus, & omne lignum ejus. Saltus dicitur locus nemorosus, eo quod in ipso, arbores in altum exiliant: hoc idem figuratum est, ubi dicitur: Invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel, in finibus Beniamin, in meridie salientes magnas foveas dicent: quia tibi inventæ sunt asinæ. Duo viri C sunt, qui Ecclesiam ex charitate diligunt. Rachel interpretatur ovis: Juxta igitur sepulchrum expectant omnes, qui considerant profectum, & defectum animarum Christi sanguine redemptarum. In meridie, id est, in spirituali prosperitate magnas foveas saliunt, qui lætitiam magnam, quam habent in corde, exterius ostendunt, quia inventæ sunt asinæ, id est, animæ Christi sanguine redemptæ. Ad hunc saltum invitat Isaias dicens: Gaudete cum ea gaudio universi, qui lugetis super eam.

Hier. 9

Ibidem.

Hier. 9

2 Reg. 1

Isa. 44

1 Reg. 10

Isa. 66

Ampliusque tertio fit hæc variatio, secundum variationem statuum Ecclesiæ principalium, viæ scilicet & patriæ: quoniam in via generaliter est status plangendi, & in patria gaudendi. Unde Glossa: Super hoc plangen-

gendum est nunc, ut in futuro salvemus. Pro isto planctu vel lamentatione dicitur: Expandit librum coram me, qui erat scriptus intus, & foris, & scriptæ erant in eo lamentationes, & carnem, & væ. Lamentationes justorum, carnem bonorum, væ damnatorum. Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & planctum, & ad calvitium & ad cingulum sacci: & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Hic planctus numquam est deserendus, sed semper Christi mortificatio circumferenda, in cujus figura dicitur: Levaverunt David, & populus, qui erat cum eo, voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ. Deficient lacrymæ, cum absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, ut dicitur. Hunc planctum sequitur ille magnus saltus, de quo: Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, ibi enim implebitur, quod dicitur: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus. Deus igitur in scriptura sacra utrumque istorum affectuum, planctum scilicet & saltum in nobis volens alternari, condidit cantica lætitiæ ad fovendam devotionem, & carmina mœstitiæ, ad excitandum in nobis salutiferum dolorem. Inter cantica lætitiæ arcem tenet Canticum Canticorum. Inter carmina mœstitiæ tractatus Threnorum, ut dici possit, Lamentatio Lamentationum quæ est ultima pars Hieremiæ. Quamvis aliqui librum distinctum ipsam appellent, sicut Cantica Canticorum. Hieremias hic quidem juxta litteram deplorat temporalem adversitatem synagogæ factam, sive per Romanos, sive per Chaldæos, sed & mortem piissimi regis Iosiæ, unde: Universus Juda, & Hierusalem luxerunt Josiam Hieremias maxime, cujus omnes cantores, atque cantatrices usque in præsentem diem lamentationes replicant, scilicet per Josiam, quem Josiam interfecit Pharao Nechao in campo Mageddo, de quo habetur in lib. Reg. de quo etiam Zacharias loquitur, dicens. In die illa magnus erit planctus in Hierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Lamentatur etiam spiritualiter damna Ecclesiæ & cujuslibet animæ singularis & miseriam peregrinationis, sicut patet in persequendo lamentationem, & inserens de injuriis, & morte Salvatoris. Et dicitur græce opus illud, Threni, Hebraice Cinoth: quod idem est ac lamentatio Latine, unde Threnetie, id est luctuose, ut dicit Papias. Quod autem dicunt quidam, quod Threni dicuntur, quasi terni, non est interpretatio, nec etymologia proprie: sed in hoc alluditur nomini, quia ternis versibus subnectuntur singulæ litteræ alphabeti. Et hoc mystice: quia tripliciter debemus plangere, corde, ore, opere.

Ezech. 2. — Isa. 22. — 1 Reg. 30. — Apoc. 21. — Joan. 4. — Isa. 35. — 2 Par. 35. — 4 Reg. 23. — Zach. 12.

Amplius in verbo plangendi etiam modus intelligitur procedendi: metrice enim dicit conquerendo, quod convenit lamentationi. Quoniam, sicut dicit Hieronym. super Isaiam, super illud verbum: Sume cytharam, &c. natura musicæ est, ut quem invenit tristem reddat tristiorem, & quem lætum reddat lætiorem, unde modus musicus, vel metricus congruit lamentationi. Isa. 23

Circa quod intelligendum, quod liber iste triplici adornatur musica, & rethorica venustate. Primo, in eloquentia, quia scribitur metrice, sed differenter, quia, ut dicit Rabanus, duo prima alphabeta metro Sapphico scripta sunt: & dicitur metrum Sapphicum a muliere Sappho, quæ ipsum invenit: & est pentametrum constans ex trochæo & spondæo, & dactylo, & duobus trochæis. In hoc igitur metri genere tres tales versus præmittuntur, & concluduntur in commate versus heroici. Verbi gratia: *Iste confessor, Domini sacratus*, &c. Metrum heroicum dicitur, quo describuntur facta heroum: quod solos continet versus hexametros. Tertium vero Alphabetum, quod tertio subditur capitulo: trimetrum est, quod secundum Latinos est constans versibus trium pedum, ut dicit Papias: qui tamen alibi dicit: Quos

Quos nos senarios a numero pedum vocamus, hos Græci Trimetros dicunt, quod geminos faciunt, verius credo esse in hac parte: quod si sex pedes continent non tamen modo versus heroici, quia materiæ non convenit versus heroicus. Quartum vero alphabetum sicut primum, & secundum describitur, ut dicit idem Rabanus. Amplius secundo adornatur commatibus rethoricis in sententiis, ut docet Glossa: Continent enim multas compositiones, quæ sunt orationes auditorum misericordiam captantes fere per totum: sicut ibi præcipue patet in primo capite. O vos omnes, qui transitis per viam. Et locis sive modis compassionem excitandi, ut docet Tullius. *l. 1 Rhet. in fine.* Continet etiam plures indignationes. Est autem indignatio, oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur: cujusmodi orationibus frequenter utitur, sicut patet ibi: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Eæ autem sunt duæ speices orationis rethoricæ, sicut patet in Tullio. *l. 1 Reth. in fine.* Sicut enim dialectica habet artem locorum suorum ad veritatem persuadendam, sic Rethorica habet: locos suos ad affectionem excitandam sicut super textum in Glossa, illis ibi assignatur. Amplius tertio adornatur hoc carmen alphabeti litteris ordinatis, quæ singulis sententiis præponuntur, sicut in illo Cantico Ecclesiæ: *A solis ortus cardine*, primus versus incipit ab A. secundus a B. & sic de aliis ita est in Hebræis. Sed litteræ Hebraicæ non solum faciunt ad ornatum facundiæ, immo ad doctrinam sapientiæ, & ad intellectum sententiæ subjunctæ. Primo, dico ad doctrinam sapientiæ, ad docendum quod initium est, & quasi elementum novæ vitæ, mala propria & aliena deplorare, juxta illud verbum Joel præmissum: *Joel. 2* Convertimini ad me in toto corde vestro, &c. *Rom. 8* Omnis creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc. Secundo, dico ad intellectum sententiæ subjunctæ, ideo enim iis sententiis præmonstrantur litteræ, quia interpretatio earum conducit

A sensibus illorum, quæ scribuntur. Hoc autem advertendum, quod primum, & quartum alphabetum semel tantum positis litteris præmonstrantur. Tertium vero, quod continetur cap. 3. singulas continet litteras triplicatas.

Amplius advertendum; quod liber iste, seu tractatus scribitur apud Hebræos tam sermone Hebraico, quam litteris Hebraicis. Non sicut quidam male opinantur: quod sit libris Hebraicis, & sermone Chaldaico: pro eo quod scriptum est, Danielem & Esdram & unam Hieremiæ pericopen, id est, partem Hebraicis quidem litteris, sed Chaldaico sermone conscriptos, &c. quam pericopen Threnos esse fabulantur. B Cum non sit ita, sed illa brevis particula est, quæ dicitur Hieremias: Sic ergo dicetis eis: *Hier. 10* Dii, qui cœlum, & terram non fecerunt, pereant de terra & de iis, quæ sub cælo sunt. Quod Hebræi usque hodie tam in Chaldæo sermone, quam litteris Hebraicis sensibiliter ostendunt.

Adhuc sciendum, ut dicit Rabanus, *Ps. 36* eodem modo plures esse conscriptos, *Ps. 11* scilicet: Noli æmulari: Item: *Psal. 111* Beatus vir, qui timet. Item: *Psal. 144* Beati immaculati. Item: Exaltabo te Deus meus rex.

Cum hoc etiam sciendum, quod in hoc opere sicut in Canticis Canticorum more Cantici ad gaudendum, C varie sibi respondentes introducuntur personæ.

Causa vero finalis intelligitur in saltum, ut dictum est, juxta quod dicitur: Plorabitis, & flebitis vos, *Joan. 16* mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Signa Thau *Ezech. 9* super frontem virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus. Et infra: Omnem autem, super quem videbitis Thau, ne occidatis.

Amplius considerandum quod dicit Glossa, lamentationes Hieremiæ, membro orationis maxime distingui, vel dissoluto colorari: membra autem Latine, Græce dicuntur cola, vel commota: quia commota dicuntur distinctiones majores, quas Tullius pro-

Isa. 1. proprie membra appellat Verbi gratia: Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum, abalienati sunt retrorsum. Membrorum vero unum ab alio excipi dicitur, quando per sequens, quod præcessit, explicatur, vel ampliatur. Qui ornatus, quamvis constare possit ex duobus membris, successive tamen constat ex tribus, ut dicit Tullius. Et sic est iste *Libr. ult. Rhet.* liber descriptus. Qui etiam Tullius articulos vocat, quod græci cola, quamvis colon membrum sit. Articulus autem est, quando singula verba singulis intervallis distinguuntur, ut hic: Acrimonia vitæ, vultu adversarios perterruisti. Talibus igitur majoribus sententiis liber iste deducitur, nunc conjunctione connexis, nunc vero & quidem frequentius sine copula media sibi conjunctis. Quod intelligitur in colore dissolutionis: quia, ut dicit Tullius, *Cic. Ibid.* dissolutio est, quæ conjunctionibus verborum e medio sublatis, separatis partibus efficitur.

Huic autem operi hæc littera in quibusdam libris anteposita invenitur: quæ non est tamen de veritate textus: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est, sedit Hieremias flens, & planxit lamentatione hac in Hierusalem, & dixit*, &c. *Redactus est Israel*, quantum ad decem tribus: *& Hierusalem deserta est*, quantum ad duas tribus, *sedit Hieremias flens*, in sessione, doloris vehementia, & continuitas designatur, sicut Job sedens *Job. 2.* in sterquilinio. *Et planxit lamentatione hac in Hierusalem, & ejulans dixit*, &c.

CAPUT PRIMUM.

ALEPH.

QUOMODO sedet sola civitas plena populo: facta est quasi vidua domina gentium? Princeps Provinciarum facta est sub tributo.

BETH. Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus: omnes amici ejus spreverunt eam, & facti sunt ei inimici.

GIMEL. Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis; habitavit inter gentes, nec invenit requiem: omnes persecutores ejus apprehenderunt eam inter angustias,

DALETH. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes: virgines ejus squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine.

HE. Facti sunt hostes ejus in capite, inimici ejus locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis.

VAV. Et egressus est a filia Sion omnis decor ejus: facti sunt principes ejus velut arietes non invenientes pascua: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.

ZAIN. Recordata est Hierusalem dierum afflictionis suæ, & prævaricationis, omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus ejus in manu hostili, & non esset auxiliator: viderunt eam hostes, & deriserunt sabbatha ejus.

HETH. Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus: ipsa autem gemens conversa est retrorsum.

TETH. Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui: deposita est vehementer non habens consolatorem: vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus.

JOD. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit gentes in-

ingressas sanctuarium suum, de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam.

CAPH. Omnis populus ejus emens, & quærens panem: dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam: vide Domine, & considera, quoniam facta sum vilis,

LAMED. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus, quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui.

MEM. De excelso misit ignem in ossibus meis, convertit & erudivit me: expandit rete pedibus meis, convertit me retrorsum; posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.

NUN. Vigilavit jugum iniquitatum mearum, in manu ejus convolutæ sunt, & impositæ collo meo: infirmata est virtus mea: dedit me Dominus in manum, de qua non potero surgere.

SAMECH. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei: vocavit adversum me tempus, ut contereret electos meos: torcular calcavit Dominus virgini filiæ Juda.

AIN. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longe factus est a me consolator convertens animam meam; facti sunt filii mei perditi, quoniam invaluit inimicus.

PHE. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam, mandavit Dominus adversum Jacob, in circuitu ejus hostes ejus: facta est Hierusalem quasi polluta menstruis inter eos.

SADI. Justus est Dominus, quia os ejus ad iracundiam provocavi: audite, obsecro; universi populi, & videte dolorem meum: virgines meæ & juvenes mei abierunt in captivitatem.

COPH. Vocavi amicos meos, ipsi deceperunt me: sacerdotes mei & senes mei in urbe consumpti sunt: quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam.

RES. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa: quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, & domi mors similis est.

SIN. Audierunt, quia ingemisco ego, & non est qui consoletur me; omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti; adduxisti diem consolationis, & sicut similes mei.

THAU. Ingrediatur omne malum eorum coram te, & vindemia eos sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas; multi enim gemitus mei; & cor meum mœrens.

EXPOSITIO IN CAP. I.

MOdus procedendi, & divisio hujus operis patet sic: Plangit enim in duobus primis alphabetis ad litteram dispendia synagogæ, & mysticæ Ecclesiæ in generali. Secundo personarum majorum in speciali, in tertio, & quarto capite. In primis autem duobus differenter procedit Sicut enim in peccato duo sunt, conversio scilicet ad bonum commutabile, & aversio a bono incommutabili: ita econtrario in pœna duo sunt iis correnspondentia, scilicet flagellum sensibile, contra conversionem: & gratiæ subtractio, contra aversionem. Primum deplorat in primo alphabeto: secundum in capite secundo, ibi: *Quomodo obtexit caliginem*, Amplius privilegiatæ personæ, vel sunt insignes ratione sanctitatis, vel ratione dignitatis, seu auctoritatis: tribulationem virorum sanctorum lamentatur in tertio alphabeto: tribulationem majorum, utpote clericorum in quarto, ibi: *Quo modo obscuratum est aurum*. In primo alphabeto sunt quinque partes. Primo enim deplorat synagogæ, & Ecclesiæ desolationem: secundo subdit desolationis rationem,

Duo sunt in peccato Pœna duo includit.

nem, ibi: *peccatum peccavit Hierusalem*, tertio implorat pietatem supernam, ibi: *Vide Domine afflictionem meam*; quarto excitat compassionem supernam, ibi: *O vos omnes*, quinto contra adversarios excitat Dei indignationem, ibi: *Vide Domine, quoniam tribulatio*. In prima parte primo lamentatur civitatis depopulationem: secundo, Judæorum transmigrationem, & captivationem. *Migravit Judas*. In describendo depopulationem, vel desertationem, primo describit dispendium civitatis, & læsionem: deinde consequentem desolationem. *Plorans ploravit*, depopulatio autem ejus, & disiectio patet ex tribus: ex perdita multitudine, pro qua dicit: *Quo modo sedet*, ex perdita fortitudine, pro qua dicit: *Facta est quasi*, item ex perdita altitudine, vel dignitate, pro qua dicit: *Princeps provinciarum*.

Dicit ergo: *Quo modo*. Quod enim præmittitur in quibusdam libris: *Et factum est, postquam redactus est Israel*, &c. non est in glossatis libris: nec est de textu in antiquis, ut tactum est. Huic ergo versui præmittitur littera ALEPH, quæ interpretatur Doctrina: quod dupliciter ad sequentia referri potest. Primo quia defectus doctrinæ causa fuit subversionis populi: propter quod præmittit ALEPH, hortans homines attendere pericula sua multiplicata, ne fallantur, unde: Propterea captivus ductus est populus meus, eo quod non habuit scientiam. Item quia errores ei persuasi sunt loco doctrinæ, juxta illud: A prophetis Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram: Vocavi amicos, & ipsi deceperunt me.

Isa. 5

Hier. 23

Ibid.

Sequitur, *Quo modo*, inquit admirative, *sedet*? Vel interrogative: *Quo modo*? respondetur infra cap. eodem, *Peccatum peccavit Hierusalem*, mortem scilicet Salvatoris & quia non cognovit tempus visitationis suæ. In sessione deiectio intelligitur: quia stare per potentiam solita fuerat. *Quomodo*, inquit, id est, qua de causa. *Sola civitas, plena populo*, olim scilicet plena, videlicet tempore David & Salomonis: modo, *Sola*, populo ejus in transmigrationem ducto. Unde secundum Glossam, est hic primus conquestionis locus, per quem in quibus bonus fuerit, ut ajunt, & in quibus malus fuerit, declaratur. Vel plena erat, quantum ad multitudinem; & sola, quia Dei adiutorium non habebat. Econtra non est solus, cum quo est Deus: ut dicit Hugo: Et in Paradoxis dicitur, numquam nimis solus sum, quam cum solus sum. Allegorice, *civitas plena populo sedet sola*, quia multi sunt Christiani numero, pauci merito. In cujus figuram dicunt optime: Ait JESUS, quis me tetigit? negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt: & dicis, quis me tetigit? Et dixit JESUS: Tetigit me aliquis, nam & ego cognovi virtutem de me exiisse. CHRISTUS premebatur, & ab una, quæ virtutem ejus suscepit, se tactum fatebatur. In primitiva autem Ecclesia sub dominio tyrannorum erant Christiani numero pauci, sed comparative sancti, & multi: nunc autem est econverso.

Luc. 19

Luc. 8

Moraliter anima plena est populo innumerabilium phantasmatum: & sola est, dum nihil cogitat Domini.

Sed deplorando perditam fortitudinem, subdit, *Facta est quasi vidua*, non viro vidua, sed vivente viro, derelicta: ita quod adhuc in ea spes restat reconciliationis acquirendæ: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me, dicit Dominus Deus, & ego suscipiam te. *Domina gentium*, plurium quas sibi in circuitu subiugaverat: Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Etæis, & Pherezæis, & Evæis, & Jebusæis, quos non poterant filii Israel, fecit Salomon tributarios usque ad diem hanc. Et: Factus est Moab David serviens sub tributo. Et infra? Facta est Syria serviens David sub tributo.

Hier. 3

3 Reg. 9

2 Reg. 8

Spiritualiter, per gentes intelliguntur multi prælatorum Ecclesiæ gentiliter viventes: quibus solebat Ecclesia dominari. In Ecclesia enim præ-

præfuerunt viri sancti: modo quasi vidua facta est, dicere possumus, in multis viris effœminatis, qui alios mundare non sufficiunt: quia lutum in manu gerunt: Dabo pueros principes eorum, effœminati dominabuntur eis. Deplorando vero deperditum honorem, dici: *Princeps provinciarum*, Palæstina enim multis principari solebat, *facta est sub tributo*, Gens, & regnum, quod non servierant Nabuchodonosor regi Babylonis, in gladio, & peste & fame, visitabo super gentem illam. Fuerunt quidem sub tributo, primo Assyriorum, sicut patet: Deinde Persarum, secundum Isydorum, & postea Romanorum, sicut patet ad litteram: Sed allegorice: Ecclesia servit tributis dum cogitur providere hominibus vita indignis: qui stipendia accipiunt sine merito laboris. Vel allegorice dum per diaboli membra clerici pervertuntur, Ecclesia diabolicis tributis subiicitur. Moraliter, gentes sunt affectiones, vel peccata, quibus anima faciliter dominatur, quamdiu sponso, fide scil. & dilectione copulatur: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, & quo amisso, propriis affectibus misere captivatur. Provinciæ vero, sensus sunt corporis quibus anima subversa tributum reddit, cum sensibilis illecebra ad se trahit altitudinem rationis: Et nota, quod dicit: *Domina gentium, & princeps provinciarum*, quia affectus debent comprimi, & in plenam redigi servitutem: sensus autem dirigi habent principante quadam rationali distinctione. Quia igitur hujus subversionis est initium defectus doctrinæ sanæ, & pernicies persuasionis erroneæ, rectæ ALEPH præmittitur huic clausulæ. Hic etiam est primus locus conquestionis, ut dictum est.

Isa. 3

Hier. 37

4 Reg. 18

Luc. 2

Gen. 4

Adverte de Glossis. In illa enim Glossa: quadruplici plangit, &c. dicitur ita: Materialis est hic numerus, scilicet quaternarius. Quod pro hoc dicitur, quia materialia hominis designat principia, scilicet quatuor elementa. Etiam infra dicitur: Hic numerus quasi quadratus & solidus, &c. quadratus vere, & non solidus

A proprie, secundum mathematicam quadraturam: sed solidus dicitur, quia eorum quadrata solidam stabilitatem habent. Infra: Sed etiam cœlestia, id est, spiritualia. Infra: Virtutes egregiæ, scilicet cardinales. Infra: Interius: &c. id est, per quatuor originales defectus, & contrarios quatuor virtutibus cardinalibus: quia ignorantia est contraria prudentiæ, malitia justitiæ, concupiscentia temperantiæ, infirmitas fortitudini.

Item in illa Glossa: Lamentatio aut ex mœrore &c. dicitur: Sicut genus extenditur ad speciem, &c. Quod intelligendum est juxta quandam regulam rhetorum, quando ad

B speciem transitur a genere, & econverso: ubi per genus & speciem, totum & pars intelliguntur.

BETH interpretatur Domus. Et recte hæc littera prænotantur: quia post communem civitatis desolationem, hic ad specialem desolationem consequentem, scilicet domus sacerdotalis & regiæ sermo convertitur.

Plorans, Hic describit, ut dictum est, ejus desolationem. Primo tangens ploratus vehementiam, secundo omnis solatii carentiam. *Non est qui*, in prima parte tangit desolationis vehementiam, quantum ad omnes; secundo, quantum ad majores, *ibi*, & *lacrymæ*, dicit ergo, *plorans*, dicta civitas metaphorice, ut intelligatur contentum per continens, *plora-*

C *vit*, id est ploratum continuavit; *in nocte*, ad litteram; quia de die ploratus signa ostendere non audebat. Tarde tamen pœnituit, cum scilicet se malis undique deprimi conspexit; & ideo ploratus ei minime profuit, quia ex amore non processit. Vel in nocte ploravit, id est, in secreto: quod est amicum flentibus, qui consolari nolunt: sed lacrymis suis pascuntur: *& lacrymæ ejus in maxillis ejus*, id est, in majoribus: qui eminent in corpore, sicut maxillæ in capite. Amplius sicut per maxillas cibus masticatur corpori, sic minoribus per majores debet sapientia communicari. Vel, *in maxillis*, ad litteram, quia non erant lacrymæ simulatæ, sed undosæ. Et est hic

quar-

quartus locus conquestionis: per quem res turpes, & humiles indigne patientibus proferuntur. Sed pro defectu omnis consolationis sequitur: *Non est qui*, &c. Consolatio autem dupliciter ei subtracta fuit, & ex morte ac dejectione charorum, & secundo ex ingratitudine aliorum ad inimicitias conversorum, ibi: *omnes amici*, Pro primo dicit, *non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus*, id est, Prophetis, qui solebant Dei misericordiam prædicere futuram: & principibus, qui solebant antea defendere patriam. Et est hic locus quintus indignationis, per quem tum condignationem conquerimur: cum ab iis, a quibus minime conveniat male tractamur. Sequitur: *omnes amici ejus*, qui esse solebant ejus amici, ut finitimæ nationes: *spreverunt eam*: auxilium non ferendo: *facti sunt inimici*, prosequendo. Propter quod Dominus ei multipliciter comminatur, sicut patet in oneribus Isaiæ vel, *amici*, angeli, de quibus: Quæ habitas in hortis, amici auscultant. Cant. ult. Hi *spreverunt eam*, eis protectionem auferentes. Unde post passionem Christi audita perhibetur vox in aere alte dicentium: Transeamus ab iis sedibus. Qui & inimici facti sunt Dominicæ severitatis executores. Et justo Dei judicio: qui enim propter vicinos a lege Dei declinaverunt ad Idololatriam, inimici effici permittuntur, sic dicitur: Ecce ego suscitabo omnes amatores contra te, quibus satiata est anima tua. Ezech. 23. Et est sextus locus conquestionis.

Allegorice. Vox est Ecclesiæ plangentis peccatores: maxillæ vero, prædicatores, qui verbum, quasi cibum comminuunt, & toti corpori refundunt. Vel ploratio noctis deploratio est vitæ præsentis: *non est autem qui consoletur*: quando nullus ex prædicatione compungitur: amici sunt potentes sæculi, qui in prosperitate amicos se esse simulant ejus, quem in adversitate impugnant.

Moraliter habet anima diem, contemplationem æternitatis: habet noctem, considerationem propriæ iniquitatis: quæ consideratio lacrymas producit: quæ sunt in maxillis, cum

A extendit se contritio ad macerationem carnis: *non est qui consoletur eam*, &c. cum desolatam in pœnitentia contemnunt amatores civitatis: *omnes amici spreverunt*. Sciendum quod homo tripliciter a Deo derelinquitur: aliquando intus & non foris: ut cum David adulterium commisit, quod & si Deus facere permisit, arguit tamen per Prophetam. 2 Reg. 11. Aliquando foris & non intus, ut Job. Aliquando foris & intus: ut filius prodigus luxuriose vivens, & fame tabescens. Luc. 15. Ergo cum dicit, *non est qui consoletur*, ostendit se esse exterius derelictam. Amici autem domestici sunt, qui conversis ad Christum inimici fiunt: juxta illud: Inimici hominis, domestici ejus. Matth. 10.

B GIMEL, interpretatur Plenitudo: significatque plenitudinem pœnæ & culpæ: sicut ubi dicitur Scribis, & Pharisæis: Implete mensuram patrum vestrorum: hoc est, quod illi minus fecerunt peccando, vos consummate. Matth. 23. Nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, &c. Gen. 15. quia peccando, existentes pertinaces, miseriæ & calamitatis complementum meruerunt; quam in captivitate experti sunt: Recte ergo hic per GIMEL litteram sequentibus propositum designatur. *Migravit Judas*. Hic agit de captivitate & transmigratione Judæorum: cujus captivitatis miseriam exaggerat. Primo ex multiplicitate

C malorum præsentium: secundo ex rememoratione præteritorum, ibi: *Et recordata est*: tertio ex vilipensione bonorum suorum, *Viderunt eam hostes*. In prima parte describit miseriam quantum ad dejectionem: secundo quantum ad exaltationem adversariorum: ibi, *facti sunt hostes*, Miseriam autem captivitatis Judæorum ostendit: primo quantum ad terminum ad quem: secundo quantum ad terminum a quo, ibi, *Viæ Sion lugent*. In prima parte describit captivitatem ut violenter expertam: deinde consequentem molestiam, *habitavit inter gentes*. Dicit ergo, *migravit Judas*, id est, gens regibus Judæ subiecta, scilicet Tribus Beniamin, in qua erat Hierusalem & Tribus Juda. Migravit, inquam, de

ter-

terra sua in Babylonem. Et cum fuerit Judæorum transmigratio proprie novem Tribuum, quando ducti sunt a Salmanasar in Assyrios, sicut patet: Hic loquitur de captivitate facta per Nabucodonosor, sicut refertur: Et accipitur migratio pro captivitate. *Migravit* ergo, *Judas propter afflictionem populi*, scilicet quam patiebatur, nec illi resistere poterat, invadentibus Chaldæis, & *multitudinem servitutis*, qua affligebatur a finitimis nationibus. Vel servitus peccatum significat. Hic est, ut dicit Glossa, septimus locus conquestionis.

4 Reg. 17

4 Reg. ult.

Habitavit. Ecce consequens molestia: primo quantum ad carentiam desideratæ quietis: secundo quantum ad confluentiam inundantis undique tribulationis, ibi. *Omnes persecutores*.) *Habitavit inter gentes*, ad litteram in Babylone. *Nec invenit requiem*, proprium est afflictorum, quod semper præsens periculum gravius judicant: sicut ægroti in nocte diem expectant, sic populus iste in terra propria afflictus fugam petiit, nec si requiem invenit: cujus causa subditur in eo, quod sequitur: *omnes persecutores ejus*, undique coarctantes, finitimæ nationes insultantes, *apprehendent eam inter angustias*, quia fugiens Chaldæos, incidit in Ægyptios, sicut patet: Qui ad mortem ad mortem: & qui ad gladium ad gladium, & qui ad famem ad famen, & qui ad captivitatem ad captivitatem.

Hier. 15

Allegorice. Juda Tribus regulos significat illos, qui in Ecclesia sunt sublimius constituti: qui Christum se confiteri dicunt: sed quia in ejus amore firmi non sunt pro ipsius nomine indigna pati erubescunt: Migrant ergo propter afflictionem & multitudinem servitutis: quia dum sanctorum passionibus communicare nolunt a consortio justorum alieni fiunt: quibus habitare inter gentes, est mundanorum hominum imitari mores, & mundanis sollicitudinibus implicari: ad quod sequitur eos requiem minime reperire: & frequenter tales in graves labores & infructuosos incidunt: qui mediocres pro Christo subire noluerunt: Unde tales alloquitur Dominus per Isaiam:

A Descende, sede in pulvere virgo filia Babylonis: tolle molam, mole farinam, &c. quod molere est circuitu hujusmodi laborioso implicari: a quo avocans Dominus dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Vel habitare inter gentes, est carnalibus desideriis vel carnalem vitam agentibus morem gerere, *nec invenit requiem*. Unde Hugo: Sic erutis oculis, ad molam ponitur; qui amisso lumine veritatis, animus per appetitum terrenorum desideriorum circumfertur, *omnes persecutores ejus*, id est spiritus maligni, & desideria carnis, qui militant adversus animam: quia quando multiplicatione peccatorum continuati in desperationis angustias labitur; nullius jam tentationibus reluctatur. Vel angustia hujus sæculi tristitiam significat, in quam necesse est incidere, mundana solatia quærentes immoderate, ipsius subtractis, quæ quidem tristitia ad mala disponit universa, unde: Omnis plaga tristitia cordis est. Vel intelligitur in morte: quando non potest transire ad dexteram, nec ad sinistram.

Isa. 47

Matth. 11

B

Eccli. 25

Viæ Sion. Postquam actum est de miseria captivitatis, quantum ad terminum, ad quem: hic agit de eadem quantum ad terminum, a quo, scilicet quantum ad desolationem civitatis, quam describit. *Primo*, quantum ad devastationem ejus lugubrem: secundo subdit lugubritatis rationem, ibi: *Sacerdotes ejus gementes*. Devastationem autem civitatis ostendit quantum ad loca, quæ sunt magis frequentata, quæ sunt viæ, & portæ, quæ solent præ cæteris frequentari: quibus destructis, & desolatis, sequitur ut desolata fit pars reliqua civitatis. Huic autem versui præmittitur littera DALETH, quod interpretatur Tabularum, vel tabulatum, vel tabula. Ubi mystice significatur desertatio civitatis, propter prævaricationem legis contentæ in duabus tabulis, unde Rabanus quatuor dicta elementa in unam sententiam redigens, & dicit: prima connexio est, doctrina, domus, plenitudo, tabulatum: quia videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine

C

dine divinorum. Alii tamen dicunt, ibi domus Domini incendium deplorari: quia talibus lignorum imputribilium erat cooperta, sicut patet. 3 Reg. 6 Sequitur. *Viæ Sion*, id est, ducentes Sion ad luctum, *lugent*, id est, lugubres sunt: & ad luctum solo visu provocant. Cujus causam subdit, dicens: *Eo quod non sit, qui veniat ad solemnitatem*, sicut fuit ante captivitatem. Et hoc prædictum fuit. Quid facietis in die solenni, in die festivitatis Domini? Ecce enim profecti sunt a vastitate. (Osee 9) Et est hic octavus locus conquestionis secundum Glossam. *Omnes portæ ejus destructæ*, portæ tam civitatis, quam amicorum, quam etiam templi, & columnæ earum in Babylonem asportatæ sunt, (4 Reg. ult.) sicut patet: Quasi in silva lignorum securibus januas ejus exciderunt in idipsum. (Hier. 14) Luxit Juda, & portæ ejus corruerunt.

Allegorice *viæ Sion*, sunt sanctis dantes exempla vitæ: Unde: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona. (Hier. 6) *Lugent*, ergo, *eæ viæ*, *eo quod non sit*, *qui veniat*, &c. quia sancti lugent, dum cultum Dei contemni considerant: Deum enim colere, & pœnitentiam agere, hoc est Deo solemnitatem facere, unde Gregorius (Greg. lib. 9 Mor. cap. 15) super illud, agite diem solemnem, dicit, recitans aliam litteram, ubi dicitur: Constituite diem solemnem, inquit: Solemnem namque Domino diem in confrequentationibus constituit, quisquis se in ejus desiderio assidue affligit, *Portæ ejus destructæ*, portæ, prælati sunt per quas subditi habent intrare: ipsi enim debent viam subditis aperire salutis. Luxit Juda, & portæ ejus corruerunt, & obstructæ sunt in terra. (Isa. 2) Quasi dicat, causa ruinæ subditorum est ruina prælatorum: sicut & contra, reformatio subditorum est ex bona vita prælatorum. Unde istæ portæ Gehennæ Moraliter, *Viæ Sion*, id est, notitiæ scripturarum, *Lugent*, id est, lugere faciunt, *eo quod non sit*, *qui veniat ad solemnitatem*, id est, propter interiorem deordinationem animæ, quantum ad vires cognitivas, & motivas: quæ tunc veniunt ad solemnitatem, quando nullus motus sensibilis impedit internam animæ tranquillitatem. Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei, &c. (Hier. 14) Bernardus dicit: Venite omnes cogitationes, affectiones, & intentiones, &c. Istæ igitur viæ vere sunt lugubres, cum in anima sunt motus innumerabiles cogitationum, & affectionum, quibus tunc deficimus a salute. Vel, *viæ Sion lugent*, quando animæ prius in arce contemplationis detentæ, Deum contemnentes, ad terrenas actiones incurvatæ, lugubres apparent: Portæ sunt destructæ, cum sensus quinque a legibus disciplinæ non restricti, solis illecebris famulantur. Portæ scilicet fluviorum apertæ sunt. (Nahum. 2) Ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est in domos nostras. (Hier. 9) *Sacerdotes ejus gementes*, ratio est ulterior luctuositatis. Desolatio enim solet major apparere ex tribus: vel quando est in personis reverendis, quibus debetur reverentia, cujusmodi sunt sacerdotes, vel in personis simplicibus, in quibus refulget innocentia, cujusmodi sunt virgines: vel in ipsa hominum multitudine, in quibus calamitas est magis miseranda. Pro primo dicit, *Sacerdotes ejus gementes*, ad litteram, qui solebant ad solemnitates homines invitare: quia, ad litteram, in captiviptatem ducti a cultu, & cæremoniis templi exclusi: Luxerunt sacerdotes ministri Domini. (Joel. 1) Pro secundo sequitur *Virgines ejus squalidæ*, id est, deformes, & incultæ: cujus tamen contrarium solent virgines desiderare, quæ & solitæ erant vias illas sua frequencia ornare. Pro tertio sequitur, *Et ipsa Sion oppressa est amaritudine*, captivitatis, & doloris, oppressa, id est, sic pressa, ut nec valeat ad gaudium se recipere.

Allegorice, *Sacerdotes ejus gementes*, &c. non jam pro peccatis: sed gemunt præ magnitudine curarum, & inquietatione divitiarum: quæ sunt spinæ pungentes, & gemitum provocantes, Gigantes gemunt sub aquis. (Job. 26) Petrus non sic, sed super aquas ambulavit. (Matth. 14) *In captivitatem ducti sunt*, qui a studio curæ cœlestis in carcerem mundanæ sollicitudinis ceciderunt,

runt, & hoc quantum ad statum prælatorum. Pro statu vero contemptorum sequitur, *virgines ejus squalidæ*, virgines in corruptionem mentis in statu contemplationis sectantes, *squalidæ*, squalore vitiorum, vel sorditate. Fatuæ autem, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum, id est, nitorem conscientiæ, vel puritatem in corde minime habuerunt. Sed pro statu multitudinis aliorum sequitur: *& ipsa Sion*, scilicet Ecclesiæ multitudo oppressa, *amaritudine*, litium & discordiarum: vel ipsa Ecclesia universalis in pace, & prosperitate corporalium. Ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Matth. 25

Isa. 38

Moraliter, Sacerdotes sunt, synderesis contra multitudinem malorum remurmurans: virgo squalida, est intentio in bono opere depravata: quæ duo accidunt, cum Clerici multa mala aperte faciunt, & cum quædam bona faciunt intentione corrupta: unde sequitur: *ipsa oppressa* anima misera; *amaritudine*, id est, sarcina peccatorum.

He. *Facti sunt hostes*, Hic describit miseriam captivitatis, quantum ad conditiones adversariorum. Et habet quatuor partes. Primo describit dominationem, deinde rapacitatem: *inimici ejus locupletati*: tertio ferocitatem, quia nec parvulis pepercerunt, ibi: *parvuli ejus*: quarto tyrannicam potestatem, ibi: *egressus est a filia*. Huic autem clausulæ præmittitur littera He, quæ interpretatur Ista: quod est pronomen demonstrativum ad oculum. Quasi dicat, ecce ad sensum impleta sunt, quæ a Domino prædicta fuerunt. Ducet te Dominus, & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras, &c. Sequitur, *facti sunt hostes ejus*, populi Judaici, *in capite*, id est, habentes dominium. Ipsa erit in caput, & tu eris in caudam. Pro quorum rapacitate subdit: *inimici ejus locupletati sunt*, sicut dicitur: Nabuchodonosor accepit thesaurum Domini, & thesauros domus regiæ: *Quia Dominus locutus est super eam*. Hic est octavus locus conquestionis: non ex necessitate essendi, sed consequentiæ, sicut dicitur: Non poterunt credere, quia dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, &c. unde Hieremias vult dicere hic: Non ideo hæc venerunt, quia a Domino prædicta sunt: sed quia ventura erant, prædicta sunt. Dicit ergo, *quia Dominus locutus est super eam*, scilicet ventura prædicando super Judæam, *propter multitudinem iniquitatum ejus*. Tradet te Dominus corruentem, ante hostes suos: Effundam super te indignationem meam in igne furoris mei. Sed hostium ostendens ferocitatem, subdit: *parvuli ejus*, quibus propter ætatem esset parcendum, *ducti sunt in captivitate*, Babyloniæ, *ante faciem tribulantis*, id est, populi Chaldæorum atrociter, & severe: non sicut dicit Jacob. Nosti Domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oves, ac boves fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.

Deut. 28

Deut. 28

4 Reg. 25
Aut. in 1 sent. d. 38 art. 1 q. 2

Joan. 12

A

Deut. 28

Gen. 33

B

Allegorice, hostes fiunt in capite, cum indigni præficiuntur Ecclesiæ, maxime illi, quæ est caput aliarum: qui non quærunt, nisi quæ sua sunt: ideo sequitur, *inimici ejus locupletati sunt*, quia nihil aliud quærunt. Abundant tabernacula prædonum, & audacter Deum provocant. Prædones sunt, quicumque stipendia Ecclesiæ recipiunt, & communi utilitati non incumbunt. Vel inimici, id est, dæmones, *locupletati sunt*, dum multitudo hominum subiicitur diabolicæ servituti, paucis Christo adhærentibus: Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum. *Quia Dominus locutus est super eam*, in pœnam ejus: propter enim demerita subditorum permittit Dominus præfici pastorem detestandum: Dabo pueros principes eorum: & effœminati dominabuntur eis. Ex quo sequitur multiplex ulterius subversio subditorum: Facti sunt greges mei in rapinam: & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor, sed pascebant pastores semetipsos: *parvuli*, id est, simplices, in quibus solebat innocentia florere: *ducti sunt in captivitatem*, peccati *ante faciem tribulantis*, id est diaboli. Illi ante faciem

Job. 12

C

Mich. 7

Isa. 3

Ezech. 34

ciem diaboli ducuntur, qui tentationem præveniunt, & sponte in crimina præcipitantur. Moraliter hostes sunt in capite, quando voluntas rationis inclinatur ad consensum malæ suggestionis, vel quando depravatur oculus intentionis. Vel fiunt in capite, quando in adolescentia quis incipit diabolo servire: aliquos enim capit in fine vitæ Ipse insidiabitur
Gen. 3 calcaneo suo: Ipsi calcaneum meum
Psal. 55 observabunt. Sed quando fit hostis in capite, diabolo faciliter datur totum tempus vitæ, contra illud: Ne
Prov. 5 des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Quod non faciunt, nisi qui modicæ sunt virtutis: ideo
Prov. 1 per parvulos designantur: Aversio
Prov. 9 parvulorum interficiet eos: Quis est parvulus, declinet ad me.

Et egressus est. Hic describit hostium formidabilem potestatem per effectum & triumphum. Primo respectu omnium insignium personarum: secundo, respectu principum, & majorum, ibi: *facti sunt principes ejus*, &c. Huic clausulæ præponitur littera VAV, quæ interpretatur Dominium adversariorum: quasi dicat, prædictæ severitati hæc est adjungenda. Dicit ergo: *Et egressus est*, in captivitatem, *a filia Sion*, id est, a civitate Hierusalem, quæ dicitur filia Sion. Sicut enim mater videtur protegere filiam: sic arx Sion civitatem sibi subditam defendebat, *omnis decor ejus*, id est, reges, principes, sacerdotes, & prophetæ homines strenui ad arma, periti ad consilia, juxta illud:
Isa. 3 Ecce ego dominator Dominus exercituum auferam ab Hierusalem & ab Juda validum, & fortem, & virum bellatorem, & judicem, & prophetam, &c. Sequitur pro deletione principum speciali: *facti sunt principes ejus velut arietes, non invenientes pascua*. Cum enim sunt arietes debiles, & vagi, faciliter in lupos insidiantes incidunt. In tempore obsidionis principes illi fame, & inedia pressi, dissolutis viribus, pavido corde, non defensionem, sed fugam certe meditabantur, unde sequitur: *& abierunt absque fortitudine*, fame quippe attenuati, & timore confracti: *ante faciem subsequentis*, populi scilicet Chaldæi.

A Allegorice, ut dicit Rabanus, sententia arguuntur negligentes rectores Ecclesiæ Dei, ob quorum incuriam perit omnis decor populi Christiani. Vel filia Sion statum significat clericorum a quibus egressus est omnis decor, ut humilitas, castitas, cæteræque virtutes. Vel decor egreditur, quando homo non confitetur: Confessio, & pulchritudo in conspe- Psal. 95
ctu ejus. *Facti sunt principes ejus sicut arietes*, qui esse solent duces gregis: aries cum vagatur, pascua non inveniens, gregem ad periculum ducit. Pascua non invenit, qui scripturas non intelligit: qui spiritus suavitatem in corde non sentit: & ideo exteriores vanitates pro so-
B latiis quærit. Econtra de bono pa- Joan. 10
store dicitur; Per me si quis introierit, ingredietur ad contemplationem: egredietur ad curam pastoralem, & pascua inveniet. Econtra dicitur de istis: *non invenientes pascua*, ideo sequitur: *& abierunt absque fortitudine*, tentationibus faciliter succumbentes: Non ascendistis Ezech. 13
ex adverso: nec opposuistis vos muros pro domo Israel.

Recordata est, &c. Huic versui libri plures habent præmissum, *Et*, unde habent: *Et recordata est*, &c. Quod esse non potest, quoniam hæc clausula in Hebræo incipit hic sic: Zacherab, &c. quod interpretatur Recordata: quod si, *Et* præcederet,
C non inciperet versus iste a ZAIN, & deficeret ordo alphabeti. Hic ergo exaggerat captivitatis miseriam ex rememoratione præteritorum: primo flagellorum multiplicium propter peccata sua: deinde & consolationum, quas habuerat ex gratia divina, & *omnium desiderabilium*. Huic clausulæ præmittitur littera ZAIN, & interpretatur, Hæc: & profecto hæc est ultio divina, ut ad calamitatis exaggerationem habeat præteritorum rememorationem. Vel ut dicit Rabanus, hæc quatuor in una sunt connexione computanda, HE, VAV, ZAIN HETH, quod est dictu: Ista, & hæc vita justitiæ, subdatur qui contra Domini beneplacitum tractat. Dicit ergo: *Recordata est* &c. Constructio ibi est incipienda.

Cum caderet populus ejus, scilicet Judæorum, *in manu hostili*, scilicet Chaldæorum: *& non esset auxiliator*, propter peccata sua, Dei auxilio subtracto: tunc dico: *Recordata est Hierusalem*, continens pro contento, *dierum afflictionis suæ*, quibus Dominus eam multiplici flagello afflixit, ut vel sic convérteretur, unde in Psalmo: Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Et repete, *recordata est prævaricationis suæ*, id est, transgressionis, propter quam meruit a Domino flagellari. Et repete, *& recordata est omnium desiderabilium*, id est, bonorum, quæ Deus ei contulerat, *quæ habuerat a diebus antiquis*, in Ægypto, & in deserto, & in terra promissionis: vel tempore Salomonis, quando in prosperitate maxima Judæi floruerunt. Et hæc omnia calamitatem exaggerant per multiplicem mali illationem: quæ etiam exaggerant per boni vilipensationem, cultus scilicet divini, quo Deum solebat placare, & de hostibus triumphare. Unde: *viderunt eam hostes*, Chaldæi: & *deriserunt sabbatha*, quia vere risu digna: quia erant ad impetrandam gratiam invalida: quiescebant enim ab opere exteriori, non ab opere criminali, vix intenti divinæ legis meditationi. Unde Sabbatha ejus in opprobrium.

Psal. 88

1 Mac. 1

Allegorice, Hierusalem, id est, Ecclesia vel anima, contemplativa in tribulatione posita, *Recordata est dierum afflictionis suæ*, quibus aliqua tentatione gravi probatur: Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: In amaritudinibus moratur oculus meus, vel, *prævaricationis*, quæ flagelli exactione purgabatur: *desiderabilium suorum*, id est, æternorum bonorum: In die malorum ne immemor sis bonorum: Hac quidem recordatione sunt assidue revocanda mala pœnalia, ut vita præsens contemptui habeatur: Hæc est infirmitas mea, portabo illam. Hinc peccantes per gemitum assiduum experientur: Memor esto unde excideris, & age pœnitentiam: & prima opera fac: Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ. Item

Psal. 31

Job. 31

Eccl. 11

Hier. 10

Apoc. 2

Isa. 38

A sunt assidue revocanda beneficia divina, sive præterita, sive futura, ut continue ametur: ideo dicit: *omnium desiderabilium suorum*: Memores uberum tuorum super vinum. Sed quidam nimis tarde ista recogitant: pro quibus sequitur: *Cum caderet populus ejus*: id est, diversæ personæ Ecclesiæ, & cogitationes, & defensiones: nec omnes singulariter animæ, *in manu hostili*, id est, in potestate diaboli, *& non esset auxiliator*, Deo deserente, nec homine subvenire valente: Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Et istud intelligitur secundum regulam Ciceronis, quando transitur de specie ad B genus: quoniam cum mali laborant, bonorum præteritorum recordantur, sic cum occideret eos, quærebant eum. *Viderunt eam*, scilicet Hierusalem, id est, anima contemplativa, *hostes*, id est, dæmones. *Et deriserunt*, &c. Rabanus: Hostes videntes sabbatha, derident: cum maligni spiritus ipsa vocationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt: unaquæque enim anima, quo remota ab externis actionibus servire Deo creditur: eo magis cor tyrannidi illicita cogitando famulatur. Sancti enim viri, qui a mundi operibus non corpore, sed virtute sapiunt, C laboriosius dormiunt, quam vigilare potuerunt. Hæc Raban. Et similiter Gregorius, super illud Job: Quando solet sopor occupare homines, de desidiosis dicit: Quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium omne congerant.

Cant. 1

Eccl. 7

Psal. 77

Greg. 5 mor. c. 21
Job. 4

Peccatum peccavit. Hæc est secunda pars principalis hujus capituli: ubi subdit prædictæ dissolutionis rationem, pœnam tamen adiungens culpæ. Primo tangit peccata communiter, scilicet multitudinis: secundo specialiter illorum qui erant in statu prælationis, in sequenti versu: *Sordes ejus*, &c. In prima parte, primo tangit pœnæ gravitatem: secundæ pœnæ multiplicitatem, ibi: *propterea instabilis*, & cætera.

Huic

Huic versui præmittitur littera HETH, quod interpretatur Vita: cujus expositio, si prædictis copuletur, patet, quod omnium prædictorum flagellorum causa est vita perversa. Vel aliter, ac si dicat: ad hoc recitantur, ita, ut convertatur, & vivat. Dicit ergo, *Peccatum peccavit*, quasi dicat: peccata multiplicans frequentavit. Quam vilis facta es, nimis iterans vias. Vel peccatum singulariter intelligitur peccatum indololatriæ, pro quo fuerunt captivati. Vel peccatum crucifixionis Dominicæ, pro quo fuerunt finaliter dispersi. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. *Propterea instabilis*. Ecce pœna triplex: prima captivitatis: secunda gravis vilipensationis: *omnes, qui*: tertia consequentis anxietatis. *Ipsa autem gemens*: Dicit ergo pro primo, *propterea instabilis facta est*, migrans de terra sua, immo per totum orbem dispersa: sed pro secundo sequitur, *omnes, qui glorificabant eam*, tempore prosperitatis, spreverunt eam in adversitate, quando fuit captivata. Unde sequitur: *quia viderunt ignominiam ejus*, id est, confusionem captivitatis. Supra eodem capitulo: Omnes amici ejus spreverunt, &c. Sed pro tertio sequitur, *ipsa autem gemens*, ipsa Hierusalem, & accipitur continens pro contento, *gemens* propter afflictionis vehementiam, *& conversa est retrosum*, ut respiceret civitatem, & terram, de qua exibat, sicut peregrini recedentes de solo natali, sæpe retrorsum respiciunt: Glossa: in hoc in bonum interpretatur: & ideo conversam retrorsum hoc in loco in bonam partem accipio: idcirco enim Deus inducit afflictionem super quemlibet hominem: ut convertatur ab errore, & vivat. Vel melius in quibusdam synagoga conversa est retrorsum, ut sequeretur Dominum cum Petro. In quibusdam vero fractis cervicibus, retro cecidit cum Heli.

Hier. 2

Joan. 15

1 Reg. 4

Allegorice, Ecclesia peccavit, ideo instabilis fuit: & a principio orientis, in finem occidentis transivit, & in illis, a quibus recessit, solam infidelitatem reliquit. Vel moraliter: Hierusalem, id est, Ecclesia peccavit peccatum cupiditatis, & avaritiæ: ideo non stetit in præterita puritate: nec delectantur, qui ejusmodi sunt in claustrali tranquillitate. Unde, *omnes, qui glorificabant eam*, dantes ei magna prædia, *spreverunt eam*, modo omnia conantes ei auferre: *quia viderunt ignominiam ejus*, cupiditatis & carnalitatis: quæ ignominiosa sunt in clericis, & religiosis personis. Vel hoc dicitur de ecclesiasticis doctoribus, recidivantes religiosos redarguentibus. Unde Rabanus: Ille est doctor ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet: qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem: nec prævenit sententiam judicis sui. *Ipsa autem gemens*, religio scilicet, vel Ecclesia, quantum ad aliquos bonos, vel malos aliquos pœnitentes: *conversa est retrorsum*, ad statum primitivæ honestatis. Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene erat mihi tunc magis, quam nunc. Psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.

Osee. 2

Psal. 82

Sordes ejus. Hic agit de peccatis majorum. Et habet tres particulas: primo, ut dictum est, tangit potentiam prælatorum: secundo, peccatum consequens subditorum, ibi: *nec est recordata*: tertio vehementiam pœnarum, ibi: *deposita est vehementer*. Huic sententiæ præmittitur littera TETH quod interpretatur Bonum: quod secundum expositionem Rabani, in mysterio continetur sequentis litteræ, scilicet IOD: quod interpretatur principium. Psalmus: Bonum mihi, quia humiliasti me: quia humiliatio, via est ad veritatis cognitionem, & implorationem majestatis: unde sequitur in fine sequentis sententiæ: *Vide Domine*, &c. Dicit ergo pro primo, *sordes*, id est, peccatum, causaliter, fuerunt, *in pedibus ejus*, id est, prælatis, a quibus debuerat supputari quia ipsi fuerunt peccatis sordidati, & causa peccati subditorum: fuerunt enim plures, & idololatræ. Peccaverunt ei, non filii ejus in sordibus. Et fuerunt causa excæcationis eorum: unde sequitur, *Nec est recordata finis*, captivitatis

Psal. 118

Deut. 32

tis quam Prophetæ prædixerant. Vel ad litteram: *sordes in pedibus*, quia multitudo peditum ducebatur in captivitatem: juxta quod dicitur de Tyro: Ducent eam pedes sui longe ad peregrinandum. Sic in signum doloris, & miseriæ dicitur de Miphiboseth, quod venit ad David illotis pedibus, & veste sordida. Sed pro vehementia pœnarum subditur: *deposita est vehementer*, ubi tangitur vehementia flagelli & defectus omnis solatii, ibi: *non habens*, &c. *deposita*, id est, dejecta, vel humiliata, *vehementer*, de solio regni, & sacerdotii. Sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida, *non habens consolatorem*. Recedite a me, amare flebo: nolite incumbere, ut consolemini super vastitate populi mei. Allegorice, pedes prælati Ecclesiæ. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annuntiantis pacem. In aliquorum horum ædibus sunt sordes gulæ. Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordium. In aliorum, sordes luxuriæ: Mundare te volui? sed non es mundata a sordibus. In multorum, avaritiæ. Calumniam patiens est Ephraim: quia cœpit abire per sordes, scilicet stercora, & egestiones terrenæ conscientiæ. Generatio quæ sibi munda videtur, & non est lota a sordibus suis. *Non est recordata finis sui*: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Vel, *finis*, id est, judicii: Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie, *deposita est vehementer*, de peccato in peccatum, *non habens consolatorem*, quia a se exclusum Spiritum sanctum consolatorem.

Isa. 23 *2 Reg. 19* *Isa. 30* *Isa. 22* *Nahu. 1* *Isa. 28* *Ezech. 24* *Osee 5* *Prov. 30* *Eccl. 7* *Eccl. 38*

Vide Domine. Hæc est tertia pars capituli, quæ prædictæ tamen sententiæ copulatur: quia ex ipsa infertur. Ubi ad se principaliter inclinare nititur cœlestem miserationem. Et habet quinque particulas: primo enim ponit istam implorationem: deinde tamquam motivum ad hoc, subdit inimicorum exaltationem: ibi, *quoniam erectus*: tertio subdit templi dehonestationem, & spoliationem, ibi: *Manum suam misit*: quarto populi afflictionem, ibi: *Omnis populus ejus*

A *gemens*: & ultimo incidenter implorat divinam miserationem, *Vide Domine & considera*. Cum hactenus Propheta planxerit civitatem: hic, mutata persona, introducit ipsam civitatem, seipsam plangentem: sed in sequentis versus initio introducitur vox Prophetæ, & consequenter usque in finem alterius versus, ibi: *Vide Domine, & considera*, ubi iterum ejusdem vox repetitur. Dicit ergo: *Vide Domine afflictionem meam*, vide compatiens, & in adversarios desæviens, *quoniam erectus est inimicus*, contra te superbiens, non tibi, sed viribus suis triumphum tribuens. Aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, quæ

B misit ad blasphemandum Deum viventem. Et si hæc imploratio ad inimicos referatur, est locus indignationis primus: sed ad ipsam Judæam, est locus conquestionis nonus. Allegorice: inimicus erigitur, cum malus in Ecclesia indigne præficitur, sicut filii Heli, Ecclesiam fœdantes, per luxuriam. Vel cum Hæretici per schisma contra Ecclesiam elevantur: sicut Chore, & complices sui. Moraliter: Inimicus erigitur, quando quis ad diaboli suggestionem incurvatur, & quasi instrumentum diaboli efficitur, sicut dicitur in persona dæmonum: Incurvare, ut transeamus.

Isa. 37 *1 Reg. 2* *Num. 16* *Isa. 51*

Manum suam: patet sententia hu-

C jus versus, cui præmittitur littera IOD, quod interpretatur Principium. Cujus sententia patet ex prædictis. Vel aliter: quod hoc fuit principium præcipuum dejectionis Hierusalem, quoniam gentes in sanctuarium intraverunt. Hæc autem littera dupliciter exponitur: unde modo secundum Rabanum sic, *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*, id est, omnia templi ornamenta pretiosa diripuit exercitus Chaldæorum: & ipsum templum vastavit. Quod autem sequitur, expositio est sententiæ præcedentis: &, *quia*, non notat causam sed concomitantiam quamdam, *quia vidit*, scilicet Judaica gens, *gentes*, scilicet Chaldæos, *Ingressas sanctuarium suum*, id est, sancta sanctorum, quod erat sanctuarium illius

illius populi, *de quibus præceperas, ne intrarent in Ecclesiam tuam*. (*Deut. 23*) Ammonites & Moabites, etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum. Et de similibus simile judicium. Hæc ergo fuit causa geminæ desolationis Judæorum, scilicet, & quia desiderabilia rapuerant, & quia loca sancta introjerant. Et secundum hæc, est hic locus conquestionis, in quo nostras fortunas deploramus Deo omnipotenti. Aliter exponitur: ut, *quia*, sit materia causæ, sic, *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*, regnum, sacerdotium, vasa templi, & alia: Domino rectissime permittente, *quia vidit*, scilicet Dominus, *gentes ingressas in sanctuarium suum*, &c. Tanta enim familiaritate erant gentibus finitimis fœderati, ut eos in templum adducerent, unde: (*Ezech. 44*) Sufficiant vobis scelera vestra domus Israel, eo quod inducitis filios alienos incircumcisos corde, & carne, ut sint in sanctuario meo, & polluant domum meam. Simile loquitur de Ezechia (*Isa. 39*): Non fuit res, quam non ostenderet eis in thesauris meis: & dixit Isaias (*Isa. 39*): Ecce dies veniunt, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui, usque in diem hanc in Babylonem.

Allegorice, desiderabilia Ecclesiæ sunt status privilegiati prælatorum: quos diabolus in multis detinet carceratos, *quia vidit gentes*, id est, prælatos gentiliter viventes, vel pejus quam gentes: juxta quod dicitur (*1 Mac. 7*): Vidit Judas omnia mala, quæ fecit Alcimus, & qui cum eo erant, filiis Israel, plus multo, quam gentes: *ingressas*, non introductas, unde (*Joan. 10*): Fures sunt, & latrones. *In sanctuarium suum*, id est, principales status Ecclesiæ (*Psal. 78*): Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam, id est, puerorum poma portantium, *de quibus præceperas, ne intrarent in ecclesiam tuam*. (*Deut. 23*) Non intrabit eunuchus attritis & amputatis testiculis Ecclesiam Dei: hoc est, qui non possunt filios spirituales Ecclesiæ parere: quia nec habent in semen scientiæ, nec virtutem vitæ.

Omnis populus ejus gemens. Hic explicat populi afflictionem ratione obsidionis: & gemitum, ratione famis gravissimæ. Huic clausulæ præmittitur littera CAPH, quæ interpretatur Manus: quasi hæc est operatio Dei, retribuens illis secundum merita. Dicit ergo, *omnis populus ejus gemens*, præ obsidionis angustia: & quærens panem, non jam delicias, sed necessarium quærens panem ad sustentationem. Cujus famis vehementia patet ex hoc, quod, sequitur, *dederunt pretiosa quæque*, aurum, argentum, & lapides pretiosos: quasi tanta ac tanta erat panis inopia, *ad refocillandam animam*; non sustentandam, in suo robore ductam, sed ad miseriam succurrendam, quod refocillatio significat. Josephus dicit, quod in obsidione Hierusalem, tanta fuit fames, quod populus obsessus quæcumque pretiosa dabat pro cibo, non sustentante modicum, sed refocillante tantum: tanta erat penuria, & defectus: sicut patet etiam in historia Hegesippi, & in historia Ecclesiastica. (*Jos. de Bel. Jud. lib. 6 c. 11 & lib. 7 c. 7 & Hegesipp. lib. 5 c. 39 & Euseb. lib. 3 Hist. Eccl. c. 6*) Sed subdens divinæ pietatis inclinationem, infert. *Vide Domine*, quæ vox est miseræ pro se loquentis synagogæ, *facta sum vilis*, id est, viliter, & ignominiose tractata, *vide*, calamitatem, &, *considera*, ejus multiplicitatem, quoniam facta sum, *vilis*, id est, viliter, & ignominiose tractata.

Allegorice. Post peccata prælatorum subdit peccata & miserias subditorum, unde dicit: *Omnis populus*, subditorum, *gemens*, boni prælatis malis condolentes, quod sua indignis dar vident: mali eorum felicitati invidentes. *Et quærens panem*, verbi DEI. (*Hier. 41*) Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit, *dederunt pretiosa quæque*, hæc est ratio doloris vera, quia dant sua carnalia & non spiritualia. Vel aliter, populus gemens, divitias & delitias, quibus abundare videt clericos, concupiscens, *quærens panem*, id est abun-

dantiam temporalem, vel voluptatem. In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique cæpæ, & allia: quæ solent oculos intuentium, & comedentium ad lacrymas provocare. Talis est hujus mundi prosperitas. Unde Augustinus ad Licentium: Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Isti dant, *pretiosa quæque*, &c. Primo vitam æternam: Inventa una pretiosa, dedit omnia pretiosa, & comparavit eam: isti econtrario illam vitam pretiosissimam dant pro re vilissima. Item dant virtutes, & sapientiam, de qua Job: Nescit homo pretium ejus. Item animam propriam: Mulier autem viri pretiosam animam capit. Item passionem dominicam. Non corruptibilibus auro, vel argento empti estis, &c. sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati. Et: Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Hæc dant ad refocillandam animam, quam talibus satiare non prævalent. Comedunt, & non sunt satiati: fornicati sunt, & non cessaverunt. Quia dicitur: Pretium enim scorti vix est unius panis: quia non satiat, sicut panis sed magis accendit esurientis voluntatem. Pro quibus Ecclesia ingemiscens, exclamat, dicens. *Vide Domine*, &c. Istud, enim verbum electorum multitudinis est, quod pro aliis dicitur, ut inquit Glossa.

Num. 11; Aug. epist. 39. to. 2; Matth. 13; Job 28; Prov. 6; 1 Pet. 1; Heb. 6; Osee 4; Prov. 6

O vos omnes. Hæc est quarta pars capituli, in qua alios excitat ad compassionis affectum. Secundo, subdit multiplex compassionis incitamentum, scilicet triplex: primo per comparationem ad divinam severitatem: deinde per comparationom ad hostium importunitatem, ibi: *Expandit Sion manus*: tertio per comparationem ad falsorum amicorum deceptionem, *vocavi amicos*. Excitans igitur ad compassionis affectum, dicit: *O vos omnes*, &c. Cui sententiæ præmittitur littera LAMED, & debet finire in D, non in CH, & interpretatur disciplina sive Contritio: & hoc ideo, quia hic agitur de castigatione Judææ per flagella, unde: Omnis disciplina videtur esse in præsenti, non gaudii, sed mœroris. Rabanus conjungit CAPH, LAMED, quod interpretatur Manus contritionis, vel disciplinæ: & hæc est quarta secundum ipsum connexio: manus intelligitur in opere, contritio, & disciplina in sensu. Et est hæc vox reliquiarum Hierusalem plangentium sanctuarium destructum, templum prophanatum, &c. *talia*, ut patebit. Ergo dicit: *O vos omnes, qui transitis per viam*, ad litteram, qui multas videtis ruinas, vel per viam dicit transeuntes, qui præsentem vitam, quasi viam transeunt: qui enim eam quasi patriam diligunt, luctum cordis electorum considerare nesciunt, *attendite*, diligenter considerando, *Et videte*, comparando, & compatiendo, *si est dolor*, tantus, *sicut dolor meus*. Quasi dicat: Si nulla alia civitas fuit unquam ita horribiliter destructa, *quoniam vindemiavit*: ecce multiplex incitamentum compassionis: primo, ut dictum est, per comparationem ad divinam severitatem: & habet sex particulas: quia primo exprimit miseriam depopulationis: deinde angustiam, aut vehementiam tribulationis, *De excelso misit*: tertio angustiam captivitatis, *Expandit rete*; quarto miseriam devastationis finalis, *Vigilavit jugum*: quinto specialiter ablationem meliorum, & majorum personarum, ibi, *Abstulit omnes magnificos*: sexto infert consequentem desolationem dictarum reliquiarum, ibi, *Idcirco ego plorans*. Dicit ergo plangens depopulationem: primo, *quoniam vindemiavit me Dominus*, per Chaldæos, & Romanos; quia sicut, qui vindemiant, omnia bona abscindunt, & pauca grana immatura relinquunt in vinea: sic pauci relicti sunt in Judæa ignobiles, cæteris interfectis, aut in captivitatem ductis, *ut locutus est*: continue per Prophetas. *Vindemiavit*, inquam, *in die iræ furoris sui*: ira namque est voluntas puniendi: furor autem est ejusdem voluntas severa, & implacabilis: sicut moris est hominibus furi-

Hebr. 12

Isa. 5 furibundis. Quid ergo faciam vineæ meæ? auferam sepem ejus, & erit in direptionem: dirigam maceriam ejus, & erit in conculcationem: & ponam eam desertam, &c.

Allegorice exponitur, ut sit vox Christi in cruce pendentis, & dicentis, *O vos*, &c. vel animarum existentium in purgatorio, ac dicentium: *O vos omnes, qui transitis*, &c. quasi qui estis adhuc viatores, *attendite*, &c. Vel est vox Ecclesiæ in tribulatione constitutæ, quæ ab alienis impugnatur, a filiis propriis non defenditur; sed potius a plurimis dehonestatur: ob hoc ad devotos suos exclamans ait: *O vos omnes qui transitis per viam*, ut peregrini. Et: Heb. 13 Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, Hier. 8 *sicut dolor meus*. Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens. Cujusmodi dolor est matris jugiter parturientis, vel filios mortuos plangentis, vel sponsi absentiam præstolantis, sive cum suis filiis inter adversarios exulantis, *quoniam vindemiavit me Dominus*, id est, vindemiari permisit, cujus vindemiatores sunt dæmones. Et: Hier. 49 Si vindemiatores introissent ad te, mungendo saltem, racemos reliquissent.

Moraliter, vox est animæ veraciter pœnitentis: quia nulla major desolatio, quam separatio a Deo: Hier. 2 Scito, & vide: quoniam malum, & justum est reliquisse Dominum Deum tuum.

De excelso. Hic exprimit vehementiam tribulationis: primo exprimens ejus anxietatem: deinde ejus vilitatem: *Et erudivit me*. Huic sententiæ præponitur littera MEM, quod interpretatur. Et ipsis: quasi dicat, ex ipsis Judæorum meritis est angustia adversitatis. Vel pro allegoria loquitur: quia ex ipsis Judæis fuerunt Apostoli igne Spiritus sancti illustrati: & hæc est expositio Hieronymi. Dicit ergo: *De excelso*, scilicet cœli palatio: quia ex Deo rectissime providente, sine cujus nutu, naturæ ratione nec Chaldæi potuissent ei nocuisse. Rom. 13 Omnis potestas a Domino Deo est, *misit ignem*, id est, atrocissimam tribulationem, *in* A *ossibus meis*, id est, intima mea: ossa, castra, & munitiones intelliguntur: vel in ossibus regibus, & principibus, qui erant robur meum. Vel in hoc, incendium intelligitur templi, & civitatis. *Et erudivit me*, quantum fuit in se, docuit me per adversitatem: quod in prosperitatis tempore capere nolebam. Per omne flagellum, & errorem erudieris Hierusalem: Hier. 6 Isa. 28 Secundum aliam litteram: Sola vexatio intellectum dabit auditui. Et hoc etiam pro tanto verum est de Judæis, quia dicitur, quod post Babylonicam captivitatem numquam fuerunt Judæi idololatræ, & si aliis modis gravissime peccaverint. *Expandit*, ecce angustia captivitatis: B *Expandit*, Dominus, *rete*, captivitatis vinculum pedibus meis, ne libere valeam ambulare, aut fugere. Quod dicit, quia subito, & improvise capta fuit civitas: Ezech. 17 Expandam rete meum super illum, & capietur in sagena mea: & adducam eum in Babylonem, *convertit me retrorsum*, in caudam, quæ prius in capite: & *retrorsum*, iterum captivando per Romanos post captivitatem Chaldæorum, *posuit me desolatam*, id est a terreno solatio, *tota die*, id est continue, *mærore confectam*. Et juste, ut malis, quæ sine intermissione fecerant, incessabiliter deplorarent.

Allegorice, exponitur de missione Spiritus sancti, quod dicitur. C *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*. Ubi describitur missio Spiritus sancti missibilis, quantum ad quatuor. Ad principium originale missionis, *de excelso*: Psal. 101 Ossa mea sicut cremium aruerunt: cremium est ab omni pinguedine desiccatum. Quantum ad terminum missionis, quia significatur per ossa, id est, Eccl. 1 Ecclesiæ membra fortia: Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Quantum ad sensibile signum, *ignem*. Act. 2 Apparuerunt illis linguæ dispertitæ tamquam ignis. Quantum ad illustrationis effectum. *Et erudivit*: Psal. 93 Beatus homo, quem tu erudieris Domine. Joan. 14 Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. *Expandit rete*, &c. Istud potest esse Theoria

ria de regeneratione Pauli Apostoli, ut sicut in priori sententia describitur consummatio Apostolorum, qui fuerunt comites divinæ peregrinationis: sic hic describitur vocatio Pauli doctoris egregii. Quia sicut in peccato duo sunt, aversio a bono incommutabili, & conversio ad bonum commutabile: sic econtra in regeneratione duo sunt, aversio, scilicet a bono commutabili, pro quo dicit: *Expandit rete pedibus meis*, & conversio ad bonum incommutabile, pro quo dicit, *convertit me retrorsum* retro enim sibi Christus erat, quem contempserat. Vel aliter, ad justificationem peccatoris duo exiguntur, scilicet præparatio liberi arbitrii, & infusio Spiritus sancti: præparatio autem non est de facili sine castigatione gravi, sicut de Paulo legitur: quod significatur in expansione retis: infusio Spiritus sancti, vel rectificatio liberi arbitrii intelligitur in hoc, quod dicit: *convertit me retrorsum*, æterna siquidem, quibus inhærendum est toto corde, retro sunt, nec tantum peccatori ratione culpæ, sed cuilibet homini misero, propter inclinationem animæ in sensus, & sensibilia. Unde dicit in hujus designationem Joannes: Audivi post me vocem magnam, tamquam tubæ dicentis. Hoc etiam adimpletur, quotiescumque per tribulationem castigatur, unde Augustinus, in Confessionibus: Tu semper aderas misericorditer sæviens, & amarissimis aspergens offensionibus omnes illicitas jucunditates meas. Et Gregorius in Registro: Multi in hac vita dolores sunt, qui ad amorem cœlestium quotidie impellunt: qui mihi in hoc solum vehementer placere in hoc mundo aliquid non permittunt. *Posuit me desolatam*, propter multitudinem peccatorum, & defectum bonorum operum. Vox in excelso audita est lamentationis, fletus, & luctus: Rachel plorans filios suos, & nolens consolari super eis, quia non sunt. Item desolatam, propter pericula, & impedimentum terrenorum solatiorum: Renuit consolari anima mea, &c. *tota die mœrore confectam*, pro pœnitentiæ amaritudine: Postquam convertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum.

Duo sunt in peccato — *Quæ exiguntur ad justificationem peccatoris* — *1 Cor. 9* — *Apoc. 1* — *Aug. l. 2 Confess. c. 2 prope finem* — *Greg. l. 4 c. 79* — *Hier. 31* — *Ps. 76* — *Hier. 31*

Vigilavit. Hic plangit, ut dictum est, finalem, & irremediabilem Synagogæ desolationem. Quam pœnam primo describit, ut inflictam juste; secundo effectum ipsius pœnæ. *Infirmata est virtus*. In prima parte insinuat misericordiam divinæ dilectionis: secundo finalem recenset severitatem ultionis, *convolutæ sunt, & impositæ*, similiter, & æquitatem flagellationis. Huic autem sententiæ præmittitur littera NUN: quod interpretatur Sempiternum, significans subversionis ultimæ miseriam: quando Judæi per Romanos finaliter in perpetuum sunt dispersi. Dicit ergo, *vigilavit*, quod diu dormire videbatur, id est, evigilavit, unde Rabanus: Vigilare jugum dicit: quia tempus diu dilatæ vindictæ tandem in eam advertit. Quid tu vides Hieremias? Virgam vigilantem. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti. quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud. Jugum iniquitatis est pœna deprimens, & coercens peccatores, *in manu Domini*, in quo potentia ejus operativa intelligitur, *convolutæ sunt iniquitates*, quasi in acervum reductæ, quæ videbantur dispersæ, & in oblivionem datæ, *& impositæ collo meo*, quasi pondus ad portandum impositæ in pœnam: sicut fit, cum imponitur collo latronis: Quo modo confunditur fur, quando deprehenditur: sic confusi estis domus Israel. Collum significat voluntatem rationalem: quia sola voluntate capimus, id est, Christo adhæremus: sicut per collum medium corpus capiti copulatur. Sed pro effectu pœnæ sequitur, *infirmata*, &c. & notat duplicem effectum; scilicet ablationem potestatis, & perpetuitatem captivitatis, ibi, *dedit me Dominus*. Dicit ergo, *infirmata est virtus mea*, propter pœnæ gravitatem: Infirmata est in paupertate virtus mea, *dedit me Dominus in manu*, Romanorum, de qua non potero surgere, usque ad finem mundi. Domus Israel cecidit, & non adiiciet, ut resurgat. Quod si exponatur de ca-

Hier. 1 — *Hier. 2* — *Ps. 30* — *Am. 5*

captivitate facta per Chaldæos, quæ duravit per septuaginta annos: tunc exponendum sic, *de qua non potero*, id est vix, & de difficili potero, vel pro me non potero surgere.

Allegorice. Jugum vigilat, cum propter peccata Ecclesiam flagellat: quod collo imponitur, quando prælati propter peccata subditorum puniuntur præcepto divino: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: Quod factum est, quia fornicatus est populus cum filiis Moab. Sic virtus Ecclesiæ infirmatur: quæ secundum id, quod sequitur, *dedit me*, &c. in finali condemnatione completur. Amplius infirmatur virtus per peccatorum frequentiam: quia quilibet actus peccati aliquid adimit de fortitudine, & habilitate ad bonum. Dat Dominus in manu, vel quando virginitas amittitur, vel quando peccatum mortale committitur, de quo nullus per se sine Dei operatione reducitur: est enim homo spiritus vadens, & non rediens. *Abstulit Dominus*. Hic lamentatur subtractionem insigniorum personarum. Et habet tres particulas: in prima parte deplorat stragem personarum. Secundo ipsum temporum infortunium. *Vocavit adversum me*. Tertio deplorat miseriam reliquiarum, ibi: *Idcirco*, &c. Huic sententiæ præmittitur littera SAMECH, & interpretatur Adjutorium: in quo innuitur Dominici adjutorii ablati lamentatio. Rabanus conjungit hæc tria MEN, NUN, SAMECH: quæ simul juncta interpretantur. Ex ipsis sempiternum adjutorium: ex ipsis, scilicet scripturis: secundum ipsum: & est quinta connexio. Dicit ergo: *Abstulit omnes magnificos meos*, id est magna facientes, *de medio mei*, ut Reges, Principes, sacerdotes, virtuosos. Magnificus enim est, qui in omni opere virtutis eligit, quod perfectius est: unde magnificentia est decus, & ornamentum divinarum humanarumque omnium virtutum. *Vocavit adversus me tempus*: quasi, non sit istud casu factum: sed ad hoc tempus divinitus provisum: Adesse festinant tempora, *ut contereret electos meos*, honore, aut gratia cæteris majores. Unde sequitur, *torcular calcavit*. In quo vehementia oppressionis designatur. Et dicit, *torcular*, &c. ut insinuet, ut dictum est, miseriam reliquiarum. Quoniam sicut in torculari, quid. quid purum est, eliquatur: & quod impurum est, remanet in pressura: sic in Judæorum obsidione nobiles fuerunt in captivitatem ducti, ignobiles autem, & pauperes quasi aridi derelicti.

Num. 25

Psalm. 77

Magnificus qui.

Deut. 32

Allegorice. Magnifici intelliguntur Prælati: qui tunc auferuntur, quando caduca, & vilia, quæ exigua sunt, quærunt: magna, & æterna derelinquunt: Adducet magistratus, quasi lutum, & quasi plastes conculcans humum: igitur auferuntur de medio, & mali non sunt in medio, sed in angulo. Debet enim Prælatus esse in medio omnium per humilitatem: Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis, quasi unus ex eis. Item per communitatem: ut nullius personam acceptet. Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ. In summis excelsisque verticibus supra viam in mediis semitis stans juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens, &c. Item per omnium diligentem considerationem: Diligenter agnosce vultum pecoris tui. Et: In medio populi polluta labia habentis, ego habito. Item per pacis confirmationem, & conservationem: Stetit JESUS in medio doctorum, vel discipulorum, & dixit illis: Pax vobis. *Vocavit adversum me*, &c. De toto tempore exigentiam. Bernardus: Sicut capillus capitis, sic momentum de tempore non peribit, *ut conterat electos meos*, actus condemnet, quos optimos reputabam: Est via, quæ videtur homini recta, & novissima hujus ducunt ad interitum. In torculari, angustiæ tribulationis, non pœnitentialis intelligitur: in torculari enim vinum eliquatur, quo reficiuntur homines: remanent fæces, quæ deprimuntur: sic per pœnitentiam electi probantur ad mensam Domini, & rapiuntur: mali affliguntur, & murmurationis merito internis incendiis comburuntur. Unde pro bonis dicitur: Lavabit in vino

Isa. 41

Eccl 32

Ps. 67

Prov. 8

Prov. 27

Joan. 20

Prov. 14

Gen. 49

vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. De malis: Ut lutum platearum delebo eos. Vel torcular secundum Glossam, est passio CHRISTI. Torcular calcavi solus: & propter hoc vinum premitur de torcularibus, id est salus de imitationibus Dominicæ passionis. Et potest esse thema in passione: quia primo notatur passionis angustia in torculari: secundo patientis potentia in calcatione ejusdem: tertio efficacia notatur in virgine filia Judæ.

Ps. 61
Isa. 7 8

Idcirco ego plorans. Ecce consequens prædicta flagella desolatio reliquiarum. Ubi primo præmittit desolationem: secundo desolationis intensionem. *Et oculus meus:* tertio utriusque rationem, *quia longe*. Huic sententiæ præmittitur littera AIN, quod interpretatur Fons, sive oculus: alludens sententiæ sequenti, in qua oculi velut fontes aquarum abundantia dicuntur irrigui. Dicit ergo: *Idcirco ego plorans*, id est, gens residua: Hieronymus tamen exponit hoc de Propheta Hieremia. Inde intensio doloris subditur: *& oculus meus deducens aquam*, id est, magnam lacrymarum inundantiam, & fontem lacrymarum. Supra capitulo eodem: Plorans, ploravit &c. *quia longe*. Ecce ratio desolationis subtractio divinæ consolationis, & execratio populi delinquentis, *facti sunt*. Dicit ergo, *quia longe factus est a me consolator*; Deus propter peccatum. Longe enim a peccatoribus salus: *convertens animam meam*, ad bonum: nullus enim ad bonum convertitur, nisi prius in bono delectetur. Augustinus: Ut amori justitiæ non præponamus omnia, quæ delectant: ipse est primus gradus, ut inter omnia, quæ delectant, plus delectet ipsa justitia. Pro secundo sequitur *facti sunt filii mei perditi*, ad litteram unde: Adduxit mihi luctum magnum: vidi enim captivitatem populi mei, filiorum meorum, & filiarum mearum: Sed causa causæ sequitur, *quoniam invaluit inimicus*, id est, prævaluit.

Ps. 118
Aug. de verb. Ap. ser. 16 c. 0 Eur. 4

Allegorice, vox est Ecclesiæ, vel animæ sanctæ: quæ sponsi sui deplorat absentiam. Sed deploratio efficax non est, nisi continuetur: unde ille a Domino consolari videtur, qui servat cor, scilicet continue lacrymosum, nullum admittens interruptivum solatium. Augustinus: Consolari nolo vos, nisi primum venia reduxerit vos. Et hoc est, oculum facere fontem aquæ *quia longe factus est*, &c. propter peccata mea. Econtrario cum præsens sit consolator non habent locum amaritudinis lacrymæ. Numquid possunt lugere filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus? Matt. 9
facti sunt filii mei perditi, falsi Christiani. Vel de anima singulari intelligitur. Ephraim adducet filios suos ad interfectorem: Ephraim interpretatur frugifer: quia filii Ecclesiæ Osee 9
prosperitate, & affluentia præcipue corrumpuntur.

Expandit Sion. Hic secundo post declaratam a se divinam severitatem subdit compassionis incentivum, hostium scilicet importunitatem. Primo describens oppressionis miseriam: secundo ipsius pœnæ justitiam, ibi: *Audite obsecro*. In prima parte, quia hostes tunc maxime sunt molesti: quando illi, quorum sunt hostes, sunt in angustia constituti: ideo primo describit contra Judæos adjutorii, & solatii indigentiam: deinde subdit adversariorum impugnantiam, ibi: *mandavit Dominus*, tertio consequentem Judæorum ignominiam, ibi: *facta est Hierusalem* Huic sententiæ præmittitur littera PHE, quæ interpretatur os ab ore, non ab osse: vel oris, genitive, quasi dicat: major est obsessio mei, quam lingua valeat enarrare: unde etiam manuum extensione prætenditur. Dicit ergo, *expandit*, sicut periclitans, requirens adjutorem: vel in signum afflictionis maximum: sicut solent afflicti gravi morbo facere, & mulieres parturientes, *Sion*, continens pro contento, *non est qui consoletur eam*, dominico subtracto solatio, & divino flagellante judicio. Unde quæram consolatorem, *mandavit Dominus adversus Jacob*, id est, duas tribus Juda, & Beniamin de ejus genere, & nomine gloriantes. Mandavit quantum ad pœnæ justitiam, non quantum ad punientium malitiam, *in circuitu ejus* Nahum 1

4 Reg. 25 *hostes ejus*, unde: Nabuchodonosor, & omnis exercitus ejus circumdederunt civitatem, & extruerunt in circuitu ejus munitiones. Sed pro consequenti ignominia subdit, *facta est Hierusalem quasi polluta menstruis inter eos*, Hierusalem continens pro contento facta est, quasi polluta menstruis, id est immunda reputata, & abominabilis: & hoc dicitur secundum Rabanum quia sanguinolenta opera, & carnalia desideria noluit vitare: unde subdit Rabanus: Menstrua, fœditas est, cum per singulos menses gravia, atque torpentia mulierum corpora immundi sanguinis effusione relevantur.

Allegorice. *Sion*, id est Ecclesia in prælatis sanctis, expandit manus suas pro subditis orando, unde: Cum levaret Moyses manus, vincebat Israel. Non est qui consoletur eam, benefaciendo. Omnes namque declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Mandavit Dominus, &c. hoc specialiter impletur, cum tribulationes hæreticorum, & aliorum contra Ecclesiam suscitantur: præcipue cum carnalitates, & carni placentia prædicantur, tunc Hierusalem, quasi polluta menstruis plangitur: pro quo Isaias; facti sumus, ut immundus, omnes nos: quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Exod. 17 / Isa. 64

Moraliter, Sion animam significat, quæ fuit speculatrix Dei, sed in vitia relapsa, ad Dei consolationes frustra se erigit: quia potius gravibus taxatur tentationibus: & medico indiget, non sponso.

Justus est Dominus, Ecce hic secundo post pœnæ exaggerationem, subdit pœnæ justitiam: recognoscens eam sibi juste fuisse illatam, dicens: *Justus est Dominus*. Cui sententiæ præmittitur littera SADI, quod justitiæ interpretatur, & satis convenit proposito. Exinde Rabanus facit hic sextam connexionem trium præcedentium litterarum AIN, PHE, SADI, quæ interpretantur, simul fons, sive oculus oris, justitiæ. Dicit ergo, *justus est Dominus*, me affligendo, *quia os ejus ad iracundiam provocavi*, os ejus, id est, ipsum mihi per Prophetas loquentem; Ephraim (Osee 12) A in amaritudinibus suis provocavit me. Quod a sensu morali non discrepat: ubi docetur, omnem pœnam æquanimiter esse ferendam, unde Gregorius: Si justa placere Domino scimus: pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerint, possumus: justa sunt cuncta, quæ patimur: & valde injustum est si de illa passione murmuramus. Glossa dicit super hoc: deprecatio est spes concessionis, quæ est color Rhetoricus, unde Tullius: Deprecatio est, in qua non defensio facti, sed ignoscendi postulatio continetur. *Audite obsecro*, ecce iterat conclusivæ suæ desolationis querimoniam, ubi primo invitat omnes ad compassionem: deinde subdit compatiendi rationem, *virgines meæ*. Ubi B datur intelligi, quanto aliquis plus luget, tanto videt amplius esse lugendum. Dicit ergo, *Audite obsecro, universi populi*: Supra invitaverat ad compatiendum aliquos: hic invitat universos: talis enim est usus humani affectus, ut dicit Rabanus: ut doloris sui, sive gaudii alios quærat esse participes: quatenus illorum solatio illatum onus tristitiæ, sive lætitiæ facilius portet. *Et videte dolorem meum*) *audite*, verba querimoniæ, *videte*, multiplicitatem miseriæ, *virgines meæ*, ex quibus expectari posset successio posteritatis, *Et juvenes mei*, ex quibus expectari potest auxilium defensionis, *abierunt in* C *captivitatem*, Babylonis, vel juvenes pro parvulis accipiuntur, ut sit hic octavus locus indignationis: quia tales nec se nec alios possunt defendere. (Gre. l. 2 Mor. c. 18) (Cic. l. 2 de Inv.)

Allegorice. Virgines Ecclesiæ particulares. Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Juvenes etiam abeunt in captivitatem, cum regenerati seducuntur hæretica pravitate: sicut patet in Ecclesia orientali: ibi statim regenerati multiplici imbuuntur errore. Vel in virginibus pudicitia, simplicitas, & mansuetudo in juvenibus zelus, amor, fortitudo, magnanimitas, hæc vadunt in captivitatem per defectum prudentiæ, unde Roboam, rejecto consilio seniorum, adhæsit consilio juvenum. Vel virgines vadunt in (2 Cor. 11) (4 Reg. 12)

ca-

captivitatem in fatuis virginibus, quæ superbiunt de virginitate, & nullis aliis bonis operibus adornantur. Vel castæ intentiones, & cogitationes significantur per virgines: sicut per juvenes, robustæ affectiones, quæ ducuntur in captivitatem, cum peccatum mortale occupat mentem.

Vocavi amicos. Ecce tertium incentivum compassionis, scilicet consideratio fraudum falsorum amicorum. Ubi præmittit ipsorum deceptionem: deinde consequentem ipsius desolationem *sacerdotes mei*. Huic clausulæ præmittitur littera Coph, quæ interpretatur Vocatio: & congruit ei, quod sequitur, *Vocavi amicos*, ad litteram, Ægyptiacos, quos mihi tanquam fœderatos putabam amicos, & hæc fuit una præcipuarum causarum destructionis Hierusalem: quia scilicet innixi sunt auxilio Ægypti, unde: Erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti, id est, ignominia. Unde sequitur, *Et ipsi deceperunt me*. Omnis amicus fraudulenter incedit: qu a, ut dicit Glossa, in tempore primæ, & ultimæ captivitatis nullum eis auxilium præbuerunt, unde Rabanus: Patet, quod per antiphrasim ille amicus dicatur, qui deceptor est probatus; sunt enim qui dicuntur amici: sed magis ostenduntur esse inimici: quia egrediuntur ad inimicitiam, *sacerdotes mei*, quibus debetur amplior reverentia, pro auctoritate. *Et senes mei*, quos ætas facit reverendos, *in urbe*, Hierosolyma, *consumpti sunt*, peste, gladio, vel famis inopia: *quia quæsierunt cibum sibi*, & non invenerunt, *ut refocillarent animam suam*, non dicit, ut sustentarent. Quæ omnia, & si pluries contigerint, maxime tamen in subversione facta per Romanos: Et est hic decimus quartus locus conquestionis: ubi res ipsæ, quasi sensibiliter explicantur, ut judex ad misericordiam inflectatur.

Isa. 30

Hier. 9

Allegorice, Amici, id est, clerici illi, qui vocati ab Ecclesia, ipsam decipiunt, cum stipendia recipiunt, & communi utilitati non vivunt: Vel decipiunt Ecclesiam, qui plures pingues recipiunt præbendas: ubi enim Ecclesia deberet, & posset ha-

A

bere plures idoneos servientes: non habet, nisi unum virum condignum. Nec est mediocris Ecclesiæ injuria, cum lucro servorum suorum per captivitatem aliquorum Ecclesia defraudatur. *Sacerdotes ejus consumpti sunt*, in peccatis viam infelicem terminantes.

Moraliter: homo habet tres amicos: primus est caro, de qua: Nemo unquam carnem suam odio habuit: iste amicus decipit, ducens ad suspendium sibi consentientes: Irretivit eum multis sermonibus: & blanditiis labiorum protraxit illum: statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam. Secundus amicus est mundus, qui parat funem, vel laqueum, unde Apostolus: Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum, & in tentationem diaboli, &c. Tertius est diabolus, qui suspendit sibi consentientem. Ligavit eum spiritus in alis suis, & confundentur a sacrificiis suis, *quæsierunt sacerdotes cibum*, & non salutem animarum: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.

Ephes. 5

Prov. 7

B

1 Tim. 6

Osee 4

Ezech. 34

Vide Domine. Ecce vigesima pars capituli: ubi excitat in adversarios Dei indignationem. Et primo præmittit in summa, calamitatem: deinde inimicorum iniquitatem, *omnes amici mei*: tertio infert suam intentionem ultimo versu, ibi: *ingrediatur omne malum*. Calamitatem suam describit, quantum ad quatuor: primo quantum ad angustias corporales, quæ intelliguntur in turbatione ventris: secundo quantum ad angustias spirituales, quæ intelliguntur in subversione cordis: tertio quantum ad angustias universales, quæ intelliguntur per foris est gladius: quarto quantum ad angustias irremediabiles, in principio versus sequentis, ibi: *Audierunt*, &c. Huic versui præmittitur littera Res, quæ interpretatur Capitis, quia hic describitur tribulatio ad intima cordis perveniens. Dicit ergo; *Vide Domine*, ut mihi compatiaris, & contra adversarios indigneris, *quoniam tribulor*, quam tribulationem explanans, subdit, *venter meus conturbatus est*, quasi parturientis, cui est vehementissimus dolor

C

lor ventris. Vel venter sacerdotes sunt mali: quia mali prælati omittunt vitalia sacramenta toti corpori solis ipsi ventris sordibus servientes. Ps. 43 Adhæsit in terra venter noster. Pro angustia cordis sequitur, *subversum est cor meum in memetipsa*, ubi tanta intelligitur desolationis vehementia, quæ rationis judicium offuscabat. Ps. 30 Turbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Vel cor mystice intelliguntur Prophetæ, & consiliarii; quia in corde est sedes consilii. Osee. 7 Ephraim, quasi columba seducta non habens cor. Unde sequitur: *quoniam amaritudine plena sum*, corde, & corpore: undique cernens tribulationem amaricantem. Ruth. 1 Non vocetis me Noemi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est, amaram, quia amaritudine valde replevit me omnipotens. Hujus autem plenæ amaritudinis subditur causa, tribulatio universalis: unde sequitur: *foris interficit gladius*, foris, id est, extra civitatem gladius persecutoris, *& domi*, id est, in civitate, *mors similis est*. Quod autem dicit, *domi*, fame; quod vero dicit, *similis est*, referatur ad similem tribulationem: quoniam tempore obsidionis factæ per Romanos Judæi contra se pugnarunt (Hegesip. l. 5 de Excid. Hierosol. c. 1) & qui erant superius in pinnaculo templi, pugnaverunt contra illos, qui erant in parte templi inferiori, ut narrat Hegesippus.

Allegorice per ventrem potest intelligi Ecclesia cathedralis, quæ frequenter per discordias tumefacta, conturbatur: cor subvertitur, quando consilium pacis non invenitur: sæviunt Ecclesiæ adversarii, & periculis internis agitatur.

Moraliter, cor subvertitur, quando superius clauditur, & inferius aperitur: tamen contrario modo materialiter disponatur.

Audierunt, *quia*, &c. Hic quarto tangit angustias irremediabiles, numquam remedium invenientes: & introducit, ut dictum est, adversarios exultantes, ibi: *omnes inimici mei*. Huic sententiæ præmittitur littera SCIN, quod interpretatur Dentium: quia post dolorem parturientium gravissimus videtur dolor dentium. Ex

A prædictis patuit primo morientium, ecce dolor residuorum viventium describitur. Dicit ergo, *audierunt*, gentes in circuitu constitutæ, vel alii quicumque, *quia ingemisco ego*) *ego*, dicit discretionis causa, & signantiæ. quia nullus alius sic gemens invenitur. *Et non est qui consoletur me*, supra capitulo eodem: *Non est qui consoletur eam*, &c. Anxianti autem animæ hoc est doloris non modicum augmentum: quando ille, in quo spem habuit solatii, differt afferre solatium. *Omnes inimici*. Post descriptam suam desolationem, hic subdit inimicorum sævientium improbitatem: primo describit eorum culpam: secundo prædicit futuram ipsorum

B pœnam, & consolationem econtrario Judaicam, ibi: *Adduxisti*. Dicit ergo: *omnes inimici mei audierunt malum meum*, afflictionis, & oppressionis, *lætati sunt*: Qui tribulant me, Ps. 12 exultabunt, si motus fuero, *quoniam tu fecisti*, id est, me tribulationibus exposuisti. Sed pro sua consolatione futura, & inimicorum tribulatione, subdit: *adduxisti*: id est, adduces in liberationem de captivitate. In fletu Hier. 31 venient, & in misericordia reducam eos. *Et fient*: adversarii mei, *similes mei*, sicut videlicet modo sum: & ego liberabor: Væ qui prædaris, Isa. 33 nonne prædaberis:

Allegorice. Istud retorqueri potest, contra malos religiosos, qui sunt

C dentes Ecclesiæ, qui latent, & ruminant, vorant pro toto corpore: audiunt, quia gemiscit Ecclesia in adversitate, & non est, qui consoletur, id est, qui opponat se efficaciter pro Ecclesia. Vel Ecclesiæ ista est vox in pauperibus, quæ in eis ingemiscit, & rarum invenit adjutorem. Et ideo continget permutatio: quia veniet pauperibus bonis consolatio in futuro: divitibus autem malis tribulatio, sicut patuit de divite, & Lazaro: Fili recordare, Luc. 16 quia recepisti bona in vita tua: & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Ingrediatur. Ecce hic tertio infert suam intentionem: ubi more rhetorico, ut dicit Glossa, postquam ad se judicis misericordiam inflexit, in ad-

adversarios Dei excitat severitatem. A Et habet quatuor partes: quia primo excitat judicis affectum ad eorum peccata multimoda consideranda: secundo ad flagella conferenda, ibi: *Et vindemia eos*: tertio excitat ad hoc per exemplum, ibi: *Sicut vindemiasti*: quarto æquitatis judicium, ibi: *Propter omnes*. Huic sententiæ præmittitur littera THAU, quæ interpretatur Signa: quia secundum Rabanum interpretationis gratia copulandum est cum tribus litteris præcedentibus, COPH, RES, SIN, quod interpretatur, Vocatio, capitis, dentium, signa. Per dentes, inquit, articulata vox emitti- B tur: & iis signis, ad caput omnium, qui est Christus, itur: per quem venitur ad regnum sempiternum. Aliter Judæi habent vigintiduas litteras, & vigintiduos libros, scilicet secundum computationem: ultima autem litterarum est THAU: vicenarius autem primus numerus continet septenarium triplicatum: & significat trinitatem: ultima autem littera superaddita, scilicet THAU, significat, & signat essentiæ trinitatis unitatem. Vel sicut dicit Hieronymus, apud Samaritanos THAU littera habet figuram crucis, quam- C quam apud Hebræos corrupta sit: quod hoc significat, quod quidquid in veteri testamento ponitur, signum est Dominicæ passionis. Vel aliter intelligendum, quod nulli prodest lamentatio, nisi cujus ad mortem Christi intentio ordinatur: propter quod THAU ultimo ponitur in hoc quadruplici alphabetho. Dicit ergo: *Ingrediatur omne malum*, quod quasi ingredi non videtur dum non puni-

Hier. l. 3. in Ezech. c. 9. v. 4.

tur, *omne malum eorum coram te*, ad examen scilicet tuum: *Et vindemia eos*, Rabanus: Vindemiare est unumquemque fructum operum suorum metere. Et notandum, ut dicit Rabanus, quod quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos rogant, non voto malitiæ, sed spiritu prophetiæ hoc, quod eis præsciunt futurum, prædicunt. Vel etiam contra spirituales nequitias orant: & quos incorrigibiles esse sciunt, ut justam a Domino recipiant sententiam, & electi ab eorum infestatione liberentur. Hæc Rabanus. Et si hoc orant pro dæmonibus, possunt eadem pro incorrigibilibus hominibus supposita incorrigibilitate, mereri zelo justitiæ. Vel spiritualiter intelligitur, ut sit vindemiatio mali in eis destructio. Pro exemplo sequitur, *sicut vindemiasti me*. Et pro regula justitiæ sequitur, *propter omnes iniquitates meas*. Et in similibus simile judicium. Quam sententiam exponit, subdens qualiter vindemiaverit, *multi enim gemitus mei*, quia modo est ratio gemendi: & hoc quantum ad signum exterius: *Et cor meum mærens*, quantum ad lamentum interius.

Allegorice; Primo complebitur in judicio, quando illud Psalmi implebitur; Vindica domine sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. Et illud: Quare non judicas sanguinem nostrum? In quo zelus quidam justitiæ intelligitur, supposita pertinacia delinquentium. Vel certe, satis vindicat, cum inspirando peccatoribus pœnitentiæ spiritum, eos ad puniendum peccata sua inclinat.

Ps. 78. Apoc. 6.

CAPUT SECUNDUM.

ALEPH.

QUOMODO obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: projecit de cœlo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui?

BETH. Præcipitavit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Jacob; destruxit in furore suo munitiones virginis Juda: & dejecit in terram: polluit regnum, & principes ejus.

GHIMEL. Confregit in ira furoris sui omne cornu Israel: avertit retrorsum dexteram suam a facie inimici: & succendit in Jacob quasi ignem flammæ devorantis in gyro,

DALETH. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmavit dexteram suam quasi hostis: & occidit omne quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion: effudit quasi ignem indignationem suam.

HE. Factus est Dominus velut inimicus: præcipitavit Israel, præcipitavit omnia mœnia ejus; dissipavit munitiones ejus, & replevit in filia Juda humiliatum & humiliatam.

VAV. Et dissipavit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum: oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem & sabbatum; & in opprobrium & in indignationem furoris sui regem & sacerdotem.

ZAIN. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ: tradidit in manus inimici muros turrium ejus: vocem dederunt in domo Domini, sicut in die solemni.

HETH. Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion: tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam a perditione: luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est.

TETH. Defixæ sunt in terra portæ ejus: perdidit & contrivit vectes ejus: regem ejus & principes ejus in gentibus. Non est lex & prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino.

JOD. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion, consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua virgines Hierusalem.

CAPH. Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritionem filiæ populi mei, cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.

LAMED. Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis: cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum,

MEM. Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Jerusalem? cui exæquabo te, & consolabor te, virgo filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui?

NUN. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas & ejectiones.

SAMECH. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam: sibilaverunt & moverunt caput suum super filiam Hierusalem. Haeccine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?

PHE. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Devorabimus: en ista est dies, quam expectabamus, invenimus, vidimus.

AIN. Fecit Dominus, quæ cogitavit: complevit sermonem suum, quem præceperat a diebus antiquis. Destruxit, & non pepercit: & lætificavit super te inimicum, & exaltavit cornu hostium tuorum.

SADI. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiæ Sion: Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

COPH. Consurge, lauda in nocte in principio vigiliarum: effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum, qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.

RES. Vide Domine, & considera quem vindemiaveris ita: ergo ne comedent mulieres fructum suum parvulos ad mensuram palmæ? si occiditur in sanctuario Domini sacerdos & propheta?

SIN. Jacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ & juvenes mei ceciderunt in gladio, interfecisti in die furoris tui; percussisti, nec misertus es.

THAU. Vocasti quasi ad diem solemnem; qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & derelinqueretur. Quos educavi & nutrivi, inimicus meus consumpsit eos.

EXPOSITIO IN CAP. II.

POstquam in præcedenti alphabeto deploravit propheta temporalem illius populi tribulationem, secundum quod illata erat ab adversario tribulante; hic lamentatur eamdem, secundum quod illata erat a Domino reprobante. Et habent quinque partes: primo quantum ad hoc describit infelicitatem synagogæ: secundo desolationem introducit super hoc ipsius prophetæ, ibi: *Defecerunt præ lacrymis*: tertio subdit hujus tribulationis mœrorem, ibi: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*: quarto docet exercere se ad gemitum & compunctionem propter talem admonitionem, ibi: *Clamavit cor eorum ad Dominum*: quinto volverunt se ad implorandam supernam miserationem, ibi: *Vide Domine & considera*. In prima describit iram Dei, & reprobationis effectum circa statum Judæorum in generali, quantum scilicet ad totam regionem: in secundo in speciali, quantum ad civitatem, *Et dissipavit quasi*, &c. In prima parte primo lamentatur illius populi excæcationem, & detestationem: secundo potestatis ablationem, ibi: *Præcipitavit Dominus*, tertio populi stragem, ibi: *Tetendit arcum suum quasi inimicus*; quarto generalem habitationem, & habitatorum dissipationem, ibi *factus est Dominus velut inimicus*. In prima parte tria tangit reprobationem consequentia, primo excæcationem, secundo detestationem, ibi, *projecit*, tertio omnis gratiæ, & clementiæ solitæ subtractionem, ibi: *Et non est recordatus*. Huic litteræ præmittitur littera, ALEPH, quæ interpretatur Doctrina, & est exponendum ut supra: sicut patet, ex illo versu, qui sequitur: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*, Dicit ergo, *Quomodo*; admirative, & interrogative. Cui quæstioni respondetur ita in prædicto versu, *Prophetæ tui viderunt*. Quomodo obtexit caligine, non aliquid præbendo, sed gratiam

A subtrahendo: unde Glossa: Caligine erroris ignominiæ, vel tristitia tribulationis irremediabilis, quæ prius claruerat lumine prophetarum, *in furore suo*, id est, ira implacabili, hoc est voluntate puniendi inflexibili: sicut inflexibiles sunt homines furiosi, *Dominus filiam Sion*, id est, regionem totam, quæ sub arce Sion, & civitatem Hierusalem protegi solebat, sicut mater a filia. Mos enim est scripturarum, ut Metropolitanæ civitates, matres appellentur, & adjacentes regiones, oppidi, & vici filiæ. Pro secundo sequitur, *projecit de cœlo*, cultu illo reprobato, & abjecto filio regni, & divino favore oblato, & angelico præsidio, *in terram*, B videlicet altitudine subtracta: nec enim remansit, in ea lapis super lapidem, ut prædictum est; *inclytam*, scilicet civitatem, *Israel*, quæ solum inclyta esse solebat. Quomodo capta est, & comprehensa inclyta universæ terræ. Antiqui enim libri habent, *terram*, scilicet, *de cœlo terram*, & sonat, quasi in terram ad litteram, id est, Hierusalem terram inclytam. Sed pro tertio sequitur. *Et non est recordatus*, ad miserendum *scabelli pedum suorum*, id est populi, qui sibi humiliter erat subjectus. Vel Hierusalem templi, ubi Dominus super propitiatorium apparere solebat Moysi, propter quod scabellum pedum ejus dicitur, *in die furoris sui*, C id est vindictæ irrefragabilis. *Allegorice*, exponitur in Glossa, & moraliter, quando quicumque solebant esse sapientissimi excæcantur merito, scilicet peccatorum, sicut Judas voluit recipere virgines Jabes, ne perderet tribum electam ex Israel: & sanctissimi prius, in sordibus versantur.

Lam. II. Hier. II

Jud. II

Præcipitavit Dominus, &c. Postquam lamentatus est excæcationem synagogæ: hic lamentatur potestatis subtractionem. Et quia duplex est potestas magnorum scilicet resistendi, & invadendi: primo deplorat ablationem primæ, deinde secundæ in versu sequen-

Potestas magnorum duplex.

quenti ibi *confregit*, &c. Potentia autem resistendi consistebat in munitionibus, & in personis illas regentibus: pro primo dicit, *præcipitavit*, pro secundo, *polluit regnum*. Dicit ergo, *præcipitavit*, quod est plus, quam deiicere, præcipitare enim idem est, quod proiiciendo confringere. Unde sequitur, *nec pepercit*, quod etiam amplius est, quam præcipitare: quod in ultima captivitate est completum, extinctis cæremoniis Judæorum secundum Glossam: Domino providente, ut per ea, quæ evenerunt, ventura videatur Prophetare. Econtra de justo dicitur in Psalmo? Cum ceciderit justus non collidetur: quia, Dominus ponit manum suam. *Omnia speciosa Jacob*, ædificia sc. quæ erant non solum in munimentum, sed in ornamentum, templum sc. & alia civitatis ædificia, *destruxit in furore suo*, id est implacabili ira, *munitiones*, ad litteram, *virginis Juda* civitatem ob omni fructu sterilem, non habentem ex se successionem. Totum murum Hierusalem per circuitum destruxit exercitus Chaldæorum. Vel in speciosis intellige opulentiam, in munitionibus potentiam, *dejecit in terram*, dictas sc. munitiones. Sed pro desolatione personarum sequitur, *polluit regnum*, id est, omni pollutioni, & ignominiæ exposuit, quia hominibus subjecit incircumcisis, quorum consortio, & moribus prophanati sunt. *Et principes ejus*, sc. polluit, id est, pollutos demonstrabit. Sic ergo patet subtractio potentiæ resistendi.

Ps. 36

Jer. 39

Allegorice, deploratur hic lapsus humani generis quo ad tria præcipue incommoda: primo excæcationis, deinde mortalitatis, *projecit de cœlo*, tertiæ concupiscentiæ carnalis ibi, *omnia speciosa Jacob*. Pro primo dicit: *Quomodo obtexit*, &c. Sion interpretatur specula, & significat statum animæ rationalis in innocentia, quæ creata sc. ad æternitatis lumina contemplanda, quam posuit in specula, cum dixit: De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas, &c. Quasi enim in specula constituitur, quando imminet mali periculum, qui circumspectionem cavere jubetur. Filia ergo Sion: anima hominis, speculationis filia non tamen firmata in arce contemplationis. Sunt enim filiæ Hierusalem, id est, contemplatione clare videntes: sunt filiæ Sion, id est, speculative per specula cernentes: sunt filiæ Babylonis id est, confusionis, quæ oculos suos statuerunt declinare in terram. Hæc igitur filia Sion obtegitur caligine, quia lumen rationalis animæ obnubilatur, non penitus extinguitur. Sed pro mortalitate sequitur: *Projecit de cœlo terram inclytam Israel*, per hac terram inclytam, corpus hominis accipimus quod per immortalitatis gratiam, quasi cœlo simile extitit: & de illo sublimi statu cecidit, postquam illicita acceptavit. *Non est recordatus*, ad miserandum, *scabellum pedum suorum*, id est, generis humani, a quo tam severam vindictam exegit, *Præcipitavit*, in quo subita intelligitur generis humani ruina de paradiso in mundum, de mundo in infernum, de immortalitate in mortem, de morte in damnationem. *Omnia speciosa*, nec infelicitas concupiscibilis, cujus septem mala hic enumeres, primo hominis pulchritudinem fœdat, *omnia speciosa Jacob destruxit*, nam speciosus homo erat in corpore, & in corde: desideria & inventiones ad terrena incurvat, *munitiones virginis Juda*, &c. hominem totum deordinat, *polluit regnum*, quod est in subjectione inferiorum virium contra potentias animæ cognitivas, & affectivas: fortitudinem enervat, *confregit in iras*, &c. gratiam evacuat, *abjecit retrorsum dexteram suam*; omnes sensus ad malum exagitat. *Et succendit in Jacob*: hominem in effeminatione bestiis assimilat: unde arcum oportebat eum atterere, *tetendit arcum*:

Ps. 16

Gen. 2

Confregit, &c. Ecce de subtractione potentiæ ad invadendum, quæ per cornu intelligitur: quod a finitimis nationibus expertum consueverat formidari. Istam autem potentiam facere solebat, robur Principum, quod lamentatur confractum, divinumque patrocinium, quod dicit esse subtractum ibi, *avertit retrorsum*, multitudo incolarum habitantium per circuitum, contra quod dicit: *Et succendit*. Dicit ergo. *Confregit in ira furoris*

ris sui omne cornu Jsrael, id est, principum fortitudinem adversariis formidabilem. *Avertit retrorsum dexteram suam*, id est, protraxit protractionem suam, *a facie*, id est, præsentia, *inimici*, ut libere posset in eos desævire. *Et succendit in Jacob*, id est, terra Judæorum, *quasi ignem flammæ devorantis*; id est, consumentis, *in gyro*, in circuitu Hierusalem: quasi sicut ignis accensus late vagatur, & consumit omnia: sic fecerunt hostes Judæorum.

Allegorice: *Confregit omne cornu Israel*. id est, cornutos suos, Ecclesia confringi a cupiditatis amore lamentatur scilicet prælatos: qui cum cornuti sunt ad invadendum hostes invisibiles, non visibiles corporaliter; non debent esse raptores: quia nullum animal habens cornua vivit de rapina: non enim habent dentes acutos. Item ex quorum perversis exemplis, sequitur spiritualiter in Ecclesia, quidquid accidit in synagoga materialiter.

Moraliter, diabolus primum hominem in via Domini ambulantem sequebatur, ut eum removeret: sed non potuit ad hominem accedere, dextera Dei protegente, & intercidente. At vero cum homo ad diaboli persuasionem se convertit, statim Deus dexteram suam a facie inimici retrorsum avertit.

Tetendit arcum suum. Hic versus exponit finem præcedentis: hic enim, ut dictum est, lamentatur populi stragem. Et primo tangit istius miseriæ antiquam factam comminationem. Secundo justam divinæ severitatis diffinitionem, ibi: *firmavit*. Tertio stragem populi generalem, ibi: *Et occidit omne*. Ergo, *tetendit arcum*: arcus, quia proiicit in longinquum, significat comminationem factam prius, scilicet per verba Prophetarum: *tetendit*, *quasi inimicus*, quia amicus tendit aliquando ad terrorem, non proiiciendo sagittam: sed Dominus emisit sagittam, pœnam debitam, pro populum Chaldæorum: & quanto magis manus retraxit, tanto fortius percussit, & vehementius penetravit, in modum sagittarii, *firmavit*, immobiliter decernendo; *dexteram*, sc. ad percutiendum. Alibi si- A gnificabat dextera prosperitatem: hic autem magis severitatem: quia fortior est motus dexteræ. Unde sequitur: *quasi hostis*, ad percutiendum. Qui enim prius dicitur avertisse dexteram propter subtractionem defensionis: hic dicitur firmasse dexteram sc. propter asperitatem flagellationis, quæ fortior est: in dextera namque potentia. *Et occidit*, id est, occidi permisit, *quod pulchrum erat visu*, id est pulchros homines, & pulchras mulieres, *in tabernaculo filiæ Sion*. id est, Judææ, vel Hierusalem: quasi in ipsis domibus suis necabuntur: ut hostis non solum grassaretur ad rapiendum, sed etiam ad interficiendum: *effudit*, large, & severe, *quasi ignem*, omnia B consummantem, *indignationem suam*, id est pœnam, quæ signum erat suæ indignationis. Non dicit quasi aquam sed quasi ignem: aquarum enim violentia solet deiicere, & dissipare non ita cito, nec penitus consumere: ignis vero subito destruit, & funditus consumit.

Moraliter, in arcu severitas, vel terribilitas extremi judicii designatur: tabernaculum animæ corpus est, tabernaculum etiam animæ conscientia est: omne ergo pulchrum occidit utrobique, in corpore per calamitatem, in conscientia per cogitationum fœditatem. Vel certe per pulchrum intelligere possumus disciplinam morum, & honestatem, quæ Dominus C dicitur occidere, non cogendo, vel dando malitiam, sed subtrahendo gratiam. *Effudit quasi ignem indignationem*: quia ignis numquam deficit, quamdiu adest materia combustibilis sic nec hæc infelicitas: immo decursu humani generis usque ad resurrectionem generalem stabit labes peccati originalis. Vel, *occidit omne pulchrum*, Dominus, connotans pulchritudinem originalem, vel corporalem. *Effudit quasi ignem*, & cætera. Omnia vitia scilicet consumentem.

Factus est Dominus. Hic lamentatur generalem habitatorum, & habitantium desolationem: primo plangens eorum reprobationem: secundo ejus effectum multiplicem, scilicet Judææ afflictionem, ibi: *Præ-*

cipitavit Israel, Dicit ergo, *factus est Dominus velut inimicus*, qui prius diligere, & fovere consuevit, *factus est velut inimicus*, quia non jam est ut pater, ad correctionem percutiens: sed ut hostis ad consumptionem præcipitans. Et dicit, *velut inimicus*, quasi non omnino inimicus quia semper punit citra condignum. Parcis omnibus, quia tua sunt, Domine, qui amas animas. Pro multiplici eorum afflictione sequitur, *præcipitavit*, subito, & fortiter dejecit, *Israel*, quantum ad populum: *præcipitavit omnia mœnia ejus*, id est muros civitatem munientes; vel alia ædificia civitatis, *dissipavit omnes munitiones ejus*, Mœnia in civitate ad decorem fiunt, munitiones ad defensionem, quasi dicat sublimia dejecit, & fortia confregit, simile supra dixit, plangendo dispendium regionis; Omnia, inquit, speciosa præcipitavit, destruxit munitionem virginis Juda, dejecit in terram. Idem hic intelligitur per mœnia, quod ibi per speciosa. Quantum vero ad universitatem hominum oppressorum, dicit: *Et replevit*, id est, multiplicavit, *in filia juda*, id est, gente Judaica, *humiliatum, & humiliatam*, id est, homines utriusque sexus, in magna multitudine fecit humiliari, id est deiici per illam tribulationem. Vel per humiliatum intelligo, ordinem prælatorum: per humiliatam plebem subiectam, sicut supra simile dixit in vastatione regionis. Polluit regnum, & principes ejus.

Sap. 11

Gregor. 11 Moral. c. 9

Moraliter: *Factus est Dominus quasi inimicus*: quia non quod ipse fecerit in nobis, sed quod nos ipsi fecimus casum: Non enim ex corde suo humiliavit, & abiecit filios hominum: præcipitavit Israel, id est, hominem Deum videntem: quia præcipitavit, permittendo eum cadere in lutum peccati. Præcipitatur enim homo, cadendo primo per superbiam. Videbam Satanam quasi fulgur cadentem de cœlo. Item per adulationem. Erunt, qui beatificantur, præcipitati. Item per luxuriam, sicut figuratum est. Ubi dicitur de porcis, quod magno impetu præcipitati sunt in mare. Sequitur: *Præcipitavit mœnia*, &c. in quo intelliguntur gratiæ gratis datæ, ut est prophetica, & genera linguarum: munitiones sunt virtutes, ut charitas, fides, & spes. Prius ergo præcipitat mœnia, deinde dissipat munitiones: quia frequenter abusus talium gratiarum facit evacuationem virtutis: sicut de pulchritudine corporali patet: Fallax gratia, & vana pulchritudo &c. vel per mœnia intelligitur custodia hominis exterioris: per munitiones virtutes hominis interioris. *Et replevit in filia Juda humiliatam, & humiliatum*, id est spiritum, & carnem subiecit ignominiæ. Vel istud ad populum Judaicum, aliter referri potest: quando enim a populo Judæorum prophetiam & doctrinam, & miraculorum signa abstulit, quasi mœnia ejus præcipitavit, quando per infidelitatem eos excæcari permisit, & a spe promissionis cum fecit alienos, quasi munitiones ejus dissipavit, sicut hoc exponit Gregorius.

Thren. 3

Luc. 10

Isa. 9

Matth. 8

1 Cor. 12

Prov. ult.

Greg. 11 Moral. c. 9

Et dissipavit quasi hortum, &c. Postquam in communi lamentatus est dispendia regionis: hic accedit ad deplorandum detrimenta civitatis: primo quantum ad desolationem sacrarum ædium, & officiorum: deinde quantum ad desolationem murorum. *Cogitavit Dominus dissipare*, &c. tertio quantum ad calamitatem habitatorum, *Contrivit vectes ejus*. In prima parte plangit primo templi destructionem: deinde cultus legalis reprobationem: *Oblivioni tradidit Dominus*: tertio templi prophanationem factam a gentibus: ibi. *Tradidit in manu inimici*, Dicit ergo pro primo. *& dissipavit*, id est dissipari permisit, *quasi hortum*, qui sine clausura, a bestiis conculcatur, *tentorium*, id est, tabernaculum: tentorium appellat, quia vice illius antiquitus filii Israel primum in deserto, ac postmodum in Silo, ad cultum Dei tentorio pro tabernaculo fungebantur: Vel tentorium ipsum appellat propter cœlestem ejus dispositionem, *demolitus est*, id est, demoliri permisit, seu destrui, *tabernaculum suum*, id est, tentorium. In demolitione, quæ paulatim agitur, odium intelligitur, & laceris invidia Scri-

Tentorium, & Tabernaculum in quid differant.

batum, & Pharisæorum flagrans ad mortem Domini Salvatoris; quæ fuit causa suæ destructionis. Vel differunt tentorium, & tabernaculum; quia tentorium dicitur, ubi torturæ funibus ad polos terræ affixos extenduntur: in quo temporalis honor intelligitur Synagogæ: tabernaculum autem quibusdam tabulatis construitur, ubi divina familiaritas, & communicatio secretorum designatur. Dicit ergo: tentorium, quod appenditur, dissipavit; tabernaculum autem, quod terræ hæret sub fossione, demolitus est, quod prædixit Isaias; Derelinquetur filia Sion, quasi umbraculum in vinea, & quasi tugurium, in cucumerario. Quasi dicat; sicut ab horto, & vinea, postquam collecti fuerint fructus, custodia hominum tollitur; sic a populo isto, quia fructu boni temporis sterilis est, custodia divina auferetur. Vel per hortum locum voluptatis, & luxuriæ possumus intelligere quoniam in hortis, & lucis solebant lascivire, & dæmoniis sacrificare. Dicit ergo; *dissipavit quasi hortum*, quia enim in locum sanctitatis impudicitia, & voluptas introivit, ideo dissipatio, & desolatio venit. Ad litteram primum templum, quod ædificavit Salomon, dissipatum est a Chaldæis: secundum, quod Zorobabel ædificavit, dissipaverunt Romani, & illud tertium, quod adhuc stat, prophanant usque hodie Saraceni. Sed quantum ad reprobationem cultus, sequitur; *oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbathum*. Ad cultum veterem pertinebant dies solemnes, quos intelligit per festivitatem, & sabbathum; pertinebant personæ offerentium, vel ministrantium, quas intelligit per sacerdotem, & regem; pertinebat altare, pro quo dicit; *Repulit Dominus altare suum*, sacrificiorum ceremoniæ, pro quo subdit, *maledixit sanctificationi suæ*. Dicit ergo, *oblivioni tradidit*, quasi non solum repulit, sed oblivioni tradidit, quia ea amplius non requirit, *in Sion*, ubi erat templum; *festivitatem quamcumque*, scilicet pascha, & alias, de quibus legitur; & Sabbathum, quod erat solemnitatum complementum; quod maxime in ultima captivitate est completum. Solemnitates vestras odivit anima mea. *Et*, sup ple tradidit, *in opprobrium*; alias *opprobrio*, quantum ad ignorantiam. *Et indignationem furoris sui*, quantum ad angustiam. Vel ignorantiæ in hoc vehementia intelligitur, quod nomen indignationis innuat, *Regem, & sacerdotem*, quibus duobus populus ille regebatur. Regi honor debetur, devotio in sacerdote intelligitur. At vero pro honore opprobrium regi, pro devotione indignatio redditur sacerdoti; ut omnis Judaici populi excellentia intelligatur, destructa fuisse. Nota, quod voluntas puniendi significatur primo, nomine opprobrii, in quo intelligitur voluntas deiiciendi, contra superbiam; secundo furoris, in quo effrænata voluntas exterminandi intelligitur contra pertinaciam:

Repulit Dominus altare suum, cujus hostias, & officia non acceptavit. Vel repulit, id est, repelli permisit, quando Achaz transtulit altare æneum de templo, & statuit pro eo altare Damasci, sicut legitur. *Maledixit*, reprobando. Ne offeratis ultra sacrificium frustra, *sanctificationi suæ*, id est illis, in quibus sanctificatio legalis consistebat, scilicet sacrificiis, quæ modo offerre, esset idololatrare. *Tradidit in manus inimici*. Hic lamentatur prophanationem templi factam a gentibus, dicens, *tradidit in manus inimici*, Chaldaici, vel Romani exercitus, *muros turrium ejus*, id est, turres munitas: quasi non solum turres civitatis exteriores, sed etiam turres interiores templi, scilicet munitiones. *Vocem dederunt*, adversarii, *in domo Domini*, gaudentes; se eam obtinuisse, *sicut in die solemni*, solebant facere Judæi.

Allegorice ab illo loco, *Et dissipavit quasi hortum*, per hortum Ecclesia intelligitur, in qua sunt rosæ martyrum, lilia virginum, violæ confessorum. Hortus conclusus, soror mea Tentorium deforis, tabernaculum intus est: per tentorium populus, per tabernaculum intelligitur ordo prælatorum: quos dum temporali gloria sublimavit, quasi ten-

tentorium ad decorem expandit: & dum eos ad cognitionem secretorum suorum, & familiaritatem levavit, quasi tabernaculum eos extendit, hos dissipavit quasi hortum, quia subdidit potentiæ hominum impiorum.

Moraliter: hortus est claustrum, vel vita clericorum quorumdam: quia debet esse tentorium, & tabernaculum peregrinantium: quod dissipatur quasi hortus, dum in rebus spiritualibus sola carnalia quæruntur: sicut in aliis patet, qui numquam veniunt ad ecclesiam, nisi quando destributiones dantur, sicut bubo non venit ad Ecclesiam nisi propter oleum: Ideo dissipatur per misericordiam, demolitur per insolentiam: Quod figuratum est, ubi dixit Achab: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum. Hortus mutatur, quando disciplina per carnalitatis studium enervatur, quando contemplationis claritas in terrestres occupationes, & affectiones commutatur. *Oblivioni tradidit*, id est, permisit festivitatem, quæ est feriatio a malis: & est festum laicorum, & Sabbathum, quod est vacatio ab implicationibus mundanis. Vel ad litteram: festivitates Ecclesiæ quantum ad multos oblivioni tradit: quia voces claustralium non exaudit. Cum multiplicaveritis orationes non exaudiam, quia manus vestræ plenæ sanguine sunt. *Dedit in opprobrium*: &c. quia ad litteram, regale Ecclesiæ sacerdotium apud multos venit in contemptum. Irritum fecistis pactum meum: propter quod ego dedi vos contemptibiles: & humiles omnibus populis. Vel aliter: anima nostra rex est, & sacerdos. Rex debet regere carnem suam: sacerdos, quia jugiter Deo offerre debet devotionem suam. Rex in opprobrium traditur, quando anima carni suæ substat, & turpibus desideriis famulatur: sacerdos in indignationem traditur, quando a devotione cadens, in peccati consuetudinem obduratur. *Repulit Dominus altare suum*. Allegorice altare nostrum Christus est, cujus humanitatis sacrificio Deus nobis placatus redditur: super quod, quasi altare omnia nostra spiritualia sacrificia of-

4 Reg. 21

Isa. 1

1 Pet. 2

Malac. 2

A feruntur. Hoc altare Deus pater repulit, quando usque ad crucis patibulum in Judæorum manibus eum dereliquit: Deus Deus meus, ut quid dereliquisti? *Sanctificationi suæ maledixit*, quia illum, quem ad sanctificationem nostram misit, maledictioni acerbissimæ passionis exposuit. Unde Apostolus; Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Muri turrium, qui in civitatibus præeminentioribus sunt, Apostolos significant: qui in Ecclesia sancta dignitate eminentiores, & constantia fortiores fuerunt. Isti quoque in manibus inimici traditi sunt: quia cum Christum mori cernerent, ipsi per infidelitatem corruerunt. *Vocem dederunt*, Judæi, quia Christo pastore mortuo, & dispersis ovibus, omnino prævaluisse gloriati sunt. Vel Dominus altare suum repellit, quando homines indignos in Ecclesia præfici permittit. Vel muri turrium prælati sunt. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes Dei. Quibus inimicorum vox auditur, quando inique, & perverse dignitatem gerunt.

B

Psalm. 21

Gal. 3

Isa. 62

Moraliter: Altare nostrum, fides nostra est: super quam sacrificium boni operis immolamus; quod altare tunc repellitur, quando fides nostra bonis operibus nudata, a Deo reprobatur: fides sanctificatur, quando ei per incrementum virtutis merita augentur. Sed sanctificatio maledicitur, quando fides ipsa amissis virtutibus, pravis operibus violatur: Factus est Israel, quasi vas immundum. Muri turrium in manus inimici dantur, quando ingenium, & hujusmodi aliæ gratiæ gratis datæ ad iniquitatis studium convertuntur: in quibus muri inimici vox auditur quando diabolicæ suggestiones interius admittuntur, & exterius improbe proferuntur: de quo multum lætantur dæmones: & hoc signatur. *In die solemni*.

C

Osee. 8

Cogitavit Dominus, Hic secundo deplorat dispendia civitatis quantum ad dejectionem murorum, & propugnaculorum. Primo autem lamentatur muri dejectionem: secundo ipsius antemuralis destructionem, *luxitque an-*

temurale, tertio portarum ipsarum evulsionem, ibi: *Defixæ sunt in terram*, Dicit ergo, *cogitavit Dominus*, ergo consulto fuit quasi non statim fecit, sed diu ejus conversionem expectavit: & quasi ex deliberatione hoc fecit, *dissipare murum filiæ Sion*, id est, civitatis Hierusalem ad litteram, quamvis per hoc omnis ejus regio possit intelligi: *Tetendit funiculum suum*, ad destruendum, qui tamen non solet tendi, nisi pro inimicorum ejectione. Per funiculum autem justitiæ rectitudo intelligitur divinæ secundum merita illi populo infelici retribuentis. Vel in funiculo pœna, qua peccatores ligare designatur, *non avertit manum suam a perditione*, quasi dicat usque ad consumptionem percussit: & quia nullum a culpa liberum invenit, nullum dimisit immunem a pœna, *luxitque antemurale*, id est lugendi dedit materiam ipsum destructum cernentibus.

Antemurale. Et est antemurale defensio murorum sicut vallum, fossa, vel aliquid consimile, *& murus pariter dissipatus est*, cum antemurali. Per antemurale custodia angelorum: per murum custodia hominum notatur: quarum utraque illi populo subtracta, usque hodie Judæa lamentatur.

Spiritualiter, cogitatio Dei, vel deliberatio patientia est, qua peccata ad tempus dissimulat: & justitia, qua digna animadversione castigat.

Funiculum tendere. Hoc autem est funiculum tendere, modum scilicet, & quantitatem debitam diligenter æstimare, & secundum hoc flagellare. Vel, per cognitionem Dei, incarnationis dispensatio intelligitur: & quia in carne veniens Judæos repulit, ut gentes intrarent, prius murum filiæ Sion dissipavit: deinde funiculum hæreditatis suæ super populum gentium dilatavit. Quasi enim contractus erat funiculus, quando de populo Judæorum tantum dicebatur, Jacob funiculus hæreditatis ejus: quia igitur vocationem gentium præcessit irretitio Judæorum, Deut. 32 recte subditur: *Et non avertit manum suam a perditione*, a qua manum averteret, si gentes colligeret, Judæos non reprobaret. *Antemurale*, id est Patres priores *luxit*, quia patres priores de Judææ ejectione doluerunt, Murus dissipatus est, quantum ad ingratitudinem Judæorum, ut ædificaretur in gentibus.

Moraliter. Per murum filiæ Sion, virtutes animæ accipimus: cum igitur virtus accepta elevat, aut neglecta deprimit, & male securi gratiam acceptam custodire negligimus; quam horrendum sit, quod nobis invisibilis judex cogitet ignoramus. Cogitat ergo & deliberat, priusquam feriat: cui funiculum tendere est, subtiliter peccati mensuram examinare: *non avertit manum suam*, quia quanto plus patiendo sustinuit, tanto minus feriendo parcit. Per murum igitur virtutes animæ intelliguntur: per antemurale operationes intelliguntur: luget ergo antemurale & murus dissolvitur: quia gratia recedente, virtus tollitur, & opera virtutum infirmantur. Vel murus, prælati: antemurale principes sæculares Ecclesiam defendentes, & hoc & illud luget, cum per ingluviem lucrandi ministrantur sacramenta. Vel antemurale custodia disciplinæ; quod luget, cum homo deserit disciplinam; quo facto virtus pariter dissipatur, quæ per murum intelligitur. Unde: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, &c. Psalm. 2

Defixæ sunt in terram, &c. Lamentatur ad litteram, portarum evulsionem, dicens: *Defixæ sunt in terram portæ ejus*, quasi sic corruerunt, ut non sint amplius erigendæ, & permanent sicut vestigia ruinæ. In terram ergo fixæ sunt, ut pateant incursioni, vectibus, & feris distractis, unde subdit: *Perdidit, & contrivit vectes ejus*, id est, seræ, vel obstacula ostii; quæ manu huc & illuc, claudendi, aperiendique gratia vehuntur. *Regem ejus*, &c. Tertio agit desolationem personarum civitatem habitantium. Lamentatur autem primo tribulationis angustiam in magis reverendis: deinde in magis miserandis: *Consperserunt cinere*, &c. Reverentia autem debetur regibus propter potentiam, doctoribus propter sapientiam, senioribus propter maturitatis gratiam: sed hæc omnia defecerunt principibus captivitatis, le- Reverentia cui debetur.

ge

ge combusta, senibus ignominiose A tractatis: propter quod dicit: *Regem ejus*. Novi libri habent Reges, supple perdidit, & contrivit. *Et principes ejus in gentibus*. Et forte de portis & vectibus figuraliter locutus
4 Reg. ult. est: Regem per portas, principes per vectes intelligens: sicut de Sedechia, & filiis ejus patet. Pro secundo sequitur. *Non est lex*, quia libri legum per Chaldæos conclusi sunt. Vel non est lex in opere servata, & propterea supervenerunt flagella. *Et Prophetæ ejus*, pseudo, *non invenerunt visionem a Domino*, quam tamen se vidisse asserebant: & talibus Judæi credentes, a Domino destructi sunt B propter peccata sua. Unde infra: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa*.

Allegorice ab illo loco: *Defixæ sunt in terra*, &c. portæ, & vectes civitatis prælati sunt: qui sunt portæ per verbum, & vectes per consilium, & vere per
Apoc. 21 exemplum portæ dicuntur, de quibus: Singulæ portæ erant ex singulis
Exod. 25 26 margaritis. Item & vectes dicuntur: unde significantur per illos vectes, quibus arca vehebatur, qui erant de lignis Sethim, quæ erant imputribilia, in signum castitatis: erant odorifera, in figuram famæ bonæ: decorata in figuram charitatis: erant in quatuor circulis aureis, in figuram meditationis legis divinæ, cujus summa continetur in quatuor Evangeliis. Portæ igitur sunt, quod extra positos per prædicationem introducunt: vectes, quando intus positos per salutare consilium custodiunt. Vel per portas Hierusalem, Scribæ, & Pharisæi intelliguntur, terrenorum studio, & amori intenti: qui Christum non solum non receperunt,
Matth. 23 sed etiam alios ab ejus receptione impedierunt. Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis nec intrantes sinitis introire. Hi in terra defixi sunt: quia in sola Christi humanitate oculos habentes, in laqueum perfidiæ inciderunt. Vel in terra defixi sunt, quia litterali, vel terreno sensui legis adhæserunt. Sed vectes Dominus perdidit, & contrivit: quia consilium eorum ad nihilum redegit: perditum est consilium quia Christum occidendo extinguere non potuerunt. Contritum est etiam consilium: quia ob hoc terram perdiderunt, quod Christum occiderunt: propter quod subdicitur, *Regem ejus, & principes ejus in gentibus*, supple, contrivit: quia gentes eis præfuerunt. Non est lex, inter eos scilicet, qui libros habent; sed legis intelligentia carent: Sed quia adhuc sibi venturum Christum perhibent, contra hoc recte subiungitur: *Prophetæ ejus non invenerunt visionem a Domino*, quasi dicat: De adventu Messiæ, quod somniant, a se habent, non Domino revelante. Sed pro tertio subdit: *Sederunt in terra*, in signum doloris, & abiectionis, *conticuerunt senes*, non audentes monere, *senes* inquam, *filiæ Sion*, id est, terræ Judæorum, vel civitatis Hierusalem.

Consperserunt, ecce desolatio personarum magis miserandarum: quarum desolationem describit per signa lugubris pœnitentiæ cordis, & cilicii, & corporis ad terram prostrati. Dicit ergo: *Consperserunt cinere capita sua virgines Hierusalem, accincti sunt ciliciis*, dicit, *accincti*, masculine, ut in utroque sexu istam desolationem fuisse ostendat. Vel istud ad senes præhabitos est referendum. Aliqui habent suppletionem falsam, *accincti sunt ciliciis*, seniores judices: C hæc enim est corruptio ex ignorantia procedens. Filia populi mei accinge- Hier. 6
re cilicio, & conspergere cinere. Quidam aliter putant, accipientes sententiam inde, *Filiæ Sion*, id est mulieres, ad litteram, *consperserunt cinere*, &c. Sed in antiquis voluminibus reperi sic punctatim: & hic est sensus Hebraicæ veritatis, ut exponitur a quibusdam. Pro tertio sub- Jerem. 6
ditur, *abiecerunt in terram capita sua virgines Hierusalem*, ad litteram: in signum dolorum.

Moraliter. *Sederunt in terra*, sessio delectionem, silentium stuporem designat. Et recte senes, in quibus consilii auctoritas esse debuit, siluisse, dicuntur: quia calamitati, quæ fuit ibi, nullo consilio potuit subveniri, *consperserunt cinere*, &c. recte in tribulatione senes conticescunt, virgines cinere capita sua conspergunt,

gunt, quia cum tribulatio vehementer ingruit maturos sensus in stuporem; & lascivos ad impatientiam vertit. Unde subditur, *accincti sunt ciliciis*, hoc ad senes, *abiecerunt in terra capita sua*, hoc ad virgines: mortem accelerare volunt, qui ingruentibus malis, spontaneas etiam afflictiones adiiciunt.

Allegorice. *Sederunt*. &c. Cum in principio capituli planxerit Propheta lapsum generis humani: deinde etiam in immediate præcedentibus excæcationem populi Judaici, nec transire videtur ad deplorandum statum Ecclesiæ præsentis. Quid enim per filiam Sion, nisi præsens Ecclesia designatur? quæ de Sion, per fidem nata est: cujus Senes, sunt pastores, qui senes sunt profectu sapientiæ, & morum maturitate. Bene senes, non parvuli sicut in lege, ubi homines terrenis promissionibus, quasi lacte nutriebantur. Hi sedent in terra, cum desunt transitoria, per avaritiam: Inveterasti in terra aliena.

Baruc. 3 Conticuerunt per ignorantiam, vel per verecundiam: quia ubi conscientiam remordet reatus, statim linguam a prædicatione ligat timor confusionis Gregor. Fit omnipotentis Dei man-

Greg. 4 Moral. dato, ut nec in bono linguam habeat, qui habere bonam vitam renuit. Et nota, quod senibus duo debentur. Prima sedes: Si quando

Job 29 volebam ire ad eos, sedebam primus. Item primum verbum: Loque-

Eccl. 32 re major natu: decet enim te primum verbum. Econtra senes sunt in terra, & pueri præficiuntur: senes conticere coguntur, & pueri ad doctrinæ principatum sublimantur: quod non est lamentabile, quia pueri sunt: sed quod sunt non minus moribus, quam ætate pueri. Sequitur, *consperserunt*, virgines Hierusalem sunt boni subditi, qui fidei integritatem custodientes ad supernam patriam, & pacem tendunt. Per caput spiritualis actio designatur. Quod per cineres, qui ab igne relinquuntur, nisi affectiones terrenæ signantur: quasi enim ab igne cinis nascitur, quoniam cogitationum carnalium reliquiæ, a concupiscentia carnali generantur. Unde post quam senes sederunt, &c. Virgines asperguntur, &c. quia simplices, cum prælatos vident incumbere terrenis, & ipsi incipiunt ad consimilia aspicere. Vel cinis conspersus est affectio, & cogitatio turpis in capite, id est voluntate: Bonitatem interdum pulverem levis cogitationis habent, non in capite, sed in pedibus: quem jubentur excutere. Quicumque non receperit Mat. 10
vos, nec audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Vel cinis in capite, est vana gloria in bona actione, principali intentione habita, *Accincti sunt ciliciis*, per cilicia punctiones terrenarum cogitationum designantur, quia conscientia assiduis pungitur cogitationum aculeis. Bene ergo qui in terra sedere dicuntur, terrenis delectationibus inhærentes ciliciis induuntur; quia affectum delectationis sequitur sollicitudo desiderii sociando. Hic est saccus, quem Dominus jussit de lumbis tollere: Solve saccum Isa. 20
de lumbis tuis. *Abiecerunt in terra capita sua virgines Juda*. Hic est perditionis ordo, ut primo quisque bona, quæ agit per intentionem humanæ laudis obnubilet: ac deinde ipsa bona opera in pravas actiones committat. Ergo cinere caput aspergere est delectationes terrenas quærere, vel in bonis actibus laudes humanas; caput abiicere, est manifeste malis indulgere.

Defecerunt præ lacrymis. Hæc est secunda pars capituli in qua, post descriptam desolationem synagogæ, introducit lamentationem ipsius vocis Prophetæ. Primo ostendens doloris sui vehementiam. Secundo subjungens doloris materiam, ibi, *Cum deficeret parvulus*. Vehementiam doloris ostendit, tum ex signo exteriori primo: tum ex dolore interiori secundo, ibi: *conturbata sunt viscera mea*, tum ex evacuatione omnis solatii, ibi: *Effusum est in terra*. Dicit ergo, *defecerunt præ lacrymis*, id est præ abundantia lacrymarum, *ocu-* Job 16
li mei. Simile: Facies mea intumuit a fletu: & palpebræ meæ caligaverunt. Viri enim sancti in tribulatione, vel contritione vehementi non so-

solent pacere oculis, aut pectori. Aug. lib. 1 Soliloq. c. 14 to. 1 Unde dicit ratio Augustini: Sed jam cohibe te a lacrymis, & stringe animum: multum omnino flevisti: & hoc omnino morbus ille pectoris tui graviter accipit. Et respondet Augustinus: Modum vis habere contra lacrymas meas, cum miseriæ meæ modum non videam: aut valetudinem corporis considerare me jubes cum ego ipse tabe confectus sum.

Conturbata sunt viscera mea, dolore Psal. 30 ab intima pertingente: Conturbatus est, in ira oculus meus, anima mea, & venter meus, *effusum est in terra jecur*, vel hepar *meum*, in errore voluptatis, & concupiscentiæ, ut dicit Hieronymus. Quasi dicat in tantum intravit desolatio, ut omne solatium B sit eiisum, *super contritionem*, id est, destructionem, *filiæ populi mei*, id est, Judææ, vel civitatis Hierusalem. *Cum deficeret*, Ecce afflictio desolationis duplex: primo desolatio magis lamentabilium personarum: secundo derelictio, & tribulatio universorum. Primo igitur describitur afflictio magis lugubrium, & miserabilium personarum, scilicet parvulorum, seu infantium: quorum primo describit indigentiam, deinde lugubrem querimoniam, ibi, *in matribus suis dixerunt*, tertio exinanitionem, *cum deficerent*; & mortem lamentabilem, *cum exhalarent*, Dicit ergo, *cum deficerent quasi*, ecce materia doloris, cum deficerent præ fame & siti, *parvulus*, *& lactens*. Aliqui exponunt lactantem, active, pro matribus scilicet pueros lacte pascentibus, quibus maxime est compatiendum, *in plateis oppidi*, id est Hierusalem: quam vocat oppidum, pro Matth. 21 pter abjectionem, & vilitatem: Ite in castellum, quod contra vos est. Sed pro lugubri querimonia sequitur: *Matribus suis dixerunt*, in quibuscumque terrenorum affectibus dixerunt præ famis angustia deficientes, cum essent in deliciis nutriti. *Ubi est triticum & vinum?* Ista petunt, quæ non petentes abundare eis solebant. Unde ex hoc patet doloris vehementia, *cum deficerent*, exinanitione totius corporis, *quasi vulnerati*, effusio Isa. 22 ne sanguinis: Interfecti tui, non in- A terfecti gladio nec mortui in bello, *in plateis civitatis*, ubi solebant esse securi, & foveri, *cum exhalarent*, præ famis angustia, *animas suas in sinu matrum suarum*, ad litteram, ut patet doloris exacerbatio.

Allegorice, ab illo loco, *Defecerunt*, Vox est in persona Ecclesiæ, membrorum suorum, infirmorum dispendia deplorantis: qui prius planguntur a bonis, quam a semetipsis: proprium enim est clericorum, plangere aliena mala sicut propria: oculi sunt prælati, quia provisores: viscera, misericordes: jecur charitate ferventes: quia in jecore calor viget, digestionem stomachi promovens. Oculi igitur deficiunt, peccato vastante populum Dei: quia alienis miseriis compatiuntur cum Apostolo dicente: Quis infirmatur, & ego non 2 Cor. 11 infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Supra: Plorans ploravit C p. 1 in nocte, & lacrymæ ejus, &c. Oculi Psal. 87 mei languerunt præ inopia. Hugo: Nullum certius, veriusque indicium veræ charitatis, quam affectus fraternæ compassionis. Viscera conturbantur: quia justæ pietatis affectus concutitur in prælatis, qui habent alios in visceribus gerere, & parere. Quos iterum parturio, do- Galat. 4 nec formetur in vobis Christus. Jecur in terram effunditur, quando ex compassione bonus prælatus vehementer animo deiicitur, & contra C malum excitatur, *super contritionem filiæ populi mei*, in sexu fœmineo infirmitas subditæ plebis designatur: per contritionem, quasi irreparabilis ostenditur calamitas: quia quod contritione, id est, confractione comminutum est, non amplius reparatur, *cum deficeret parvulus*, in via, *& lactens*, solius simplicitatis doctrinæ capax: Omnis, qui lactis est particeps, Heb. 5 expers est sermonum justitiæ: parvulus enim est. Vel per parvulos, populi rudes: per lactentes pravi doctores: per plateas oppidi, sæculi voluptates. Parvulus, igitur, & lactens in plateis talibus deficiunt, quando carnales stulti cum perversis doctoribus per latam viam voluptatum ad perditionem vadunt: Lata & spatio- Matth. 7 sa via, quæ ducit ad perditionem:

&

& multi sunt, qui intrant per eam: *matribus suis*, id est prælatis: *Dixerunt, ubi est triticum*. &c. Vita subditorum tribus modis prælatos alloquitur, per miseriam, per desiderium, per obedientiam. Petunt enim, quando indigent: petunt, quando desiderant: petunt: quando audire parati sunt. Per miseriam, inquam, petunt: quia afflictorum indigentia, dum pias mentes ad subveniendum provocat, etiam si lingua sileat, vita clamat. Item per desiderium, quia quodam modo petere est, velle habere. Per obedientiam petunt, quia dum se paratos ad recipiendum offerunt, quasi ad implorandum prælatos desides adoriuntur. Petunt igitur, dicentes: *Ubi est triticum*? non hordeum: triticum enim Christus est: Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, &c. Non petunt hordeum: quod tamen legitur in Evangelio multiplicatum. *Et vinum*, non dicunt aquam, quæ tamen in Evangelio Joannis legitur in vinum commutata. Triticum igitur Christus, lex hordeum, quia asperum est ad manducandum: aqua carnalis intelligentia, vinum sensus spiritualis intelligitur: Judæis igitur, quia carnaliter legem tenuere, aqua, & hordeum sufficere potuerunt: filii autem triticum & vinum requirunt: triticum quærimus, quando verbum vitæ audire, & Christum imitari desideramus: vinum bibimus, quando spiritualem intelligentiam de Christo tenemus. Sed quærunt, nec inveniunt: unde sequitur: *Cum deficerent, quasi vulnerati in plateis*. Babylon habeat plateas, Hierusalem semitas: deficere igitur in plateis, est carnalibus illecebris implicari. Vel in Ecclesia sunt semitæ accusationum spiritualium: sunt plateæ accusationum terrenarum: in plateis deficiunt: quia non inveniunt spirituales consolationes intenti negotiis terrenis: *quasi vulnerati*, vulnera sunt peccata; quasi ergo vulnerati deficiunt, qui, etsi malo manifeste non consentiunt, sic tamen per negligentiam, sicut alii per culpam ad interitum tendunt. Ergo per negligentiam prælatorum pereunt multi, qui A criminibus, & flagitiis vulnerati sunt. *Cum exhalarent animas in sinu matrum suarum*, sinus matrum blanda adulatio prælatorum; spiritum igitur in eorum sinu exhalant, cum ignavi prælati non solum carnales ad meliora non excitant; verum etiam blande ferunt. Exhalant animas, vel moriuntur, quasi vulnerati, qui corrumpuntur prælatorum exemplis; in sinu moriuntur, qui deficiunt per eorum negligentiam. Mortuus est filius hujus mulieris nocte, dormiens quippe oppresserat.

Joan. 12. | Joan. 6 | Joan. 2 | 3. Reg. 3.

Vel moraliter ab illo loco; *Defecerunt oculi*, per oculos claritas intellitur contemplationis, & quid per viscera, nisi sensus internæ dulcedinis, & quid per jecur nisi fervor divini amoris accipitur? B *Spiritualis* enim quicumque quanto magis amorem in tribulatione ad proximorum compassionem foras effundit, tanto magis interna solatia, quæ gustare consueverat, subtracta deplorat; *Effusum est*, &c. Effusio jecoris est mortificatio carnis; ne ergo fictæ lacrimæ credantur, carnis afflictio lacrymis jungatur, & tunc jecur in terram funditur; *Super contritionem filiæ populi mei*, non dicit pro patre, vel matre: sed *filia populi mei*, ne affectus carnis, & non charitatis eum ad fletum exagitare credatur, &c. ut supra. Vel per filiam populi carnalis anima; per parvulum, sensus carnis: per C lactentem virtus mentis accipitur; sensus enim carnis levia semper appetit, nisi quantum eum mentis constantia per disciplinam restringit. Per oppidum corpus, quod anima habitat, intelligitur; per ejus plateas fluxus, intelligitur voluptas. Vel platea mentis est vagatio, per quam multi vulnerantur.

Cui comparabo te. Ecce secunda ratio lacrymarum Prophetæ, desolatio universitatis, vel multitudinis. Cujus desolationis vehementiam dupliciter manifestat, quia scilicet inæstimabilis: secundo, quia est irremediabilis, ibi: *Magna est enim velut*. Quod sit inæstimabilis, ostendit: quia nullus alius dolor isti comparabilis est, nec in acerbitate, nec in quantitate. Dicit ergo; *cui comparabo*

per

parabo te? secundum similitudinem, vel imaginem pœnæ, unde sequitur: *vel cui assimilabo te filia Hierusalem*? quasi dicat, nulli. Supra: O vos omnes, &c. (Cap. 1) *Filia Hierusalem*, plebs Judaica mollis, & effœminata: *cui exæquabo te*, in doloris quantitate? quasi dicat, tua mala sua magnitudine, omnia alia transcendunt. *Et consolabor te*, quasi dicat: Nulla alia civitas, supple, est destructa: quod si esset, posset esse consolatio aliqua; sed hoc inveniri non potest. Unde sequitur: *Magna, velut mare contritio tua*, quasi dicat: sicut mare super omnes aquas mole, & amaritudine præcellit, ita tuæ contritioni nulla calamitas adæquatur: *Quis medebitur tui*; quasi sicut non potest exhauriri tota aqua de mari; sic nec tua miseria relevari: vel sicut omnia flumina intrant mare, ita omnia malorum genera illata sunt Judææ. (Eccl. 1) Spiritualiter: Illi, qui post agnitam veritatem, retro abeunt, pejores sunt illis, qui numquam veritatem agnorunt: horum sicut omnibus erat gloria incomparabilis, cum starent: sic incomparabilis ex ignominia, cum ceciderunt: (Ps. 82) Deus meus pone illos ut rotam: Unde omnes apostatantes inveniuntur cæteris omnibus deteriores: ascendunt usque ad cœlum, & descendunt usque ab abyssum. *Magna, velut mare, contritio tua*, contritio spiritualis remurmuratio cordis ad nullam stabilitatem virtutis reducibilis: (Isa. 57) Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest: Quis medebitur incantatori a serpente percusso quasi dicat nullus. (Eccl. 12) Exponitur etiam in bonum: quia dolor contritionis debet amaritudine imaginativæ omnem alium dolorem excedere.

Prophetæ tui. Ecce tertia pars capituli: ubi subdit prædictæ desolationis rationem, falsorum prophetarum deceptionem:. primo ponens hanc causam, deinde explicans ulterius consequentem miseriam in versu sequenti. *Plauserunt super te*. Prophetæ autem decipiebant tripliciter populum: primo falsas visiones mentiendo: secundo decipiebant adulando, *nec aperiebant iniquitatem*, item

A tertio fallaciter promovendo, pro quibus dicit: *viderunt autem tibi*, &c. Dicit ergo, *Prophetæ tui*, componendo, *viderunt tibi falsa*, prædicendo, quæ secundum veritatem non erant ventura, nec excusabilis es per ignorantiam, unde sequitur: *Et stulta*: sicut est illud, quod prædicunt de futuro Messia: Prophetæ ejus vacui viri infideles. (Sophon. 3) Quia ergo falsa viderunt, decepta es: quia stulta, excusare non potes. Similes sunt homines, qui promittunt peccatoribus impunitatem, vel qui pueris terras tradunt: prædicantes eorum ædificationem. Pro adulatione sequitur: *Nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent*. Isaias: (Isa. 3)

B Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam ingressuum tuorum dissipant. (Ezech. 22) Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento. Pro tertio sequitur, *viderunt autem tibi assumptiones falsas*, dicentes, quod Dominus Judæos ad protectionem suam assumet. *Et ejectiones* Chaldæorum a Domino Judææ: (Hier. 28) sicut Ananias Pseudopropheta: Adhuc duo anni dierum, & ego referri faciam ad locum istum omnia vasa, quæ tulit Nabuchodonosor de loco isto.

Allegorice: Istud ad prædicatores falsos referri potest: qui ad litteram implent, quæ hic dicuntur: vident solam mundanam vanitatem commendantes: viderunt stulta, statum sæ-

C cularem religioni præferentes: (Prov. 16) Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. *Viderunt tibi assumptiones falsas*. Moraliter: Assumi est per justitiam Ecclesiæ incorporari; eiici vero est a culpa separari: quia igitur prædicatores pseudo condemnant innocentes, qui non sunt condemnandi, quasi per ejectionem, & commendant adulando illos, qui sunt arguendi: quasi per assumptionem: recte dicitur: *Viderunt tibi assumptiones*, &c. (Ezech. 13) De falsis Prophetis dicitur: Violabant me ad populum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur: & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo creden-

denti mendaciis. Aliter, omnes pseudoprædicatores scripturis abutendo ad suos errores confirmandos, vel abutuntur eis, nimia verborum affirmativorum ampliatione sub eis falsa affirmando: sicut qui præceptum de honorandis parentibus extendit ad prohibendum religionis ingressum: vel nimia verborum negativorum reflectione: sicut patet, quando dicitur in præcepto hoc. Non mœchaberis, nec prohiberi simplicem fornicationem. Vel dicitur: *Viderunt tibi assumptiones*, quia semper falsa veris immiscent: majorem veram proponentes, & minorem falsam assumentes. Amplius *ejectiones*, falsas viderunt veritatem textus scripturæ sacræ pro libito corrumpentes, & excludentes quidquid suis dogmatibus adversatur.

Plauserunt super te. Ecce posita miseriæ causa subdit latius explicationem miseriæ, id est pœnæ culpam consequentis. Pœnam manifestat triplici comparatione: primo per compassionem extraneorum transeuntium: secundo per improbitatem adversariorum insultantium, ibi: *Aperuerunt super te os suum*, tertio per comparationem ad divinum judicium, vel ad ultionem divinarum comminationum, ibi: *Fecit Dominus quæ*, &c. Pro primo dicit; *Plauserunt super te*, Synagogam, vel Ecclesiam: non lætantis, sed compatientis affectu: ut dicit Glossa. Non enim in hoc insultatio, sed sola manuum intelligitur collisio; quæ aliquando gaudium, aliquando admonitionem, aliquando compassionem indicat. Aliter, si de plausu miseriæ intelligitur, de inimicis intelligitur. *Omnes transeuntes per viam*, ex quo magis videtur compatiendo dici, quam minando: *omnes transeuntes*, qui fuerunt extranei, quia per hoc quod transierunt, aliunde venisse, & alio tendere demonstrantur. Aliunde venerunt sanguine diversi; alio tendunt intentione, & tamen tanta erit desolatio, quæ alienos ad compassionem inclinaret illam afflictionem videntes, *sibilaverunt*, præ admiratione. Sibilus enim diversas indicat affectiones, aliquando contemptum, aliquando fastidium,

A aliquando desperationem, aliquando blandimenta insinuat. *Et moverunt capita sua*, præ stupore: sicut prædixit: Ponam eos in stuporem, & in sibilum. Commotio capitis aliquando indignationem, aliquando insultationem aliquando dolorem, aliquando desperationem exprimit. Ergo in plausu compassio, in sibilo admiratio, in motione capitis desperatio intelligitur. Vel in plausu manuum, ablatio potentiæ, in sibilo ablatio doctrinæ, in motione capitis ablatio omnis honoris, & gloriæ designatur: *Super filiam Hierusalem*, id est, plebem Judaicam. *Dicentes*: *Hæccine est urbs perfecti decoris*, quæ olim scilicet esse solebat, *gaudium* B *universæ terræ*, Judææ. Quod propter templum dicebatur; ad quod ter in anno ascendebant, scilicet in Pascha, & in Pentecoste, & Scenophegia. Hier. 11

Moraliter. Per viam transeunt, qui in præsenti vita ad patriam quotidiano profectu tendunt. Ii super multitudinis miseriam manus plaudunt, quia exemplis operum suorum eos ad bona opera accendunt: Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Per sibilum, qui scribi non potest, inexplicabilis consolatio, vel compassio intelligitur, &c. Et supra exposita sunt. Isa. 55

Aperuerunt super te; Ecce secundo C declaratio pœnæ per improbitatem adversariorum: quorum improbitas manifestatur primo ex linguis, deinde ex verbis. *Et dixerunt devorabimus*, signa quidam sunt cachinnus, sibilus, & deinde fremitus: cachinnus intelligitur: *Cum aperuerunt super te os suum omnes inimici tui*. *Aperuerunt* ergo, supple, ad animandum: *sibilaverunt*, provocando. *Et fremuerunt dentibus*, detinendo. *Et dixerunt*: Ecce indignatio ostensa in verbis: primo crudelitatis, deinde impiæ jucunditatis, ibi: *En ista est dies quam expectabamus*. Dixit ergo: *Et dixerunt*, *devorabimus eam*, id est, pœnis ad libitum destruemus: *en ista est dies, quam expectabamus*, desiderando, *invenimus*, quærendo, *vidimus*, exultando.

Spi-

Spiritualiter, inimici Ecclesiæ, hæretici super Ecclesiam ora aperiunt, quando vel simplices invadunt, vel occupant, vel lætantur, cum defectus vident Ecclesiasticarum personarum: in sibilo blanda, & callida intelligitur persuasio, qua simplices decipiunt: fremunt dentibus: quia ex magna aviditate procedunt. Vel, dicas: Inimici aperiunt os per machinationem: sibilant per suggestionem: fremunt dentibus, pertrahendo ad subversionem, & æternam damnationem.

Nota, quod hic mutatur ordo Alphabeti: quia secundum Hieronymum & Rabanum hic ponitur PHE ante AIN, cum econtrario sit in alphabeto præcedenti. Unde illi versui, Aperuerunt, &c. præponitur littera PHE. Illi sequenti. Fecit Dominus, &c. præponitur littera AIN. Nihilominus, & illi versui: Aperuerunt super te os suum, &c. convenit optime littera PHE, quæ interpretatur oris, quid enim melius præponitur apertioni ore? Illi autem versui: Fecit Dominus, & cætera recte præponitur littera AIN, quæ interpretatur fons, quia correctio, vel dispositio Dei fons est, & causa totius ordinis. Vel AIN, interpretatur oculus, quod congruit proposito: quia nihil aliud est cogitatio Dei, nisi vita, & providentia oculi sui.

Fecit Dominus. Hic tertio manifestat calamitatem per comparationem ad divinam comminationem, sive consummationem divinorum judiciorum. Et habet duas partes: quia primo tangit divinum judicium: Secundo, divini judicii effectum. *Destruxit*, &c. Ejus judicium ostenditur per comparationem ad ejus dispositionem occultam primo: deinde per comparationem ad ejus comminationem in scriptura expressam. *Complevit*: Dicit ergo *Fecit Dominus*, quasi si quæris: unde tanta calamitas? certe justo Dei judicio: quia noluisti facere quod præcepit, *fecit Dominus, quæ cogitavit*, id est sapienter disposuit contra Hierusalem, & Judæam. Non ergo hostibus est hoc tribuendum, sed ad divinum referendum judicium. *Complevit sermonem suum*, sceleribus populi provocatus, *quem præceperat*, per Prophetas nuntiari, *a diebus antiquis*. Vel sermo præceptorum in comminationibus completur: præmissis enim præceptis subjunguntur benedictiones, quibus ad ipsorum observantiam attrahuntur: & deinde maledictiones, & comminationes, qui transgressoribus imprecantur, sicut patet in Deuteronom. Sic ergo complevit sermonem, quem præceperat, faciendo quod transgressoribus comminatus fuerat. Sed pro effectu, sequitur: *Destruxit*, civitatem cum pertinentibus. *Et non pepercit*, in ultima captivitate, quando totum illum populum temporaliter dissipavit. *Destruxit*, auferendo delectationem: *non pepercit*, puniendo per tribulationem præteritam libidinem, *Destruxit*, quidem, quia destrui permisit, unde sequitur; *Et lætificavit super te inimicum*. Chaldæum, & Romanum, vel vicinas gentes, quæ libenter ei hostes fuerunt. *Et exaltavit cornu*, id est, potestatem & gloriam, *hostium tuorum*, Deut. 28

Clamavit cor eorum. Hæc est quarta pars capituli, in qua post descriptam, vel prædictam desolationem, ad desolationis remedium informat, scilicet ad gemitum, & compunctionem. Primo autem tangit deprecationis hujus opportunitatem, propter elationem inimicorum: deinde hortatur se exercere ad compunctionem, & gemitum, ibi: *Deducet*, &c. Dicit ergo pro primo: *Clamavit cor eorum*, id est, inimicorum; *ad Dominum*, id est, contra Dominum. Sicut simile dicitur: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est. Clamavit ergo cor eorum contemnendo Deum, *super muros filiæ Sion*, id est propter murorum destructionem, ex hoc scilicet gloriantes. Ex hoc ergo erat opportunitas deprecandi Dominum, quamvis non agentibus meritis Judæorum, sed demeritis adversariorum, sicut dixit Ezechias: Inclina Domine aurem tuam, & audi; aperi Domine oculos tuos, & vide; & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blas- Gen. 18 Isa. 37

blaſphemandum Deum viventem. *Deduc*: Ecce hortatur ad gemitum & compunctionem. Et hortatur ad tria: primo ad deploranda peccata propria: deinde ad laudandum divina judicia, ibi: *conſurge lauda*, tertio ad implorandum divina præſidia, ibi: *effunde ſicut aquam*. In prima parte hortatur ad lacrymandi vehementiam: ſecundo ad lacrymarum indefeſſam ferventiam: *non des requiem tibi*, tertio ad lacrymandi perſeverantiam, *neque jaceat*. Dicit ergo: *Deduc*, o filia Sion, quaſi ſpontaneæ ſint lacrymæ, non extortæ. Vel, *deduc*, id eſt, deorſum duc ad mundationem conſcientiæ per compunctionem, unde in Pſalmo: Lavabo per ſingulas noctes lectum, &c. Ut Pſ. 6 non aſcendant per indevotionem lacrymæ, *lacrymas*, id eſt, abundanter, & ferventer, atque impetuoſe: ſic enim currit torrens: & quanto currit impetuoſius, tanto citius exſiccatur: quia quanto gemitus eſt fortior, tanto citius venia impetratur. Unde Hugo de S. Victore: Recte compunctionis fervor torrenti comparatur; quia quanto major vis doloris in compunctione fuerit: tanto citius divina conſolatione ſuperveniente pertranſit. Torrens etiam, quia eſt aqua fluens, ſignificat, quod lacrimæ ſunt tantum præſentis temporis: Abſterget Deus omnem lacrymam. Apoc. 21 *Per diem & noctem*, id eſt continue, vel *per diem*, propter peccantes in proſperitate: *Et noctem*, propter peccantes ex adverſitate. Vel per diem, & noctem diverſi ſtatus intelliguntur compunctionis: primo enim afficit mentem vehemens tædium deteſtationis peccati: deinde gaudium immiſſum remiſſionis. S. Bernardus: O bone JESU, ſi tam dulce eſt flere de te: quam dulce eſt gaudere de te? Per noctem lacrymas deducit, qui mœroris tædium lacrymando aggravat: per diem lacrymas deducit, qui poſt devotionem lætam animam in mœrore ſervat. Hoc idcirco dicitur: quia ſunt nonnulli, qui poſt lacrymas per inanem lætitiam ſe diſſolvunt, & quia cor ſuum in mœrore perſeveranter tenere negligunt, quidquid compunctionis tempore ad eos pertinuiſſe poterat, perdunt. Idcirco valde neceſſarium eſt, ut poſt quam compunctionis gratia mentem a ſorde erexerit: ſollicite caveatur, ne poſtmodum hæc bonitas per immoderatam lætitiam diſſolvatur, ac ne umquam eam præſtiti mœroris cuſtodia derelinquat. Sequitur: *Non des requiem tibi*, in fletu paulatim tepeſcendo: requiem, inquit, mœroris enervativam, vel interruptivam. Vel in hoc corporis afflictio innuitur. Sed pro tertio ſequitur: *Et non taceat*, id eſt, numquam ceſſet lacrymari, *pupilla oculi tui*, lacrimæ enim continuæ loquuntur in auribus Dei, unde in Pſalmo: Auribus percipe lacrymas meas. Pſal. 38 Quaſi etſi taceat lingua, non taceat pupilla, ex qua eſt impetrandi efficacia. Et hoc ad litteram intelligitur de magna effuſione lacrymarum in pupilla, ut dum id quod tenerum eſt, affligitur, citius ad miſericordiam pietas judicis inflectatur. Vel pupilla intima devotio mentis intelligitur. Vel allegorice: pupilla Eccleſiæ viri ſancti, & ſpirituales intelliguntur. Sed contra, videtur præcipere impoſſibile: nullus enim poteſt continue pupillam aſtringere. Reſpondeo, illud intelligitur, ſicut illud Apoſtoli. Sine intermiſſione orate: & illud Domini: Oportet 1 Theſ. 5 ſemper orare, & non deficere. Hoc Luc. 18 enim eſt, ſemper & ſine intermiſſione nulla hora orationem debitam prætermittere: & hoc ſimiliter eſt continue plorare. Aliter reſponderi poteſt: quia ſuper illud: *Non des requiem*, &c. Gloſſa modum lacrymandi temperat; quia ſcilicet dicit non tam lachrymas impero, quam continuam devotionem impono.

Conſurge, &c. Hic ſecundo hortatur ad veneranda divina judicia, *conſurge* corde, & opere, *conſurge*, ſimul cum aliis ſurge, *lauda*, divina judicia, *in nocte*, id eſt in adverſitate, non ſolum ſicut ille, de quo in Pſalm. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei: ſed ſicut dicitur: Ubi eſt Pſal. 48 Deus, qui fecit me; qui dedit car- Job 35 mina in nocte; *in principio vigiliarum*. Quatuor erant vigiliæ: prima dicitur

tur conticinium: secunda, intempestum, tertia, galli cantus: quarta antelucanum; quarum quælibet habet tres horas: in prima solebant vigilare pueri: in secunda adolescentes: in tertia juvenes: in quarta senes. In principio igitur harum vigiliarum consurgere est in lacrymis per noctem ire. Moraliter, in principio vigilare est a pueritia virtutis studio inhærere, *Prov. 8* Qui mane vigilaverit ad me, inveniet me. Vel spiritualiter: prima vigilia est contemptus mundi. *Cant. 5* Ego dormio ab implicationibus, scilicet, &c. Secunda *Eccl. 31* maceratio corporis proprii. Vigilia honestatis tabefaciet carnes. Tertia, exercitium virtutum. *Eccl. 38* Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilias armabit in profectionem. Quarta, desiderium benedictionum divinarum. *Eccl. 32* Qui vigilat ad eum, inveniet benedictionem illius. *Prov. 8* Beatus vir, qui audit me, & qui vigilat, &c. Vel prima vigilia malum agnoscere: secunda, agnitum derelinquere: tertia, ad bonum se extendere; quarta bonum continuare. Pro iis quatuor dicit quater: *Dan. 6* Revertere, &c. Vel juxta litteram, in principio vigiliarum surgere, est in omnimodis vigiliis priorem esse: unde in Psalmo: *Psal. 76* Anticipaverunt vigilias oculi mei. Sequitur, *effunde*, hortatur ad impetranda divina præsidia. *Effunde*, inquit, *sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini*, aquam cor effundere, est ex intimo lacrymas producere. Effunde sicut aquam: non sicut oleum, quod effusum relinquit pinguedinem; non sicut mel, quod effusum relinquit dulcedinem; item non sicut vinum, quod relinquit odorem: non sicut lac, quod relinquit colorem, sed sicut aquam. Vel effunde sicut aquam, quæ fluit ad inferiorem locum, & per totum. Vel certe illud ad superiora referri potest: cor enim quasi aqua effunditur, quoniam omnis ab eo sensus proprius diminuitur: quando oratio divinis judiciis configuratur, & substernitur: *Psalm. 56* Paratum cor meum Deus, *leva ad eum manus tuas*, ad litteram ex affectus vehementia, ut ostendas te auxilio indigere, & non in tuis viribus, sed in Dei protectione confidere. *1 Tim. 2* Levantes puras manus. Vel *consurge*, per contritionem, *effunde*, per confessionem, *leva*, per sanctificationem. *Pro anima parvulorum tuorum*, hoc dicit, quia ipsi puniti sunt: & mortui propter peccata patrum, & parentum suorum: *qui defecerunt fame*. Antiqui libri habent, *in fame*, libri novi habent; *qui fame pereunt*, spiritualiter peccatorum, qui parvuli pereunt, *in capite omnium compitorum*, compitum est confluentium plurium viarum, dictum quasi a componendo. Ibi ergo erant mortui, ubi transeuntes plurimi, eorum visui obiicerentur, per quod spiritualiter intelligitur latitudo sæcularium voluptatum. Vel moriuntur parvuli in capite, quia multi sunt enerves, qui statim cadunt oriente tentatione.

Vide Domine, & considera. Hæc est quarta pars capituli: in qua, postquam supra peccatores excitavit, ut eos ad pœnitentiam inflecteret: hic Propheta causam pœnitentium suscipiens, sermonem convertit ad Dominum, ut ipsum pro peccatoribus exoret. Primo ergo implorat cœlestem pietatem; secundo allegat urgentissimam utilitatem. *Ergo ne comedent*, &c. Dicit ergo: *vide Domine*, oculo misericordiæ. *Et considera*, populum multiplici subiectum miseriæ: *quem vindemiaveris ita*, populum tibi olim dilectum, quasi vineam; *vindemiaveris*, fructum omnem abstuleris, vel auferri permiseris, *ita*, tam horribiliter, ut quasi vinea denudata botris propriis. Unde sequitur. *Ergo ne*, ubi, ut dictum est, allegat multiplicem necessitatem; quam primo ostendit per infelicitatem domesticorum: secundo per proprietatem adversariorum versus finem. *Vocasti*, Infelicitatem autem domesticorum tangit primo quantum ad vivos, deinde quantum ad mortuos: *si occiditur*, Dicit: *Ergo ne comedent mulieres fructum suum*, id est, uteri sui? Quas mulieres vocat, non matres: quia mater non est dicenda, quæ est immemor pietatis. Quis sit fructus, ostendit, subdens, *parvulos*, scilicet in quantitate: *ad mensuram palmæ*, id est, tenens, & vix unius palmæ mensuram habentes:

tes: palma hic dicitur pro expansione manus a capite pollicis usque ad summitatem medii digiti. *Si occiditur*: ecce miseria mortuorum, primo quantum ad circumstantiam loci: secundo, quantum ad modum moriendi. *Virgines meæ*: tertio, quantum ad magnitudinem universalis flagelli, *interjecisti*. Loca tangit duo, intimum, scilicet sanctuarium: & extremum. Dicit ergo; *si occiditur in sanctuario Domini sacerdos, & Propheta*, quasi, quamvis tantum peccaverint, sacerdotes numquid interfici meruerunt. Vel *si occiditur*, &c. Sicut de sathana legitur, numquid ideo mulieres comedent, &c. Sed pro loco exteriori sequitur: *Jacuerunt in terra foris*, interfectum fugere volentes: *puer & senex*, ambo infirmæ ætatis: primum nec sacro loco parcebatur: nec fugæ præsidium opitulabantur. Sequitur, *virgines meæ*, id est, infirmiores. *Et juvenes mei*, id est, fortiores ceciderunt, *in gladio*, ad litteram interfecti. Pro tertio subdit: *Interfecisti in die furoris tui*, illos, qui gladio ceciderunt vindictæ irrefragabilis: *percussisti*, jacentes, permisisti ve: *nec misertus es*. Libri novi habent: *nec misereberis*, exponatur interrogative.

Spiritualiter intelligendum, quod Deus terribiliter quoddam in Ecclesia vindemiat: cum illos, quos prius per prædicatores excoluit, postea steriles, & inanes derelinquit. Plantabis vineam, & non comedes fructus ejus. Mulieres, mali prælati luxu morum emolliti: qui fructum suum comedunt, qui de labore ministerii, si quem faciunt, in præsenti vita remunerationem accipiunt. Econtra dicitur bonis doctoribus. Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Vel fructum comedunt, id est, consumunt parvulos ad mensuram palmæ; quia infirmos fide, quos baptismate, vel aliter generant, exemplo ad terrena desideria inclinant: comedunt, quia rebus subditos spoliant, quos pascere debuerant. *Si occiditur*, &c. Per sanctuarium cultus Dei intelligitur: Propheta & sacerdos oc- A ciduntur in sanctuario, quando vel doctor, qui per Prophetam intelligitur, verba scripturæ ad pravitatem intorquet: vel quando sacerdos indigne sacra mysteria dispensat. *Jacuerunt in terra foris puer, & senex*. Sicut enim populus, sic & sacerdos. In terra jacuerunt: quia in terrenis desideriis quieverunt. Non solum sederunt, ut supra dictum est, sed jacuerunt, dormientes, & seipsos nescientes. A minimo usque ad majorem omnes avaritiæ student. *In terra foris*, locus exilii intelligitur. *Virgines meæ*, animæ contemplativæ, sed fatuæ, vel fideles: quia fidei integritatem servant, & juvenes mei in gladio ceciderunt, id est, persuasionibus B Hæreticorum subversi sunt: quia Apostolus: Corrumpunt bonos mores colloquia prava. Juvenes sunt qui in præliis fortes sunt, qui in adversitate diabolo non cedunt, & tamen gladio linguæ iniquæ plures subvertuntur. *Interfecisti*, interfecit eos, qui per infidelitatem corruunt: percutit eos, qui in lapsu pereuntium per compassionem carnalitatis: vulnerati sunt: non miseretur, dum nec lapsos erigit, nec dolorem stantium consolatur.

Vocasti quasi ad diem, &c. A parte Judæorum hæc tria surgit, terrorem, dejectionem labiorum, consumptionem. Dicit ergo, *Vocasti*, quasi eorum fuit velle; sed tuum fuit concedere, & per consequens tuum est C liberare. *Vocasti*, Chaldæos & Romanos, *quasi ad diem solemnem*, in quo prosperitas eorum designatur, *qui terrerent me de circuitu*, undique impetu videlicet obsidentes. Vel *quasi ad diem solemnem*, dicit, quia Judæi in tribus anni solemnitatibus concurrere soliti erant. Vel dic, *quasi ad diem solemnem*, quia Romani ceperunt Hierusalem in die Paschæ. Pro secundo sequitur: *Et non fuit qui effugeret*, ad litteram, qui non esset captus, aut mortuus. *In die furoris Domini*, hoc est ultimæ captivitatis. *Et relinqueretur*, in Hierusalem. Hoc etiam quodam modo impletum est in obsidione Chaldæorum, quando nullus fuit relictus, qui non esset captivus, vel servus.

Deut. 28. Luc. 15 Jer. 6 1 Cor. 15

vus. Pro tertio subdit, *quos edu-cavi*, per disciplinam. *Et nutrivi*, quantum ad naturam: *inimicus meus consumpsit eos*, id est, totaliter delevit illos.

Moraliter: de hora mortis, quando solent dæmones ad morientem in circuitu lætanter convenire. Vel certe in die judicii peccator undique mala habebit accusantia, & ex nulla parte defendentia.

CAPUT TERTIUM.

ALEPH.

EGO vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.
ALEPH. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem.
ALEPH. Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die.
BETH. Vetustam fecit pellem meam, & carnem meam, contrivit ossa mea.
BETH. Ædificavit in gyro meo, & circumdedit me felle & labore.
BETH. In tenebrosis collocavit me: quasi mortuos sempiternos.
GHIMEL. Circum ædificavit adversum me, ut non ingrediar: aggravavit compedem meum.
GHIMEL. Sed & cum clamavero, & rogavero, exclusit rationem meam.
GHIMEL. Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas meas subvertit.
DALETH. Ursus insidians factus est mihi: leo in absconditis.
DALETH. Semitas meas subvertit, & confregit me, posuit me desolatam.
DALETH. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.
HE. Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.
HE. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.
HE. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.
VAV. Et fregit ad numerum dentes meos, cibavit me cinere.
VAV. Et repulsa est anima mea, oblitus sum bonorum.
VAV. Et dixi Periit finis meus, & spes mea a Domino.
ZAIN. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthii & fellis.
ZAIN. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.
ZAIN. Hoc recolens in corde meo, ideo sperabo.
HETH. Misericordiæ Domini, quia non sumus cousumpti: quia non defecerunt miserationes ejus.
HETH. Novi diluculo, multa est fides tua.
HETH. Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum.
TETH. Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.
TETH. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei.
TETH. Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua.
IOD. Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit se super se.
IOD. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.
IOD. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.
CAPH. Quia non repellet in sempiternum Dominus.
CAPH. Quia si abiecit, & miserebitur secundum multitudinem misericordiarum suarum.
CAPH. Non enim humiliavit ex corde suo, & abiecit filios hominum.
LAMED. Ut contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ.
LAMED. Ut declinaret judicium viri in conspectu vultus Altissimi.
LAMED. Ut perverteret hominem in judicio suo, Dominus ignoravit.
MEM. Quis est iste: qui dixit ut fieret, Domino non jubente?
MEM. Ex ore Altissimi non egredientur, nec mala, nec bona?
MEM. Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis suis?
NVN. Scrutemur vias nostras, & quæramus, & revertamur ad Dominum.
NVN. Levemus corda nostra, cum manibus ad Dominum in cœlos.

NUN. *Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es.*
SAMECH. *Operuisti in furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti.*
SAMECH. *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.*
SAMECH. *Eradicationem & abjectionem posuisti me in medio populorum.*
PHE. *Aperuerunt super nos os suum omnes inimici.*
PHE. *Formido, & laqueus facta est nobis vaticinatio, & contritio.*
PHE *Divisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*
AIN. *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies.*
AIN. *Donec respiceret & videret Dominus de cœlis.*
AIN. *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.*
SADI. *Venatione ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis.*
SADI. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.*
SADI. *Inundaverunt aquæ super caput meum, dixi: Perii.*
COPH. *Invocavi nomen tuum Domine de lacu novissimo.*
COPH. *Vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam a singultu meo, & clamoribus.*
COPH. *Appropinquasti in die quando invocavi te, dixisti: Ne timeas.*
RES. *Judicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ.*
RES. *Vidisti Domine iniquitatem illorum adversum me: judica judicium meum,*
RES. *Vidisti omnem furorem, universas cogitationes eorum adversum me,*
SIN. *Audisti opprobrium eorum Domine, omnes cogitationes eorum adversum me.*
SIN. *Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum adversum me tota die.*
SIN. *Sessionem eorum, & resurrectionem eorum vide, ego sum psalmus eorum.*
THAV. *Reddes eis vices Domine, juxta opera manuum suarum.*
THAV. *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.*
THAV. *Persequeris in furore tuo, & conteres eos sub cœlis Domine:*

EXPOSITIO IN CAP. III.

POSTQUAM in duobus præcedentibus Alphabetis lamentatus est desolationem synagogæ in communi: hic lamentatur desolationem quarumdam personarum privilegiatarum in speciali. Et quia privilegiatæ dicuntur personæ, dupliciter: vel pro vitæ meritis, vel pro statu honoris, primo ponit lamentationem primi generis personarum: secundo aliarum in sequenti alphabeto, ibi. *Quomodo obscuratum est aurum?* In prima introducitur prophetica lamentatio in persona talium: sed verius Christi, & membrorum suorum, quorum hic manifeste miseria describitur: & impossibile est hic litteralem intellectum reperire sine extensione. Hoc autem alphabetum habet duas partes: quia primo lamentatur simul capitis, & corporis tribulationem: secundo: invocat electos ad compassionem, ibi: *Recordare paupertatis*: tertio incidenter pertractat synagogæ reprobationem occasione Dominicæ passionis, ibi:

A *Operuisti in furore, & percussisti*. In prima parte primo in summo tangit gratiam Dominicæ exinanitionis: secundo seriem describit Dominicæ passionis, ibi: *Circumædificavit*. In prima parte notificavit filii Dei exinanitionem per comparationem ad patris severitatem: secundo subdit hujus exinanitionis compendiosam demonstrationem in sequenti versu: *Vetustam fecit pellem*. Exinanitio CHRISTI patet ex assumptione status egestatis: quod intelligitur in primo membro: secundo intelligitur ex assumptione anxietatis, vel adversitatis: quod intelligitur, in secundo membro, ibi: *Me minavit*: tertio ex singulari, & uniformi continuatione totius suæ peregrinationis, ibi: *tantum in me*. In primo intelligitur delectabilium carentia: in secundo tristabilium præsentia, in tertio utriusque perseverantia. Amplius trimetrum describitur hoc alphabetum, & litteris triplicatis: quia hoc alphabetum refertur ad tertiam Ecclesiæ tribulationem, quæ est prosperitatis,

B

divi-

divitiarum, deliciarum, & honorum. Amplius hic expresse deploratur passio Salvatoris, cujus una consistens est persona in tribus substantiis. *Ego vir*. Quod quamvis dici possit in persona prophetæ, vel electorum synagogæ: melius tamen a sensu Judaico receditur, & allegorice pro sensu historico adhæretur. Et quia in iis tribus clausulis summatim comprehenditur universitas agendorum, & credendorum: ideo istis tribus membris ALEPH præponitur triplicatum. Continere enim se in omnib. quæ in mundo sunt, bonis: & sustinere, quæ in mundo sunt, mala, est virtutis universitas, ut dicit Aug. & hoc in duobus primis membris. Amplius autem qualiter per Christum solum, & ejus angustias liberatum sit genus humanum, amplectitur summa credendorum: & hoc continetur tertio membro. Dicit ergo: *Ego*, Christus purissima, & trium persona substantiarum, *vir*, a virtute. Mulier circumdabit virum. Gradiens in multitudine virtutis suæ: *videns paupertatem meam*, id est, veraciter cognoscens. Cum econtra dicatur de multis: Dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & nudus & cæcus. Nota quod CHRISTUS habuit paupertatem, & hoc tripliciter: mortalitatis, vel assumptæ infirmitatis: Simul in unum dives, & pauper: egestatis, mundum ingrediens: Pannis eum involuit, & reclinavit in præsepio: Progrediens: Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet. Circumspectis omnib. cum jam vel vespera esset hora, exiit in Bethaniam. Egrediens: Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea, sicut, &c. Familiaritatis, unde in Psal. Singulariter sum ego, donec transeam. Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & Salvator, ipse pauper, & ascendens super asinum, *in virga indignationis ejus*. Indignatio Dei voluntas puniendi: virga autem ipsa pœna, quam tulit Christus ut salvaretur genus humanum. Propter scelus populi mei, percussi eum: vulneratus est propter iniquitates nostras.

Hier. 31 — Isa. 63 — Apoc. 3 — Luc. 2 — Matth. 8 — Marc. 11 — Psal. 30 — Psal. 140 — Zach. 9 — Isa. 53

Vel moraliter exponi potest de quocumque justo, qui per tribulationem divinitus immissam recognoscit infirmitatem, & virtutis suæ parvitatem. Infirmitas gravis sobriam facit animam. Sequitur ALEPH. *Me minavit, & adduxit me*. Minare, hoc est ducere, *in tenebras*, adversitatis, & abjectionis. Quasi absconditus est vultus ejus, & despectus: unde nec reputavimus eum: *minavit*, quia in humilitate mundum pertransiit: *& adduxit in tenebras*, quia tribulationum tolerantiam in cruce consummavit, *& non in lucem*, prosperitatis, vel affluentiæ temporalis. Venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Glossa, ibi: Voluit Dominus habere quod perderet pauper: venit, ne haberet diabolus, quod auferret: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt: quia ad nullum peccatum eum inclinare potuerunt.

Item pro tertio sequitur ALEPH. *tantum in me*, id est, Christum pro mea redemptione, *vertit & convertit manum suam*, flagellando pro humani generis redemptione: ideo dicit, *tantum in me*: quia nulla ei comparata est creatura in redimendo. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum, *vertit*, inquit, *& convertit*, vertit flagellando: convertit, aliis in hoc parcendo, & subveniendo, *tota die*, peregrinationis Christi in terris: sicut ibi accipitur dies. Me oportet operari opera ejus, qui misit me: donec dies est. Illud etiam de Christo ratione membrorum, exponi potest: in quos tantum vertit manum castigando, & convertit miserando: in quosdam malos reprobos vertit manum flagellando, sed non convertit, in morte potius aggravando, Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras. Omnes qui pie volunt vivere in CHRISTO JESU, persecutionem patientur, &c.

Eccl. 31 — Isa. 53 — Joan. 14 — Joan. 1 — Isa. 63 — Joan. 9 — Amos 3 — 2 Tim. 3

Vetustam. Postquam notificavit summarie Christi exinanitionem, hic subdit compendiosam quamdam ejus explicationem. Et primo manifestat suæ passionis necessitatem: quod pertinet ad tertium versum præmissum. *Tantum in me*, &c. secundo notificat pas-

passionis suæ multiplicem acerbitatem. *Ædificavit in gyro*: tertio ejus consummationem, *In tenebrosis*. Necessitas autem Dominicæ passionis, ex hoc fuit: quia omnes alii declinaverunt, simul inutiles facti sunt: sicut ostendit in triplici differentia hominum: quantum ad statum laicorum, qui per pellem, quæ exterius est, intelligitur, quantum ad statum clericorum, qui interius sunt, & per carnem designantur: & quantum ad statum Apostolorum, & prædicatorum, qui per ossa figurantur. Dicit ergo BETH, *Vetustam*, quasi non miremini, sed tantum in me vertit, & cætera: quia *vetustam fecit*, id est, fieri permisit, *pellem meam*, id est, pellem meam vetustam, & magis peccatorum deformem: quæ vetustas deponenda est. Exuentes veterem hominem cum actibus suis. Detracta pelle hostiæ, artus in frusta convertent. Cutis mea aruit, & contracta est. Gregorius: In sanctæ Ecclesiæ corpore, qui solis exterioribus curis inserviunt, cutis congrue nominantur. Solent etiam per pellem nobiliora membra Ecclesiæ designari, sicut Martyres, qui significantur per pelles arietum rubricatas, quibus operiebatur tabernaculum, ut patet in Exodo. Facies operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis. Item confessores significantur per pelles hyacinthinas: de quibus eodem capitulo. Et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus: Qui quia pœna extenuantur, dicitur: Nigra sum, sed formosa, &c. sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis. Item sanctæ mulieres Domino exteriora necessaria ministrantes. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum. Ubi os Christus, & carnes discipuli, pelles, sanctæ mulieres exteriora necessaria ministrantes. Cum enim ad horam crucis ventum est, fugerunt discipuli, mulieres adhæserunt: sicut exponit Gregorius. *Et carnem meam*, hic per carnem clerici intelliguntur. Induta est caro mea putredine, & sordibus pulveris putredine carnalitatis, & pulvere vanitatis. Hæc etiam pars versus, *vetustam*, &c. ad litteram exponi possit de Christo: qui pro laboris vehementia longe videbatur senior quam erat; unde: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? *contrivit*, id est, conteri permisit, *ossa mea*, id est, membra Ecclesiæ electa, scilicet Apostolos, qui omnes tempore passionis, relicto eo, fugerunt: nimirum dicitur: Spiritus tristis exsiccat ossa: ipsi autem fuerunt multum tristati. Isti ergo sibi pro redemptione non sufficiunt, quia omnes declinaverunt usque ad unum, id est, Christum. Sequitur pro passionis acerbitate, & multiplicitate. BETH, *Ædificavit in gyro meo*, id est, ædificari permisit, Judæos continue observantes: tandem cum lacrymis comprehendentes: Circumdederunt me sicut apes. Filii matris meæ, &c. Quod etiam Ecclesiæ convenit, quæ in gyro circumdatur, dum a tyrannis, hæreticis & hypocritis impugnatur, *& circumdedit me felle*, id est, materia tristitiæ in multitudine malorum displicentium, *& labore*, corporali (ad litteram) vexatione. Quod etiam convenit Ecclesiæ, & ita de Christo intelligitur. Pro morte vero sequitur BETH. *In tenebrosis*, id est, in sepulchro, *collocavit me*, *quasi mortuos sempiternos*, id est, quasi numquam essem surrecturus a morte. Deputatus es, cum descendentibus in infernum. Psalmus: Collocavit me in obscuris, sicut mortuos sæculi. Iis tribus sententiis præponitur Beth, quæ interpretatur confusio, vel domus: quoniam Synagoga, quæ domus erat Dei, tripliciter Christo injurata est: & viventem deserendo quod intelligitur in primo: & morti eum tradendo, quod in secundo: & contra resurrectionem conando, quod in tertio designatur.

GHIMEL. *Circumædificavit*. Post Dominicæ passionis compendiosam prælibationem, hic subdit ejusdem passionis expletionem: primo quantum ad præcedentia, crucifixionem: secundo quantum ad crucis passionem, *semitas meas subvertit*: tertio quantum ad discipulorum desperationem. *Et fregit ad numerum*. Antecedentia passionem tria tangit, scilicet Judæorum

Psalm. 13
Col. 3
Levit. 1
Job. 7
S. Greg. lib. 8 moral. c. 11
Exod. 26
Cant. 1
Job. 19
Job. 7
Joan. 8
Matt.
Prov.
Psalm.
Psal. 117
Cant. 1
Psal.
Psal.
Synagoga tripliciter in Christum injuria.

rum machinationem, Christi agonizantis orationem, Christi comprehensionem, & vincula. Sic resolutorie, tangit ultimum primo, secundum secundo, primum ultimo versu. Dicit ergo pro primo GHIMEL. *Circumædificavit adversum me*, intellige, permissive, circumædificavit, inquam, quantum ad falsos testes circumdantes, *ut non egrediar*, de manibus Pilati illæsus. Multi enim surrexerunt falsi testes, quorum non erant convenientia testimonia: ut dicitur. Vel ad sepulchri custodiam hoc posset referri: quia fecerunt sepulchrum custodiri, *aggravavit compedem meum*, compedes proprie sunt vincula pedum hic accipitur pro vinculis, quibuscum ligatus est JESUS a comprehensoribus. Ministri Judæorum comprehenderunt JESUM, & ligaverunt eum, unde in Psalmo: Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum, &c. Sed Pilatus vincula aggravavit, quia vinctum flagellavit. Tunc apprehendit Pilatus JESUM, & flagellavit, &c.

Mar. 14

Joan. 18

Psalm. 104

Joan. 19

Mistice, sunt compedes quadruplices: primi fugiendi, scilicet peccati impedimenta: Dominus enim solvit compeditos. Vinxit compedibus, ut duceret in Babylonem. Sustinendæ pœnæ, unde in Psalmo: Ut audiret gemitus compeditorum, & solveret filios interemptorum. Suscipiendi, præceptorum, & consiliorum obliviones. Psalmus: Ad alligandos reges eorum in compedibus. Desiderandi, dona gratiæ restringentis a malo. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Pro secundo sequitur GHIMEL, *sed & cum clamavero*, in horto, &c. *Et rogavero*: Mi pater si possibile est transeat a me calix iste: *exclusit orationem meam*, id est, non exaudivit: in hoc docens, quod non debemus admirari, si non exaudimur in omnibus, quæ a Domino postulamus: quia vel rem petimus irrationabilem, vel quia non bene petamus. Pro tertio, scilicet Judæorum machinatione, sequitur, GHIMEL, *conclusit*. Quam machinationem triplicem ostendit: observaverunt enim primo Judæi vitam Christi: observaverunt doctrinam Christi: tertio machinati sunt ad mortem Christi. Primum significat, dicens: *conclusit vias*: secundo, *semitas meas*, tertio *Ursus insidians*. Dicit ergo: *Conclusit vias meas*, id est, opera mea, *lapidibus quadris* scribis scil. & Pharisæis: qui lapides erant, propter quamdam vitæ austeritatem: & quadri propter quamdam superstitionis dolaturam. Vel lapides, per cordis malignitatem, quadri per adjunctam potestatem. Vel quadri propter interrogationum calliditatem: cum cornutis sophismatibus, quæ ex omni parte videbantur concludere, Christum capere nixi sunt in sermone. Mittunt ei discipulos suos, scilicet Pharisæi, dicentes: Magister scimus, quia verax es, &c. *semitas meas*, id est, doctrinam consiliorum meorum, *subevertit*, id est, subverti permisit sicut in illis, qui abierunt retrorsum. Amplius cum persuaderet contemptum mundi, subjungitur: Audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum. Vel si de corpore intelligitur, lapides, sunt peccata homines impedientia: ponderant enim, deorsum trahentia. Iniquitas sedet super talentum plumbi. Quadratura significat immobilitatem peccati. Lazarus enim quatriduanus erat: *semitas subvertit*, id est, consilia per Hæreticos verba Evangelii extorquentes. Iis tribus præponitur littera, GHIMEL, quod interpretatur plenitudo: quod in iis tribus consistit legis perfectio, in sufferendo hominum malignitates, Dei dispositiones, & ex iis duobus consequentes tribulationes: *Ursus*. Hic describitur Judæorum inclinatio in mortem Christi. Dicit ergo DALETH, *Ursus insidians*, intellige semper permissive, *factus est mihi: Leo in absconditis*, in Urso atrocitas, in Leone animositas, intelligitur Judæorum: unde in Psalmo: Salva me de ore Leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam. Alibi: Aperuerunt super me os suum, sicut Leo rapiens, & rugiens. Hoc factum est, cum dixerunt: Reus est mortis: crucifige, crucifige eum. *Semitas*, hic describit ipsam cruci-

Psalm. 146
Hier. 140
Psalm. 101
Psalm. 149
Eccl. 1
Matth. 26

Scribæ, & Pharisæi lapides quadri.
Matth. 22
Joan. 6
Luc. 16
Zach. 5
Joan. 11
Psal. 2
Psal. 21
Matth. 26
Luc. 23

cifixionem ordine resolutorio: primo ut vitæ interemptoriam: secundo, ut afflictivam: *Et confregit me*. Dicit ergo DALETH, *semitas meas*, id est, peregrinationis meæ rectos & arctos, ut semitas, *subvertit*, non merita evacuando, sed tempus meriti morte præscindendo. Vel illud refertur ad corpus. Amplius, eamdem ut afflictivam describit primo, quantum ad corporis læsionem, *& confregit*: secundo, quantum ad cordis desolationem, *posuit me desolatam*, tertio, quantum ad corporis totius ingnominiosam suspensionem, *Tetendit arcum*: quarto, quantum ad omnimodam afflictionem, *Misit in renibus*; quinto, quantum ad ignominiosam visionem. *Factum sum in derisum*: sexto, quantum ad omnium sensuum turbationem, & præcipue aceti potationem: *Replevit me*. Dicit ergo: *& confregit me*, per vulnera corporis mei, unde in Psalmo: Psalm. 21 Foderunt manus meas, & pedes meos: *posuit me desolatam*, cum dixit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26 Cum supra dixerit in principio versus: *Ego vir videns paupertatem meam*, in sexu masculino, nullo alio interposito subdit fœmininum, ut ostendat hoc accidisse Christo secundum infirmiorem sui naturam, quam ut sponsam sibi Dei filius copulavit. Vel certe istud intelligendum est ad essentiam pertinere, secundum regulam Ciceronis, qua a capite transitur ad corpus: jam patebit. Sed pro ipsa corporis Dominici suspensione, subdit DALETH. *Tetendit arcum suum*, id est, complevit judicium suum: ubi passio humanitatis, quasi rigorem, vel justitiæ, vel ultionis justæ inflexit, & severitatem divinitatis: *& posuit me, quasi signum*, ad litteram, stipiti affixum, *ad sagittam*, quod & patuit quando unus militum lancea latus ejus aperuit. Joan. 19 Huic triplici clausulæ præponitur littera DALETH, quæ interpretatur Tabulæ, vel tabularum: Pauper, vel advena Christus voluit insidiis deprehendi, ut doceret simplicitatem: voluit vulnerari, ut doceret asperitatem: voluit ludibrio suspensus exponi, ut doceret humilitatem. Primum contra curiositatem: secundum

A contra carnalitatem: tertium contra elationem: & in iis tribus tabularum, & legis consummatio, & in iis paupertatis perfectio, in iis etiam regni cœlestis janua, & ingressus. HE. *Misit in renibus*; Ecce generalis Christi afflictio: in renibus Christi Incarnatio ejus intelligitur. Et atramentarium scriptoris ad renes ejus. Ezech. 9 Et: A lumbis ejus usque ad deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, &c. Cap. 1 Ibi, *arcus*, secundum Gregorium, Dominica Incarnatio intelligitur: *pharetra*, omnis amaritudinis contentiva, synagoga intelligitur: cujus sagitta, seu filiæ, fuerunt sputa, colaphi, convicia, plagæ, & consimilia. Sagitta vulnerans linguæ eorum. Hier. 9 B Pro ignominia irrisionis, sequitur, *Et factus sum in derisum omni populo*. Factus sum in derisum quotidie. Hier. 20 In quo omnis irrisio, & illusio intelligitur, qua Judæi Christo illudebant. Et nota quod irriserunt Christum triplici ratione. In miraculis, quasi ignorantem. Matth. 9 Non est mortua, puella, sed dormit: & deridebant eum. Luc. 8 Deridebant eum scientes quia mortua est. In consiliis, quasi imprudentem. Audiebant hoc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum. Luc. 16 In passione in cubile crucis, quasi impotentem. Et deridebant illum principes cum eis dicentes: Luc. 23 Alios salvos fecit, se salvum faciat. C *Canticum eorum*, id est lætitia, & gaudium, *tota die*, crucifixionis. Job. 30 Nunc in eorum Canticum versus sum: & factus sum eis in proverbium. Pro omnium sensuum afflictione subditur HE, *Replevit me amaritudinibus*, in visu occurrebant inimici insultantes: in auditu blasphemiæ, & irritationes: in tactu amaritudo vulnerum, in olfactu fœtor loci interfectorum. Et ne quid deesset, *inebriavit me absynthio*, id est, inebriari seu potari permisit absynthio. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Matth. 27 Dederunt in escam meam fel, &c. Psal. 68 Iis tribus clausulis præponitur littera HE, quæ interpretatur, Vita, aut vivere, vel esse: quia ista tria, scilicet injuriæ Chisto illatæ, igno-

ignominiæ, & angustiæ, sunt nobis causa vitæ, & veri esse compositio.

Moraliter ab illo loco: *Ursus insidians*, &c. vox est cujuslibet justi, considerantis mala. Ubi quædam inferuntur per ejus fraudulentiam, & significatur per Ursi insidias: quædam per violentiam, & intelliguntur per Leonem. Amplius, per ursum, qui debilis est in capite, fortis in brachiis, fortior in lumbis, significatur diabolus, qui in principio debilis, in fine invincibilis: Fortitudo ejus in lumbis ejus. De Leone dicitur, quod parvulum, & humiliatum non lædit: propter quod David vere humilis Leonem, & Ursum interemit. Pascebat servus tuus gregem patris: & veniebat Leo, vel Ursus, & tollebat arietem de medio gregis, &c. Vel in Urso voracitas, in Leone superbia: quæ multos implicant, *semitas subvertit*; quia per Ursum, & Leonem, clericorum vitam dissipari permittit, *confregit*; quia virtutem mentis enervari permisit. Posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. Dicit piger: Leo est in via, & Leæna in itineribus: sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. *Posuit me desolatam*: sine solatio prælatorum, supra: Non est qui consoletur eam. *Tetendit arcum suum* id est, severitatem judicii, *posuit me quasi signum*, &c. Quia omnis creatura in judicio clamabit contra impios.

Job 40

1 Reg. 17

Isa. 51

Prov. 26

Cap. 1

Et fregit ad numerum. Hic tertio subdit discipulorum dispersionem factam in passione: secundo latronis conversionem, *cibavit me cinere*: tertio Judæorum ingratitudinem, *& repulsa est*; quarto ipsorum reprobationem, *& dixit periit*. VAV. *Et fregit*, id est, confringi permisit, *ad numerum*, id est unum post alium, *dentes meos*, id est, Apostolos: quibus quasi dentibus peccatores erant in corpus Ecclesiæ convertendi. Dentes tui, quasi grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Hi confracti sunt, quando Dominum reliquerunt ad propria revertentes: ubi tantum fuit Joannes ultimus in deserendo: Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, &c. Et cito rediit. Stabant autem juxta crucem JESU mater, &c. Sed pro conversione latronis sequitur, *cibavit me cinere*, id est, unico latrone converso in cruce. Cum enim peccatum sit quasi ignis devorans, cujus residuum est cinis: quid aliud peccator vitam in peccato agens, & in fine pœnitens, nisi cinis ab igne effugiens? Hic est corvus, qui in torrente pavit Eliam, id est Christum, sicut legitur. Vel in cinere amaritudo passionis, quæ tamen Christo secundum charitatem fuit delectabilis: in quantum ad redemptionem humani generis ordinata.

Luc. 23

Cant. 4

Marc. 14

Ibid.

Joan. 19

3 Reg. 17

Moraliter, dentes candidi, robusti, carnem non habentes, corio carentes, sunt religiosi nihil intra se patientes: acerbissime decernentes, clausi labiis, id est, invisibiles, nisi in risu: toti corpori masticantes, nullum sapientiæ inde semen.

VAV. *Et repulsa est a pace anima mea*, id est, Judæi, quos sicut animam diligebam: quia longe a peccatoribus salus, *oblitus sum bonorum*, quæ eis facere consueveram: Supra. Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem, & sabbathum. Vel oblitus est bonorum, quantum ad reputationem hominum, VAV, *Et dixi, periit finis meus*, non simpliciter: sed quantum ad illos, qui dixerunt: Alios salvos fecit seipsum non potest salvum facere. Vel periit finis meus, quantum ad Judæorum reprobationem: finis, qui videbatur principaliter intentus, quantum affectus appetebat, de conversione Judæorum. Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. *Et spes mea*, quam conceperam, in ipsis, *a Domino*. Salutare tuum expectabo Domine. Sicut justitia Dei dicitur, vel quia ipse justus est: vel cujus causa est. Vel verba sunt Judææ in bonis multitudinis reprobationem iis verbis deplorantis. Huic triplici versiculo præponitur littera VAV triplex, quæ interpretatur. Non est ille, quia nec est Christus, nec aliquid Chri-

Ps. 118

Cap. 2

Luc. 23

Matth. 15

Gen. 49

Christi, qui deserit Christum. Et quia Apostoli tunc corruerunt, Judæi crucifixerunt: propter quod merito reprobati sunt: & recte, VAV, iis tribus versibus præmittitur.

Recordare. Hæc est secunda pars capituli, in qua post descriptam Christi passionem invitat electos ad compassionem. Et in hac parte dialogice procedit, sicut in Canticis canticorum, varias personas introducendo, sibi colloquentes sine interceptione vocis Prophetæ. Hoc enim genus poematis dialogicum appellatur: sicut prosopologicum, quando solus poeta loquitur, sicut ibi: Mulierem fortem: tertium vero quando sic, & sic, sicut in Job. Primo
Prov. 31
ergo introducitur vox Christi ad compassionem invitantis, secundo vox Ecclesiæ ei respondentis, ibi; *Memoria memor*; tertio vox ejusdem membra sua alloquentis, & de pœnitentia admonentis, ibi; *Misericordiæ Domini*. Dicit ergo pro primo, ZAIN. *Recordare*, modo tu quicunque redemptus es sanguine *paupertatis meæ*, quantum ad contemptum omnium temporalium bonorum; quia Christus pauperrimus fuit in ingressu, in progressu in egressu de mundo. *Et transgressionis*, quantum ad sufferentiam omnium malorum, ubi transgressio accipitur causaliter pro pœna tamen transgressionis, quam Christus sustinuit, sicut dicitur maledictum, quasi malo pœnæ pro nobis addictus, sive maledicto, Paulus ad Galat. Christus nos redemit
Galat. 4
de maledicto legis factus pro nobis maledictum. Sic etiam Christus dicitur peccatum. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum
2 Cor. 5
fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Vel aliter: transgressio ejus infima humiliatio ad despectissima tormenta: quia una stilla sanguinis sui nos potuisset liberare. Erant
Luc. 9
Moyses, & Elias, visi in majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Hierusalem. *Et absynthii*, quo nihil amarius in terræ nascentibus: & fellis, quo nihil amarius in animantibus. Hoc potest referri ad id, quod dicitur: Dederunt ei bebere vinum cum felle mixtum.
Matt. 26
Marc. 15
Similiter: Dabant ei bibere myrrhatum vinum. Paupertas contra avaritiam, transgressio contra superbiam, absynthium contra luxuriam. Vel potest notari in transgressione unio personæ: in absynthio afflictio carnis teneræ, in felle tristitia mentis de hominum ingratitudine.

ZAIN. *Memoria*; Ecce responsio Ecclesiæ, vel viri sancti, *memoria memor ero*, id est assidue memor ero: *Et tabescet*, præ confusione, *anima mea*; unde in Psalmo: Tabescere me fecit zelus meus. Proprie tabe- *Psal. 118*
scit, qui nimio languore ad maciem venit: tabescere ergo est vera sui cognitione sibi vilescere. Vel istud potest referri ad vitam animalem, quæ per animam solet significari. Qui voluerit animam suam salvam *Matt. 16*
facere, perdet eam: Tabescit ergo anima ex Dominicæ passionis memoria: quando sensualitas affligitur labore, & abstinentia. Istud autem nullo modo referri potest ad synagogam. Unde hoc primum verbum, *recordare*, & cætera, est verbum synagogæ Dei misericordiam implorantis: secundum vero etiam ejusdem synagogæ verbum ad beneficia Dei rememoranda sese convertentis. Istud quam sit absonum, ultro patet. *Hæc recolens*, (non potest ibi esse hoc singulariter secundum ordinem alphabeti: quia in Hebræo ibi ponitur ZAIN) tormenta scilicet Christi, *in corde meo*,) *in Deo sperabo*, corruptio: non est, ibi: *in Deo*, sed *ideo*, contra hoc, quod paulo ante dixit: Periit finis meus, & spes mea. Proprio filio non pepercit, sed pro *Rom. 8*
nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? Huic triplici clausulæ præmittitur ZAIN triplicata, quæ interpretatur *Duc te*, quia in iis cogitationibus reducitur Christianus homo.

HETH. *Misericordiæ Domini* Hic tertio subditur vox Ecclesiæ excitantis membra sua, & ad pœnitentiam exhortantis. Propter quod introducitur primo divinæ pietatis commendatio: secundo ex hoc excluditur desperatio, ibi: *Quia non repellet in*

sem-

sempiternum: tertio pœnitentiæ suavis admonitio, ibi: *Scrutemur vias nostras*. Et quia justus in principio accusator est sui: primo introducitur in persona Ecclesiæ sui accusatio, & divinorum judiciorum veneratio: secundo divinæ pietatis expectatio, ibi: *pars mea Dominus*: tertio docet modum in expectando, ibi: *bonus est Dominus sperantibus*. In prima parte ponitur vox Ecclesiæ superna judicia venerantis, & sibi & suis membris timentis? deinde Dei responsio Ecclesiam commendantis: *novi diluculo*. Dicit ergo, *Misericordiæ Domini*, opus est, sed non meriti mei. Glossa. Antiqui habent: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti*, merito peccatorum in nullis reliquiis reservati, vel in nihilum redacti. Et si quæras, quare non sumus consumpti? ecce ostendit, dicens. *Quia non defecerunt miserationes ejus*: quia semper paratus est gratiam exhibere. Misericordia ejus subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ. Sed subditur responsio Dei, hanc fidem Ecclesiæ novellæ approbantis, & dicentis. *Novi diluculo*. Hæc littera in antiquis habetur, & exponunt, *novi*, id est cognovi: cum non sit hic verbum, sed nomen: unde in Hebræis est, *novelli*, quia juxta ordinem alphabeti stare non potest, ut sit *novi*, pro cognovi. Quod exponens Rabanus dicit: Et loquitur Propheta ad primitivam in Hierusalem Ecclesiam, quæ post diluculum rememorationis Christi veterem hominem exuens, novi hominis pulchritudinem ortu suo declaravit. Hæc Rabanus. *Multa est fides tua*, id est, multum devota: qua judiciorum æquitatem, & pietatem Dei recognoscis, *pars mea*; Ecce primo divinonorum judiciorum veneratio exigit ad pietatis expectationem. Dicit ergo: *pars mea Dominus*, omnibus aliis circumscriptis: & est verbum Ecclesiasticorum, qui in receptione Ordinum dicunt: Dominus pars hæreditatis meæ, *propterea*; quia illi soli adhæreo: *expectabo eum*: consolatorem. Psalmus. Expectabo eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, &c. Huic triplici sententiæ præmittitur littera HETH. quæ interpretatur vita vel pavor: quia in hoc consistit vitæ spiritualis initium, in recognoscendo propriam miseriam, & Dei misericordiam: sic promerendo gratiam ulterius ad gratiam aspicere.

Prov. 18 · Ps. 22 · Ex Hiero. in hunc locum · Psal. 15 · Psal. 54

Sequitur. *Bonus enim Dominus*. TETH. Hic docet modum hujus expectationis: quia non debet Dominus expectari cum ignavia, sed cum diligentia inquisitionis: secundo cum tranquilitate cordis, pro qua dicit: *bonum est præstolari*: tertio cum profunditate humiliattis; *ponet in pulvere*, quarto cum perfectione patientiæ, & mansuetudinis, ibi: *Dabit percutienti*, Pro primo dicit: *bonus est Dominus sperantibus in eum*, unde in Psalmo: Quam bonus Israel, Deus. Bonus, inquam consolando, & protegendo. Psalmus: Bonitatem fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum. Sed quia cassa est expectatio, cui non adjungitur quærendi sollicitudo, sequitur: *animæ quærenti illum*. Quæritur per pœnitentiam. Si quæritis, quærite: convertimini, & vivite. Et similiter: Quærite Dominum, dum inveniri potest. Item per contemplationis diligentiam. In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea *bonum est*. Ecce secundum, ubi docet quærere Dominum tranquillitate cordis. Ubi primo commendat ipsam tranquillitatem: secundo docet obtinere tranquillitatis facilitatem, ibi: *Bonum est viro, cum portaverit*. Dicit ergo Teth, *bonum est præstolari cum silentio*, id est tranquillitate animi ubi silentium præcipue exigitur: Factum est silentium in cœlo, quasi media hora. Bernardus: Brevis mora, felix hora. Ergo cum silentio, id est sine tumultu cogitationum, *salutare Domini*, id est Dominum salutem promittentem. Vel salutare Domini Christus est. Salutare expectabo Domini. Istud autem, ut dicit Rabanus, nemo perfecte agere valet, nisi qui se a mundi concupiscentiis, & sæculi negotiis sequestrat: ideo subdit TETH: *Bonum est viro*, in virtute excitatio, *cum portaverit jugum*, disciplinæ, Evan-

Psalm. 72 · Psal. 118 · Isa. 22 · Isa. 55 · Cant. 3 · Apoc. 8 · Gen. 49

Matth. 11 Evangelizante Matthæo; Tollite jugum meum super vos, & discite, &c. *ab adolescentia sua*. Adolescens juxta viam suam gradiens, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Qua si tali facile est cum silentio Dominum expectare. Huic triplici sententiæ præponitur littera TETH, & interpretatur bonum; quia æterna quærere, ut docet primus versus; fugere mundi inquietudinem; ut docet secundus, & tertius; in iis se longanimiter exercere, est totum bonum hominis in hac vita.

Sequitur JOD; *sedebit solitarius*, In solitudine eremi. Vel hic solitarius idem est, quod græce monachus; in sessione igitur amor adjectionis: in solitario fuga implicationis, *& tacebit*, & tumultu cogitationis; In silentio, & spe erit fortitudo vestra; *quia levavit se*, id est supra desideria sua, & studia, solis rebus æternis, inhærendo, non carnalia meditando. Levavit ergo se supra se, non in essendo, sed in agendo. JOD. *Ponet*, Ecce tertium huic expectationi necessarium, scilicet profunditas humilitatis; unde dicit: *ponit in pulvere os suum*. Unde Rabanus, Ille in pulvere os suum ponit, qui humiliter sentiens, fragilem se cognoscit; vel terram ad litteram, osculando; Loquar ad Dominum meum, cum sim cinis, & pulvis? *si forte sit spes*, vitæ æternæ obtinendæ; vel si forte obtineant, quod sperant, unde in Psalmo; Speraverunt; & liberasti eos,

JOD. *Dabit percutienti*. Ecce quartum huic expectationi necessarium, scilicet perfectio patientiæ, & mansuetudinis. *Dabit*, qui hujusmodi est Domini expectator. & miseriæ suæ cognitor; *percutienti se maxillam*, per patientiæ perfectionem, paratus talia sustinere pro Christo, juxta illud; Si quis percusserit te in dexteram maxillam, præbe illi & alteram; hoc Christus exemplum dedit, quia ante crucifixionem suam multas alapas, & colaphos sustinuit; *saturabitur opprobriis*, id est delectabitur, quasi in saturitate in multis opprobriis sustinendis, unde in Psalmo: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Huic sententiæ præmittitur littera JOD, quæ interpretatur principium, vel desolatio, quia hæc triplex desolatio, taciturnitatis, contra loquacitatem, & humilitatis contra gloriam inanem, & patientiæ, & adversitatis contra carnalitatem, est principium divinæ cognitionis.

Margin notes (left column): Thren. 3 [printed "Po. 22"?]; Isa. 30; Gen. 18; Ps. 21; Matt. 5; Ps. 68

CAPH. *Quia non repellet*, Postquam ad spei elevationem commendavit Christi pietatem: hic ex hoc inferens, excludit desperationem: primo dicens, iram Dei esse placabilem: secundo hoc probat per Dei insitam benignitatem, ibi: *Non enim humiliavit*: tertio arguit incredulorum murmurationem, ibi: *Quis est iste qui dixit*. Pro primo dixit, Caph. *Quia non repellet*, id ad superiora refertur: quasi ita dictum est, quia bonum est præstolari: *quia non repellet*, plebem suam, *in sempiternum Dominus*: Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. CAPH: *quia si abjecit*, propter peccata nostra nos repellendo, & tribulari permittendo, *& miserebitur*, sicut abjecit: *secundum multitudinem misericordiarum suarum*: Auferet Dominus omnem lacrymam ab omni facie, CAPH, *Non enim humiliavit*; Ecce secundum ubi manifestat Dei benignitatem, semper parati misericordiam exhibere. Quod ostendit in triplici humano infortunio: Quoniam nec ab ipso est solatii subtractio, quia paratus est omnes consolari: nec ab ipso flagelli multitudo, ut dicit, ibi: *ut contereret*, nec ab ipso est tertio justitiæ subversio: *ut declinaret*. Dicit ergo pro primo. *Non enim*, continuetur litteræ immediate præcedenti. Quasi dicat, miserebitur: non enim humiliavit, auferendo gloriam & honorem, servituti diabolicæ, vel humanæ subiiciendo, *ex corde suo*, id est, ex sua voluntate: sed nostris provocatus peccatis. Et cordis dolore tactus intrinsecus: delebo, inquit hominem, quem creavi, *& abjecit filios hominum*, eis patrocinium suum auferendo: immo contrarium ab ipso est. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Huic triplici clausulæ præponitur littera Caph, quod interpretatur manus, vel incurvatio, quasi di-

Margin notes (right column): Abac. 3; Isa. 25; Gen. 6; Prov. 8

dicta incurvatio, & abjectio Domini non est, nisi ex merito manuum, id est, operum suorum.

LAMED. *Ut contereret*. Ecce quod non est a Deo tribulatio exterminativa miserorum: Dicit ergo, *ut contereret*, &c. Lege sic: *Dominus ignoravit*, quod est in fine ultimi versus, id est ab ejus approbatione, vel voluntate, aut auctoritate non processit. Lamed, *ut contereret*, id est ex toto deleret: *sub pedibus suis*, penitus deiiciendo; sicut fit de illis, qui pedibus conteruntur. *Ut contereret* inquam, *omnes vinctos terræ*, id est ipsi terræ adhærentes: quasi ut mala malis usque ad exterminatio-
Isa 42 nem adderentur. Thalamum quassatum non conteret, & lumen fumigans non extinguet. Vel aliter, *terræ*, genitive: ut vincti terræ intelligantur peccatores,

LAMED, *ut declinaret judicium*. Repete, *Dominus ignoravit ut declinaret* a recto in obliquum genitivum, propter illos, qui sunt de genere suo: & dativum, qui muneribus corrumpuntur: & accusativum, propter illos, qui odio habentur: & vocativum, propter illos, quorum gratia, vel favor desideratur: & ablativum, propter illos, quorum bona de-
3 Reg. 21 siderantur: sicut Achab desideravit vineam Naboth. Ut ergo sic declinaret judicium, sicut multi faciunt hodie, *viri*, virtuosi, *in conspectu vultus altissimi*, hoc dicit, quia multi sunt coram hominibus justi, qui coram Deo sunt injusti, & digni flagellis.

Ut perverteret, id est, contra justitiam subverteret *hominem in judicio*
Isa. 11 *suo*. Judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Ipse enim pervertitur solum, vel aliquando cum perverso, & sanctus est cum sancto, sicut dicit Psal-
Ps. 17 mus. Huic triplici sententiæ præponitur littera Lamed, quod interpretatur disciplina; quia quidquid justorum venit, conscriptio, seu justitiæ subversio, disciplina est peccatorum, quia electi purgantur, reprobi condemnantur.

MEM. *Quis est iste*. Hic tertio arguit incredulorum murmurationem in flagellis. Et primo arguit providentiam Dei blasphemantes; secundo arguit murmurationem temerariam, *quod murmuravit*? Blasphemantes autem arguit primo in generali; secundo in speciali. *Ex ore altissimi*. Dicit ergo; *Quis est iste*, tam præsumptuosus, *qui dixit ut fieret*, aliquid in mundo isto; vel spiritualiter tribulatio? *Domino non jubente*, sicut ajunt ethnici; qui dicunt minime hæc inferiora divinæ providentiæ subjacere, sicut dicunt etiam Manichæi, mala non esse nisi a malo principio; cum econtra dicat Isaias; Isa. 54
Ego Dominus, & non est alter; formans lucem, & creans tenebras faciens pacem, & causans malum. Repete, quis est iste, qui dixit; MEM. *Ex ore altissimi*, id est ex providentia Dei; *non egredientur bona*, præcipiendo; *nec mala*, pœnæ providendo, & permittendo? quasi stulte dixit; & sic elegitur interrogative. Alio modo legi potest depressive; ut hæc murmuratio hic arguatur; non solum in primo versu per comparationem ad Dei providentiam; verum etiam in secundo per comparationem ad Christi patientiam; ut sic dicatur; *Ex ore Altissimi*. Christi, *non egredientur*, &c. quia accusantibus nihil respondit, Psalmista;
Ego autem tamquam surdus non audiebam: Sequitur Mem. *Quid murmuravit*, quasi ex quo sic jecit Altissimus, quid murmuravit, *homo vivens*, id est, quicumque homo, *pro peccatis?* scilicet excusando ea per constellationes, vel hujus planetas? Vel pro peccatis, id est pro pœna peccatorum suorum. Neque murmu- 1 Cor. 10
raveritis, sicut quidam ex eis murmuraverunt, & a serpentibus perierunt. Huic triplici sententiæ præmittitur littera triplex, Mem, quod interpretatur, *ex ipsis*, ut supra patet, quia omne flagellum hominis ex ipsis procedit meritis humanis.

NUN. *Scrutemur*. Postquam commendavit Dei miserationem, & exclusit desperationem; hic informat ad pœnitentiæ sollicitudinem. Primo ad pœnitentiam interiorem: deinde ad exteriorem, ibi; *cum manibus*. Ad interiorem pertinet conscientiæ sol-

sollicita discussio; & pœnitentialis conversio, unde dicit; *Et revertamur*. Soph. 1 Dicit ergo; Nun, *scrutemur vias nostras*, postquam ipse scrutatur. Scrutabor Hierusalem in lucernis; ut dicitur; *Et quæramus*, quid fuimus, quid fecimus; quia scrutinium ordinatur ad inquirendum. Pro secundo, Ps. 118 sequitur: *Et revertamur ad Dominum*, unde in Psalmo; Cogitavi vias meas, & converti pedes meos, &c. Vel quæramus quid fuimus, quantum ad naturæ miseriam; Unde quidam;

Sperma prius, modo saccus olens, post vermibus esca;
In tumulo, quaque dote superbit homo?

& revertamur ad Dominum, contra aversionem per amorem & obedientiam præceptorum, Nun, *levemus* Psal. 24 *corda* contra conversionem ad caduca, Job 7 unde in Psalmo; Ad te Domine levavi animam meam. Suspendium elegit anima mea. Sequitur; *cum manibus*, exterior pœnitentia convenit in operis satisfactione, pro qua dixit; *cum manibus*, id est operibus. Thren. 1 Supra; Expandit Sion manus suas. Item, in oris confessione, ideo sequitur. *Nun*, *Nos inique egimus*, peccata peccatis addendo, *& ad iracundiam*, id est, puniendi voluntatem; *provocavimus*. Spiritualiter hy- Job. 36 pocritæ iram Dei provocant. Simulatores, & callidi provocant iram Dei: *idcirco tu inexorabilis es*, id est difficilis ad exaudiendum, Vel hoc dicitur, quantum ad reprobos; hic enim a specie transit ad genus, ut cum electos informaverit, postea reproborum describat infortunium. Huic triplici clausulæ præponitur littera *Nun*, quæ interpretatur sempiternum; quia hæc tria semper debemus facere, scilicet conscientiam discutere, corda manusque levare, nos ipsos etiam accusare. Huic sententiæ triplici præponitur littera Nun quia ad litteram principium remedii, & salutis est conversio triplex pœnitentialis, quæ hic commendatur. Sequitur Samech. *Operuisti in furore*. Hic ad litteram ex præmissa consideratione divinæ misericordiæ, & justitiæ, infertur reprobatio Synagogæ. Primo describit istam reprobationem; secundo introducit Christi, vel Prophetæ compassionem, ibi: *divisiones aquarum*; tertio reprobationis rationem, ibi; *oculus meus deprædatus*. Ipsam reprobationem primo describit per comparationem ad Deum flagellantem; secundo per comparationem ad adversarium tribulantem, ibi: *Eradicationem*. In prima parte primo exaggerat flagellum: deinde ostendit remedium exclusum, ibi: *Opposuisti nubem*. Pro primo dicit, Samech: *Operuisti* me scilicet, calamitate, & miseria, quæ excæcaverunt me, ne Christum agnoscerem: *in furore*, id est severitate justitiæ, *& percussisti nos*, violentia obsidionis, *occidisti*, destructione civitatis, & in civitate stragis: *nec pepercisti*, in ultimo, sicut post aliquas Judææ reliquias in Judæa relinquendo. Hæc de Christo exponuntur: *percussisti*, majestatem abscondendo tempore passionis. Isa. 53 Absconditus est vultus ejus: *in furore tuo*, voluntate flagelli indeclinabile: *percussisti*, flagellando: *occidisti*, id est, occidi permisisti: *nec pepercisti*, pœnam in aliquo mitigando.

SAMECH. *opposuisti nubem*; sicut opponitur exceptio peremptoria injuste aliquid petenti: *nubem*, id est carnem Christi sub qua latuit verus Isa. 19 sol mundi: Ecce ascendit Dominus super nubem levem, &c. *Ne transeat oratio*, scilicet ad Deum. Isa. 59 Iniquitates vestræ diviserunt inter nos, & Deum: & peccata nostra absconderunt faciem ejus a nobis, ne exaudiret.

Samech. *eradicationem*. Hic describit reprobationem vel ejus effectum per comparationem ad adversarium tribulantem: tanges tam ipsorum calamitatem, quam adversariorum improbitatem. Secundo, ibi: *aperuerunt*: tertio utriusque tangit rationem, ibi: *formido* &c. Dicit ergo: *eradicationem*, de terra propria, & de terra viventium, *& abjectionem*, confusionis, & ignominiæ: *posuisti me*, Synagogam, *in medio populorum* omnium totius mundi. Vel de christo exponitur, qui eradicatus est de terra viventium, secundum opinionem multorum. Abscissus est de terra

ra

ra viventium: propter scelus populi mei percussi eum, &c. & *abjectione*, juxta illud: Ego autem vermis sum: Et non homo. Huic tripici clausulæ præponitur SAMECH triplicata, quæ interpretatur adjutorium: hic enim lamentatur synagoga esse sibi adjutorium subtractum. *Isa.* 53

Sequitur *Apparuerunt*. Hic subdit inimicorum improbitatem. *Aperuerunt*. Nota, quod hic mutatur ordo alphabeti: quia PHE præponitur AIN sicut in alphabeto præcedenti: quod quidem non advertentes alii, litteræ ordinem servantes, præposuerunt AIN, ubi debuerant ponere. PHE. Alii autem litteram transposuerunt, ut litterarum ordinem tenerent: credentes quod sic essent istæ litteræ præposteratæ, sicut Latini in præposteratis sententiis solent præponere sequenti præposteræ A. & præcedenti præposteræ B. *super nos suum*, insufflando, & quasi devorare volendo, *omnes inimici*, vicini, & remoti, propinqui, & extranei. Sequitur pro occasione, vel causa reprobationis, contemptus, scilicet remediorum salutis, *vaticinatio*, id est, spiritus divinus præstitus multis est causa perditionis: *facta est nobis formido*, id est causa formidinis: ut qui vix timemus Deum exhortantem, totius mundi timori subiiciamur, & *contritio*, qua Christum contrivimus: Attritus est propter scelera nostra, *facta est nobis quasi laqueus*, id est, causa captivitatis. *Psal.* 21

Divisiones. Hoc subdit Propheta ad Christi compassionem: primo quantum ad desolationis frequentiam: secundo ad desolationis vehementiam & perseverantiam: *oculus meus afflictus est*. Dicit ergo pro primo, *divisiones aquarum*, id est multiplicationem aquarum, *deduxit oculus meus in contritione*, id est afflictione; *filiæ populi mei*, id est illius civitatis celebris Hierusalem. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, &c. Istud etiam verum est de Christo, qui flevit super Lazarum: Super impiam civitatem: Flevit in cruce: Cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia: flevit corde, cum aperto latere, exivit aqua cum sanguine, unde in Psalmo: Qui divisit mare rubrum in divisiones: quod ad litteram, divisum est in duodecim vias, juxta duodecim Tribus filiorum Israel? Et hujus spiritualis maris duodecim fuerunt partitiones quatuor prædictæ aquæ: & octo sanguinis: qui primo fusus in circumcisione: secundo in agonizatione, & sanguineo sudore: tertio in flagellatione. Quinque etiam vicibus in quinque vulnerum irrogatione. *Isa.* 53 *Hier.* 9 *Joan.* 11 *Luc.* 19 *Heb.* 5 *Joan.* 19 *Psal.* 135 Christus mare, cujus partitiones duodecim. *Luc.* 2 *Luc.* 22 *Joan.* 19

Moraliter debent dividi lacrymæ nostræ per lacrymas contritionis, compassionis, & devotionis.

Huic triplici sententiæ præponitur littera PHE triplex, quæ interpretatur *oris*, vel *os aperiri*, alludens ipsius versus principio: ubi dicitur *Aperuerunt*, &c.

Oculus meus afflictus est. Ecce desolationis vehementia, unde dicit: *oculus meus afflictus est*, ad litteram, multa lacrymarum inundantia: vel oculus interior, scilicet mens. Sed pro perseverantia sequitur: *nec tacuit*, in vita ista: *Eo quod non esset requies*, ab oppressione diaboli. *Donec respiceret*, id est, oculum misericordiæ ad genus humanum converteret, & *videret*, id est claritate splendoris mundi tenebras illustraret: *Dominus de cœlis*: unde in Psalmo; A summo cœlo egressio ejus. Miserere mei Deus omnium; respice me, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Ubi etiam, ut dicit Rabanus, instantiam orationis, & perseverantiam nos habere docuit Propheta. *Oculus meus deprædatus est* Ecce hic principaliter prosequitur causam reprobationis Judæorum. Et tangit duplicem causam, amorem immoderatum rei commutabilis, & persecutionem usque ad mortem ipsius Salvatoris, unde sequitur, *venatione*, &c. Pro primo dicit; *Oculus meus*, in quo sensu principali in elliguntur omnes alii sensus, *deprædatus est animam*, id est, fecit diabolo prædam. Docete filias vestras lamentum, & unaquæque proximam, scilicet planctum, quia ascendit mors per fenestras meas, *in cunctis filiabus urbis meæ*. *Eccl.* 36 *Psal.* 18 *Hier.* 9

meæ. In quo etiam intelligitur omnis dilectio sensibilis, propter quod dixit Job; Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. In hoc dicit Rabanus verbum notabile; Ne, inquit, quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quod intueri illud non debet; quod non scilicet concupisci. Huic clausulæ præponitur triplex AIN, quod interpretatur oculis; expresse alludens ei, quod de oculo in singulis clausulis continetur. Aliter exponitur in bonum actum in voce Prophetæ secundum Glossam, ubi per oculum intelligitur simplicitas desiderii, & rationis; quæ animam deprædatur extrahendo a carne in Deum in cunctis filiabus, id est, cogitationibus vitæ æternæ. Vel filiæ urbis peccata sunt, secundum quorum singula detestanda mens in Deum assurgit.

Job 31

Venatione ceperunt. Hic describit secundam causam reprobationis Judæorum, scilicet injurias Redemptoris. Primo describens agonem passionis: secundo triumphum resurrectionis, ibi; *Invocavi nomen tuum Domine*; tertio exaggerat Judæorum iniquitatem, ibi; *Vidisti Domine iniquitatem*; quarto infert justam condemnationem, ibi *Reddes eis vicem Domine*. Circa primum tangit primo comprehensionem, deinde mortem, & sepulturam, *lapsa est*: tertio passionis universalem amaritudinem, ibi; *Inundaverunt aquæ*. Dicit ergo pro primo. *Venatione ceperunt me*. Judæi scilicet ponentes insidias, ut eum caperent in sermone, *quasi avem*: Vocans ab oriente avem. Christus comparatur avibus diversorum generum. Aquilæ, propter claritatem contemplationis; Sicut aquila provocans ad volandum. Gallinæ propter affectiones compassionis, Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat, &c. Vulturi, propter volatum incarnationis; Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis, Passeri, propter humilitatem conversationis, quoniam minima sunt volatilium, & quia carnes habent calidissimas; Offerat secundum se

Matth. 22 Isa. 46 Deut. 32 Matth. 23 Job. 28 Lev. 14

A duos passeres vivos, unde in Psalmo; Etenim passer invenit, &c. Pelicano propter spontaneam susceptionem passionis; Similis factus Pelicano solitudinis. Nycticoraci, propter fugam mundanæ vanitatis: Nycticoraci in domicilio. Herodio, propter rapinam factam a diabolo, unde in Psalmo: Herodii domus dux est eorum, vel propter potentiam rapinæ spiritualis in expugnatione diabolicæ pravitatis; *gratis*, sine culpa mea, vel sine obtentu alicujus utilitatis, *inimici mei*, Judæi. Sed pro comprehensione sequitur. *Lapsa est in lacum*. Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua: *vita mea*, id est, anima mea; quod factum est statim, separata anima a corpore. Pro sepultura vero subjungit, *& posuerunt super me lapidem*. Advolutum ad ostium monumenti, ut dicitur.

Ps. 83 Ps. 101 Ps. 103 Zach. 9

B

Moraliter lacus est locus miseriæ culpæ: Salvasti me a descendentibus in lacum miseriæ: unde in Psalmo. Eduxisti me de lacu miseriæ, id est, Lymbi sinus Abrahæ. Tu autem in sanguine testamenti. Sed pro universali passionis amaritudine, sequitur, *Inundaverunt aquæ*, id est tribulationes: unde in Psalmo Omnes fluctus tuos induxisti super me. Aquæ multæ, &c. Pelagus operuit caput meum; *caput meum*, id est, me ipsum, qui sunt caput hominum, *& dixi*, in cruce, *perii*, Consummatum est. Veni in altitudinem maris & tempestas, &c. Periit ergo Christus, quantum ad viam mortalitatis. Justus perit, & non est qui recogitet, *& dixi periit*, ad corpus pertinet, scilicet ad dispersionem discipulorum. Huic triplici clausulæ præponitur triplex SADE, quod interpretatur Justitia vel consolatio, quia Christus comprehensus, fixus mortuus & sepultus, est justificatio, & consolatio nostra.

Matt. 9 Ps. 29 Ps. 39 Luk. 9 Ps. 41 Cant. 8 Jon. 2 Joan. 19 Ps. 68 Isa. 57

C

COPH. *Invocavi nomen tuum*. Post descriptum agonem passionis: hic subdit de trophæo resurrectionis. Primo describit animæ Christi separatæ officium, & desiderium: secundo gratulatur suum fuisse desiderium exauditum, ibi: *Vocem meam*. Dicit

er-

ergo; *Invocavi nomen tuum Domine* vox filii ad patrem, *de lacu novissimo*, id est, lymbo inferiori. Raban. Invocavit Redemptor nomen Domini de lacu novissimo, cum in virtute divinitatis descendebat ad inferos, & destructis claustris tartari, suos, quos ibi reperit educens, victor ad superbos ascendit. Quod ideo dicit, quia orationis effectum ibi secundum partem post mortem obtinuit. Vel forte oravit, sicut etiam adhuc secundum humanitatem orat pro nobis, & interpellat, ut dicit Apost. Salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum semper vivens, ad interpellandum pro nobis. Pater, gratias tibi ago, quoniam audisti me, ego autem sciebam, quoniam semper me audis. Ad litteram exponitur de ipso Hieremia, quia fuit missus in lacum, sicut patet. Hic gratulatur se fuisse exauditum primo pro se, secundo pro aliis petit exaudiri, *ne avertas:* tertio gratulatio ex auditione universali, ibi: *judicasti*. Dicit igitur, *vocem meam audisti*, vocem, id est, desiderium, resuscitando me tertia die: *ne avertas aurem tuam a singultu meo, & clamoribus*, singultus vehementiam significat doloris alte intercedentis pro aliis. Cum clamore valido & lacrymis offerens, &c. Hæc est expositio versus præcedentis: *appropinquavi*. Raban. Appropinquavit divinitas Salvatoris humanitati ipsius, quoniam eam subita resurrectione juxta dominium suum de morte triumphare fecit, quæ appropinquatio intelligenda est per effectum tantum, *dixisti ne timeas*, hoc dixit per effectum, præbendo ei immortalitatem. Noli timere, serve mi Jacob, & rectissime, quem elegi. Huic triplici clausulæ præponitur triplex Coph, & interpretatur conclusio, vel vocatio, aut respice: hic agitur de Christi conclusione, vocatione, & super lignum contuitu.

Heb. 7
Joan. 11
Hier. 37 c. & 38
Heb. 5
Isa. 44

Judicasti Domine. Hic gratulatur Dominus de exauditione universali, unde dicit: *judicasti Domine*, pater, *causam animæ meæ*. Quoniam fecisti judicium, & causam meam. Tres veniunt in causam, homo, Deus,

Psal. 9

A diabolus. Diabolus Deo injuriam fecisse probatur; quia servum ejus fraudulenter eduxit: & homo similiter, quia Dei præcepta contempsit: diabolus homini fecit injuriam, quia eum decepit: venit Deus factus homo patronus, diabolum in causam compulit: sed prius Deus cum homine placatus fuit: & quod placaret Deum, ex misericordia homini concessit: deinde ad justitiam processit, hominem liberando a diaboli servitute, & diabolum adjudicando pœnæ æternæ. Pro hoc dicit: *Judicasti causam animæ meæ*, quæ immerito separata est a carne in die passionis. Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. *Redemptor*, *vel defensor vitæ meæ*, Christus enim redemptus a mortalitate vitæ, & pœnæ, non a reatu culpæ. Vel *judicasti*, Judæos reprobando, & me eripiendo. Vel hoc potest dici in persona humani generis per Christi sanguinem liberati: *vidisti*. Hic exaggerat Judæorum iniquitatem contra Christum. Primo, quantum ad malignitatem cordis: deinde quantum ad injuriam sermonis, *labia insurgentium*, tertio quantum ad facinus condemnationis, ibi: *sessionem eorum*; quarto infert ex hoc sententiam reprobationis, in ultima littera, ibi: *Reddes eis vicem Domine*. In prima parte tangit eorum perversitatem in generali, deinde in speciali, ibi: *vidisti omnem furorem*. Dicit ergo, *vidisti Domine*, vox patris ad filium, *iniquitatem illorum*, Judæorum, *adversum me*, *judica judicium meum*, de injusta exceptione Judæorum, quod dictum est permittendo, non operando. Tu autem Domine Sabaoth, qui judicas juste, & probas renes, & corda: videam ultionem ex eis: Sequitur in speciali, *vidisti omnem furorem*, quantum ad malignitatem voluntatis: *universas cogitationes*, quantum ad malitiam cogitationis; *adversum me*, ut caperet insidiando: Illi autem observabant eum. Huic triplici sententiæ præmittitur littera Res, triplicata, quæ interpretatur caput, vel primatus: quia hic ostenditur, qualiter Christo capiti datus sit prima-

1 Joan. 5
Hier. 11
Luc. 14

Matt. ult. tus per totum judicium. Data est A mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.

Audisti, &c. Ecce de injuria sermonis. Primo quantum ad injuriam contumeliarum: secundo, quantum ad injuriam falsorum testimoniorum, *labia insurgentium*. Audisti Domine
Joan. 8 opprobria eorum. Nonne bene dicimus nos, quoniam Samaritanus, &c.
Matth. 27 Vah qui destruis templum Dei, &c. *omnes cogitationes eorum adversum me*,
Luc. 2 cogitationes patebant in verbis. In signum, cui contradicetur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, *labia insurgentium mihi*, dicen-
Ps. 26 do falsum testimonium. Insurrexerunt in me testes iniqui, *& meditationes eorum*, verbis declaratas *tota* B
Matt. 9 *die*, crucifixionis, vel vitæ. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?
Matt. 20. Principes Sacerdotum, & seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent, & occiderent. Vel opprobria, quantum ed contumelias; labia insurgentium, quantum ad verba machinationum in mortem Christi: sicut in persona eorum di-
Matt. 21 cit Salvator: Hic est hæres, venite occidamus eum. Sed pro condemnatione Christi: *sessionem eorum*, repete, vidisti: ubi intelliguntur, qui sedentes in Cathedris, Christum judicaverunt, unde in Psalmo: Ad- C
Psal. 68 versum me loquebantur, qui sedebant in porta, *& resurrectionem*, in prosequendo coram Pilato causam condemnationis coram populo, *ego sum Psalmus eorum*, id est, saltus, vel Cantici materia: vel detractionis, & murmurationis. Huic triplici sententiæ præmittitur littera, SIN, triplicata: & interpretatur *dentium*, vel *super vulnus dentium*, hic describitur, & detractio, quæ per dentes intelligitur. Filii hominum dentes Ps. 56 eorum arma, & sagittæ, &c. & vulneratio Christi, ad quam eum Judæi suis falsis testimoniis perduxerunt.

Reddes. Hic ex prædictis infertur justa sententia reprobationis. Primo in generali, quantum ad justam pœnæ retributionem: deinde quantum ad cordis obdurationem. *Dabis eis*; tertio quantum ad temporalem, & æternam exterminationem, *persequeris in furore*. Dicit ergo, *Redde eis*, Judæis: *vicem Domine*, pro malo culpæ, & pertinacia, pœnam damnationis æternæ: Ecce venit velociter, Joel. 3 & reddes vicissitudinem in caput eorum. *Dabis eis*, non agendo, sed permittendo, *laborem tuum*, pœnalitatum, & angustiarum, quas in cruce sustinuit, *scutum cordis*, ut merito injuriarum, quas Christo intulerunt, intrare in ipsum non possunt, verba prædicationis. Corpus ejus, quasi scuta fusilia. Istud est malum Job 41 eis scutum, nobis autem clypeus sa- Ephes. 6 lutis: de quo: In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ignea inimici extinguere. Sed pro tertio sequitur: *persequeris furore*. Judæos male tractandos in judicio, in futuro, & etiam in præsenti: Unde sequitur, *& contra eos sub cœlis*, id est, hic in terra *Domine*, qui omnem habes potestatem. Vel sub cœlis id est, sub viris cœlestibus. Calcabitis eos, cum fuerint cinis, sub planta pedum. Huic tripli- Malach. ult. ci sententiæ præponitur littera. THAU quod interpretatur signa: quia istud Dei judicium de Judæis ita manifestum est, ut signati signo infami, pateant per totum orbem terrarum.

CAPUT QUARTUM.

ALEPH.

QUOMODO obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?

BETH. Filii Sion incliti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli?

GHIMEL. Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi Struthio in deserto.

DALETH. Adhæsit lingua lactantis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.

HE.

HE. *Qui vescebantur voluptuose, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora,*
VAV. *Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum: quæ subversa est in momento, & non ceperunt in ea manus.*
ZAIN. *Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores.*
HETH. *Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum.*
TETH. *Melius fuit occisis gladio, quam interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti a sterilitate terræ.*
JOD. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei.*
CAPH. *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & devoravit fundamenta ejus.*
LAMED. *Non crediderunt reges terræ, & universi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Hierusalem.*
MEM. *Propter peccata Prophetarum ejus, & iniquitates sacerdotum ejus, qui effuderunt in medio ejus sanguinem justorum.*
NUN. *Erraverunt cæci in plateis polluti sunt sanguine: cumque possent intrare, tenuerunt lacinias suas.*
SAMECH. *Recedite polluti, clamaverunt eis, recedite, abite, nolite tangere, jurgati quippe sunt, & commoti, dixerunt inter Gentes: Non addet ultra, ut habitet in eis.*
PHE. *Facies Domini divisit eos, non addet, ut respiciat eos, facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt.*
AIN. *Cum adhuc subsisteremus defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ salvare non poterat.*
SADI. *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum: appropinquavit finis noster completi sunt dies nostri, quia venit finis noster.*
COPH. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.*
RES. *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus.*
SIN. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perveniet calix, inebraberis, atque nudaberis.*
THAU. *Completa est iniquitas tua filia Sion, non addet ultra ut transmigret te: visitavit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.*

EXPOSITIO IN CAP. IV.

HIC quarto lamentatur casum spiritualium personarum quoad statum prælationis, sicut etiam ministri templi: vel statum religionis, sicut erant Nazaræi, facie insignes. Et habet tres partes, quia prius lamentatur hanc subversionem, deinde subjungit ejus rationem in littera 12. LAMED. *Non crediderunt Reges,* &c. tertio hujus lamentationis infert conclusionem in littera penultima, *Gaude & lætare.* In prima parte secundum allegoriam deplorat subversionem insignium personarum in generali, deinde in speciali, in versu sequenti. *Filii Sion.* Dicit ergo.

A *Quomodo obscuratum est aurum,* quod licet in templi aurati concremationem verti posset, tamen altiori sensu spiritualis templi dejectionem significat, unde dicit; *Quomodo obscuratum est aurum.* In auro secundum Rabanum, (quod metallum præeminet,) excellentia sanctitatis intelligitur: quæ est obscurata, & in tenebris carnalitatis commutata. Vel aurum optimum Christus, quod obscurabitur, quia nihil reputabitur tempore Antichristi. Sol factus est niger tamquam saccus cilicinus, *mutatus est color optimus,* quantum ad deformationem exterioris honestatis, *dispersi sunt lapides sanctuarii:* id est, viri eminentes in Ecclesiasticis Apoc. 6

ordinibus constituti: dispersi, non A
per amorem boni communis congregati, sed per studium avaritiæ divisi: dum omnes; quæ sua sunt, quæ-
Philip. 2 runt, & non, quæ Jesu Christi, ut
dicit Apost. *In capite omnium platearum*, in quo præsentis vitæ latitudo intelligitur: lata enim est via,
quæ ducit ad perditionem, ut dicit
Matth 5 Christus Dominus. In capite sunt
platearum, qui talis dant carnalita-
Isa 56 tis exempla. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam; omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum: venite sumamus vinum, & impleamur ebrietate. Igitur in auro obscurato subversio sanctitatis intelligitur: in colore mutato sub- B
versio honestatis: in dispersione studium cupiditatis, & consequentis dissensionis: in platearum capite exemplum perversitatis. Ubi præmittitur ALEPH, ad excitationem intelligentiæ spiritualis, ac si diceret il-
Matth. 24 lud: Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.

Filii Sion. Hic deplorat subversionem dictarum personarum in speciali: quod primo pertractat quantum ad infectos carnalitate; secundo quantum ad excedentes in severitate, ibi: *Manus mulierum*: tertio ex hoc infert Dominum ejus juste affligere, ibi: *complevit Dominus furorem suum*. In prima parte primo C
deplorat carnalitatem prælatorum, vel clericorum; secundo religiosorum, ibi: *candidiores Nazaræi*, tertio simul amborum, ibi: *Melius fuit occisis*. In prima parte primo tangit carnalitatis, ut dictum est, infectionem: secundo consequentem Ecclesiæ multiplicem læsionem, ibi. *Sed & lamiæ*: Pro primo dicit, *filii*, ubi primo ostendit quid erant, deinde quid sunt, *quomodo reputati*, Dicit ergo; *filii Sion*, id est, Ecclesiæ, *inclyti*, id est, gloriosi, & gloria digni, *& amicti auro primo*, quantum ad vitæ perfectionem, *quomodo reputati sunt in vasa testea?* id est, lutea, & de carnalium solatiorum de-
Osee 8 siderio. Vasa testea, non aurea,

vel argentea, sed lutea: vas enim
testeum, est luteum judicatum. Israel Her. 19
factus est in nationibus quasi vas im- Eccli 22
mundum. Induratum est eis lutum, quia difficile corriguntur. Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo, & ungue adamantino. Qui docet fa- Sap. 15
tuum, quasi qui conglutinat testam, *opus manuum figuli*, id est, diaboli; qui tales fecit. Figulus mollem terram premens laboriose fingit ad usus nostros unumquodque vas. Sed tandem in fine fiet de eis, quod
dicit Psalmus: Tamquam vas figuli Psalm. 2
confriges eos.

Sed & lamiæ, ecce damnum ex prædictis consequens multiplex Ecclesiæ: primum est diffusio doctrinæ perversæ; secundum est carentia doctrinæ sanæ, *filia populi mei crudelis*.
Pro primo dicit, *sed & lamiæ*. La- Lamia.
mia est monstrum habens caput virgineum, corpus porcinum, & equinos pedes, crudelissimum: dictum a lamentatione quasi lamens. Juxta litteram. Hierusalem vult dicere in solitudinem redactam, & monstra ibi talia habitasse: Per lamias ergo intelliguntur hæretici, vel hypocritæ, in facie simplices, in ventre carnales, in pedibus equi, & instabiles. Tales lamiæ vulpina crudelitate feroces, *nudaverunt mammam*, id est, libere prædicant doctrinam scilicet pestiferam, *lactaverunt catulos suos*, id est, simplices in hære-
sim seducentes. Quis est parvulus Prov. 9
declinet ad me. Et vecordi locuta est: aquæ furtivæ dulciores sunt.
Hoc autem totum est propter iner-
tiam prælatorum: Cum dormiunt ho- Matth. 13
mines, venit inimicus ejus, & su- Isa. 34
perseminavit zizania. Ibi invenit lamia requiem, *filia*, ecce econtra defectus doctrinæ sanæ. Ubi primo arguit prælatos in doctrina negligentes: secundo explicat amplius læsiones Ecclesiæ inde provenientes, ibi: *adhæsit lingua*. Dicit igitur, *filia populi mei*, hoc dicitur de monte Sion, in quo erat templum: quod tamquam filia a populo amabatur. Hæc filia quantum ad sacerdotes, id est, excubantes, *crudelis*, *quasi Struthio in deserto*, Struthio ponit ova sua in tractu viarum; & non fovet: sed

tu

Job. 19 ut dicitur: Derelinquit in terra ova sua, & obliviscitur, quod pes conculcet ea, aut bestiæ agri conterant. Quæ crudelitas magis explicatur in eo, quod sequitur.

Adhæsit lingua, primo in statu incipientium, qui intelligitur per lactentes; secundo proficientium, ibi: *parvuli petierunt*, tertio in statu perfectorum, ibi: *Qui vescebantur*, quarto infert ex hoc peccatum negligentium prælatorum, *& major effecta*. Dicit ergo: *Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti*, ubi per lactentes rudes, & incipientes figurantur lacte simplicitatis doctrinæ imbuendi: Tamquam parvulis *1 Cor. 3* in Christo: lac dedi vobis potum, non escam. Lingua adhæret palato, quando cogitatio cordis adhæret proprio desiderio: in siti appetitus doctrinæ: in palato, ubi sapor viget, carnalis affectio. Sed pro statu proficientium sequitur, *parvuli petierunt*, parvuli lactentibus majores, sed nondum quantitate perfecti, petierunt panem doctrinæ solidioris, *& non erat, qui frangeret eis*. Panis frangendus; non curiose scindendus; quia nulla divisio est facienda, quæ non faciat ad elucidationem doctrinæ. *Luc. ult.* Cognoverunt eum in fractione panis: dicitur, quod Christus sic frangebat, quod incisio videbatur: sic etiam certe debent continere fractio evidentis expositionis, & incisio elucidationis per dimensionem, quantum saluti famulatur,

Qui vescebantur. Hic ostendit læsionem Ecclesiæ sequentem ex prædictis pro statu perfectorum, *qui vescebantur*, deliciis scripturarum, *voluptuose*, sancta voluptate. *Sap. 16* Paratum de cœlo panem præstitisti eis omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Quod de scripturis, vel deliciis devotionis, vel sacramento communionis intelligi potest. *Interierunt in viis*, latis sæculi, quæ ducunt ad perditionem: *Sap. 5* Ambulavimus per vias difficiles. Hoc autem exponit versus sequens, *qui nutriebantur in croceis*, specialiter deliciæ contemplationis, vel meditatio Dominicæ passionis. Crocus enim rubeum habet colorem, item & lætificat, & confirmat cor, unde scripturas significat Christi sanguine rubricatas: Cypri cum *Cant. 4* nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum, *amplexati stercora*, id est, carnales delicias: Mulier fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur. *Eccl. 9* Vel stercora bona temporalia, aurum, & argentum sunt, & hujusmodi: quia generata in visceribus terræ: Omnia reputavi ut stercora. *Philip. 3* Sed ex hoc ostendens, quantum sit peccatum negligentium prælatorum subdit: *Et major effecta est iniquitas filiæ populi mei*, prælatorum negligentium de qua supra filia populi mei crudelis, *peccato Sodomorum*, quantum ad hoc, quia illi doctorem non habuerant, *quæ subversa est in momento*, id est subito: & tamen ista diu tolerantur, ut perenniter puniantur. Simile apud Mattheum. *Matth. 11* Terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi: *& non ceperunt in ea*, filia populi, id est, clerici, *manus*, pauperum: in quo arguitur eorum avaritia: Non *Eccl. 4* sit manus tua porrecta ad accipiendum, & dandum collecta: Manus *Psalm. 31* suas aperuit inopi.

Crudeliores. Post deploratum lapsum clericorum, vel prælatorum: hic deplorat lapsum religiosorum. Primo ostendens, quales aliquando fuerunt: secundo, quales recidivando facti sunt, *denigrata est*. Religiosi quidem intelliguntur per Nazaræos, unde Rabanus: Quid Nazarænorum nomen, nisi vel abstinentium, vel continentium necessaria significatur? quibus & nomen convenit: quia & Nazaræi floridi interpretantur. Dicit ergo, *candidiores Nazaræi ejus nive* per mortificationem carnis, & repressionem noxii caloris, per spiritualem frigiditatem. Et bene nivi comparatur carnis munditia: quia faciliter solvitur; nisi frigus continuetur: flante enim austro, id est, prosperitate accidente faciliter extinguitur, unde in Psalmo: Lavabis me, & super nivem dealbabor. *Psal. 50* Vere super nivem dealbatur, qui affluentia non corrumpitur; *nitidiores lacte*, in quo munditia cordis: quia sicut nix extra, sic lac intra perducitur ad can-

candorem, per putrefactionem sanguinis, id est, extinctionis omnis immunditiæ, & immundæ affectionis, & cogitationis. Vel in nitore lactis affectus pietatis, & opera misericordiæ ad egenos, *rubicundiores ebore antiquo*, in quo notatur refulgentia honestatis: ebur candet primo, tandem vergit in ruborem: quia plena maturitas per longam acquiritur exercitationem. Vel in hoc fervor intelligitur charitatis: rubor enim in facie, calorem significat, vel certe pudorem, & verecundiam, ut pudeat turpia dicere, vel audire: vel in ebore antiquo, antiquorum sanctorum sub lege perfectio: sed sunt nunc rubicundiores: quia major est in Evangelio perfectio, *Saphyro pulchriores*, in quo gratia contemplationis designatur: & desiderium æternitatis: Hæc sunt ergo, quæ debent perfectis inesse religionis. Ubi primus gradus est, ab omni corruptione immaculatum se custodire, quantum patitur humana fragilitas: secundus, curam non negligere proximi, quantum suppetit facultas: tertius, in rubore devotionis sanctæ & sancti pudoris, dura, & indigna fortiter tolerare, quantum sinit humana infirmitas: quartus in omnibus ad Deum quoque ad cœlum oculum erigere, quantum prævalet humana possibilitas. Magna est igitur hæc commendatio.

Sed sequitur, *Denigrata est*, ubi candor nivis, lactis nitor, rubor eboris antiqui, pulchritudo Saphyri nigredine carbonis obducitur: qua de re dicit, *denigrata est* Ubi primo plangit eorum carnalitatem: secundo excæcationem, ibi: *Adhæsit*, tertio obdurationem, ibi: *Aruit*, Dicit ergo, *Denigrata est facies eorum*, cordis secretum, & conversationis evidentia, *super carbones*, in quibus lumine extincto, sola remanet terrestris nigredo. Isa 13 Facies combustæ vultus eorum. Et quod propter sordes carnalitatis prædicto candori contrariantur. Nahum. 2 Nahum. Dirigite argentum; dirigite aurum: & non finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus dissolutio geniculorum, & defectio cunctis renibus, & facies omnium sicut nigredo ollæ. Joel. 2 Omnes vultus redigen- A tur in olla, *& non sunt cogniti in plateis*, non sunt cogniti pro talibus, quales esse solebant: quia in plateis, id est, in carnalitate, aliis conformes: frequentia quidem platearum decoloravit Nazaræos, & peregrinam speciem induxit. Vel non sunt cogniti; quia creduntur boni, cum sint mali. A fructibus eorum cognoscetis eo. Matth. *Adhæsit cutis eorum ossibus*. Hic eorum excæcationem plangit, dicens: *Adhæsit cutis*, In cute, quæ tenera est, mollities conversationis: in ossibus fortitudo vitii. Adhæsit ergo cutis ossis, quia ab eis prave sentientibus infirmitas vitii, duritia, vel difficultas virtutis existimatur. Unde multum putant esse semel, B ubi deliciis ingurgitantes imbuant se: virtutem putant esse in Ecclesia stare, ubi pactum faciunt nisi lucrum quærere, vel ineptias cogitare, vel pœna furere. Sed pro eorum obduratione infert, *aruit*, quia cogitatione sui minimi virescit, *& facta est quasi lignum*, insensibilis ad peccatum.

Melius fuit. Hic tertio deplorare videtur simul lapsum amborum scilicet prælatorum, & religiosorum, comparans statum præsentis Ecclesiæ respectu Ecclesiæ primitivæ: quasi minus nocuit Ecclesiæ tribulatio adversitatis tyrannorum, quam infestatio prosperitatis temporalium, & hoc in multis, quare postea pauci fue- C runt sancti. Unde dicit: *Melius fuit*, &c. Rabanus: Melius fuit Apostolis, & prædicatoribus Evangelii brevi pœna corporis pro CHRISTI nomine ad tempus plecti, quam longa inedia verbi Dei tabefieri. Unde dicit, *quam interfectis fame*, dum enim corpus deliciis fovetur absque dubio spiritus fame cruciatur: quod multis induxit prosperitas, unde sequitur, *quoniam isti*, fame scilicet mortui, *extabuerunt*, id est, ad spiritualem maciem pervenerunt, *consumpti a sterilitate terræ*, id est, ab amore terrenorum, quæ quia sterilia sunt, spirituales & steriles fiunt eorum amatores. Conteratur quasi lignum infructuosum, Job. 24 pavit enim sterilem, & quæ non parit, & viduæ bene non fecit: Aliter exponitur illud

in

in Glossa, *melius fuit occisis gladio*, &c. melius est verbo Dei, ad pœnitentiam mactari: quam fame verbi Dei ad carnalitatem declinare.

Manus mulierum. Postquam deploravit subversionem Ecclesiæ provenientem ex carnalitate, & ignavia: hic plangit Ecclesiæ subversionem provenientem ex ingenti severitate, & nimia justitia: Unde dicit. *Manus*, id est, opera justitiæ nimiæ secundum Glossa *mulierum*, non dicit matrum, quia matres non sunt, quæ
Eccl. 25 affectum ad filios perdiderunt. Brevis omnis malitia super malitiam mulierum, *misericordium*, in optione sua; quia dicunt se facere tyrannides suas ex misericordia: Tales ergo, *coxerunt filios suos*, Glossa, id est, tyrannica potestate oppresserunt: coxerunt igne mali exempli, & tactus
Job. 1 ignis Dei descendit de cœlo, id est, de majoribus & tactas oves puerosque consumpsit, *facti sunt cibus earum*, dicentes illud. Secundum quod
1 Reg. 2 dixerunt filii Heli: Nunc dabis,
Ezech. 34 alioquin tollam vi. Lac comedeba-
Ibidem. tis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Et infra: Sed cum austeritate imperabitis eis, & cum potentia; & dispersæ sunt, &c. *In contritione filiæ populi mei*, vel ad contritionem filiæ supradictæ; propter hoc enim, super multis eorum cecidit ira Dei.

Complevit Dominus. Hic ex prædictis infert æquitatem pœnæ, ipsis a Domino pro prædictis illatæ, vel inferendæ, unde dicit: *Complevit*, id est, complebit, *furorem*, *suum*, id est, de tantis sceleribus expetet vindictam: in quo magnitudo pœnæ intensive intelligitur. *Effudit*, id est, effundet, in quo pœnæ significatur generalitas, *iram indignationis suæ*, & *succendit*, id est, succendet, *ignem in Sion*, id est, in clericis, ignem, dico, æternum, & *devoravit*, id est, devorabit, *fundamenta ejus*, primores acerbius. Vel in fundamentis pœna intelligitur cogitationum perversarum, quam exquiret a malis: in quo & pœnæ atrocitas intelligitur. Vel in ira sic effusa, posset intelligi generalis, quasi Ecclesiæ subversio per carnalitatem, & cupiditatem.

Non crediderunt Reges terræ. Post descriptam Ecclesiæ subversionem in communi: hic subdit evidentius dictæ subversionis rationem quadruplicem: primam exigit in peccatis Prophetarum, & sacerdotum; secundam in peccatis omnium, propter confidentiam, scilicet præsidio hominum mundanorum. *Cum adhuc subsisteremus*; tertiam tangit efficacem promptitudinem adversariorum, *velociores fuerunt persecutores*; quartam vero omnium, in communi Judæorum, atrocitatem, scilicet eorum contra Christum, *spiritus oris nostri*. In prima parte tangit, primo hanc causam, ut inopinatam: secundo pertractat eam, ibi: *propter peccata*: Dicit ergo pro primo: *Non crediderunt Reges terræ*, id est, viri justi, & sancti temporalium contemptores. Nunc autem dormiens & *universi habitatores orbis*, *vel urbis*, istud Glossa ad malos refert, qui
nesciunt dicere. Advena ego sum Job 3
apud te, & peregrinus, *quoniam ingrederetur hostis*, id est, diabolus.
Hostis meus terribilibus oculis in- Psal. 38
tuitus est me id est, peccatum, *per* Job. 16
portas Hierusalem, id est, per præla-
tos in Ecclesiam. Singulæ portæ Apoc. 21
erant ex singulis margaritis. Quasi illud inopinabile fuit: & tamen istud evenit. Alio etiam modo exponitur de quocumque justo, qui inopinanter cadit a perfectione in prævaricationem, vel apostasiam per portas sensuum suorum, quasi portas Hierusalem.

Propter peccata. Ecce pertractat culpam, quæ causa est ipsius dissipationis, vel devastationis Ecclesiæ: primo, quantum ad peccata majorum prælatorum: deinde quantum ad peccata minorum, in versu sequenti, ibi: *Erraverunt*, Dicit ergo, *propter peccata*, repete; Ingressus est hostis per portas Hierusalem, *propter peccata Prophetarum ejus*, populos adulatorie decipientium. Su-
pra: Prophetæ tui viderunt tibi Cap. 2
falsa, & stulta; nec aperiebant iniquitatem, & *iniquitates sacerdotum ejus*, Nota, quod semper fuit distin-

ctus ordo doctorum, & prælatorum; A quamvis & ipsi auctoritate sint doctores. Quam iniquitatem aperit, subdens; *qui effuderunt in medio ejus*, id est, populo, *sanguinem justorum*, id est, remissionis: fortiter excitando alios ad interfectionem Prophetarum, quos interfecerunt Judæi: sicut postea in mortem Christi. Jerem. 26 Aprehenderunt eum, scilicet Hieremiam sacerdotes, pseudoprophetæ, & omnis populus, dicentes: Dan. 13 Morte moriatur. Egressa est iniquitas a senioribus populi, qui videbantur regere populum: Prov. 30 Effuderunt sanguinem spiritu terroris, aspere Isa. 3 corripiendo. Qui vehementer emungit, Jerem. 2 elicit sanguinem. Vel aperte peccando, & scandalizando alios, Peccatum ut Sodoma prædicaverunt: nec absconderunt. Vel bona subditorum improbe extorquendo. In alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum. Istud etiam verum est, præcipue de sanguine Scribarum, & Pharisæorum, quem Pontifices, Scribæ, & Pharisæi fecerunt effundi.

Erraverunt, Hic tangit peccata cunctorum clericorum. Primo ea adstruens, secundo inferens pœnam, ibi: *Facies Domini*. Culpam tangit multiplicem: primo ignorantiæ, unde dicit: *Erraverunt cæci*: juniores scilicet exemplo majorum secundum Rabanum, *in plateis*, id est, in lata via perditionis. Secundo subdit peccatum immunditiæ, *polluti sunt sanguine*, in peccatis carnis, & sangui-Psal. 105 nis: Infecta est terra sanguinibus, & contaminata est in operibus eo-Psalm. 50 rum, Alibi: Libera me de sanguinibus. Tertio peccatum simoniæ, & conspirationis. *Cumque non possent*, aliqui addunt, *intrare*, quod non est de textu. Cum inquit non possent desiderium suum in Ecclesia implere, *tenuerunt lacinias suas*, oras suorum vestimentorum sicut cæci, qui expectant alienum ducatum. Lacinias tenere, est ducem expectare.

Quarto sequitur peccatum præsumptionis, qua alios despiciebant: unde sequitur, (*Recedite polluti*) *Clamaverunt*, prædicti superbi, *eis*, peccatoribus scilicet. **Polluti recedite**. Bis dicit, *recedite*, quasi recedite a loco sacro, recedite a nostro consortio, *abite*, ad consimiles vobis, *nolite tangere*. Tales sunt illi, de qui- Isa. 65 bus dicitur: Comedunt carnes suillas, & jus profanum in vasis eorum: qui dicunt, recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. *Jurgati quippe sunt*, hæc est vox Prophetæ, jurgati prædicti superbi, *& commoti*, contra subditos, eos superbe despicientes, nec solum aperte peccatores despiciunt, sed etiam in absentia eis detrahunt. Unde sequitur, *dixerunt inter gentes*, prædicti clerici peccatoribus detrahentes, *non adiiciet ultra*. Dominus scilicet, *ut* B *habitet in eis*, prædictis pollutis. Alias exponitur a prædicto loco, *Recedite*, ut sit vox hostium Judæorum, gentium scilicet in eos hæc verba exsufflantium, ac dicentium: Recedite: sicut etiam aliquando aliqui Tyrrani contra clerum insurgentes dicere ausi sunt. Vel sunt verba prædicatorum, prædictos pollutos augentium.

Facies Domini. Hic subditur pœna dictæ culpæ, & additur nova spiritualis nequitiæ, *facies sacerdotum*, Dicit igitur, ut sit vox Prophetæ, vel adversariorum Ecclesiæ seu Judæorum, *facies Domini*, id est, Christus filius Dei *divisit eos*, ad litteram, dispersit Judæos, divisit, id est, divi-C det peccatores, a justis in die judicii. Matt. 25 Separabit agnos ab hœdis, *non addet* Matt. 25 *ut respiciat eos*, consolando: Clausa Eccl. 8 est janua. Spiritualis autem culpa contra eos repellitur, unde subdit: *Facies sacerdotum non erubuerunt*, scilicet in peccatis; Confusione confusi non sunt, & erubescere nescierunt eis reverentiam exhibendo, *neque senum miserti sunt*, eis compatiendo: sed magis contrarium fecerunt: con- Eccli. 8 tra illud: Ne spernas hominem in senectute sua: etenim ex nobis senescunt.

Cum adhuc subsisteremus. Ecce secunda causa subversionis, confidentia scilicet nimia de humanis præsidiis. Primo tangens hujus vanitatem: secundo manifestans per effectum, ibi: *Lubricaverunt*. Dicit er-

go,

go, *cum adhuc subsisteremus*, nodum plene subversi, & tentationibus concussi, *defecerunt oculi nostri*, id est, intentiones nostræ frustratæ sunt. Defecerunt, inquam *ad auxilium nostrum vanum*, id est ad temporalia, quib. confidebamus. Argentum eorum & aurum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Quod magis explicans, subdit, *cum respiceremus attenti*, ad gentem quæ salvare nos non poterat: sicut Judæi confisi sunt, de Ægyptiis, qui non sufficiebant defendere. Vel id dicitur in persona damnatorum, qui damnati dicunt *cum adhuc subsisteremus*, id est viveremus, &c. ad gentem scilicet in parentibus concidentes. Ezech. 7

Lubricaverunt, Hic ostendit, prædictæ confidentiæ vanitatem, & intentionis evacuationem per effectum, dicens, *lubricaverunt vestigia nostra*, qui prius subsistebamus, quam talibus inniteremur, *lubricaverunt*, quia in lubrico posita fuerunt, *vestigia nostra*, in est, affectus nostri cœperunt vacillare in temporalium amore: vel ad lubricitatem luxuriæ declinaverunt, unde subdit: *In itinere platearum nostrarum*, id est viarum, ut divitiarum, *appropinquavit finis noster*, non complens, sed consumens, & exterminans: hoc dicunt, & cognoscunt mali, inquientes in morte: *Completi sunt dies nostri*, id est in morte consummati, *quia venit finis noster*, id est mors. Rabanus: Pro iis omnibus quisquis, deserto uno vero Deo, adjutorium quærit a spirituali Ægypto, hoc est, ab hoc mundo, & lubrica hujus sæculi peragit vestigia, vacua spe delusus, hostium crudelium fit præda.

Velociores. Ecce tertia causa efficiens secundum litteram. Allegorice persecutores nostri, id est dæmones: Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, dividam spolia. Carnem dans vermibus, substantiam parentibus, animam sibi retinent, *velociores fuerunt aquilis cœli*, id est prædicatoribus cœlestium, unde magister prædicatorum Joannes aquila dicitur: Et quartum animal simile aquilæ volanti, quia dæmones numquam dormiunt. Non est potestas super terram, quæ ei comparetur, *super montes*, dignitatum, *persecuti sunt nos*. Isti sunt montes, in quibus ceciderunt fortes Israel. Et hoc quantum ad prælatos, *in deserto* id est claustro, *insidiati sunt nobis*, quantum ad Religiosos. Adversarius vester diabolus, circuit, quærens quem devoret. Exod. 15 Apoc. 4 Job. pen. 2 Reg. 1 1 Pe. 5

Spiritus oris. Ecce quarta causa omnium completiva, videlicet pro morte Salvatoris *spiritus oris nostri*, quod dicitur, quia verbum est & ratio: sine quo nullum verbum rectum esse potest. *Christus Dominus captus est* a Judæis impiis, *in peccatis nostris* id est, propter peccata nostra: Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, *cui diximus*, *in umbra tua*, id est in protectione tua, *vivemus in gentibus*, sicut patres in filiis, *in gentibus*, conversis ad fidem: Fluent ad ipsum omnes gentes. Vel totum illud potest exponi de conversis ex genere Judæorum, ut ipsi dicant: *in umbra tua*, id est propter umbram legis, *vivemus in gentibus*, quia Judæi propter hoc tantum sustinentur: alii hæretici destruuntur. Unde ex hoc verbo ultimo patet, quod illud non potest intelligi, de nostra lege sicuti exponunt Hebræi. Isa. 53 Isa. 2

Gaude. Ecce finis lamentationis. Et ostensurus finem lamentationis hujus, primo ostendit insipientiam mundanæ consolationis: deinde in sequenti versu vilitatem hujus lamenti ibi, *completa*. Dicit ergo primo, *Gaude*, & *lætare*, quasi ita boni pro se, & alienis malis consolantur, unde dicit: *Gaude*, interius, ironice, *lætare*, exterius, *filia Edom*, juxta litteram dicitur converti Idumæis: cum deberet converti Romanis, dicendo, quod Romani fuerunt de Idumæis: quod non verum, quia fuerunt de Chitim Nepote Noe: Idumæi vero de Sem. Sed causa litteralis est: quia plus noverunt Idumæos, sic & Chaldæos, qui venientes templum succenderunt, *quæ habitas in terra Hus*, Contra, habitant in monte Seyr. Hæ sunt generationes Esau patris Edom in montem Seyr. Gen. 36

Gen. 22 Seyr. Item Hus fuit primogenitus Nachor fratris Abrahæ: qui de Melcha uxore sua octo filios habuit, qui omnes fuerunt in Mesopotamia Syriæ. Solutio. De Hus filio Nachor, non est hic sermo, sed de Hus terra, quæ dicitur esse in finibus Idumææ, & Arabiæ: quæ alio nomine dicitur in terra Ausitidis, vel Hussitidis: Et cunctis Regibus terræ Ausitidis. Ibi Glossa dicit, quæ Hebraice dicitur Hus: de qua dicitur. Homo, qui erat de terra Hus, scilicet Job.

Hier. 25

Job. 1

Moraliter, filia Edom, id est anima carnalis, quæ Edom id est: Esau imitatur, qui suam primogenituram dedit pro minimo edulio, sicut faciunt carnales miseri. Dederunt pretiosa quæque pro cibo, *quæ habitas in terra Hus*, quæ interpretatur consilium vel consiliator: Stulti principes Thaneos dederunt consilium insipiens.

Gen. 2

Hier. c. 1

Isa. 19

Ideo dico, *lætare*, nam, *ad te* A *quoque pertinet calix*, id est, pœna, & tribulatio futura: quæ per calicem significatur, *inebriaberis*, amaritudine, *& nudaberis*, temporali gloria, & honore. Mundus gaudebit, vos vero contristabimini: sed tristitia vestra vertertur in gaudium. Jo. 1

Unde convertens sermonem ad electos subdit, *filia Sion* id est, Ecclesia electorum *completa est iniquitas* tua, per præsentem lamentationem, & tribulationem purgata, *non addet ultra* Dominus scilicet, *ut transmigret te*, parcendo. Transmigrat Dominus, cum B suos tribulationibus exponit. Ad punctum in modico dereliqui te. Vel transmigrat, consolando: Ecce iste venit saliens in montibus. Econtra de malis dicitur, *visitavit iniquitatem tuam*, id est, visitabit in morte, *discoperuit peccata tua*, Ego discooperui Esau, & revelavi abscondita ejus, & celari non poterit. Infirmorum enim Dominus abscondita revelabit.

Isa. 54

Cant. 2

Jer. 49

TOMI QUINTI FINIS.

SERIES

SERIES OPUSCULORUM,

QUÆ HOC TOMO CONTINENTUR.

Breviloquium. pag. 1
Centiloquium. 104
De Ecclesiastica Hierarchia. 195
De septem Donis Spiritus Sancti. 253
De Resurrectione a peccato ad gratiam. 333
Itinerarium mentis in Deum. 338
Incendium amoris. 359
De Perfectione Vitæ ad Sorores. 375
Lignum Vitæ. 393
Soliloquium. 411
De sex Alis Seraphim. 453
Legenda S. Francisci. 478
De Paupertate Christi contra Magistrum Guilelmum. 549
Apologia Pauperum. 593
Libellus Apologeticus in eos qui Ordini Fratrum Minorum adversantur. 700
Quare Fratres Minores prædicent, & Confessiones audiant. 721
De Tribus Quæstionibus ad Magistrum innominatum. 734
Quod Christus, & Apostoli, & Discipuli ejus discalceati incesserunt, sive de Sandaliis Apostolorum. 740
Determinationes Quæstionum circa Regulam S. Francisci. 745
Ad Ministros Provinciales & Custodes Epistola de Reformandis Fratribus sui Ordinis. 768
Ad quemdam Provincialem Ministrum Epistola 771
Epistola ad Abbatem Beatæ Mariæ Blesensis. 773
Amatorium. 774
Expositio in Librum Sapientiæ. 801
Expositio in Lamentationes Hieremiæ Prophetæ. 935

INDEX

RERUM, ET VERBORUM,

Quæ Tomo hoc Quinto Opuſculorum S. Bonaventuræ continentur.

A

Abraham recipit multa beneficia a Deo pag. 868 *col.* 2 *b*
Abrahæ virtus & ſanctitas ibid. lit. c
Abrenunciatio in quo conſiſtit pag. 660 *col.* 2 *c & ſeq.*
Abſtinentia quid. pag. 170 *col.* 1 *a*
abſtinentia laudatur pag. 620 *col.* 1 *c & col.* 2 *a & ſeq.*
Acedia quid. pag. 123 *col.* 1 *a*
acedia opponitur ſpei, fortitudini, cha- charitati, & gaudio ſpiritus. pag. 123 *col.* 1 *b*
acediæ filiæ quot, & quæ. pag. ead. col. ead. lit. ead. & ſeq.
Actio principii perfectiſſimi qualis eſſe debeat. pag. 20 *col.* 1 *b*
Activæ, & contemplativæ vitæ officia, & proprietates. pag. 175 *col.* 1 *a b c*
Adam habuit multa beneficia a Deo. pag. 867 *col.* 1 *b &* 2 *a*
Adam ſuorum delictorum pœnituit ibid. lit. b
Adiutorium quadruplex primo homini datum pag. 31 *col.* 1 *a b*
Adorandi verſus orientem ratio multiplex pag. 915 *col.* 1 *a*
Adulatio quid, & quadruplex pag 117 *col.* 1 *c*
Adultera contra petentem divortium excipere poteſt in ſeptem caſibus. pag. 186 *col.* 2 *a & ſeq.*
Adulterium quid. pag. 125 *col.* 2 *a &* 133 *col.* 1 *a*
Æquitas quid. pag. 172 *col.* 2 *a*
æquitas ſimulata pag. 829 *col.* 2 *c*
Æternitas quid ſit pag. 142 *col.* 2 *a*
ejuſque definitio explicatur. ibidem.
Æviternitas quid ſit, & cur ſic dicatur. pag. 142 *col.* 2 *a b*
Affectus animæ quatuor pag. 153 *col.* 1 *a & b*
Affinitas quid. pag. 189 *col.* 1 *b*
affinitas contrahitur per coitum conjugalem & fornicarium pag. ead. col. 2 *a*
affinitas contracta ſemper manet. ibid. b
affinitatis quondam tria genera ibid. col. 1 *b & c*
in primo affinitatis gradu uſque ad quartum non licet contrahere ibid. col. 2 *a*
Ain fons, ſive oculus interpretatur pag. 956 *col.* 1 *b*
Aleph interpretatur doctrina pag. 962 *col.* 1 *c*
Alexander Macedo ſummum Sacerdotem Judæorum adoravit pag. 220 *col.* 2 *b*
Alienationem mentis tribus de cauſis devoti patiuntur pag. 386 *col.* 2 *a*
Allegoria quid ſit pag. 6 *col.* 1 *b & &* 105 *col.* 1 *a*
Amicitiæ duo officia. pag. 172 *col.* 1 *a*
Amor quid ibid.
Amor triplex pag. 126 *col.* 1 *b & c*
Anagogia quid ſit pag. 6 *col.* 1 *b &* 105 *col.* 1 *a &* 284 *col.* 2 *a*
Angelus quid ex Damaſceno pag. 147 *col.* 1 *c*
angelus ex Dionyſio nomen officii non naturæ pag. 225 *col.* 1 *a*
angeli peccatum pag. 109 *col.* 2 *a*
angeli cognitio matutina & veſpertina pag. 147 *col.* 1 *a*
angeli nomine quivis juſtus aliquando intelligitur pag. 197 *col.* 2 *b & ſeq.*
angeli nomine gratia intelligitur aliquando pag. 199 *col.* 1 *c &* 2 *a & ſeq.*
angelum cadentem quæ conſecuta pag. 146 *col.* 1 *a b & ſeq. & pag.* 26 *col.* 1 *b & c*
angeli agunt, & aguntur ſecundum ordinem hierarchicum pag. 27 *col.* 1 *a*
angeli boni ad Deum converſi ſtatim fue-

fuerunt confirmati per gratiam, & gloriam pag. 26 col. 2 b
angeli cur inducuntur habentes in manibus instrumenta mensurandi, & ponderandi pag. 227 col. 1 c
angeli in figura equorum sæpius describuntur pag. 226 col. 2 c & 227 col. 1 a
angeli cur in specie ignis apparuisse sæpe leguntur pag. 199 col. 1 b & c
angelorum puritas, cælorum nomine in sacra Scriptura significatur pag. 228 col. 1 a & b
angelorum quatuor nomina, cur tantum in scripturis revelata. pag. 148 col. 2 b
angelorum conditio, cur secundum litteram exteriorem tacetur. pag. 24 col. 2 b & c
angelorum vis duplex. pag. 147 col. 1 a
angelorum hierarchiæ tres. pag. 26 col. 2 b & c
angelorum actus circa hominum custodiam. pag. 149 col. 1 b
angelorum mutua actio. pag. 148 col. 1 c & 2 a
angelis a principio suæ creationis quatuor attributa, & cur pag. 25 col. 1 b & pag. 145 col. 2 a & seq.
Anima quid sit. pag. 903 col. 2 c
anima de quo fit. pag. 153 col. 2 c & 154 col. 1 a
anima in cœlo juncta corpori alium habebit modum intelligendi quam in via. pag. 448 col. 1 c
animæ reformationi duo sunt necessaria. pag. 801 col. 1 a
anima quid habeat a corpore, & quantum ab ipso aggravetur. pag. 865 col. 2 b & seq.
anima rationalis non tantum est forma, sed hoc aliquid. pag. 28 col. 1 c & 2 b c & seq.
anima rationalis beatitudinis capax. pag. ead. col. ead. lit. a
anima triplici genere sanitatis indiget. pag. 85 col. 2 c
anima peccando omnes creaturas post Deum offendit. pag. 421 col. 2 b
anima per culpam nimis fit deformis: pag. 416 col. 2 c
anima mirabili modo reformata est per gratiam. pag. 422 col. 2 c & 423 col. 1 a b
anima per mentale exercitium ad quæ se debeat convertere. pag. 428 col. 2 a usque ad 452 per totum.
animæ definitiones septem. pag. 149 col. 2 a b
animæ super ceteras creaturas excellentia. pag. 415 col. 2 a b c
animæ generositas. pag. 414 col. 1 b
animæ potentiarum divisio secundum magistros. pag. 150 col. 1 a
& secundum naturales, & theologos. pag. ead. col. 2 a & pag. 151 col. 2 b
animæ tres potentiæ portæ tres. pag. 289 col. 1 b
animæ fames, & sterilitas quæ sint. pag. 283 col. 1 c
animæ desiderium nulla creatura satiare potest. pag. 415 col. 1 c
animæ hostis pessimus caro. pag. 419 col. 2 a
animæ hostis crudelis diabolus. pag. 420 col. 1 c
animæ pia recognitio de suo peccato. pag. 417 col. 1 a
de anima rationali quid tenendum secundum sacram doctrinam. pag. 27 col. 2 b
animæ purgatæ statim evolant e purgatorio. pag. 93 col. 1 c
Antemurale multa significat. pag. 968 col. 1 & seq.
Apertio librorum ad ostensionem divinæ misericordiæ, & justitiæ. pag. 137 col. 1 a b
Apostoli sancti cælorum nomine significari possunt. pag. 197 col. 2 c
de Apparitionum pluralitate quid tenendum. pag. 13 col. 2 c
Aquæ super cœlos existentes quales sint. pag. 24 col. 1 c
aquæ super cœlos, quæ, ut Sancti dicunt, sunt ad reprimendum calorem inferiorum, quomodo intelligendæ. ibid.
Archangeli qui dicantur. pag. 222 col. 2 b c
Argentum comparatur luto, & quare. pag. 848 col. 2 b
Articuli fidei quomodo duodecim, quomodo quatuordecim. pag. 66 col. 1 b
articuli definitiones ex Richardo, & Isidoro. pag. 167 col. 1 a
articulorum fidei distinctio. pag. 67 col. 1 a
articulorum in symbolo sufficientia. pag. 166 col. 1 a
Ascendere volenti ad Deum per contempla-

plationem, quid præstandum. pag. 341 col. 2 b & c
ascensionis ad Deum gradus. pag. 342 col. 1 a & 343 col. 2 b c
Attritio quid. pag. 182 col. 2 c
Avaritia cur idololatriæ comparetur. pag. 123 col. 2 b & c
Avaritia opponitur charitati, & liberalitati. ibid.
avaritiæ differentiæ quinque. pag. 124 col. 1 a
avaritiæ filiæ secundum Gregorium. ibid. b. Item ex Isidoro ibid. c
avaritiæ variæ diffinitiones pag. 123 col. 2 b
Aves multæ figurant Christum. pag. 992 col. 1 c & seq.
Augurium quid. pag. 130 col. 1 c & 2 a
Aurea quid, & cur sic dicatur. pag. 191 col. 1 b
Aureola quid, & quotuplex. pag. ibid. c & seq.
aureola quibus reddenda pag. 101 col. 2 c
aureola cui generi hominum debeatur. pag. 100 col. 1 c

B

Baptismus quid, ex Hugone, ex Magistro in sententiis, & ex Damasceno. pag. 178 col. 1 c
baptismus triplex, & an quilibet sit sacramentum. pag. ead. col. 2 c
baptismus cur in aqua fit. pag. 80 col. 1 a
baptismus potius dari in nomine Christi in primitiva Ecclesia & quare. pag. 79 col. 2 c
baptismi variæ difinitiones. pag. 178 col. 1 c
baptismi forma. pag. 79 col. 1 c & 178 col. 2 c
de baptismi integritate doctrina. ibid.
baptismi effectus multiplex. ibid.
de baptismi substantia quinque sunt. ibid.
in baptismo triplex gratia datur. pag. 80 col. 1 c
Baptizatus transsmittit in prolem originale peccatum, & quare. pag. 38 col. 1 c & 2 a
Beati gaudium habent de his, quæ sunt intra se. pag. 447 col. 1 b
beati de evasione periculorum gaudent. pag. 442 col. 1 c
beatorum septem ordines, quomodo convivia spiritualia ad invicem in cœlo unusquisque in die suo faciunt. pag. 445 col. 2 a b & seq.
Beatitudo quid. pag. 340 col. 1 a
beatitudines sunt septem. pag. 174 col. 2 b
beatitudines quomodo septem, & quomodo octo dicantur. pag. 260 col. 1 a b
beatitudines tres contra triplex malum. pag. 64 col. 1 c.
de beatitudinibus, & fructibus doctrina. pag. ibid. a
Beneficia dei persolvi non possunt. pag. 424 col. 2 c
Benevolentia tripliciter Deo exhibenda. pag. 365 col. 2 c
Benignitas quid. pag. 362 col. 2 a
benignitatis partes septem. pag. 171 col. 2 a
Beth interpretatur domus. pag. 942 col. 2 b
Bonaventura sanctus post B. Franciscum septimus sui Ordinis Generalis. pag. 339 col. 1 b & c
Boni homines quatuor modis dicuntur. pag. 456 col. 1 b
Bonum triplex. pag. 138 col. 2 c
summum bonum quomodo cogitari non potest sine emanatione personarum. pag. 355 col. 1 b
bonum est secundum nomen Dei pertinens ad novum testamentum. pag. 353 col. 1 b c

C

Caath quid significet. pag. 223 col. 1 a.
Cœlum proprie dictum in quot orbes dividatur. pag. 144 col. 1 c
cœlum ex Rabano in septem cœlos distinguitur. ibid. col. 2 c & seq.
cœlum aqueum perspicacitatis perfectæ, & affectivum frigiditatis. pag. 145 col. 1 c
cœlum empyreum ex Damasceno quid. pag. 142 col. 1 c
cœlum & terra creata ante omnem diem. pag. 143 col. 2 c
cœli natura, & proprietas quomodo B. Mariæ conveniat. pag. 247 col. 1 b c & seq. per multas paginas.
cœli nomine doctores sacræ Scripturæ significantur propter multas rationes. pag. 240 col. 1 c & 2 a & seq.
cœlorum nomine in Scriptura sacra puri-

puritas Angelorum significatur. pag. 228 col. 1 a
item auctoritas Judicum, & Praelatorum ob multa. pag. 231 col. 2 b
item Apostoli Sancti pag. 229 col. 2 c
item religiosi & comtemplativi ob multas causas. pag. 202 col. 2 b
Cœlestis natura triplex. pag. 144 col. 1 c
cœlestia quomodo influant in inferiora. pag. 144 col. 2 a
cœlestia non influunt super liberum arbitrium. ibid. & pag. 22 col. 2 a
cœlestia corpora lumine & motu distinguunt tempora. ibid. col. 2 b
cœlestia corpora, quomodo remunerari dicuntur. pag. 96 col. 1 c
Caligae quae dicantur. pag. 741 col. 2 b & c. & 742 col. 1 a b
Canticum canticorum inter laetitiae cantica principatum tenet, & tractatus Threnorum inter carmina est tractatus mœstitiae. pag. 937 col. 1 c
Cantus natura qualis sit. ibid. col. 2 b
Caph manus interpretatur. pag. 951 col. 2 a
Cardinales virtutes quatuor. pag. 164 col. 1 b
Casa unde dicatur, & quid sit. pag. 874 col. 2 a
Castitas quid & quotuplex pag. 170 col. 1 a
Causa efficiens alicujus libri Scripturae sacrae triplex. pag. 802 col. 1 a
Cautio quid. pag. 169 col. 1 b
Censurae Ecclesiasticae quae. pag. 128 col. 1 b c
Character per quae Sacramenta imprimitur. pag. 78 col. 2 c
character in quolibet ordine imprimitur. pag. 185 col. 1 a
character baptismalis omnium characterum fundamentum. pag. 79 col 1 a
characteris conditiones. pag. 178 col. 1 c
Charitatis fructus qui. pag. 428 col. 1 b & c
charitatis duplex perfectio. pag. 269 col. 2 a & seq.
charitatis status triplex. pag. 606 col. 1 b
charitatis perfectio; & cur non possit esse informis. pag. 168 col. 1 b & c
charitatis diversae diffinitiones. pag. 167 col. 2 c & 168 col. 1 a
charitatis, amoris, & dilectionis differentia. ibid. a & b
ad charitatis dulcorem pervenitur septem gradibus. pag. 371 col. 1 c & 2 a b c
ex charitate quae diligenda ex Augustino & Ambrosio. pag. 168 col. 1 c & col. 2 a
Cherubim quare plena oculis describuntur. pag. 207 col. 1 c
Cherubim nomen quid significet. pag. 206 col. 1 c
Christus circa humanam naturam assumpsit aliquos defectus, & eos tantum quos docuit pag. 52 col. 2 a b & seq. & 159 col. 1 a & b
Christus est exemplar militantis Ecclesiae. pag. 604 col. 1 a
Christus in passione dedit exemplum efficacissimum. pag. 54 col. 1 a b
Christus in fuga infirmis condescendebat. pag. 615 col. 1 c & seq.
Christus ratione assumptae humanitatis Angelus dicitur. pag. 196 col. 1 a b
Christus cur loculos habuit. pag. 556 col. 1 c & seq.
Christus suscepit personam infirmorum condescendens ipsis. pag. 597 col. 1 c.
Christus nomine firmamenti significatur pag. 243 col. 1 b
Christus cur tertia die resurrexerit. pag. 56 col. 1 a b
Christus sedet ad dexteram Dei Patris, non quantum ad situm, sed quantum ad excellentiam bonorum. pag. 55 col. 1 c & seq.
Christus quomodo de omni statu aliquid habuit in se. pag. 53 a b
Christus nihil poterat pati invite secundum rationem. pag. 52 col. 2 b c
Christus meruit tribus modis. pag. 158 col. 2 c
Christus liber intus, & foris scriptus. pag. 30 col. 2 b
Christus totus indivisus est sub specie panis, & vini. pag. 83 col. 1 b c
Christus veraciter continetur in Eucharistiae sacramento. pag. 82 col. 2 c
Christi humanitas laetificat viatores. pag. 139 col. 1 a
Christi incarnationem tota Trinitas operata est. pag. 157 col. 1 a
Christi passionis contemplatio. pag. 423 col. 1 c
Christi opus omne interius; & exterius, quo pacto perfectissimum. pag. 599 col. 1 b
Christi passio in memoria habenda. pag. 386 col. 2 c & 387 col. 1 a b.

Christi Deitas beatificat Angelos, & Sanctos. pag. 139 col. 1 a
Christi ascensio nos ad spem gloriæ cœlestis erigit. pag. 56 col. 1 b
in Christi adventu cur esse dicatur plenitudo temporis. pag. 48 col. 1 c. & seq.
de Christi passione doctrina. pag. 52 col. 2 a b & seq.
de Christi passionis fructibus doctrina. pag. 55 col. 1 c
Christi passio fuit maxima. pag. 159 col. 1 b
de Christi passionis modis. pag. 53 col. 2 b c
in Christi intellectu plenitudo sapientiæ. pag. 50 col. 1 a
de Christi merito doctrina. pag. 51 col. 1 c & 2 a b & seq.
Christo quantum homines debeant. pag. 367 col. 2 c & 368 col. 1 a b
Christum ad patiendum septem moverunt. pag. 63 col. 1 b & seq.
Christum in quibus actibus debeamus imitari. pag. 604 col. 2 b
in Christo fuit triplex cognitio. pag. 157 col 2 c.
in Christo triplex gratia. ibid. col. 1 c & pag. 49 col. 1 c
in Christo septem modi merendi. pag. 51 col. 1 c.
in Christo ab instanti suæ conceptionis plenitudo omnis gratiæ fuit. pag. 157 col. 1 c.
in Christo quinque modi sciendi. pag. 158 col. 1 a
in Christo cur sit ratio influendi respectu omnium. pag. 49 col. 2 b
in Christo est omnis plenitudo meriti. pag. 158 col. 2 a b
in Christo unio naturarum qualis. pag. 156 col. 2 b c & seq.
in Christo a conceptione fuit omnis gratiæ plenitudo. pag. 48 col. 2 c
de Christo multa ex sanctis Patribus. pag. 22 col. 1 & seqq.
Christi mors fuit turpissima multis de causis. pag. 818 col. 2 c
Christo homini quomodo nomen Dei sit communicatum. pag. 898 col. 2 c.
Christus unam tantum guttam effundendo, potuisset nos redimere. pag. 986 col. 1 c
Christus quomodo quater fleverit. pag. 991 col. 1 c & col. 2 a & seq.
Christus quomodo octo vicibus sanguinem fuderit. pag. 991 col. 2 a
Christus diversis avibus comparatur. pag. 992 col. 1 c & seq.
Christus fuit in utero matris novem mensibus, & sex diebus. pag. 847 col. 2 c
Cinis in capite multa significat. pag. 970 col. 1 c & seq.
Circumspectio quid. pag. 169 col. 1 a
Circumstantiæ definitio. pag. 133 col. 2 c.
circumstantiæ quot. pag. ibid. & seq.
circumstantiæ præservantes participantes cum excommunicatis. pag. 128 col. 2 c & seq.
Clerici. pag. 766 col. 2 b & c
Cogitatio, & speculativa, & practica. pag. 114 col. 1 a
Cognatio triplex. pag. 189 col. 2 c & seq.
cognatio legalis quid. pag. 190 col. 2 b.
cognatio legalis triplex. ibid
cognatio spiritualis quid. ibid. col. 1 c.
cognatio spiritualis quibus modis contrahitur. ibid. & quomodo per catechismum. ibid. col. 2 b
cognationis spiritualis tres differentiæ. ibid. col. 1 c
Cognitio divina, & immutabilis. pag. 17 col. 1 b & seq.
ad cognitionem suiipsius quomodo veniendum. pag. 376 col. 2 c & seq.
Coitus conjugalis licitus qui sit. pag. 132 col. 2 b
coitus conjugalis quando sit peccatum mortale. pag. ibid. & seq. col. 1 a.
coitus conjugalis, qui fragilis dicatur. ibid. col. 2 b
coitus conjugalis impetuosus quid, & quot modis fiat. Ibid. c & seq.
Commissum quid. pag. 111 col. 1 c & 2 a
commissum contra naturam, & contra legem. pag. 113 col. 1 c & 2 a.
commissum aliquid contra consuetudinem. pag. ibid. col. 2 b
Commotio totius creaturæ in fine mundi. pag. 95 col. 1 c & seq.
Communicatio idiomatum, & de ea regula. pag. 46 col. 1 a b
Communitas rerum temporalium quadruplex. pag. 676 col. 2 b c
Compedes quadruplices. pag. 983 col. 1 b & seq.
Complacentia tripici modo Deo exhibenda. pag. 366 col. 1 a
Conceptio Verbi ex Maria cur de Spiritu

ritu sancto dicatur. pag. 47 col. 1 a
Concordia quid. pag. 172 col. 1 b
Conditio corporis humani, & de ea quid tenendum. pag. 29 col. 1 a b & seq.
conditionis impedimentum quid. pag. 187 col. 2 c
Concupiscentia quid. pag. 135 col. 1 a.
concupiscentia quando, & quomodo in religioso vigeat. pag. 376 col. 2 c.
Confessionis conditiones. pag. 976 col. 1 a b
confessio fidei in Christiano qualis requiratur. pag. 80 col. 2 c & seq.
confessio in quatuor casibus iteranda. pag. 182 col. 1 b
confessio simulata quid. pag. 120 col. 2 a
confitens in quinque casibus ad Episcopum mittendus. pag. 182 col. 1 c & 2 a
Confirmatio a solo Episcopo dispensatur. pag. 179 col. 2 a
confirmationis materia. pag. ibid. col. 1 c
confirmationis forma. ibid. lit. b
de confirmationis Sacram. doctrina. pag. 80 col. 2 b
in confirmatione quænam gratia conferatur. pag. 179 col. 2 a
in confirmatione quid sacramentum, quid res. ibid. b
Coniugii tria bona. pag. 186 col. 2 c.
Consanguinitas quid. pag. 189 col. 2 c & 190 col. 1 a
consanguinitatis, & affinitatis differentia triplex. pag. 189 col. 1 a
intra consanguinitatis gradus quatuor, non licet contrahere. pag. 190 col. 1 b.
in consanguinitate triplex linea. ibid. lit. a
Conscientia quomodo liget. pag. 115 col. 2 a b
conscientia erronea quæ. ibid.
conscientia quot modis sumatur. Ibid. b c
Consensus mutuus in matrimonio exprimendus. pag. 89 col. 2 a
Consilium quid ex Damasceno, & Arist. pag. 292 col. 2 a b
consilium proprium ex voluntate propria oritur. pag. 204 col. 2 b
consilii donum quid. pag. 202 col. 2 c.
consilii donum, ubi convivium celebret. pag. 298 col. 2 b
consilii doni quæ sit necessitas. pag. 293 col. 1 b
consilii, doni, quæ sit dies. pag. 296 col. 1 c
consilii diei spiritualis mane quid. pag. ibid. col. 2 a
consilii diei quæ sit vespera. pag. 297 col. 1 b
consilii doni doctrina pag. 173 col. 2 a.
consilii diei, quæ sit meridies. pag. 296 col. 2 c
per consilii donum dies spiritualis in anima oritur. ibid. col. 1 b
per consilii donum animæ convivium præparatur. pag. 297 col. 2 c & seq.
consilia evangelica tria. pag. 69 col. 2 c
consilia divina qualiter audienda. pag. 295 col. 1 b
consilia Dei quæ, & qualia. pag. 294 col. 2 c
Consolatio cœlestis qualis sit. pag. 433 col. 1 c
Constantia quid. pag. 170 col. 2 b
constantia in quo a perseverantia differat. pag. 170 col. 2 c & 171 col. 1 a.
Constitutio quid. pag. 113 col. 2 b
Consuetudo quid proprie. ibid.
consuetudo est altera natura. pag. 883 col. 2 b
consuetudinarius peccator difficile emendatur. ibid.
Contemplatio quid. pag. 175 col. 2 b
contemplationis gradus sex. pag. 341 col. 1 c & seq.
totidem ex Bernardo. pag. 175 col. 2 c
contemplationis gradus ex Augustino septem. pag. 175 col. 2 c
per contemplationem pervenitur ad veram sapientiam. pag. 369 col. 1 a & seq.
Contemptus mundi. Vide. Mundus.
Continentes Archangelis comparantur. pag. 224 col. 2 a
continentiæ triplex differentia. pag. 125 col. 1 c
continentiæ vidualis ex Apostolo sex opera. pag. 192 col. 1 b
Contingentia cognoscit Deus infallibiliter, & quomodo. pag. 17 col. a
Contritio cordis quid. pag. 182 col. 1 a.
Coph vocatio interpretatur. pag. 958 col. 1 a
Corde duplici esse, quid sit. pag. 830 col. 1 b
corde duplici esse quam sit malum. pag.

pag. 805 col. 2 c
Corpus humanum quomodo & quanto tempore formetur, & organizetur. pag. 847 col. 2 a
corpus quid efficiat animæ, & quantum ipsam aggravet. pag. 865 col. 2 b.
corpus quomodo sit a nobis tractandum. pag. 805 col. 2 a
corpus humanum quale in statu innocentiæ. pag. 805 col. 1 a
corpus humanum animæ proportionabile. pag. 155 col. 1 a
Creare est de nihilo aliquid facere. pag. 877 col. 2 a
creationis mundi doctrina. pag. 142 col. 2 c
creationis primi hominis quanta sit dignitas. pag. 775 col. 1 c & seq.
Creatori nostro totaliter quidquid sumus debemus. pag. 368 col. 2 b
Creatura a Deo producta triplex. pag. 143 col. 1 c
creatura cur sit triplex. ibid. & seq.
creaturæ ad Creatorem tripliciter possunt comparari. pag. 31 col. 2 a
creaturarum vanitas. pag. 813 col. 1 & 2 a b c
Credere Deo, Deum, & in Deum quid, & quomodo differant. pag. 165 col. 1 c
ad credendum firmiter duo sunt necessaria. pag. 66 col. 2 c
Criminis impedimentum quid. pag. 188 col. 1 b c
Crucis præconia. pag. 895 col. 1 a
crux Christi figuratur per exiguum lignum, & quare. pag. 894 col. 2 c & seq.
Culpa primorum parentum, & quid de ea tenendum. pag. 34 col. 1 b c & seq.
culpæ gravitas consideratur. pag. 92 col. 2 a
Vide plura, verbo peccatum.
Curiositas quid. pag. 120 col. 1 c
Cultus duplex exterior, & interior. pag. 277 col. 1 c
cultus disparitas, impedimentum in matrimonio. pag. 188 col. 2 a

D

Daleth interpretatur tabularum, seu tabulatum, vel tabula. pag. 944 col. 2 c
Dæmonum fides qualis sit: pag. 887 col. 2 b
Datum, donum, & datio quid differant ex Linconiensi. pag. 256 col. 1 c.
Delectatio in re convenienti sequitur apprehensionem. pag. 344 col. 2 a
Delictum quid. pag. 111 col. 1 c & 2 a.
Delinquentium tria genera, & qualis circumspectio ad horum correptionem requiratur. pag. 469 col. 1 c & 2 a b.
Deordinationis libidinosæ pœna. pag. 99 col. 1 b
deordinationis perpetuæ pœna. pag. 98 col. 2 c & 99 col. 1 a
deordinationis multimodæ pœna. ibid. col. 2 c
Deprecatio in sermone, seu oratione quid sit. pag. 957 col. 2 a
deprecatio & oratio quomodo differant. pag. 926 col. 1 c
Desidia quid. pag. 113 col. 1 a
Detractio quid sit. pag. 117 col. 2 b.
detractio fit pluribus modis. pag. 809 col. 2 c
detractio sex modis committitur. pag. 117 col. 2 b
a detractione valde abhorrebat S. Franciscus. pag. 504 col. 2 b
Devotio triplex est. pag. 474 col. 1 a & 476 col. 2 b. & ibid. c
devotio specialis in quo consistat. ibid. c & seq.
devotio quos effectus habeat. pag. 473 col. 2 b c & seq.
Deus est Sphæra intelligibilis, cujus centrum est ubique, & circumferentia nusquam. pag. 354 col. 2 b c
Deus est in omnibus rebus tripliciter. pag. 140 col. 1 b
Deus quando dicatur fieri nobis præsens. ibid. col. 2 a
Deus in quibus habitet. ibid. col. 1 c.
Deus in quibus apparere dicatur. ibid.
Deus quomodo dicatur mittere, & mitti. ibid. col. 2 a
Deus quomodo condescendat, & nos per gratiam elevemur. pag. 57 col. 1 c.
Deus in quibus sedere dicatur. pag. 140 col. 1 c
Deus solus potuit genus humanum redimere, & homo debuit, & quomodo. pag. 45 col. 2 a b
Deus quantum, & quomodo diligendus. pag. 427 col. 1 b c & 390 col. 2 b
Deus propter se, & summe diligendus

dus. pag. 780 col. 1 a b c & seq. usque ad 283
Dei nomen scriptum S. Franciscus summo in honore habere voluit. pag. 513 col. 2 b
Dei sapientia quomodo scientia, sive cognitio. pag. 141 col. 1 c & seq.
Dei voluntas recta, & efficax. ibid. col. 2 b c
Dei sapientia quomodo dicatur visio, dispositio, prædestinatio, & reprobatio pag. 140 col. 1 c & seq.
Dei voluntas quæ sit. pag. 296 col. 2 b
Dei omnipotentiæ qui actus non conveniant. pag. 16 col. 1 a
Dei notitia triplex. pag. 141 col. 2 a.
Dei unitatem speculamur per ejus primarium nomen quod est esse. pag. 352 col. 2 & seq.
Deo qui actus non tribuantur. pag. 140 col. 2 c & seq.
Deum speculamur per suam imaginem, triplicem, scilicet animæ potentiam. pag. 347 col. 1 & 2 c & seq.
Deum speculamur per suam imaginem donis gratuitis reformatam. pag. 350 col. 1 b c & seq.
in Deo tres personæ, & una natura. pag. 139 col. 1 c & 2 a & seqq.
Deus quanta, & quæ conferat beneficia. pag. 870 col. 2 a & seqq.
Deus magnificat sanctos suos multipliciter. pag. 933 col. 2 b
Deus tripliciter dicitur. pag. 898 col. 2 c
Deus quomodo possit super mala. pag. 911 col. 1 b
Deus solus est bonus, & quare. pag. 881 col. 1 b
Deus est quidquid in eo est. pag. 889 col. 2 a
Deus quomodo lætetur in perditione peccatorum. pag. 810 col. 2 c
Diabolus quomodo prædicat futura ex Augustino. 146 col. 1 c & seq.
diabolus cur in tentatione primi parentis speciem serpentinam assumpserit. pag. 33 col. 2 b
diabolus crudelis bestis animæ. pag. 420 col. 1 c
diaboli miracula quomodo a veris Dei miraculis discernantur. pag. 146 col. 2 c & seq.
diaboli ministerium cur interdictum hominibus. pag. ibid. col. 1 c
diaboli astutia in tentatione primorum parentum expenditur. pag. 33 col. 1 c
Diaconus ejusque potestas, & officium. pag. 184 col. 2 b
Dies judicii, quare dies agnitionis vocetur, quoad bonos. pag. 825 col. 2 b.
Dijudicatio quid. pag. 345 col. 1 b
in Dilectione ordo servandus. pag. 68 col. 1 a
Diligenda ex charitate quatuor, & de his doctrina. pag. 67 col. 2 b c & seq.
Disciplina quid sit, & quomodo differat a sapientia. pag. 844 col. 2 b
disciplina duplex, & quid sit quælibet. pag. 857 col. 1 c
disciplina quid secundum diversos. pag. 172 col. 1 b & c
Discordia quid. pag. 121 col. 1 b
Distinctio sex dierum, & de ea doctrina. pag. 144 col. 1 a & b
Divinatio quid, & quotuplex. pag. 129 col. 2 c & 130 col. 1 a b & seq.
divinatio omnis quare damnabilis. pag. 130 col. 1 b
divinationis modi varii a diabolo inventi. pag. ibid. col. 1 b c & 2 a.
divinationis quinque species. pag. 129 col. 2 c & seq.
in Divinis dicendi, & quærendi modi quinque. pag. 13 col. 1 c
in Divinis tres modi differendi. ibid.
in Divinis duo modi prædicandi. pag. 12 col. 2 a & 139 col. 2 b
in Divinis notiones quinque. pag. ibid. col. 2 a
Docilitas quid. pag. 169 col. 1 b
Doctores sacræ Scripturæ ob multas rationes cœli nomine significantur. pag. 240 col. 1 c & seq.
Domina vide Virgo Maria.
Dominationis nomen quid significet. pag. 213 col. 1 a & seq.
Dona Spiritus sancti, cur appellentur radii ignei. pag. 255 col. 1 c
donorum generalis differentia. pag. 174 col. 2 a
Dorix medicamentum interpretatur. pag. 866 col. 2 b
Dotes corporis quatuor sunt, & cur tot sint. pag. 193 col. 2 a & b & pag. 100 col. 1 c
dotes tres animæ gloriosæ. pag. 193 col. 2 c

Dulia quibus modis sumatur, & quid sit. pag. 171 col. 2 c

E

de Ebrietate sobria spirituali multa. pag. 321 col. 2 a b c & seq.
Ebrius aliquid perpetrans, an novam culpam committat. pag. 127 col. 1 a.
Ecclesia primitiva comparatur orbi propter septem. pag. 808 col. 2 c & 809 col. 1 a
Ecclesiæ potestas ad moderanda jura matrimonii. pag. 90 col. 1 c
Ecclesiæ Prælati comuni utilitati non incumbentes quales sint. pag. 946 col. 2 b
Electivæ virtutis operatio attenditur in consilio, judicio, & desiderio. pag. 349 col. 1 a
Elementa in fine mundi, quomodo dicantur interire. pag. 96 col. 1 c
in elementis contrarietas duplex. pag. 21 col. 2 c
elementariis natura quadruplex. pag. 144 col. 1 c
Emanationes in divinis duæ. pag. 11 col. 2 b & 139 col. 1 a
Ens multis modis consideratur. pag. 348 col. 1 b c
Ephialtes quid. pag. 153 col. 2 c
Epiphania quid. pag. 148 col. 1 b
Episcopatus non est ordo. pag. 185 col. 2 b
Episcopi quomodo dominationibus conformentur. pag. 213 col. 2 c
Episcopis quæ reserventur. pag. 88 col. 1 c
Ephraim frugifer interpretatur. pag. 956 col. 2 a
Error quotuplex, & quis sit peccatum. pag. 114 col. 1 a b
erroris impedimentum quid. pag. 187 col. 2 b c
Esse divinum quale sit. pag. 889 col. 1 c & 2 a
esse est primum quod occurrit intellectui, & quomodo intelligi debeat. pag. 353 col. 2 c & seq.
Evangelia, quatuor qualitatibus contexuntur. pag. 160 col. 1 a
Evangelicæ, & Mosaicæ legis differentia. pag. ibid. b
in evangelica lege quatuor conditiones nobilissimæ. ibid.
Eucharistia bona gratia interpretatur. pag. 913 col. 2 b
Eucharistia est sacrificium, & Sacramentum, & viaticum. pag. 82 col. 1 c
Eucharistia cur sub panis, & vini speciebus instituta. pag. 83 col. 1 a b.
Eucharistiæ forma. pag. 180 col. 1 a.
Eucharistiæ efficacia, seu operatio. pag. 181 col. 1 b
Eucharistiæ integritati quatuor necessaria. pag. 179 col. 2 b c
Eucharistiæ materia. ibid.
de Eucharistiæ integritate doctrina. pag. 81 col. 2 c
Eucharistiam manducandi modi duo. pag. 180 col. 2 c
in Eucharistia quid sacramentum, quid res, quid res & sacramentum. ibid. col. 1 c & 2 a
Exaltationis quatuor species. pag. 120 col. 1 b
Excessus mentalis, & mysticus, & quomodo in eo requies datur intellectui affectu totaliter in Deum transeunte. pag. 357 col. 1 a b & seq.
Excommunicati pœna multiplex. pag. 128 col. 2 c
excommunicatio injusta, in quibus casibus non ligat. pag. 731 col. 1 a b.
excommunicatio quid, & quotuplex. pag. 128 col. 2 b
ab excommunicatione in percussione clerici casus excepti. pag. 129 col. 1 b c & 2 a
Exercitatio mentalis, & quadruplex ejus obiectum. pag. 412 col. 2 a b & seq.
Exterminium multa significat. pag. 811 col. 1 b
Extrema unctio quibus, & quando danda. pag. 183 col. 1 c & 2 a
Extrema unctio non nisi adultis conferenda. pag. 86 col. 2 b
Extrema unctio cur in oleo simplici consecrato, & oratione deprecativa conficiatur. ibid. col. 1 c
Extremæ unctionis materia. pag. 183 col. 1 c
Extremæ unctionis, confirmationis septiformis differentia. ibid. col. 2 c.
Extremæ unctionis efficacia. pag. 86 col. 1 b
Extremæ unctionis forma. pag. 183 col. 1 c
Extremæ unctionis dispensator quis. ibid.

de

de Extremæ unctionis sacramento doctrina. pag. 85 col. 2 a b & seq.
in Extrema unctione quid res, quid sacramentum, quid res & sacramentum. pag. 184 col. 1 a

F

Fidentia quid. pag. 170. col. 2 c & 290 col. 2 c
Fides dictat altissime & piissime sentiendum de Deo. pag. 10 col. 2 b
fides Christi infusa totius Scripturæ lucerna, janua, & fundamentum. pag. 2 col. 1 b c
fidei variæ definitiones. pag. 164 col. 2 c & seq.
fidei decem significata. pag. 165 col. 1 a
fidei & spei differentia. pag. 167 col. 2 c
Filii alii nascuntur septimo mense, alii octavo, alii nono, alii decimo, & quid sit melius. pag. 847 col. 2 b c.
Filio Dei quæ approprientur. pag. 141 col. 1 b
filium incarnari convenientius fuit. pag. 45 col. 2 c
Finis hominis in via est perfecte quærere veritatem, & sapientiæ studere. pag. 843 col. 2 c
Firmamenti nomine Christus significatur. pag. 243 col. 1 b
in firmamento continentur septem orbes. pag. 143 col. 2 c
Fornicatio quid. pag. 125 col. 1 c & 2 a & 132 col. 2 c & 133 col. 1 a
Fornicationis pessimum genus quod sit. pag. 896 col. 1 c
Fortitudo duplex est. pag. 288 col. 1 a.
fortitudo, quæ sit donum Spiritus sancti. ibid. c
fortitudo purgatoria ex Macrobio quid. pag. 290 col. 1 b
fortitudo purgati animi. ibid. c
fortitudinis variæ definitiones. pag. 170 col. 1 c
fortitudinis, prout est virtus humana, quatuor partes. pag. 290 col. 2 c
fortitudinis partes juxta diversos. pag. 170 col. 2 a
fortitudinis donum quid. pag. 173 col. 2 b
fortitudinis donum facit meridiem diei spiritualis. pag. 290 col. 1 b
fortitudinis donum facit horam vespertinam diei spiritualis. ibid. c
item mane diei spiritualis. ibid. a
fortitudinis donum menti convivium spirituale præparat. ibid. a b c & seq.
per fortitudinis donum, quomodo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, memoriæ, intellectus, & voluntatis nostræ porta aperiatur. pag. 289 col. 1 b c
per fortitudinis donum dies spiritualis in anima oritur. pag. 288 col. 2 c
Franciscus sanctus in habitu seculari quomodo fuerit conversatus. pag. 480 col. 2 c & seq.
Franciscus sanctus per Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi significatur. pag. 470 col. 1 c
Franciscus sanctus post perfectam ad Deum conversionem accessit ad reparationem trium Ecclesiarum. pag. 482 col. 2 b
Franciscus sanctus quo pacto sacra stigmata acceperit, & diversa miracula per ipsa patraverit. pag. 522 col. 1 b c & seqq.
Franciscus sanctus efficax in prædicando, & gratia sanitatum clarus. pag. 518 col. 1 c & seq.
Franciscus sanctus, quam austeræ vitæ fuerit, quantumque solatium ei præberent creaturæ. pag. 492 col. 2 c & seq.
Franciscus sanctus in Ecclesia Virg. Mariæ regulam instituit, & ipsius approbationem ab Innocentio III. accepit. pag. 485 col. 1 c & seq.
sub Francisci manu multum regula proficit eademque ab Honorio confirmatur. pag. 488 col. 2 c & seq.
Francisci sancti quam magna pietas, & quomodo ratione carentia ad ipsum afficerentur. pag. 503 col. 2 c & seq.
Francisci sancti quam magnus fuerit paupertatis amor. pag. 500 col. 1 b & seq.
Francisci S. cannonizatio, & translatio. pag. 527 col. 2 c & seq.
Francisci S. quantum studium, & virtus orationis. pag. 511 col. 2 b c & seqq.
Francisci S. quam mira fuerit humilitas & obe-

& obedientiæ. pag. 496 col. 1 c, & col. 2 a & seqq.
Francisci S. quantum fuerit ardor charitatis, & quam fervens desiderium martyrii. pag. 508 col. 1 b c, & seqq.
Francisci S. miracula diversa referuntur. pag. 530 col. 1 a b & seqq.
Francisci S. quanta fuerit intelligentia scripturarum, & qualis prophetiæ spiritus. pag. 514 col. 1 c & seqq.
Fratres S. Francisci cur non sustineant viros, & feminas ipsorum habitum pro libito induere. pag. 708 col. 2 c & 709 col. 1 a & seq.
fratres sancti Francisci librorum, utensilium, ac donorum non sunt domini. pag. 736 col. 1 b c
frares cur aliquando contra voluntatem Episcoporum, plebanorum, & dominorum terræ domos recipiant. pag. 710 col. 2 b c & seq.
fratres a quibus cavere debeant. pag. 771 & 772 per totum.
fratres cur scripta sua, libros, & quaternos difficulter aliis præstent. pag. 718 col. 1 b c & seq.
fratres cur populis non prædicant jus plebanorum. pag. 719 col. 1 b c & seq.
fratres Franciscani cur recipiant domos, & areas non contiguas ipsorum areis. pag. 709 col. 1 a b & seq.
fratres iidem cur impediant alios religiosos circa suam habitationem monasterium construere. pag. 708 col. 1 a b & seq.
fratres cur faciant magnos conventus, & non potius terni, vel quaterni, sed in multitudine, in domibus habitent. pag. 713 col. 2 a b & seq.
fratres S. Francisci an teneantur manibus laborare. pag. 737 col. 1 c & seq.
fratres cur habeant curam ordinis sanctæ Claræ. pag. 715 col. 1 c & seq.
fratres cur de loco ad locum sæpe mutentur. pag. 707 col. 1 c & seq.
fratres cur in bonis civitatibus, & oppidis frequentius prædicent. pag. 716 col. 1 c & seq.
fratres cur a sede Apostolica obtinent judices, & conservatores. pag. 711 col. 2 c & seq.
fratres qui promovendi ad confessiones, & prædicationes. pag. 705 col. 1 c & seq.
fratres Franciscani cur recipiant aliqua, quæ postea pro pecunia venduntur. pag. 712 col. 2 b & seq.
fratres S. Francisci an ejecerint aliquos religiosos, vel clericos violenter de propriis Ecclesiis. pag. 711 col. 2 a & seq.
fratres iidem cur tantum acquirant sæpe de una specie, ut necesse sit unum pro alio commutare. pag. 713 col. 1 b & seq.
inter fratres S. Francisci cur non exhibeatur meriti reverentia iis, qui in ordine sunt priores ingressu. pag. 717 col. 1 c & seq.
Fraus quid. pag. 112 col. 2 c
Fructus triplex. pag. 192 col. 1 a
fructus spiritus duodecim. pag. 176 col. 2 b
Fucus est color innaturalis, & adulterinus. pag. 860 col. 1 b
fucus multipliciter accipitur. ibid.
Furtum quid. pag. 131 col. 2 b

G

Gabriel quid significet. pag. 148 col. 2 c
Gaudium beatorum, vel est substantiale, vel consubstantiale, vel accidentale. pag. 449 col. 1 b & seq.
idem ineffabile, & ex tribus provenit. ibid. col. 2 b
gaudium beati de his, quæ juxta se sunt. pag. 447 col. 1 b
gaudii magni beatorum materia est conspectus B. Virginis exaltatæ super choros Angelorum. pag. 450 col. 2 c
Gentiles quales nationes dicantur. pag. 860 col. 1 b
Ghimel interpretatur plenitudo. pag. 943 col. 2 b
Gloria quam speramus, sibi vendicat vitam nostram. pag. 368 col. 1 c
Gradus quid. pag. 190 col. 1 b
Gratia quid. pag. 171 col. 2 c
gratia stricte sumpta, quomodo dividatur in prævenientem, & subsequentem. pag. 334 col. 1 c & 2 a
gratia gratum faciens origo, & forma omnium habituum. pag. 258 col. 2 b

gra-

gratia tripliciter dicitur. pag. 58 col. 1 b
gratia considerata secundum principium, a quo procedit, quomodo dividatur. pag. 334 col. 1 a b & seq.
gratia dividitur in gratiam protectionis, liberationis, & salvationis. ibid. c
gratia præveniens, & subsequens. pag. 162 col. 1 c
gratia ramificatur in habitus virtutum, donorum, & beatitudinum. pag. 61 col. 1 a & seq. & 62 col. 1 c & seq. & 163 col. 2 a & seq.
gratia ramificatur in actus beatitudinum. pag. 259 col. 2 c & seq.
gratiæ diversæ diffinitiones. pag. 162 col. 1 c
gratiæ diversa nomina. ibid. col. 2 c & seq.
gratiæ diversæ divisiones. ibid. a
gratiæ novem genera ex comparatione ad novem Angelorum ordines. pag. 199 col. 2 b c
gratiæ Spiritus sancti quadruplex consideratio. pag. 56 col. 2 c
ad gratiæ augmentum quomodo Deus, gratia, & liberum arbitrium concurrant. pag. 59 col. 1 b & c
de gratia, quatenus donum, doctrina. pag. 56 col. 2 c
de gratia in comparatione ad liberum arbitrium doctrina. pag. 58 col. 1 b
de gratia in quantum est remedium peccati. pag. 59 col. 2 b
absque gratia liberum arbitrium potest in aliquod bonum morale. pag. 336 col. 2 b
absque gratia homo non potest vincere adversarium. pag. 335 col. 1 b
absque gratia gratis data non potest homo præparare se ad gratiam gratum facientem. ibid. col. 2 c
absque gratia aliqua non potest homo tentationibus resistere. ibid. b
absque gratia non potest homo detestari culpam, ut offensam majestatis, & æquitatis divinæ. pag. 236 col. 2 a.
quali gratia indigeat homo, ut resurgat a peccato. pag. 334 col. 2 c
absque gratia mandata secundum substantiam operis possunt impleri, & non secundum intentionem jubentis. pag. 337 col. 2 a
per gratiam gratis datam quid intelligatur. pag. 335 col. 2 c
Gula quid. pag. 124 col. 2 a
gulæ filiæ ex Gregorio quinque, ex Isidoro duæ. ibid. b & c
gulæ parsimonia, & sobrietas opponuntur. ibid.

H

Habitare Deum in aliquo quid significet. pag. 14 col. 1 b c
Hæresis proprie, & minus proprie dicitur. pag. 128 col. 1 a
Hæreticus multipliciter dicitur. ibid.
hæreticorum intentio sæpe est reddere clerum despectum, & contemptu dignum. pag. 701 col. 2 c & seq.
He interpretatur vita, aut vivere. pag. 984 col. 2 c
Heth vita vel pavor interpretatur. pag. 987 col. 2 a
Hierarchia divina quid. pag. 147 col. 1 c
hierarchia Angelica quid. ibid. & col. 2 a
hierarchia Angelica in quæ dividatur. pag. 148 col. 1 b
hierarchia Ecclesiastica quid. pag. 147 col. 2 a
hierarchia triplex. ibid. col. 1 c & 201 col. 1 c & seq.
hierarchia ultima continet Principatus, Archangelos, & Angelos. pag. 219 col. 2 c
Holocaustum quid ex Papia. pag. 331 col. 1 a
Homicidium quid, & quotuplex pag. 131 col. 2 b
homicidium spirituale committitur duobus modis. ibid.
homicidium corporale fit duobus modis ibid.
Homo dicitur minor mundus. pag. 344 col. 1 b
homo secundum dona naturalia potest appetere perfectionem intra limites naturæ. pag. 337 col. 1 b
homo per se cadit, non tamen surgit. pag. 59 col. 2 b
homo absque auxilio Dei non potest resurgere a peccato. pag. 334 col. 2 c
homo quomodo mutetur ad imitationem mundi. pag. 935 col. 1 b
homo tripliciter a Deo derelinquitur. pag. 943 col. 2 a

homo est arbor eversa. pag. 828 col. 1 a
hominis primi peccatum quod, & quomodo se habuerit. pag. 109 col. 2 b c
homini a principio duplex præceptum datum. pag. 126 col. 1 a
hominis vanitas, & vertibilitas. pag. 814 col. 1 c
hominis inimici sunt tres pag. 871 col. 2 b
homini a principio quæ data. pag. 155 col. 2 c
homini circa se tria circumspecienda. pag. 361 col. 2 c
de homine in paradiso collocato quid sentiendum. pag. 30 col. 1 b c
in homine anima una. pag. 150 col. 2 b
Honestas quid. pag. 170 col. 1 a
honestas publicæ justitiæ quid. pag. 188 col. 2 c
Honestum quid. pag. 113 col. 2 b c
Hordeum significat legem veterem, & quare. pag. 972 col. 1 b
Hostiæ fractionis doctrina pag. 181 col. 1 c
Humanæ vitæ deceptio duplex. pag. 899 col. 1 a
Humiliatio est via ad veritatis cognitionem, & implorationem majestatis pag. 949 col. 2 c
Humilitatis quatuor actus. pag. 120 col. 2 c
ad humilitatem quibus gradibus pervenitur. pag. 378 col. 1 a b
Hyperdulia debetur B. Mariæ. pag. 171 col. 2 c
Hyperphania quid. pag. 148 col. 1 b
Hypocrisis quid, & quotuplex. pag. 121 col. 1 b & 131 col. 1 a
hypocrisis species quatuor ex Gregorio, & Richardo. ibid.
Hypophania quid 148 col. 1 b
Hypostases in divinis tres. pag. 11 col. 2 b

I

Jacob multa habuit a Deo beneficia. pag. 869 col. 2 c & seq.
Jaspis quid significet. pag. 210 col. 1 b
Idololatriæ quid & quotuplex. pag. 127 col. 2 b
idololatria unde, & quo ortum habuerit. pag. 897 col. 2 b & seq.
Jesus ex Deo genitus. pag. 395 col. 1 b c
Jesus emissus cœlitus. ibid. col. 2 b & seq.
Jesus Maria natus. pag. 396 col. 1 a b
Jesus præfiguratus. pag. 395 col. 1 c & col. 2 a
Jesus conformis Patribus. pag. 396 col. 2 c & seq.
Jesus tribus Magis monstratus. ibid. col. 2 b
Jesus submissus legibus. ibid. col. 2 c
Jesus Baptista cœlitus. pag. 397 col. 2 a
Jesus signis mirificus. ibid. lit. c
Jesus transfiguratus. pag. 398 col. 1 a b
Jesus pastor sollicitus. ibid. col. 1 c & seq.
Jesus fletu rigatus. ibid. col. 2 b c
Jesus rex orbis agnitus. ibid. & 399 col. 1 a
Jesus panis sacratus. ibid. b c & seq.
Jesus dolo venundatus. ibid. col. 2 a b & seq.
Jesus orans prostratus. pag. 400 col. 1 a b
Jesus turba circumdatus. ibid. c & seq.
Jesus vinculis ligatus. ibid. col. 2 a b
Jesus notis incognitus. ibid. col. 2 c
Jesus vultu velatus. pag. 401 col. 1 a b
Jesus Pilato traditus. ibid. col. 1 c & seq.
Jesus morte damnatus. ibid. col. 2 a b c
Jesus spretus ab omnibus. ibid.
Jesus cruci clavatus. pag. 402 col. 1 b & seq.
Jesus junctus latronibus. col. 2 a b & seq.
Jesus felle, & aceto potatus. pag. ibid. col. 2 c & seq.
Jesus sol morte pallidus. pag. 403 col. 2 a b

Jesus translanceatus . pag. 404 col. 1 a b.
Jesus cruore madidus . ibid. c & seqq.
Jesus intumulatus . ibid. col. 2 b c & seq.
Jesus triumphans mortuus . pag. 405 col. 1 b c
Jesus resurgens beatus ibid.
Jesus decor praecipuus . ibid. col. 2 b c
Jesus orbi praelatus . pagin. 406 col. 1 a b.
Jesus Ductor exercitus . ibid. c.
Jesus caelo levatus . ibid. col. 2 a
Jesus Largitor spiritus . ibid. c
Jesus laxans reatus . pag. 407 col. a b & seq.
Jesus testis veridicus . ibid. col. 1 c & seq.
Jesus judex iratus . ibid. col. 2 b & seq.
Jesus sponsus ornatus . pag. 408 col. 1 c.
Jesus victor magnificus . ibid. col. 1 a b.
Jesus rex regis filius . ibid. col. 2 a b.
Jesus liber signatus . ibid. c
Jesus fontalis radius . pagin. 409 col. 1 b
Jesus finis optatus . ibid. col. 2 a b.
Jesu jejunium, & tentatio in deserto. pag. 397 col. 2 b c
Jesu peregrinatio in Ægyptum . ibid. col. 1 a b c.
Ignis species sunt tres . pag. 917 col. 2 b.
ignis elementaris in judicio quid faciet . pag. 138 col. 1 a
ignis, & cetera elementa reprobos affligent . pag. 136 col. 2 c.
de igne conflagrationis doctrina . pag. 137 col. 2 b c.
de igne infernali doctrina . pag. 98 col. 2 c & seqq.
Ignorantia quid . pag. 131 col. 1 a
ignorantia duplex pag. 890 col. 2 c & seq.
ignorantia vincibilis duplex . pag. 112 col. 2 b c.
ignorantia alia facti, alia juris . pagin. 111 col. 2 b c. & 126 col. 2 b.
ignorantia invincibilis juris duplex . pagin. 126 col. 2 b c
ignorantia juris positivi judices accusat . pag. 111 col. 2 c.
ignorantia invincibilis duplex . pag. 112 col. 1 b c.
ignorantia facti quotuplex . ibid. & 126 col. 2 c.
ignorantia juris divini quos accuset . pag. 111 col. 2 c
ignorantia juris duplex . pag. 126. col. 2 b
ignorantia vincibilis duplex . ibid. c
ignorantia juris continentis morales constitutiones Ecclesiae, quos accuset . pag. 111 col. 2 c & seq.
ignorantia alia simplex, alia affectata . pag. 112 col. 1 a b.
ignorantia triplex negationis, privationis, & pravae dispositionis . pag. 111 col. 2 b
Imaginatio quid . pagin. 150 col. 1 b & quid ex August. pagin. 153. col. 1 b.
imaginationis nomina varia . pag. 151 col. 1 c
Imago, & similitudo quomodo differunt . pag. 154 col. 1 a b.
imago quare ad potentiam cognitivam, similitudo vero ad effectivam pertineat . pagin. 819 col. 2 a b.
imago quid ex Hilario . pagin. 154 col. 1 c.
imagines diversimode adorantur a Christianis, & ab idololatris . pag. 892 col. 2 c
imagines Sanctorum adorandae . pag. 277 col. 2 b c & seq.
Impiorum status multis rebus comparatur . pag. 815 col. 2 b c.
Impoenitentia finalis duo significat . pag. 43 col. 2 a b.
Impotentia coeundi impedimentum matrimonii . pag. 90 col. 1 b
Inanimata quomodo maledicantur, & poenas luant . pag. 996 col. 1 c
Inanis gloria quid . pagin. 120 col. 2 c.
inanis gloriae septem sunt filiae . pag. 121 col. 1 a
inanis gloriae differentiae formales, & materiales . pag. 120 col. 2 c & 121 col. 1 a.
Incestus quid . pag. 125 col. 2 b
Incarnatio cur sic dicta, & non animatio . pag. 45 col. 2 a.

in-

incarnationis decentia exponitur. pag. 43 col. 2 c & seqq.
de incarnationis opere doctrina. pag. 45 col. 1 a & seq.
incarnationis opus a tota Trinitate emanavit. ibid. c
Incipientes ob multas causas indigent magistro. pag. 454 col. 1 b
Incontinentia quid. pag. 121 col. 1 b
Indigentia hominis septuplex. pag. 62 col. 2 b
Indignatio quid sit in oratione, & sermone. pag. 938 col. 1 b
Infernalis locus absque dubio sub terra. pag. 136 col. 2 c & seq.
infernalis pœna intollerabilis. pag. 438 col. 1 c
Infernus dicitur exterminium, & quare. pag. 811 col. 1 b
Infidelitas peccatum maximum. pag. 887 col. 2 a b & 901 col. 1 a
Infirmitas animæ vulnus quid. pag. 135 col. 1 a b
infirmorum corpore tria genera. pag. 460 col. 1 a b
& infirmorum mente alia tria. pag. 461 col. 1 a
Ingenium quid. pag. 152 col. 2 b
Innocentiæ in statu non poterant esse peccata venialia. pag. 39 col. 2 c
Inobedientia quid. pag. 121 col. 1 b
Inopia duplex. pag. 555 col. 2 b
Insomnium quid. pag. 153 col. 2 b
Intellectus quid sit. pag. 150 col. 1 b
& quid ex August. pag. 153 col. 2 c
intellectus donum ad quid necessarium. pag. 305 col. 1 a
intellectus ut donum Spiritus sancti quid. pag. 304 col. 2 b
intellectus donum cur sexto loco ordinetur. pag. 303 col. 1 c & seqq.
intellectus pro vi naturali, & pro virtute intellectuali, habitu scilicet principiorum. pag. 304 col. 1 c & seq.
intellectus operatio quæ sit. pag. 348 col. 1 a
intellectus doni actus. pag. 173 col. 1 c
intellectus doni hora vespertina quæ. pag. 310 col. 1 c
intellectus doni mane quomodo oriatur in mente. pag. 309 col. 1 c
intellectus doni meridies quæ. pag. ibid. col. 2 b
per intellectus donum veritates divinæ absconditæ in sacra Scriptura manifestantur. pag. 306 col. 1 c
per intellectus donum dies spiritualis in anima oritur. pag. 309 col. 1 b & seq.
per intellectus donum convivium spirituale menti præparatur. pag. 311 col. 1 a & seqq.
per intellectus donum penetrantur velamina sacramentorum. pag. 308 col. 2 c & seqq.
Intelligentia quid ex August. pag. 153 col. 1 c
Interdictum Ecclesiæ, & quæ possint, & debeant fieri in eo. pag. 128 col. 2 c & seq.
Invidia quid. pag. 121 col. 2 b
invidia quibus nominibus dicatur. invidiæ differentiæ materiales. ib. c.
invidiæ filiæ quinque. pag. 122 col. 1 a
Invidus numquam fit sapiens. pag. 846 col. 1 a
Jod principium interpretatur. pag. 950 col. 2 c & 949 col. 2 c
Joseph quanta a Deo receperit beneficia. pag. 871 col. 1 a b & seq.
Ira quid. pag. 122 col. 2 b
ira in Deo est animus puniendi. pag. 896 col. 1 c.
ira opponitur mansuetudini, & patientiæ. pag. 122 col. 1 c & seq.
iræ species tres. pagin. ibid. col. 2 b
iræ filiæ sex, & quæ. pag. ibid. c.
item tres ex Damasceno. ibid. b
de ira & furore Dei. pag. 226 col. 2 c & seq.
Judices ob multas rationes virtutis dicuntur. pag. 215 col. 2 c & 216 col. 1 a & seq.
Judicum & prælatorum auctoritas carlorum nomine significantur ob multa. pag. 231 col. 2 b, & seq.
Judicium pravum quid, & quotuplex. pag. 114 col. 1 c & 2 b c
judicium finale quam formidabile. pag. 437 col. 2 b c. cur futurum. pag. 91 col. 1 a. b. in eo aperientur liber conscientiæ, & liber vitæ. ib. col. 2 b & pagin. 137 col. 1 a & seq. & 2 a. in eo erit concursus ignis quadruplicis. ibid. c. & 138 col. 1 a
Ju-

Juramenti tres comites. pagin. 117 col. 1 a.
juramenti duæ differentiæ. ibid.
Jurare quid. pag. 116 col. 2 c
jurare propter quæ liceat. pag. 116 col. 2 c
Justificatio magnum Dei beneficium. pag. 425 col. 1 a
justificatio impii quatuor requirit. pagin. 59 col. 2 c & 182 col. 2 c
in justificatione impii quid faciat Deus. pag. 60 col. 1 b
in justificatione impii concurrunt gratia gratis data, & gratum faciens. ibid. col. 2 a b.
Justitia quid. pag. 171 col. 1 b
justitia & specialis, & generalis virtus. pag. 62 col. 1 a
justitiæ effectus, & actus. pag. 172 col. 2 a b
justitiæ divinæ severitas. pag. 98 col. 2 b c
Justus pro quatuor maximis datis Deo, ab eo recipit maxima dona. pagin. 191 col. 2 c

L

LAcrymæ quæ sint utiles, & quomodo sit lacrymandum. pag. 976 col. 1 a b & seq.
Lætitia inepta. pagin. 120 col. 1 c & 2 a
Laicus laico in extremis non debet confiteri. pag. 732 col. 2 c & 733 col. 1 a
Lamed disciplina, sive contritio interpretatur. pag. 952 col. 1 c.
Lamentationum Hieremiæ tractatus inter tractatus mœstitiæ arcem tenet, sicut canticum canticorum inter lætitiæ tractatus. pag. 937 col. 1 c
Lamia quale sit monstrum. pag. 996 col. 2 b
Latria quid sit, & quid comprehendat. pag. 171 col. 2 b
latriæ officia quæ. ibid.
latriæ exhibitio debet habere tria. pag. 365 col. 1 c
Laus divina in nobis nunc perfecta tribus de causis. pag. 901 col. 1 a
Legem tripliciter offendimus. pag. 854 col. 1 c.
lex quare lumen dicitur. pag. 922 col. 2 c
lex Evangelica, & Mosayca quomodo differant. pag. 69 col. 1 b
Levitas mentis quid. pagin. 120 col. 1 c
Liber vitæ quid ex Augustino. pag. 91 col. 2 b
liber vitæ Verbum incarnatum. pag. 137 col. 2 a.
Liberalitas quid. pag. 171 col. 1 c & 2 a
Libertas peccandi quid pagin. 120 col. 2 b
libertas voluntatis creatæ quomodo stet cum infallibilitate prædestinationis divinæ. pagin. 17 col. 2 a b.
Liberum arbitrium quid. pagin. 154 col. 1 c
liberum arbitrium varie definitur. ibid. col. 2 a.
Ligaminis impedimentum quid. pag. 188 col. 2 c
Limbus duas partes habet. pag. 136 col. 2 a
in limbo animæ existentes consolationes receperunt ab his qui de novo venerant pag. 324 col. 1 b.
Linea in consanguinitate quid. pagin. 190 col. 1 a
Locutionis mala sunt tria. pag. 900 col. 1 a.
Lot quanta a Deo acceperit beneficia. pag. 868 col. 2 c & seq.
Lucifer primus Angelorum quomodo peccarit. pag. 146 col. 1 a b
lucifer idem tumens de privato bono privatam appetiit excellentiam. pag. 25 col. 2 c
Lumine & motu corpora cœlestia distinguunt tempora. pag. 22 col. 2 b.
Luxuria quid. pag. 125 col. 1 b
Luxuria continentiæ opponitur. ibid. c
luxuriæ species sex, vel octo dici possunt, & quomodo. pag. ibid. & col. 2 a b
luxuriæ tentatio quotuplex. ibid. col. 1 c
Luxuriæ filiæ octo ex Gregorio. ibid. col. 2 b. & ex Isidoro quatuor. ibid. c.
luxuriæ tentatio quintuplex. ibid. col. 1 c.

Ma-

M

Machina mundialis sex diebus fuit producta. pag. 143 col. 2 c
Magnificentia quid sit pag. 955 col. 1 c. item ex Tullio. pag. 291 col. 1 b
Magnificentiae duae definitiones. pag. 270 col. 2 b
magnificus quid sit. pagin. 955. col. 1 c.
Mala quae & quomodo fecerit Deus. pag. 811 col. 2 b & seq.
Maledictum quadruplex. pag. 117 col. 1 c & 2 a.
Maleficium quid. pagin. 130 col. 1 a.
Mali in judicio multis undique erunt afflictionibus, & miseriis circumdati. pagin. 833 col. 2 a b & seq.
mali quomodo resurgent. pag. 97 col. 1 c & 2 a.
malorum triplex genus. pagin. 827 col. 2 a
malorum initia sunt plura. pag. 900 col. 2 b
malum quomodo quis velit. pag. 806 col. 2 c & 810 col. 2 b c.
malum quid. pagin. 105 col. 2 b.
malum triplex est. pag. 106 col. 1 a & 176 col. 1 c & seqq.
Mandata omnia duobus mandatis clauduntur. pag. 68 col. 1 b c
Manna cum esset omnis saporis, quomodo Hebraei carnes desiderabant. pag. 913 col. 1 a.
manna quomodo habeat diversos sapores. ibid. b & seq.
Mantia unde dicta. pag. 129 col. 1 c & 2 a.
mantia quinque species habet, ibid.
MARIA Virgo significatur per scalam Jacob. pagin. 248 col. 2 b c & seq. etiam nominata accendit. pag. 422 col. 1 c. quomodo ei conveniat caeli natura & proprietas. pag. 247 col. 1 b c. & seq.
Martyres quare praecipue dicantur justi. pag. 820 col. 1 c
Martyrium fugere an sit imperfectorum. pag. 615 col. 1 c. & seq.
martyrii desiderium perfectio est. pag. 615 col. 1 b c.
Mater non est dicenda quae est immemor pietatis. pag. 977 col. 2 c
Matrimonium quid. pagin. 88 col. 2 a b & 185 col. 2 c.
matrimonium cur ab initio institutum. pag. 89 col. 2 b & cur ante omnia alia sacramenta. pagin. 75 col. 1 a.
matrimonium & in officium, & in remedium institutum. pag. 88 col. 2 a b.
matrimonium a Deo quibus modis institutum. pag. 185 col. 2 c & 186 col. 1 a.
matrimonium quando initietur, ratificetur, & consummetur. pag. 88 col. 2 b.
matrimonii sunt tria bona. ibid. & pagin. 186 col. 2 c & 187. col. 1 a.
matrimonii contractatus per quae initietur, ratificetur, & consummetur. pag. 186 col. 1 a.
matrimonii impedimenta duplicia. pag. 187 col. 1 b c. item duodecim impedimenta. pag. 88 col. 2 c & 89 col. 2 c & 90 col. 1 a b c & 187 col. 1 c & 2 a b c & 188 col. 1. & 2.
matrimonio conjuncti tripliciter separantur. pagin. 186 col. 1 c & 2 a b.
in matrimonio rato, & consummato quid res, quid Sacramentum, quid res & signum. ibid. b c
Meditando debet se homo exercere ad igniculum sapientiae. pag. 363 col. 2 b c & 364 col. 1 a b c.
meditando quomodo se debet homo exercere ad conscientiae stimulum. pag. 361 col. 1 a & quomodo ad radium intelligentiae. pag. 362 col. 1 b c. & 2 a b c
Mem ex ipsis interpretatur. pag. 953 col. 2 c.
Memoriae operationes judicant animam esse imaginem. pagin. 347 col. 2 a b.
memoriam duo perficiunt. pag. 815 col. 1 a.
Mendacium quid. pagin. 116 col. 1 c.
mendacium triplex est. ibid. col. 2 a.
mendacium octuplex. ibid.
Mendicatio pro Christo suscepta est perfectionis Christianae. pag. 559 col. 1 c & seq.

Men-

Mendicitas quintuplex est origine, modo, & efficacia differens. pag. 693 col. 2 b
mendicitatis triplex est modus. pag. 564 col. 2 a
mendicitas supererogationis laudabilis. pag. 565 col. 1 c & 2 a
Mens nostra tribus virtutibus Theologicis supervestiri debet. pag. 350 col. 2 b
mens nostra tripliciter appellata. pag. 340 col. 2 c
Mensuræ durationis tres sunt. pag. 142 col. 1 c & 2 a b
Meretricium quid. pag. 133 col. 1 a
Mereri quis tripliciter dicitur. pag. 158 col. 2 c
Metrum multiplex. pag. 937 col. 2 c & 938 col. 1 a
Metus quid, & quotuplex. pag. 189 col. 2 b
metus quis sit impedimentum matrimonii. pag. 188 col. 2 b
Michael quid significet. pag. 148 col. 2 c
Minores fratres cur habeant magnos conventus. pag. 750 col. 1 c & seqq. cur non degant in deserto. 349 col. 2 b & seqq. cur colligant plura, quam sufficiant ad unius diei victum. pag. 751 col. 2 c & seqq. cur non laborent manibus pro victu. pag. 755 col. 1 a b c. cur populo prædicent, & confessiones audiant. pag. 747 col. 2 c & 748 col. 1 a b & seqq. cur litterarum studio vacent. pag. 748 col. 2 b c & seqq. cur nihil habeant proprium in communi & speciali. pag. 749 col. 1 c b & seq. cur plura nunc petant quam olim. pag. 752 col. 2 a & seqq. cur videantur esse impatientes penuriæ. pag. 743 col. 1 c & seqq. quomodo possint hortos, libros, domos, &c. possidere. pag. 765 col. 1 & seqq. an recipiant ab his, qui injusta lucra sectantur. pag. 766 col. 1 b c & 2 a b an transgrediantur regulam cum pecunias, quæ sibi per eleemosinam erogantur, per alios recipi, & conservari faciant. pag. 765 col. 1 b c & 2 a b c, & 766 col. 1 a. an omnes ad illorum ordinem recipiendi. pag. 757 col. 2 c & seq. inter eos cur non omnes dyscoli e religione eiiciantur. pag. 758 col. 1 c & 759 col. 2 a b. an de eorum religione, possit quis facta professione ad aliam transire. pag. 755 col. 2 c. cur non omnes recipiuntur ad illorum religionem. pag. 754 col. 2 a & seqq. illorum ordo ob quæ tempore sancti Bonaventuræ deformari cœpit. pag. 768 col. 1 & 2 a & seq. cur in Minorum religione aliqui pravis moribus inveniantur. pag. 758 col. 1 b c & 2 a b c. an ad Minorum religionem de qualibet religione sit transitus. pag. 753 col. 1 c & 2 a b. an Minoribus liceat eiicere aliquem pro demeritis, & egresso pœnitenti & petenti receptionem denegare. pag. 756 col. 1 & 2 & seq.
Miraculum quid sit pag. 165 col. 2 b & pag. 858 col. 2 b & 875 col. 1 c
Misericordia quid pag. 172 col. 1 b
misericordiæ opus proprium Deo, justitiæ vero opus alienum quomodo dicatur. pag. 885 col. 1 a
Missæ ritus, et signationes, quæ in Missa fiunt quid significent. pag. 180 col. 2 a b c
Mittere, & mitti quibus personis in divinis competat. pag. 14 col. 2 b
Moderantia quid. pag. 170 col. 1 a
Monachorum quatuor genera. pag. 590 col. 1 b
Moniales cur recipiantur constituta pecunia. pag. 715 col. 2 b c & seq
Monstrum quid sit. pag. 930 col. 2 a
Mors semper meditanda. pag. 436 col. 2 b c
mors Christi fuit turpissima multis de causis. pag. 818 col. 2 a b
mors dicitur exterminium, & quare. pag. 811 col. 2 b
mortem quomodo fecerit Deus. pag. 810 col. 2 b c & 912 col. 1 b c
Mundus in natura cœlesti & elementari consistit. pag. 21 col. 2 a
mundus ex nihilo productus. pag. 20 col. 1 a
mundus incœpit esse a Deo per creationem. pag. 19 col. 2 b
Mundus cur igne conflagrationis consumendus, & non aquarum inundatione. pag. 137 col. 2 b c
Mundus cur purgandus per ignem. pag. 95 col. 2 c
mundi innovatio. ibid.
Murus multa significat. pag. 976 col. 2 a b
Musicæ natura qualis sit. pag. 937 col. 2 b

Na-

N

Nationes quæ sint & cur ita dicantur. pag. 860 col. 1 b
Natura cælestis quotuplex. pag. 22 col. a b c
Natura elementaris necessaria. pag. 21 col. 2 b c
natura corporea, & quid de ea tenendum quantum ad esse. ibid. a
natura corporea, & quid de ea tenendum quantum ad fieri pag. 20 col. 1 a & seqq.
de natura corporali quantum ad operari & influere. pag. 22 col. 2 a & seqq.
Nebula & vapor differunt. pag. 814 col. 2 a
Necessitas duplex. pag. 929 col. 2 a
Negligentia quid. pag. 112 col. 2 c
Noe habuit multa beneficia a Deo. 868 col. 1 a & seqq.
Notiones in divinis quinque. pag. 11 col. 2 c
Novitatum præsumptio quid. pag. 121 col. 1 c
Numerorum septem differentiæ. pag. 346 col. 1 b c
Nun sempiternum interpretatur. pag. 954 col. 2 a

O

Obedientia quid. pag. 172 col. 1 c
obedientia mera quæ dicatur. pag. 30 col. 2 c & 31 col. 1 a
Observantia quid. pag. 172 col. 1 a
Obstetrices mentientes, & pietatem, & salutem filiorum Hebræorum an meruerint, vel peccaverint. pag. 810 col. 1 b
Oculus cordis habet suam noctem & diem. pag. 270 col. 2 c
Odium, quo Deus peccatores odit, quale sit. pag. 996 col. 1 c
Officium divinum ob quinque causas in Ecclesia institutum ab Spiritu sancto. pag. 474 col. 2 c & 475 col. 1 a b c & 2 a b
Omissio quid. pag. 112 col. 1 c
Operatio Dei in productione mundi triplex. pag. 144 col. 1 a
Opus idem quomodo possit esse bonum & malum, meritorium, & demeritorium. pag. 810 col. 1 b
opus manuale quibus ab Apostolo præcipiatur. pag. 589 col. 1 c & seqq.
operis triplex genus. pag. 587 col. 2 a
opera misericordiæ corporalia. pag. 175 col. 1 c & eorum sufficientia. ibid.
opera misericordiæ spiritualia. pag. ibid. col. 2. b & eorum sufficientia. ibid.
Oraculum quid. pag. 153 col. 2 b
Orantis affectio, ad impetrandum quomodo debet esse præparata. pag. 434 col. 1 c & seqq.
Orare semper sine intermissione quid sit. pag. 976 col. 2 c
Oratio & deprecatio quomodo differant. pag. 926 col. 1 c
oratio quid pag. 175 col. 2 c & 176 col. 1 a
oratio mentalis & vocalis. pag. 70 col. 2 a
orationis Dominicæ petitiones septem. pag. 70 col. 2 c, & earum sufficientia. pag. 176 col. 1 b c & de eisdem doctrina. pag. 70 col. 2 c & 71 col. 1 a b & seq.
orationis partes tres, seu gradus tres. pag. 364 col. 2 b
oratione quomodo pervenitur ad veram sapientiam. ibid.
Ordo quid, & quotuplex. pag. 184 col. 2 a & quomodo a Gregorio definiatur. pag. 147 col. 2 c & pag. 87 col. 2 a
ordo divinæ justitiæ in pœna inflicta primis parentibus pro peccato. pag. 35 col 1 c
ordo sacer impedimentum matrimonii. pag. 188 col. 2 a
ordinis sacri septem gradus. pag. 87 col. 1 b & ibid. col. 2 c
ordinis quæ debita dispensatio. pag. 185 col. 1 b
de ordine Ecclesiasticæ hierarchiæ quomodo procedendum. pag. ibid. col. 2 b de eodem pag. 88 col. 1 b
in ordine aliquid est sacramentum, aliquid res, aliquid res, & sacramentum. ibid. col. 1 c & 2 a
in ordine quolibet character imprimitur. ibid. col. 1 a
ordines quomodo dispensandi. pag. 88 col. 1 c
ordines sunt sex tamquam subministrativi, & quare. pag. 87 col. 2 c
ordines cur præcedat tonsura. ibid. a
ordines suscipientium conditiones. pag. 185 col. 1. c

ordi-

ordinum minorum potestas & officium. pag. 184 col. 2 b c
Originale peccatum cur post hanc vitam non puniatur pœna sensus. pag. 36 col. 2 c
originale peccatum ex carentia justitiæ, & morbo concupiscentiæ integratur. pag. 37 col. 2 b
originale peccatum humanam naturam dupliciter infecit. pag. 341 col. 1 a
originalis peccati pœna quadruplex. pag. 36 col. 1 b ejus curatio. pag. 37 col. 2 c & 38 col. 1 a
originalis culpa personam & naturam inficit. pag. 37 col. 1 b
vide de hoc plura verbo peccatum.
Ortygometra unde dicatur, & quæ sit. pag. 908 col. 2 c & 931 col. 1 c
Otium quam causet malum. pag. 948 col. 2 c & seq.

P

Pacis triplex gradus. pag. 273 col. 1 c
pacis multiplices effectus. ibid & seqq.
ad pacis soporem pervenitur septem gradibus. pag. 369 col. 2 c & seqq.
Palestra quid significet. pag. 465 col 2 c
Parcitas quid. pag. 170 col. 1 a
Pars & sors quomodo differant. pag. 817 col. 1 b
Pater in divinis non dicitur mitti. pag. 140 col. 2 b
Patri æterno quatuor sunt appropriata. ibid. c
Patientia quid. pag. 170 col. 2 c item quid ex Tullio. pag. 291 col. 1 c & 2 a
Paupertas quantum ad abrenuntiationem, an sit Christianæ perfectionis disputatur. pag. 549 col. 2 a & 550 col. 1 b & seqq.
paupertas penuriosa ad quatuor potissimum valet pag. 665 col. 2 b & seq.
paupertas voluntaria fundamentum Evangelicæ perfectionis. pag. 636 col. 2 c & seqq.
paupertas quæ alta, quæ altior, & quæ altissima. pag. 210 col. 2 c & 211 col. 1 a
paupertatis Evangelicæ ratio quæ sit. pag. 637 col. 2 c
Peccatum dicitur exterminium, & quare. pag. 811 col. 1 b
peccatum habet duo, quibus correspondent alia duo, quæ sunt in pœna. pag. 940 col. 1 & 2 a
peccatum ex ignorantia quid. pag. 126 col. 2 a b
peccata ex deordinatione nutritivæ duo. pag. 132 col. 2 a
peccata in seipsum duo. ibid. col. 1 c
peccatum triplex ex infirmitate, ignorantia, & malitia. pag. 126 col. 1 a
peccatum unum altero majus potest dici duodecim modis. pag. 109 col. 2 a & 110 col. 1 a b
peccati divisiones quæ. pag. 108 col. 1 a b c
peccatum ignorantiæ, & ex ignorantia quomodo distinguantur. pag. 126 col. 2 a b
peccatum contra naturam. pag. 225 col. 2 b idem duobus modis dicitur. pag. 113 col. 1 c
peccatorum recordatio quomodo fieri debeat. pag. 361 col. 1 a b & seq.
peccata oris quæ. pag. 106 col 1 b
peccati cordis definitio, & differentiæ. pag. 113 col. 2 c
peccata carnalia minoris culpæ sunt spiritualibus, majoris tamen infamiæ. pag. 806 col. 2 c
peccata quare tenebrarum opera dicantur pag. 917 col. 1 b
peccata carnalia multiplicia. pag. 900 col. 1 b
peccator consuetudinarius quam difficile emendetur. pag. 883 col. 2 b
peccator est gladius bis acutus & quare. pag. 911 col. 1 c
peccatores Deus non exaudit, & quos non exaudiat. pag. 926 col. 1 b
peccatorum sex genera per totidem bestias significata. pag. 877 col. 2 c & 878 col. 1 a
peccata pœnalia quæ dicantur, & quæ sint. pag. 41 col. 1 c & seq.
peccata quot modis peccata, & pœnæ peccatorum dicantur. pag.
peccatum quæ antecedant. pag. 133 col. b & seq.
peccatorum in proximum tria genera. pag. 131 col. 2 a
peccatum formaliter & materialiter dicitur. pag. 107 col. 1 c & 2 a
circa peccata finalia, seu irremissibilia quid tenendum. pag. 42 col. 2 a & seq.

pec-

peccata in seipsum ex deordinatione generativæ, quæ sint. pag. 132 col. 2 a
peccati materialiter sumpti definitiones variæ. pag. 107 col. 2 b c
peccatum ut dicit privationem varie definitur. ibid. col. 1 c
peccati unum initium, duplex radix, triplex fomentum, & caput septiforme. pag. 40 col. 1 c
peccatum operis quid, & multa de eo. pag. 117 col. 2 c & 118 col. 1 a b c
peccati actualis differentiæ materiales. pag. 109 col 2 a b c
peccata in Deum. pag. 127 col. 2 a b c & 128 col. 1 a b
ad peccatum duo subsequuntur. pag. 133 col. 1 c
peccati actualis definitio. pag. 109 col. 1 c
peccatum non est essentia aliqua, sed defectus. pag. 32. col. 2 b c
de peccati actualis ortu quæ tenenda in summa. pag. 39 col. 1 b c & seq.
peccati origo quæ, & quod subjectum. pag. 33 col. 1 a
peccatum ex infirmitate quid. pag. 126 col. 1 b
circa peccatorum capitalium ortum quæ tenenda. pag. 40 col. 1 b & seq.
peccati originalis ex Augustino definitio. pag. 108 col. 2 a. item ex Anselmo ibid. col. 1 c
peccatum originale varia sortitur vocabula. ibid. col. 2 c
peccati originalis curatio. ibid. b
peccatum originale quid faciat. ibid. a b
peccatum mortale quid. pag. 111 col. 1 a. corrumpit modum, speciem, & ordinem. pag. 105 col. 2 c & 106 col. 1 a. citra consensum non committitur. pag. 39 col. 2 b
peccati mortalis remedia septem pag. 110 col. 2 c
peccatum veniale quid, & quotuplex. ibid. a b. quando committatur. pag. 39 col. 2 c & 40 col. 1 a. triplex est. pag. 110 col. 2 a
peccati venialis remedia undecim. ibid. c
peccatum in Spiritum sanctum quid. pag. 127 col. 1 a
peccata in Spiritum sanctum sunt sex. pag. 42 col. 2 b & 127 col. 1 b
peccatum omne deformat Trinitatis imaginem. pag. 42 col. b
peccatum in Spiritum sanctum quare dicatur irremissibile. ibid. a b
Pecunia qua cautela accipi debeat a fratribus. pag. 734 col. 1 & 2 a & seq.
pecuniam quomodo recipiant fratres Franciscani. pag. 682 col. 1 c & seqq.
Percussor clerici in quibus casibus sedem Apostolicam adire non tenetur. pag. 129 col. 2 a b
Peregrini non solum sunt ad hospitium invitandi sed trahendi. pag. 932 col. 1 b
Perfectio triplex. pag. 606 col. 1 c & 64 col. 2 a
perfectio & imperfectio quomodo differant. pag. 604 col. 2 c & seq.
perfectio Evangelica quid sit. pag. 606 col. 2 c & seq.
perfectionis integritas quibus constet. pag. 64 col. 1 c pag. 632 col. 2 c.
ad perfectionem sex sunt gradus. pag. 366 col. 1 c
Perfectum, & imperfectum tribus modis dicitur. pag. 598 col. 1 c
Perjurium quid, & quotuplex. pag. 117 col. 1 b
Perplexitas triplex. pag. 115 col. 2 c
Perseverantia quid. pag. 170 col. 2 c & seq. & quid ex Tullio. pag. 291 col. 2 b c
Personarum acceptio quid & quotuplex. pag. 114 col. 2 c & seq.
Pertinacia quid. pag. 121 col. 1 b
Phantasma quid. pag. 153 col. 2 b c
Phe interpretatur fons vel oculus oris. pag. 957 col. 1 c item interpretatur os ab ore, non os ab osse &c. pag. 956. col. 2 c
Philosophia triplex, & quid repræsentet. pag. 349 col. 2 c
Pietas quid. pag. 170 col. 2 c item quid ex Hugone. pag. 275 col. 1 a
pietas innata quid sit. ibid. col. 1 b
item quid acquisita. ibid. c
pietas quæ sit donum Spiritus sancti. ibid. col. 2 a b.
pietas impietatem expellit a convivio suo. pag. 278 col. 2 b
pietatis donum exponitur. pag. 171 col. 2 c & seq.
pietatis donum in mente convivium præ-

præparat. pag. 278 col. 2 a & seq.
pietatis donum in anima facit meridiem. pag. 277 col. 1 a
pietatis in die tres horæ distinguuntur. pag. 276 col. 2 b
pietatis donum non solum vires mentis, sed externas invitat. pag. 278 col. 2 c
item vires mentis multipliciter reficit. pag. 279 col. 1 a b
per pietatis donum dies spiritualis animæ oritur. pag. 276 col. 1 b & seq.
Pisces maris, fluminis, & stagni qui dicantur. pag. 286 col. 2 a b.
Plebanus bonus qui dicatur. pag. 725 col. 2 a & qui nullus. 726 col. 1 c item insufficiens. 125 col. 2 c
Plorandum esse continue quomodo intelligatur. pag. 976 col. 2 c & 977 col. 1 a.
Pœna habet duo correspondentia duobus, quæ sunt in peccato. pag. 940 col. 1 & 2 a.
pœna peccati cur æterna. pag. 138 col. 1 c.
pœna damnatorum triplex. ib. b
pœna peccati temporalis ex Orosio quæ. 136 col. 1 b
pœna triplex, acta, inflicta, & contracta. pag. 135 col. 2 b.
pœnæ peccati personales. pag. 136 col. 1 b
pœnæ peccati naturales ex Gregorio septem. pag. 135 col. 2 c.
Pœnalis locus post hanc vitam triplex. pag. 136 col. 1 c
Pœnitentia quid. pag. 181 col. 2 a.
pœnitentiæ partes integrales. pag. 182 col. 1 a
pœnitentiæ diversa vocabula. pag. 181 col. 2 c.
de pœnitentiæ sacramento doctrina. pag. 83 col. 2 c & seq.
in pœnitentia ostenditur summa Christi clementia, prudentia, & justitia. pag. 84 col. 1 c
in pœnitentia quid res, quid sacramentum, quid res, & sacramentum. pag. 183 col. 1 a b.
Ponderis vestis unde dicatur. pag. 927 col. 1 b.
Pontifex summus, & ejus primatus. pag. 88 col. 1 b.
Pontifex qualis esse debeat. pag. 613 col. 1 b. c.
Pontifices ex causa possunt amovere reges, & deponere imperatores ex causa. pag. 215 col. 1 b c.
Populus quid sit. pag. 860 col. 1 a.
Portæ & vectes civitatis multa significant. pag. 469 col. 1 a b c.
Possessio sine socio non est jucunda pag. 815 col. 2 a
Potentia quomodo præcedat voluntatem, vel e contra. pag. 885 col. 1 a
potentia Dei ordinata quæ. pag. 141 col. 1 a
potentia ordinata tripliciter dicitur. pag. 16 col. 1 c
potentia motiva duplex. pag. 151 col. 2 c.
potentia regitiva corporis triplex. ibid. b. c.
potentiarum divisio ex Augustino. p. 150 col. 1 a.
Potestas magnorum duplex. pag. 962 col. 2 c.
potestas ligandi & solvendi, quibus & quomodo collata in Ecclesia. pag. 85 col. 1 a.
Potestates ex Dionysio quæ dicantur. pag. 217 col. 2 b
Præceptum triplex. pag. 162 col. 1 a
præceptorum decem sufficientia. pag. 160 col. 2 c & 69 col. 1 c
de preceptis divinæ legis doctrina. pag. 68 col. 2 b & seq.
præceptis divinis dupliciter obtemperare contingit. pag. 69 col. 1 a
præceptorum decalogi ordinatio varia. pag. 160 col. 2 a b
præceptorum scripturæ quatuor genera. ibid. col. 1 c
præceptum naturæ duplex. pag. 161 col. 2 a
præcepta veteris legis in magno numero. ibid. c
Prædicandi duo modi in divinis. pag. 139 col. 2 b
Prædicamenta de Deo dicta quomodo transeant in substantiam excepta relatione. ib.
prædicamenta quomodo quinque prima, & quinque postrema Deo attribuantur. pag. 12 col. 1 a b
Prædicatori octo valde utilia circa sapientiam addiscendam. p. 881 col. 1 c
Prædicatorum linguæ quare canum linguæ dicantur. pag. 866 col. 2 c
Prælati durius in inferno puniuntur quam alii, & quare. pag. 841 col. 2 a
prælato in judicio triplex fiet interrogatio. ibid. col. 1 a.

prælatus devotione præditus esse debet. pag. 473 col. 2 b c & seq.
prælatus quædam per se expedire debet, alia aliis committere. pag. 471 col. 1 b & seq.
prælatus debet esse exemplaris in vita. pag. 465 col. 1 a & seq.
prælatus debet habere patientiam. pag. 462 col. 1 a & seq.
prælatus debet aliorum consilia audire. pag. 472 col. 2 a b
prælatus cur dicatur habere rationem capitis in corpore communitatis. pag. 471 col. 1 a b
prælatus triplici circumspectione seipsum circumspicere debet. ibid. col. 2 b c & seq.
Prælati inter fratres cur sæpe mutentur. pag. 707 col. 2 a & seq.
prælati propter multa Archangelis conformes dicuntur pag. 222 col. 2 c.
Præmium bonorum triplex aureola, fructus, & aurea. pag. 191 col. 1 b. & seqq. & 100 col. 1 a.
præmium aliud substantiale, aliud consubstantiale, aliud accidentale. ib. & 154 col. 2 b & in quo consistant. ib.
præmium justorum quoad corpus, & quoad animam. p. 100 col. 2 & seq.
Præstigium quid. pag. 139 col. 1 b.
Præsumptio quid. pag. 120 col. 2 a.
Prima tonsura signaculum distinguens & instruens. pag. 184 col. 1 c.
Principatus qui dicantur ex Dionysio, & Isidoro. pag. 220 col. 1 b.
Principes sæculares ob multas causas potestatibus comparantur. p. 217 col. 2 b
Prophetæ, & triplex in eis visio. pag. 276 col. 2 b c.
Proprietas personalis in Divinis quid, & quotuplex. pag. 139 col. 2 b c.
Providentia quid. pag. 169 col. 1 a
providentia Dei quid sit, & quomodo sit omnium rerum. pag. 894 col. 2 a
Prudentia quid. pag. 168 col. 2 b
prudentiæ diffinitiones variæ. ibid. c
prudentiæ actus ex Augustino, & Macrobio. pag. 169 col. 1 b. c
prudentiæ divisio in tres partes. p. 168 col. 2 c & seq.
prudentiæ secundum philosophos quatuor species. pag. 169 col. 1 a b.
Psalmistatus non est ordo. p. 185 col. 2 b
Pudicitia quid. pag. 170 col. 1 b
Pulchritudo quid. pag. 344 col. 2 b.
Punitio primorum parentum, & quid de ea tenendum. pag. 35 col. 1 a & seq.
Purgatorius locus ubi secundum legem communem, & ubi secundum divinam dispositionem. pag. 136 col. 2 b
purgatorius ignis corporeus pag. 92 col. 1 b
purgatorii pœnarum gravitas. ibid.
purgatoria pœna cur sit. ibid. c
in purgatorio quomodo ab igne materiali spiritus patiantur. ibid. col. 2 b
de purgatorio doctrina summaria. ibid. a & seq.
in purgatorio Angeli visitant animas sibi commissas, & consolantur. pag. 324 col. 1 b.

Q

Quadratus numerus qui sit. pag. 942 col. 1 c & 2 a
Quatuor fuerunt primo creata. pag. 142 col. 1 b
Qui est quomodo primum Dei nomen. pag. 353 col. 1 a b

R

Rachel interpretatur ovis. pag. 936 col. 2 c
Raphael quid significet. p. 148 col. 2 b
Rapina quid. pag. 131 col. 2 a
Ratio quid. pag. 150 col. 1 b & quid ex Augustino. 152 col. 2 c & 153 col. 1 c
rationis quinque actus. p. 152 col. 2 b
de ratione seminali doctrina. p. 155 col. 1 c & seq.
Rebellio quid. pag. 120 col. 2 a
Rectitudo duplex necessitatis, & superero gationis. pag. 141 col. 2 c. & seq.
Rector debet habere zelum justitiæ. pag. 456 col. 1 a & seq. item pietatem, & maxime in infirmos. pag. 459 col. 2 c & seq. item discretionem & circumspectionem maxime circa quatuor pag. 467 col. 1 c & seq.
Redemptionis mysterium expenditur. pag. 786 col. 1 b & seq.
ob redemptionis beneficium quanto amore sit Deus diligendus. pag. 784 col. 1 b c & seq.
Regiminis in officio quæ spectanda. pag. 706 col. 2 c & seq.
Relatio in Deo quomodo ratione subjecti transit in substantiam, & ratione termini manet. pag. 139 col. 2 b

rela-

relationes in divinis sunt quatuor. pag. 11. col. 2 c & 139 col. 2 a
Religio quid. pag. 171 col. 2 a
religio bona, in quibus altera melior judicetur. pag. 759 col. 1 c & 2 a b.
religio fratrum minorum vere caret & appropriatione rerum mobilium, seu immobilium, & proprietate pecuniarum. pag. 678 col. 2 a b c & seqq.
religio carentium loculis ab errore defenditur. pag. 671 col. 1 c & seq.
religiones in vita religiosa quas ob causas deficiant. pag. 759 col. 2 c & seq.
Religiosi & perfecti viri propter novem Cherubim dici possunt. pag. 207 col. 1 a b & seq.
religiosi cur prioribus temporibus non fuerint ab Ecclesia missi ad officia prædicationis, & confessionis. pag. 725 col. 1 a b c.
religiosi quæ facta sua celare debeant. 762 col. 2 a b & seq.
religiosi S. Francisci cur ad mensas divitum accedant. pag. 763 col. 2 a b c
religiosi viri varias ob causas Seraphim dicuntur. pag. 202 col. 2 c & seq.
religiosi, & contemplativi cœlorum nomine ob multa significantur in sacra Scriptura. pag. 234 col. 2 b & seqq.
religiosi in quibus casibus audire debeant confessiones. pag. 727 col. 1 c & seqq.
inter religiosos cur dissensiones sint. p. 761 col. 2 b & seqq.
religiosus quatuor debet habere. pag. 998 col. 1 b
Res interpretatur caput. pag. 993 col. 2 c
De Resurrectione corporis doctrina. pag. 96 col. 2 b & seqq.
de resurrectione generali quid tenendum. pag. 193 col. 1 a b & seqq.
Reverentia quid. pag. 171 col. 2 c.
reverentia quibus debeatur & qua ratione. pag. 968 col. 2 c.
reverentia tripliciter Deo exhibenda. pag. 365 col. 2 b
Rota quatuor facierum apud Ezechielem quomodo libros sacræ scripturæ significet. pag. 3 col. 2 a.

S

Sacerdotes ob multas rationes dici possunt. pag. 212 col. 2 a b & seq.
sacerdotes venientes tantum ad Ecclesiam pro distributione quales sint, & cui animali comparentur. p. 967 col. 1 a
Sacerdotium quomodo se babeat cum regia potestate. p. 215 col. 1 a b & seq.
Sacramentum quid. pag. 167 col. 1 b
sacramentum unum quomodo aliud præcellere dicatur. pag. 178 col. 1 a
sacramenta cur instituta. p. 177 col. 1 a
sacramenta cur non a solis bonis dispensentur. pag. 77 col. 1 c
sacramenta in omni lege plura fuerunt. pag. 73 col. 2 a b.
sacramenta quatuor possunt iterari. pag. 177 col. 1 c & 2 a
sacramenta cur quædam iterabilia, quædam non p. 78 col. 1 c & 2 a b.
sacramenta legis naturæ, scriptæ, & gratiæ. pag. 73 col. 1 a b
sacramenta quomodo vasa, & causa gratiæ. pag. 72 col. 2 a
sacramentorum novæ legis dignitas, & eorum sufficientia. pag. 73 col. 2 b c
de sacramentorum institutione doctrina. p. 75 col. 1 b c item de sacramentorum origine. pag. 71 col. 2 b item de eorum varietate. pag. 72 col. 2 c & seq.
sacramentorum differentia exponitur pag. 177 col. 1 a b & seq. de eorum dispensatione p. 76 col. 2 a item de eorum iteratione. pag. 78 col. 1 a
sacramentaliter manducare quid. p. 180 col. 2 c
sacramentum altaris figurabatur per manna. pag. 913 col. 1 c.
Sacrilegium quid. pag. 125 col. 1 a. item quid, & quibus modis committatur. pag. 131 col. 1 c & 2 a
Sade interpretatur justitia, vel consolatio. pag. 992 col. 2 c.
Sadi interpretatur justitia. p. 957 col. 1 c
Saltus qualis sit locus. pag. 936 col. 2 b
Salvandorum tres sunt status. pag. 202 col. 2 c & seq.
Samech adjutorium interpretatur. pag. 955 col. 1 a
Sandalia quæ dicantur. pag. 741. col. 1 c. & seq.
Sancti complures prius extiterunt peccatores. p. 421 col. 2 c & 422 col. 1 a b.
sancti magnificantur a Deo multipliciter. pag. 933 col. 2 a & seq.
sancti septem modis per sapientiam a malis liberantur. p. 871 col. 2 a b & seq.
sanctorum confidentia in judicio erit ex septem. pag. 832 col. 2 a & seq.

ſanctorum obitus dicitur Natale pag. 820 col. 2 c.
ſanctorum tormenta pauca dicuntur. pag. 821 col. 2 b
Sanguinis Christi gutta una ſufficiens fuiſſet pro noſtra ſalute. p. 986 col. 1 c
Sapientia quid ſit, & quid donum ſapientiæ dicatur. pag. 312 col. 2 c & ſeqq.
ſapientia ſine juſtitiæ obſervantia haberi non poteſt. pag. 804 col. 1 a
ſapientia quomodo ſit rerum divinarum cognitio. pag. 802 col. 2 a
ſapientia præponitur auro, & omni theſauro mundano octo de cauſis. p. 848 col. 2 c
Sapientia multiplex. pag. 313 col. 1 c & 2 a b
ſapientia communiter, minus communiter, & proprie dicitur. p. 173 col. 1 a
ſapientia creata eſt duplex. pag. 313 col. 2 b
ſapientia Dei varia ſortitur nomina. pag. 16 col. 2 c & 17 col. 1 a
ſapientiæ concupiſcentia, & diſciplinæ amor quomodo ſit gloriæ initium. pag. 842 col. 2 c
ſapientiæ beneficia in ſex ſingularibus perſonis. pag. 867 col. 1 b
ſapientiæ convivii charitas, & ſocietas. pag. 327 col. 2 a
ſapientiæ, donum, animæ a corpore ſeparatæ quale convivium præparet. pag. 322 col. 2 b c & ſeq.
ſapientiæ donum qua ratione inveniri poſſit. pag. 315 col. 2 b c & ſeq.
ſapientiæ convivii ſatietas beata. p. 328 col. 1 c & 2 a b
ſapientiæ convivii vinum quale. ib. c
ſapientiæ convivium æternum. pag. 326 col. 2 c & ſeq.
ſapientiæ convivium quam abundans. pag. 327 col. 1 c
ſapientiæ donum cur ſeptimum ſtatuatur. pag. 312 col. 2 c & 313. col. 1 a b.
ſapientiæ convivii gaudioſa jucunditas. pag. 327 col. 2 c
ſapientiæ convivium quam excellens. ibid. col. 1 a b.
ſapientiæ doni utilitas, & neceſſitas. pag. 314 col. 1 c & 2 a b & ſeq.
ſapientiæ donum animæ poſt reſurrectionem quale convivium præparet. pag. 324 col. 1 c & 2 a b & ſeq.
ſapientiæ donum ad quod vinum potandum invitet. p. 320 col. 1 b c & ſeq.
per ſapientiæ donum animæ convivium præparatur. pag. 318 col. 1 a b & ſeq.
per ſapientiæ donum quomodo dies ſpiritualis in anima oriatur. pag. 316 col. 2 b & ſeq.
de ſapientiæ primo convivio, quod animæ in corpore exiſtenti præparatur. p. 318 col. 2 a b & ſeq.
ad ſapientiam veram quomodo conſurgendum. p. 326 col. 1 & ſeq.
in ſapientiæ convivio qui ſint chariſſimi, & quæ ſit ſobria ebrietas illorum. pag. 321 col. 1 a b & ſeq.
ad ſapientiæ convivium quæ familiæ, & convivantes invitentur. pag. 325 col. 1 b & ſeqq.
Sapphirus quid ſignificet. p. 210 col. 1 a
Satisfacere ex Auguſtino & Anſelmo quid. pag. 182 col. 2 b.
ſatisfactionis partes. pag. 94 col. 1 a & 182 col. b
Scandalum quid, & quot modis dicatur. pag. 131 col. 1 c & ſeq.
ſcandali duplex differentia. pag. 132 col. 1 a
Schiſma quid, & quomodo differat ab hæreſi. pag. 127 col. 1 c
Scientia omnis eſt de genere bonorum. pag. 903 col. 2 a
ſcientia quæ ſit donum Spiritus ſancti. pag. 281 col. 2 b
ſcientia tribus modis dicitur. pag. 173 col. 1 b c.
ſcientiæ donum quid ſit. pag. 281 col. 2 b
ſcientiæ donum extendens ſe ad ſcientias acquiſitas cauſat mane. pag. 282 col. 1 c
ſcientiæ donum multipliciter reficit convivantes per ferculorum diverſorum delitioſam exhibitionem. p. 283 col. 2 c & 284 col. 1 a b.
ſcientiæ donum provocat animæ appetitum per manifeſtationem dulciſſimarum veritatum. pag. 283 col. 2 b
ſcientiæ donum extendens ſe ad lumen ſcientiæ moralis facit horam veſpertinam. pag. 283 col. 1 a b
ſcientiæ donum extendens ad lumen ſacræ ſcripturæ, & ad credibilia cauſat meridiem. pag. 282 col. 2 b.
per ſcientiæ donum in anima dies oritur diſtinctus tribus horis. pag. ibid. col. 1 b c
per ſcientiæ donum menti humanæ con-

vi-

vivum præparatur. p. 283 col. 1 c & seq.
Scin dentium interpretatur. p 959 col. 1 c.
Scriptura sacra de quibus agit. pag. 160 col. 1 c.
Scriptura sacra cur longissima. pag. 4 col. 1 b c. cur triplicem habet sensum præter litteralem. pag. 6 col. 1 b quomodo exponenda. pag. 8 col. 1 a & seq. est cognitio sublimis, & salutaris. pag. 23 col. 2 a triplicem habet intellectum. pag. 360 col. 2 b de fide, spe, & charitate agit. p. 351. col. 2 b c & seq. similis est fluvio altissimo, pag. 4 col. 1 a. quo fine perscrutanda. pag. 2 c. aliquando cibus, & aliquando potus. p. 286 col. 2 c. docet purgari, illuminari, & perfici. pag. 351 col. 2 c & 352 col. 1 a b.
Scripturæ sacræ modus procedendi authenticus esse debet & quare pag. 7 col. 1 c & seq. ejus profunditas in quo consistat. pag. 6 col. 1 a b. ejus auditor qualis esse debeat. ibid. col. 2 a b. ejus latitudo quæ. pag. 3 col. 1 b. ejus longitudo quæ. pag. 4 col. 1 b c. ejusdem quatuor partes. pag. 8 col. 1 c & seq.
Scripturæ sacræ tres mensæ ex Hugone. pag. 285 col. 2 a b & seq. ejusdem sublimitas in quo consistat. pag. 5 col. 1 c. & seq. in ejus mensa qui apposuerint fercula. pag. 285 col. 2 c. & seq. ejusdem triplex mensa ad reficiendum legentes. pag. 284 col. 1 a b
ad Scripturam sacram perfecte exponendam, quæ præcognoscenda. pag. 8 col. 2 c. & seq.
in Scriptura sacra non tantum verba sed facta significant & quare. pag. 6 col. 2 b c & seq.
Scutum multa figurat. pag. 926 col. 2 c & seq.
Senibus duo debentur. p. 970 col. 1 b c
Sensualitas quid. pag. 150 col. 1 a b.
Sensus quid pag. ibid.
sensus in homine duplex interior, & exterior. 151 col. 1 c. & seq. & 260 col. 2 c.
sensus interior triplex. pag. 151 col. c. & seq.
sensus interiores in anima quinque. pag. 262 col. 2 b c.
sensus omnes corporis in cœlo erunt in actibus suis pag. 447 col. 2. a b. in sensu quæ sint necessaria ad sentiendum. pagin. 151 col. 1 a & seq.
Sententia potest esse injusta tripliciter. pag. 841 col. 1 c
Seraphim sunt purgativi. pag. 204 col. 1 b. & illuminativi. ibid. col. 2 a. item sunt inferiorum reductivi. pag. 203 col. 2 a. item sunt inflammativi. pag. 202 col. 2 c. & motivi. pag. 203 col. 1 b. item acuti & penetrativi. ibid. c. item activi sunt, & exemplificativi. ibid. col. 2 b. & illuminativi. pag. 204 col. 2 a.
seraphim cur sanctus ter clamabant. pag. 205 col. 2 c.
de Seraphim apud Isaiam sexto capite sex dicuntur. pagin. 204 col. 2 c.
Servitia coacta Deo non placent. pag. 212 col. 1 b.
Severitas quid. pag. 171 col. 1 c
Simonia quid. pag. 131 col. 1 b. ejus tres differentiæ. ibid.
Sin interpretatur dentium, vel super vulnus dentium. pag. 994 col. 1 c.
Singularitas quid. pag. 120 col. 2 a.
Smaragdus quid significet. pag. 210 col. 1 b.
Sobrietas quid. pag. 170 col. 1 a.
Solidus numerus quid sit. pag. 942 col. 2 c & seq.
Somnium quid. pag. 153 col. 2 b
Sors & pars quomodo differant. pag. 816. col. 1 b
Sortilegium quid. pag. 130 col. 1 b
Speculum multipliciter accipitur, & multa figurat. pag. 854 col. 1 b
Spes proprie est de bono. pag. 891 col. 1 b. proprium ejus objectum est beatitudo. pag. 280 col. 1 a.
spei diversæ definitiones. pag. 167 col. 1 b. c.
spei in suo actu excellentia. ibid. col. 2 b
spei significata quot. ibid. col. 1 c. & 2 a.
Spiritus sanctus dicitur paracletus, & quare pag. 935 col. 2 a
Spiritus sanctus in nobis multos causat effectus. pag. 852 col. 1 b c. & seq.
Spiritus sanctus per sua dona vires animæ disponit, ut ad cœlestia per gradus ascendant. pag. 262 col. 2 c. item vires mentis erudit & munit. pag. 264 col. 1 b.

Spi-

Spiritus sancti donorum qui capaces sint. pag. 263 col. 1 c & 2 a
Spiritus sancti dona septem. pag. 172 col. 2 b c & eorum sufficientia. ibid. & 62 col. 2 a & 257 col. 1 c
Spiritus sancti dona, quomodo a doctoribus ordinentur tam in ascendendo, quam in descendendo, pag. 165 col. 2 a b & seq.
Spiritus sanctus dat lumen veræ cognitionis, & fervorem veri amoris. pag. 255 col. 1 c.
Spiritus sanctus multiplicem effectum causat in homine. pag. 263 col. 2 b
Spiritus sanctus per sua dona domum mentis in jucundum habitaculum sibi præparat. pag. 261 col. 2 b c
Spiritus sancti dona vires animæ ad expedite ministrandum Deo habilitant. ibid. c.
Spiritui sancto quæ approprientur. p. 140 col. 2 c & 141 col. 1 a.
Spiritus sanctus non dicitur mittere. pag. 140 col. 2 b
spirituales sensus quinque. pag. 176 col. 2 a.
Spoliatio gratuitorum quid. pag. 135 col. 1 c & 2 a b.
Sponsalia octo modis solvuntur. 186 c. 1 b
sponsalia quando valeant, & quibus modis contrahantur. pag. ibid. a.
sponsalium duplex effectus p. ibid. c.
Status justorum multis de causis commendabilis. 825 col. 2 a b & seq.
Stellæ duodecim coronæ beatorum quæ. pag. 329 col. 2 c.
Strenuitas quid. pag. 362 col. 1 c.
Studium quid sit. pag. 801 col. 2 a.
Subdiaconi potestas & officium. pag. 184 col. 2 b.
Subditi & obedientes quibus similes p. 220 col. 1 a
subditis plebanorum in sex casibus licet aliis, quam ipsis confiteri. pag. 725 col. 2 a b. c.
subditorum vita quomodo, & quot modis prælatos alloquatur. p. 972 col. 1 a
Suffragia Ecclesiæ quibus prosint p. 192. col. 2 c & cujus sit id scire p. 94 col. 2 c
suffragia Ecclesiæ quæ. pag. 93 col. 1 c. & 2 a b
suffragiorum effectus. p. 192 col. 2 c.
suffragiorum pro mortuis ratio. pag. 93 col. 2 b
Superbia quid. pag. 120 col. 1 a
superbiæ quatuor species. ibid.
superbiæ duodecim gradus. ibid. c
Symbolum Apostolorum dicitur majus. pag. 165 col. 2 c
symbolum Niceni concilii, cur diebus Dominicis, & festis, & cur post Evangelium, & ante communionem dicatur. pag. 166 col. 1 a.
symbolum Apostolorum cur submisse voce & in principio, & fine divi dicatur. pag. 165 col. 2 c.
ad symbolum condendum singuli Apostoli singulas particulas apposuerunt. pag. 166 col. 1 b c
symbolum Athanasii cur recitetur nocte finita, prima diei hora. ibid. a
Synagoga tripliciter Christo injuriata est. pag. 982 col. 2 c.
Synderesis officium. pag. 31 col. 1 b.

T

Tabernaculum & tentorium quomodo differant. pag. 965 col. 2 c
Temperantia quid. pag. 169 col. 2 b.
temperantiæ actus qui. p. 170 col. 1 b
temperantiæ partes, & earum definitiones. pag. 169 col. 2 a b c.
temperantiæ definitiones diversæ. ib.
Tempus quid sit. pag. 142 col. 2 b
Tentare quid. pag. 106 col. 2 a
tentare Deum contingit quadrupliciter. pag. 806 col. 1 b c.
Tentatio alia diabolica, alia humana. pag. 106 col. 2 c
tentatio tribus modis perficitur. pag. 107 col. 1 a
tentatio ex Richardo in septem membra dividitur. ibid.
tentatio quædam levis & occulta, quædam gravis & manifesta, quædam gravis & occulta. ibid.
tentatio carnis duplex. pag. 871 col. 2 b c.
tentatio mundi duplex. ibid.
tentatio a dæmone duplex. ibid.
de tentatione primorum parentum quæ tenenda. pag. 33 col. 1 c. & seq.
Tentio seu obligatio multiplex. pag. 112 col. 2 a
Tentorium & tabernaculum quomodo differant. pag. 965 col. 2 c
Terra quadruplex. pag. 805 col. 1 c
terra promissionis quare sacra dicatur. pag. 882 col. 2 a
Testamentum vetus & novum & eorum differentia. pag. 3 col. 1 c & 2 a

testa-

testamenti utriusque libri sibi respondent. ibid.
testamenti novi libri qui. pag. 159 col. 2 c & 160 col. 1 a
testamenti veteris libri qui. pag. 159 col. 2 b c
Teth bonum interpretatur. pag. 949 col. 2 c.
Tetragrammaton quomodo sit nomen Dei pag. 927 col. 2 b
Thau apud Samaritanos habet figuram crucis, quamvis non apud Hebræos, qui illam corruptam habent. pag. 960 col. 2 b c.
Thau interpretatur signum. pag. 994 col. 2 c & 960 col. 1 a.
Thau quid significet. ibid. b c.
Theologia est scientia, & sapientia perfecta. pag. 10 col. 1 a
Theologia una est, & quod sit ejus subjectum. ibid. b
Theologia in universum de septem præcipue agit. pag. 9 col. 2 c.
Threni dicuntur quasi terni. pag. 937 col. 2 a
Threni græce dicuntur, hebraice Cinoth, latine vero Lamentationes. ib.
Throni cur sic dicti, & ipsorum proprietates. pag. 209 col. 1 b c
Timor ex præsumptione causatur. pag. 918 col. 2 c
timor quid sit ex Augustino. pag. 268 col. 1 a
timor triplex. pag. 126 col. 1 c
timor est fundamentum aliorum donorum Spiritus sancti. pag. 267 col. 2 a
timor servilis quid, & quomodo a Deo sit. pag. 268 col. 2 b
timor initialis quid. ibid. c
timor quis maneat cum charitate. p. 270 col. 1 a
timor naturalis quid. pag. 268 col. 1 b.
timor initialis quid. ibid. col. 2 c
timor filialis quid. pag. 269 col. 1 b
timor quintuplex. pag. 269 col. 1 & 2
timoris differentiæ. pag. 174 col. 2 c
timoris donum menti convivium præparat. pag. 271 col. 2 c & seq.
Torcular passionem Christi significat. p. 956 col. 1 a.
Torpor quid sit, & quotuplex. pag. 113 col. 1 b
Trajanus resuscitatus. pag. 813 col. 2 a
Triticum significat Christum, & quare. pag. 972 col. 1 b.
Tropologia quid. pag. 6 col. 1 b & 105 col. 1 a b

V

Vapor & nebula differunt. pag. 814 col. 2 a.
Vvau interpretatur dominium adversariorum. pag. 947 col. 1 b.
Vectes civitatis, & portæ multa significant. pag. 969 col. 1 b & seq.
Vegetabilia in fine mundi in propria Natura consumentur. pag. 96 col. 1 c & 2 a
Ventus est aer motus. pag. 836 col. 1 b.
Verbi divini incarnatio. pag. 395 col. 2 b.
Verecundia quid. pag. 169 col. 2 c. & 170 col. 1 a
Veritas quid. pag. 172 col. 1 a
veritas triplex est pag. 307 col. 1 c
ad veritatis splendorem pervenitur septem gradibus. pag. 369 col. 2 c. & seqq.
Vindicatio quid. pag. 172 col. 1 a
Virginitas quid. pag. 170 col. 1 a.
virginitas tria dicit, respectu quorum ipsi tria præmia debentur. pag. 194 col. 2 a b.
Virtus unde dicatur. pag. 197 col. 1 c.
virtus varie definitur. pag. 163 col. 2 b c & 164 col. 1 a b
virtus multis rebus comparatur. pag. 163 col. 2 c & seqq.
virtutes omnes possunt esse informes charitate excepta. pag. 62 col. 1 b.
virtutum, donorum, & beatitudinum officium. pag. 61 col. 2 b
virtutes ex Dionysio cur sic dictæ. p. 215 col. 2 c.
Vis seu violentia quid. pag. 188 col. 2 b
vis naturalis triplex. pag. 152 col. 1 a.
vis vitalis quid sit. pag. 151 col. 2 c
vis animalis divisio. ibid.
vis spiritualis divisiones. pag. 152. col. 1 b c
vi nutritivæ quatuor virtutes deserviunt. ibid. a.
Visio quid. pag. 153 col. 2 b.
Vita Hierarchica, & ad eam tres actus necessarii. pag. 63 col. 2 a.
Vitia capitalia quomodo ordinentur. pag. 118 col. 2 c

vitio-

vitiorum capitalium numerus. pag. 119 col. 1 a b
de vitiis capitalibus doctrina. pag. 118 col. 2 & 119 col. 1.
Vivere secundum naturam quid sit. p. 432 col. 2 c & seq.
Unctio extrema quibus & quando danda est. pag. 183 col. 1 c & 2 a.
unctionis extremæ efficacia. ibid. b
ejus materia, forma, & minister. ibid. col. 1. & inter eam & confirmationem est septiformis differentia. ib. col. 2 c.
unctionis extremæ significatio. pag. 184 col. 1 a.
Voluntas divina regula rectitudinis pag. 18 col. 2 b
voluntas Dei efficacissima. ibid. c.
voluntas quomodo præcedat potentiam, vel e contra. pag. 885 col. 2 a
voluntas Dei una efficax & recta. pag. 18 col. 1 b
voluntas divina ratione regulata dicitur providentia. ibid. c.
voluntas beneplaciti per voluntatem signi significatur. ibid. b.
voluntas nostra quando bona. pag. 105 col. 2 c
Voluntas dicitur potentia, actus, & volitum. pag. 152 col. 1 c. & 2 a
voluntas propria quid, & multa de ipsa pag. 294 col. 1 c & seq.
voluntas propria, & proprium consilium duplex lepra ex Bernardo. ibid.
voluntas cogi non potest. pag. 28 col. 1 a.
voluntatis ex Damasceno sex actus. pag. 152 col. 2 a.
Votum quid, & universæ ejus definitiones. pag. 188 col. 1 a b
votum duplex est. ibid.
votum est impedimentum impediens & dirimens matrimonium. ibid.
Uriel quid significet. pag. 149 col. 1 a
Us est nomen proprium personæ & terræ. pag. 1002 col. 1 a
Usura quid. pag. 131 col. 2 b
Uti quid sit. pag. 139 col. 1 b
uti est assumere aliquid in facultatem voluntatis. pag. 815 col. 2 b
Vulnera animæ propter peccatum sunt quatuor ex Beda, & quare. pag. 134 col. 1 b c.

Z

Zacherab recordata interpretatur. p. 947 col. 2 b.
Zain interpretatur hæc. ibid. c

Finis Indicis rerum & verborum quæ tomo quinto operum S. Bonaventuræ continentur.

